ALEXANDRI ALENSIS ANGLI,


DOCT. IRREFRAGABILIS, ORDINIS MINORVM,

SVMMÆ THEOLOGIÆ PARS TERTIA.

IN QVA QVIDQVID AD CHRISTI INCARNAtionem, Conuerſationem, Paſſionem, & Reſurrectionem; ad Leges, ad Gratiam, atque Virtutes attinet, ſumma eruditione pietateque copioſiſſimè expreſſum.

Nunc primùm in Germania poſt multiplicem recognitionem omnia caſtigata, & Titulis Quæſtionum, earundem Reſolutionibus, locorumq; allegationibus quamplurimis illuſtrata, & excuſa.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Sumptibus Ioannis Gymnici, ſub Monocerote.
ANNO M. DC. XXII.

INDEX QVÆSTIONVM
PRINCIPALIVM, MINVS PRINCIPA-lium, collateralium & incidentalium.

IN HAC TERTIA PARTE
DISPVTATARVM.

tantum

MEM-

ARTI

ARTI

MEM-

Finis Indicis Quæstionum Tertiæ Partis.

ALEXANDRI DE ALES,

DOCTORIS IRREFRAGABILIS ORDINIS MINORVM,

SVMMÆ THEOLOGICÆ PARS TERTIA.

PROLOGVS.

TOTA Christianæ fidei disciplina pertinet ad duo: ad fidem & intelligentiam conditoris; ad fidem atq; intelligentiam saluatoris. Vnde Isaias in persona Domini loquens, dicit: *Vt sciatis & credatis mihi, & intelligatis, quia ego ipse sum: ante me nõ est * formatus Deus; & post me non erit: ego sum. ego sum Dominus: & non est absque me saluator.* Fides autem & intelligentia conditoris principaliter continet duo, scilicet cognitionem substantiæ conditoris, & cognitionem operis conditoris. Cognitio substantiæ conditoris consistit in cognitione diuinæ vnitatis, & eiusdem beatissimæ Trinitatis. Conditio verò operis conditoris cõsistit in cognitione creationis, seu rerum formationis. Vnde Propheta signanter dixit quantum ad cognitionem substãtiæ *intelligatis, quia ego sum. Ego sum qui sum.* Quantum ad cognitionem operis, subdidit: *ante me non est formatus Deus*, à quo sit principium vniuersæ creationis. Item, fides & intelligentia saluatoris versatur circa duo, scilicet circa personã saluatoris, & circa opus saluationis. Persona autem saluatoris est persona filij Dei, scilicet Christus in duab⁹ naturis, diuinitatis scilicet & humanitatis: Deus enim & homo vnus est Christus. Vnde ad significãdum personam saluatoris in natura diuinitatis, dicit: *ego sum*, cui scilicet cõpetit nomen, Qui est. *Qui est, misit me ad vos.* Ad significandũ verò eandem personam in natura humanitatis, addit: *ego sum Dominus.* vnde, *Habet in vestimento suo & in fœmore suo scriptũ, Rex regum, & Dominus dominantium.* Opus saluationis cõsistit in sacramentis salutis per præsentē gratiam: & præmijs salutis per futuram gloriam. Ad quod designandum addit, *& non est absq; me saluator*, à quo scilicet sit principium & causa nostræ saluationis. *Deum absq; me nescites: & saluator non est præter me.* Inquisitio igitur catholica de his, quę pertinent ad fidem; quadripartita est. Prima pars pertinet ad cognitionem substantiæ diuinæ trinitatis, & vnitatis: secunda ad opera diuinæ conditionis: tertia ad personam saluatoris in natura diuinitatis, & natura humanitatis: quarta verò pertinet ad sacramenta salutis, & opera futuræ glorificationis. Pertractatis igitur duabus primis partibus, pertinentibus ad fidem conditoris: nunc accedendum est ad inquisitionem eorum, quæ pertinent ad fidem saluatoris. & primò circa personam filij Dei: qui est caput nostræ salutis per assumptionem nostræ humanitatis: deinde verò circa sacramenta nostræ salutis, & opus glorificationis. Ad quam rem (scientes verè quod dicit beatus Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi à nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*) ex totis præcordijs saluatoris gratiam imploramus.

Isai. 43.
* aliàs formaior
Isai. 43
Exod. 3.
Isaj. 43.
Exod. 3.
Ibidem.
Ibidem.
Apoc. 19
Isai. 45.
Oseæ 13.
2. Cor 3.

QVÆSTIO I.

De necessitate Incarnationis.

In septem Membra, & quatuor Articulos diuisa.

ADIVVANTE igitur suâ gratiâ, hoc ordine prosequemur: primò de Incarnatione & assumptione. Secundò de Cõceptione & Natiuitate. Tertiò de gratia, scientia, & potestate ipsius. Quartò de merito & voluntate. Quintò, de passione & morte. Sextò de descẽsu ad inferos & resurrectione. Septimò de ascensione ad cœlos, & ad dexteram patris sessione. Octauò de aduẽtu ad iudiciũ Dei & hominis Iesu Christi. Circa primũ primò quęritur de necessitate Incarnationis, de conuenientia Incarnationis, de prædestinatione Incarnationis, de actu Incarnationis.

D. Tho. 3 par. q. 1.
S. Bon. in 3 dist 1.
Sco. ibid.

¶ PRIMÒ quæritur de necessitate incarnationis: an scilicet necesse fuit incarnari. Sed quia hæc quæstio ponit lapsum humanæ naturæ: ideo inquiremus hoc ordine. In principio an sit humana natura lapsa: vel taliter à Deo instituta? Secundò, ostenso, quòd sit lapsa: quæretur, vtrùm sit lapsa reparabiliter, vel irreparabiliter? Tertiò, probato, quòd reparabiliter: inquiretur, vtrùm necesse sit eam reparari? Quartò, an possit reparari sine satisfactione peccati, per quod lapsa est? Quintò, vtrùm homo possit satisfacere? Sextò, vtrùm satisfactio pro originali peccato possit fieri per aliam creaturam? Septimò ostendetur, quòd hæc reparatio debuit fieri per hominem Deum.

MEMBRVM I.

An natura humana lapsa sit: vel taliter à Deo instituta fuerit?

AD primum, quo quæritur, Vtrùm humana natura sit lapsa ab illo statu, in quo fuit condita. Quod licèt à fidelibus nullatenus dubitetur, cum dicat Saluator: *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat*: quod & ostendit in parabola ouis centesimæ; quæ errauerat, quam quærit, donec inueniat: per quam designat humanam naturam. Tamen contra Philosophos infideles multis modis probatur, quòd humana natura lapsa sit à statu primæ conditionis.

Luc. 19.
Luc. 15.

¶ PRIMÒ sic: dicit enim Anselmus: *Nequaquam existimabis conuenire Deo, vt creaturam, quam fecit iustam, ad beatitudinem, sine peccato miseram esse cogat.* Hominem autem mori miserum est: si ergo Deus exigit mortem ab homine sub statu, sub quo nunc est: ergo est sub culpa: ergo humana natura lapsa est à primo statu, in quo fuit condita, & hoc per culpam.

Anselm. 1. lib. ca. 9 *Cur Deus homo.*

¶ Secundò sic: nihil ordinatum ad beatitudinẽ secundùm quod huiusmodi, est ordinatum ad miseriam: quia nihil ordinatum ad alterum oppositorum secũdùm quod

huiusmodi, est ordinatum ad reliquum. Sed cōmunis est conceptio, etiam Philosophorum, quòd humana natura in statu, sub quo condita fuit, erat ordinata ad beatitudinem: in præsenti autem statu ordinata ad miseriam; sicut patet, quia ad pœnalitatem & mortem, & nō nisi per culpam: cùm dicatur Prouerb. *Miseros populos facit peccatum*: ergo sub statu, sub quo modo est, non fuit condita: ergo lapsa est à statu suæ primæ conditionis. (Prou.14.)

¶ Tertiò sic: nihil detestabile vel pudendum secundùm rationem potest poni in operibus conditionis diuinæ: quia omnia facit creator ordinando ad se: sed in nobis sunt passiones carnales, & multa alia detestabilia secundū rationem: ergo talia non fuerunt condita in humana natura: relinquitur ergo quod est lapsa.

¶ Quartò sic: summa concordia, siue summa pax nō est causa effectiua discordiæ, vel rebellionis: sed summa bonitas est summa pax & concordia: ergo non est causa rebellionis in aliquo effectiua: ab ipsa igitur non est cōdita humana natura sub rebellione & discordia: sed natura humana secundùm hunc statū est in rebellione & discordia, vnde Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* Et iterum: *Caro cōcupiscit aduersus spiritum*: ergo sub hoc statu non est condita à creatore: ergo lapsa est à statu primæ conditionis. (Rom. 7. Ad Gal. 5)

¶ Si fortè dicatur, quòd huiusmodi rebelliones fiunt nobis materia exercendæ virtutis, & hoc modo ordinātur ad Deum, & ad pacem: prout dicit August. quòd hac intētione iustum bellum geritur, vt pax acquiratur. Cōtra hoc nihilominus obiicitur: quòd sunt multę miseriæ in humano genere, ad nullum bonum, nec ad salutem ordinabiles: sicut sunt errores, & ignorantiæ: vnde Anselm. *Ignorātia nūquam vtilis est, sed semper nocet.* Relinquitur ergo, quòd sub istis miseriis non fuit natura condita. (Aug lib. lib. 19 de ciuit. Dei cap. 12. — Ansel lib. 1. cap. 13. cur Deus homo.)

¶ Item à summa bonitate nihil efficitur, quod non sit magis inclinabile ad bonitatem, quàm ad malitiam: ergo in prima conditione magis fuit humana natura inclinabilis ad bonitatem, quàm ad malitiam: sed secundùm statū præsentem pronior est ad malitiam, vnde: *Sensus hominis & cogitatio prona sunt ad malum ab adolescentia sua, &c.* relinquitur ergo, quòd est lapsa à statu suæ primæ conditionis. (Genes. 8.)

¶ Item in quodam lib. de Hebdomadibus: *Creator naturæ nihil facit contra naturam: quia faceret contra se; fecit enim naturam ad se:* Si ergo contra humanam naturam est mors, ergo creator humanæ naturæ mortem non fecit, sicut dicit: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum.* Quod autem cōtra naturam sit mors, patet: quia naturalis appetitus animæ est, qui nunquam potest amoueri, vnionis ad corpus, vnde: *Nolumus expoliari, sed superuestiri, &c.* (Lib de hebdom. — Sap. 1. — 2. Cor. 5.)

¶ Si verò instetur, quòd cuilibet rei naturali, vt patet in corporibus simplicibus & mixtis; infixus est appetitus naturalis ad sui conseruationem; & tamen corruptibiles sunt: pari ratione potest esse appetitus naturalis in humana natura immortalitatis; & tamen nihilominus erit mortalis. Contra: sentētia philosophorum est; cùm aliqua materia est sub aliqua forma nobili, nūquam appetit separari ab illa, & esse sub minus nobili: vt patet in materia cœli, quę nunquam appetit esse sub alia forma, quia est sub forma nobilissima, quæ ei possit conuenire, scilicet forma lucis: & inde est, quòd cœlū est incorruptibile. Non autē sic in elementis, & mixtis: quia licèt appetant sui conseruationem: tamen materia appetit quodam naturali appetitu esse sub forma alia, cùm non sit sub forma nobilissima; cū ergo corpus humanum sit sub forma nobilissima, quæ est rationalis anima, nullo modo appetit ab ea separari, sed sub eadem conseruari: ergo per naturam non erit homo corruptibilis, vel mortalis. (Colligitur ex illo 1. Phys. 81. *Materia appetit formam sicut turpe bonū & fœmina marē.* Vide Achil. in 1. de orbib. dub. 1.)

¶ Ad oppositum arguitur multis modis. Primò sic: *Omne compositum ex contrariis, est dissolubile*, sicut dicit Auic. Contraria semper appetunt ire in regiones diuersas: sed corpus Adæ in statu primæ conditionis fuit compositum ex contrariis: ergo per naturam fuit dissolubile, & corruptibile: sed tale est modo corpus humanum, ergo per corruptibilitatem non probatur status naturæ lapsæ. (Auicēna.)

¶ Item omne continuum est diuisibile: sed corpus Adæ in prima conditione erat continuum, ergo diuisibile, ergo vt prius.

¶ Item erat sensificatiuum; ergo erat sensitiuum doloris: quia sicut dicit August. *dolor est sensus diuisionis impatiens:* erat igitur sensitiuum doloris: non igitur sensus, doloris & pœnæ probat statum naturæ lapsæ. (Aug. lib. 14. Ciuit. Dei. Et lib. de natura bon. c. 20)

¶ Item dicit August. quòd Adam non manducauit de pomo, eo quòd crederet esse Deus: sed ne suas delicias cōtristaret, scilicet vxorem. Sicut Salomon adorauit idola, ne contristaret vxores suas: ergo sciebat, quòd Eua erat tristabilis in statu primæ conditionis: sed tristitia est passio affligens animam: relinquitur ergo quòd status primæ cōditionis est status passibilitatis animæ & corporis; sicut ostensum est priùs. (Idem 12. super Genes. ad lit. cap. vlt. — 3 Reg. 11.)

¶ Item sicut dicit Ioan. Damasc. *Deus concedit iustum incidere in calamitates propter multas causas.* Vna est, vt eam, quę in ipsa latet, virtutem aliis manifestam faciat, vt Tob. 1. Alia est, vt non ex recta conscientia excidat per superbiam, vt in Paulo. Alia propter eruditionem aliorum, vt alij erudiantur, vt in Lazaro, & diuite. Alia propter gloriā Dei; non propter proprium, aut parentum peccatum, vt in cæco à natiuitate. Alia propter zelum alterius, siue imitationem; vt gloria eius, qui passus est; magnificata in pugna, aliis passio fiat spes futuræ gloriæ; vt in Martyribus. Relinquitur ergo, quòd non esset inconueniens, etiam si homo nō peccasset, habere pœnalitates: quæ ordinarent eum ad maiorem gloriam, & ad prædictas vtilitates. (Damasc. — Tob. 1. — 2. Cor. 12. — Luc. 16. — Ioan. 9. — Hebr. 11.)

¶ Item cùm sensibilia bruta patiantur, & sine peccato; cùm æqualis sit ei cura de omnibus, ergo pari ratione non erit incōueniens, etiam si homo non peccasset; quòd haberet huiusmodi pœnalitates, & miserias. Relinquitur ergo, quòd per huiusmodi miserias non probatur humanam naturam esse lapsam. (Sap. 6.)

¶ Item status primæ conditionis ponendus est talis, quod magis sit ad vtilitatem hominis: secundùm hoc arguitur; Quod magis est ad meritum, magis est ad beatitudinem; sed status patiēdi magis est ad meritum, quàm status non patiendi, quia sicut dicitur: *Patientia opus perfectum habet, &c.* & *Virtus in infirmitate perficitur.* Si ergo status naturæ conditæ fuit talis: quod magis est ad merendum beatitudinem, ergo fuit status patiendi. (Iacob. 1. — 2. Cor. 12.)

¶ Item potior est status, qui magis dirigit & mouet ad Deum: sed status patiendi est huiusmodi. Vnde: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* postea accelerauerunt: ergo status patiendi est potior in præsenti: si ergo conditio naturæ fuit in statu potiori; ergo & in statu patiendi. (Psalm. 15.)

¶ Item potior est status, qui magis est ad coronam: sed status pugnæ & rebellionis est status, qui magis est ad coronam: quia sicut dicit Apostolus: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit* ergo, &c. (2. Tim. 2.)

¶ Item potior est status, in quo magis eruditur homo: sed status pœnalitatis est huiusmodi. vnde secundùm aliā literam: *Per omne flagellum erudieris Hierusalem.* Et Greg. *Pœna oculos aperit, quos culpa claudit.* ergo, &c. (Ierem. 6. — Greg. super illud Psal. *Conuersus sum in ærumna mea, &c.*)

¶ Item potior est status, in quo magis homo pręseruatur à peccato: sed status tentationis & tribulationis est huiusmodi, vnde: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.* ergo, &c. (Psalm. 31. — 2. Cor. 12.)

RESOLVTIO.

Quidquid dicant philosophi: natura humana non taliter à Deo instituta est, sed proprio demerito effecta.

¶ Respon. Secundùm Catholicam veritatem concedendum est, humanam naturam esse lapsam: quod tamen philosophi ignorauerunt: vnde nec medicum quęsierunt, secundùm illud: *Stultus factus est omnis homo à scientia sua.* (Ierem. 10.)

¶ Ad obiecta verò præintelligendum est, quod distinguit Hugo tres status humanæ naturę. Primus est naturę à Deo conditæ: secundus est naturæ lapsæ: tertius verò naturæ beatæ. In primo statu habuit homo posse peccare, & posse non peccare, & hæc fuit prima arbitrij libertas: & in eodem statu habuit posse mori, & non posse mori: & hæc fuit prima humani corporis immortalitas. In secundo statu ha- (Hugo de S. Vict. de sacramēt. li. 1. par. 6 c. 10. & 16)

tu haber posse mori & non posse mori, sicut & posse peccare & non posse non peccare: quoniam in hoc statu est peccandi & moriendi necessitas. In tertio verò statu habebit posse non mori, & non posse mori; sicut & posse nō peccare, & non posse peccare: quoniam ad hunc statum pertinet moriendi & peccandi impossibilitas. Secundùm hoc ergo dicendum est; quòd sicut nō est conueniens bonitati diuinæ & summæ, quòd condiderit naturam in statu necessitatis peccandi; ita nec in statu necessitatis patiēdi: quoniam sicut ad impossibilitatem peccandi sequitur impossibilitas patiendi in statu tertio: ita ad possibilitatē peccandi & nō peccandi possibilitas patiendi & non patiendi, sicut fuit in statu primo: ita in statu moderno ad impossibilitatem non peccandi sequitur impossibilitas non moriendi. Ex quo euidens est naturam hominis esse lapsam.

¶ Ad primum ergo obiectum dicēdum est secundùm Hugon. Homo ante peccatum naturâ mortalis & passibilis fuit: qui tamen ex beneficio creationis præcedente, & proprio studio subsequente facere potuisset, vt non moreretur: nec in vita corruptionem pateretur. Ex quo relinquitur, quòd in Adam erat possibilitas ad dissolutionem & corruptionem: tamen cum potentia deuitandi omnem defectum, & corruptionem. In statu verò moderno est possibilitas cum necessitate ad dissolutionem, & corruptionem, & ineuitabilitatem.

Hugo ibidem.

¶ Ad secundum dicendum secundùm Hugon. quòd in primo statu erat in homine cum diuino adiutorio omnem violentiam repellere, dicit enim: *Propterea rationi humanæ adiuncta est prouidētia diuina: vt ratio humana ex vna parte vigilaret contra negligentiam: prouidentia verò diuina ex parte altera staret contra violentiam.* Ex hoc ergo patet, quod quãuis homo in primo statu haberet corpus sensitiuum doloris: poterat tamē per rationem propriam & prouidentiam diuinam cauere omnem dolorem.

Hug. lib. eod. c. 6.

¶ Ad tertium iam patet responsio: quia quamuis haberet naturam tristabilem, nunquam tamen tristaretur: dum tamen ratio per negligentiam à proprio studio non deficeret. Vnde Hug. quia homo naturam passibilem habuit, contra passionem ei custodia necessaria fuit; vt videlicet per rationē propriam contra negligentiam cauendā excitaretur: & per prouidentiam diuinam illæsus seruaretur.

Idem vbi suprà.

¶ Ad quartum dicendum, quòd Damascen. loquitur secundùm statum naturæ lapsæ, nō secundùm statum naturæ simpliciter. Dicendum est ergo: quod omnis pœnalitas consequitur ad culpam originalem & actualem: vt si non fuisset culpa vel originalis vel actualis, nunquã fuisset pœna. Vnde in Martyribus sanctis, & cæteris casibus, quos ponit Damasc. quamuis non consequatur pœna ad culpam actualem, consequitur tamen ad culpam originaginalem: quia si non præcessisset culpa originalis, non ordinarentur sancti ad beatitudinem per sustinentiam alicuius passionis: nec etiam ipse Dominus passus esset, nisi propter culpam humani generis expiandam.

¶ Ad quintum dicendum, quod non est simile de brutis hominibus: bruta enim non ordinantur ad beatitudinem vitæ perpetuæ; sed rationalis creatura homo ordinatur ex conditione naturæ, * Vel si fortè homo nō peccasset, vel bruta non essent; vel si essent, dissolutio eorum nō esset illis pœnalis.

* al. vnde fortè si homo, &c.

¶ Ad sextum dicendum, quod magis esse ad meritum dicitur dupliciter, quemadmodū aliud dicitur melius alio dupliciter; scilicet simpliciter, & secundùm quid: sicut vinum est melius aqua simpliciter: tamen aqua melior est ægro. Eodem modo dicendum; quod status patiendi non est melior naturæ humanæ sanæ, quamuis sit melior naturæ humanæ lapsæ: simpliciter enim est melior status non patiendi statu patiendi: nec magis ad meritum est in statu naturæ benè institutæ status patiendi. Præterea, in statu naturæ lapsæ status patiendi & non patiendi se habent vt excedentia & excessa. Nam ei, qui pronus est ad impatiētiam, magis est ad meritum status nō patiendi: ei verò, qui pronus est ad lasciuiam, status patiendi.

¶ Ad septimum dicendum est; cùm dicitur, quòd status patiendi magis mouet ad Deum. Hoc est verum in natura torpente, sicut modò est: sed non est hoc verũ in natura vigilante, & intenta ad Deum, immò hoc esset ei malum quantum ad illum statum; retraheret enim ipsam à Deo, dum ipsa suis passionibus intenderet.

¶ Ad octauum dicendum, quòd beatitudo æterna alibi dicitur corona; & alibi dicitur denarius. Secundùm q̄ dicitur denarius; consideratur vt prēmium, quod datur ad remunerationem operis. Secundùm quod corona; consideratur vt præmium, quod datur ad gloriam honoris, qui potest prouenire ex duplici ratione. Vel ratione victoriæ vitiorum secundùm tentationem pugnæ, & tentationis ante peccatum: prout Adam & Eua in primo statu leguntur tentati. Vel ratione victoriæ tentationis & pugnæ secundùm statum illum, qui est post peccatum. In primo enim statu pugna erat tentatio exterior: in secundo statu tentatio interior. Vterque ergo status erat ad coronam, & etiam primus status secundùm se magis: quia magis ad victoriam.

Genes. 3.

¶ Ad nonum dicendum, quod cùm dicitur; & homo magis eruditur in statu pœnalitatis. Hoc verum est quantum ad statum naturæ lapsæ; sed hoc non est verum quando homo creatus est, & in statu rectitudinis, sicut fuit in prima sui conditione.

¶ Ad vltimum dicendũ, quod cùm dicitur, quòd homo in statu tribulationis & tentationis magis prēseruatur à peccato. Hoc est verum quantum ad statum naturæ lapsæ. Videmus enim quod aliter præseruatur sanus, quàm æger: quia ægro aliquid subtrahitur ad præseruationem ipsius, quod daretur sano: hic tamen idem datur vtriq; ad præseruationem ipsorum. Similiter dicēdum: quod natura lapsa licèt præseruetur à peccato per tentationes & tribulationes: non tamen sic est de natura in primo statu suæ conditionis.

MEMBRVM II.

An reparabiliter, vel irreparabiliter lapsa fuerit humana natura?

Consequenter supposito quod humana natura sit lapsa, quæritur: vtrum lapsa sit reparabiliter, vel irreparabiliter? Et in primis ostenditur, quòd quælibet culpa mortalis sit irreparabilis siue irremediabilis generaliter. Secundò, quod peccatum Adæ sit irremediabile.

¶ Ad primvm sic obiicitur, dicit Anselm. Secundùm mensuram delicti oportet satisfactionem esse, aliter inordinatum remaneret peccatum, quod esse nō potest; quoniam Deus nihil dimittit inordinatum in regno suo. Sed omne peccatum mortale habet quantitatem infinitã, scilicet culpam, quæ est infinita; ergo secundùm illud exigit Deus satisfactionem infinitam. Sed remissio peccati mortalis non est sine satisfactione, sicut dicit Ansel. & cōmunis est animorum conceptio, ergo remissio peccati mortalis non potest esse sine satisfactione infinita. Sed à nobis non potest esse satisfactio infinita, ergo peccatum mortale in nobis est irremediabile. Quod autem quantitas culpæ mortalis sit infinita, patet; quoniã mortali peccato debetur pœna æterna, quæ est infinita; vnde Deus punit pœna infinita pro ipsa: ergo vel Deus est iniustus, puniēdo sic pro culpa mortali; vel ponetur quod quantitas eius sit infinita, quantitas autem peccati attenditur ad reatum.

Ansel. in lib. 1. c. 20 *Cur Deus homo.*

Idem.

¶ Item ad idem secundùm Anselm. Vbi non potest haberi satisfactio, non potest haberi remissio. Sed nō potest haberi satisfactio nisi fieri possit recompensatio, ergo non potest haberi remissio, nisi possit haberi recompensatio, sed nō potest fieri recompensatio pro peccato mortali, ergo non potest peccatum mortale remitti. Quod autem non possit fieri recompensatio pro ipso, patet; peccās enim mortaliter amittit infinitum bonũ, sed nulla recompensatione potest haberi, quod ponderet, & quod sit æquale infinito bono; & (sicut dicit Anselm. *non sufficit pro culpa reddere, quod ablatum est: sed pro iniuria illata plus reddere, quàm abstulit: vnde qui saltum lædit alterius, non sufficit si saltum restituat, nisi pro illata iniuria aliquid recompenset.* Ex quo relinquitur, quod nō potest fieri recompensatio, ergo nec potest

Ansel. eo. lib. 1. c. 20

Idem ibidem c. 21.

test fieri remissio de illo, ergo est irremediabile.

¶ CONSEQVENTER ostenditur, quòd peccatum Adæ sit irremediabile, sic: Omne peccatū, quod est in spiritum sanctum, est irremediabile. Dicit enim Gregor. *quod est peccare in patrem, est peccare in filium, & est peccare in spiritum sanctum: & quia patri attribuitur potentia, filio sapientia, & spiritui sancto bonitas: peccatum in patrem est ex infirmitate, peccatum in filium est ex ignorantia, sed peccatum in spiritum sanctum est ex certa malitia.* Sed peccatum ex certa malitia est irremediabile, & peccatum Adæ est huiusmodi, ergo est irremediabile. Quod autē peccatum Adæ sit tale, patet, quia non peccauit ex infirmitate, cùm nullam haberet infirmitatē, cum ad peccatum impellentem. Item nec ex ignorantia, quia non erat ignorans, sed spirituali mente præditus, sicut dicit Augustinus. Vnde benè sciuit se peccare, ergo peccauit irremediabiliter.

Gregor.

August.

¶ ITEM, hoc idem videtur, comparādo peccatum hominis ad peccatum angeli. Peccatum enim Adæ & peccatum angeli fuerunt proportionabilia & in eodem genere, quia vterq; peccauit per superbiam; nam homo peccauit appetendo scientiam diuinam, angelus verò peccauit appetendo omnipotentiam. (Vnde dicitur: *Ascendam in cælum, super astra exaltabo solium meum, &c.*) ergo proportionabilia sunt peccatum hominis, & peccatum angeli in genere peccati.

Isai. 14.

¶ ITEM, secundùm circunstantias, quæ sunt liberi arbitrij in vtroque: & auersio à Deo, & conuersio ad cōmutabile bonum. Liberum enim arbitrium angeli non excedit in infinitum liberum arbitrium hominis; similiter nec auersio auersionem, nec conuersio conuersionem in infinitum excedit, ergo peccatum vnius non excedit peccatum alterius in infinitum. Sed peccatū irremediabile excedit in infinitum peccatum remediabile; ergo si peccatum angeli est irremediabile, videtur quòd peccatum hominis (cùm proportionabile sit) similiter sit irremediabile.

¶ ITEM, hoc idem ostenditur comparando effectum peccati hominis ad effectū peccati angeli. Effectus enim peccati angeli fuit nocere; quia (sicut dicit August.) *malum non dicitur, nisi quia nocet.* Sed plus nocuit peccatum Adæ, quàm peccatum angeli, ergo maius malum, ergo irremediabilius. Quod autē peccatum Adæ plus nocuerit, quàm peccatum angeli, probatur sic: *Per vnum hominem in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt.* Omnibus ergo hominibus nocuit peccatum Adæ, sed peccatū angeli non nocuit nisi tantùm vni personæ, scilicet ipsi personæ peccantis, ergo peccatum hominis plus nocuit.

Aug. in libro de natura boni.

Rom. 5.

¶ Item hoc idem videtur, comparando peccatum ad peccantem. Peccatum angeli dicitur irremediabile; Aut ergo quia Deus non potest reparare, aut, quia impossibile est eum reparari. Non quia Deus non potest reparare ipsum, quia hoc dicere esset contumelia diuinæ potentiæ, ergo hoc est, quia non potest reparari. Sed tunc obiicitur, nam sicut liberum arbitrium hominis est ad bonum & ad malum, ita & angeli, ergo ita potest pœnitere sicut & homo, ergo non est maior causa in angelo, quàm in homine, ergo peccatum angeli sit irremediabile: ergo si est irremediabile, & peccatum hominis erit irremediabile.

¶ Si dicatur, quod hoc non est verum, quia liberū arbitrium in homine est secundùm conuersionē ad bonum, & reuersionē ad bonum post lapsum, liberum autem arbitrium in angelo est secundùm possibilitatem conuersionis ad bonum, & non reuersionis ad bonum post lapsum, propter quod pœnitere nō potest, & ideo peccatum eius irremediabile est.

¶ CONTRA. Facultas liberi arbitrij in angelo dignior est, quàm in homine, quia est immediatiùs à Deo, & etiam est angelus dignior natura, quàm homo. Si in libero arbitrio angeli non possit esse potestas reuertendi ad bonum post lapsum, subtraheretur ab ipso dignitas lib. arb. hoc enim est de dignitate liberi arbitrij quod sic habeat duplicem potentiam; sed quicquid est dignitatis, datum est angelo, & etiam plus quàm homini, ergo est ponere istā duplicē potentiam in lib. arb. angeli, ergo angelus post lapsū potest reuerti ad bonum, ergo culpa eius est remediabilis.

¶ SI dicatur, quòd natura angeli est immutabilis, & similiter potentia eius, quia potentia sequitur naturam; & ideo quando conuertitur ad aliquid, immutabiliter se habet ad illud, nec potest ipsum detestari; & cū elegerit malum, immutabiliter adhæret illi, & propter hoc peccatum eius est irremediabile. E contrariò verò est de homine. Sed contra hoc obiicitur: *quia* (sicut August. dicit) *eò sunt angeli immutabiles, quò ad Deum conuertuntur*: ergo per naturā propriam non sunt immutabiles. August.

RESOLVTIO.

Inspecta liberi arbitrij hominis proprietate, natura eiusdem conditione, & peccati qualitate; diuina insuper iustitia ordine, misericordiaq; congruitate: luce lucentius apparebit hominem (& profectò magis quàm angelum) reparabiliter lapsum fuisse.

¶ CIRCA solutionem præsentis quæstionis absque præiudicio sententiæ melioris: notandum est, plures causas concurrere ad irreparabilitatem angelicæ naturæ & ad reparabilitatem humanæ naturæ. Hæ autem videntur accipi pluribus modis, quantum ad proprietatem liberi arbitrij, quantum ad conditionem naturæ, quātum ad qualitatem peccati, quantum ad ordinem diuinæ iustitiæ, & quantum ad congruitatem misericordiæ.

¶ QVANTVM ad proprietatem liberi arbitrij (quod secundùm August. non *est facultas voluntatis & rationis*) dupliciter, considerando proprietatem voluntatis, & proprietatem rationis. Quantum ad proprietatem voluntatis videbuntur secundùm aliquos differre homo & angelus: quia liberum arbitrium hominis ante electionem voluntatis & post electionem se habet mutabiliter: liberum arbitrium angeli ante electionem se habet mutabiliter, post electionem verò se habet immutabiliter. Et hac ratione in summo gradu est liberum arbitrium in Deo, in infimo autem gradu est in homine. Si ergo est liberum arbitrium in angelo, necesse est vt sit medio modo se habens. Et ita cùm dicitur liberum arbitrium in Deo immutabiliter se habere ad bonum & ante electionem & post: liberum arbitrium in homine mutabiliter ante electionem & post: liberum arbitrium angeli se habebit medio modo, scilicet mutabiliter ad bonum ante electionem, & immutabiliter post. Potest enim eligere, & non eligere; sed quicquid illud sit, siue bonum, siue malum, non potest illud detestari, postquam elegerit. Ex quo patet, quod non potest pœnitere, siue per pœnitentiam culpam delere, quæ est detestatio mali; & ita relinquitur, quòd culpa eius non potest remitti, sicut culpa hominis. August.

¶ ITEM quantum ad proprietatem rationis patet, quia in libero arbitrio est iudicium de bono; sed differenter in homine & in angelo. Quia (sicut dicit Dionys.) *Intellectus angeli Deiformis est*: & hoc est, quia supra tempus, & ita accipit totum simul; & hoc non post illud, vel hoc ex illo: & ideo dicitur angelus intellectualis substantia. Sed intellectus hominis est in tēpore, & ita conferendo accipit; vnde non accipit totum simul, sed vnum post aliud, & vnum ex alio: sicut ex præmissis accipit conclusionem; & ideo homo dicitur rationalis substantia, quia ratio est virtus collatiua ex alio. Qualis ergo est comparatio simplicis ad cōpositum, & puncti ad lineam in essendo: talis est comparatio intellectus angelici ad intellectum hominis in intelligendo, & in iudicādo. Cùm ergo iudicium fiat ab intellectu; patet, quòd angelus secundùm statum suæ cōditionis iudicat de re non in tempore, & de re tota simul: & iudicando de ipsa, videt eam totam simul, ergo certissimè iudicat. Si ergo peccat in iudicando, patet quod peccat ex certissima malitia; nullo ergo modo potest excusari, ergo eius peccatum est irremediabile. Non autem sic est de homine. Vnde cùm totam rem non simul videat, potest decipi in suo iudicio: & ita cùm peccatum eius aliquo modo possit excusari, non est irremediabile. Vnde: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.*

Dionys. lib. de cælest. hierarch. c. 7.

Genes. 6.

¶ ITEM quantum ad conditionem naturæ, patet: quòd angelus non est reparabilis, sicut homo. Vnde Anselmus

Anselm. in libro 2. *Cur Deus homo.*

selmus in lib. 2. Cur Deus homo: *Homo per alium hominem, qui non esset sui generis, non debuit reparari.* Et cùm nō sint omnes angeli vnius generis: patet, quòd nō fuit possibilis hæc reparatio in angelo, sicut fuit in homine.

¶ ITEM quantum ad qualitatem peccati variatur cōsideratio tripliciter; attendendo genus peccati, attendendo circunstantiam peccati, attendendo occasionem peccati. Attendendo genus, tam angelus quàm homo peccauit per superbiam, sed differenter. Homo enim peccauit appetendo omnem scientiam Dei: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum:* sed angelus peccauit appetendo omnipotentiam, vnde; *Ascendam in cœlum, &c.* In Deo enim sunt duo, scilicet omnipotentia, & omnisapientia. Omnipotentiam autem suam nunquam voluit communicare alicui creaturæ, quia secundùm illam est principium; quia ergo angelus appetiit esse principium, & similis esse Deo in potentia; propter hoc appetiit id, ad quod nullo modo erat ordinatus; & propterea non habet excusationem aliquam, & ob hoc peccatum eius est irremediabile. Scientiam autem omnem vult communicare creaturæ, ad illam enim est homo ordinatus in gloria, sed non ad potentiam omnium: vnde & Christus secundùm quod homo, non habuit omnipotentiam, sed habuit omniscientiam. Quia ergo summa inordinatio est appetere illud, ad quod nulla creatura est ordinata; homo autem erat ordinatus ad scientiam, quam appetebat, ideo peccatum hominis est remediabile, peccatum angeli non, quia illud appetiit quod erat proprium creatoris. Item attendendo circunstantiam peccati, patet differentia: nam in Adam fuit aliqua ignorantia, etenim peccatum, quod erat mortale, credidit veniale, sicut dicit Augustinus; vnde non tantum credidit peccare, quantum peccauit. Angelus autem non habuit ignorantiam in peccando: intellectus enim hominis carne obumbratus erat, vnde defecit à luce veritatis: propter illam obumbrantiam non poterat ita iudicare de facili, & propter hoc non peccauit in spiritum sanctum, sicut angelus. Item, habuit propositum pœnitendi, & petendi veniam de peccato, quod credidit esse veniale; angelus autem non: & propter hoc peccauit in spiritum sanctum, homo non, & tale peccatum irremediabile est. Item attendendo occasionem peccati, similiter patet, quòd homo non peccauit seipso, sed alio mediante, scilicet vxore; vxor similiter seipsa non peccauit, sed suasa à serpente. Iustum ergo videtur, vt qui per alium cecidit, per alium releuetur, sed angelus per seipsum peccauit, & propter hoc per alterum reieuari non debuit: nec etiam se ipso potuit, sicut dictum est.

Genes. 3.

Isai. 14.

August.

¶ ITEM, quantum ad congruitatem diuinæ iustitiæ sumitur ratio, quia in homine vno erat tota species humana, nec adhuc multiplicata, sed postea multiplicanda in aliis. Sed in angelo peccante non erat tota natura angelica, immò iam tota multiplicata erat. Et propter hoc diuinæ iustitiæ congruum fuit: vt non statim puniret, vel iudicaret hominem, quàm cito peccauit, donec species humana multiplicaretur, & maximè numerus electorum: & tunc iudicarentur & punirentur, qui essent puniendi. Sed statim debuit punire angelum. Vnde dilatio ista non habuit locum in angelo, sicut in homine. Et propter hoc angelus statim fuit iudicatus; homo verò puniendus iudicabitur post * multitudinem speciei humanæ. Et hoc erit post mortem iudicio particulari, vel in fine post multitudinem electorum iudicio generali: & tunc nullum erit remedium: sicut nec angeli est modò. Et hoc est, quod dicit Damascenus: *Quod est hominis mors, hoc est angelo casus.*

* al multitudinē.

Damasc.

¶ ITEM, quantum ad exigentiam diuinæ misericordiæ, sumitur alia ratio, & sunt in vniuerso octo rationes. Et hoc patet, quia in primo homine erat tota natura humana, ideo ipso perdito, tota esset natura perdita & corrupta; sed non esset decens diuinæ misericordiæ & summæ bonitati, vt naturam rationalem humanam ex toto perire sineret, & ideo non puniuit statim primum hominem. Sed corrupto angelo & perdito, non est cum illo tota angelica natura perdita & corrupta, quia non tota erat in illo, & quia corruptio angeli fuit corruptio vnius personæ, ideo non habuit remedium sui peccati, sicut homo.

¶ AD PRIMAM rationem, per quam ostenditur, quòd omne peccatum mortale est irremediabile. Dicendum, quod irremediabile dicitur tripliciter, sicut & inuisibile, scilicet negatiuè, priuatiuè, & contrariè. Irremediabile negatiuè est, quod nullo modo potest remitti. Irremediabile priuatiuè est, quod non habet aliquid dignum, per quod debeat remitti. Irremediabile contrariè est, quod habet contrariam dispositionem ad remittendum, sine qua nullo modo potest remitti. Primo modo dicitur irremediabile peccatum angeli, & peccatum damnatorum. Secundo modo dicuntur irremissibilia peccata in spiritum sanctum, scilicet desperatio, præsumptio, inuidentia fraternæ gratiæ, propositum non pœnitendi, peccata ex certa malitia. Ista enim sunt sub dispositionibus contrariis ad remissionem, illis autem ablatis possunt remitti. Vnde ad hoc quod Deus remittat desperationem, oportet, quod habeatur spes: & similiter præsumenti exigitur, quod habeat timorem, quod Deus puniat pro peccatis: similiter autem & peccatum ex certa malitia non habens colorem excusationis, hoc modo dicitur irremissibile. Tertio modo dicitur omne peccatum mortale irremissibile, quia nullum mortale habet aliquid, per quod sit dignum remissione.

¶ AD hoc ergo quod obiicitur, quòd homo non potest satisfacere de peccato mortali. Dicendum quod verum est, quod de se non habet, vnde possit satisfacere, nisi Deus det illud. Habet enim posse recipiendi à Deo illud, per quod satisfaciat de peccato mortali, scilicet gratiam à Deo: Deus enim semper corda irradiat, paratus dare, vnde possimus satisfacere pro peccato mortali. Et cùm infinita requiratur satisfactio pro peccato mortali, cōcedendum est, quod non posset fieri satisfactio ab homine pro illo, nisi ab infinito bono, quod est Deus, acciperet homo diuinam gratiam, per quam fit satisfactio & recompensatio pro peccato mortali.

¶ ET per hoc patet solutio ad ea, quæ obiiciuntur de peccato mortali in generali.

¶ AD id quod obiicitur de peccato Adam, dicendum quòd peccatum Adæ nō fuit in spiritum sanctum, sed habuit excusationem, scilicet ignorantiam quantitatis peccati.

¶ AD aliud dicendum, quod plus nocere dicitur dupliciter, scilicet quātitatiuè, vel qualitatiuè. Peccatum ergo Adæ plus nocuit quātitatiuè, quia pluribus nocuit: sed non tantùm nocuit qualitatiuè, quantum peccatū angeli: quia secundùm intentionem nocumēti, quod attenditur in irremissibilitate, nō tantum nocuit peccatū Adæ, & secundùm intentionem illam attenditur maioritas nocumenti peccati.

¶ AD aliud dicendum, quòd liberum arbitrium in homine & in angelo omnino sunt improportionabilia, sicut finitum & infinitum, vt dictum est.

¶ AD aliud dicendum, quòd peccatum angeli dicitur irremissibile, non quia Deus non posset ipsum remittere, sed quia ipsum non potest remitti, tum propter conditiones & circunstātias dictas, tum propter genus peccati: tamē Deus posset ipsum remittere mutando naturā angeli.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd dignitatis est in homine, reuerti ad bonum per lib. arb. Dicendum quod hoc est verum, sed non esset hoc dignitatis in Deo, vt mutaret illud, quod elegit per lib. arb. diuinum: nec etiam in angelo, quia hoc poneret æqualem mutabilitatem naturæ in angelo, & in homine. Vnde hoc non est dignitatis simpliciter, sed solùm in subiecto, quod est homo.

MEMBRVM III.

An necesse fuerit humanam naturam reparari?

OSTENSO, quod humana natura sit lapsa reparabiliter, quæritur: vtrùm sit necesse eam reparari? Quòd ostenditur pluribus modis. Primò sic: sicut dicit Anselm. Quod-

Ansel. in lib. 1. c. 21. *Cur Deus homo.*

Quodlibet paruum inconueniens Deo sequitur impossibilitas. Idem: *Non decebat, vt quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur.* Sed si homo non repararetur, quod Deus de ipso proposuerat, penitus annihilaretur: ergo non decebat, vt humana natura non repararetur. Sed quodlibet inconueniens Deo, sequitur impossibile, ergo impossibile fuit, qđ non repararetur, ergo necesse fuit eam reparari.

Idem lib. 2. *Cur Deus homo.* cap. 4.

¶ ITEM idem Anselmus: *Aut Deus faciet de humana natura, quod incepit: aut in vanum fecit eam naturam possibilem ad beatitudinem.* Sed Deus fecit eam possibilem ad beatitudinem, ergo aut perficiet istam possibilitatem, scilicet quòd humana natura perueniat ad beatitudinem: aut in vanum fecit eam. Sed nisi repararetur, non posset perfici ista possibilitas in ipsa, ergo in vanum fecisset eam: ergo cùm impossibile sit Deum aliquid facere in vanum, impossibile est, quod non reparet naturam humanam, ergo necesse erat, quod repararetur.

Psal. 88.

¶ ITEM: *Nunquid vanè constituisti omnes filios hominum.* Quis est homo, qui viuet; & non videbit mortem? eruet animam scilicet, &c. Sed si hoc, in vanum constituta est humana natura, ergo cùm non conueniat diuinæ bonitati; necesse est, vt reparetur humana natura ad hoc, vt posset erui & peruenire ad beatitudinem.

Ansel. loco nuper allegato.

¶ ITEM Anselmus: *Alienum est à summa bonitate, vt vllam creaturam rationalem penitus perire sinat.* Si ergo est impossibile, quod illud stet, quod alienum est à summa bonitate: impossibile est, vt sinatur perire humanam naturã. Sed si non reparetur homo, sineretur perire: necesse est ergo ipsam reparari.

¶ ITEM quintò ad idem: Omnis artifex operans, qui proposuit aliquid operari; si non consequitur finem suum, aut impotens est, aut ignorans, aut nolens. Sed Deus est quasi artifex operans humanam naturam, & ad beatitudinem: ergo si ipsa non consequitur beatitudinem in aliquo singulari vel indiuiduo eiusdem naturæ, aut hoc est ex impotentia sui artificis, scilicet Dei, aut ex ignorantia, aut ex eius voluntate. Sed cùm ipse sit omnipotens, & summè sapiens: patet, quòd hoc non est ex eius impotentia, nec ex eius ignorantia; similiter nec ex eius voluntate: quia alienum est ab eo, vt sinat perire humanam naturam, ipse autem nullo modo vult, quod sibi est alienum: ergo potest, & scit, & vult adimpleri finem sui operis: finis autem sui operis est beatitudo hominis, ergo necesse est, quòd hunc finem consequatur: cùm igitur hoc non possit esse sine reparatione humanæ naturæ, necesse est eam reparari.

¶ ITEM, nihil est superfluum in ordine vniuersi: nulla ergo species est superflua, nec humana, nec angelica. Sed tota humana natura fuit corrupta, & lapsa per peccatum primi hominis: quia in ipso tota fuit potentialiter, & originaliter: ergo tota cecidit in ipso. Sed tota angelica non sic cecidit, sed mansit eius conditio in parte illa, quæ stetit: ergo nullo modo consequebatur humana natura illud, ad quod facta erat, scilicet beatitudinem: sed angelica in parte consequebatur eam. Sed cùm aliqua natura non consequitur illud, ad quod creata est, superflua est: ergo nisi consequeretur humana natura beatitudinem, superflua esset. Sed in nulla parte consequeretur eam, nisi repararetur, ergo necesse est eam reparari.

¶ ITEM, per rationem sumptam à parte veritatis obiicitur sic: Omnipotentis veritatis impossibile est quod non impleatur propositum, quia ipse est veritas incommutabilis, & impossibile est veritatem immutabilem mentiri. Si ergo veritas immutabilis, quæ est Deus: immutabiliter proposuit de homine, quod beatificaretur: & hoc etiam proposuit temporaliter per prophetas: ergo sicut impossibile est immutabilem non implere, quod proposuit de homine, quod beatificaretur: ita impossibile est, quin natura humana beatificetur. Cùm ergo hoc non fiat sine reparatione, necesse est quod reparetur.

Anselm. lib. 2. c. 5. *Cur Deus homo.*

¶ AD oppositum obiicitur multipliciter; primò sic: Anselmus: *Omnis necessitas aut est coactio, aut prohibitio.* & conuertuntur ista contrariè, sicut necessarium & impossibile: vnde sequitur, si aliquid cogitur esse, prohibetur non esse: vel aliquid prohibetur esse, cogitur non esse. Si ergo in Deum non cadit coactio, vel prohibitio, ergo in Deum nulla cadit necessitas: ergo non est necessitas reparationis hominis ex parte primæ causæ. Similiter nec ex parte creaturæ, scilicet hominis est aliqua necessitas, ergo non est necesse ex aliqua parte quod reparetur.

¶ ITEM Anselmus: *Si necesse est, vt Deus faciat de humana natura, quod incepit, ne aliter, quàm deceat, facere videatur:* ergo cogitur necessitate vitandi indecentiam, vt procuret salutem humanam, ergo si impossibile est, vt Deus cogatur aliqua necessitate vitandi indecentiam, ergo non est necesse, vt procuret salutem humanam. Sed non fit reparatio à Deo, nisi vt procuret salutem humanam, ergo non est necesse, vt reparet humanam naturam. Idem.

¶ ITEM ad idem: *Omnis necessitas & impossibilitas diuinæ subiacent voluntati: quia quicquid est, est à diuina causa:* ergo omnium, quæ necessitate sunt, est causa. Et similiter si aliqua immutabiliter se habent ad non esse, illa dicuntur esse impossibilia: & hæc omnia voluntati eius subiacent: ergo voluntas Dei nulli subiacet necessitati, ergo non est necesse Deo procurare salutem humanam per reparationem.

¶ ITEM: *Nunquid dicet lutum figulo, quid me fecisti sic?* Sed sic se habet humana natura ad Deum, vt lutum ad figulum, vt ex eo faciat vas in honorem, vel in contumeliam: si ergo nulla necessitate constringitur figulus, vt faciat vas ex luto in honorem, ergo nec aliqua necessitate astringitur Deus, vt faciat hominem ad beatitudinem, ergo nulla necessitate tenetur illum reparare, non igitur necesse est humanam naturam reparari. Rom. 10.

RESOLVTIO.

Naturam humanam reparari, necesse quidem fuit ex parte Dei necessitate immutabilitatis: ex parte verò eius necessitate indigentiæ.

¶ RESPON. Dicendum: quod cùm quæritur, vtrùm humanam naturam necesse sit reparari. Distinguendum est: est enim necessitas duplex, quædam enim est necessitas causæ, & quædam causati. Necessarium necessitate causæ solum, est; istum, qui prædestinatus est, saluari. Necessarium necessitate causati, vt solem oriri cras: quia est causa ordinata immutabilis ad ortum solis cras scil. motus cœli: quæ ponit necessitatẽ in causato. Si ergo loquimur de necessitate causati: dicendũ, quod non est necesse humanam naturam reparari: quia nulla est necessitas ex parte ipsius ad hoc, vt reparetur. Si autem loquantur de necessitate causatæ: distinguenda est duplex necessitas causæ, id est Dei, secundum Anselmum: Est enim quædam necessitas immutabilitatis: & quædam necessitas ineuitabilitatis. Necessitas ineuitabilitatis nõ est ponenda in Deo: quia hæc diuiditur in coactionem, & prohibitionem: hæc autem in Deo nullo modo sunt ponenda. (Est enim necessitas prohibitionis, cum aliquid prohibetur esse ineuitabiliter: necessitas coactionis est, cum aliquid cogitur esse ineuitabiliter: & hæc ne quidem ponenda sunt in liberum arbit. ergo multò fortius nec in Deo) vnde non est aliquid, quin possit contrarium, si velit. Necessitas aut immutabilitatis ponitur in Deo: hanc enim necessitatem solùm habet diuina prouidentia; quia ipse Deus immutabilis est, & sua prouidentia. Sed secundum Anselmum propriè dicitur necessitas, quæ est coactionis & prohibitionis: necessitas aut immutabilitatis propriè non debet dici, sed impropriè: Vnde dicit Anselmus: *Deus nihil facit necessitate, quia non cogitur, aut prohibetur aliquid facere.* Et cum dicitur, Deum facere aliquid necessitate vitandi inhonestatem, quam vtiq; non timet: Potius intelligendum est, quòd hoc facit neces-

Anselm.

Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo*, ca. 5. Idem.

sitate

sitate seruandi honestatem: quæ necessitas non est aliud, quam immutabilitas honestatis: & impropriè dicitur necessitas in Deo.

¶ QVANDO ergo quæritur, vtrùm necesse sit humanam naturam reparari? Dicendum, quod si loquamur ex parte causæ, quæ est Deus, quod ibi est necessitas immutabilitatis solum: licèt non propriè dicatur necessitas. Si verò loquamur ex parte causati, creaturæ scil. humanæ: neutra necessitas est ibi. Posset tamen dici, quod sit tertia necessitas scil. indigentiæ: & sic benè fuit necessitas ex parte naturæ humanæ lapsæ & reparabilis.

¶ AD primam ergo rationem, quæ ostendit: quod necessarium est, quod Deus reparet humanam naturam scil. quia quodlibet inconueniens Deo est impossibile. Dicendum, quod sicut est necessitas duplex: ita impossibilitas duplex. Quædam enim est impossibilitas coactionis & prohibitionis scil. quando aliquid cogitur ineuitabiliter non esse, vel prohibetur ineuitabiliter esse. Et est alia impossibilitas immutabilitatis: & de hac impossibilitate benè procedit ratio, non de prima.

¶ AD secundam, & tertiam, & quartam rationes dicendum, quod nihil potest peruenire ex parte creaturæ, siue bonum fuerit, siue malum: quin Deus ordinet illud. Vnde dicit Anselm. *Sica, quæ cæli ambitu continentur; vellent non esse sub cælo, vel elongari à cælo: nullatenus possent nisi sub cælo esse: nec fugere cælum, nisi appropinquando cælo. Nam vnde & quò irent, si sub cælo non essent? & quantòmagis à qualibet parte cæli elongarentur, tantò magis oppositæ parti appropinquarent.* Similiter est de humana natura, respectu diuinæ prouidentiæ: quia & si non ordinetur ad beatitudinem: ordinabitur ad supplicium per diuinam prouidentiam. Et hoc est, quod dicit Boëtius: *Ordo quidem diuinæ prouidentiæ cuncta complectitur: vt si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur.* Et ita Deus non frustrà facit humanam naturam, nec in vanum: quia quicquid ipsa faciat, tamen ipse ordinat illam. Vnde Anselmus: *Quamuis homo malus, & Angelus diuinæ voluntati subiacere nolit, & ordini; non tamen eam fugere valet: quia si vult fugere de voluntate iubente, cadit sub voluntate puniente.* Et ita licet homo per diuinam misericordiam ad beatitudinem non ordinaretur: si tamen ordinaretur ad supplicium, hoc esset per diuinam iustitiam.

Anselm. lib. 1. Cur Deus homo c. 15.

Boetius lib. 4 de Consol. prosa 6.

Anselm.

¶ ET ad sequentes obiectiones similiter respondendum est.

MEMBRVM IV.

An natura humana reparari potuerit absque satisfactione peccati, per quod lapsa est?

CONSEQVENTER determinato: an necesse sit humanam naturam reparari: quæritur an possit reparari sine satisfactione peccati: per quod lapsa est?

¶ AD quod sic obijcitur: & primò est ratiocinatio Anselm. ad partem negatiuam talis. *Peccatum si non punitur, inordinatum dimittitur: quia sicut virtus ordinatur ad gloriam; ita peccatum ad pœnam:* vnde dicit Augustinus: *quòd peccantes in supplicium ordinantur.* Sed Deum non decet aliquid inordinatum dimittere in regno suo: ergo non decet ipsum peccatum dimittere impunitum ergo oportet pro peccato satisfacere: vel semper in pœna esse: ergo primum.

Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 12. August.

¶ ITEM Anselmus: *Si peccatum dimittitur impunitum: similiter est apud Deum peccanti, & non peccanti.* Hoc autem Deo non conuenit: ergo impossibile est, quod dimittat peccatum sine pœna: ergo sine satisfactione non potest fieri reparatio.

Anselm.

¶ ITEM, Anselmus: *Si diuina sapientia, vbi peruersitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet: fieret in ipsa vniuersitate, quam Deus debet ordinare, magna deformitas.* Sed si Deus non ordinaret in sua vniuersitate, quæ debet ordinare, deficeret à sua dispositione: ergo vbi peruersitas rectum ordinem perturbare nititur, necesse est Deum aliquid facere, & addere. Sed per peccatum hominis perturbata fuit vniuersitas, & ordo rectus, qui erat ad beatitudinem: ergo necesse est Deum aliquid propter peccatum facere: aut sequetur deformitas in vniuersitate rerum: illud autem, quod deberet fieri propter peccatum, est satisfactio, vel damnatio: ergo ad reparationem hominis exigitur satisfactio.

Idem.

¶ ITEM idem Anselmus: *Si peccatum dimittitur, nec punitur: nulli legi subiacet:* ergo liberior est iniustitia, quam iustitia; si peccatum ex sola misericordia dimittitur impunitum. Et similiter ex hoc sequitur: quod iniustitia sit Deo similis, quia Deus nulli legi subiacet: ergo cum hoc sit inconueniens, & impossibile apud Deum: necesse est, quod peccatum legi subiaceat. Et si hoc, necesse est, quod apud ipsum sequatur damnatio: vel fiat pro eo satisfactio.

Idem.

¶ AD oppositum autem sunt rationes: prima est talis. In infinitum excedit in miserendo misericordia Dei misericordiam hominis. Si ergo misericordia hominis laudatur ex remissione alicuius delicti sine satisfactione: cum ipsa Dei misericordia sit in infinitum laudabilior: debet dimittere peccatum de sua misericordia sine aliqua satisfactione: ergo potest haberi reparatio per remissionem peccati sine satisfactione.

¶ ITEM idem Anselmus: *Cùm Deus omnino nobis præcipiat, peccantibus in nos dimittere sine satisfactione: videtur hoc ei repugnare, vt nobis præcipiat, quod ipsum facere non decet.* Si ergo non dimittit nobis peccatum sine satisfactione: præcipit nobis aliquid, quod ipsum non decet: hoc autem est inconueniens: ergo debet dimittere peccatum sine satisfactione: ergo non potest fieri reparatio sine satisfactione.

Idem.

¶ ITEM, idem Anselmus: *Deus liber est, & nulli legi subiacet:* ergo si dimittit peccatum sine aliqua satisfactione, non facit aliquam iniuriam: nec facit contra aliquam legem: ergo potest dimittere peccatum sine satisfactione.

Idem vbi suprà.

¶ ITEM idem Anselmus: *Nihil Deo benignius excogitari potest.* Sed maxima benignitas est in homine: vt iniuriam sibi illatam spontè dimittat: ergo cum in Deo sit summa benignitas, debet dimittere peccatum sine satisfactione: ergo primum.

Idem.

¶ ITEM idem Anselmus: *Quicquid Deus vult, est decens, & rectum: quia non vult nisi illud, quòd est iustum, & decens.* Si ergo vult dimittere peccatum sine satisfactione: non facit inconueniens, vel iniustum, sed iustum, & rectum: ergo iustè, & rectè potest reparare humanam naturam sine satisfactione.

Idem.

RESOLVTIO.

Indistinctè concedendum est, humanam naturam reparari non potuisse absque satisfactione. At Deum requiuisse eandem reparare sine satisfactione, non nisi conditione admittendum est.

¶ RESPON. Ad hoc est intelligendum, quod indistinctè potest concedi passiua scilicet humana natura non potest reparari sine satisfactione. Sed cum dicitur, Deus non potest reparare humanam naturam sine satisfactione: notandum (saluo meliori iudicio) secundum beatum Anselm. quod duobus modis est considerare diuinam potentiam scil. absolutè, vel cum ordine. Considerando diuinam potentiam absolutè; cogitamus quandam virtutem infinitam: & secundum hunc modum non est determinare diuinam potentiam: & conceditur hoc modo, quod potest reparare humanam naturam sine peccati satisfactione. Sed considerando ipsam cum ordine: sic eam consideramus in ordine iustitiæ, & misericordiæ: & hoc modo conceditur, quod nihil potest facere, nisi cum misericordia, & iustitia: secundum quod dicit August. super Genesin & exponit illud, quod dicit Angelus in persona Dei ad Loth. Genesis 19. *Non possum quicquam facere, donec exeas, &c. possum de potentia, sed non possum de iustitia.* Si ergo loquamur de potentia Dei primo modo: potest bene peccatum dimittere sine satisfactione.

August. super Genes. 19.

Si autem loquamur de Dei potentia, vt intelligitur ordinata secundum iustitiam, & misericordiam: secundum quod dicitur. Deus potest de iustitia: distinguendum est: quia iustitia Dei idem est, quod diuina essentia: & cum hoc per iustitiam, quæ dicit respectum ad creaturam; connotatur retributio vnicuique secundum meritum. Quando ergo quæritur, vtrùm Deus iustitia possit dimittere peccatū impunitum? Potest referri *posse de iustitia* ad principale signatum, quod est diuina essentia: & tunc idem est posse de iustitia, quod posse de potentia: & hoc modo potest. Si autem referatur ad connotatum, dicit Anselm. quod tunc posse de iustitia est posse secundùm congruentiam meritorum: & hoc modo dicit idem Anselm. *non potest Deus peccatum impunitum sine satisfactione dimittere: nec peccator ad beatitudinem, qualem habiturus erat ante peccatum, poterit peruenire.* Anselm.

¶ Ad primum aut dicendum: quod misericordia hominis laudatur in remissione delicti sine satisfactione; cum homo est priuata persona: cum autem homo est persona publica, vt iudex, qui est minister iustitiæ; vituperabilis est remissio culpæ sine satisfactione: propterea, cum Deus sit summus iudex, & ordinator iustitiæ: ad laudem eius non esset, dimittere peccatum sine satisfactione.

¶ Ad secundum, quod objicitur: quod Deus præcipit in nos peccantibus sine satisfactione dimittere, &c. Dicendum secundum Anselm. quod nulla est repugnantia: quod Deus præcipiat peccantibus in nos sine satisfactione dimittere: & tamen ipse non dimittat. Nam hoc facit, vt non præsumamus accipere, quod solius Dei est. scilicet vindictam iniuriarum: quod non est nostrum, sed solius Dei. Ad nullum enim pertinet vindictam facere iniuriarum, nisi ad Deum, qui Dominus est omnium: vel ad iudicem, qui est minister, habens potestatem sub ipso ordinatam: & præcipit propter hoc nobis dimittere sine satisfactione: sed ipse debet vindictam facere. Anselm. ibidem.

¶ Ad tertium dicendum: quod libertas arbitrij non est, nisi ad hoc, quod expedit, aut quod decet: sicut dicit Anselm. Vnde nulla libertas esset, si diceretur: Deus potest facere malum. Si igitur non decet secundum ordinationem rationis iustitiæ: vt ostensum est: nec expedit, vt Deus dimittat peccatum sine satisfactione; non esset dicenda libertas, si dimitteretur peccatum sine satisfactione. Ansel. in lib. de libero arbitrio c. 1.

¶ Ad quartum dicendum secundum Anselm. Non benignitas Dei dicenda est, quæ aliquid indecens operatur: & ideo non est benignitas Dei, si sit contra iustitiam, aut si ordinet ad indecentia. Vnde sicut iustitia sine misericordia crudelis est, & vitiosa: ita benignitas sine iustitia vitiosa est: & ita si dimitteret peccatum sine satisfactione, ista benignitas esset iniustitia, & operaretur ad indecentiam in Deo: vnde non esset benignitas. Quod intellige secundum distinctionem prædictam: vnde Ansel. *Non pertinet ad Dei libertatem, aut benignitatem, peccantem, qui non soluit Deo, impunitum dimittere.* Anselm. Idem.

¶ Ad quintum dicendum secundum Anselm. quod aliqua sunt, in quibus sequitur: si Deus vult hoc, istud est iustum. Alia sunt, in quibus non sequitur: sed sequitur: si Deus vult hoc, ergo ipse non est Deus, vel ipse non est iustus. Quia quædam sunt, quæ velle Deum, est conueniens: & in talibus sequitur: Deus vult hoc, ergo est iustum. Sunt etiam alia, quæ velle Deum est inconueniens: vt si vellet esse ignorans, & mendax: hoc velle esset inconueniens, & contra se vellet, & iniustè: & ideo in talibus non sequitur: Deus vult hoc, ergo hoc est iustum, & decens: sed solum in illis, quæ velle Deum, est conueniens. Vnde bene sequitur, Deus vult, vt pluat, hoc ergo est iustum: quia hoc non est inconueniens Deo: velle autem dimittere peccatum sine satisfactione non est conueniens Deo: sicut patet ex prædictis: vnde non sequitur, quod istud sit iustum. Vnde dicit Anselmus: *Si non decet Deum aliquid inordinatè, aut iniustè facere; non pertinet ad eius libertatem, & benignitatem peccantem, qui non soluit Deo: impunitum dimittere.* Ansel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 12. Idem.

MEMBRVM V.

Si homo ex se satisfacere possit pro suo peccato.

Habito, quod non potest reparari humana natura sine satisfactione peccati, per quod lapsa est: quæritur, vtrùm homo hanc satisfactionem possit facere per se. Ad cuius rei inquisitionem quærenda sunt duo. Primò generaliter, an possit homo satisfacere de aliquo peccato. Secundò, an possit aliquo modo satisfacere pro originali peccato: quod est peccatum, per quod natura humana lapsa est.

ARTICVLVS I.

An homo per se satisfacere possit pro peccato aliquo?

Ad primum objicitur sic dicitur: *Deus semetipsum negare non potest.* Augustinus: *Cum sit iustus, non potest negare suam iustitiam peccantibus.* Cùm ergo pronior sit ad miserendum per misericordiam, quam ad condemnandum per iustitiam: non potest negare suam misericordiam ad se confugientibus. Cum ergo homo per liberum arbit. possit confugere ad misericordiam, faciendo quod in se est: ergo per liberum arbit. potest consequi veniam, & remissionem peccati: ergo per liberum arbit. potest satisfacere de peccato. 2. Tim. 2. August.

¶ Item ad idem. Nulla iustitia exigit ab aliquo suprà posse illius. Si igitur homo non habet potentiam satisfaciendi supra suam potentiam: ergo summa iustitia non exigit ab eo, quod faciat pro peccato, nisi secundum suam potentiam. Sed quod est in sua potentia, potest: ergo potest facere pro peccato, quantum exigit diuina iustitia: ergo & satisfacere.

¶ Contra. Offensa Dei excedit omnem creaturam: & hoc declarat Anselm. dicens: *Considero actionem malam, leuissimum quoddam video: sed cum intueor, quòd sit contrarium voluntati Dei, est grauissimum damnum: & nulli damno comparabile intelligo.* Si igitur voluntati Dei contrarium est grauissimum: cum omne peccatum mortale sit huiusmodi: ergo omne peccatum mortale est grauissimum malum: ergo offensa eius excedit omnem creaturam. Sed secundum mensuram peccati debet fieri satisfactio de peccato: ergo satisfactio pro peccato mortali debet excedere omnem creaturam: ergo nec homo nec aliqua creatura potest satisfacere pro illo. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo c. 21.

¶ Item ad idem. Quærit Anselm. à discipulo suo, *quid reddes Deo pro peccato:* Et ille respondet: *pœnitentiam, cor contritum, abstinentiam, & huiusmodi.* Et Anselm. *In omnibus his non reddis Deo, quod ei non debeas ante peccatum: & hoc ratione creationis tuæ, & boni, quod accepisti à Deo:* vnde dicit sic. *Omnia ista debes Deo, quæ dicis: vnde tantus debet esse amor, quod nullam lætitiam sentire debeas, nisi de illis, quæ auxilium aut spem dant perueniendi ad Deum:* homo itaq; etsi non peccasset: se totum, & quicquid facere potest, Deo debet. Si ergo non debent cōputari in satisfactione ea, quæ ante peccatum debentur; ergo non potest homo aliquid facere, quod possit computari in peccati satisfactione: ergo homo per se non potest satisfacere pro peccato. Idem. Idem lib. 1. Cur Deus homo cap. 20.

RESOLVTIO.

Homo per se sine dono gratiæ nullatenus pro peccato satisfacere potest.

¶ Resp. Cum quæritur, vtrùm homo per se possit satisfacere pro peccato. Dicendum est, quòd non per se sine dono gratiæ.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendū: quod si homo ad Deum confugiat, faciendo, quod in se est: Deus dat ei gratiam: & tamen hoc non est ex dignitate hominis facientis, quod in se est: sed hoc est ex liberalitate summæ bonitatis. Satisfactio enim est digna recompensatio pro peccato: sed quamdiu est homo in peccato, est indignus Deo: nec aliquid seruitiū dignum Deo facere potest: ergo nec potest de se facere satisfactionē dignā: ergo ad hoc, quod satisfaciat, oportet, quòd Deus det dignitatē s. gratiam gratū facientem, & sic homo de se non

potest facere satisfactionem de peccato sine diuino auxilio.

¶ Si objiciatur. Si homo faciat, quod in se est; Deus dat ei gratiam: ergo per se potest satisfacere. Non sequitur:immo satisfaciet ex gratia sibi collata.

¶ Ad secundam rationem, cum dicitur. Deus non exigit à creatura suprà posse. Distinguendum est, quod duplex est posse. Est enim posse potentia actiua: & est posse potentia susceptiua. A creatura autem rationali scil.homine non exigit Deus suprà posse potentia susceptiua: potest enim homo suscipere gratiam, quamdiu viuit:qua suscepta, habet potestatem satisfaciendi de peccatis. Vnde si Deus exigat ab homine satisfactione: non exigit supra posse,hoc modo dictum. Si autem exigit ab homine, qui est in peccato, satisfactionem: quamuis in homine non sit posse satisfacere potentia actiua: non est inconueniens: quia hoc accidit ex culpabili defectu hominis renuentis, aut negligentis suscipere facultatem satisfaciendi, quæ est ex gratia.

ARTICVLVS II.

An homo per se satisfacere possit pro peccato originali?

CONSEQVENS est quæstio, vtrùm possit per se satisfacere pro peccato originali? Ad quod sic. Si aliquis potest satisfacere de maiori, potest satisfacere de minori: sed quilibet homo per gratiam sibi datam potest satisfacere de peccato mortali actuali; quod maius est, quam peccatum originale: ergo quilibet homo potest satisfacere de peccato originali per gratiam sibi datam. Quòd autem peccatum mortale actuale maius sit, quam originale;patet, quia peccatum maius secundum Dei iustitiam magis punitur: sed peccatum mortale actuale magis punitur, quam peccatum originale: quia actuale punitur pœna duplici scil. pœna damni, quæ est carentia visionis Dei: & pœna sensibili, quæ est pœna gehennæ: originale verò solum punitur pœna damni scil. carentia visionis Dei:ergo actuale est maius originali.

¶ Item, sicut dicunt Sancti. Deus non dimittit peccatum in parte, sed in toto. Et hoc est intelligendum secundum Sanctos: quod dimittendo vnum peccatum, dimittit aliud quantum ad offensam, & pœnæ æternæ reatum. Vnde dicunt Sancti, quod prophanum est à Deo in parte sperare veniam. Sed homini facienti, quod in se est, per gratiam iustificationis sibi datam, dimittitur peccatum actuale mortale: ergo & peccatum originale sibi dimittitur per gratiam, faciendo quod in se est: ergo quilibet homo per gratiam iustificationis potest satisfacere pro peccato originali.

¶ Item, in Adam idem fuit numero peccatum originale, & actuale: ergo si Adam satisfecit pro peccato actuali, satisfecit pro originali: ergo si non est in nobis peccatum originale, nisi ab ipso: patet, quod deletum est peccatum originale per satisfactionem Adæ: ergo per hominem potuit fieri satisfactio.

Damasc. ¶ Item, *sicut lux, & tenebræ opponuntur: ita peccatum, & gratia opponuntur*, secundum Damasc. Sed adueniente luce, nullo modo remanent tenebræ: ergo adueniente gratia in Adam & in Sanctis patribus (sicut in Abraham, in Iacob) nullo modo tenebra originalis peccati potuit remanere:quæ excludit à visione Dei: & excæcat oculum mentis, ne intueatur gloriam Dei: ergo potuit fieri satisfactio, & remissio peccati originalis per gratiam iustificationis sine incarnatione filij Dei.

¶ Item, quamdiu fuit morbus, fuit medicina. Cùm ergo per virtutem circumcisionis remitteretur suo tempore originale peccatum, sicut modo per baptismum: non necesse fuit propter remissionem illius Deum incarnari.

¶ Ad oppositum sic objicitur. Nihil posterius natura potest agere in id, quod est prius natura: sed motus quicunque voluntarius est naturaliter posterior peccato originali: ergo nullus motus voluntarius potest in peccatum originale: ergo nullus motus voluntarius potest esse remissorius peccati originalis: sed omnis motus noster satisfactorius est motus voluntarius: ergo nullo modo potest esse ad deletionem originalis: ergo homo nullo modo potest satisfacere pro peccato originali. Quod autem omnis motus voluntarius sit posterior natura peccato originali; patet: quia conceptio hominis antecedit omnem motum voluntarium in ipso: sed peccatum originale concomitatur conceptionem: ergo peccatum originale antecedit omnem motum voluntarium in homine: ergo & satisfactorium, & quemlibet alium. Quod autem peccatum originale concomitetur conceptionem; patet, per Psalm. dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis meis concepit me mater mea.* Psal. 50.

¶ Item, secundum quod dicit Anselm. *Non sufficit ad hoc, quod aliquis satisfaciat, reddere quod ablatum est: nisi etiam plus restituat, quam abstulit.* Sed homo prius per peccatum originale se totum, & totam humanam naturam in posteris Deo abstulit. *Sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ergo nullus homo potest satisfacere pro peccato originali: quia oporteret, quod plus redderet, quam se totum, & plusquam sit tota humana natura, quod non potest esse. (Anselm.; Rom. 5.)

¶ Item Ambros. super illud Hebr. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia*, &c. *Nisi Christus moreretur, homo non redimeretur: & non redemptus periret.* Sed nisi Christus incarnaretur, non moreretur, & sic homo periret penitus:hoc autem est impossibile secundum Anselm. & à summa bonitate penitus alienum: vt creaturam rationalem perire penitus sinat: sed redemptio humanæ naturæ fit per satisfactionem peccati originalis: ergo ad satisfactionem peccati originalis necessaria est incarnatio Christi. (Ambros. super Hebr. 2.)

¶ Item, Rom. 5. *In quo* (scil. Adam) *omnes peccauerunt.* Peccatum enim originale transijt in omnes homines. Vnde: *Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Peccatum ergo originale verisimile est omni naturæ humanæ. Sed satisfactio vnius est bonum singulare: ergo nulla satisfactio alicuius hominis est commensurabilis culpæ originali. Sed secundùm mensuram peccati deberet fieri satisfactio pro peccato: ergo nullus homo singularis potest satisfacere pro peccato originali: etiam si sibi gratia conferant. (Ad Rom. 5.; 1 Cor. 15.)

¶ Posset dici ad hoc: quod immo poterit homo satisfacere pro peccato originali, secundũ quod in se est: quia sic singulare est: & eius satisfactio singularis. Contra, Peccatum originale non est in aliquo singulari, sicut in Petro, quia Petrus est, vel quia hoc singulare est: sed quia est de genere Adæ: vnde in ipso est à parte * sui generis, non à parte suæ personæ: ergo peccatum originale in quocunq; homine sit, est vitium generis. Satisfactio autem hominis singularis est actus personæ: sed nullus actus personalis potest expiare vitium generis: ergo nullo modo potest aliquis homo satisfacere pro peccato originali, nec in se, nec in alio. (* Alias, suæ originis.)

¶ Item, sicut est ponere genus humanũ, & quamlibet partem ipsius generis: ita est ponere vitiũ personale: quod est vitium personæ, sicut peccatũ aliquod actuale, quod est ex voluntate alicuius personæ: & est ponere peccatum generale, peccatum totius generis: & hoc est peccatum originale. Sed sicut se habet culpa ad personam: ita se habet satisfactio culpæ ad personam: sed persona non habet potestatem, nisi in illum actum, cuius est principium: cùm ergo actus culpæ originalis non sit actus voluntarius alicuius personæ hominis, quod sit filius Adæ: sed est vitium generis: ergo nec satisfactio illius erit ex actu personæ.

¶ Item, differt dicere naturam, & rem naturæ: sicut dicit Hilarius: quia natura dicitur ipsa species, sicut homo: res naturæ verò dicit personam. Res aũt naturæ nunquam dat esse naturæ: sed magis econuerso. Sed quod nunquam potest esse principium ad esse alicuius: nec ad reparationem esse: ergo res naturæ humanæ non potest esse principium (Hilar.)

cipium reparationis esse humanæ naturæ. Sed reparatio humanæ naturæ fit per satisfactionem peccati originalis: ergo satisfactio peccati originalis non potest fieri per aliquam personam humanam: & ita nec per aliquem hominem singularem.

¶ ITEM, omne peccatum est iniustitia: sed quædam est iniustitia, quam facit homo sibi: & hoc fit per peccatum actuale: alia est iniustitia, quæ fit homini: & hoc fit per peccatum originale. Sed secundum modum fiendi peccatum est satisfactio pro peccato: sed iniustitia, quæ est à peccato originali, inest personæ istius hominis ab alio, & non à se: ergo & iustitia, per quam fit satisfactio pro peccato originali, fiet personæ hominis ab alio: ergo nullus homo potest satisfacere pro peccato originali: etiam pro eo, quod est in ipso: sed oportet, quòd fit ab alio satisfactio.

RESOLVTIO.

Nequaquam homo pro peccato originali satisfacere potest ex se. Quia sicut illud peccatum est ex alio contractum: ita ex alio, siue per alium satisfieri debet.

¶ RESPONSIO. Ad satisfactionem peccati requiritur gratia Dei, per quam fit absolutio reatus æterni, & sustinentia pœnæ temporalis: primum est ex Dei misericordia, secundum ex iustitia. Ideo sicut ad remissionem peccati actualis, quod est peccatum hominis ex seipso; requiritur cum gratia dolor, seu contritio, ad hoc vt satisfaciat pro peccato; quæ quidem est pœna temporalis: ita ad satisfactionem originalis peccati, quod est peccatum hominis ab alio contractum, non ab actu suo: requiritur cum gratia exolutio pœnæ temporalis ab alio, siue per alium, vt locum habeat diuina iustitia.

¶ AD id ergo, quod primò objicitur. Respondetur: quod cum peccatum actuale sit ab actu personæ ex ipsa: peccatum verò originale est ex vitio naturæ ipsius personæ, & non ex ipsa, sed ab alio: sicut dicit Anselm. quia Anselm. persona corrupit naturam; sed natura corrumpit personam: ideo non sequitur, quod si persona potest satisfacere pro actuali, quod possit satisfacere pro originali, quod est minus: quia originale, & actuale non sunt peccata eiusdem generis: & ideo non est propria comparatio secundum magis, & minus inter ea.

¶ AD secundum dicendum: quod cum dicitur, Deus non potest dimittere peccatum in parte, sed in toto. Hoc intelligendum est quantum ad offensam, & reatum æternæ pœnæ: quam Deus dimittit per gratiam iustificationis de sua summa misericordia. Sed non est intelligendum de debito temporalis pœnæ, quæ requiritur ratione iustitiæ: aliter Deus relinqueret peccatum impunitum.

¶ AD tertium dicendum: quod duplex honor debetur Deo: vnus in natura, alius in persona. Honorem in natura aufert culpa originalis: honorem personæ culpa actualis. Honorem ergo in persona, quem abstulit culpa actualis, per gratiam iustificationis potest Deo reddere persona: honorem verò in natura, quem abstulit culpa originalis: non potest Deo reddere persona alicuius hominis: nisi sit talis, quæ præponderet in plus, quam sit tota humana natura.

¶ AD quartum dicendum: quod originale, & actuale in Adam fuit idem, quantum ad actum: sed non fuit idem, quantum ad reatum. Peccatum enim Adæ duplicem habuit reatum; quia si ipse seruasset præceptum à Deo datum, esset remunerationis causa, quantum ad personam, & quantum ad naturam: quia ex obedientia remunerationem habuisset in se, & in sua posteritate: sicut dicit Ansel. Ideo & reatus fuit duplex in præuaricatione præcepti: actualis, inquantum abstulit præmium personæ: & originalis, inquantum abstulit præmium naturæ. Vnde peccatum Adæ obligauit personam, & obligauit naturam: maximè quia tota erat in Adam, & Eua. Et sic Idem. persona corrumpit naturam, vt dicit Anselm. Nec sequitur: Adam per gratiam satisfecit pro reatu actuali, ergo & pro originali: quia persona Adæ potuit per gratiam satisfacere de reatu personæ: sed non pro reatu naturæ: sicut ostensum est iam.

¶ AD quintum dicendum: quod in patribus per gratiam dimittebatur peccatum originale, quantum ad offensam, & reatum pœnæ æternæ: quæ erat tenebra æternę carentiæ visionis Dei. Non tamen dimittebatur pœna temporalis, quæ erat carentia visionis Dei: quousque fuisset satisfactum: prout dictum est.

¶ ET similiter dicendum est ad vltimum: quia medicina circuncisionis sanabat originale quantum ad offensam, & æternum reatum: sed non quantum ad temporalem.

MEMBRVM VI.

Si satisfactio pro originali per aliam creaturam, quàm per hominem fieri potuerit.

DEMONSTRATO, quod homo non potest satisfacere per se de peccato, per quod est lapsa humana natura: quæritur, vtrùm satisfactio possit fieri per aliam creaturam: Et quæruntur duo. Primò, vtrùm possit fieri per angelicam naturam. Secundò, an per aliquam aliam quampiam creaturam.

ARTICVLVS I.

An satisfactio pro primi hominis peccato fieri potuerit per Angelum aliquem.

AD primũ objicitur sic: sumpta propositione, quam accipiunt Sancti. Quia homo cecidit per alium impellentem, conueniens est, quod habeat alium releuantem: ergo conueniens fuit, vt satisfactio fieret per angelum.

¶ ITEM. *Multo igitur magis iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum*: Gloss. *Vt sic iustitiâ vinceretur Diabolus.* Quòd consequenter explanat: quia cum in Christo nihil dignum morte inueniret: occidit eum tamen: & ideo iustum est, vt debitores, quos tenebat, liberi dimitterentur. Si ergo hæc est ratio, quare diabolus iustè perdidit omnes, in quibus dominium habebat ante passionem; quia misit manum in illum, in quo nihil iuris habuit; & procurauit eius mortem: ergo cum ista ratio posset seruari: si Angelus accepisset carnem, & diabolus procurasset eius mortem: per angelum de iustitia posset fieri satisfactio. Ad Rom. 5. Glossa.

¶ CONTRA. De ratione iustitiæ est: vt qui peccauit, satisfaciat: quia ille, qui obligauit, debet soluere debitum, sed in satisfactione pro peccato originali debet seruari iustitia: ergo per hominem debet fieri illa satisfactio, non per angelum.

¶ ITEM, reatus peccati originalis obligat totam humanam naturam: & omnes illius generis, seu naturæ ad damnationem æternam. Sed nullus Angelus potest ex se æquari toti humanæ naturæ. Si ergo in satisfactione (sicut dicit Anselm.) oportet fieri restitutio de ablato, & emenda de iniuria: & ita illud, per quod fit satisfactio, Anselm. debet esse maius, quam commissum: & oportet plus reddere, quam fuit ablatum: ergo oportet, quod ille, per quem fit satisfactio de peccato originali; sit tantus, quod possit æquari toti humanæ naturæ: & quod etiam plus valeat. Sed nullus angelus singularis est huiusmodi: ergo per nullum Angelum potest fieri satisfactio huiusmodi.

¶ ITEM, si homo reparetur, oportet, quod restituatur ad dignitatem illam, quam habiturus erat ante peccatum, si non peccasset: sed si reparetur per angelum, non potest restitui ad illam dignitatẽ: ergo per angelum non potest, nec debet reparari. Quòd aũt non posset restitui ad illam dignitatẽ, quam habiturus erat, si non peccasset, si repararetur per angelum; patet: quoniam si non peccasset, esset æqualis angelis Dei in cœlis: & hoc idem nobis promittitur post reparationem, & resurrectionem. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Si autem reparetur per angelum: nullo modo poterit peruenire ad illam dignitatẽ, quòd sit æqualis angelis: quia homo factus est ad imaginẽ, & similitudinẽ Dei. Sed ratione suæ reparationis debet non seruitium ei, Mat. 22. Marc. 12. Lucæ 20. Gen. 1.

per

per quem reparatus est: ergo si per Angelum repararetur; esset ei angelus Dominus: hoc autem non decet dignitatem humanam: ergo nullo modo potest esse, quod homo per angelum repararetur ad suam dignitatem. Et istæ duæ rationes fundantur super authoritate. Ansel. qui dicit: *Quæcunque alia persona hominem à morte redimeret, eius seruus idem homo rectè iudicaretur: quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset: cum ipse, qui non nisi seruus Dei, & æqualis angelis bonis futurus erat; seruus esset eius, qui Deus non esset.*

Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 5.

RESOLVTIO.

Cum iustitia exigat, vt qui peccauit, satisfaciat: prorsus angelum vllum pro homine satisfacere potuisse, neutiquam arbitramur: tum maximè, quòd nec aliquem illorum toti humanæ naturæ parem esse credendum est: nec vnquam ad deperditam dignitatem illam venturum fore censendum est.

¶ CONCEDENDVM igitur secundum Ansel. & veritatem, quod non potuit homo, nec debuit per angelum reparari.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendũ: quod idem ordo seruatus est in lapsu, & in reparatione humani generis: quia sicut ibi fuit consensus mulieris causa peccati, malo angelo eidem suggerente. Ita causa reparationis hominis fuit consensus mulieris, bono angelo eidem nunciante. Cui respondit virgo: *Ecce ancilla Domini*, &c. ad istum enim consensum consecuta est incarnatio: & propter hoc dicitur causa reparationis. Et sic patet, qualiter ordo reparationis consequitur ad ordinem lapsus. Vnde sicut in lapsu fuit malus angelus suggestor: ita in reparatione fuit bonus Angelus nostræ reparationis prædicator.

Gen. 3. Lucæ 1.

¶ AD secundam dicendum, quod ratio iustitiæ in nostra redéptione respicit, quod fiat satisfactio. Sed de exigentia iustitiæ est; quod qui peccauit, satisfaciat: angelus autem non peccauit: & ideo non esset satisfactum, si per angelum incarnatum fieret satisfactio: quanrùm & si diabolus mitteret manum in angelum incarnatum, non tamen fieret satisfactio.

¶ AD illud verò, quod obijcitur: quod diabolus iustè detinebat hominem, &c. Respons. Ansel. *quamuis homo iustè à Diabolo torqueretur, ipsum tamen iniustè torquebat: homo namque meruerat, vt puniretur: nec à nullo conuenientius, quàm ab illo, cui consenserat, vt peccaret: diaboli verò nullum meritum erat, vt puniret: immò tantò faciebat iniustius, quantò non ad hoc amore iustitiæ, sed instinctu malitiæ impellebatur ad torquendum.*

Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 7.

ARTICVLVS II.

An & per quampiam aliam puram creaturam fieri potuerit isthac eadem primi hominis peccati satisfactio?

SECVNDÒ quæritur, vtrùm possit fieri reparatio humani generis per creaturam aliam ab angelo? Ad quod sic obijcitur. August. *Diuina iustitia non plus exigit in pœna: quam commissum fuerit in culpa.* Si ergo commissum est in culpa Adæ à pura creatura: ergo nõ exiget satisfactionem nisi puræ creaturæ: ergo pura creatura poterit satisfacere.

August.

¶ ITEM, tota bonitas humani generis est finita: quia ipsa est creata, & omnis creatura est finita: ergo posset inueniri, vel creari à Deo pura creatura, per quam posset esse recompensatio bonitatis amissæ: ergo in aliqua creatura posset esse æquiualentia bonitatis amissæ: ergo per illam potuit fieri reparatio.

¶ CONTRA, sicut dicunt Sancti: maius est de impio facere pium, quam creare cœlum, & terram. Sed per lapsum humani generis omnes ceciderunt in impietatem: ergo ad hoc, quod de impijs fiant pij; oportet, quod interueniat maior actio, quam fuerit creatio cœli, & terræ. Si ergo actio maior non potest venire, nisi à virtute creatoris omnipotentis: patet, quod per nullam virtutem creaturæ potest fieri huiusmodi actio, quæ est reparatio humani generis.

¶ ITEM Ans. *Necesse est, quod bonitas Dei per incommutabilitatem suam perficiat in homine, quod incepit.*

Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 4.

¶ ITEM, hoc nequit fieri, vt fiat hominis reparatio, nisi sit, qui soluat Deo pro peccato hominis aliquid maius, quam omne, quod præter Deum est. Ex quo sequitur: quod ille, qui poterit dare de suo aliquid maius, quàm omne quod non est Deus: poterit hanc satisfactionem facere, & non alius. Sed nulla creatura potest dare aliquid, quod sit maius, quam omne, quod est præter Deum, nisi Deus solus: quia nihil est maius omnium, quæ sunt præter Deum, nisi Deus solus: ergo solùm hanc satisfactionem potest facere solus Deus: & non aliqua creatura.

RESOLVTIO.

Adæ peccatum cum ratione Dei offensi, & ratione totius humanæ naturæ damnatæ infinitum fuerit: creaturaq; omnis pura finita sit: iure nullum talem pro illo satisfacere potuisse asseremus.

¶ RESP. Concedendum, quod nulla pura creatura potest hanc satisfactionem facere.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendũ: quod quantitas peccati Adæ debet attendi quantum ad ista tria scil. quantum ad peccantem, & quantum ad inordinationem peccati, & quantum ad illum, in quem peccatur. Et quod quantitas peccati debeat attendi per comparationem ad illum, in quem peccat; patet, quantùm si aliquis offenderet Regem & militem, plus offenderet offendendo Regem quam militem: & ita quantitas istius offensæ attenditur ex parte eius, in quem peccatur. His ergo modis attendit diuina iustitia quantitatem peccati Adæ: Licet ergo peccatum Adæ, quantum est ex parte peccantis, fuerit solius creaturæ: tamen peccauit Adam in bonum infinitum sc. in Deum: item deordinauit, & ream fecit totam humanam naturam: ergo secundum istos duos ad minus est peccatum Adę infinitum, & transcendens omnem humanam creaturam. Si ergo Deus debet exigere in pœna, quantum commissum est in culpa; patet, quod debet exigere pœnam infinitam pro peccato Adæ. Aut si admittat satisfactionem, debet fieri satisfactio à tali persona, in qua sit infinitum bonum: & à qua fit ordinatio totius humanæ naturæ: sed nulla pura creatura est huiusmodi; & propter hoc de iustitia non fuit, vt per puram creaturam fieret huiusmodi satisfactio.

¶ AD secundum dicendum: quod bonitas creaturæ finita est in se: tamen ipsa ordinata est ad infinitum bonum. Quando verò ipsum offendit, deordinata est ab illo: & est rea infiniti mali. Cùm ergo bonitas creaturæ sit finita: patet, quod nulla creatura pura posset humanæ restituere illud, à quo deordinata est per peccatum: quia bonitas creaturæ cum sit finita, non potest recompensare humanæ naturæ bonitatem infinitam. Iam igitur habemus, quod per Deum fieri deberet reparatio: non per aliquam creaturam puram.

MEMBRVM VII.

An reparatio humani generis per hominem medium fieri debuit.

PROBATO, quod reparatio humani generis non possit fieri sine satisfactione: & quod non possit fieri per hominem purum, nec per creaturam aliam: ostendendum est, quod debeat fieri per hominem Deum.

¶ AD quod sic obijcitur. Eiusdem virtutis est creare & recreare scil. virtutis infinitæ: ergo sicut in creatione nõ intercidit aliquod medium: nec vnitur Deus in creando alicui creaturæ: ergo nec in recreando vnietur alicui creaturæ: nec debebit cadere actio creaturæ media ad hoc, quod recreet humanum genus: ergo per se debet recreare humanam naturam.

¶ ITEM,

Genes. 1. Anselm. lib. 1 Cur Deus homo cap. 6

¶ Item, solo verbo voluit Deus creare omnia. *Dixit & facta sunt*: ergo solo verbo non vnito alij debuit reparare. Non ergo sequitur, quod verbum caro factum sit ad hoc, vt homo reparet.

¶ Item Ansel. *Non est sapiens, qui non vult vitare indecentiam, cum possit. Sed miseria, mors, sitis, esuries, & passibilitas; & ista non decent diuinam naturam: ergo si vellet Deus ista accipere: diceremus ipsum insipientem.* Sed ista concomitantur humanam naturam: ergo non decet Deum, vt accipiat & vniatur humanæ naturæ ad hoc, quod satisfaciat pro peccato hominis. Et hoc est, quòd dicit Ansel. ponendo opinionem infidelium. Si dicitis quod hæc omnia non potuit facere Deus solo iussu: quem cuncta creasse iubendo dicitis: repugnatis vobismetipsis: quia impotentem ipsum facitis. Ecce super hoc fundatur secunda obiectio. Deinde dicit: Aut si fatemini, quia potuit, sed non voluit nisi hoc modo, quomodo sapientem potestis eum ostendere, quem sine vlla ratione tam indecentia velle pati asseritis.

¶ Contra, si Deus solo verbo & solo iussu liberasset humanam naturam, ergo liberasset eam per potentiam suam sine satisfactione commissi: ergo dimisisset peccatum hominis impunitum: hoc autem est impossibile: ergo non debebat liberare genus humanum per potentiam solam, nec per solum iussum. Quòd autem Deus non debuit peccatum dimitere impunitum, patet, quia sicut Deus non potest facere malum, ita nec potest facere aliquid inordinatum. Sed peccatum inordinatum non dimittitur, nisi satisfactio vel pœna sequatur, sicut dicit Ansel. Ergo non debuit dimittere peccatum sine satisfactione.

Idem lib. 2. cur Deus homo c. 6.

¶ Item, Deus non debebat satisfacere, licet posset: solus autem homo inter creaturas omnes deberet satisfacere, sed non potest propter quantitatem peccati: ergo necesse est quòd satisfaciat Deus qui potest, & homo: qui debet ergo debet satisfacere Deus homo, & non solus Deus, nec solus homo. Et hoc est quòd dicit Ansel. *Non potest facere hanc satisfactionem nisi Deus, nec eandem nisi homo, alioquin non satisfaceret homo.* Si ergo constat, quod necesse est hominem reparari, nec hoc valet esse, nisi fiat prædicta satisfactio, quam non potest facere, nisi Deus; nec debet nisi homo, necesse est igitur quod eam faciat Deus homo.

Idem.

¶ Item, ad hoc quod sit satisfactio prædicta, oportet quod sit ab illo, qui possit, & ab illo qui debet. Sed hoc non potest inueniri nec in solo Deo, nec in solo homine, nisi vniatur Deus homini, quia Deus potest, sed non debet, homo verò debet, sed non potest: ergo oportet quod ille faciat hanc satisfactionem, qui sit homo Deus, non alius & alius. Et hoc est, quod dicit Ansel. *Si non sit idem Deus, quod & homo, impossibile est, quòd ambo faciant, quòd fieri necesse est*: scil. reparationem humanam. Nam Deus non faciet, quia non debet, nec homo, quia non potest, vt ergo hoc faciat Deus homo, necesse est ipsum esse perfectum hominem, perfectum Deum; qui hanc satisfactionem facturus est.

Idem vbi supra c. 7.

RESOLVTIO.

Iure per Deum hominem humani generis reparationem debuisse fieri contendimus: vtpote qui vt Deus potuit, vt homo verò debuit satisfacere.

¶ Quod concedendum est, quod scil. hanc satisfactionem requirit necessitas iustitiæ, vt fiat per Deum vnitum humanæ naturæ.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd non est simile omnino de actu creationis & recreationis. Nam actus creationis est solum per rationem potentiæ: & cum illa potentia sit infinita, & causa sui operis; non exigit aliquam creaturam mediam in creando, immo hoc repugnaret summæ potentiæ; quod operaretur per medium aliquod, quantum est de ratione potentiæ: quia si exigeretur creatura media, iam non esset tota causa suæ operationis: & propter hoc in creatione rerum non operatus est Deus per creaturam humanam mediam. Recreatio autem non solum est per rationem potentiæ, sed cum hoc per rationem iustitiæ, quia in recreatione agitur de dimissione peccati, ad quam de iustitia sequitur satisfactio, sicut probatum est superius: & quia hanc satisfactionem potest facere Deus, sed non debet de se, eam debet homo, sed non potest: propter hoc oportet quod in recreatione vniatur Deus humanæ naturæ.

¶ Et per hoc patet respons. ad secundum.

¶ Ad tertium dicendum, quod Deus pœnalitates non assumpsit sine ratione, sed summa ratione, & altissimo consilio sapientiæ Dei. Vnde dicit Ansel. *Nonne videtur satis necessaria ratio, cur hæc Deus facere, quæ diximus, debuit: quia humanum genus tam preciosum opus eius omnino periret: nec decebat, vt quod Deus de homine proposuerat; penitus annihilaretur: nec eius propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso creatore suo taliter liberaretur.* Iam ergo habemus ex prædictis, quòd per hominem Deum debet fieri reparatio humani generis, & satisfactio peccati. Ansel.

QVÆSTIO II.
De Conuenientia Incarnationis Christi.

In tredecim Membra, & duos Articulos diuisa.

Sequitur de Conuenientia incarnationis. Circa quam inquirenda sunt ista. Primò de conuenientia incarnationis, posita natura lapsa. Deinde de conuenientia incarnationis, si non fuisset natura lapsa. Item quantùm ad primum quæritur in primis de conuenientia incarnationis à parte vnibilium in generali: deinde à parte vnibilium in speciali. Primò quærit in generali, vtrum diuina natura & humana sint vnibiles adinuicem. Secundò in speciali, vtrùm diuina natura sit vnibilis humanæ naturæ. Tertiò, vtrùm abstractis personis sit vnibilis diuina natura. Quartò, vtrùm sit vnibilis in vna persona tantum: vel etiam in pluribus personis. Quintò, dato quod in vna tantùm: quæritur in qua. Sextò ex parte humanæ naturæ quæritur de vnibiliate per comparationem ad naturam Angelicam. Septimò de vnibilitate per comparationem ad omnem aliam creaturam. Octauo, vtrùm humanitas assumpta debeat esse nostri generis. Nonò, vtrum homo ille debuit esse Adam. Decimò, vtrùm homo ille debuit plasmari per viam generationis: Vndecimò, vtrùm conueniens fuerit eductio carnis Christi de viro & muliere. Duodecimò, vtrùm conuenientiùs educatur Christi caro de viro quam de muliere, vel econuerso. Tredecimò de conuenientia incarnationis, si non fuisset natura humana lapsa per peccatum.

D. Tho. 3 par. q. 1. S. Bon. in 3 d. 1. Sco. ibid.

MEMBRVM I.

An diuina, humanaque natura vnibiles sint ad inuicem.

Primò ergo quæritur in generali, vtrùm diuina natura & humana sint vnibiles ad inuicem. August. *Similia gaudent similibus.* Ex hoc enim est corpus vnibile animæ: quia infimum animæ scil. phantasma vel phantasticus spiritus, & supremum corporis scil. sensualitas similia sunt: ergo cum natura diuina & humana sint similes: cùm sit homo ad imaginem Dei factus; patet quod sunt vnibiles.

August. in lib. de anima & spiritu c. 14.

¶ Idem August. Sicut supremum animæ scil. intelligentia siue mens, imaginem & similitudinem gerit sui superioris id est, Dei: vnde eius susceptiua esse potuit, & ad vnionem personalem: sic supremum carnis scil. sensualitas animæ gerens similitudinem, ad vnionem personalem eius essentiam suscipere potest. Similis ergo est comparatio quantum ad vnibilitatem mentis, quæ est suprema pars animæ ad Deum: & sensualitas, quæ est supremum carnis ad animam. Sicut ergo sensualitas carnis naturaliter est vnibilis ipsi animæ vnione personali: ita naturali ordine anima humana erit vnibilis Deo vnione personali.

Idem loco allegato.

¶ Con-

¶ CONTRA, Omnia vnibilia ſunt ſimilia: ſed omnis ſimilitudo eſt ſecundum aliquam formam communem: ergo omnia vnibilia habent aliquam formam communem. Sed non eſt accipere aliquid commune Dei & hominis, ſiue creatoris & creaturę, nec in genere, nec in ſpecie: ergo non eſt accipere aliquo modo ſimilitudinem inter Deum & hominem: ergo natura diuina & humana non ſunt vnibiles.

¶ SECVNDA ratio ad idem. Nulla, inter quæ eſt penitus diſtantia improportionabilis, ſunt vnibilia. Sed creator & creatura ſunt huiuſmodi: quia diſtantia eſt inter hęc infinita, ſicut inter finitum & infinitum: ergo nullo modo ſunt vnibilia.

RESOLVTIO.

Cum natura humana ordinabilis ſit ad diuinam, rectè eas inter ſe vnibiles eſſe dicimus.

¶ RESPON. Dicendum, quod ſimilitudo dupliciter attenditur inter aliqua. Aut ſecundum formam communem participatam ab illis: & hoc modo non eſt ſimilitudo aliqua inter naturam diuinam, & humanam creaturam. Vel ſecundum conuenientiam proportionis vnius ad alterum: & hoc dupliciter. Vno modo comparando duo ad tertium: & hoc modo iuſtitia increata & creata conueniunt, ſed non in aliqua forma communi genere vel ſpecie: quia iuſtitia increata eſt ſubſtantia diuina, iuſtitia verò creata eſt qualitas: ſed conueniunt in habitudinē ad eundem effectum: qui eſt reddere vnicuiq; quod ſuum eſt. Alio modo attenditur hæc ſimilitudo comparando vnum ad alterum: vt ſi dicam, Deus eſt bonus, creatura eſt bona: bonitas increata eſt bonitas per eſſentiam ſcil. ipſe Deus: & ad hanc ordinatur bonitas creata. Hoc ergo, quod dico *ordinari ad illam* facit conuenientiam & ſimilitudinem bonitatis creatæ ad increatam. Non tamen eſt dicendum, quod bonitas increata ſit ſimilis bonitati creatæ; ſed ecōuersò: quia nunquam determinatur ſimilitudo reſpectu alicuius deterioris: ſed reſpectu maioris, vel æqualis. Sicut ergo domus in opere ſimilis eſt domui vel arti in mente: eo quod facta eſt & ducta in eſſe ſecundum illam: ſed non dicitur econuersò ars ſimilis domui. Ita creatura ſimilis dicitur creatori: quia eſt ordinabilis illi, & non econuersò: quæ ſimilitudo attenditur in ordine, vel habitudine vnius ad alteram: & ex hoc ſunt vnibiles.

¶ AD ſecundum dicendum, quod quædam eſt diſtantia eſſentialis rei ad rem: & hoc modo infinita eſt diſtantia naturæ diuinæ ad naturam creatam. Alia eſt diſtantia rerum ſecundum eſſe ordinis: & hęc non eſt infinita creaturæ ad creatorem. Et ſecundum iſtam minus diſtat homo à Deo, quam aliqua alia creatura: quia vltimum corpus in natura eſt corpus humanum, communicans cum omni corpore in natura: ſimiliter vltima forma in natura eſt anima rationalis: & inde eſt, quod omnia alia ordinantur ad hominem: & ideo eſt propinquior Deo: & ita profectò eſt ei vnibilis.

MEMBRVM II.

An natura diuina vnibilis ſit humanæ naturæ.

SEQVITVR de conuenientia incarnationis à parte vnibilium in ſpeciali. Et quæritur, vtrùm natura diuina ſit vnibilis humanæ. Ad quod ſic obijcitur. Omne vnitum eſt terminatum: ergo omne vnibile eſt terminabile. Sed nullum infinitum eſt terminabile: ergo nullum infinitum eſt vnibile. Sed natura diuina eſt infinita: ergo ipſa non eſt vnibilis.

¶ SI dicatur, quod natura diuina in ſe conſiderata nō eſt terminabilis, ſed ſecundū quod cauſa: quia cauſa quodammodo terminatur ad ſuum effectum. Contra, ſecundum quod cauſa eſt in ratione potentiæ: ſequitur ergo quod potentia Dei ſit terminata: quod eſt falſum.

¶ ITEM, omne vnibile eſt * potentiale reſpectu vnionis. Sed omne potentiale eſt imperfectum reſpectu maioris perfectionis. Si ergo omnis imperfectio relegatur à Deo ergo & vnibilitas.

* Alias poſſibile.

¶ CONTRA, Dei potentia eſt in omnem actum: qui non ponit inordinationem, vel defectū. Si ergo *vnire* non ponit inordinationem, vel defectum: ergo diuina potentia poteſt ſibi vnire humanam naturam: quia hoc quod eſt *vnire ſibi* non ponit defectum actus, vel inordinationem, ſed ſummam perfectionem atq; ordinem.

RESOLVTIO.

Tametſi diuina natura ſecundum ſe ab æterno infinita ſit, nullum finiens, nec ab vllo finita, & per conſequens nec alicui vnibilis: vt tamen eſt in creatura finiens cauſa, vnibilis eſt eidem: & eò magis, quo ipſi contenta non decidit, quæ illum ſibi vniat.

¶ RESPONDEO. Infinitum dupliciter ſcil. quod nec finit aliquid, nec finitur ab aliquo: & ſic eſt diuina eſſentia infinita ab æterno ſecundum ſe: quia ſic non finit, nec finitur ab aliquo. Vel dicitur infinitum, quod non finitur ab alio, ſed finit aliud: & hoc modo dicitur infinita, ſecundum quod ad ipſam ordinatur creatura. Et iſta diſtinctio habetur ex habitudine huius prępoſitionis (in) additæ per compoſitionem ei, quod eſt *finitum*: quæ poteſt dicere abnegationem finiti inquantum finiens, vel finiti inquantum finitum. Eſt enim dicere diuinam eſſentiam finire creaturas, inquantum ab ipſa ſunt vt à principio: & inquantum ad ipſam ordinantur vt ad finem. Et ſunt in ipſam. *Nam* (ſicut dicit Trimegiſtus) *diuina eſſentia eſt ſicut ſphæra intelligibilis: cuius centrum eſt vbique, circumferentia verò nuſquam.* Inquantum enim diuina eſſentia conſideratur vt res in ſe, perfecta eſt: cuius non eſt accipere finem bonitatis: & ſic conſideratur vt circumferentia: cuius non eſt accipere finem, nec principium: ſed eſt extra omnia: ſic eſt de bonitate Dei. Vel poteſt conſiderari, vt eſt in creatura, finiens ipſam, & limitans, & deducens: & ſic dicitur centrum: quia ſicut centrum finit lineas & ab ipſo lineæ deducuntur: ita creator finit creaturas, & limitat, & deducit eas.

Mercurius, vel Hermes.

¶ AD ſecundum vero ſcil. omne vnibile eſt potentiale reſpectu vnionis, &c. Dicendum quod duplex eſt potentia ſcil. actiua, & paſſiua. Si loquamur de potentia paſſiua, ſic verum eſt, quod natura diuina nullo modo eſt vnibilis: quia quod eſt vnibile hoc modo, eſt potentiale reſpectu maioris perfectionis: quia ergo non eſt poſſibile, quod potentia Dei perficiatur ex actu incarnationis; propter hoc non eſt ponere ſecundum viam iſtam diuinam naturam vnibilem. Si autem loquamur de potentia actiua: ſic natura diuina eſt vnibilis humanæ; quia in Deo eſt potentia actiua, vt ſibi vniat naturam humanam. Vnibile igitur dicitur de natura diuina ſecundum potentiam actiuam ſcil. quod poſſit ſibi vnire naturam creatam. De natura verò humana dicitur ſecundum potentiam paſſiuam; eo quod poſſit vniri: Et in hoc fuit ſumma oſtenſio & manifeſtatio ſuæ potentiæ. Ponatur enim, quod non poſſet vniri actiuè naturæ humanæ; hoc non diceretur eſſe perfectionis in Deo. Et ſic concedendum eſt, quod natura diuina & humana ſunt vnibiles.

MEMBRVM III.

An abſtractis perſonis diuina natura humanæ naturæ vnibilis ſit?

POSTEA quæritur, vtrùm abſtractis perſonis ſit vnibilis diuina natura; Et oſtenditur, quod non. Supponimus enim quod vnio in diuinis ſit ſubſtantialis, & non accidentalis. Sed omnis vnio ſubſtantialis eſt naturæ, vel perſonæ (quia in ſubſtantia diuina non eſt reperire niſi naturam, vel rem naturæ; res verò naturæ eſt perſona: vbi contingit reperire perſonam) vnio ergo ſubſtantialis erit in natura, vel in perſona. Si igitur diuina natura vnitur humanæ; hoc erit vel in vnitate naturæ, vel perſonæ. Sed perſonæ non; quia iam poſitum eſt, quod perſonæ ſunt abſtractæ; cum ergo vnio ſupponat ens, erit illa vnio in vnitate naturæ; ergo cum hoc ſit impoſſibile (ſicut

* Alias, iam.

hic. * ita monstratur) non vnietur diuina natura humanæ in vnitate naturæ, nec personæ: vt patet ex dictis: ergo nullo modo est vnibilis, abstractis personis.

Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 7. & lib. de incarnatione verbi cap. 4. & 5.

¶ Ad idem euidentius argumentatur Anselmus: *Si vniretur diuina natura humanæ non abstractis personis. aut ipsa diuina natura mutabitur in humanam: aut econuerso: aut fiet tertia natura ex illis post vnionem, vel saltem fiet vtraque vnio in alia natura.* Tertium est impossibile, quia ex hoc sequitur, quod diuina natura sit possibilis ad vlteriorem perfectionem: item sequeretur ex hoc, quod esset aliquid, quod neque esset creatum, neque increatum scil. ad tertium. Similiter duo prima sunt impossibilia. Aut esset dicere post vnionem, natura diuina est humana, & econuersò: ergo non fiet vnio in natura: similiter nec in persona: cum ponantur esse abstractæ. Igitur abstractis personis, &c.

¶ Si dicatur, quod hoc est verum de personis increatis: vnde non fiet vnio in persona increata, sed in persona creata, sicut in homine aliquo. Contra, nihilominus adhuc sequitur inconueniens scil. quod diuina natura sit possibilis ad maiorem perfectionem; & ita esset materialis respectu vnitatis creatæ: redit ergo idem quod prius.

¶ Si dicatur, quod illa est talis vnio sicut accidentis & subiecti: quia humana natura in illa vnione degenerat in accidens: quia omne, quod aduenit rei post esse completum, tenet modum siue naturam accidentis, talis autem est humana natura respectu diuinæ in illa vnione. Contra. Vbicunque est vnio subiecti & accidentis, accidens transit in vnitatem subiecti: ita quod est vnum numero cum ipso; vt album, & sortes, cum dicitur sortes albus: ergo secundum hoc humana natura transiret in vnitatem naturæ diuinæ; quod est impossibile. Præterea, sequeretur: quod diuina natura esset subiectum respectu humanæ: quod iterum impossibile est.

¶ Ad oppositum sic: abstractis personis, adhuc intelligitur diuina essentia; & intelligitur in ipsa omnipotentia, siue summa potentia, sapientia, & bonitas. Sed non est omnipotentia, nisi diuina essentia posset se vnire humanæ: ergo si remaneat in ipsa omnipotentia, patet quod abstractis personis potest se illi vnire: & ita est adhuc vnibilis.

¶ Item remanet scientia, qua scit suam omnipotentiam; & sua bonitas, qua non vult dimittere perire creaturam humanam: hęc autem sufficiunt ad illam vnionem, & faciunt ipsam: ergo abstractis personis per intellectum adhuc est vnibilis diuina essentia.

RESOLVTIO.

Quoniam natura intelligi non potest nisi in re naturæ: proculdubio abstractis personis diuina natura humanæ naturæ vnibilis non est.

Anselm. de incarnatione verbi c. 4. & 5.

¶ Respon. secundum Anselm. *Natura diuina, & humana non possunt inuicem mutari, nec misceri, vt quædam tertia fiat ex duabus, quæ nec sit diuina, nec humana: ergo in persona necesse vnionem fieri.* Dico ergo, quod abstractis personis non intelligo diuinam naturam posse vniri: etsi quis fortè posset hoc intelligere, ego non intelligo: quia sicut dicit Ioan. Damascenus: *Oportet scire quod non secundum terminationem naturæ, vel versionem, vel alterationem, vel confusionem caro Domini, id est, humanitas deificata dicitur.* Et subdit authoritatem theologi Gregorij Nazianzeni. *Hoc non secundum transmutationem naturæ fit: sed secundum dispensatiuam vnionem, quæ est secundum hypostasim: secundum quam indiuisibiliter Deo verbo vnita est: & eam quæ est inuicem, naturarum circumincessionem, vt animus ferri ignitionem.* Et subdit: *Quemadmodum enim ignitio non transmutat igniti naturam, & eam quæ ignis; sed monstrat & ignitum & quod igniuit: & non vnius, sed duorum est demonstratiuum.* Præterea dicendum: quod abstractis personis, non potest intelligi illa vnio; quia nunquam intellectus noster intelligit naturam esse in actu nisi in re naturæ; sicut humanitatem esse in actu non intelligo nisi in habente ipsam. Similiter igitur nec diuinitatem intelligo, nisi in habente diuinam naturam: habens autem illam est persona, vel hypostasis. Cum igitur pro re naturæ tantum sit intelligibilis vniri: constat, quod non potest intelligi vniri, si abstrahantur personæ siue res naturæ ab ipsa natura; quod plenius infrà iam videbitur.

Damasc. lib. 3.

Idem.

Idem.

Elice ex membr. immediatè sequētib.

MEMBRVM IV.

An in vna persona, vel in pluribus vnibilis sit diuina natura?

Viso, quod diuina natura non intelligitur vnibilis abstractis personis: consequenter est quæstio, vtrùm sit vnibilis in persona vna, vel in pluribus personis? Et quod in pluribus, videtur. Sicut creatio est opus trinitatis: ita recreatio, siue incarnatio; sed tota trinitas vniformiter se habet ad creationem: nec aliquid attribuitur vni personæ, quod non alij quantum ad opus creationis: ergo similiter opus recreationis toti trinitati attribuitur: nec magis debet attribui personæ filij, quam alij personæ: sed recreatio facta est per incarnationem; ergo diuina natura in tribus personis est incarnabilis siue incarnata.

Magister 3 Sent. 1. dist. 1. c. 3.

¶ Secunda ratio talis est: in 3. Sent. dicit Magister: quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus potuerunt incarnari; ergo potestas ad incarnandum fuit eis communis: ergo per aliquod commune ipsis. Sed nihil est commune in ipsis, nisi essentia; ergo essentia in patre, & filio & spiritui sancto potuit incarnari: ergo in pluribus personis potest fieri incarnatio.

¶ Item, quodcunq; esse habet diuina essentia in natura increata, potest habere in natura creata: cum potentia diuina (præcipuè quo ad suum esse) sit interminabilis. Sed in natura increata habet esse in tribus personis: ergo in natura creata potest esse diuina essentia in tribus personis; sed in natura creata est per incarnationem, siue per vnionem; ergo in tribus personis.

Membro immediatè præcedenti.

¶ Ad oppositum sic: Omnis vnio vel est in vnitate naturæ, vel in vnitate personæ. Si igitur diuina essentia vniatur in pluribus personis: vel hoc erit in vnitate naturæ, vel in vnitate personæ. Sed naturæ non: sicut ostensum est in alia Quæstione, deducendo ad inconueniens. Similiter nec personæ: quia vbi est pluralitas personarum, ibi non est vnitas personæ: quia vnitas & pluralitas personarum opponuntur. Si ergo vnio diuinæ naturæ cum humana terminatur ad vnitatem personæ; patet, quod non potest ei vniri in pluribus personis.

¶ Item, diuersas personas esse vnam eandemq; personam in vno eodemq; homine: hoc nequit intelligi: sicut dicit Anselm. quia ibi esset repugnantia intellectuum. Sed si diuina essentia intelligatur in pluribus personis esse vnibilis naturæ humanæ, esset tunc intelligere plures personas esse vnam: ergo cum hoc sit impossibile, & primum est impossibile. Media probatur sic scil. quod si diuina essentia vniretur in pluribus personis, intelligerentur personæ esse vna: inquantum illa natura, in qua fieret vnio trium personarum, intelligeretur vt in a homo, vel sicut indiuiduum, non vt species: vnde si trinitas personarum assumeret hominem, vel humanitatem; illa humanitas non esset communis vt speciei, sed vt indiuidui. Illud autem indiuiduum aut est persona, aut non: & cum sit rationalis naturæ indiuidua substantia: ergo est persona: ergo esset intelligere plures personas esse vnam: quod nequit secundum Anselm. Et hoc est, quod dicit Ansel. *Si homo vnus cum pluribus personis est vna persona, necesse est plures personas, quæ aliæ sunt, ad se inuicem esse vnam eandemq; personam.*

Anselm. lib. de Incarnatione verbi cap. 5. & lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 9.

¶ Item, impossibile est diuersarum personarum proprietatum eandem esse collectionem. Sed si plures personæ diuinæ assumerent vnum eundemq; hominem; esset diuersarum personarum proprietatum collectio: ergo illud est impossibile.

¶ Item, si pater, & filius & spiritus sanctus assumpsissent hoc indiuiduum Iesus: tunc quæcunq, esset proprietas e-

[illegible]

RESOLVTIO.

[illegible] tantum person[illegible] [illegible] humanam [illegible] incarnabilis.

Ansel lib. 2 loco allegato.

¶ R[illegible] Qu[illegible] [illegible] Anselm[illegible] [illegible] quod plures personæ non possunt [illegible] [illegible] est in vna persona v[illegible] [illegible] quod cum dicitur vnus & idem homo possit supponi vna & ea[dem] persona vel [illegible] est [illegible] & personam. Persona enim dicit con[illegible] distinctionem vel distinctionis proprietate dignioris: & inde est, quod nullo modo potest vnus & idem homo, qui sit persona vel assumptus in vnitate personæ, assumi a tribus personis: quia personalitas dignioris proprietatis non potest esse ex parte humanæ naturæ: nec etiam ex parte diuinarum personarum: cum sint tres personæ. Et ideo relinquitur, quod a tribus personis non potest assumi vnus & idem homo in vnitate personæ: sicut nec est possibile tres personas posse confundi. Si vero vnus & idem homo supponat indiuiduum scil. compositum hoc singulare ex anima & corpore: secundum hunc modum posset concedi: quod tres personæ possent assumere & communicare vnum & eundem hominem, vt indiuiduum. Cuiusmodi autem sit illa communicatio: non est hominis diffinire.

¶ Ad primum ergo obiectum dicimus: quod in creatione intelligitur vnum solum: & illud est actio: & habet se vniformiter ad totam trinitatem. Sed in incarnatione duo intelliguntur scil. actio & vnio. Quod ergo actionis est in incarnatione vniformiter se habet ad totam trinitatem, sicut & creatio: vnde sicut tota trinitas creat: ita tota trinitas operata est incarnationem. Sed præter actionem adhuc intelligitur vnio vel relatio ad carnem, ratione cuius super [illegible], non conuenit fieri in pluribus personis, sicut dictum est.

¶ Ad secundum dicendum: quod Magister loquitur [illegible] Senten. de potentia incarnandi secundum modum il[illegible] [illegible] concessus est.

¶ Ad tertium dicendum: quod illud, quod dicitur, si [illegible] habere, &c. [illegible] quid in ad aliquid: [illegible] quod dicitur in prima, quodcunq; esse, &c. [illegible] quid [illegible] est in tribus personis ad ali[quid] [illegible] quoniam dicit esse respectiuum relatum.

MEMBRVM V.

In qua persona diuina natura vnibilis sit humanæ.

POSTEA q[illegible] in qua persona diuina natura sit [v]nibilis hu[manæ] [illegible] [quær]untur hic duo. Primo, v[trum] patri, conu[illegible], sicut filio. & similiter v[illegible] [illegible] vtrum patri & spiritui san[cto] [illegible] quod eis non con[illegible]

ARTICVLVS I.

[illegible] ita patri [illegible] spiritui sancto incarnari conueniat.

A[illegible] [illegible] videtur, quod [illegible]

[illegible]

¶ I[tem] [illegible]

Idem.

[illegible]

¶ CONTRA Anselmum: Si quælibet alia persona incarnaretur, essent duo filij in trinitate, vnus scilicet Dei, [illegible] ante incarnationem filius [illegible] per incarnationem [illegible] filius virginis: & erit in personis inæqualitas secundum dignitatem natiuitatum.

Ansel. in lib. Cur Deus homo cap. 4.

¶ ITEM idem in eodem. Homo, pro quo erat oraturus, & Diabolus quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei per propriam voluntatem præsumpserant: vnde specialius quasi aduersus filium peccauerunt, qui vera similitudo patris creditur: illi itaque, cui specialius fit iniuria, conuenientius attribuitur culpæ vindicta aut indulgentia.

Idem in eodem.

¶ ITEM idem in eodem. Conuenientius sonat filium supplicare patri, quam aliam personam alij. Ergo magis conuenit incarnari filio, quam alij personæ. Et hæ sunt rationes Anselmus.

Idem in eodem.

¶ ITEM Hugo. Quia astutia vicerat, iustum fuit, vt non fortitudine, sed prudentia vinceretur, vt in eodem quo se victor erexerat victus sterneret, iuxta illud: Prudentia eius percussit superbum. Cum ergo prudentia attribuatur filio, potius conuenit filio incarnari.

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis par. 8. cap. 6. Iob 26.

¶ ITEM Augustinus: Conueniens non erat, vt pater ab alio mitteretur, qui ab alio non erat. Conueniens autem fuit, vt primo mitteretur filius, qui a solo patre est: deinde spiritus sanctus, qui est a patre, & filio. Primum filius venit, vt homines liberarentur: deinde spiritus sanctus, vt [illegible] beatificarentur.

August. de Trinit. lib. 4. cap. 24.

¶ ITEM Augustinus: Vt homines ex Deo nascerentur, primo ex ipsis natus est Deus: non quæsiuit in terra nisi matrem, quia iam habuit patrem in cælo: oportuit nos filios fieri per adoptionem per illum, qui est filius naturæ. Cum ergo ad hoc sit incarnatio, vt de filijs iræ efficiamur filij gratiæ: potius conueniens [illegible] filio incarnatio.

Idem in eodem.

RESOLVTIO.

Neutri, nec patri scil. nec spiritui sancto ita conueniens fuit sicut filio incarnari, & ratione appropriatorum & ratione propriorum.

¶ QVOD conced[imus].

¶ ET quod obijcitur de [illegible] incarnationi ad patrem ratione potentiæ & conuenientiæ [illegible] ad spiritum sanctum, non [illegible] [illegible] compet[illegible] patri & [illegible] enim conuenientia [illegible] appropriat[illegible] & [illegible] propri[illegible]. Conuenientia [illegible] quæ [illegible] secundum approp[illegible] patri, [illegible] filio, bonitas spiritui sancto. Conuenientia secundum propri[illegible] [illegible] propria patris, & filij, & spiritus sancti [illegible] [illegible] Fa[illegible] [illegible] priata, quæ sunt [illegible]

[illegible]

carnatio. Nam filio magis conuenit esse filium, quàm alijs. Et iterum sicut tangitur in genealogia. Luc. 3. quę incipit ab Adam, qui primo fuit filius per adoptionem: (Lucæ 3.) cùm ceciderit ab hac filiatione cum tota posteritate sua; oportet redire ad hanc per illum, qui ab æterno est genitus: & per illum regenerari.

¶ Qvod ergo dicitur à Ioan. Damasc. adeo dicitur, vt ostendatur, quod tota trinitas operata est incarnationem filij. Vnde ad hoc designandum fuit ibi, quod est summę potentiæ, summæ sapientiæ, & summæ bonitatis. Opus potentiæ, fuit ostensum in hoc: quod nouorum nouissimum fuit eleuatum in vnione cum deitate. Sapientiæ summæ opus fuit ibi ostensum: eò quòd decentissimè reconciliatio facta fuit: quia per Deum hominem facta fuit reconciliatio hominis ad Deum. Opus verò summæ bonitatis quantùm ad partem misericordiæ: eò quòd non despexit proprij plasmatis infirmitatem: quantùm verò ad partem iustitiæ: eo quòd idem fuit vincens, qui ante fuerat victus: & qui ante fuerat vincens, fuit postea victus. Et ideo dicit Ioan. Damasc. quòd monstrantur simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & potentia Dei. (Damasc. lib. 3. cap. 1.)

ARTICVLVS II.

An possibile fuerit patrem, vel spiritumsanctum incarnari, sicut & filium.

Svpposito, quod patri & spirituisancto non congruat incarnari: vlteriùs est quæstio, Vtrùm sit possibile patrem & spiritum sanctum incarnari; sicut filium. Ad quod sic obijcitur. Eò dicitur res imago, quò in ea est similitudo expressa: ergo cum expressior similitudo respectu trinitatis sit in homine, quàm in cæteris creaturis: rectè debet homo esse imago trinitatis: & non cæteræ creaturæ. Sed eò est res vnibilis alij quò est similitudo eius expressa: ergo eò est res vnibilis alij, quò est eius imago. Si ergo homo æquè est imago totius trinitatis: ergo æquè vnibilis est homini quælibet persona diuina: ergo possibile est patrem & spiritumsanctum incarnari, sicut filium.

¶ Item, cum charitas, quæ attribuitur spirituisancto, sit ratio ad incarnationem: eidem attribuenda est incarnatio, potius quàm filio: vnde. *Quòd in ea natum est*, &c. (Matth. 1. Glossa.) Gloss. *Sola charitas fecit filium incarnari.* Sed charitas attribuitur spiritui sancto: ergo, &c.

¶ Ad oppositum dicit Anselmus: *Quodlibet inconueniens Deo sequitur impossibile.* (Ansel. in lib. 1. Cur Deus homo c. 20.) Sed si alia persona quàm filius incarnaretur sequeretur inconueniens Deo: ergo impossibile est aliam personam quàm filium incarnari. Media patet. Inconueniens enim est Deo, quod sit confusio dignitatis personarum: sed si pater incarnaretur, esset in Deo confusio dignitatis personarum: quia tunc necessariò pater diceretur esse filius: & ita pater & filius confusam haberent nominationem. Non ergo maneret temporaliter distinctio personarum, sicut æternaliter.

¶ Item; soli filio conuenit esse filium: patri verò & spirituisancto disconueniret esse filium: quia ex hoc sequeretur confusio proprietatum. Si ergo quælibet disconuenientia in diuinis est impossibilis: ergo impossibile erat patrem vel spiritum sanctum incarnari, seu filium hominis fieri.

RESOLVTIO.

Secundum posse absolutum potuit vterque, & pater videlicet, & spiritus sanctus incarnari, sed non secundum posse congruentia.

¶ Respon. Dicendum quod est posse diuinum dupliciter scilicet posse absolutè: & hoc modo dicitur 3. Sentent. quælibet persona potuit incarnari. (3. Sent.) Et est posse de congruentia: & hoc modo soli filio conuenit incarnari.

¶ Ad primum ergo dicendum, secundùm quod dicit Augustinus: (August.) Est solùm imago non ad imaginem; sicut filius in diuinis, qui est imago patris, & non factus ad imaginem. Et est imago ad imaginem: sicut homo, qui est imago, id est, similitudo expressa: & est ad imaginem scilicet exemplar diuinum. Et aliquid est ad imaginem tantum, & non imago: sicut irrationalis creatura: quia non est similitudo Dei expressa, & tamen est facta ad exemplar diuinum, & in esse deducta. Homo ergo gerit in se similitudinem diuinam expressam. Et hæc expressio potest esse quantum ad potentiam: vel quantum ad essentiam, & naturam. Quantum ad potentiam, sicut dicit Augustinus: quod in superiori parte animæ scilicet (Idem lib. 10. de Trinit. cap. 10. & 11.) mente est homo imago trinitatis, quantum scil. ad potentias: quæ sunt intelligentia, memoria, voluntas. Secundum hoc dico, quod homo est æquè imago trinitatis totius. Vel potest esse illa expressio quantum ad essentiam & naturam: & secundùm hoc non dicitur homo æquè esse imago totius trinitatis, sed magis filij; quia homo secundùm essentiam est ens ab alio, & ab eo alius: habet ergo potestatem producendi ex se personam. Pater enim est ens non ab alio, à quo est alius: spiritus sanctus est ens ab alio vel alijs: non tamen ab ipso alius: filius est ens ab alio: & à quo alius. Homo igitur secundùm proprietatem personæ non configuratur patri: in quo non inuenitur, quod sit ens ab alio: similiter nec spirituisancto: quia non inuenitur quod ab ipso scil. spiritu sit alius: sed hoc totum inuenitur in filio. Et ideo magis competit, quod sit vnio secundùm configurationem ad proprietatem personæ filij: quam secundùm configurationem ad proprietatem personæ alterius.

¶ Ad aliud dicendum: quòd in incarnatione duo sunt, scilicet actio & relatio. Si ergo loquamur de actione: dico quod illa conuenit toti trinitati: quia tota trinitas fecit incarnationem. Tamen secundùm appropriationem, secundum quod dicitur, quod potentia attribuitur patri, sapientia filio, bonitas vel charitas spirituisancto: dicendum quod magis attribuitur illa actio incarnationis spirituisancto, quam alteri personæ: quia amor fuit quasi motiuum Dei ad incarnationem scilicet ne periret genus humanum: amor verò attribuitur spirituisancto: & ideo dicitur quòd Christus natus est, & conceptus est de spiritu sancto. Sed ratione relationis dico, quod soli filio debet attribui incarnatio: quia quantum ad vnionem magis inuenitur configuratio naturæ humanæ ad personam filij, quàm ad aliquam aliam personam.

MEMBRVM VI.

An humana, vel angelica natura vnibilior sit diuinæ naturæ?

Postea quæritur de vnibilitate ex parte humanæ naturæ: cùm habitum sit de ea ex parte diuinæ naturæ. Et primò quæritur de ea per comparationem ad naturam angelicam: quæ scilicet natura sit vnibilior diuinæ naturæ: vtrùm humana, vel angelica.

¶ Ad quod sic. Isidorus: *Quantò subtilior est natura: tantò pleniùs assistit ad similitudinem diuinæ vnitatis expressa.* (Isidor. in lib. de trinit.) Sed natura angelica subtilior est quam humana: ergo magis est ad similitudinem diuinæ naturæ quam humana: si ergo eò est vnibilitas, quò similitudo: natura Angelica magis est vnibilis diuinæ naturæ, quam humana.

¶ Item, Angelus simplicior est quam anima: quia Angelus siue intelligentia est substantia spiritualis, corpori non vnibilis. Sed anima rationalis licet sit substantia spiritualis: corpori tamen est vnibilis: ergo est compositioris naturæ, quam Angelus: ergo dissimilior est diuinæ simplicitati & magis distans ab ea quam angelus: ergo minus est vnibilis diuinæ naturæ.

¶ Ad hoc respōdet quidam: quod angelus non est adeo vnibilis diuinæ naturæ sicut homo: quia homo in se repręsentat

totalitatem diuini exemplaris: Angelus autem non. Quod patet: quia in exemplari est reperire rationem vel ideam naturæ corporalis & spiritualis: quia est exemplar rei corporalis & spiritualis. Sed in Angelo est tantùm natura spiritualis, in homine verò est natura corporalis & spiritualis: & ita homo exprimit totam rationem diuini exemplaris, angelus autem non. Et ideo magis est vnibilis quam Angelus.

Dionys. in lib. de diuinis nominibus c. 4.

¶ CONTRA Dionys. *Angelus est & imago & manifestatio non apparentis luminis, & speculum, &c. totam (si possibile est) recipiens speciem.* Et appellat ibi *speciem* formam exemplarem scil. sapientiam diuinam: quam ipse Angelus recipit secundùm possibilitatem suam: sicut speculum recipit speciem rei. Ergo Angelus est magis vnibilis secundùm totalitatem exemplaris, quam magis repræsentat, quam homo.

Eccles. 1.

¶ ITEM, *Primò omnium creata est sapientia*: Hoc non potest intelligi de sapientia increata, quia ipsa non est creata: ergo hoc intelligitur de natura angelica, quæ dicitur esse sapientia. Sed quòd primum omnium creatum est, immediatius se habet ad principium: & quod immediatiùs se habet ad ipsum, vnibilius est ipsi: ergo Angelus cum immediatiùs se habeat ad ipsum, vnibilior est diuinæ substantiæ in naturam, quam homo: quia est spiritualior & simplicior: ergo quantum est ex parte naturæ; angelus est vnibilior. Similiter & quantum est de ratione personæ, quia compositior est ratio personæ in homine, quam in angelo: quia in angelis attenditur distinctio personalis quantum ad qualitatem tantum, in homine verò quantum ad originem & qualitatem, sicut dicit Richardus: Origine enim differt vnus homo ab alio, quia vnus est ab alio. Quantitate secundum proprietates consequentes essentiam: cuiusmodi sunt accidentia communia vel propria. Sed angelus ab angelo non differt origine, quia vnus Angelus non est ab alio. Ergo cum in diuinis sit ratio personæ quantum ad distinctionem illam, quæ est origine solùm, in homine secundum vtrumque modum, patet quod distinctio personalis in angelo simplicior est, & magis accedens ad distinctionem personalem in Deo quàm in homine: ergo Angelus est vnibilior diuinæ substantiæ quantum ad rationem personæ & naturæ.

Richar. de S. Victore in lib. de trinitate.
* Alias, qualitate secundū, &c.

August. in lib. de spiritu & anima.

¶ ITEM Augustinus: *Eò anima imago est, quò Dei capax & particeps esse potest, capax per intellectum, particeps per affectum.* Ergo si Angelus secundum vtramque potentiam & cognoscitiuam & motiuam siue affectiuam, magis est eius capax & particeps, ergo & magis est eius imago, ergo vnibilior.

Idem in eodem.

¶ ITEM Augustinus: *Anima secundùm mentem est habens imaginem Dei in potentia cognoscendi, & similitudinem in potentia diligendi.* Sed hæc duo magis reperiuntur in angelo: ergo ratio imaginis est magis in ipso, ergo est vnibilior.

Idem de Trinit. lib. 10. c. 11.

¶ ITEM, Augustinus: *Eò anima imago Dei est, quò meminit, intelligit, & diligit eum; à quo facta est.* Sed isti actus magis reperiuntur in angelo: ergo est magis imago quam anima humana: ergo est vnibilior.

August. in serm. 17. de imagine.

¶ AD oppositum verò sic. Augustinus: *Nulli aly creaturæ dedit Deus quod sit imago, quam homini*: ergo non angelo. Si ergo imago est expressa similitudo: nulli alij dedit, quod esset expressa similitudo quam homini: sed expressam similitudinem sequitur vnibilitas: ergo nulli alij creaturæ quam homini dedit, quod esset Deo vnibilis.

RESOLVTIO.

Humana natura vnibilior est diuinæ naturæ, quàm angelica: quia ei secundùm plura similior.

Idem in eodem.

¶ RESPONSIO. Dicendum: quod similitudo creaturæ rationalis ad Deum secundùm plura est in homine, quam in angelo. Est enim similitudo in natura, in persona, in potentia. In natura: quia (sicut dicit August.) sicut Deus vbiq; totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans: sic anima vbiq; in suo corpore tota viget, mouet, & gubernat: quod non conuenit angelo, cum non sit substantia viuificando corpori attributa. Item, in homine est similitudo in persona: quia in homine est ratio personalis secundum ordinem originis, quia homo est ab homine: sicut in diuinis Deus à Deo: Angelus autem non est ab angelo. Item in homine est similitudo in potentia: quia in homine est potentia respondens totalitati exemplari, secundùm quod ait August. *Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnium similitudines in se gerit.* Cum enim in diuino exemplari sit ratio esse corporalis, & esse spiritualis: inuenitur in anima & in homine vtrumque, corporale & spirituale esse & posse: & potentia ad corpus in anima, & potentia in se abstracta: quod non inuenitur in angelo. Ex his ergo patet, quod natura humana est vnibilior diuinæ, quam angelica.

Idem.

¶ AD primam autem rationem sumptam ex authoritate Isidori. Dicendum, quod contingit considerare diuinam essentiam absolutè, hoc est, non prout est causa, neque prout est in personis. Vel contingit considerare ipsam non absolutè, siue vt abstractam, sed prout est causa, & prout est in habente eam: hoc est in re naturæ, siue in personis. Primo modo secundùm quod consideratur vt abstracta: dicendum quod ipse angelus magis exprimit diuinam vnitatem, & magis existit ad similitudinem diuinæ vnitatis: quia ratione maioris simplicitatis magis accedit ad naturam vnibilitatis diuinæ: prout sic consideratur diuina natura. Si autem consideretur diuina essentia vt causa, & prout non est abstracta à personis: sic homo magis exprimit similitudinem ipsius quam angelus: quia sicut dictum est: homo est magis repræsentatiuus causæ exterioris diuinæ quam angelus. Item, sicut dictum est:* ratio personalitatis vt est in Deo, magis exprimitur in homine, quam in angelo. Determinatum est superiùs, quod diuina essentia prout consideratur penitus vt abstracta à personis, non intelligitur esse vnibilis: sed solum prout consideratur in re naturæ, siue in personis: & ideo à parte illa, qua angelus magis exprimit similitudinem illius; non est vnio cum diuina natura: sed solùm à parte illa, qua homo eius similitudinem magis exprimit: & ideo natura humana est vnibilis Deo, & non angelica.

* Quæstio. 2. Membr. 1. Artic. 3.

¶ AD secundum dicendum: quod non valet, natura humana est compositior quam angelica: ergo minus vnibilis. Instantia: corpus simplex sicut elementum propter naturam simplicitatis magis accedit ad naturam animæ quam corpus compositum siue elementatum: ergo magis est animale: istud non sequitur, immò oppositum. Anima enim quia simplex est; ideo exigit corpus compositum: quia quantò aliquid simplicius est in natura: tantò multiplicius in virtute: cum ergo anima sit forma simplex, immò simplicissima inter formas creatas vnibiles: patet, quod ipsa est multiplex in virtute, & diuersarum operationum principium: ita quod eius actiones non sunt vnius modi: cum plures habeat vires. Et ideo cum per corpus operetur: necesse est, vt ei respondeat corpus compositum & diuersarum naturarum, sicut elementatum; & non vnius naturæ, cuiusmodi est elementum: quia per illud non operatur nisi vno modo. Requiritur ergo corpus elementatum organizatum: vt quælibet vis animæ operans per organum, operetur per organum sibi proportionabile. Sic ergo ex parte ista dicendum: quod cum diuina essentia sit simplicissima: licèt corpus humanum sit compositum: poterit tamen fieri vnio naturæ humanæ cum diuina: sicut corporis compositi cum anima simplici. Vnde non sequitur: est compositior humana natura, ergo minùs vnibilis.

¶ AD tertium, quòd obijcitur ex authoritate Dion. Dicendum, quod exemplar diuinum exprimitur in creatura dupliciter. Vel quantum ad cognitionem: vel quantum ad esse. Quantum ad cognitionem dupliciter scil. actu, vel potentia. Dico ergo quod quantum ad cognitionem actu exprimitur in angelo exemplar diuinum: quia angelus cognoscit per similitudinem omnem creaturam sibi inditam à causa exemplari à creatione sua: similiter anima hoc habet quantum ad potentiam. Sed secundùm viam essendi maior est expressio diuini exemplaris in homine,

quam in Angelo: quia homo habet similitudinem cum omni creatura scil. corporali, & spirituali, quarum rationes sunt in exemplari diuino: quod non habet Angelus. Et ita homo est vnibilior: cum secundum viam essendi magis exprimat similitudinem exemplaris diuini.

Eccles.1. ¶ AD aliud de Ecclesiastico, quod objicitur: *quod primo omnium creata est sapientia.* Dicendũ quod creatura dupliciter ordinatur ad Deum scil. vt à quo est; & vt ad quem est. Secundum ergo illum modum, quo ordinatur creatura ad Deum vt à quo est; non est vnibilis creatura creatori: quia vnio habet esse secundum accessum, & non secundum recessum: secundum autem hunc modum recedit creatura à creatore: & secundum hoc procedit illa ratio. Sed secundùm quod ordinatur ad Deum vt ad finem, sic accedit. Et secundùm istam viam magis accedit anima ad Deum, quam Angelus quò ad hoc: quoniam homo est vltima creatura, & vltima in ordine vniuersi, & finis aliarum creaturarum: quod non Angelus: & ita vnibilior, quia magis accedens.

¶ AD aliud, quod objicitur: quod homo minus assimilatur cum Deo in natura & persona, quàm Angelus. Iam patet hoc esse falsum: quia quantum ad naturam homo assimulatur simpliciter: & similiter quantum ad personam. Et si objiciatur: quod compositior est ratio personalis in homine, quàm in angelo: & ita minus vnibilis. Dicendum, quòd non: quia illa ratio personalis in angelo non assimilatur rationi personali in Deo: immò magis quasi tenet naturam oppositionis: sed in homine assimilatur ratio personalis rationi personali in Deo. Qualitas etiam & origo solum faciunt distinctionem in personis: sed in diuina natura est persona secundùm rationem originis, & non qualitatis: quia qualitas dicitur ibi forma singularis: vna autem est singularis diuinitas: & eadem est in tribus personis. In angelis autem est distinctio personalis secundùm qualitatem solum: quia vnus forma sua singulari differt ab alio angelo: in homine autem est vtroque modo. Et ita ratio personalis in Deo & in Angelo magis se habet modo opposito, quàm in homine & Deo: nec impedit (vt dictum est) compositio vnionem.

¶ AD aliud, quod objicitur, quod maior capacitas & participatio Dei est in angelo quàm in homine. Dicendum, quod ista capacitas penes cognitionem in angelo est maior capacitas & participatio, quam in homine: quantum est de natura conditionis: sed hæc non est causa sufficiens vnibilitatis.

¶ AD aliud dicendum: quod imago dicit similitudinem expressam: expressio aũt similitudinis attenditur nõ solum secundum comparationem vnius partis: sed totius ad id, cuius imago est. Quia ergo homo secundùm comparationem totius ad Deum magis est in *imaginatione, quam Angelus: prout supradictum est: ideo & magis, & veriùs est imago quam Angelus: quamuis Angelus secundum partem comparatus ad Deum (sicut objiciebatur) posset dici similior. Aug. verò determinat imaginis rationem in homine in illa authoritate secundum partem, non secundùm totum esse hominis.

*Alias, imitatione.

August.

¶ AD aliud dicendum: quod isti actus scil. meminisse, intelligere, & diligere eum, à quo creatura rationalis est facta: possunt esse dupliciter. Vel in potentia ad meminisse, & cognoscere, & diligere Deum in sua natura, id est, in natura creaturę: in qua ipsa facta est: & hoc modo isti actus magis conueniunt homini: & magis sunt in homine per imitationem ad Deum quam in Angelo: quia cognoscet Deum in sua natura sc. humana. Vel potest esse in alia natura, in qua rationalis creatura non est facta: & hoc modo magis conueniunt Angelo. Quia verò imago attenditur, secundum quod ista attenduntur in maiori conformitate: primo autem modo maior est conformitas: ideo homo secundùm hoc erit magis imago quam Angelus: cum sit natus id meminisse, & intelligere, & diligere Deum in sua natura, quæ humana est: & vnitum suæ naturæ. vnde Iob 19. In carne mea videbo Deum saluatorem meum.

MEMBRVM VII.

An natura vniuersi vnibilior sit diuinæ, quàm humana natura.

POSTEA quæritur de vnibilitate humanæ naturæ ad diuinam per comparationem ad creaturam, sicut ad vniuersum: & quæritur: vtrùm vnibilior sit natura vniuersi Deo, quam humana: vel minùs. Et quod magis sit vnibilis natura vniuersi diuinæ, quam humana natura videtur. Effectus vniuersalis magis assimilatur causæ vnibili, quam effectus particularis. Sed Deus est causa vnibilis: vniuersi verò effectus vnibilis est, & homo effectus particularis: ergo magis assimilatur vniuersum Deo, quam homo. Sed maiorem assimilationem sequitur maior vnibilitas: ergo vniuersum magis vnibile est Deo, quam homo.

¶ ITEM ad idem: triplex est mundus scil. archetypus: de quo dicit Boëtius: *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens iste est mundus intelligibilis.* Item est mundus sensibilis: vel sensualis: & iste est duplex, scil. maior & minor: maior est vniuersum: & dicitur vniuersum continentia rerum corporalium, & spiritualium: minor verò est homo: & ideo dicitur homo omnis creatura: quia homo habet conuenientiam cum omni creatura. Sed minor mundus magis elongatur à mundo archetypo: & minus accedit ad ipsum, quam maior mundus: cum dicatur diminutiuè respectu maioris mundi. Ergo maior mundus, qui dicitur vniuersum, immediatiùs se habet ad mundum archetypum, quam mundus minor, qui dicitur homo: ergo vnibilior est mundus cum ipso Deo, siue mundo archetypo: quod idem est: quam minor mundus, qui est homo. Boet. in 4. de Consol. Poesi 9.

¶ ITEM, bonum perficitur bonitate: ergo bonum particulare, perficitur bonitate particulari: & bonum vnibile vnibili bonitate. Ergo cum homo sit bonum particulare, perficitur particulari bonitate: & cum vniuersum sit bonum vnibile (quia habetur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*) In vniuerso erant valde bona: ergo vniuersum perficitur bonitate vniuersali. Sed summa bonitas est bonitas vniuersalis: ergo magis cõpetit, quod vniatur summa bonitas, quæ est Deus, vniuerso: & vniuersum cum illa, quam homo. Genes.1.

¶ AD oppositum sic. Magis assimilatur effectus vnibilis vnitus causæ vnibili, quæ est vnitas: quam effectus vnibilis multiplicatus. Si ergo homo est effectus vnibilis, & vnitus (omnes enim naturæ vniuntur in homine) rerum verò vniuersitas est effectus vnibilis multiplicatus, siue non vnitus: causa verò vnibilis, quæ est Deus, est vnitas: ergo magis accedit ad illam homo, quam vniuersum: ergo magis est vnibilis illi.

¶ ITEM: rei, quæ est simplex, & vna natura; magis assimilatur quod est compositum, & vna natura, quam quod est compositum, & plures naturæ, propter duplicem oppositionem. Sed vniuersum dicit compositum, & plures naturas: homo verò compositum, & vnam naturam, quæ est *humana (quia natura corporalis, & spiritualis in homine reducuntur in vnitatem tertiæ naturæ) ergo Deo magis assimilatur homo, quam vniuersum: ergo ei est vnibilior. * Alias humanitas.

¶ ITEM, mundus factus est propter hominem, secundum quod dicit Origenes, & homo propter Deum. Si ergo rerum vniuersitas ad hominem ordinatur, & per hominem ad Deum; immediatiùs, & propinquiùs se habet homo ad Deum, quam vniuersum: ergo, &c. Origenes.

RESOLVTIO.

Nedum natura vniuersi vnibilior non est Deo natura humana: quinimmò nullatenus illi vnibile est. Quippe cum effectus multiplicatus sit, ei causæ simplicissimæ vniri nec debet, nec potest.

¶ RESPON. Concedendum est, quod vniuersum non est vnibile Deo, sed homo: quia effectui multiplicato non debet vniri vnitas causæ simplicissimæ: nisi reducatur in vnitatem naturæ.

¶ AD

¶ Ad primum dicendum: quòd magis assimilari dicitur dupliciter, scilicet quantitatiuè, & qualitatiuè. Quantitatiuè, hoc est in pluribus: sic concedo, quòd effectus vniuersalis magis assimiletur causæ vniuersali, quàm particulari; quia plus multiplicantur causæ vniuersalis effectus in illo effectu: Sed plus qualitatiuè, falsum est, immò sic plus assimilatur homo Deo: quia & si homo sit effectus particularis secundùm se: nihilominus est effectus vniuersalis, inquantum quasi conflatur ex omnibus naturis: quia verò est effectus vnitus, magis qualitatiuè vnitati assimilatur, quæ est Deus.

¶ Ad secundum dicendum, quòd similitudo mundi archetipi potest dupliciter repræsentari in mundo sensibili, vel magis diffusè, vel magis expressè. Si magis diffusè, sic magis repræsentatur in vniuerso. Magis verò expressè repræsentatur in homine, in quo repræsentatur vnitas in natura, & secundùm modum personæ filij Dei, qui dicitur mundus archetipus.

¶ Ad vltimum iam patet solutio ex dictis. Nam bonũ in vniuerso est multa re; quamuis vnum ordine: bonum verò, quod est humana natura, est vnum re & ordine. Vnde bonum in vniuerso non est vnibile indiuisibili vnitati, quæ est diuina natura, sed bonum humana natura.

MEMBRVM VIII.

An humanitas assumpta à Verbo debuit esse nostri generis.

CONSEQVENTER est quæstio, Vtrùm humanitas assumpta debuit esse nostri generis. Quod nõ, videtur: Oportuit, quòd ille homo, qui debuit satisfacere pro peccato omnium, maximè esset elongatus à peccato, nec haberet conuenientiam cum peccato. Sed magis est elongatus à peccato, qui nec habet rem peccati, nec similitudinẽ carnis peccati, quam qui habet aliquod istorum, ergo ille debuit esse talis: qui nec haberet rem peccati, nec similitudinem carnis peccati. Sed non poterat ille homo nostri generis, quin haberet similitudinem carnis peccati, ergo homo ille; cui vnitus est Deus, non debuit esse nostri generis, siue de genere Adę: sed debuit esse de nouo creatus, & esse alterius generis.

¶ Ad oppositum sunt rationes Anselm. quarum prima est talis: Si nouum hominem facit non ex genere Adæ, nõ pertinebit ad genus humanum, quare non debuit satisfacere pro eo, quia non venit de illo. Sed sicut iustum est, vt pro culpa hominis homo satisfaciat: ita iustum est, vt ille, qui satisfacit, sit idem, aut eiusdem generis cum eo, qui fecit peccatum: aliter nec Adam, nec aliquis satisfaceret pro se. Si ergo oportet, quòd satisfactio sit ab illo, qui debet satisfacere, necesse est, quòd ille homo sit nostri generis, & non alterius. *Anselm. lib 2. Cur Deus homo, cap 8.*

¶ SECVNDA ratio Ansel. talis est: Adam & totum genus humanum per se stetisset sine sustentatione alterius creaturæ; si non peccasset, ergo si oportet, quòd idem genus resurgat, quod cecidit: oportet quòd per se & resurgat & releuetur, quia per se stetisset. Sed si ille homo esset alterius generis quàm de genere Adæ: non resurgeret per se genus humanum; quia non surgeret per aliquem sui generis: ergo, &c.

¶ TERTIA ratio Ansel. Si Adam non peccasset, nõ indigeret aliquo releuante, nec aliquo sustinente: & hæc erat dignitas hominis constituti ante peccatum. Si igitur reparatio debet esse ad illam dignitatem rehabendam: oportet quod ipse releuetur non per aliquem, qui nõ sit sui generis: aut non perueniet ad pristinam dignitatem.

RESOLVTIO.

Vt merens demerenti, & satisfaciens peccanti æquè respondèrent; humanitas assumpta à Verbo alterius generis esse non debuit, quàm nostri.

QVOD concedendum est. Et respondendum ad obiectum: quòd similitudo carnis peccati, prout dicitur in Christo; est cum summa elongatione à peccato. Quia non dicitur hoc propter similitudinem, quæ sit in culpa, sed propter similitudinem, quæ est in pœna: quæ quidem in nobis est pœna pro peccato. In Christo verò est contra omne peccatum, quia assumpta fuit pœna à Christo ad satisfactionem & emendationem nostri peccati. Ratio autem prædicta currit, ac si diceretur similitudo peccati ratione culpæ peccati, non ratione pœnæ, quæ est assumpta ad emendationem peccati.

MEMBRVM IX.

An homo assumptus à Verbo debuit esse Adam?

DEINDE quæritur, Vtrùm ille homo debuit esse Adam? Quòd sic, videtur. Ab Apostolo habetur: *Nos peccauimus in Adam peccante:* ergo debemus satisfacere in Adam satisfaciente. Si ergo deberet satisfacere, & Deus potest, ille homo maximè debet esse Adam: ergo ille, qui satisfacit, debet esse Deus homo Adam. *Rom. 5.*

¶ Ad idem: Oportet de iustitia, quòd ille, qui debet, satisfaciat: quia maximè ille idem numero qui obligauit ad debitum, debet ipsum soluere. Sed ille fuit Adam, ergo Adam debet satisfacere, & Deus potest: ergo Deus homo Adam debet satisfacere.

¶ ITEM, si Adam non peccasset, erat in statu & dignitate, quòd transfudisset iustitiam, id est, naturalem rectitudinem toti suæ posteritati: sicut transfudit eis iustitiam originalem post peccatum. Sed reparatio est ad rehabendam pristinam dignitatem: ergo necesse est, quòd Adam restituatur in illam pristinam dignitatem; vt transfundat iustitiam omnibus filiis suis, vel non erit reparatio Adæ perfecta, & hoc non potest esse nisi ipse sit Christus. Ille igitur homo, quem Deus assumit, erit Adam; aliter non restituetur in dignitatem pristinam.

¶ Ad oppositum sic. Anselmus dicit: *Quodlibet inconueniens Deo sequitur impossibile.* Sed si ille homo, cui vnitur Deus, esset Adam sequeretur incõueniens Deo, ergo impossibile est, quòd ille homo sit Adam. Media patet: nam si ille homo esset Adã, sequeretur quod proprietates, quæ conueniunt Adæ, conuenirent illi homini: ergo esset dicere de illo homine sicut de Adam quod peccauit. Sed ille homo est Deus: & proprietates quę conueniunt illi homini, conueniunt filio Dei, cui vnitur: ergo cùm sit dicere de illo homine, quòd peccauit, erit dicere quod filius Dei peccauit, quod impium est dicere: quia à Deo quicquid enorme est, remouetur: & quicquid est laudabile, in ipso intelligitur. Sicut ergo Deus non potest esse qui peccauit; nec Adam ille, qui non peccauit: ita impossibile est quod iste homo sit Adam. *Ansel. li. 1. Cur Deus homo, ca. 20.*

RESOLVTIO.

Vt non cogamur fateri, filium Dei esse peccatorem: prorsus negandum est, hominem à Verbo assumptum debuisse esse Adam.

¶ RESPONSIO. Concedendum, quòd ille homo assumptus à filio Dei, per quem debet fieri satisfactio, non debuit esse Adam, quia tũc esset dicere de filio Dei, quod esset peccator.

¶ Ad primum dicendum, quod non sequitur: quòd Adam potuit transfundere iniustitiam originalem in sua posteritate, quod ipse posset satisfacere. Et hoc est, quia in peccato Adæ fuit reatus personæ, & naturæ corruptio: quia si seruasset obedientiam, remuneratum fuisset personæ suæ, & naturæ in posteritate sua: per transgressionem verò præcepti punitus fuit in persona sua, & natura: quia cùm tota humana natura esset in Adam, poterat illam totam corrumpere, corrumpendo suam personam. Et propter hoc omnes filij Adæ sunt rei: sicut dicit Apostolus, Roman. 5. In quo omnes peccauerunt, &c. Sed ipse non potuit naturam restituere, quia Adam fuit res naturæ suæ, & fuit singulare hominis. Singulare autem hominis nunquam est principium suæ naturæ ad esse, sed solùm ipse Deus, qui creauit naturam: quamuis singulare possit esse principium suæ naturæ ad non esse, siue ad non benè esse. Sed quod nõ est principium ad esse, nec

 est prin-

eſt principium ad reparationem eſſe, ideo Adam non potuit reparare naturam humanam, nec omnes alij poſſent propter eandem impotentiam. Oportuit ergo quod reparator humanæ naturæ eſſet principium illius, & de genere illius, ſicut oſtenſum eſt. Sed principium iſtius eſt Deus, res illius generis eſt homo, ergo reparator humanę naturę debuit eſſe Deus homo, & non Adam.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd eſſet iniuſtitia & inconueniens, ſi ille homo eſſet Adam: quia cùm non poſſit ſatisfacere niſi Deus, & vnitus homini, ſequeretur quòd Deus eſſet vnitus cum homine peccatore in vnitate perſonæ, quod eſſet abſurdū dicere. Et ideo oportuit aſſumere naturam humanam mundā, & immunem ab omni peccato.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd Adam reparatur ad maiorem dignitatem, quàm prius habuit: quia ſi hoc fuit dignitas in Adam, quod debuit transfundere iuſtitiam in omnes poſteros ſuos, certè hoc erit maximè dignitatis, quòd ille qui eſt principium Adæ, erit filius Adæ: quod fortè non fieret, ſi non peccaſſet. Vnde ad maiorem dignitatem reparatur per incarnationem, quàm prius habuerit, cum principium totius naturæ & totius iuſtitiæ ſit filius Adæ. Et propter hoc oportet, quòd ipſe Deus ſit homo de genere Adæ, & non Adam; ſed de filiis Adæ: quia in hoc datur Adæ ſumma & ſuprema dignitas per reparationem. Iam igitur habemus, quòd ille homo debet eſſe de genere Adæ, & non debet eſſe Adam.

MEMBRVM X.

An homo aſſumptus à Verbo de Adam, debuit educi per viam generationis.

CONSEQVENTER quæritur, Vtrùm conueniat, quòd ille homo ſit de Adam per viam generationis. Quòd ſic, videtur: Vbi eſt morbus, ibi debet adhiberi medicina. Si ergo morbus humanæ naturæ eſt maximè in via generationis, quia transfunditur culpa originalis, ergo caro Chriſti, quæ eſt medicina morbi iſtius, debet educi per viam generationis, vt medicina ponatur in loco morbi.

¶ Ad oppoſitum ſic: Non conuenit, vt caro immunis ab omni peccato, & quæ aſſumitur in ſatisfactionem pro peccato, & cui debet vniri diuinitas, quod educatur per viam, per quā transfunditur peccatum. Sed per viam generationis humanæ transfunditur peccatum originale in poſteros ab Adam, relinquitur ergo quod caro Chriſti nō educetur per viam generationis humanæ.

RESOLVTIO.

Nequaquam: ſed per deciſionem corpulentam ſubſtantiæ, ſpiritus ſancti gratia & operatione.

¶ QVOD concedendum eſt.

Auguſt. ¶ ET ad illud, quod obiicitur, reſpondendum ſecundùm Auguſtinum, quòd in generatione humana duo attenduntur: ſubſtantia corpulenta, & ratio ſeminalis; Subſtantia corpulenta eſt quaſi materiale, ratio ſeminalis eſt quaſi formale. Et ſecundùm rationem ſeminalem, quam comitatur concupiſcentia, & originalis culpa; eſt transfuſio originalis peccati, non ſecundùm ſubſtantiam corpulentam. Vt ergo caro Chriſti medicina ſit, neceſſarium eſt vt penitus libera ſit à morbo concupiſcentiæ: & ita quod non educatur ſecundùm rationem ſeminalem. Et vt loco morbi apponatur ipſa medicina: conuenit, vt educatur per deciſionem corpulentam ſubſtantiæ, quæ deciſa eſt à corpore glorioſæ Virginis. Conuenit ergo vt in generatione Chriſti de Adam educatur ſola ſubſtantia: ratio verò educendi ſit non natura ſeminalis, ſed gratia & operatio ſpiritus ſancti.

MEMBRVM XI.

An caro Chriſti de viro & fœmina ſimul educi debuit.

DEINDE quæritur, Vtrùm conueniens fuerit eductio carnis Chriſti de viro & muliere. Ad quod ſic arguit

Anſelm. Anſelmus, dicens: *Non eſt multo labore, vt oſtendatur; quia mundiùs & honeſtiùs procreabitur ille homo de ſolo viro vel fœmina, quàm de commixtione vtriuſque, ſicut omnes filij hominum*: ergo & conuenientius eſt, vt ille homo procreetur de ſolo viro & muliere, quàm de viro & muliere per commixtionem.

¶ Ad oppoſitum ſic: dicit Ioan. Damaſc. quòd *ſpiritus ſanctus præuenit in virginem, & purgauit ipſam; tradens ei virtutē generatiuam verbi Dei*. Sed ſimiliter poſſet ſpiritus ſanctus præuenire in viro & muliere, & purgare eos; ita quod ſine aliqua immunditia generarent: ſicut eſſet, ſi Adam non peccaſſet: ergo conueniens fuit, vt educeretur de viro & muliere, ſicut alio modo. Damaſ. li.4.c.13.

¶ ITEM, principium corruptionis fuit per virū & mulierem, ſcilicet Adam & Euam: ergo conuenit, quòd principium reparationis ſit ex viro & muliere.

RESOLVTIO.

De fœmina tantùm: ſicut de ea ſolùm peccatum & cauſa noſtræ damnationis ſumpſit exordium.

¶ SOLVTIO. Ad primum dicendum, cùm duplex ſit aduentus: primus in incarnatione, ſecundus in generali reſurrectione, & duplex ſit corruptio ex originali peccato, ſcilicet corruptio naturæ, & corruptio perſonæ: Per aduentum primum in carne eſt abolitio corruptionis perſonæ: per aduentum ſecundum eſt abolitio corruptionis naturæ, quia ſicut dicitur: *Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt. vbi eſt mors victoria tua; vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Quia ergo corruptio naturæ transfunditur per viam generationis ex viro & muliere, quæ non eſt tollenda per aduentum primū in carnem: ideo nec conuenit, vt veniat Chriſtus in carnē ſeminatam per virum & mulierem. 1.Cor.15.

¶ Ad ſecundum dicendum ſecundùm Anſelm. quòd conueniens fuit; vt quemadmodum peccatū & cauſa noſtrę damnationis ſumpſit ortum de fęmina: ita cōueniens eſt, vt medicina noſtri peccati & cauſa noſtræ ſaluationis naſcatur & aſſumatur ſolùm de fœmina. Anſelm.

MEMBRVM XII.

An de viro tantùm, vel de fœmina tantùm caro Chriſti conuenientiùs educeretur.

CONSEQVENTER quæritur, Vtrùm conuenientius educatur caro Chriſti de viro quàm de muliere tantū, vel econuersò.

¶ Ad quod ſic: primum principium propagationis & transductionis corruptionis originalis peccati fuit à viro, & non à muliere: quia in homine eſt prima ratio generationis, in muliere ſecunda. Si ergo principium originalis corruptionis venit à viro, & non à muliere, ergo principium reparationis debet venire à viro ſolum, & non à muliere, ergo conuenientius eſt, quòd ex ſolo viro educatur caro Chriſti, quàm ex ſola muliere.

¶ Ad oppoſitum ſic Anſelmus: *Quatuor modis poteſt Deus facere hominem. Aut nec de viro, nec de muliere, ſicut fecit Adam. Aut de viro & fœmina. Aut de viro tantùm, ſicut fecit Euam. Aut de muliere tantùm, & non de viro. Secundùm hunc quartum modum non fecerat hominem ante incarnationem: ſed per tres primos modos. Vt ergo monſtraretur perfectio diuinæ potentiæ; oportuit vt faceret hominem quarto modo, ſcilicet de muliere tantùm ſine viro.* Nihil ergo conuenientius quàm quod de fœmina tantùm aſſumat illum hominem, quem quærimus, ſcilicet hominem, per quem debet fieri noſtra liberatio. Idem li.2. Cur Deus homo.c.8.

¶ ITEM Anſelmus oſtendit, quòd ille homo debet naſci de fœmina virgine ſic: *Si virgo erat, quæ fuit cauſa totius mali humano generi: multo magis decet, vt virgo ſit, quæ erit cauſa totius boni humano generi.* Si ergo Eua virgo fuit cauſa mali: ergo multo magis virgo eſt mater Chriſti, quæ cauſa eſt fructifera totius boni, & totius ſalutis humano generi. Idem.

¶ ITEM Anſelmus: *Si fœmina facta de viro ſine muliere fuit facta de viro virgine, ſicut Eua de Adam*: ergo conuenientius eſt, quòd vir, qui fit de muliere ſine viro; fiat de muliere virgine: ergo Chriſtus debuit naſci de virgine. Idem.

¶ ITEM Anselmus: *De fœmina tantum malum processit: ergo oportuit ad reformandam speciem eorum, vt de muliere tantum bonum procederet. scilicet illud bonum, per quod sumus à malo liberati.* Et sic patet per prædictas rationes, quòd Christus debuit nasci solum de fœmina, & virgine.

RESOLVTIO.

De fœmina tantùm, & profectò virgine.

August. in lib. 83. quæstionum. ¶ QVOD concedendum est: *Quia*, sicut dicit Augustinus: *Deus cùm liberat, non partem aliquam tantum, sed totum liberat. Sapientia autem & Verbum Dei, qui dicitur filius vnigenitus, homine suscepto liberationem hominum indicauit: hominis autem liberatio in vtroq; sexu debuit apparere.* Ergo quia illum oportebat suscipere, qui sexus honoratior est: consequēs erat, vt fœminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de fœmina natus est.

¶ ET per hoc soluitur ratio ad oppositum: quòd cōuenientius sit ipsum nasci ex solo viro, quā ex sola muliere.

MEMBRVM XIII.

An si natura humana per peccatum lapsa non esset: adhuc fuisset ratio & conuenientia ad incarnationem.

CONSEQVENS est quærere de conuenientia incarnationis, si nō fuisset natura lapsa per peccatum: vtrùm scilicet esset ratio vel conuenientia ad incarnationem? Et ostenditur quod sic, dicit Dionysius: *Bonum est diffusiuum*
Dionys. lib. de Diuin. nomi nib. c. 4. *sui esse*: sicut nos dicimus, quòd in diuinis pater diffundit suam bonitatem in filium per generationem; & ab vtroque est diffusio in spiritum sanctum, scilicet, per processionem: & hæc diffusio est in trinitate: & hæc est summa diffusio, creatura. Ergo si summum bonum, existēte creatura, non se diffundit in creaturam: adhuc erit cogitare maiorem diffusionem, quàm diffusionem eius. Si ergo eius debet esse summa diffusio, quia summum bonum: conuenientius est, quòd se diffundat in creaturam. Sed hæc diffusio non potest intelligi summa, nisi ipse vniatur creaturæ: ergo conuenit quòd Deus vniatur creaturæ, & maximè humanæ, sicut ostensum est. Ergo posito, quòd ipsa non esset lapsa: adhuc ei vniretur summum bonum.

¶ ITEM, non est beatitudo nisi in Deo: & creatura rationalis tota est beatificabilis: sed creatura rationalis, quæ est homo, habet duplicem cognitionem, scilicet sensitiuam, & intellectiuam, & habet delectationem in vtraq;. Si ergo tota est beatificabilis, ergo & secundùm sensum, & secundùm intellectum: ergo oportet quòd in Deo beatificetur quantum ad vtrumque. Sed in Deo, secundùm se considerando, & in propria natura non potest beatificari sensus, sed solus intellectus: quia non beatificatur vel delectatur sensus nisi in sensibili solum, siue in eo quod corporale est. Si ergo totus homo debet beatificari in Deo, oportet Deum esse corporalem, & sensibilem. Sed non est conueniens, vt assumat quamlibet corporalem naturam, sed solum humanam, vt dictum est.

¶ ITEM, contingit intelligere tres personas in vnitate substantiæ: & ex opposito tres substantias in vnitate personæ, & inter hæc duo tres personas in tribus substantiis. Si ergo vnum extremorum est in rerum natura, videlicet tres personæ in vna substantia, vt in trinitate: & medium, vt tres personæ in tribus substantiis, demonstratis tribus hominibus, vel angelis: [vel vna persona in Extranitate, vno angelo, & homine.] Ergo contingit ponere tertium, videlicet vnam personam in tribus substantiis: sed hoc nō potest fieri nisi per vnionem diuinę naturæ ad humanam: quia in nulla alia creatura est ponere duas substantias quā in homine, scilicet spiritualem, & corporalem, vt animam & corpus. Similiter nulla creatura potest hominem perficere, ita vt vniatur cum illa: quia angelus hoc non potest, cùm homo secundùm partem superiorē sit angelo æqualis. Conuenit ergo quod sit vnio diuinæ naturæ ad humanam in vnitate personæ: vt sit in rerum vniuersitate perfectio: vt sicut tres personæ in vna natura, & tres personæ in tribus naturis: ita tres naturæ in vna persona, scilicet diuinitas, corpus, & anima.

¶ ITEM, nos inuenimus vnitatē naturæ in tribus personis, & hoc est de perfectione naturæ, vt in Deo. Item nos inuenimus vnitatem personæ in pluribus naturis, vt in homine. Si ergo de perfectione naturæ est, quod est in pluribus personis, ergo & de perfectione erit, quod potest esse in pluribus naturis. Si ergo semper quod est perfectius, est Deo tribuendum, quantum ad naturam, & quantū ad personam: sicut diuina natura est ens in pluribus personis: ita diuina persona erit potens esse in pluribus naturis. Sed hoc non potest poni ab æterno: quia plures naturæ non possunt esse ab æterno: est ergo aliqua diuina persona in pluribus naturis ex tempore: Sed hoc non est possibile, nisi vniatur naturæ creatæ: conuenit igitur ad ostensionem perfectionis in personalitate diuina, quòd vniatur diuina natura naturæ creatæ in persona diuina, sed non conuenit cuilibet, vt dictum est, sed solum humanæ: nec etiam cuilibet personæ in Trinitate, nisi filio, vt Memb. 5. huiusce quæst.
supra dictum est: relinquitur ergo, quòd circumscripto lapsu humanæ naturæ, adhuc est conuenientia vnionis in persona filij.

¶ AD oppositum est autoritas Ecclesiæ in præfatione cerei. Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset. Ergo inutilis est incarnatio, nisi secuta fuisset redemptio. Sed si natura non esset lapsa, non fuisset redemptio: ergo supposito quòd natura non sit lapsa, nullus est fructus incarnationis, ergo non conuenit Deo incarnari, cùm non conueniat Deo aliquid facere frustra.

RESOLVTIO.

Absq; praiudicio concedi potest: etiamsi humana natura non peccasset, adhuc Christum carnem sumpturum fuisse.

¶ RESPONSIO: sine præiudicio concedendum est: quòd & si natura non fuisset lapsa, adhuc esset conueniētia ad incarnationem, secundùm quod dicit B. Bernardus: Bern. super Ionæ 1.
Propter me orta est tempestas: exponens illud verbum de filio Dei, dicens: quòd *Lucifer praeuidit rationalem creaturam assumendam in vnitate persona filij Dei: vidit, & inuidit. Vnde inuidia fuit causa casus diaboli, & mouens ipsum ad tentandum hominem, cuius felicitati inuidebat, vt per peccatum demereretur humana natura assumptionem, & vnibilitatem ad Deum.* Ex quo patet, quòd Lucifer intellexit vnionem humanæ naturæ, & ipsum lapsum intellexit vt impeditiuum vnionis, propter quod procurauit lapsum. Ex hoc ergo relinquitur, quòd circumscripto lapsu, adhuc est ponere conuenientiam incarnationis. Præterea, ad hoc idem est quod dicit B. Augustinus: *Propterea Deus factus est homo, vt totum hominem in se* August. in lib. de anima & spiritu. c. 9.
beatificaret: vt siue homo ingrederetur intus per intellectum, siue egrederetur extra per sensum, in creatore suo pascua inueniret: pascua intus in cognitione Deitatis, pascua foris in carne Saluatoris. Hæc autem ratio manet, etiam circunscripto lapsu humanæ naturæ.

¶ AD illud ergo, quod obiicitur, respondendum est, quòd illa autoritas intelligitur, supposito reatu naturæ lapsæ. Vnde sensus est, quòd si filius Dei esset incarnatus, & non soluisset reatum, nihil profuisset humanæ naturæ: quia non beatificaretur, vel redimeretur. Aliter autem est, si circunscribatur lapsus humanæ naturæ, prout dictum est.

QVÆSTIO III.

De prædestinatione incarnationis Christi.

In sex Membra diuisa.

HABITO de necessitate incarnationis & conuenientia: consequens est inquirere de prædestinatione in- D. Tho. 3 part. q. 24. 5. Bonau. in 3. d. 7. art. 2. Seo. ibid. quæst. 3.
carnationis. Circa quam partem quærenda sunt ista: Primò, vtrùm filius Dei sit prædestinatus. Secundò, vtrùm prædestinatus sit esse homo. Tertiò, vtrùm prædestinatus sit esse filius Dei. Quartò, ad quid sit prædestinatus. Quintò, vtrùm per Christum simus prædestinati. Sextò, vtrùm vniuocè prædestinatio dicatur de ipso, & de nobis omnibus.

MEM-

MEMBRVM I.

An filius Dei sit prædestinatus.

Rom. 8. Gloss. AD PRIMVM [illegible] *Qui prædestinatus est* [illegible] *Prædestinatus non existentes* [illegible] [illegible]

¶ ITEM Origenes: *Destinatur quod* [illegible] *prædestinatur qui* [illegible] [illegible] Dei [illegible] prędestinati sunt [illegible], quod filius Dei est prædestinatus. Origenes

¶ ITEM, filius Dei est prædestinatus ab æterno, aut secundum diuinam naturam, aut secundum humanam. Non secundum diuinam naturam, constat, quia ante [illegible] nihil. Nec secundum humanam, quia ab æterno nõ habuit naturam humanam, ergo non est prædestinatus secundum [illegible].

¶ ITEM [illegible] est prædestinari; ergo ille terminus, [illegible] copulat quid creatum filio Dei, sed [illegible] filio Dei ab æterno, ergo non est prædestinatus.

¶ AD oppositum sic, Ioan. Damasc. *Non scandalizabitur ad nomen creaturæ qui, e vermem, aut seruum, aut granum natum de terra [illegible]*. Cum ergo conuenienter dicatur filius Dei creatura, conuenienter dicetur prædestinatus. Damasc.

¶ ITEM Augustinus: *Christum factum creaturam, per quẽ facta est omnis creatura, oportuit omnem creaturam testem habere.* [illegible] filius Dei est creatura [illegible]: ergo immediatè sequatur [illegible] finaliter bonam, esse prædestinatam [illegible] creatura, finaliter bonum, est prædestinatum. August.

¶ ITEM [illegible]: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* [illegible] prædestinatio. Si ergo distinctio [illegible] est secundum distinctionem meritorum, & distinctio meritorum secundum distinctionem gratiarum & [illegible], cum ergo meritum sit per se personæ, prędestinatur Christus secundùm quod persona, sed secundum quod persona est filius Dei; ergo prædestinatio conuenit filio Dei. Ioan. 14.

¶ ITEM, quicquid conuenit filio Dei per naturã, conuenit filio hominis per gratiam, & ecõuersò. Vnde sumitur, quod quicquid conuenit filio Dei, conuenit filio hominis, & econuerso: ergo cum filio hominis conueniat esse prædestinatum, & filio Dei similiter conueniet esse prędestinatum.

RESOLVTIO.

Filium Dei prædestinatum esse, neutiquam absolute concedendum est, sed hac additione, secundùm quod homo.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd cum in hoc quod dico, prædestinatum, ratione huius præpositionis, præ, notetur antecessio alicuius ad illud, quod dicitur prædestinatum, non est autem antecessio alicuius respectu filij Dei, ideo absolute nõ est cõcedendum: filius Dei est prædestinatus, nisi cum determinatione diceretur, secundum quod homo. Et hoc est quod voluit dicere Aug. in illa gl. ad Rom. 8. & Origenes in prędicta auctoritate. Non ergo absolute concedendum, filium Dei esse prædestinatum, sed secundum quod homo.

¶ AD illud, quod obijcitur tertiò, secundum quod homo non fuit ab æterno, vel secundum naturam humanã: ergo nõ est pręd. [illegible] humanam naturam. [illegible] Nam iste terminus homo [illegible] ad supponendũ pro [illegible] habuit aliquem [illegible] cum dicitur, aliquis homo [illegible] homo, supponit [illegible], vel est ab æterno, sed quia [illegible]

¶ [illegible] quod hæc dictio, prædestinatus [illegible] (Idem enim est [illegible] quod [illegible].) Sed hoc quod [illegible] copulat [illegible], sed in prædestinatione. Hoc autem [illegible] quod tempore [illegible] ergo non [illegible] prædestinatus [illegible] gratiam & gloriam [illegible] partem [illegible].

¶ AD cæterà verò, quæ obijciuntur in parte [illegible], dicendum ad primum [illegible] Damasc. *non scandalizabitur*, &c. quod filius Dei dicitur creatura, secundum quod dicitur seruus, aut vermis; quia non dicitur ista esse absolute, sed cum reduplicatione, scilicet secundum quod homo. Ita etiam secundum quod homo concedendum est, quod est prędestinatus: & hoc propter hæreticos: sicut dicit Aug. quia cũ determinatione est dicendũ propter hæreticos, filius Dei est creatura secundum quod homo. Damasc.

¶ AD aliud verò Aug. *Christum factum creaturam*, &c. dicẽdum quod verum est, quòd filius Dei secundum quod est creatura, est prædestinatus. August.

¶ AD tertium verò, quod obijcitur: quod meritum attributum personæ, &c. Dicendum quod cum filius Dei sit filius hominis, ratione illa qua dicitur filius hominis, est distinctio meriti secũdùm distinctionem gratiæ, quia gratia est secundum distinctionẽ hypostasis, siue indiuidui hominis ex parte humanæ naturæ, nõ ratione personæ æternæ, siue ex parte humanæ naturæ, ita etiam prædestinatum.

¶ AD vltimum dicendum, quòd illa regula B. Augustini est intelligenda: Quicquid conuenit filio Dei, cõuenit filio hominis, & econuersò, non absolute, sed cum reduplicatione subintellecta, vel expressa: vt vel filius Dei est creatura; vel cepit esse secundum quod homo: ita etiã filius Dei est prædestinatus.

MEMBRVM II.

An dicere sit, Filius Dei prædestinatus est esse homo.

CONSEQVENTER quæritur, vtrum concedendum sit, quòd filius Dei prędestinatus sit esse homo, sicut ecõuerso. Et cùm esse filium Dei sit ex gratia illi homini, propter quod est dicere illum hominẽ prædestinatum esse filium Dei: esse autem hominem non est ex gratia filio Dei, ergo nõ erit dicere filium Dei esse prædestinatum, vt sit homo.

¶ ITEM, quia vnio humanitatis ad Deitatẽ est per gratiam illi homini, ideo est dicere illum hominem esse prædestinatum esse filium Dei: ergo cum vnio Deitatis ad humanitatem non sit ex gratia filio Dei, ergo non erit dicere filium Dei esse prædestinatum hominem.

¶ ITEM, cum hoc quod dicitur, prædestinatum, ponat antecessionem respectu prædestinati: nihil autem antecedit filium Dei, ergo non potest dici prædestinatus esse homo, vel quid aliud.

¶ AD oppositum sic: filius Dei est homo, ergo vel ex gratia, vel ex natura; sed nõ ex natura est homo, relinquitur ergo quod ex gratia est homo. Si ergo ex gratia est homo, ergo est prædestinatus esse homo: cum constet, quòd illa gratia sit prædestinata, qua filius Dei est homo.

RESOLVTIO.

Si exponatur, filius Dei est præordinatus ex gratia ad hoc quod sit homo, admittendum est; nec aliàs.

¶ RESPONSIO. Refert cùm dicitur de aliquo, prædestinatus, absolute vel sine determinatione: & cum dicitur cum determinatione. Cum enim dicitur absolute sic homo est prædestinatus: sensus est, est præuisus ad habendum gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Propterea nõ est dicere, filius Dei est prædestinatus [illegible] determinatione, scilicet, filius Dei secundum quod homo. Cum vero dicitur cum determinatione, [illegible] ille homo est prædestinatus filius Dei [illegible], id est, præordinatus ex gratia, ad hoc vt sit filius Dei. Secundum hoc [illegible] dicendum [illegible], Christus est prædestinatus [illegible] homo. [illegible] est, [illegible]

hoc quod sit homo. Distinguendum est autem in hac propositione. Nam respectus antecessionis denotatus per hanc præpositionem, præ, cùm dicitur præordinatus: & respectus causalitatis, qui notatur per hanc præpositionem, ex, cùm dicitur ex gratia; potest esse respectu suppositi, vel respectu illius, ad quod dicitur ordinatus. Si respectu suppositi, falsa est: quia suppositum est filius Dei, respectu cuius non est accipere causalitatem vel antecessionem. Si respectu eius, ad quod dicitur esse ordinatus, scilicet quod est esse homo, vera est: quia respectu esse hominis est antecedens diuina ordinatio & gratia causa: & est sensus, filius Dei est præordinatus esse homo ex gratia: vt antecessio & causalitas dicatur respectu eius quod dico, esse homo, non respectu filij Dei.

¶ Et per hoc patet solutio ad ipsa obiecta.

MEMBRVM III.

An & dicere sit, Filius Dei prædestinatus est esse Filius Dei.

POSTEA quæritur: Vtrùm hæc sit vera; Filius Dei est prædestinatus ad hoc, vt sit filius Dei? Quod probatur, iste homo est prædestinatus esse filius Dei, sed quod conuenit isti, conuenit filio Dei, ergo filius Dei est prędestinatus vt sit filius Dei.

¶ SECVNDA ratio, ad Rom. 1. Qui prædestinatus est esse filius Dei in virtute. Ambrosius exponit de persona filij Dei: ergo, &c. Ambros.

¶ AD oppositum sic: hæc dictio, prædestinatus, notat antecessionem causalem. Si ergo nulla causa antecessit filium Dei, relinquitur quod non possit filius Dei dici prædestinatus ad hoc vt sit filius Dei.

RESOLVTIO.

Cùm respectu filij Dei, qui in hac propositione ex vtraq; parte designatur, non sit accipere antecessionem causalem denotatam per dictionem, prædestinatione, nullatenus ferenda est istiusmodi propositio.

¶ SOLVTIO. Cùm dicitur, prædestinatus, cum determinatione, considerandum est, an sit aliquid in locutione, respectu cuius possit dici antecessio causalis, quæ importatur per hoc nomen, prædestinatum. Si verò non inueniatur in locutione, non est concedenda, & ideo hæc est falsa: Filius Dei est prædestinatus esse filius Dei, quia respectu filij Dei, qui designatur ex vtraque parte, non est accipere antecessionem causalem. Istæ autem sunt veræ, secundum quod dictum est: Filius Dei secundùm quod homo prædestinatus est: vel, filius Dei prædestinatus est esse homo: quia est inuenire in locutione ex aliqua parte, respectu cuius notatur antecessio causalis.

¶ AD illud ergo, quod primò obiicitur, iam patet responsio.

¶ AD illud verò Ambros. dicendum, quòd ipse accipit esse pro manifestari, secundùm proprietatem locutionum in scripturis, qua dicitur res incipere esse, cùm incipit manifestari vel innotescere. Et secundùm hoc est sensus: Filius Dei est prædestinatus esse filius Dei in virtute, id est prædestinatus est manifestari filius Dei. Et notatur antecessio causalis respectu manifestationis, non respectu filij Dei.

MEMBRVM IIII.

Ad quid Christus sit prædestinatus secundùm quod homo?

DEINDE quæritur, ad quid sit prædestinatus Christus secundùm quod homo. Et cùm in Christo sit gratia, secundùm quod est quidam homo singularis: item secundùm quia est caput ecclesiæ. Item gratia vnionis, secundùm quam diuina natura est vnita cum humana: & hæc est triplex gratia: Quæritur ergo, an prædestinatio Christi sit præparatio gratiæ huius, vel illius, vel vniuscuiusque harum. Et cùm gratia, quæ attenditur, secundùm quod est homo singularis informans hunc hominem, vel animam huius hominis, sit gratia creata: ergo respectu huius gratiæ erit prædestinatio.

¶ ITEM, ex parte alia: Cùm gratia, secundùm quam est caput ecclesiæ, sit gratia infinita; quia secundùm illam est influens in corpus ecclesiæ, & de hac dicitur: *De plenitudine eius accepimus omnes.* &, *Non est ei datus spiritus ad mensurã.* Ergo gratia ista est increata: & cùm gratia creata sit finita, & non fluens, cùm ergo prędestinatio non sit respectu increati: nec erit prædestinatio respectu huius gratiæ. Ioan. 1. Ioan. 3.

¶ AD oppositum. Glos. *Nullum maius donum posset Deus præstare hominibus, quàm vt verbum suum, per quod omnia condidit, fecit illis caput: & ipsos tanquam membra coaptaret.* Ergo gratia, secundùm quam est caput ecclesiæ, est donum Dei: ergo est creata, ergo prædestinatio est respectu ipsius. Glos. super epist. ad Rom.

RESOLVTIO.

Ad triplicem gratiam, vnionis scilicet singularis hominis, & capitis ecclesiæ.

SOLVTIO. Concedendum est, & dicendum: quòd cùm in Christo sit triplex gratia: gratia vnionis, gratia huius singularis hominis; & gratia, secundùm quam est caput: prædestinatio Christi est respectu huius triplicis gratiæ.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quòd gratia, secundũ quam est caput, nõ est creata. Dicendum, quòd sicut charitas donum est in nobis dupliciter, scilicet donũ increatum, quod est spiritus sanctus: & donum creatum, quod est virtus. Ita gratia, secundùm quam est caput, intelligitur increata, & ipsa est spiritus sanctus, qui est datus ei non ad mensuram. Et prima gratia creata, secundùm quam per virtutem increatæ influit in alios: *& de plenitudine eius accepimus omnes.* Ioan. 1.

MEMBRVM V.

An Christi prædestinatio causa sit vel effectiua, vel exemplaris, vel finalis nostræ prædestinationis?

VLTERIVS est quæstio: Vtrùm per Christum simus prædestinati: hoc est quęrere, vtrum ipse sit causa effectiua, vel exẽplaris, vel finalis nostræ prædestinationis.

¶ AD primum videtur, quod sic: Nam, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Ergo prædestinatio Iesu Christi est causa nostræ prædestinationis. Ephes. 1.

¶ ITEM, resurrectio sua est causa nostræ resurrectionis, cùm ergo prædestinatio respiciat gratiam resurrectionis finaliter; prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis.

¶ ITEM, ordo est in prædestinatione, ordo talis est in prædestinatione, quod probatur: *Nunquid nosti ordinem cœli?* Glos. ordinem cœli nosse, est supernarũ dispositionum occultas dispositiones videre. Ergo prædestinationes ordinem habent. Iob 37.

¶ ITEM, *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Ergo prędestinatio est cõformitas imaginis filij dei, ergo cùm plus sit imago, quàm illud, quod ad imaginem est: si imago intransitiuè est ipse Christus prædestinatus; prædestinatio Christi prior est nostra prædestinatione: & sicut imago ad illud, quod est ad imaginem, ergo sicut exemplar. Rom. 8.

¶ ITEM dicitur: *Præclarissimum lumen nostræ prædestinationis est Christus Iesus.* Ergo se habet sicut causa manifestatiua ad nostram prædestinationem. Ad Ephes. 4. *Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia*: ergo Christus est finis omnium. Sed quæ est comparatio prædestinati ad prædestinatum; eadem est comparatio prædestinationis ad prædestinationem. Si ergo Christus est finis omnium prædestinationum, prædestinatio sua est finis omnium prædestinationum, ergo est causa finalis omnium prædestinationũ. Ex his ergo relinquitur, quod prædestinatio Christi est causa effectiua, exemplaris, & finalis omnium prædestinationum. Aug. de prædest. anctorũ, cap. 15. Ephes. 4.

¶ AD OPPOSITVM sic: omnes rationes æternæ simul sunt in mente diuina, & secundùm has est prædestinatio: ergo

ergo prędestinationes prędestinatorum simul sunt in mēte diuina, non ergo per prius & posterius: cùm ergo causa effectiua antecedat, relinquitur quod pdestinatio Christi non est causa effectiua, cùm simul sit in aliis in mente diuina.

¶ ITEM ad hoc est allegata autoritas Augustini, qui dicit, quòd præclarissimum lumen nostræ prædestinationis est Christus: & intelligitur hoc de Christo, secundùm quod homo, sicut dicit idem Aug. Et vbi ipse dicit, quod ille homo sine meritis habuit, sola gratia, vt esset filius Dei. Sed secundùm hoc obiicitur: omnes sunt ab æterno prædestinati, & vnusquisque habet suam rationem in mēte diuina: quæ quidem ratio est lumen nostræ prædestinationis: ergo vnusquisque habet proprium lumen prædestinationis. sed secundùm quod Christus est lumen dicitur causa exemplaris: ergo Christus non est causa nostræ prædestinationis.

Auguſ. in Gloſ. ſuper 1. ad Rom.

¶ TERTIA ratio, si Christus est finis nostræ prædestinationis, & si Christus nō esset incarnatus, non esset prædestinatio Christi, ergo prædestinationes nostræ carerent fine: ergo frustrarentur, ergo omnes prædestinati frustrarentur. Quod nullus poneret, non ergo est causa finalis, nec exemplaris, nec effectiua.

RESOLVTIO.

Christi prædestinatio non quidem de principali significato, sed de connotato causa est & effectiua, & exemplaris, atq; finalis nostræ prædestinationis.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod cùm dico, prædestinationem Christi, nomine prædestinationis ratione principalis significati, quod est diuina præscientia cum approbatione, dico æternum: ratione verò connotati, quod est gratia Christi & gloria, dico temporale. Attendendo igitur ad principale significatum, prædestinatio Christi & aliorum prædestinationes simul sunt in mente diuina. Attendendo verò ad connotatum, est ordo prædestinationis Christi ad alias prædestinationes: secundùm quod nos dicimus, quòd gratia & gloria in Christo est causa & exēplum gratiæ & gloriæ nostræ.

¶ SECVNDVM hæc soluitur primum obiectum: quia quantum ad principale significatum eius, quod dico, prędestinatio, quod est æternum; non est prioritas vel causalitas prædestinationis Christi ad aliam: sed quantum ad connotatum, quod est temporale, est prioritas & causalitas.

¶ AD secundum verò, quod obiicitur: quòd Christus est lumen nostræ prædestinationis, Dicendum quod duplex est lumen, scilicet ęternum, & temporale. Ratione significati in prædestinatione, quod est æternum: dicendū, quòd Christus secundùm quod Deus & sapientia æterna, est lumen prædestinationis omnium prædestinatorum & singulorum; & cùm sit vnum & idem lumen, tamen quia ad multos est, qui sunt prædestinati; multipliciter accipitur respectus ad ipsum, vt dicatur & huius, & illius lumen. Ratione verò connotati in prædestinatione, quod est tēporale, scilicet gratia: dicendum, quòd Christus secūdùm quod homo, est lumen temporale nostræ prædestinationis: quia hæc superabundantia est ipsius supereffluentis gratiæ, qua assumptus est in vnitate personæ: ita quod filius Dei naturalis est filius hominis, & vnusquisque prædestinatorum per participationem illius supereffluentis gratiæ est filius adoptionis. Vnde gratia sua est velut lumen in sole: nostræ verò gratiæ sicut radij comparati ad solem.

¶ AD vltimum, quod obiicitur, quòd Christus non est finis. Dicendum quemadmodum in aliis: quòd in prædestinatione est præscientia & gratia finalis: vnum vt significatum, aliud vt connotatum. Si ergo respiciamus ad præscientiam, sua prædestinatio non est finis nostræ prædestinationis. Si autem respiciamus ad gratiam connotatam, sic est finis: gratia enim vnionis, q̃ est in Christo; est terminus omnium gratiarū nostrarū, quia oēs nostrę gratiæ terminantur ad suam: & rationes nostræ gloriæ ad suam.

¶ AD illud ergo, quod obiicitur, quòd frustrarentur prędestinationes, si non esset incarnatio: Dicendum, quod frustrarentur quantum ad finem conuenientissimum, nō tamen simpliciter, quia alius modus esset liberationis, & ille esset finis, sed non ita conueniens. Et sic patet, quomodo se habet prædestinatio Christi vt causa ad nostram prædestinationem.

MEMBRVM VI.

An prædestinatio æquiuocè, vel vniuocè dicatur de nostra, & Christi prædestinatione.

VLTIMÒ quæritur: Vtrùm prædestinatio dicatur æquiuocè, vel vniuocè de prædestinatione Christi, & aliorum?

¶ AD quod sic obiicitur: Prædestinatio est saluandorum, saluandi autem sunt, qui possunt ægrotare per culpā, cū ergo Christus non potuerit ægrotare, secundùm quod dicit Aug. (Alij peccato seruire potuerunt, ipse verò non) ergo non est saluandus, ergo ei non conuenit ratio prędestinationis, secundùm quod dicitur prædestinatio præordinatio saluandorum; ergo, &c. August.

¶ ITEM dicit Augustinus: *Prædestinatio est propositū miserendi*: sed miseria in nobis & in Christo ęquiuocè dicitur, quia nobis est miseria contracta; in ipso verò est voluntariè assumpta, ergo æquiuocè dicitur. Idem lib. de pręde-ſtin. Sanctorum, cap. 10.

¶ SOLVTIO, dicendum quod prædestinatio aliquando diffinitur per comparationem ad gratiam liberantem à malo, aut per comparationem ad gratiam ordinantem ad gloriam. Primo modo dicitur præstatio prædestinatio præordinatio saluandorum, & propositum miserendi. Secundo modo dicitur prædestinatio, præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Primo modo dicitur vniuocè prædestinatio de Christo & de aliis quantum ad cōnotatum quæ est gratia liberans à malo; quantū ad secundum modum dicitur æquiuocè.

QVÆSTIO IIII.

De assumptione humanæ naturæ.

In septem Membra diuisa.

TRACTATO de necessitate, & conuenientia, & prędestinatione Incarnationis Christi, consequens est inquirere de actu Incarnationis. Quæ consideratur duobus modis, scilicet in fieri, & in facto esse. Actus incarnationis in fieri dicitur assumptio; actus verò incarnationis in facto, esse dicitur vnio. Primò ergo quærendum est de actu assumptionis. Secundò de actu vnionis. D. Tho. 3. par. q. 3. 4 & 5. Bonau in 3. dist. 2. Sco. ibid.

¶ DE assumptione autem quæruntur ista: primò de assumente; deinde de assumpto. De primo quæritur, vtrùm assumere humanam naturam conueniat diuinæ naturæ. Secundò, vtrùm conueniat tribus personis. Tertiò, quæritur de ipso assumpto, vtrùm humana natura sit assumpta. Quartò, vtrùm humana natura secundùm corpus & animam sit assumpta. Quintò, vtrùm corpus sit assumptū mediante anima. Sextò, quæritur qualiter intelligitur homo assumptus.

MEMBRVM I.

An assumere naturam humanam conueniat diuinæ naturæ?

AD PRIMVM sic: Quicquid conuenit diuinæ naturæ, conuenit toti Trinitati. Sed assumere humanā naturam non conuenit Patri, & Spiritui sancto, ergo nec diuinæ naturæ.

¶ ITEM Anselm. in lib. de Incarnatione verbi: Non differunt omnino Pater, & Filius, & Spiritus sanctus in essentia diuina. Si ergo natura diuina assumit humanam naturam, ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus assumunt naturam humanam.

¶ AD oppositum sic: Assumere dicit actionē: sed actio conuenit substantiæ, & naturæ: ergo assumere conuenit diuinæ naturæ.

¶ ITEM

¶ Item arguitur per simile: anima infundendo creatur, & creando infunditur: & eiusdẽ secundùm se est creare animam, & eam vnire; ergo eodem modo eiusdem secundùm se erit humanam naturam assumptam creare, & eam assumere; ergo cùm diuina natura creauerit humanã, assumpsit eam.

¶ Item, assumere & assumptionem facere cõuertuntur. Sed diuina natura fecit assumptionem; ergo diuina natura assumpsit humanam.

¶ Item quæritur; quamuis ista concedatur, natura diuina assumpsit humanam naturam: nunquid ista concedatur, essentia diuina assumpsit humanam naturam, cùm ipsa natura dicatur essentia, & econuersò.

¶ Item, cùm naturæ humanæ conueniat assumi, & vniri propriè: ergo similiter ipsi naturæ diuinę conueniet assumere & vnire. Sic enim videtur se habere natura diuina ad vnionẽ & assumptionem actiuam, sicut natura humana ad vnionem, & assumptionem passiuam.

RESOLVTIO.

Assumere naturam humanam conuenit diuinæ naturæ communiter & propriè communiter, & impropriè toti trinitati: propriissimè autem personæ filij.

¶ Responsio: Assumere dicitur communiter, & impropriè, ad aliquid sumere: & secundùm hunc modum tota trinitas assumit filio humanam naturam. Item assumere dicitur communiter & propriè, ad se sumere, quod potest esse duobus modis: vel ad se sumere vt vniatur, vel ad se sumere vt in quo vniatur. Assumere verò propriissimè dicitur, in se sumere, vel ad se finaliter sumere, quod idem est. Secundùm modum istum conuenit personæ solũ assumere: quia hoc est sumere in se, vt in quo vniatur. Secundùm modum alium, quo assumere dicit ad se sumere vt sibi vniatur: sic conuenit diuinæ naturæ assumere humanam. Secundùm ergo quod communiter & impropriè dicitur, cõuenit trinitati. Secundùm quod propriè & cõmuniter conuenit diuinæ naturæ. Secundùm verò quod propriissimè, sic conuenit personæ filij. Et secundùm hoc in vno sensu procedunt rationes ad vtramq; partem obiectæ, in alio sensu non.

¶ Ad ea ergo, quæ obiiciuntur in partem negatiuam, respondendum est primò, dicendo: quòd naturam diuinã assumere humanam potest accipi dupliciter. Vno modo, vt natura diuina consideretur secundùm se, vt vna in tribus personis: & hoc modo non est concedendum diuinã naturam assumpsisse humanam, propriè sumendo assumere. Vel secundùm quod consideratur natura diuina tota in vna persona, scilicet filij: & hoc modò natura diuina assumpsit humanam, id est sibi vniuit. Ad illud ergo quod obiicitur: quicquid conuenit diuinæ naturę, conuenit toti trinitati: sed assumere non conuenit trinitati, ergo nec diuinæ naturæ. Dicendum quòd in hoc quod dico (assumere) duo intelliguntur, scilicet sumere actio: & respectus ad idem, qui notatur per ad se: secundùm quod nos exponimus assumere, id est ad se sumere: & ratione illius respectus non conuenit toti trinitati, quamuis conueniat naturæ: quia tota trinitas secundùm quod trinitas, non est in vna persona, sed tota natura est in vna persona. Et sic patet solutio ad ea, quæ obiiciebantur ad partem negatiuam.

¶ Ad ea verò, quæ obiiciuntur ad partem affirmatiuã, scilicet ad primum. Dicendum quòd assumere dicit actionem, & cum hoc naturam relationis, scilicet ad se, vel in se. Vnde nõ sequitur: quòd si actio conuenit naturę, quod actio, quocunq; alio superaddito, conueniat.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod non est simile de vnione animæ, & assumptione, propter respectum superadditum.

¶ Ad tertium verò dicendum, quòd non conuertuntur assumere, & assumptionem facere, secundùm quod assumere propriè dicitur, quãuis conuertantur secundùm quod dicitur impropriè.

¶ Ad quartum verò dicẽdum, quòd quamuis sit idem natura & essentia, tamen differentia est in ratione dicendi: quia essentia dicitur, quò res est: natura verò quò res agit, vel patitur. Assumere autem dicit hic actionem, sicut assumi passionem: & ideo assumere, & assumi dicuntur natura, & non de essentia. Vnde non est concedendum, quòd quamuis diuina natura assumat, quod propter hoc diuina essentia.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd (propriè loquendo) differentia est inter assumptionem, & vnionem. Nam vnio propriè dicit comparationem duorum ad tertium: assumptio verò tantùm dicit comparationem vnius ad vnum: assumere enim est aliquid sibi copulare, vnde dicit habitudinem eius, in quo est vnio, ad alium; & ideo diuina natura (propriè loquendo) non debet dici assumere: licet propriè dicatur vnire, vel vniri humanæ naturæ in vnitatem personæ.

MEMBRVM II.

An assumptio conueniat diuinis personis?

Consequenter quæritur, Vtrùm assumptio conueniat tribus personis? Ad quod sic: quicquid facit pater, facit filius, & econuersò; quia indiuisa sunt opera trinitatis: sed filius assumpsit carnem, ergo & pater.

¶ Item dicit Ioan. Damasc. quòd filius, & spiritus sanctus secũdùm omnia sunt vnum præter ingenerationem, generationem, & processionem. Sed assumptio nec est generatio, nec aliquod aliorum, ergo sunt vnum in assumptione, ergo quælibet persona assumit humanam naturam. Damasc. lib. 1. c. 9. 10. & 11.

RESOLVTIO.

Et quidem quantum ad actionem, & quantum ad personam, cui assumptionem fecit.

¶ Responsio secundùm Augustinũ, quòd trinitas assumptionem fecit: sed Verbo, nõ Patri, vel Spiritui sancto. Vnde & indiuisa est assumptio quãtum ad actionem, & quantum ad personam, cui conuenit: quia vni & indiuisæ personæ filij. Augus. in lib. de fi. de ad Petrum.

¶ Notandum autem est, quòd in argumẽtatione est mutatio prædicamenti: mutatur enim quid in aliquid. Nã sicut dicit Hugo: Cùm dicitur, filius Dei carnem assumpsit, ex vi occultæ relationis, qua intelligitur quod sibi vniuit, id de patre non dicitur: quia si idem diceretur, non idem, sed aliud intelligeretur; quia sicut alius in persona est pater, alius filius; sic aliud dicitur, cùm filius incarnatus dicitur, quàm si pater incarnatus diceretur. Non ergo consequens est, si filius carnem assumpsit, idcirco carnem assumpsisse & patrem; sicut consequens non est, si filius carnem sibi vniuit, eandem carnem sibi vniuisse & patrẽ, & est figura dictionis. Legitur quòd Manue vxorem accepit filio suo, non tamen sibi vxorem accepit; sed quod filio vxorem accepit. Nemo est qui argumentetur, & dicat; si pater filio vxorem accepit, ergo vxorem accepit pater; & concedat vxoratum esse patrem, quando filio vxorem accepit. Quare ergo incarnatus dicatur esse pater, quia filio suo carnem vniuit: sicut filius dicitur incarnatus, quia carnem sibi copulauit. Hugo de S. Victor. lib. 2. par. 1. cap. 5. Iudicum lib. 1.

¶ Ad secundum dicendum, quod quædam in Deo dicuntur in Deo absolutè sine respectu ad creaturas: sicut sunt notiones, proprietates, relationes; & similiter bonitas, sapientia, & consimilia. Et quædam dicuntur in Deo, siue attribuuntur Deo secundùm relationes ad creaturas, & huiusmodi est assumptio. Assumptio enim non ponit aliquid in assumente, quo assumens aliquam innouationẽ accipiat; sed ponit aliquid in assumpto, quo fit innouatio in creatura assumpta. Illud autem Ioan. Damasceni intelligitur præter comparationem ad creaturam.

MEMBRVM III.

An natura humana dicipossit assumpta fuisse à Verbo?

Consequenter est quæstio de de ipso assumpto: & primò, vtrùm natura humana sit assumpta?

¶ Ad quod sic: Nam secundùm proprietatem locutionis non videtur hæc concedi, persona assumpsit naturam. Nam cùm natura diffiniatur quatuor modis à Boëtio, communissimè sic: *Natura est eorum, quæ cùm sint, quoquo modo intellectu capi possunt.* (Boet. in li. de duabus naturis & vna persona Christi.) In qua diffinitione accidentia & substantiæ continentur: hæc enim omnia intellectu capi possunt. Additum autem est, quoquo modo, quia Deus & materia perfecto intellectu intelligi non possunt; sed cæterarum rerum priuatione. Communiter verò diffinitur natura, vt conueniat solùm substantiis corporeis & incorporeis hoc modo: *Natura est vel quod facere, vel quod pati potest.* Strictè etiam diffinitur natura, vt conueniat solùm corporeis, hoc modo: *Natura est principium motus per se, non per accidens.* Quarto modo diffinitur natura, secundùm quod nos dicimus diuersam esse naturam auri & argenti; in hoc proprietatem rerum mõstrare cupientes, hoc modo: *Natura est vnamquamque rem informans, specifica differentia.* Secundùm vltimam diffinitionem duas in Christo naturas esse constituunt. Si ergo hoc vltimo modo dicatur natura, scilicet specifica differentia humanæ naturæ: contra est authoritas Ioan. Damasceni: (Damasc. lib.3.c.11.) *Verbum non eam, quæ nuda consideratione contemplatur, naturam, assumpsit: nec eam, quæ in specie consideratur, scilicet specificam differentiam, sicut est rationalitas hominis:* Relinquitur ergo quòd non potest dici, assumpsit humanam naturam.

¶ Item, si dicatur quòd natura accipitur aliter, scilicet vis insita rebus procreans similia ex similibus. ex hoc etiam modo non potest dici natura assumpta; quia vis illa procreandi similiter consequitur assumptionem: quia est iam in existẽte Christo, secundùm quod potest multiplicare speciem, inquantum homo, ergo hoc etiã modo non potest dici assumpta natura.

¶ Item, assumptio fuit miraculosa, non secundùm naturam: & ideo ex illa parte non tenuit rationem naturæ, quæ est vis procreandi similia ex similibus: ergo nec secundùm modum istum vel illum potest dici assumpsisse naturam.

RESOLVTIO.

Natura humana potest dici assumpta à Verbo: intelligendo naturam pro eo, ex quo fit esse rei naturalis, siue ex quo res naturalis nata est.

¶ Quod benè concedendum est: sed secundùm alium modum dicendi naturam. Dicitur etiam natura alio modo, ex qua fit esse rei naturalis, ex quibus est res nata. Et secundùm hunc modum tam corpus quàm anima dicuntur natura: quia ex his esse humanum est natum & constitutum.

¶ Item quæritur, an sicut conceditur ista: persona assumpsit humanam naturam, debeat ista concedi: persona assumpsit humanam essentiam, cùm idem sit natura & essentia.

¶ Ad quod dicendum, quòd quamuis sint idem re, natura & essentia, tamen differunt ratione. Natura enim respicit rem in fieri, essentia verò respicit rem secundùm esse. Quia ergo non fuit in esse res assumpta ante assumptionem: ideo nõ debet concedi, assumpsit humanã essentiam: sed debet concedi, assumpsit humanam naturam: quia assumebatur * res, quæ non erat, sed fiebat. (*al. res nõ quæ erat, sed quæ fiebat.)

MEMBRVM IIII.

An natura humana & secundùm corpus & secundùm animam assumpta sit?

Post hoc inquirendum est: Vtrùm humana natura secundùm corpus & animam sit assumpta? Nam quidã hæretici dicebant, quòd non fuit verum corpus, sed phãtasticum, vt Valentinus. Apollinaris dixit, quòd anima fuit sine sensu. Eunomius dixit, quòd fuit caro vnita absque anima.

¶ Contra, humana natura fuit lapsa secundùm animam in appetitu sciendi sicut Deus: lapsa etiam fuit secũdùm carnem in gustando de pomo, Gen.3. (Genes.3.) Si ergo totum quod est lapsum per peccatũ; debet reparari per Christũ: ergo ad reparationem pertinet assumptio vtriusque, scilicet animæ & corporis.

¶ Item, non conuenit summo medico curare naturã secundùm partem, & secundùm partem incuratam dimittere. Sed si summus medicus naturam humanam assumpsisset in parte vel animæ vel carnis, in parte eam curasset, non secundùm totum. Quia (sicut dicit Ioan. Damasc.) *quod assumptibile est, incurabile est.* (Damasc. lib.3.de orthod. fide.c.6.) Relinquitur ergo quòd assumpta est in toto, & non in parte.

¶ Ad oppositum sic: naturæ maximè distantes minimè sunt vnibiles. Si ergo maximè distant naturæ, quæ nec cõueniunt genere, nec specie, vel etiam similitudine: minimè erunt vnibiles; talis autem est diuina natura, & natura carnis; quia nec conueniunt genere, nec specie, nec etiam similitudine: quemadmodum anima per hoc quod est ad imaginem & similitudinem Dei; relinquitur ergo quod non est vnibilis.

¶ Item, maior est distantia inter spiritum diuinum & quodcunq; corporeum, quàm inter corporeum calidum, & corporeum frigidum. Si ergo corporeum calidum non potest vniri corporeo frigido sine mutatione naturæ alterius; ergo non potest vniri corporeum humanum spiritui diuino sine mutatione alterius; sed spiritus diuinus non potest mutari; ergo si vniatur corporeum humanum diuino spiritui; mutabitur, etiam non manebit corporeum: Cassa ergo esset vnio & vana; relinquitur ergo quod non est vnibile corpus humanum Deo.

¶ Item, naturæ distãtes magis accedunt ad vnionem minorem, quàm ad vnionem maiorem, vel maximam. Est autem vnio creaturæ ad Deum per gratiam præsentem, & per gloriam futuram secundùm cognitionem, & amorẽ: maior autem & maxima est vnio creaturæ ad Deum, quæ est in vnitatem personalem: quia maius est vniri in persona, quàm vniri secundùm cognitionem vel voluntatem. Magis ergo accedit omnis creatura ad vnionem primam cum Deo, quàm ad secundam. Si ergo impossibile est vt corporea natura vniatur Deo secundùm primam: impossibile est, vt vniatur secundùm secundam. Et hę sunt obiectiones hæreticorum.

RESOLVTIO.

Quidquid dicant Valentinus, Apollinaris, & Eunomius, Christus naturam humanam & secundùm corpus, & secundum animam assumpsit.

¶ Respon. Ad primum dicendum, quòd natura humana & diuina non conueniunt genere, nec specie: tamẽ sunt in similitudine secundùm aliquem modum: nõ quia diuina natura assimiletur corporeæ, sed magis quia ipsa natura corporea assimilatur diuinæ secundùm aliquam similitudinem, quia est condita iuxta exemplar diuinæ sapientiæ. Et præterea est in participatione bonitatis diuinę secundùm aliquem gradum, & ipsius bonitatis vestigium, secundùm quod dicit B. Dionysius: *Nihil eorum quæ sunt, est vniuersaliter boni participatione priuatum: vt eloquiorum veritas ait, omnia bona valde:* (Dionys. in li. hierar. angelicæ, c.2.) est ergo ex omnibus intellectualibus & materialibus formare dissimiles similitudines. Distinguendum tamen est, quòd est similitudo creaturæ ad Deum secundùm imaginem, & secundùm vestigium. Secundùm imaginem, vt rationalis anima: & secundùm vestigium, vt irrationalis & corporea substantia; in qua etsi non sit imago expressa trinitatis, est tamẽ vestigium summæ bonitatis.

¶ Ad secundum dicendum, quod duplex est esse. esse naturæ, & esse ordinis. Similiter duplex est distãtia, essentialis siue naturalis; quantum ad esse naturæ, & quantum ad esse ordinis. Distantia quantum ad esse naturæ facit hoc non esse hoc: siue hanc rem non esse illam. Distantia verò quantum ad esse ordinis facit hanc rem non esse ordinatam ad illam, siue non ordinari ad illam. Secundum primum modum maior est distantia Dei siue diuinæ naturæ ad quamlibet creaturam, quàm alicuius creaturæ ad quamlibet creaturã aliam incomparabiliter. Et hoc modo verum est, quòd maior est distantia Dei ad humanum corpus, quàm corporei calidi ad corporeum frigidum: vt

ignis ad aquam. Sed secundum secundum modum dicendum; quòd est distantia parua corporis humani ad Deum siue ad diuinũ spiritum; & minus distat quàm corporeum calidum à frigido, quia hoc non ordinatur ad illud, cum sit ei contrarium, hoc verò ordinatur ad Deum in relatione propinqua: ad diuinum enim esse ordinatur quicquid ab ipso conditum est, non solùm spirituale esse, imò corporale. Vnde sicut in spiritualibus (sicut alias ostensum est.) magis accedit ad ipsum rationalis anima: ita in corporalibus magis accedens ad ipsum * etiam corpore natura humana: ad corpus enim humanum ordinantur omnia corporea, nec est aliquod corpus in vniuerso, cũ quo non conueniat, propterea cùm sit vltimum corporum in genere corporum, immediatè se habet ad Deum, & ideo vnibile est.

* al. corporea omnia humani.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quamuis corporea natura de se, secundùm quod corporea, non sit ordinata ad vnionem cum Deo, quæ est per gratiam & gloriam; tamẽ corporea natura secundùm quod humana & rationali anima viuificata, & perfecta, ordinabilis est ad illam, non secundùm se, sed secundùm illam: & etiam ipsa rationalis anima ordinabilis est ad beatitudinem in creatore suo secundùm partem intellectiuam, qua non conuenit cum corpore; & secundùm partem sensitiuam, qua vnitur cum corpore. Vnde dicit B. Augustinus: (vt supra dictum est) Propterea Deus factus est homo, vt totum hominem in se beatificaret; vt conuersio hominis ad ipsum, & tota dilectio esset in illo: cum assensu carnis videretur per carnem, & assensu mentis per Deitatis contemplationem. Et hoc est totum bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, in pascua foris in humanitate saluatoris, & pascua intus in Deitate creatoris inueniret.

Augus. in lib. de anima & spiritu, c. 9.

MEMBRVM V.

An corpus assumptum sit mediante anima.

CONSEQVENTER est quærere, vtrùm corpus sit assumptum mediante anima? Ad quod sic: Separata anima à carne, adhuc mansit vnio Deitatis & carnis: ergo immediatè vniebatur caro Deitati, non igitur mediante anima vel intellectu.

¶ Item, essentialiter est Deitas in omni creatura, & immediatè; quia non in vna creatura per aliam. Sed multo magis est in humana natura, in qua est essentialiter & personaliter, ergo est in humana natura, scilicet corpore, & anima immediatè; non in vno propter aliud; ergo sine medio vnitur Deitas carni.

¶ Item, cùm in vnione anima aliquo modo ponatur medium; quomodo separato medio ab extremis, sicut in morte Christi anima à corpore, non separatio extremi ab extremo, id est deitatis à corpore? Si ergo manet vnio deitatis ad corpus, non est inter illa medium rationalis anima.

¶ Ad oppositum est Ioan. Damasc. *Vnitum est carni per intellectum Dei verbum.*

¶ Item Greg. *Carnem Deitas mediante anima suscepit.*

¶ Item Augustinus: *Ipsa Deitas animam rationalem, & per eandem corpus sibi humanum aptauit.*

Damasc. lib. 3. c. 3. Gregor. epist. 3. Augus. in epist. ad Volusia.

RESOLVTIO.

Corpus à Verbo assumptum est mediante anima veluti medio congruitatis, non veluti medio necessitatis.

¶ Responsio. Distinguendum quod est medium necessitatis, & est medium congruitatis. Medium necessitatis ligat extrema, ita quod eo remoto, separantur extrema; quemadmodum armonia siue contemperantia corporis dicitur ligãs animam & corpus: ideo ipsa destructa, sequitur separatio. Medium verò congruitatis non ligat extrema; sed dicit ordinem in extremis, quemadmodum est in elementato: quamuis enim simul sint elemẽta quatuor; tamen ordine naturę media sunt inter ignem, qui est subtilissimus; & terram, quæ est grossissima; aër & aqua. Secundùm ergo hunc modum si loquamur de medio necessitatis inter spiritualem substantiam increatam, quę est deitas; & corporalẽ creatam in Christo, nullum fuit medium. Si verò loquamur de medio secundùm ordinis cõgruentiam, medium est duplex, scilicet spiritus, & anima; quia inter spiritualem naturam non conformem corpori, & corpoream substantiam non conformem spiritui diuino, sunt duo media ordinata naturæ; videlicet natura spiritualis conformis spiritui diuino; & spiritualis natura cõformis spiritui humano. Et hæc dicitur spiritus & anima; spiritus quantum ad superiorem partem animæ, in quantum est separabilis: anima verò secundum inferiorẽ partem, secundùm quam est animans corpus, & vnibilis. Et hoc modo intelligitur quod à doctis dicitur; per spiritum & per animam corpus humanum sibi coaptauit.

¶ Et per hoc patet solutio ad primum, & secundum obiectum. Vnde Augustinus. *Vt supremum animæ intelligentia siue mens, quæ dicitur spiritus, imaginem & similitudinem gerit superioris: id est Dei, vnde & eius susceptiua esse potuit: & ad vnionem personalem, quando ipse voluit, absq; vlla demutatione naturæ suscepta fuit. Sic supremum carnis, id est sensualitas animæ gerens similitudinem ad vnionem personalem eius essentiam suscipere potest, id est animæ.* Vnde relinquitur, quòd hoc modo inter Deum & corpus medium est spiritus & anima.

Augus. in lib. de anima & spiritu, c. 4.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod cùm summa bonitas communicat se alicui, nũquam ab eo recedet, cui se cõmunicat: nisi esset indignitas illius, aliter nõ esset summa bonitas: & hoc tenet, siue communicet se dando gratiam, siue vniendo se cum creatura. Quia ergo humana natura in Christo tam in corpore quàm in anima non fuit possibilis ad indignitatem: non fuit separabilis vnio verbi ad carnem; sicut nec animæ ad corpus.

MEMBRVM VI.

An persona humana assumpta sit à Christo?

DEINDE quæritur, vtrùm persona sit assumpta? Ad quod sic obiicitur per authoritatem Ioan. Damasc. *Verbum incarnatum Deus neque eam, quæ nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit: non enim hoc est incarnatio, sed fictio incarnationis: neque eam quæ in specie consideratur, sed eam quæ in athomo: primitias enim assumpsit nostræ massæ, non enim secundùm seipsam iam subsistentem & athomum existentem prius, & ita ab ipso assumpta, sed in ipsa filij hypostasi existente.* Igitur assumpsit naturam in athomo: sed natura existens in athomo est persona, ergo assumpsit personam: persona enim est rationalis indiuidua substantia, quod conuenit naturę in athomo.

Damasc. lib. 3. c. 11.

¶ Item, Richar. dicit: *In diuinis determinatur persona penes rationem originis: in angelis verò penes rationem quantitatis: in homine verò secundùm vtrumque modum.* Cùm ergo in natura humana assumpta sit alia proprietas originis, quàm in filio Dei: quia descendit secundùm carnem à matre, & secundùm naturam diuinam est à patre: item alia est proprietas qualitatis siue formæ, ergo similiter est alia & alia personalitas.

Rich. de S. Vict. li. de Trinitate.

¶ Item Anselm. dicit, quòd filius Dei non assumpsit hominem simpliciter, sed hunc hominem scilicet Iesum. Si ergo hic homo Iesus est rationalis naturæ indiuidua substantia, ergo assumpsit personam.

Ansel. lib. de Incarnatione Verbi.

¶ Item, persona est res distincta proprietate, ad dignitatem pertinente, secundùm aliam diffinitionem. Vnde dicit Boëtius, quòd hoc nomen dignioribus substantiis accommodatum est. Si ergo cùm homo assumitur, natura eius exaltatur, nec aliquid de proprietate, vel dignitate eius minuitur: relinquitur igitur quod persona est assumpta.

Boet. in li. de duabus naturis & vna persona Christi.

¶ Item, cùm sint tres actus concurrentes simul, creare, assumere, & vnire: constans est quod creare prius est quàm assumere; ita quod cum est terminus creationis, est inceptio assumptionis; cum ergo creare terminetur ad actu ens, ergo erit assumptio entis actu: ergo & personæ, cũ ens actu hic sit persona.

¶ Ad oppositum Augustinus: *Deus naturam hominis assumpsit, non personam.* Relinquitur igitur quod non assumpsit personam.

Augus. in li. de fide ad Petrũ cap. 2

Boet. contra Nestorium. ¶ ITEM Boetius: *Si duabus personis manentibus in Christo, coniunctio facta est naturarum. vnum de duobus nihil effici potuit: omnino enim ex duabus personis nihil vnum effici potest.* Nihil igitur vnum secundùm Nestorium Christus est: ac per hoc omnino nihil. (Quod enim non est vnum, necesse omnino potest.) Sed esse Christum manifestè & veraciter confitemur: vnum igitur dicimus Christum. Quod si ita est, veram sine dubitatione personam esse necesse est.

¶ ITEM, si persona assumpta est, necesse est in Christo duas esse personas, quia non potest dici absorberi persona humana in assumendo, cùm non fuerit prius persona, quàm assumpta: Manent igitur in Christo & differentes naturæ, & diuersæ personæ: non est igitur vnum in natura, nec vnum in persona. Relinquitur igitur, quòd non est vnio Dei ad hominem, nisi sicut in alijs hominibus; quod est absurdissimum. Relinquitur igitur, quod persona non est assumpta.

RESOLVTIO.

Cùm ad esse personæ inter cæteras distinctiones requiratur distinctio dignitatis: hæc autem in Christo non possit esse, nisi ex parte diuinæ naturæ: iure negandum est personam humanam ab eo assumptam esse.

¶ QVOD côcedendum est, & respondendum ad obiecta, dicendo: quòd ad esse personæ requiritur triplex distinctio, scilicet singularitatis, incommunicabilitatis, & dignitatis. Distinctio singularitatis est in anima aliqua, dum est in corpore: est enim distans à qualibet anima aliqua proprietate singulari. Distinctio verò incommunicabilitatis est, quam habet aliquod singulare, vt iste asinus animal: sed hoc non habet anima existens in corpore, cùm ipsa & corpus communicent in constituendo vnum esse. Distinctio verò dignitatis est, qua prius aliquis homo distinguitur ab alio rationabilitate indiuiduali, quæ quidem est dignissima proprietas: quia (sicut dicit Boëtius:) hoc nomen, persona, dignioribus accommodatum est substantiis. Ad esse ergo personæ requiritur hæc triplex distinctio, singularitatis, incommunicabilitatis, & dignitatis, quæ attenditur secundùm proprietatem digniorem. Dicendum ergo, quòd prima distinctio est in anima Christi, scilicet singularitatis, & etiam in corpore: prima & secunda est in composito ex anima & corpore, quæ potest notari, cùm dico, hic homo, demonstrato composito ex anima & corpore, scilicet singulare. Prima verò, & secunda, & tertia est in Christo Deo homine. Et quamuis primam & secundam possit habere ex parte humanæ naturæ; tamen tertiam non potest nisi ex ratione diuinę personæ: & ita esse personam in Christo non est ratione humanæ naturæ. Cùm enim ratio personæ assumatur ab excellentiori proprietate & digniori; dignior autem proprietas in Christo non est ex parte humanæ naturę, sed ex parte diuinæ personæ: sed propterea relinquitur quod non est assumptio personę. Distinctio enim personarum debet esse secundùm id, quod in ipsis personis inuenitur nobilius. Quia ergo in homine assumpto nobilissimum est esse filium Dei, ideo secundùm hoc inest ei distinctio personalis, vt sit vna persona cum filio Dei. (Boetius.)

¶ AD primum ergo, quod obijcitur de Ioan. Damasc. quòd assumpsit humanam naturam in athomo, verũ est: non tamen sequitur ex hoc, quod assumpsit personam: quia per athomum, quod est idem quod indiuiduum, nõ notatur nisi distinctio singularitatis, vel incommunicabilitatis: non dignitatis, à qua sumitur ratio personæ.

¶ AD secundum verò, quod obiicitur ex Richardo, dicendum est: quòd licet sit alia proprietas naturæ & originis in homine assumpto, quàm in filio Dei, non tamen sequitur quod alia persona, quia persona sic dicit rem cõpleram, & sic diffinitam, vt nõ sit possibilis ad vlteriorem vnionem, & distinctã per proprietatem digniorem: quod non conuenit Christo secundùm quod homo.

¶ AD tertium Anselm. dicendum, quòd cùm dicit, assumpsit hunc hominem; per hoc non demonstratur persona, quæ vna est filij Dei, & filij hominis: sed demonstratur indiuiduum, scilicet illud constitutum ex corpore & anima singulari. Et quòd obiicitur quod est rationalis naturæ indiuidua substãtia, ergo persona. Dicendum est, quòd vis est in hoc, quod dico, indiuiduum, & importatur illa triplex distinctio, quæ dicta est. Vnde negandum est, quòd non est indiuidua; cùm sit adhuc possibile ad vnionem cum digniori substantia.

¶ AD quartum dicendum, quòd iam patet responsio: quia nec persona assumitur, nec tamen est diminutio dignitatis, sed personalitas est à proprietate digniori.

¶ AD quintum dicendum, quòd aliquando creatur aliquid per se, aliquando vt in alio. Si sit creatum per se, nõ in alio, & sit indiuiduum rationalis naturæ, erit persona. Si verò sit creatum vt in alio; licet sit indiuiduum naturæ rationalis, non tamen erit persona; quia non est à quolibet alio distincta substantia. Et hac ratione nec rationalis anima, quæ infundendo corpori, creatur, & creando infunditur, non est persona, simili modo quia hoc compositum ex corpore & anima creando assumitur, & assumẽdo creatur; non potest dici persona.

¶ ET si obiiciatur, secundùm quod obiicit Ansel. quia Deus est persona, homo assumptus est persona, ergo duæ personæ sunt in Christo. Respon. Quemadmodum pater est Deus, filius est Deus, non tamen plures dij, sed vnus est Deus: ita in Christo Deus est persona, homo est persona, non tamen duæ personæ, sed vna persona. Nec designari potest filius Dei sine filio hominis, vel econuerso: quia idem est filius Dei, & filius hominis: & eadem est Verbi & assumpti hominis proprietatum collectio. Diuersarum autem personarum impossibile est earundem proprietatum esse eandem collectionem: aut eadem de inuicem prædicari. (Ansel. in lib. de incarnatiõe Verbi.)

¶ ITEM quæritur, cùm anima sit nobilissimum in homine, sicut filius Dei in Christo, quare anima non dicitur assumere corpus in personam suam, sicut filius Dei hominem. Ad quod redditur multiplex ratio. Vna est, quia assumens prius est, quàm assumptum: & quod assumit, inseparabiliter assumit; quorum neutrum conuenit animæ respectu corporis. Item assumens, cùm vnitur assumpto, efficit aliquam vnitatem, anima autem non facit vnionem sui ad corpus, quia simul creatur & infunditur. Item assumens, & assumptum nõ componunt aliquod totum, nec sunt partes alicuius totius; sed anima cũ corpore hominem componit, & sunt partes illius. (Quæstio literalis.)

¶ ITEM, cùm hoc dubitatur de quodam, quod dicit Magister in 3. Sententiarum, scilicet quòd anima separata à corpore est persona. Sed cùm persona sit attributa rei ex aliqua dignitate: in resurrectione corporum minueretur eius dignitas. Vnde dicendum, quòd anima separata non est persona, quoniam est substantia communicabilis, licet non communicans. Vnde non est verum, quod dicit Magister, nisi ipse accipiat personam pro indiuiduo: & huius rei determinatio alibi plenius inuenitur. (Dubitatio.) (Lapsus Magistri 3. sen. d. 5.)

MEMBRVM VIII.

Qualiter intelligatur homo assumptus. Quid item supponatur, cùm dicitur humana natura assumpta à Christo. Et an Christus assumpserit hominem.

CONSEQVENTER quæritur: qualiter intelligitur homo assumptus? Ad quod obiicitur primò sic de authoritatibus Ioannis Damasceni, qui dicit, quod non est sumere communem speciem in Domino Iesu Christo: ergo Christus secundùm quod homo nõ est eiusdem speciei cum alijs hominibus: ergo homo dicitur æquiuoce de de Christo, & de alijs. (Damasc. lib. 3. de orthod. fide, c. 11.)

¶ ITEM de quolibet, qui est homo, prædicatur ipsa species communis. Si ergo communis species non prædicatur de Christo: quia non est ibi communem speciem sumere, relinquitur quod Christus non est homo. Cùm ergo

ergo Christus sit homo: relinquitur, quod est commune speciem sumere.

¶ Ad oppositum sic: Species est totum esse indiuiduorum, sicut hęc species, homo, est totum esse particularium hominum. Sed homo nō est totum esse Christi: relinquitur igitur, quod non est communem speciem sumere de Christo, & de aliis.

¶ Item quæritur, cùm dicitur humana natura assumpta à Christo, quid supponatur? Aut enim supponitur corpus, & anima, ex quibus componitur homo: aut supponitur compositum ex his. Si primo modo: ergo per humanam naturam non supponuntur partes hōminis, non compositio ipsarum: ergo si partes sic sumptæ non constituunt hominem, nō erit dicere ex assumptione corporis, & animæ humanæ * naturæ Christum esse hominem. Si secundo modo: sed compositum ex corpore & anima est homo: ergo erit dicere Christum assumpsisse hominem. Sed assumens non est assumptum, vt dicitur in Regulis fidei: ergo Christus non est homo.

* al. verè.

¶ Item, si assumpsit hominem: aut igitur hominem communem speciem, aut singularem. Si primo modo tantùm: ergo accidit error, qui destruitur à Ioanne Damasceno. Si secundo modo, ergo assumpsit personam: cùm homo singularis sit persona: quod est error. Non enim persona assumpsit personam, sed natura: sicut dicit Augustinus.

Psal. 64. August.

Occasione huius quæritur, vtrùm assumpsit hominem. Ad quod inducuntur authoritates, & rationes: primò ex Psalm. *Beatus, quem elegisti, &c.* Augustinus: *Anathema sit, qui dicit filium Dei hominem semel assumptum deposuisse.*

¶ Item, filius Dei assumpsit corpus, & animam simul iuncta: sed corpus, & anima simul iuncta faciunt hominē: ergo filius Dei assumpsit hominem. *

¶ Item, homo (propriè loquendo) denominatur à proprietatibus animæ, vnde propriè dicitur rationalis: & similiter à proprietatibus corporis, vnde propriè dicitur coloratus: ergo multo fortius denominabitur à proprietatibus vtriusque: ergo cùm assumptio sit dispositio corporis & animæ, propriè debet dici homo assumptus, ergo filius Dei assumpsit hominem.

¶ Ad oppositum: assumpsit hominem, sed non nisi istū; ergo iste homo est assumptus, ergo persona est assumpta, quod est error iam damnatus.

RESOLVTIO.

Homo intelligitur assumptus à Christo in natura singulari. Quamuis non nisi impropriè Christum hominem assumpsisse dicere possimus. Natura item humana assumpta supponit componentia vnita.

¶ Responsio ad primum: Actus per se attribuuntur ipsis singularibus, per accidens verò ipsi speciei. Vnde per se actus currendi conuenit singulari, cùm dicitur homo currit; per accidens verò ipsi speciei. Secundùm ergo hunc modum dicendum, quòd assumi importat actum, qui per se conuenit naturæ singulari vnitæ Christo: per accidens verò ipsi naturæ vniuersali. Quod ergo dicit Ioan. Damasc. non contradicit: quia non intendit negare, quin per accidens natura vniuersalis sit assumpta à Christo: sed quod ipsa vniuersalis natura non sit assumpta sine natura singulari, quæ supponitur per se, cùm dicitur natura assumpta à Christo.

Damasc.

¶ Ad illud quod obiicitur de authoritatibus Ioan. Damasc. quòd in Domino Iesu Christo non est communem speciem sumere: Dicendum quod ita intelligitur, quia non conuenit de Christo dicere communem speciem conflatam ex Deitate, & humanitate: quia nec Deus esset, nec homo: sicut dicebant hæretici, sicut patet per hoc, quod subditur: Neque enim factus est, neque aliquando fiet alius Christus. Non negatur ergo, quòd secundùm quod homo, de ipso non prædicetur ipsa communis species, & vniuocè sicut de aliis. Vel potest intelligi aliter, quòd non eodem modo prædicatur de Christo, & de aliis: quia prædicata de aliis comprehendu totum esse ipsorum: sed prædicata de Christo non comprehendit totum esse Christi, quia non comprehendit Deitatem. Non tamē sequitur quod dicatur æquiuocè de Christo: quia prædicata de Christo prædicat totum esse eius quantum ad humanam naturam eo modo, quo & aliorū hominum. Et ideo vniuocè. Et per hoc patet solutio ad omnia contra hæc obiecta.

Idem.

¶ Ad tertium verò obiectum, quo quæritur: quid supponatur, cùm dicitur humana natura? Dicendum, quod refert dicere humanam naturam, & hominem, & humanitatem: quia humana natura dicit componentia vnita; homo verò nominat quod est ex his: humanitas verò nominat illud, quo est. Dicendum est ergo, quòd humana natura supponit ipsa componentia, sed vnita. Si enim intelligerentur separata corpus & anima, non intelligeretur totalitas naturæ: quia naturæ totalitas ponit non solùm ipsas partes, sed etiam vnionem ipsarum.

¶ Ad illud verò, quod quæritur vltimò, vtrùm assumpsit hominem; Respondetur: quod (propriè loquendo) cùm homo dicat quod est constitutum ex corpore & anima, & sic completum, vt non possibile ad aliud complementum: completum autem ex corpore, & anima rationali, est persona; ideo sicut non concederetur hæc: assumpsit personam: ita etiam non conceditur hæc, assumpsit hominem, propriè loquendo. Quia ex ratione Verbi assumptionis, scilicet, assumpsit, videretur quoddam constitutum ex corpore & anima ante vnionem. Tamen sub improprietate, secundùm quam nos accipimus hominem pro humana natura, & naturam humanam pro corpore & anima vnitis; dicitur homo assumptus. Vnde & illæ authoritates secundùm hanc improprietatem accipiendæ sunt, vt accipiatur ibi homo pro hominis natura.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, assumpsit corpus, & animam simul coniuncta: ergo assumpsit hominem. Dicendum quod non sequitur, immò est ibi mutatio prædicamenti: commutatur enim ibi quid in quis: procedit enim ab assumptione naturæ ad assumptionem personæ.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quòd homo denominatur à dispositione suarum partium, quæ sunt partes siue dispositiones absolutæ: sed non à dispositionibus, quæ sunt respectiuæ. Vnde cùm esse partem sit dispositio respectiua animæ: cùm dicitur anima est pars hominis; non tamen ab hac denominatur homo, vt dicatur, homo est pars hominis. Eodem modo cum assumptio sit proprietas respectiua vtriusque partis, non dicetur de toto quod constituitur ex partibus, quia non denominat ipsū: & ideo non valet illud, ergo filius Dei assumpsit, &c.

QVÆSTIO V.

De coassumptis humanæ naturæ.

In tria Membra, & duos Articulos diuisa.

Consequenter quæritur de coassumptis, scilicet pœnalitatibus. Circa quæ quæruntur plura. Primò, an Christus assumpsit humanam naturam cum passibilitate, & defectu. Secundò, quos defectus assumpsit, & quos non. Tertiò, ad quos assumpsit ista. D. Tho. 3. par. q. 15. Bon. & Scot. in 3. d. 15.

MEMBRVM I.

An Christus assumpserit humanam naturam cum passibilitate, & defectu.

Ad primum sic obiicitur: Ioan. Damascenus diuidit inter actum, & passionem. Motus secundùm quod fiunt ab anima secundùm naturam, actus sunt: secundùm autem quod immoderate fiunt, & præter naturam, passiones sunt. Si ergo in Christo non est ponere immoderan- Damasc.

moderantiam motus animæ; non erit in eo ponere passionem, ergo nec passibilitatem.

Remig. ¶ ITEM, Remigius definit passionem sic: *Passio est motus animi per suspicionem boni & mali.* Si ergo vbicunque est suspicio, est incertitudo; in anima autem Christi nulla fuit incertitudo, relinquitur quod nec suspicio boni & mali; ergo nec passio.

¶ ITEM, omne, quod patitur ab aliquo, est inferius eo, à quo patitur. Si ergo natura Christi nulla virtute creata est inferior; ergo à nulla creatura potest pati. Illud enim quod infert passionem; semper virtuosius est eo quod patitur.

Aug. li. 9. de ciuit. Dei, c 4. de lib. 14. cap 9 ¶ ITEM, quatuor sunt perturbationes, sicut dicit Augustinus, scilicet gaudium, dolor, spes, & metus. Ex bono, quod mouet in præsenti, est gaudium: ex malo dolor: item ex bono, quod mouet in futuro, est spes; ex malo metus. Vnde Boëtius:

Boet. de consol. li. 1. poes. vl.

Vincere si vis tramite recto,
Gaudia tolle, pelle timorem:
Spemq; fugato; nec dolor adsit.

Damasc. Si ergo anima Christi non erat nata ab aliquo perturbari, ergo non erit passibilis; passio enim diffinitur à Damasc. motus appetitiuæ sensibilis in imaginatione boni & mali.

¶ ITEM, cuius non est causa, eius non est effectus ordinatus ad causam illam. Sed causa passibilitatis, secundùm quod pœna est, est culpa; ergo cuius non est culpa, nec eius passibilitas est. Cùm ergo in Christo non fuerit culpa, ergo nec passibilitas.

¶ ITEM, iniustum est innocentem & non delinquentem puniri. Si ergo Christus fuit omnino innocens; iniustum erat in eo esse pœnam, vel passibilitatem.

¶ ITEM, passibilitas est in spirituali substantia dupliciter. Vno modo secundùm quod cõtrahitur per culpam alterius mediante carne, vt in animabus paruulorum; & tunc simul contrahitur pœna & culpa. Alio modo secundùm quod cõtrahitur per culpam propriam mediante inordinata voluntate, vt in dæmonibus. Sed neutro istorum modorum potest pœna contrahi ab anima Christi, ergo nullo modo erit in ea passibilitas.

¶ ITEM, summum gaudium non compatitur secum passionem. Si ergo in anima Christi erat summũ gaudium ex gloria fruitionis inseparabiliter; ergo non poterat inesse passio.

2. Cor. 12. ¶ ITEM, Paulus in raptu nesciuit, an in corpore esset, an extra corpus: ergo non fuit in eo sensus, an anima esset in corpore; ergo nec sensus eius, quod est pati in corpore; ergo manente raptu, non pateretur; si esset tunc in carne passio. Cùm ergo plus sit semper adhærere deitati, quàm per vnam horam, ergo adhærentia animæ cum deitate in Christo multo fortius absorbuit sensum passionis, quæ fuit in carne.

Gregor. ¶ ITEM, Moyses vidit Deum nõ in sua specie, sed sub quibusdam figuris: sicut dicit B. Gregor. Quamdiu in hoc corpore viuimus, videri potest Deus per quasdam imagines; per substantiam autem suam videri nõ potest. Si ergo Moyses ex ipsa visione tãtam concepit delectationẽ; qua absorberet passionẽ ieiunij quadraginta dierũ; ergo multo fortius anima Christi, quæ videbat Deum facie ad faciẽ sine omni figura, abstrahebatur ab omni sensu passionis.

Seneca. ¶ ITEM, probat Seneca, quòd in sapientem non potest cadere perturbatio aliqua, ergo nec passio. Sapientem autem Christum nullus negabit; ergo in Christo non potuit cadere passio.

¶ PRÆTEREA, ratio ad hoc. Validius est quod lędit à quàm quod læditur: nõ est autem nequitia validior virtute: non autem læditur quis nisi ab homine nequam. Relinquitur ergo quòd non potest lædi sapiens.

¶ ITEM, omnis iniuria est diminutio alicuius rei, quæ auferri non potest; sapiens autem nihil potest perdere: omnia enim in se reposuit, & nihil fortunæ credit; bona sua habet in solido, virtute contentus, qui fortuitis non indiget; Ergo non potest res ipsius augeri vel minui, ergo non potest pati iniuriam, ergo non est passibilis.

¶ ITEM, nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem autem non dat, ergo eam non detrahit. Libera ergo est virtus, inuiolabilis, inconcussa; ergo habens virtutem, non potest pati iniuriam.

¶ AD oppositum sic; Ioan. Damasc. *Anima corpore inciso condolet, & patitur: Et hoc est, quia vnitur corpori passibili.* Cùm ergo fuerit tale corpus Christi: fuit in corpore passibilitas, & in anima compassibilitas. Damasc.

¶ ITEM Damascenus: *Omne, quod est creatum, est vertibile secundùm generationem, & corruptionem, vel alterationem.* Cùm ergo anima Christi creata sit; & corpus erit vertibile secũdùm generationem, & corruptionem, vel alterationem. Sed omne tale est passibile, ergo corpus & anima Christi est passibile per naturam.

¶ ITEM, non inest actus alicui, nisi fuerit eadem potentia ad actum eundem; & cui inest finis actus eidem inest actus. Si ergo finis naturæ assumptæ est redemptio per sustinentiam pœnæ; ergo inerit ei actus & potentia sustinendi pœnam, ergo passibilitas. Idem.

¶ ITEM, ad hoc sunt autoritates: *Verè languores nostros ipse tulit, &c.* Et, *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Isai. 53. Matt. 26.

RESOLVTIO.

Assumpsit Christus humanam naturam cum passibilitate, non cum contraria dispositione ad patiendum, vel quæ esset cum necessitate ad patiendum: sed quæ erat cum dispositione ad patiendum.

¶ RESPONSIO: secundùm Ioan. Damasc. *Passio generaliter dicta est motus ex alio in aliud.* Hoc autem potest esse dupliciter: vel in aliud secundùm naturam, vel in aliud præter naturam. Si verò in aliud secundùm naturam fit mutatio vel motus; dicetur tunc passio & passibile à paschin græco, quod sonat informationem; & hoc modo dicitur anima passibilis, id est, receptibilis illorum intelligibilium, scientiarum, & virtutum; ad quod secundùm naturam nata est. Hoc modo generalissimè dicitur passibilitas respectu cuiusque creaturæ, inquantum est receptibilis cuiuscunque perfectionis. Si verò est præter naturam; tunc passio dicitur specialiter, secundùm quod distinguit Ioannes Damascenus inter operationem, & passionem: quia operatio dicitur motus, qui est secundùm naturam: passio verò dicitur motus, qui est præter naturam; sicut cordis pulsus non secundùm naturam motus passio est: Non tamen (sicut dicit Damascenus) omnes motus passiui passiones vocantur, sed qui sunt vehementiores, & in sensum procedentes. Qui enim parui sunt, & insensibiles, nondum passiones sunt. Ideo diffinietur passio secundùm hunc modum: *Passio est motus præter naturam sensibilis.* Damasc. Idem. Damasc.

¶ DISTINGVENDVM est ergo secundùm hunc modũ, quod cùm passibilitas sit potentia patiendi, potentia autem tripliciter consideratur: primò vt potentia indisposita ad patiendum, secundò vt disposita ad patiendum; tertia vt necessitas ad patiendum. Dicendum ergo quod in Adam fuit potentia ad patiendum, sed indisposita in statu innocentiæ. In nobis verò est potentia, quæ est cum necessitate ad patiendum. In Domino verò Iesu fuit medio modo, scilicet potentia cum dispositione ad patiendum. Assumpsit ergo naturam nostram cum passibilitate, non cum contraria dispositione ad patiendum, (quia omnia subiecta erant eius voluntati. Oblatus est, quia voluit) sed quæ erat cum dispositione ad patiendum. Isai 53.

¶ AD rationes autem in contrarium; Dicendum ad primam, quòd sicut moderantia dicitur duobus modis, scilicet secundùm naturam, & secundùm rationem. Ita & immoderãtia duobus modis dicitur secundùm naturam, quæ nullo modo est culpabilis, sed pœnalis: secundùm rationem verò, quæ non solùm est pœnalis, sed culpabilis. Dicendum ergo, quòd in Christo non fuit immoderantia secundùm modum secundum, sed secundùm primum. Sed distinguendum immoderãtiam secundùm naturam dupliciter, scilicet in dispositione, vel in necessitate. In dispositione ad patiendum, sic fuit in Christo; cum necessitate verò fuit in nobis.

¶ AD

¶ Ad secundū dicendū quidam quod duplex est suspitio, secundùm rationem, & secundùm sensualitatem. In Christo ergo fuit suspitio boni & mali secundum sensualitatem: non tamen in ea fuit suspitio secundùm rationē, sed plena certitudo. Quod nobis non videtur, secundum qd suspitio dubitationem dicit. Potest igitur dici, quòd suspitio propriè sumitur: & sic dubitationē importat: & sic non sumitur in ratione Remigij. Sumitur etiam nomine extenso, prout dicit apprehensionem siue cognitionē: & sic sumitur in ratione Remigij sub hoc sensu. passio est motus animæ per apprehensionem boni vel mali: & sic sumitur in Christo.

¶ Ad tertium dicendum: qd est considerare naturam humanitatis Christi dupliciter: secundùm substantiam, & secundum dispositionem ad redemptionem. Secundum primum modum nulla creatura potest agere in humanitatem Christi: nec ipsa pati ab aliqua. Sed secundùm modum secundum est assumpta passibilitas, & potentia sustinendi voluntariè pœnam à creatura inferiori.

¶ Ad quartum dicendum sic. Perturbatio quandoq; est motus sensualitatis: sic fuit in Christo. Prout est motus partis rationalis, potest esse duobus modis: vel in parte, prout est natura, & sic potuit esse in Christo ex infirmitate vel dispositione assumpta: vel prout est ratio, siue rationalis, & sic nequaquam. Potest adhuc perturbatio sumi prout passio nullo modo generans inordinationem, vt iram, vel impatientiam, vel aliquod huiusmodi: & sic fuit in Christo. Alio modo prout passio inducens inordinationem iræ, vel impatientiæ, vel alicuius huiusmodi auertentis à bono, vel prouocantis ad malum: & sic nullo modo fuit in Christo: nec huiusmodi perturbatione nata fuit aliquo modo anima Christi perturbari.

¶ Ad quintum vbi dicitur, quòd pœnæ semper causa est culpa. Dicendum per interceptionem, quia (sicut dicit Gregor. *Vtinam appenderentur*, &c.) Pœna duplicem habet ordinationem: vnam ad culpam, quæ præcedit: alteram ad gloriam, quam præcedit. Iob ergo sustinuit pœnā non propter culpam, quam ipse commisit, sed propter gloriæ augmentum. Ideo non est verum, qd omnis pœna sit propter culpam. Vnde dicitur de cæco nato. *Neque hic peccauit, nec parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Vbi etiam ostēditur, quòd pœna est aliquando propter gloriam Dei manifestandam.

Gregor. super Iob 7.

Ioan. 9.

¶ Ad sextum dicendum, & distinguendū: qd aliquis potest puniri iustè sine culpa, non tamen sine causa. Et hoc modo non est iniustum innocentem puniri. Causa autem maxima fuit redemptio humani generis, quare Christus voluit puniri.

¶ Ad septimum dicendum, qd passibilitas in anima Christi non est per modum illum, quo est in dæmonibus: vel per modum illum, quo est in animabus paruulorum omnino: aliqua tamen conuenientia est. Nam in animabus paruulorum est passibilitas per compassibilitatem, secundùm qd dicit Ioan. Dam. qd anima corpori inciso condolet & compatitur: ita & anima Christi ex vnione ad carnem habet compassibilitatem, secundùm qd dicitur. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Gloss. *Corpus patitur, & moritur: anima non moritur, sed compatitur: deitas autem neque moritur, neque patitur.* Sic ergo est quædam conuenientia passibilitatis animæ Christi, & paruulorum. Est autem dissimilitudo: quia anima paruuli habet necessitatem ad pati, & hoc ex culpa contracta: anima autem Christi habet dispositionem ad pati, non ex culpa contracta, sed voluntariè assumpta. Ex alia parte aliqua est conuenientia cum passibilitate, quæ est in dæmonibus: nam in dæmonibus, in quantum sunt spiritus creati, est passibilitas vertibilitatis per naturam, sicut dicit Ioan. Damascen. quod omne creatum vertibile est. & ita anima Christi in quantum creata vertibilis fuit per naturam, quamuis secundùm quod vnita deitati inuertibilis à bono secundùm electionem. Est autem dissimilitudo, quia in dæmonibus est passibilitas contracta ex culpa acti cum necessitate ad pœnam.

Damas.

1. ad Corinth 2. Glossa.

Damasc.

¶ Ad octauum dicendū, quod est considerare animam Christi vt animam, & est ipsam considerare vt spiritū, prout distinguit. B. Aug. Anima ex eo dicta est, qd ad viuendum adiuuet corpus. i. viuificet: spiritus ipse est pro spirituali natura. Spiritus namq; ad substantiam dicitur, anima dicitur ad viuificationem: inquantum est substantia rationalis, spiritus est: anima verò in quantum est vita corporis. Secundum hoc ergo dicendum: qd anima Christi secundum q. spiritus, erat in summo gaudio à prima conditione: inquantum vnita corpori passibili, habuit passibilitatem: & erat in eodem summum gaudium, & passibilitas nō tamen secundùm idem. In anima enim est natura vnibilitatis ad corpus, & ex illa parte erat passibilitas: in anima est etiam natura spiritus, secundum quam separabilis est, & manens separata, secundum quam erat beatitudo cum nulla passibilitate.

Augus. in lib. de spiritu & anima c. 34.

¶ Ad nonum dicendum, qd in raptis contemplantibus rapitur virtus sensibilis quantū ad actum suum siue vsum, & etiam actus animæ irrationalis quantum ad actū suum respectū corporis. Et ideo est qd in raptu Pauli non fuit passionis sensus, nec etiam per rationem cognitio passionis, si fieret in corpore. In anima verò Christi non erat huiusmodi abstractio, immò perfectè vires habebant vsus & actus suos in corpore: & ideo in eo fuit sensus passionis, dolor, & tristitia.

¶ Ad decimum de Moyse dicendum, qd delectatio illa, quæ erat ex visione, in Moyse non absorbuit passionem ex toto, quin pateretur ex ieiunio, quamuis diminueretur à tanto. Ex ipsa ei dulcedine visionis nō reputabat huiusmodi passionem, & ex virtute ipsius dulcedinis retardabatur effectus passionis, vt sustineret ieiunium. die 40. sicut etiam legitur in Domino Iesu factum Matth. 4. In Domino fuit aliter: quàm in Moyse, quia in Moyse fuit impassibilitas ad tempus, & secundùm dictum modum per prærogatiuam gratiæ singularis. In Christo verò fuit passibilitas per dispensationem gratiæ redemptionis. Matth. 4.

¶ Ad vltimum dicendum qd verbum Senecæ intelligendum est per se, in sapientem enim vt est sapiens, non cadit perturbatio: & hoc sumpta perturbatione eo modo, quo est inductiua inordinationis scil. iræ, vel impatientię, vel huiusmodi alicuius auertentis à bono, vel excitantis ad malum: sicut dictum iam est.

MEMBRVM II.

Quos defectus Christus assumpserit, quosve non assumpserit.

CONSEQVENTER quæritur quos defectus assumpsit: & quos non. Circa qd quæruntur quædam. Primò quæritur de defectibus ex parte animæ. Secundò de defectibus generaliter ex parte animæ & corporis.

ARTICVLVS I.

De defectibus ex parte animæ.

CIRCA primum ex parte animæ quæritur, an assumpserit ignorantiam ex parte intellectus: tristitiam verò, timorem, & iram ex parte affectus?

An Christus assumpserit ignorantiam? §. 1.

¶ QVANTVM ad primum sic obiicitur ex authoritate B. Ambr. qui dicit, quod in Christo sensus proficiebat humanus, non diuinus: exponens illud. *Proficiebat Iesus ætate, & sapientia.* Et secundum authoritatem Esaiæ. *Priusquam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam*, &c. dicit: quòd expers cognitionis infantia per humanam imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat. Ex quo expresse videtur, quòd assumpserit ignorantiam.

Ambros. lib. de incarn. Domini c. 7. Lucæ 2. Esaiæ 8.

¶ ITEM, Ioan. Dam. *Ignorantem & seruilem assumpsit naturam.*

Damasc. lib. 3. c. 21.

¶ ITEM, Ansel. *Cur non poterat ille homo verè esse ignorans: sicut verè mortalis erat.* Ex quo arguitur, cum verè assumpserit mortalitatem, quod & ignorantiam.

¶ AD oppositum sic: Ansel. *Illa assumptio in vnitate personæ filij Dei nonnisi sapienter à summa sapientia fiet: & ideo non*

Anselm. lib 2. *Cur Deus homo* c. 13. Idem.

assumet in homine. quod nullo modo vtile est, sed valde noxium est ad opus. quod idem homo facturus est: ignorantia namq; ad nihil illi vtilis esset, sed ad multa noxia.

¶ Item idem: Quomodo tot & tanta faceret opera sine immensa sapientia.

[Idem.] ¶ Item idem: *Quomodo illi crederent homines: si illum scirent nescientem. Si autem nescirent: ad quid esset ei vtilis ignorantia.*

[Damasc. lib. 3. c. 21.] ¶ Item Ioan. Dam. *Proficere dicitur ætate & sapientia per augmentationem ætatis, eam, quæ inerat sibi sapientia secundùm gratiã, in manifestatione ducens.* Qui autem dicunt ipsum ętate proficere & sapientia, vt additamentum suscipientem; non eam, quæ secundùm hypostasim est, vnionem venerantur.

¶ Item, maior est cognitio creaturæ per vnionẽ, quam per comprehensionem. Si ergo in cognitione per cõprehensionem: quæ erit in gloria, non manet ignorantia, ergo nec cum vnione poterit esse ignorantia.

¶ Item, si aliquis oculus haberet similitudines omniũ visibilium: virtus visiua vnita illi oculo haberet cognitionem omnium sensibilium: ergo cum intellectus animæ Christi vnitus sit intellectui increato, in quo sunt rationes & ideæ rerum omnium: intellectus Christi habebit cognitionem omnium sine ignorantia alicuius.

RESOLVTIO.

Cùm intellectus animæ Christi vnitus fuerit intellectui increato, cui omnia patent, nec vlla latent; ignorantia eum detentum fuisse nullatenus credendum est.

¶ Quod concedendum est.

[Magist in lib. 3. Sēt. dist. 13.] ¶ Ad primam ergo rationem, quæ procedit secundùm authoritatem Ambro. Respondet Magister, & dicit: quod hæc verba Ambrosij ex parte illuminant ad veritatem: quæ quidem est quod Christus iuxta duas naturas duas habebat scientias: Ex parte verò malè intellecta præbent materiam erroris: scil. quod Christus in principio habuit ignorantiam: propterea Magister dicit: [Idem.] *intelligenda sunt verba Ambros. vt quantum ad visum hominum, & sui sensus ostensionem profecisse dicatur.*

[Damasc. Gregor. Theol.] ¶ Ad secundam rationem dicendum secundùm Ioan. Damasc. & secundùm Gregor. Theologum. Separato qđ videtur, ab eo qđ intelligitur, & serua dicetur & ignorans caro: propter hypostaseos autem, id est, personæ indiuisibilem vnionem ditata est anima Domini futurorum cognitione, vt & reliquis diuinis signis.

[Anselm.] ¶ Ad tertiam rationem dicendum secundùm Anselmus: *Sapienter Deus assumet mortalitatem, qua sapienter & valde vtiliter vteretur. Ignorantiam verò non poterit assumere sapienter: quia nunquam est vtilis, sed semper noxia: nisi fortè per eam mala voluntas, quæ nunquam in illo erit; ab effectu restringatur vel detineatur.*

An Christus assumpserit tristitiam? §. 2.

[Matt. 26.] ¶ Post hoc quæritur: Vtrùm assumpserit tristitiam ex parte affectus. Ad quod est authoritas expressa. *Tristis est anima mea*, &c.

[Ambros. lib. 2. de Fide ad Gratianũ c. 2.] ¶ Item, ad hoc est authoritas. Ambros. *Suscepit tristitiam meam confidenter, tristitiam nomino, qui crucem prædico.*

[Esa. 41.] ¶ Ad oppositum. *Non erit tristis, neque turbulentus*, &c.

RESOLVTIO.

Assumpsit Christus tristitiam: sed non quæ statum rationis perturbaret.

¶ Resp. Est tristitia ex conditionis necessitate, & secundùm passionem; quæ attenditur in perturbatione rationis. Et hoc modo non fuit in Christo tristitia. Et est tristitia ex voluntate dispensationis, siue secundùm passionem, quæ attenditur in sensualitate præter perturbationem rationis & hoc modo fuit in Christo tristitia. Prætereà (sicut patebit) est considerare rationem vt naturam: & rationem vt rationem. Si vt naturam, sic etiam fuit tristitia secundùm rationem. Si vt rationem, sic non fuit in ratione tristitia.

An in Christo fuerit vera passio timoris? §. 3.

[Tob. 6] ¶ Consequenter quæritur: Vtrùm in Christo fuerit vera passio timoris. Ad quod est authoritas: *Quem expauescens Tobias clamauit voce magna dicens*, &c. Gloss. [Glossa.] *Christus in mortis periculo cœpit pauere, non diabolum: sed mortem naturali carnis fragilitate perhorrescens.*

[Damasc. lib. 3 Ortho. fidei. cap. 23.] ¶ Item, Ioan. Damas. *Timoris nomen duplicem habet intelligentiam.* Est enim *timor naturalis, nolente anima diuidi à corpore, propter eam, quæ in principio à conditore imposita est ei, naturalem conditionem.* Et dicit, qđ *verbum homo* factum fuit in experientia huius timoris: quia timor & pauor sunt naturalium passionum, & non subiectarum peccato.

[August. in lib. 83. q. 1.] ¶ Ad oppositum Aug. *Signum perfectionis nullus timor est.* Cùm ergo in Christo summa perfectio fuerit: in eo non fuit aliquis timor.

[Hieron.] ¶ Item Hieron. *Contristatur non timore patiendi, quia ad hoc venit: sed propter scandalum Apostolorum & euersionem Hierusalem.*

¶ Item, cum multipliciter dicatur timor. Est enim timor naturalis, quo anima non vult separari à corpore: vt dictum est. Et est timor gratuitus multiplex. Seruilis, quo aliquis existens in peccato timet pœnam æternam. Et est timor initialis, quo aliquis timet, ne possit satisfacere pro peccatis Deo. Et est timor filialis, quo filius, id est, aliquis perfectus timet offensam patris cœlestis. Item, est timor vitiosus, quo aliquis eligit peccare, ne lædatur in possessione. Humanus, quo aliquis eligit peccare, ne lædatur in corpore. Si ergo nullus istorum modorum fuit in Christo: relinquitur, quod non fuit timor in Christo. Constans enim, qđ in eo non fuit timor vitiosus, nec timor gratuitus seruilis, qui est cum peccato: nec timor initialis, qui est ex pręterito peccato: nec timor filialis respectu offensę patris per futurum peccatum; quia nec in eo fuit actus peccandi, nec potentia ad peccandum. Ergo solum fuit in eo timor naturalis, qui est respectu separationis animæ à corpore.

[Ad Philip. 1. August.] ¶ Sed contra hoc est, qđ Paulus? *Cupio dissolui; & esse cum Christo.* Et sicut dicit Aug. *Miles coronandus gaudet mori: & Dominus coronaturus timet mortem.* q.d. non.

[1. Ioan. 4.] ¶ Item, *Perfecta charitas foras emittit timorem.* Cùm ergo in Christo fuerit perfecta charitas, à Christo exclusit omnino timorem.

RESOLVTIO.

In Christo fuit timor, non profectò vitiosus, sed gratuitus & naturalis. Nec hic posterior quicunque: sed qui est per modum naturæ, vel per modum sensualitatis in apprehensione futuri mali per sensum.

¶ Solut. Dicendum, sicut dictum est: qđ est timor naturalis & timor gratuitus, & est timor vitiosus. Timor naturalis dicitur multipliciter. Est enim timor naturalis per modum naturæ, quomodo dicit Ioan. Damasc. quod [Damasc.] timor naturalis est, nolente anima diuidi à corpore, &c. propter quod anima naturaliter timet, & agoniam patitur, & refugit mortem, velut natura morbum. Est iterum timor naturalis per modum sensualitatis in apprehensione futuri mali per sensum: secundùm quod ipse Ioan. Damas. dicit alibi: [Idem.] quod malum, quod expectatur, constituit timorem: & hoc ex parte sensualitatis, non rationis. Et istis duobus modis fuit timor naturalis in Christo. Est etiam timor naturalis secundùm modum comprehensionis, quæ est secundum rationem: secundùm quod dicitur timeri malum intelligibile, vt gehenna, vel iudicium diuinum: & hic timor non fuit in Christo. Et est timor naturalis secundùm immoderationem naturæ: secundùm quod dicit. Ioan. Damas. quod timor est ex proditione [Idem.] cogitationum, & credulitate cum ignorantia: qui timor præter naturam est: quomodo non fuit timor in Christo: [Idem.] sicut dicit idem Ioan. Damascen. quia est irrationalis; & præter naturam: vnde dicit. Ideo non timuit nisi passionis tempore, & dispensatione seipsum contraxit: non enim ignorabat tempus.

¶ Item,

¶ Item, timor gratuitus dicitur multipliciter sc. seruilis, initialis, & filialis, quæ est dicendus timor offensæ, & reuerentiæ: quo vltimo modo fuit solum timor gratuitus in Christo: & hic est timor Domini sanctus, qui permanet in seculum seculi: de quo. *Replebit eum spiritus timoris Domini.* De timore autem vitioso planum est, quod nullo modo fuit in Christo.

Esa. 11.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur, quod dicit Aug. quod signum perfectionis nullus est timor. Intelligitur de timore innaturali, vel vitioso.

¶ Ad secundum Hieron. patet responsio: quia non fuit in ipso timor seu tristitia patiendi secundùm partem rationalem propter se: secundùm quod consideramus partem rationalem, sicut postea patebit: quamuis fuerit in ea secundum partem sensitalem, vel secundum rationem vt naturam.

¶ Ad tertium dicendum: quod in Christo fuit timor naturalis pœnæ vno modo prout distinctum est: & timor gratuitus alio modo, prout distinctum est.

¶ Et ad illud, quod obiicitur de Paulo. Dicendum: quod est timor secundum rationem: & est timor secundū sensualitatem. Timor secundum sensualitatem fuit in Paulo & in Christo. Item timor secundum rationem est duplex: quia est considerare rationem vt naturam, secundū quam vnitur corpori, & naturaliter per hoc compatitur. Et est considerare rationem vt rationem, secundum quod non se habet ad corpus, immò actum habet extra corpus. Primo modo habet naturalem ordinem ad corpus: secundo modo est in ordine ad Deum voluntatē. Primo modo fuit timor in Paulo & in Christo; secundo modo verò non.

¶ Ad quartum iam patet responsio; quia illud, quod dicitur. Perfecta charitas foras mittit timorem. Intelligitur de timore, qui est cum imperfectione: sicut timor seruilis, initialis, & timor offensæ: non de timore reuerentiæ: qui est timor filialis permanens in seculum seculi.

An Christus habuerit timorem reuerentiæ maiorem quàm nos habeamus? §. 3.

Esa. 11.

¶ Sed vlterius quæritur. Vtrùm Christus habuit timorem reuerentiæ maiorem quam nos? Quòd videtur per illud: *Replebit eum spiritus timoris Domini*, &c. Ergo Christus plenissimè habuit donum timoris & reuerentiæ.

¶ Ad oppositum. Timor reuerentiæ est resilitio à magnitudine diuinæ maiestatis in propriam paruitatē. Cùm ergo in nobis sit maior paruitas, quàm in Christo: maior est effectus timoris reuerentiæ in nobis, quam in Christo.

RESOLVTIO.

Cum in Christo maior fuerit voluntaria subiectio diuinæ maiestati, quàm in nobis: maior etiam in eo fuit reuerentiæ timor.

¶ Resp. Non dicitur maior timor reuerentiæ, quia in maiorem paruitatem: sed quia maior est resilitio: quæ nihil aliud est, nisi voluntaria subiectio diuinæ maiestati: quæ magis est in Christo, quam in aliquo alio: & ideo dicit. Repleuit eum spiritus timor Domini.

An in Christo fuerit passio iræ? §. 5.

August.

¶ Consequenter quæritur. An in Christo passio iræ fuerit. Et videtur quod non: cum dicat August. *Quòd ira est turbulentus animi appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt.* Sed hoc non fuit in Christo: relinquitur ergo quod in Christo non fuit ira.

Damasc.

¶ Secunda ratio Ioan. Damasc. *Ira est desiderium repunitionis.* Cùm ergo Christus nihil fecerit amore vindictæ, sed iustitiæ: relinquitur ergo quod in Christo non fuit ira.

Damasc.

¶ Tertia ratio eiusdem Io. Damasc. *Ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis, ex euaporatione fellis.* Sed hoc est prauæ dispositionis: cum ergo in Christo non fuerit aliqua praua dispositio, ergo in Christo non fuit ira.

Iob 5. Gregor.

¶ Qvarta ratio. Si in Christo fuit ira, non fuit in eo ira nisi per zelum. Sed super: *Virum stultum interficit iracundia*, &c. dicit Gregor. *Ira per vitium oculum mentis excæcat: ira per zelum illuminat.* Et inde mens turbata proficit, vt inde clarescat: sicut infirmanti oculo collyrium immittitur, & lux prius negatur, sed postea plenius restituitur. Cùm ergo in Christo non fuerit mentis perturbatio: relinquitur quod in Christo non fuerit ira per zelum: ergo nec ira vniuersaliter.

RESOLVTIO.

Adhuc & iram in Christo fuisse dicimus, citra tamen perturbationem.

¶ Resp. Ira dicitur dupliciter. Est enim ira appetitus vindictæ cum perturbatione: quomodo diffinitur ira ab August. *Ira est turbulentus appetitus*, &c. Et à Ioan. Damasc. *Ira est feruor*, &c. Et secundum istum modum non fuit in Christo. Alio modo dicitur appetitus vindictæ absq; perturbatione ex amore iustitiæ: & hoc modo fuit ira in Christo. Dicitur enim: *Tunc loquetur, ad eos in ira sua*, &c. Gloss. *Ira Dei non est perturbatio mentis, quæ est ab eo penitus aliena: sed vis, qua iustè iudicat.* August. Damasc. Psalm. 2. Glossa.

¶ Et per hoc patet responsio ad auctoritatem Aug. & ad illam Io. Dam. *Ira est feruor*, &c. Augus. & Damasc.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur de Ioan. Dam. *Ira est appetitus repunitionis*, &c. Dicendum quod appetitus vindictæ dicitur dupliciter. Vno modo proueniens ex impatientia læsæ concupiscentiæ: sicut dicit Ioan. Dam. *Ira est audax vindex læsæ concupiscentiæ.* Cùm enim concupiscimus aliquid, & prohibemur ab aliquo; irascimur aduersus eum, quomodo dicitur: *Non vosmetipsos defendentes charissimi*, &c. Alio modo est proueniens ex amore iustitiæ diuinæ: quomodo dicunt sancti: *Vsq; quo Domine sanctus æternus non vindicans sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra.* Et hoc modo solum fuit in Christo appetitus vindictæ. Damasc. Damasc. Ad Rom. 12. Apocal. 6.

¶ Ad vltimum verò, quod obiicitur de ira per zelum. Dicendum quod ira per zelum duo ponit in nobis scil. appetitum iniuriæ Dei vindicandæ ex amore iustitiæ: & perturbationem infirmitatis humanæ, ex hoc quod æstimatur defectus potentiæ ad vindicandum. Primum est perfectionis, secundum imperfectionis. Quòd ergo est perfectionis iustitiæ fuit in Christo: quando scil. eiecit ementes & vendentes de templo. Quòd autem est imperfectionis, scil. perturbatio ex æstimatione impotentiæ non fuit in Christo.

ARTICVLVS II.

An Christus generaliter omnes nostros defectus assumpserit præter peccatum?

Damasc.

Consequenter quæritur de defectibus generaliter ex parte animæ & corporis. Et cum dicat Io. Damasc. quod *Christus omnes defectus nostros accepit in se præter peccatum*, quæritur, Vtrùm hoc sit verum? Quia videtur in multis habere instantia: non enim Christus accepit errorem vel ignorantiā: nec fomitem: quia non est peccatum, sed pœna (remanet enim post mundationem à peccato originali) nec iterum omninò genera ægritudinum assumpsit Christus.

¶ Item, nec omnes defectus, qui insunt homini ex parte corporis, assumpsit Christus. Insunt enim defectus per defectum membrorum, & superabundantiam partium: quod quidem non assumpsit Christus.

¶ Si dicatur, quod illa distinctio restringitur ad defectus, quos congruebat Christum accipere. Istud nihil est: quoniam secundum hoc non posset peccatum excipi ab illa totalitate, cum non contineatur in illa.

RESOLVTIO.

Christus generaliter eos omnes hominum defectus assumpsit, qui vniuersales sunt, non qui particulares: similiter qui à peccato sunt, non qui ad peccatum.

¶ Ad hoc intelligendum est, quod defectus (prout accipitur hic) non est quæcunque rei absentia: sed priuatio alicuius rei ab aliquo, cui nata est inesse. Vnde in Adam ante peccatum potentia ad moriendum, sitie absentia corruptibilitatis seu absentia alicuius scientiæ non erant defectus: quia non erant tunc ei nata inesse. Sed pri-

uatio-

rationes eorum, quæ nata sunt inesse ipsi Adæ & alijs hominibus; huiusmodi appellantur defectus.

¶ Sed notandum adhuc, quod cum isti defectus sint pœna, dupliciter dicuntur. Est enim quædam pœna à peccato & ad peccatum: cuiusmodi est error ex parte animæ, & fomes ex parte corporis. Alius est defectus, q. est pœna à peccato, sed non est pœna ad peccatum: cuiusmodi est in nobis necessitas ad moriendum, fames, sitis, & huiusmodi. Item iste defectus est duplex: quoniã quidam sunt defectus, qui insunt vniuersaliter homini & de necessitate, vt necessitas ad moriendum, fames, sitis, & similia. Alij sunt defectus, qui non vniuersaliter insunt omni homini: sed vnus vni, alius alij; cuiusmodi sunt genera ægritudinum, & defectus membrorum. Dicendum ergo quod Dam. per hoc nomen *defectum* intelligit defectus vniuersales, non particulares: & defectus, qui sunt à peccato, non qui sunt ad peccatum scil. errorem, & fomitem: quoniam sunt initium, siue causa quoquo modo peccati.

MEMBRVM III.

Ad quid Christus huiusmodi defectus assumpserit.

3.Sent. dist.15. CONSEQVENTER quæritur, ad quid assumpsit huiusmodi defectus: & redditur duplex causa 3. Sent. dist. 15. Prima est, quod suscepit defectus corporis & animæ: vt probaretur verum corpus & animam habere. Secunda est hæc: accepit vetustatem simplam pœnæ, vt naturam duplam consumat, culpæ & pœnæ.

¶ QVANTVM ad primam causam obiicitur hoc modo. In resurrectione gloriosa non erunt huiusmodi defectus fames, & sitis in corpore: dolor & timor in anima: ergo per istos defectus non probatur veritas corporis & animæ.

¶ ITEM, defectus opponitur veritati: quia non est defectus naturæ nisi respectu veritatis naturæ: ergo per istos defectus non probatur veritas naturæ.

Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 11. ¶ ITEM, Anselmus: *Si pertineret ad veritatem humanæ naturæ mortalitas: nunquam posset esse homo, qui esset immortalis:* ergo non pertinet ad sinceritatem humanæ naturæ corruptibilitas siue incorruptibilitas: quoniam neutrum facit aut destruit hominem: sed altera valet ad eius miseriam, altera ad eius beatitudinem.

Idem in eodem. ¶ ITEM idem in eodem: *Quoniam nullus est homo, qui non moriatur: idcirco mortale ponitur in diffinitione hominis à philosophis: qui non crediderunt totum hominem aliquando potuisse, aut posse esse immortalem.* Quare non sufficit hoc ad monstrandum Christum hominem debere mortalem esse, quia verus homo erat. Ex quo relinquitur, quod nec veritas humanæ naturæ probat mortalitatem: nec econuersò.

1.Cor. 15 ¶ RESPON. Dicendum, secundùm quod dicitur: *Seminatur corpus animale, surget spirituale: & prius est quod animale, deinde quod spirituale.* Secundum hoc ergo dicendum: quod aliud est ostendere veritatem corporis vt est animale: aliud est ostendere veritatem corporis vt est spirituale: primo modo est indigens alimento: secundo modo non. Similiter aliud est ostendere veritatem animæ vt est vnita corpori animali: aliud vt est vnita corpori spirituali. Dicendum ergo quod per defectum famis & sitis probatur veritas corporis animalis: non veritas corporis spiritualis. Similiter per dolorem & tristitiam probatur veritas animæ vnitæ corpori animali: quamuis non probetur veritas animæ vnitæ corpori spirituali, vel vt separatæ.

¶ CONSEQVENTER quæritur de secunda causa, qua dicitur quod assumpsit simplam vetustatem pœnæ, vt nostram duplam consumeret, id est, culpæ & pœnæ.

¶ AD quod obiicitur sic. Si pœna passionis Christi fuit sufficiens consumptionis pœnæ & culpæ in nobis quantum ad reatum: ergo Christo passo, tota culpa & pœna debet esse consumpta in nobis. cuius videmus contrarium: quia dicit Beda: *quòd quattuor sunt nobis inflicta pro peccato Adæ scil. infirmitas, ignorantia, malitia, concupiscentia.* Ex quo videtur quod non fuit causa sufficiens nostræ redemptionis.

Beda.

¶ ITEM, sicut dicit Anselmus: *Ad satisfactionem debitam non sufficit solùm modo reddere quod ablatum est: sed pro contumelia illata plus debet reddere, quam abstulit.* Cùm ergo plus sit separatio à Deo per carentiam visionis Dei, quàm separatio animæ à corpore: ergo separatio animæ à corpore in morte Christi non satisfaciet pro reatu separationis à Deo & carentia visionis: quæ est per culpam originalem. Anselm. in lib. 1. Cur Deus homo c. 11.

¶ ITEM, cum nullum temporale sit proportionabile æterno: reatus autem separationis per culpam originalem erat æternus: ergo pro illo non poterit satisfacere passio temporalis: cum oporteat esse proportionem satisfactorij ad illud, pro quo satisfacit. Et de hoc pleniùs inferiùs inquiretur.

RESOLVTIO.

Christus defectus omnes, quos assumpsit, eò assumpsit, vt veritatem naturæ probaret: & vt nostram duplam vetustatem, pœnæ sc. & culpæ simplici sua vetustate, videlicet pœnæ consummaret.

¶ RESP. Quædam est causa sufficiens & completa, quæ non habet semper effectum sibi coniunctũ: sed tempore determinato. Et alia est, quæ habet semper effectum sibi coniunctum. Verbi gratia, motus solis circa terram est causa eclipsis sufficiens, non tamen quolibet tempore relinquit istum effectum, sed tempore determinato: ignis verò est causa caloris, & semper relinquit istum effectum. Dicendum ergo quod passio Christi est causa sufficiens & completa consumptionis pœnæ & culpæ in nobis. Sed distinguendum est: quia pœna potest considerari cum reatu separationis à Deo seu carentiæ visionis. Vel sine reatu, secundùm quod est materia & exercitium virtutis: secundùm quod distinguit. B. Gregor. quod est pœna, quæ infligitur homini propter reatum peccati: & est pœna, quæ ordinat ad meritum siue præmium. Dicendum ergo quod passio Christi sicut causa coniuncta effectui, delet omnem pœnam quantum ad reatum in illis, qui suscipiunt sacramentum suæ passionis sc. baptismum. Inquantum verò pœna & virtutis exercitium; non delet omnem pœnam in præsenti: sed in delebit futuro tempore determinato: *cum corruptibile hoc induet incorruptionem.* Gregor. super Iob 4.

¶ Et sic patet solutio ad primum.

¶ AD secundum dicendum: quod in pœna satisfactoria duo necessariò sunt scil. voluntas, & pœna. Nec oportet quod maior sit pœna, qua satisfacit: quam pœna, pro qua satisfacit: sed quod voluntas coniuncta pœnæ maior sit. Quamuis ergo separatio animæ à corpore in morte Christi non fuerit maior pœna, quàm pœna separationis à Deo: tamen voluntas coniuncta morti seu separationi animæ à corpore, maior est: voluntas enim quæ est in vnione cum Deo, gaudens de separatione animæ à corpore, est condigna satisfactio pro separatione animæ à Deo. Non ergo est satisfactoria passio ratione separationis animæ à corpore tantum, sed ratione voluntatis separationis: quæ excellit pœnam originalis peccati. Vnde Anselmus: *Si à te quæreretur, vtrùm pro toto mundo velles occidere Christum? Responderes quòd non? quia vita sua fuit nobilissima: similiter & voluntas nobilissima, qua erat existens in vnione ad Deum.* Anselm.

¶ AD tertium iam patet responsio: quia sicut in satisfactione ex parte nostra requiritur voluntas & pœna (oportet enim quod sit dolor de peccato: & quod sit gaudium de pœna) ita & in Christo fuit pœna passionis in corpore, & pœna etiam compassionis in dolore pro peccato humani generis cum voluntate maxima patiendi: in quo est complementum satisfactionis: quæ quidem erat voluntas respectu sustinendi quamcunque pœnam pro peccato humani generis: Quæ etiam voluntas ad patiendum non erat hominis puri, sed hominis vniti Deo, qui est bonum infinitum: & quia ipsa voluntas est in vnione ad infinitum bonum & æternum, proportionabilis est reatui æterno separationis, & infinito.

QVÆSTIO VI.

De constituto per assumptionem.

In tria Membra, & quinque Articulos diuisa.

D.Tho.3. par.q.16. & 17. S. Bon.in 3. d.6.Art. 1.& d.10. Art.1.Sco. in 3.d.6.

CONSEQVENTER quæritur de constituto per assumptionem. Circa quod notandæ sunt opiniones tres deinde subiungendæ sunt dubitationes, quæ incidunt circa ipsas. Sunt autem tres opiniones, quarum prima, dicit primò: quod in incarnatione verbi diuini constitutus est quidam homo ex anima rationali & humana carne, subsistens, prius vnione natura, non tempore. Secundò dicit: quod ille homo cepit esse Deus: & Deus cepit esse ille homo: ita vt Deus factus sit homo: & econuersò ille homo factus sit Deus. Tertiò, quia in Christo sunt duæ substantiæ completæ: quarum vtramq; facit aliquod in vnitate personæ, iuxta illud, *Geminæ gigas substantiæ*: dixit Christum esse duo. Quartò dicit quod assumês est assumptum, id est, filius Dei est homo siue filius hominis: tamen supposito filio hominis, non supponitur filius Dei: nec econuersò: Quintò & vltimò dicit: quod ille homo non est diuinæ & humanæ naturæ, sed tantum humanæ.

¶ SECVNDA opinio dicit primò, quod ille homo non solum constitutus est ex illis duobus scil. ex anima rationali, & humana carne: sed ex tribus substantijs in vnitate personæ scil. ex deitate, & anima, & carne: non tamen dicitur ibi deitas sicut pars. Secundò, dicit personam verbi fuisse simplicem ante incarnationem: sed in incarnatione dicit eam esse factam compositam ratione assumpta naturæ. Tertiò dicit, quod diuina persona assumpsit aliquid: non hominem hunc, vel illum: sed naturam hominis vel humanam: quod est contra primam opinionem, & ex hoc dicit Christum esse vnum tantum, & non duo. Quartò dicit: quod non cepit ille homo esse Deus, sed econuerso: quia non fuit illud suppositum hominis, ante quam ipse esset Deus; nec tempore, nec natura: quod est oppositum primæ opinionis.

Vide Magistrum in 3.dist. 6.

¶ TERTIA opinio dicit, quod illa duo, videl. anima & caro, ita sunt vnita personæ verbi, vel naturæ diuinæ in verbo: vt ex illis duobus vel tribus non sit aliqua vna substantia vel persona: sed magis verbum Dei vestitum est illis duobus velut quodam indumento. Vnde dicit, quod Christus secundum quod homo non est quid, nec verbū incepit esse quid in incarnatione; sed qualiter ens, vel quodammodo se habens. Et ex consequenti videtur dicere, quod illa vnio non fuit substantialis, sed quasi accidentis cum subiecto: accipientes illud: *In similitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo.* Istæ sunt tres opiniones per se.

Ad Philip.2.

¶ DE cætero videndum est de ratione distinctionis ipsarum: vbi tres fuerunt sententiæ. Prima quarum distinguit istas tres opiniones. Cùm enim duæ sint naturæ in hypostasi Christi: est respicere vtramq; naturam vt facientem quid in vna persona: vel vnam vt facientem quid, & alteram per modum habitus: Et hoc dupliciter: vel ita vt humana natura ponatur per modum habitus, diuina vt faciat quid: vel econuersò, vt humana natura quid, diuina per modum habitus: prout dicitur, quod à sanctis habetur Deus per gratiam inhabitantem, maximè in sancto sanctorum Iesu Christo per gratiam vnionis. Primum dicunt asserere & ponere opinionem secundam. Secundum dicunt ponere opinionem tertiam. Tertium verò dicunt ponere opinionem primam. Et hoc fortè, quia dicitur ille homo deificatus maximè secundum illam opinionem.

¶ SED contra hoc obijcitur. Nam primo opinio dicit Christum esse duo secundum duas naturas: quod non accideret, si diuina natura essent ibi per modum habitus. Item magis esset reprobanda prima opinio, quam tertia: cum magis conueniat cum fide, simpliciter Deum habitu inuentum vt hominem, quam hominem habitu inuentum vt Deum: cum hoc in diuina scriptura non legatur. illud verò legatur. Propterea non videntur ratione supra dicta distingui opiniones.

¶ PROPTER quòd dicunt alij: quod istæ opiniones distinguuntur hoc modo: duæ enim primæ dicunt assumptū à verbo esse quid: tertia verò opinio dicit, quod non assumpsit quid: sed quomodo se habens. Item prima opinio dicit, quod assumpsit quid scil. hominem, substantiam scilicet quandam coniunctam ex anima & corpore. Alia verò opinio dicit: quod assumpsit quid, non hominem: sed hominis naturam. Inde est, quod prima opinio dicit, quod Christus est duo: secunda dicit, quod Christus est vnum: tertia dicit, quod Christus secundùm quod homo non est quid: immò illa vnio fuit quasi accidentis cum subiecto. Inde est quod prima opinio concedit Deum cepisse esse hominem, & hominem cepisse esse Deū: secunda verò negat, quod non cepit homo esse Deus, sed econuerso: tertia verò dicit, quod non cepit esse quid, sed quodammodo se habens.

¶ ALII alio modo distinguunt secundum triplicem speculationem respectu esse in Christo. Est enim esse morale, & esse naturale, & esse rationale. Prima ergo opinio respexit ad esse naturale, & quia duæ naturæ sunt in Christo, dicit Christum esse duo: & quia vtraq; est completa substantia: secundum quod dicitur *Geminæ gigas substantiæ*, dicit Deum cepisse esse hominē, & hominem cepisse esse Deum. Sequens verò opinio respexit ad esse morale: persona enim nomen est dignitatis: dignitas aut ad esse moris retorquetur: vnde ad personam pertinent morales proprietates. Ista dicit: quia persona est vna, Christus est vnus; & quia vnitæ sunt naturæ in persona, ita quod Deus est homo, & econuerso; dicit Christum esse vnum: & quia completa substantia non vnitur completæ, hoc est dicere, persona non vnitur personæ, sed naturæ. (Dico autem naturam humanam, & corpus coniuncta, siue hunc hominem ex diuina, & natura humana constantem) ideo non concedit, quod homo cepit esse Deus, sed econuerso: nec quod homo est deificatus, sed Deus est humanatus. Tertia verò opinio considerat esse rationale: vnde dicit Christum esse quid secundum quod Deus: & aliquo modo se habentem, secundum quod homo: & hoc propter esse humanæ naturæ, quod aduenit post completam hypostasim. Nam cum duæ naturæ sint vnitæ in hac persona: vna earum aduenit post esse huius personæ: quod autem aduenit post esse hypostasis, non cedit in quid ipsius hypostasis; sed in qualiter ens, vid. quoquo modo se habens: & ideo ista opinio dicit, quod Christus non est quid secundum quod homo. Hæc igitur est distinctio opinionum: quarum tertia reprobata est per Decretalem Alexandri: quia propinqua est errori: sicut infrà pleniùs manifestabitur.

Decretal. Alex. Membr.3. huiusce quæstio.

MEMBRVM I.

Censura primæ opinionis.

QVÆRITVR autem de prima opinione. Contra quam obijcitur hoc modo; nā ista opinio ponit plura. Primò enim ponit, quod filius Dei incepit esse homo, & quod homo incepit esse filius Dei: & quod filius assumpsit hominem. Secundò ponit, quod assumens, id est, filius Dei est assumptum, id est, homo siue filius hominis: tamen supposito filio hominis, non supponitur filius Dei, nec econuerso. Tertiò ponit, quod ille homo non est diuinæ & humanæ naturæ tantùm.

An filius Dei ceperit esse homo; & è conuersò, & an ipsdem hominem assumpserit. §. 1.

¶ CONTRA primū obiicitur hoc modo. Ille homo cepit esse Deus; & constat quod in instanti incarnationis, ergo recenter est Deus: quod falsum est & inconueniens: nam dicit B. Aug. *etsi Christus est recens homo, non tamē recens Deus.* Aug.

¶ ITEM, si iste homo incepit esse tempore incarnationis, ergo verè poterant dici, quod non fuit tempore Abrahæ, ergo Iudæi verè poterant contradicere Christo, referentes ad filium hominis, cum ipse diceret. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Ioan.8.

¶ RESP. Ad primum, quod non sequitur, est recenter Deus, ergo est recens Deus: quia aduerbium cum sit adiectiuum verbi, ponit significationem suam, non circa suppositū, sed circa copulatum: sed (recens) cū sit nomē adiectiuum,

ctiuum, ponit rem suam circa suum suppositum: & est instantia, iste est recenter senex, ergo recens senex.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet illæ propositiones non sint contrariæ, cum in vna affirmetur aliquod de filio Dei, & negetur de filio hominis: tamen si referatur ad personam; quia eadem est persona filij Dei, & filij hominis; eadem erit contradictio: secundum quem modum vtebantur istis propositionibus Christus & Iudæi. Referendo verò ad suppositum indiuiduum, nō erit contradictio: non enim idem est suppositum hominis, & filij Dei.

An filius Dei sit filius hominis: ita vt supposito vno, supponere sit & alterum: §. 2.

¶ Contra secundū obijcitur hoc modo. Si assumens est assumptum, cum assumptum sit vnitū, & assumens sit vniens (quia verbum carnem, vel humanitatem assumere non est, nisi eam sibi vnire, vel coniungere) ergo idem est vniens, & vnitum, ergo idem sibi vnitur, quod est impossibile.

¶ Item, si assumens est assumptum, ergo assumens est humana natura, quia humana natura est assumpta, ergo pari ratione econuersò assumptum erit assumens, ergo homo erit filius Dei, vel filius hominis erit filius Dei, sed filius Dei est diuina essentia, ergo filius hominis est diuina essentia siue natura: quod negat ista opinio.

¶ Item, quæcunque vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem. Si ergo filius hominis est idem filio Dei, & filius Dei est idem cum diuina essentia: ergo & filius hominis est idem cum diuina essentia, quod ipsa negat.

Anselm. Ioan. 3. ¶ Item Anselmus: *Supposito filio hominis, supponitur filius Dei. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Ergo ille, qui descendit de cœlo, est filius hominis: & supposito illo, supponitur filius hominis: sed ille est filius, Dei: ergo supposito filio Dei, supponitur filius hominis.

August. ¶ Item dicit Augustinus; *Quicquid conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam*: ergo cum dicatur de filio Dei, quod est diuina essentia per naturam, & quod creauit mundum; potest dici de filio hominis, quod est diuina essentia, & quod creauit mundum.

¶ Item, si quod conuenit filio Dei, non conuenit filio hominis (sicut ipse dicit, quòd non propriè dicitur filius hominis creauit mundum) ergo ex hoc sequitur, si non creauit mundum, quòd non est creator mundi, ergo non est filius Dei.

Ioan. 8. ¶ Item, verba sunt filij hominis. *Ego principium qui & loquor vobis.* Aut ergo dicitur principium personaliter, aut essentialiter: Si personaliter, sed hoc modo non dicitur nisi respectu spiritus sanctus quod est falsum. Relinquitur igitur quod est principium essentialiter. Sed hoc modo non dicitur nisi respectu creaturarum, ergo filius hominis est principium creaturarum, & creauit mundum: ergo quicquid conuenit filio Dei, conuenit filio hominis, & supposito vno, supponitur alterum.

¶ Solv. Sustinendo quantum valemus secundum Catholicam veritatem istam opinionem, quæ est, quòd filius Dei assumpsit quendam hominem ex anima, & carne: & ita sibi vniuit, vt homo ille esset filius Dei, & econuersò. Dicendum, quòd possumus loqui de illo homine, non loquendo de filio Dei; vt cum dicimus, iste homo incepit esse, vel incepit esse Deus: neutrum quorum possumus dicere de filio Dei. Similiter econuersò possumus loqui de filio Dei non loquendo de filio hominis, vt cum dico, quòd est genitus ab æterno, & quòd est de patre sine matre: quæ non conueniunt filio hominis, propriè loquendo. Ideo distinguunt & dicunt, quòd omnes istæ propositiones sunt duplices, filius Dei est passus, vel mortuus. Quia si teneatur iste terminus *passus, vel mortuus* substantiuè, vera est simpliciter, quia filius Dei est ille, qui est passus, scilicet filius hominis. Si verò teneatur adiectiuè, falsa est, quia esse passum, non conuenit filio Dei, secundum quod filius Dei est. Similiter istæ sunt duplices: iste puer, demonstrato filio hominis, est æternus, vel à patre genitus. Nam si adiectiuè falsæ sunt: si substantiuè; veræ sunt sub prædicto sensu.

¶ Ad primum ergo, quòd obijcitur, dicendum, quod non sequitur: assumens est assumptum, ergo idem vnitum sibi: sed benè sequitur ergo vniens est vnitum. Refert enim dicere aliquid vniri sibi, & aliquid esse sibi vnitum: nunquam enim verè potest dici aliquid sibi vniri: tamen verè potest dici aliquid sibi vnitum: quia taliter verbum vniuit sibi hominem, quod fecit, vt ille homo esset idem quod ipse.

¶ Ad secundum dicendum: quod ista opinio dicit assumentem esse assumptum, quia filius Dei est homo: & dicit hominem esse assumptum, propriè loquendo. Si autem dicatur, humanam naturam assumptam esse: non diceret ista opinio assumentem esse assumptum: sed negaret. Similiter econuersò concedit, quod assumptum est assumens: quia homo est persona, quæ est filius Dei. Si autem diceretur natura diuina assumens, nullo modo diceret, quod assumptum esset assumens, propriè loquendo: quia negat, quod filius hominis sit diuina essentia. Hæc ergo opinio dicit assumentem esse assumptum: quia assumentem dicit non naturam diuinam, sed rem naturæ, scilicet filium Dei. Similiter dicit, quod assumptum est res naturæ humanæ scil. iste homo potius, quam humana natura.

¶ Ad illud verò, quod obijcit tertiò, dicendum, quod non sequitur: hoc est idem illi, ergo supposito vno, supponitur alterum: vel quod dicitur de vno, dicitur de altero. Et est instantia: pater est idem diuinæ essentiæ: & diuina essentia idem est filio: ergo pater idem est quod filius. (Idem dico masculinè) vel pater est filius. Similiter nec sequitur: filius Dei est essentia diuina: & filius hominis est idem filio Dei: ergo filius hominis est diuina essentia. Et est ibi sophisma accidentis: quasi enim accidentalis habitudo est filij hominis ad filium Dei: essentialis verò filij Dei ad essentiam diuinam.

¶ Ad illud, quod quartò obijcit: *Nemo ascendit in cælo*, &c. Respondent, & dicunt: quod impropria est: & debet exponi hoc modo. Filius hominis descendit de cœlo: quia ille, qui est filius hominis, descendit de cœlo. Ioan. 3.

¶ Ad quintum obiectum dicendum: quod illa propositio August. intelligitur impropriè: quicquid conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam. Vnde sic intelligendum est, quia ille qui est filius Dei, est filius hominis: & econuersò. Vnde semper referendus est intellectus propositionis ad personam, non ad suppositum indiuiduum.

¶ Ad sextum obiectum dicendum: quod ibi est sophisma accidentis: non creauit mundum, ergo non est creator. Quia cum dicitur, non creauit, negatur actus naturæ: in conclusione verò negatur res naturæ scil. quod filius hominis non sit ille, qui est creator. Sicut non sequitur: statua non est naturalis: ergo statua non est res naturæ.

¶ Ad septimum obiectum dicendum: quod cum dicitur: *Ego principium qui & loquor vobis*: hoc quod dico, *principium* potest sumi substantiuè, scilicet pro filio Dei: & sic verum est. Vel adiectiuè, & sic falsum est: quia secundum istos non conceditur, quod filius hominis se habeat relatiuè, vt principium ad creaturas, vel ad spiritum sanctum: quamuis sit ille, qui est principium, scilicet filius Dei. Ioan. 8.

¶ Contra tertium. Obijcitur hoc modo. Demonstrato filio hominis, iste homo non est diuinæ naturæ, sed tantum humanæ: ergo est purus homo: ergo non est Deus.

¶ Item, demonstrato filio hominis inquantum huiusmodi, iste homo est genitus à matre, & non est genitus à patre inquantum huiusmodi: ergo est filius matris, & non filius patris.

¶ Item, filius hominis est Deus, pater est Deus: aut ergo plures dij, aut vnus Deus. Non plures dij, ergo vnus Deus: sed v[...] Deus non est nisi vna essentia: ergo filius hominis & pater sunt vna essentia: ergo filius hominis est diuina essentia.

¶ Resp. Ad primum: est purus homo, ergo non est Deus: non valet. Nam hæc dictio *purus* facit exclusionem suam ratione alterius essentiæ vel naturæ, non ratione rei naturæ. Vnde deberet sic arguere: est purus homo, ergo non est alia essentia ab homine, ergo non est diuina essentia: & non quod sit res diuinæ essentiæ: quæ supponitur per hoc nomen *Deus* cum dicitur, filius hominis est Deus, id est filius hominis est filius, qui est Deus.

¶ Ad secundum dicendum: quòd hoc nomen *filius* potest accipi adiectiuè, & hoc modo verum est, quod filius matris non est filius patris. Vel substantiuè, & hoc modo falsa est.

¶ Ad tertium dicendum quod non sequitur, filius hominis est Deus, pater est Deus: ergo vnus Deus, vel plures. Nam aliter prædicatur Deus de filio hominis: aliter de patre. Cùm enim dicitur de filio hominis, prædicat personam, seu rem naturæ: vnde sensus est, filius hominis est Deus, id est filius hominis est ille qui est Deus. Cum verò dicitur de patre, prædicat formam siue naturam diuinam: vnde sensus est: pater est Deus id est diuina essentia. Et ideo non sequitur: ergo vnus Deus, vel plures: quia persona, & essentia in ratione dicendi in parte sunt idem, & in parte diuersa: & ideo non sequitur.

MEMBRVM II.

Censura secundæ opinionis.

Circa secundam opinionem dubitatur multipliciter. Quia enim hæc opinio ponit, quod Christus est vnum, quæritur primò, vtrùm Christus sit vnum, vel duo. Secundò, an Christus secundùm quod homo sit Deus. Tertiò, an Christus secundùm quod homo sit indiuiduū. Quartò, an Christus homo sit persona. Quintò, & vltimò, quia hæc opinio ponit quasi personam compositam, quæritur vtrùm in Christo sit ponere intentionem totius, vel partis.

ARTICVLVS I.

An Christus sit vnum, vel duo.

August. in Ench. 3. Sent. Circa primum proceditur hoc modo. Primò habetur authoritas August. in Ench. posita in 3. Lib. Senten. *Vtraque substantia diuina, & humana filius est vnicus Dei patris, sed aliud propter verbum, aliud propter hominem.* Ergo Christus est aliud & aliud: est ergo duo.

Isidor. in lib. de Trinit. ¶ Item, Isidorus: *Mediator Dei, & hominis homo Christus: quamuis aliud sit à patre: aliud de virgine: non tamen alius.* Ergo Christus est aliud, & aliud: ergo est plura neutraliter.

Anselm. de incarnat. verbi. ¶ Item Anselmus: *Non est alius Deus, alius homo in Christo: quamuis sit aliud Deus, aliud homo.* Ergo primum.

¶ Item, quorum diffinitiones, vel rationes substantiæ sunt diuersæ: ipsa sunt diuersa. Sed Dei, & hominis sunt diuersæ rationes: ergo Christus: cum sit Deus & homo, est diuersa.

¶ Item, Christus est aliquid quod est pater, quia Deus: & est aliquid quod non est pater, quia homo: ergo est duo: non ergo vnum.

Bern. ad Eugeniū Papam. ¶ Ad oppositum sic. Bern. distinguit plures modos vnitatis: inter quos ponit summū gradum vnitatis, qua tres personæ sunt vnum vnitate substantiæ: secundo loco dicit, quod illa est vnitas, qua econuersò tres substantiæ sūt in vna persona. Ergo vnitas trium naturarum in Christo est maior: quam vnitas duarum naturarum in homine: & ita cum homo non dicatur esse plura propter duas naturas, sed vnum: nec Christus dicetur esse plura, sed vnum.

Boet. in li. de duabus naturis & vna Christi persona. ¶ Item Boët. *Omne quod est, inquantum est, vnum est.* Sed esse Christum veraciter confitemur: vnum ergo dicimus Christum.

RESOLVTIO.

Christus nec vtiquam dicendus est duo, sed duorum.

¶ Solvtio. Dicendum, quod refert dicere hoc esse hoc, & hoc esse huius. Item refert dicere naturam, & rem naturæ in omnibus citra primum scil. Deum. Dicendum ergo quod quāuis plures naturę sint in Christo, non tamen prædicantur de Christo in rectitudine: hoc est dicere, vt Christus sit ipsius naturæ. Et hoc quantum est ex parte humanæ naturæ: quia ex parte diuinæ non differt natura, & res naturæ; quia persona est essentia: nec differt etiam dicere hoc esse hoc, & hoc esse huius; quia persona est diuina essentia, & persona est diuinæ essentiæ. Sed ex parte humanæ naturæ differt: falsum enim est, Christus est humana natura: & tamen verum est, Christus est humanæ naturæ, vel habens humanam naturam. Quia ergo non prædicatur per essentiam natura humana de persona scil. de Christo, sed per causam; non dicitur Christus plura propter pluralitatem naturarum; quia ea, quæ dicuntur in obliquitate, non numerant. Ex prædictis ergo rationibus non sequitur, quod Christus sit plura, sed quod sit plurium. Sicut non sequitur ex parte hominis, quod quamuis sit corpus & anima coniuncta: & anima est vnum, & corpus est vnum: ergo homo est plura.

¶ Ad autoritates verò obiectas dicendum: quod intelliguntur per causam. Vnde cum dicitur, aliud & aliud esse Christus, debet exponi, alius & alius naturæ scil. diuinæ, & humanæ. Vnde secundum intellectum proprium magis prædicatur hoc esse huius, quam hoc esse hoc.

¶ Ad quartam verò rationem, qua obijcitur. Quorum diffinitiones sunt diuersæ: ipsa sunt diuersa. Dicendum: quod hoc verum est, vbi dicitur aliquid de aliquo in rectitudine, & formaliter, non per causam: vbi verò in obliquitate, non sequitur. Vnde non sequitur, diuersæ sunt diffinitiones corporeæ, & incorporeæ naturæ: sed homo est corporeæ & incorporeæ naturæ: ergo homo est diuersa.

¶ Ad quintam rationem iam patet responsio: quia cum dicitur, Christus est aliquid, quod non est pater: iste terminus *aliquid* supponit pro homine, non pro diuina essentia. Cum verò dicitur, est aliquid quod est pater: supponit pro diuina essentia. Non ergo sequitur: ergo est aliquid quod est pater, & quod non est pater: immò est ibi fallacia figuræ dictionis à pluribus suppositionibus ad vnam; quia in conclusione iste terminus *aliquid* vnicam solum habet suppositionem: vnde oportet quod teneatur aut pro diuina essentia tantum, aut pro homine tantum.

ARTICVLVS II.

An Christus secundùm quòd homo sit Deus. Item, an & secundùm quòd iste homo sit Deus, siue filius Dei.

Secvndo quæritur, An Christus secundùm quod homo sit Deus. Nam omne, quod prædicatur de aliquo, inquantum ipsum est; aut est sicut per se accidens illi, aut diffinitio, aut pars diffinitionis, aut effectus illius. Sed nullo istorum modorum se habet ad Christum secundùm quod homo: ergo secundùm quod homo non est Deus.

¶ Item, Christus secundùm quod homo est animal rationale mortale. Si ergo hæc ratio repugnat esse diuino: ergo Christus secundum quod homo non erit Deus: ergo nec secundum quod homo filius Dei.

¶ Item, quæritur. Vtrùm Christus inquantum iste homo sit Deus, aut Dei filius. Et cum esse hominis secundùm suam diffinitionem repugnet esse diuino: ergo & esse istius hominis; ergo si secundùm quod est homo, non est Deus; nec secundùm quod iste homo est Deus.

¶ Præterea, Deus non comparatur ad istum hominem, sicut diffinitio, vel pars diffinitionis, nec sicut per se accidens, vel effectus; ergo inquantum iste homo non est Deus.

¶ Ad oppositum. Christus secundùm quod homo habet potestatem dimittendi peccata: *Vt sciatis, quantùm filius hominis habet potestatem dimittendi peccata; tunc ait ad paralyticum: surge,* &c. Sed potestas dimittendi peccata est solius Dei; ergo secundùm quod homo est Deus. Matth. 9.

RESOLVTIO.

Secundùm diuersam acceptionem harum particularum, scil. secundùm, & iste; & concedi & non concedi possunt proposita propositiones.

¶ Solv. Dicendum est; quod hæc præpositio *secundùm* accipitur multipliciter. Aliquando enim notat causam; aliquando verò conditionem naturę; aliquando aũt vnitatem personæ. Præterea dum notat causam: aliquando notat causam efficientem, vt Christus secundùm quod Deus resurrexit: aliquando materialem, vt Christus secundùm quod homo nos redemit: aliquando verò causam formalem, vt Christus secundum quod Deus est aliquid. Conditionem verò naturæ notat, cum dicitur, filius Dei secũdùm quod Deus dimittit peccatum, id est, Christus secundùm quod est habens naturam diuinam, dimittit peccatum. Aliquando verò connotat vnitatem personę, vt cum dicitur, Christus secundùm quod homo creauit stellas, id est, Christus secundùm quod est ille, vel illa persona, quæ est homo, creauit stellas.

¶ Similiter cum dicitur, secundum quod homo habet potestatem dimittendi peccatum. Secundùm hunc modum patet responsio ad obiectum, quia si hæc dictio *secundùm* notet causam, vel conditionem naturæ, falsa est hæc, Christus secundùm quod homo est Deus, vel Dei filius. Si verò notet vnitatem personæ, vera est. Quia si notetur conditio naturæ; sensus est, Christus ratione humanæ naturæ est Deus, & hoc est falsum. Secundùm verò ꝙ notatur* conditio personæ, sensus est, Christus secundùm quod est ille qui est homo, est Deus * & hoc iterum falsum est. Et per hoc patet responsio ad primam obiectionem.

*Aliàs, vnitas. * Aliàs, & hoc iam verum est.

¶ Ad secundam dicendum, quod diffinitiones assignantur naturæ vel essentiæ, non personæ siue indiuidui: Vnde diuersæ naturæ secundum diffinitionem sunt vnius indiuidui: idem enim est indiuiduum albi & hominis: & tamen est alia diffinitio albi, & hominis. Similiter vna & eadem persona Dei & hominis: licet alia sit diffinitio Dei, & hominis.

¶ Ad tertium dicendum, quod hæc est distinguenda; Christus secundum quod iste homo est Deus. Nam hoc pronomen *iste* potest demonstrare indiuiduum hominis: & secundum hoc si hæc præpositio *secundùm* notet causam, falsa est: si verò notet vnionem personalem, vera est, sicut patet ex iam dictis. Vel potest demonstrare personam filij Dei, & iste terminus *homo* per appositionem coniungatur illi: & secundum hoc vera est simpliciter, Christus secundum quod filius Dei, qui est homo, est Deus. Et secundùm hoc soluitur hæc quæstio.

ARTICVLVS III.

An Christus secundùm quòd homo sit indiuiduum.

TErtiò quęritur. An Christus secundùm quod homo sit indiuiduum. Et cum indiuiduatio dicatur duobus modis, prima sc. & secunda. Prima indiuiduatio est in hypostasi secundum se ratione proprietatis singularis: qua ab omni alia distinguitur seipsa, secundũ ꝙ dicitur Petrus alius esse à Paulo. Secunda verò indiuiduatio est per proprietates aduenientes consequenter ipsi hypostasi, secundùm ꝙ dicitur indiuiduatio collectio proprietatum, quæ nunquam in alio eædem erunt. Secundùm hoc dicitur indiuiduum duob. modis. Indiuiduũ primo modo sc. hypostasis. i. ipsa substantia singularis ratione singularitatis substantiæ: nã si abstrahãtur oẽs proprietates, quæ sunt in Petro, & in Paulo; adhuc tñ hæc substantia est alia ab illa. Alio modo dicitur indiuiduum ex collectione ipsarum proprietatum, quæ nunquam in alio eadem est.

¶ Sed ostenditur ꝙ vtroq; modo dicitur, Christus secũdùm ꝙ Iesus siue Christus secundùm quod homo est indiuiduum. Nam primo modo patet quod est indiuiduum: est enim indiuiduum substantia secundùm quod homo: quæ seipsa diuiditur ab alijs omnib. hominibus. Item, & secundo modo: quia secundũ ꝙ Iesus vel homo est habẽs collectionẽ proprietatũ, quã non est in alio reperire. Ergo secundũ, vtrãq; rationẽ indiuiduationis est indiuiduum.

¶ Item, sicut patet ꝙ sortes sua substantia singulari distinguitur à cæteris: ita & Christus secundũ quod homo à cæteris hominib. Sicut. n. sortes quãtitate, & qualitate distinguitur à cęteris: ita etiam Iesus, vel Christus secundùm quod homo à cæteris hominibus. Sed ex istis dicitur sortes indiuiduum: relinquitur igitur quod Iesus dicitur similiter indiuiduum.

¶ Ad oppositum dicit Ioan. Dam. *In Domino Iesu Christo non est communem speciem ponere, vel sumere.* Ergo Christus non est indiuiduum huius speciei homo, nec alterius: ergo non est indiuiduum secundùm quod homo. Damasc. lib. 3. c. 11.

¶ Item, si Christus secundùm quod homo est indiuiduum: ergo secundùm quod homo est vnus quis: & secundùm quod Deus est similiter vnus quis; quia vna persona: ergo est duo quis: ergo redit inconueniens sc. contra symbolum, quod Deus & homo non est vnus Christus. Athanasij symbol.

RESOLVTIO.

Cum nomen* Hypostasis *commune sit & personæ, & indiuiduo; Christus autem secundum quod iste homo hypostasis sit; & secundum quòd iste homo indiuiduum iure erit.

¶ Solvt. Notandum ad euidentiam istius quęstionis: quod differunt hypostasis, persona, indiuiduum, suppositum, siue supposita natura. Hypostasis. n. est existentia, vel substantia incommunicabilis ex quibuscunq; distinguentibus. Et hæc ratio colligitur ex determinatione Richar. qui aliquando accipit personam pro hypostasi. Persona verò secundum rem, & nomen personæ est substantia incommunicabilis rationalis distincta per proprietatem dignitatis. Vnde ex hoc patet, quod omnis persona est hypostasis: sed non conuertitur. In naturis enim rationalibus natura rationalis, quæ dignitatem importat, sua hypostasis est persona: in alijs verò naturis non est sua hypostasis persona: nisi loquendo de persona grammaticè: hæc autem est adhuc in relatione ad actum rationalis naturæ sc. loqui: secundum quod prima persona est, quæ de se loquitur: secunda ad quam fit sermo: tertia de qua fit sermo. Item indiuiduum dicitur dupliciter: tam indiuidua substantia, quæ seipsa diuiditur à qualibet alia, quàm habens collectionem proprietatum * quæ nunquam in alio eadem est: sicut dictum est priùs. Item natura supposita, siue suppositum dicitur forma in materia: vt anima in corpore, vel corpus & anima vnita: & hoc in compositis. In simplicibus verò id, quod res est, dicitur natura supposita: Sed tamen propriè essentia est, quo res est: natura vero, quo operatur, agit, vel patitur* qđ est etiam supposita natura. Sicut si diceretur, Deus & deitas: Deus dicit quod est: deitas verò quo est: qui est verò dicit suppositum: qđ est res naturæ; vt in Deo aliqua personarum, vel in homine aliquis hominum. Ex his ergo relinquitur, qđ hypostasis est communis personæ, & indiuiduo. Vnde Christus inquantum filius Dei est hypostasis, quæ est persona. Inquantum verò est iste homo, est hypostasis, quæ est indiuiduum. Ex quo relinquitur, quod ab æterno fuit persona, sed non ab æterno indiuiduum.

Richar. de S. Victore.

* Aliàs, quas nũquam in alio eas dem est reperire.

* Aliàs, quid est verò.

¶ Ad authoritatem verò Ioan. Dam. iam patet ex superioribus responsio: quia sic intelligenda est. Non est communem speciem ponere de Christo, id est, non conuenit prædicare communem speciem de Christo: quæ quidem comprehendat diuinam naturam & humanã, quasi conflatam ex duabus scil. diuinitate, & humanitate; & tamen est accipere communem speciem secundùm humanam naturam cum alijs duobus.

¶ Ad secundam verò rationem, & vltimam dicendum, qđ inter personam, & suppositam naturam medium est indiuiduum siue indiuidua substantia: medium autẽ debet habere conuenientiam cum extremis: erit ergo indiuidua substantia communicans cum extremis. Cùm ergo multæ sint suppositæ naturæ in Christo, vna autem persona; dicetur de indiuiduo hominis quod est aliud quam sit secundùm quod Deus; & quod non est aliud: hoc quidem referentes ad personam, illud autem ad suppositam naturam. Et secundùm hoc intelliguntur plures authoritates.

¶ Ad illud quod obiicitur: quod est vnus quis, & alius

quis:

quis:ergo duo quis. Dicendum, quod non sequitur:nam *duo* dicit vnum numero, & vnum numero: hoc autem est in illis, in quibus est significatio distincta tanquam situaliter: hoc autem non est indiuidua substantia filij hominis, & persona filij Dei: immò sunt indistanter vnita: ita etiam vt sit filius hominis filius Dei, & econuersò. Et sic patet solutio huius quæstionis.

MEMBRVM IIII.

An Christus secundum quòd homo sit persona.

QVARTÒ quæritur. Vtrùm Christus secundùm quod homo sit persona. Ad quod sic: Christus secundum quod homo est rationalis naturæ indiuidua substantia: quia est indiuiduum huius speciei homo: & hæc est ratio personæ secundum Boëtium: ergo ei conuenit ratio personæ secundum quod homo. Relinquitur igitur quod secundum quod homo est persona.

¶ ITEM, Iesus secundū quod Iesus, qđ est nomen Christi secundū quod homo, respondetur conuenienter ad interrogationem factam per quis: vt si quæratur: quis docet? conuenienter respondetur Iesus: Sed quis non quærit, nisi de persona: ergo Iesus inquantum Iesus est persona.

¶ ITEM, nullum sequitur inconueniens, si dicatur, ꝙ Iesus inquantum Iesus est persona. Vnde non videtur valere probatio Magistri. Si filius Dei secundum quod Iesus est persona, ergo creata, vel increata: sed non increata: ergo creata. Sed creata persona non est pater, non est filius, non est spiritussanctus, ergo est quaternitas in personis. Quod non videtur sequi, quia si dicatur, quod sit creata, & quod creata sit increata, nullum sequitur inconueniens. Nam rectè dicitur, quòd filius Dei est temporalis & æternus, creatus & increatus.

Magist. in 3. Sent.

¶ SI dicatur secundum Magistrum in Senten. quod non conuenit ei ratio tota personæ, quia non est scilicet illud indiuidua substantia; quia non est per se sonans; sed alij rei coniuncta. Simili ratione filius Dei non est ens per se sonans, sed alij rei coniunctus, ergo non est persona.

¶ ITEM, si dicatur quod persona habet in se incommunicabilitatem cum alio: Aut illud intelligitur de incommunicabilitate secundum actum, aut secundum potentiam. Si secundum actum, ergo tunc anima separata à corpore esset persona. Si secundum potentiam, ergo nullus homo esset persona, cum vnusquisq; potuisset vniri Deo in persona.

¶ ITEM Anselmus: *Sicut pater est Deus, filius est Deus: ita in Christo Deus est persona, homo est persona.* Sed pater inquantum pater est Deus: ergo Christus inquantum homo est persona.

Ansel. in lib. de incarnatione verbi.

¶ ITEM, cum personalitas sit aliquod bonum hominis, videtur secundum hoc quod persona diuina auferat aliquod bonum ab homine assumpto, si secundum quod homo non est persona. Ergo Christus secundum quod homo est persona.

¶ ITEM, obiicitur ratione prædestinationis: quia si Christus inquantum homo est prædestinatus esse filius Dei: & illud quod est prędestinatum ab æterno, modò est: ergo modò secundum qđ homo est filius Dei: ergo secundùm quod homo est persona.

¶ AD oppositum sic: Persona dicit quasi per se vnum: vnde persona est substantia à qualibet alia distincta, & non coniuncta. Si ergo secundum qđ Iesus est persona, secundum qđ homo est separatus à diuina persona: quod est falsum. Relinquitur igitur quod secundum quod homo non est persona.

¶ ITEM, in Nicæno Concilio dicitur: qđ in incarnatione persona consumpsit personam: ergo non mansit persona creata cum increata: ergo secundum quod Iesus non persona.

Concil. Nicæn.

¶ ITEM, secundum qđ Iesus est persona, & secundum qđ verbum est persona: ergo est duæ personæ: ergo & duo quis: ergo non est vnus: ergo Deus & homo non est vnus Christus: quod est contra Symbolum fidei.

¶ SI dicatur, quod non sequitur: ergo duo quis: quamuis secundum quod homo sit persona, & secundum quod Deus sit persona: quia hæc persona est illa persona, sicut filius hominis est filius Dei. Illud nihil est, sicut patet per propriam rationem ad oppositum: cum persona dicat quasi per se vnum, &c.

RESOLVTIO.

Christus secundùm quòd homo indiuiduum quidem est: persona autem non est.

¶ SOLVT. Dicendum secundum vtramq; opinionem: qđ Christus secundum qđ homo non est persona; est tñ indiuiduum, sicut est dictum. Vnde cum quæritur, vtrùm Christus secundum qđ homo sit quis. Si hoc nomen *quis* supponit generaliter substantiam singularem; hoc est dicere, si supponit indiuiduum; dico qđ est quis. Si verò supponat substantiam singularem, non alteri digniori coniunctam, sed distinctam; quod est persona; dico quod secundum quod homo hoc modo non est quis.

¶ AD rationes ergo obiectas respondendum. sicut tactum est prius: quod ad hoc qđ sit persona, requiritur triplex determinatio, vel distinctio sc. singularitatis, incommunicabilitatis, & dignitatis. Prima determinatio est in anima Sortis, quę singulari sua substãtia differt à qualibet alia: & hæc distinctio opponitur indistinctioni vnibilitatis. Secunda distinctio est indiuiduo cuiuslibet rei irrationalis; sicut in hoc equo, & in hoc asino: & hoc est incommunicabilitatis, ex hoc scil. qđ non est communicabile alij vt pars: & hæc distinctio opponitur indistinctioni incommunicabilitatis: quemadmodum partes communicant in toto, vt ex vna cum alia sit totum. Tertia distinctio est in Sorte scil. dignitatis, ex eo scil. qđ eius humanitas non est coniuncta formæ digniori, sed est distincta à qualibet digniori: & hæc distinctio opponitur vnibilitati ad substantiam digniorem. Dicendum ergo secundum hoc: qđ triplex distinctio requiritur ad esse personæ: & ab vltima sumitur ratio personæ. Quia ergo ab vltima deficit Christus secundum quòd homo; non est persona secundum quòd homo. Et ideo dicitur in Concilio, quòd dignior persona aduemiens consumpsit personam: hoc est dicere, fecit quòd non esset persona.

Supra. Quæstio 4. Membr. 6. in resol.

¶ AD illud, qđ obijcit de ratione Boëtij. quid est indiuidua substantia, &c. Dicendum, quòd si indiuidua substantia importet illam triplicem distinctionem, secundū hoc est diffinitio personæ: & secundū hoc concedendum est, qđ Christus secundum qđ homo non est indiuidua substantia rationalis naturę. Si verò solùm dicat duas personales distinctiones; erit dicere tunc quòd est indiuidua substantia rationalis naturæ: non tamen sequitur quòd persona.

¶ AD secundam verò, quæ dicit: qđ quis quærit de persona. Dicendum est, quòd quis potest quærere de persona: & potest quærere de indiuiduo. Et per hoc patet responsio.

¶ AD tertiã verò, quę dicit, quòd non sequitur quaternitas in personis. Dicendum: quòd immò necessariò, si Iesus inquantum Iesus est persona: quia si est persona inquãtum Iesus, & Iesus est separatus à filio Dei: & ita necessariò est alia persona, quam filius Dei: & cum Iesus sit Deus, sequeretur necessariò quòd in diuinitate essent quatuor personæ.

¶ AD quartam rationẽ, quæ est circa responsionẽ, quæ ibi ponitur. Dicendum, sicut superiùs pluries dictum est: ratio personæ dicit indiuiduam substantiam: & in indiuiduatione intelligitur incommunicabilitas, siue etiam inuibilitas ad formam digniorẽ seu perfectiorem (nam respectu indignioris non attenditur istud) vnde cū propria rationalitas in indiuiduo homine puro sit non ordinata ad dignioirẽ, ex hac erit ei personalitas: non tamen ex hac tollitur, quin sit possibilis ad alias formas accidentales. Propriè tamen dicendo, cū indiuiduus homo sit substantia per se fixa, non dicetur non esse per se; quãuis sit vnibilis ipsis accidentalibus formis: sed ipsæ formæ accidẽtales dicentur ei vnibiles & adiacentes. Secundùm hunc modū dicendū est: quòd quamuis homo assumptus propter hoc

quod vnibilis caret esse personali (vnitur enim perfectioni) tamen filius Dei quamuis vniatur homini, personam à se habet: quia in comparatione ad humanam naturam est substantia fixa & per se, hoc est non in alio vt adiacens: humana verò natura est vnita ei vt adiacens: quia homo priùs non existens vnitur filio Dei ab æterno existenti: & ita quò ad hoc tenet modum accidentis, quamuis non sit accidens.

¶ Ad quintam dicendum, quòd *incommutabilitas* in ratione personæ dicitur non solum per priuationem actus, sed per priuationem aptitudinis siue potentiæ dispositæ: non tamen per priuationem potentiæ primæ: prout dicit August. quod in costa erat vnde posset fieri mulier, sed nõ vnde fieret: hoc est dicere, ibi erat potentia, id est, possibilitas obedientiæ, quæ est in omni creatura; vt ex ipsa faciat creator quicquid vult: non tamen ibi erat aptitudo seu potentia disposita. Inde est, quòd cum hominibus & angelis non sit aptitudo ad vnionem cum filio Dei, vel cum alio est in eis incommunicabilitas, quæ requiritur ad personam.

¶ Ad sextam rationem dicendum, sicut priùs, quod cum dicitur, Christus secundum quod homo est persona; quod hæc dictio *secundùm* est expressiua vnitatis personæ. Et habetur veritas responsionis ex eo, quod ibidem subditur. Nec tamen duæ sunt, sed vna persona.

¶ Ad septimam dicendum: quod vnio diuinæ naturæ ad humanam nullum bonum aufert homini: immò (sicut dicit August.) Creator naturæ non corrumpit naturam. Vnde nec filius Dei personam hominis corrumpit: quia corruptio non est nisi rei priùs existentis: sed ille homo non fuit priùs, quàm esset assumptus. Nec est etiam diminutio dignitatis hominis: quia quamuis non habuerit personalitatem humanam, habet tamen personalitatem diuinam.

August. in lib. de moribus Manichæorũ.

¶ Ad octauam rationem dicendum: quod hæc est duplex. Christus secundùm quod homo est prædestinatus esse filius Dei. Quia hoc quod dico *secundùm* potest dicere causam respectu eius quod dico *prædestinatus* vel respectu eius qđ dico *esse filium*. Si respectu eius ꝙ dico *prædestinatũ*, tunc vera est: quia secundùm quod homo est quasi materia prædestinationis: quia ei conuenit prædestinari esse filius Dei. Si verò respectu eius qđ dico *filius Dei* falsa est: quia nulla potest notari causalitas: vt sit sensus, Christus est prædestinatus, vt sit filius Dei secundum quòd homo. Si tamen hoc qđ dico *secundùm* non diceret causam, sed vnionem personalem; vera esset, sicut patet ex supradictis.

ARTICVLVS V.

Si in Christo ponere sit intentionem totius & partis.

Qvintò quæritur, Vtrùm in Christo sit ponere intentionem totius & partis. Et circa hoc primò quæritur, vtrùm humanitas sit pars personæ. Secundò, vtrùm Christus debeat dici totum.

An humanitas sit pars personæ Christi. §. 1.

¶ Qvantvm ad primum obiicitur, ex hoc, qđ habetur in 3. Sent. vbi dicit Magister secundùm authoritatem Aug. quòd persona non constat ex Deo & homine, quasi totum ex partibus. Humanitas igitur non est pars personæ.

Magist. in 3. Sent. ex August.

¶ Ad oppositum sic: Super illum tex. *Partem ephi decimam*, dicit Esicius: *Decima pars ephi est humanitas Christi. ephi autem mensura trium modiorum significat trinitatem.* Fiat ergo argumentum. Signum est pars signi: ergo signatum est pars signati. Sed decima pars significat humanitatem: ergo humanitas est pars trinitatis: sed non nisi ratione filij: ergo est pars personæ filij.

Leuit. 5. Esicius.

¶ Item, Ioan. Damascen. *Christus est hypostasis ex diuina & humana natura.* Ergo humana natura est pars hypostasis siue personæ Christi.

Damasc.

RESOLVTIO.

Humanitas non propriè: sed quodammodo Christi pars dici potest.

¶ Solvt. Dicendum: qđ pars dicitur quinq; modis. Vno modo dicitur pars illud, in ꝙ est possibile diuidi secundùm quantitatem. Alio modo dicitur pars id, quod numerat suum totum: sicut in quantitate discreta, quæ dicitur pars aliquota aliter, quam in quanto continuo. Tertiò modo dicitur pars, in quam possibile est formam diuidi absq; quantitate: sicut differentiæ dicuntur partes generis. Quartò modo dicitur pars, quæ venit in compositionem alicuius totius secundùm naturam: vt cuprum dicitur pars, sphæræ cupreæ. Quintò modo dicitur pars, quæ venit in compositionem alicuius totius secundùm rationem: vt in diffinitione genus & differentiæ dicuntur partes speciei. Dicendum ergo ꝙ (propriè loquendo) non est dicendum humanam naturam esse partẽ Christi propter rationem Aug. ꝙ videretur ex hoc ipso ante humanitatem esse filius Dei diminutus vel imperfectus. Tamen si debet reduci ad aliquam rationem partis, debet reduci ad partem diffinitionis: quia si vellemus diffinire Christum, nos diceremus ipsum esse personam in diuinã & humana natura.

An Christus debeat dici totum. §. 2.

¶ Secvndo quæritur iuxta hoc, vtrùm Christus debeat dici totum. Et cum totũ & pars dicantur ad aliquid: si non est dicere in Christo partem humanam, vel diuinam naturam: ergo non est dicere in ipso totum.

¶ Ad oppositum sic. Ioan. Damas. *Totus fuit in sepulchro, sed non totum.* Damasc.

RESOLVTIO.

Et totus & totum Christus dici potest: si totum dicatur ex eo quod nihil est accipere extra, quod debet esse intra.

¶ Solvt. Totum dicitur duobus modis. Vno modo totum dicitur ex compositione partium: & hoc modo totum & pars dicuntur ad aliquid: & à quo remouetur intentio partis, & totius. Alio modo dicitur totum, ex eo ꝙ nihil est accipere extra, qđ debet esse intra: & hoc modo Christus dicitur esse totus & totum: vt totus ad personã, totum ad naturam referatur. Et ideo dicitur in sepulchro totus, quantum ad personam: sed non totum, quantum ad naturam: quia aliquid erat tunc extra, scilicet ipsa anima.

MEMBRVM III.

Censura tertiæ opinionis. An scil. Christus secundum quòd homo sit aliquid.

Circa tertiam opinionem dubitatur, Vtrùm Christus sit aliquid? ꝙ negat tertia opinio, & duæ primæ concedunt. Ad quod sic obiicitur: Christus est Deus & homo. Sed esse Deum, est esse quid: & esse hominem, similiter. Sed Christus est aliquid, secundùm quod homo: ergo si Christus est aliquid secundùm qđ homo; Christus est quid: & ita duo. Quod videtur inconueniens.

¶ Item, si Christus est vnum quid vnitate creata: & cõstat quod est vnum quid vnitate increata essentialiter. Sed istæ sunt diuersæ vnitates essentialiter: ergo Christus erit duo essentialiter: ergo Christus non est vnum.

¶ Item, forma substantialis facit substantialiter differre. Si ergo in Christo sunt duæ formæ substantiales essentialiter differentes (qđ sequitur, si secundùm qđ est homo, est aliquid) facient substantialem doctrinã in Christo. Ergo si humanitas ponitur forma substantialis in Christo (quod accidit, si secundùm quod homo est aliquid) & diuinitas similiter, necesse est quod Christus substantialiter differat: ergo est aliud & aliud.

¶ Item, vna quidditas naturæ in tribus personis facit tres personas scil. patrem, & filium, & spiritum sanctũ esse vnum: ergo plures quidditates naturarum faciunt vnam

personam esse plura. Si ergo inconueniens est dicere Christum esse plura, non vnum: relinquitur quod Christus secundùm quod homo non est quid: cum sit quid secundum quod Deus. Vera igitur est opinio, quæ dicit: qđ cum dicitur, Christus est homo; non dicitur Christus esse aliquid: sed aliquo modo se habens.

¶ ITEM, Christus secundùm quod Deus habet esse cōpletum secundùm naturam diuinam, & secundum quod persona diuina ab æterno: nec humanitas adueniens addit aliquid ipsi personæ vel ipsi naturæ. Cùm ergo illud, quod consequitur esse completum ipsius personæ & naturæ, sit sicut adiacens, & non quid respectu illius: relinquitur quod Christus secundùm quòd homo non est aliquid.

Decretal. Alexand. Papæ. ¶ AD oppositum est Decretalis: *Cùm Christus sit perfectus Deus, perfectus homo; qua temeritate quis audet dicere, quòd Christus secundùm quòd homo non est aliquid? Ne autem tanta in Ecclesia Despossit suboriri abusio, conuocatis Magistris sub anathemate interdicatur.* Per quam decretalem patet, quòd damnata est opinio ista tertia.

RESOLVTIO.

Absolutè, Christus secundum quòd homo & quid & aliquid est.

¶ SOLVT. Dicendum, qđ est considerare naturam rei: cum dicitur, Christus est homo: aut rationem dicendi. Si considerando naturam rei; aliquis diceret, quòd Christus secundùm quod homo non est quid, vel aliquid; erraret sine dubio: & secundùm istam opinionem damnatā procederet. Sed si quis attendens rationem dicendi, diceret, qđ cum dicitur; *Christus est homo*, vel *factus homo*; non prædicatur ly *homo* vt quid de Christo, quamuis sit quid: sed quòd prædicaret *quomodo se habens*, non videretur absolutè errare, secundum illud Apostoli. *Habitu inuentus vt homo:* super quo verbo disputat Aug. vbi distinguit habitum secundùm quatuor modos: quorum vnus est, cum illud qđ habetur, non mutatur à sua natura, sed aliam speciem & formā accipit, prout applicatur habenti: vt est vestis, quæ deiecta atq; deposita, non habet eam formam, quam sumit induta: quod genus congruit huic comparationi, cum dicitur, habitu inuentus vt homo. Secundum hoc ergo diceremus ad prædictam quæstionem: qđ Christus secundùm quod homo est quid, & aliquid: sed tamen non prædicatur vt quid. Sed quia opiniones propinquæ errori nō sunt extendendæ: ideo absolutè dicatur sine distinctione, quod Christus secundùm quod homo est quid & aliquid.

Ad Philip. 2. August. in lib. 83 qq.

¶ RESPONDENDVM autē ad obiecta primò secundum primam opinionem: qđ Christus est duo neutraliter: sed tamē non est duo masculinè: est enim vnus, id est, vna persona: sed non vnum. i. vna natura. Et ideo non esset inconueniens concedere in vno sensu rationes, quæ ostendunt, quod Christus est duo.

¶ AD vltimam aūt rationem, qua obiiciebatur: quod humanitas aduenit post esse completum: ergo non est quid. Dicendū, qđ non sequitur: quia & si adueniat post; tamen assumitur in vnitatem personæ; quemadmodum posito qđ anima crearetur ante corpus, & postmodum corpus ei vniretur, non sequeretur propter hoc q corpus non esset quid ipsius hominis: quamuis consequeretur ad esse rationale completum ipsius animæ.

¶ SECVNDVM autem opinionem secundam inconueniens est, qđ Christus sit duo: immo est vnum solum. Et respondent ad obiecta. Ad primum cum dicitur: Christus est Deus & homo. Si fiat copulatio ratione suppositorum, falsa est: si verò ratione naturarum, tunc est vera: quia non est ibi nisi vnum suppositum, & tamen diuersæ naturæ.

¶ ET ad id, quod obiicit: quod est quid secundū quod Deus: & aliud quid secundùm quòd homo: ergo duo. Nō sequitur; quia illud quid secundum qđ homo non connumeratur cum illo quid quod est Deus: quia non sunt quid vnius generis.

¶ AD aliud dicendum: quòd quamuis in Christo sit binarius essentialis, vna tamen vnitatum illius binarij degenerat quasi in accidentalem (liceat modò ita loqui, sicut doctores locuti sunt) videl. vnitas, quæ est ex parte humanæ naturæ. Et ideo ille binarius non numerat subiecta, sed naturas: quemadmodum numerus accidentium non numerat subiecta, sed suas formas.

¶ ET per hoc patet solutio ad aliud: quia formæ istæ substantiales faciunt essentialiter differre naturas, sed non ipsum suppositum: quia vna illarum (sicut dictum est) quasi degenerat in accidens: eò quòd est post adueniens.

QVÆSTIO VII.

De Vnione incarnationis.

In tria Membra, & octo Articulos diuisa.

DICTO de actu incarnationis quantum ad assumptionem: de cætero dicendum est de ipso quantum ad vnionem. Nam actus incarnationis (sicut dictum est) potest dupliciter considerari. Aut enim consideratur in fieri: & sic dicitur assumptio. Aut consideratur in facto esse: & sic dicitur vnio.

D. Tho. 3. par. q. 2. S. Bon. & Sco. in 3. d. 1. 2. & 6. plura.

¶ QVÆRITVR igitur de actu vnionis. Primò de esse huius vnionis. Secundò de causa huiusmodi vnionis. Tertiò de effectu huius vnionis.

MEMBRVM I.

De esse vnionis in Christo.

PRIMÒ ergo quæritur de esse vnionis. Et cum in diuinis intelligamus naturam, sicut diuinitatē in Deo: & rem naturæ scil. personam & hypostasin, primò est quæstio, an sit vnio in persona. Secundò, vtrùm abstracta persona possit vnio illa fieri in hypostasi. Tertiò vtrùm abstracta hypostasi & persona à diuina natura, possit adhuc intelligi vnio diuinæ naturæ ad humanam naturam in re naturæ?

ARTICVLVS I.

An vnio verbi diuini cum carne sit vnio in persona?

AD primum Articulum obiicitur sic. Nulla vnitas vnita siue coniuncta est vnitas personalis: quia cum persona sit per se sonans, eius vnitas non debet esse cōiuncta. Sed vnitas filij Dei, cum vnitur carni, non est vnitas per se, sed coniuncta: ergo non est personalis. Maior etiam patet per Magistrum in 3. Senten. vbi quærit, vtrùm Christus secundum quòd homo sit persona? & dicit qđ anima non est persona, quamuis sit substantia rationalis: quia nō est per se sonans, sed coniuncta carni. Igitur vnio filij Dei cum carne non est vnio in persona. Magist in 3. Sent.

¶ ITEM, nihil potest esse mediū & extremum secūdum eandem rationem. Sed persona diuina, & humana natura sunt extrema istius vnionis: ergo non fit hæc vnio in persona: cum medium sit illud, in quod fit vnio extremorum.

¶ ITEM, nihil terminatur ad seipsum. Si ergo vnita terminantur ad illud, in qđ fit vnio: patet, qđ nullum vnitorum est illud, in quo fit vnio. Si ergo in hac vnione persona est vnita, scil. ipse filius Dei: ergo non est vnio in persona.

¶ AD oppositum. Si vnio ista non est in persona: ergo est in natura. Aut ergo in natura creata: aut in natura increata. Si in natura increata, quæ est diuina natura; ergo natura diuina & humana vnum sunt in illa vnione: qđ est impossibile. Similiter si est in natura creata, sequeretur idē inconueniens: quia diuersæ naturæ tunc erunt vna natura. Igitur hæc vnio non est in natura: & est aut in natura, aut in persona: ergo est in persona.

¶ ITEM dupliciter vniuntur aliqua: aliquando ita quòd vnū est prædominans alteri: aliquando non. Quando primò modo fit vnio, tunc prædominans trahit alterū ad sui vnitatem. Quando verò secundo modo, tunc vnum non trahit alterum ad sui vnitatem: sed ex illis fit tertium. Sed in hac vnione natura diuina prædominatur humanę, ergo

trahit ipsam ad sui vnitatem. Sed non potest trahi in vnitatem naturæ, ita quòd sit eadem natura cum illa: ergo trahit ipsam in vnitatem personæ. Hæc ergo vnio est in persona, & non in natura creata, nec increata.

RESOLVTIO.

Cùm vnio humanitatis ad deitatem eius modi fuerit, in qua vnum fit, vel est de altero, in eaq; diuina persona prædominata fit, ita vt traxerit humanam naturam ad vnitatem suæ hypostasis: rectè vnio in persona ducenda erit.

¶ SOLVT. Dicendum, quod vnum substantialiter dicitur dupliciter: scil. simpliciter, & secundum quid. Vnum simpliciter dicitur duobus modis: scil. vnum per vnitatẽ, & vnum per vnionem: vnũ per vnitatem est illud vnum, in quo non est multitudo, quod scil. non est in multis, nec ex multis, vt Deus: vnum verò per vnionem est, quod est in multis, vel ex multis.

¶ VNVM secundùm quid est vnum per appositionem: quod non est simpliciter vnum, sed per appositionem alicuius ad alterum. Et hoc vnum dicitur tripliciter: quia aliquando vnum vnitur alteri per appositionem, ita quòd neutrum ab altero aliquam contrahit denominationem, nec proprietatem: aliquando ita vnum apponitur alteri, quod vnum trahit ab altero proprietatem aliquam, sed non denominationem: aliquando verò ita, quod vnum trahit ab altero denominationem, sed non proprietatem. Verbi gratia, lapis apponitur lapidi in aceruo, & fit vnum ex ipsis per aggregationem: & tamen vnus lapis ab altero denominationem non trahit, nec proprietatem. Secundò modo vnitur per appositionem pomum, vel aromaticum manui: pomum enim appositum manui, afficit manum odore: ita quòd manus ab eo trahit aliquã proprietatem, sed non denominationem. Tertiò modo vnitur vestis per appositionem illi, qui vestitur ex ea: quia ille recipit denominationem à veste, & dicitur vestitus: sed non recipit proprietatem aliquam à veste: nec trahit ex hoc aliquam proprietatem, secundùm quam afficiatur.

¶ VNVM autem simpliciter, quod est vnum vnione, dicitur multipliciter. Vno modo quando aliqua duo vniuntur, seruata natura vtriusq;, & sine mutatione vtriusq; naturæ. Alio modo quando non seruatur vtraq; natura: & hoc potest esse dupliciter: quia aut mutatur natura in vtroq;, aut in altero: in altero mutatur natura, sicut quando vnum est prædominans in alterum, quia trahit ipsum in suam vnitatem, vel naturam; sicut patet in vnione vini multi cum parum de aqua: in vtroq; mutatur, sicut in vnione aquæ & mellis, quando ex illis componitur tertium. Item vnio, quæ est vtraq; natura seruata, est duplex: quia aut ex illis fit tertium: aut non, sed fit vnum de altero. Primò modo est vnio animæ & corporis in vnum hominem compositum ex illis: non enim mutatur natura animæ, neq; corporis. Secundò modo est vnio, sicut dicimus, q᷑ surculus piri vnitur arbori, cui inseritur; sicut pomo, vel alij: seruatur enim natura vtriusque, scil. piri & pomi: nec vnquam fiet pirum pomum, nec econuersò: nec ex illis efficitur tertium scil. arbor aliqua, quæ nec sit pirum, nec pomum: sed vnum fit de altero, siue est de altero, sicut pirus de pomo: quia in insertione dominans trahit alterum ad sui vnitatem: ita quod est de illo, sed non est illud.

¶ IN vnione igitur, in qua mutatur alterum, est vnio in eo quod trahit alterum ad suam naturam. In vnione, in qua vtrunq; mutatur, est vnio in tertio, scil. tertia natura: quod scil. tertium ex illis efficitur, siue conficitur: Sed in vnione, in qua est vnum de altero, sicut in vnione per insertionem, est vnio in vna hypostasi, ita quòd vna est hypostasis duarum naturarum. vnde piri & pomi in eodem stipite insertorum, postquam vniuntur per insertionem, est eadem hypostasis, scil. eadem arbor, quæ habet duas naturas omnino differentes: & est ibi vnum hypostasi, non natura.

¶ SECVNDVM hunc modum dicendum, sicut possumus dicere; nam non sumus digni corrigiam calceamenti soluere, hoc est sacramentum vnionis exponere. Quòd vnio humanitatis ad deitatem est illa, in qua vnum fit, vel est de altero: & non in qua vnum fit alterum, nec in qua vnum scil. tertium fit ex illis. Vnde dicit B. Iacobus, cap. 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, id est, filium Dei humanæ naturæ vnitum. Et ita cum diuina persona sit prædominans in hac vnione, trahit humanam naturam ad vnitatem suæ hypostasis. Vnde humanitas non est pars diuinæ personæ, sed est de illa: quia est vna hypostasis vtriusque: seruatur autem integritas vtriusq; naturæ: & ob hoc dicit Iacob. Suscipite insitum verbum. Et sic patet, quòd vnio ista est in vna hypostasi diuina, vel persona.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendũ: quòd *per se* vno modo excludit ens cum alio: alio modo dependens ab alio: ita quòd, per se, est idem quòd non cum alio, vel non dependens ab alio. Quando ergo dicitur, quòd persona est ens per se, verum est, id est, non dependens ab alio: sed non excluditur quòd non sit ens cum alio. Vnde persona est ens per se, id est, non dependens ab alio: potest tamen esse cum alio, secundum quòd substantia dicitur ens per se: licet sit alij coniuncta; quia non dependet ab eo: vnde pomum vnitum piro est ens per se: quia ab eo non dependet. Et similiter filius Dei est ens per se in hac vnione: quia non dependet ab humana natura sua hypostasis, vel persona.

¶ SED contra. Nulla vnitas vnita est vnitas personalis. Ad hoc dicendum, quòd aliquid vnitur alij, ita quòd trahitur ad vnitatem eius, & participat eam: vel ita quòd ipsum dat suam vnitatem alteri, & trahit ipsum ad suam vnitatem; sicut quando pomum dominatur in insertione eius cum piro, trahit pirum ad vnitatem suæ hypostasis: pirum autem ita vnitur ei, quod ipsam participat, & ad eam trahitur. Vnitas ergo illius, quòd ita vnitur, quod trahitur ad vnitatem alterius, non est personalis: sed vnitas eius, quod sic vnitur, quod alterum trahit. Hoc modo vnitur filius Dei humanæ naturæ: quia trahit ipsam ad vnitatem suæ hypostasis, & non econuersò: & ideo eius vnitas est personalis.

¶ AD secundam rationem, quæ obiicitur: q᷑ nihil est medium & extremum secundum eandem rationem. Dicendum, q᷑ cum dicitur, hæc arbor vnitur surculo: possumus considerare hanc arborem, vt est res naturæ, vel vt est indiuiduum: quia refert considerare sic & sic: sicut patebit inferius. Et prout est res naturæ, sic est extremum vnionis: prout autem est indiuiduum, sic est medium istius vnionis: quia sic est illud, in quo fit vnio: quia hæc res scil. arbor vnitur surculo in indiuiduitate vel hypostasi. Similiter filius Dei secundum intelligentiæ rationem vt est res naturæ, sic est extremum istius vnionis: prout autem est persona, sic est medium istius vnionis: quia verbum vnitur humanæ naturæ in persona: & sic differenter est medium & extremum. Artic. 3. immediatè sequenti.

¶ AD tertiam rationem, quæ obiicitur: q᷑ nihil terminatur ad se. Dicendum, q᷑ verum est secundum eandem rationem. Sed sicut circulus inchoat lineam, & etiam in illa terminatur: vnde idem ad se terminatur, sed differt secundum rationem. Similiter dicendum, q᷑ est persona, quæ est filius Dei, prout est res naturæ, sic est extremum vnionis: prout autem est persona: sic est medium, & terminat vnionem; & sic terminatur, ad se: differt tamen secundum rationem.

¶ SED tunc quæritur vlterius sic. Persona illa, quam tu dicis esse medium vnionis, vnitur: in quo ergo vnitur: cum sit vnio in aliquo. Similiter de illo, in quo vnietur, erit quæstio in quo vnitur: & sic erit abire in infinitum.

¶ AD hoc dicendum: q᷑ aliter vnitur extremum extremo, & medium extremis. Nam extrema inuicem seipsis non vniuntur, sed per medium: medium autem seipso vnitur extremis. Et propter hoc non est quærere de vnione medij, in quo fit: cum seipso vnitur, non per aliquod medium. Similiter est dicendum de persona. Et sic patet solutio.

(*.*)

ARTI-

ARTICVLVS II.

An abstracta persona, siue ratione personæ, istheæc eadem vnio diuini verbi cum carne in hypostasi fieri posset?

SECVNDO quæritur, vtrùm abstracta persona, siue ratione personæ, possit vnio illa fieri siue intelligi in hypostasi? Et ostenditur quod sic: quoniam omnis persona est hypostasis, & non econuersò; quoniam hypostasis est commune & ad personam, & ad indiuiduum naturæ irrationalis; persona autem solùm est circa indiuiduum rationalis. Vnde quodlibet indiuiduum est hypostasis, & similiter quælibet persona; sed non quodlibet indiuiduum est persona. Ergo circumscripta ratione personæ, siue abstracta persona, adhuc poterit remanere hypostasis vnibilis, & poterit intelligi vnio ista; sicut potest intelligi hypostasis abstracta ratione personæ.

¶ ITEM, in substantia nominali intelligitur hypostasis vt actu distincta proprietate signata. In substantia autem pronominali intelligitur hypostasis non vt actu distincta proprietate signata; sed vt distinguibilis. Vnde dicendo (Sortes) dico substantiam singularem actu distinctam per proprietatem signatam. Cùm verò dico, Iste; significo substantiam singularem non distinctam actu aliqua proprietate signata; sed dico meram substantiam, & distinguibilem. Sed hypostasis & persona differunt; sicut distinguibile & distinctum: quia persona dicit distinctum, hypostasis verò distinguibile: hypostasis ergo dicit substantiam vt pronominalem: persona autem dicit substantiam vt nominalem. Sed abstracta substantia nominali, adhuc remanet & intelligitur substantia pronominalis: quia abstracta proprietate distinguente substantiam singularem actu, adhuc remanet substantia vt distinguibilis: ergo abstracta persona adhuc remanet & intelligitur hypostasis vt vnibilis. Ergo potest prædicta vnio intelligi fieri in hypostasi abstracta persona.

¶ AD oppositum sic: In perpetuis non differt esse à posse: quia est ibi potentia perfecta, & semper est actu. Sed hypostasis dicit distinguibile, & ita potentiam; persona autem dicit distinctum actu, & ita actum; ergo in perpetuis non differt persona & hypostasis; ergo abstracta persona in Deo per intellectum; nullo modo potest intelligi hypostasis. Abstracta ergo vnione in persona, nullo modo poterit intelligi vnio in hypostasi.

¶ ITEM, in diuinis non est potentia possibilis intelligi sine actu: quia in Deo nulla est imperfectio potentiæ; potentia verò per actum perficitur. Qui ergo aufert actum, aufert & potentiam. Sed ibi est distingui actu proprietate signata, & hoc pertinet ad personam: & similiter posse distingui; & hoc ad hypostasim: ergo qui aufert personam & abstrahit, aufert hypostasim. Ergo abstracta persona non potest intelligi in Deo vnio in hypostasi.

RESOLVTIO.

Abstracta totaliter, & simpliciter personalitate à Deo; nullatenus ponere est vnionem in hypostasi. Sed benè abstracta ab altera personarum tantùm.

¶ SOLVTIO. Dicunt quidam, quod secundùm intelligentiæ rationem abstractio personæ potest intelligi in Deo duobus modis. Aut quia totaliter personalitas à Deo intelligitur abstrahi: aut ab vna persona solum, scilicet ab hac persona pater, vel ab aliqua aliarum abstrahendo personam in Deo. Hoc secundo modo adhuc remanet & intelligitur hypostasis in Deo: & sic potest adhuc intelligi vnio in hypostasi. Sed abstrahendo personam primo modo, nullatenus potest intelligi vnio in hypostasi diuina: quia persona penitus abstracta non potest intelligi esse actu hypostasis: & hoc est, quia abstracta persona, abstrahitur hypostasis actu, nec potest intelligi, nec remanet actu: sicut nec pronominalis substantia abstracta nominali: sed solùm potentia. Sed qui aufert substantiam actu entem; aufert vnionem: quia nunquam intelligitur vnio ad rem solùm entem in potentia, sed actu. Qui ergo aufert simpliciter personam in Deo: aufert omnem respectum hypostasis ad vnionem.

¶ AD primam ergo rationem, qua obiicitur, quòd abstracta persona adhuc intelligitur hypostasis. Dicendum, quòd abstracta persona simpliciter nõ intelligitur hypostasis vt substantia ens actu: & ita non intelligitur vt vnibilis, abstracta persona.

¶ AD secundam rationẽ similiter dicendum est: quod redit in idem cum prima. Vel potest aliter dici: quòd sicut suprà in primo libro determinatum est; abstractis proprietatibus personalibus, adhuc est intelligere hypostases in diuinis, & distinctas suo modo: licèt non proprietatibus personalibus. Vnde cùm contingat intelligere illas, & suo modo distinctas: est intelligere eas vt vnibiles. Quæst. 5

¶ AD illud ergo, quod obiicitur; quòd in perpetuis non differt esse à posse, &c. Dicendum, quòd hoc nihil facit ad propositum; quia licet in diuinis non sit aliqua hypostasis distinguibilis tantùm, sed actu distincta: quia idem est ibi hypostasis, & persona; potest tamen intelligi hypostasis siue distinguibilis respectu proprietatis personalis, id est non distincta proprietate personali. Verbi gratia, potest intelligi in diuinis vnus esse ab vno, vel vnus à duobus, non intelligendo per generationem, vel per spirationem. Et ita potest intelligi hypostasis absque personali proprietate.

¶ AD aliud dicendum: quòd intelligendo in diuinis distinguibile siue hypostasim; non intelligendo imperfectionem potentiæ respectu alicuius actu perficientis; quia ibi idem est hypostasis & persona, potentia & actus: nec sic intelligendo ponitur aliqua imperfectio in ipsis hypostasibus. Vnde sic intelligendo, vel sic: non distinguitur sic diuiditur ex parte diuinarum personarum: sed ex parte intelligentis modus intelligendi differens ponitur. Potest igitur intelligi hypostasis vnibilis: non tamen vnibilis in vnitate personali, siue in vnitate hypostaseos.

ARTICVLVS III.

An abstracta hypostasi & persona à diuina natura, posit adhuc intelligi vnio diuinæ naturæ ad humanam naturam in re natura.

TERTIO quæritur, Vtrùm abstracta hypostasi & persona à diuina natura; possit adhuc intelligi vnio diuinæ naturæ ad humanam naturam in re naturæ? Et ostenditur quod sic: quia potest esse quod intelligam Sortem; nec istum, id est nec personam, nec hypostasim; tamen adhuc possum intelligere habentem humanam naturam. Ergo similiter in diuina natura, posito quòd non intelligam personam, nec hypostasim: possum tamen intelligere adhuc habentem diuinam naturam. Sed diuina natura, prout est in habente, sic appellatur res naturæ; ergo adhuc intelligere rem naturæ; ergo abstracta persona & hypostasi, adhuc possum intelligere vnionem istam in re naturæ.

¶ AD oppositum sic: In homine est natura, & res naturæ: natura est humanitas, quæ dicit quo homo est: res verò naturæ duplex est, scilicet res naturæ vniuersalis, & res naturæ singularis: res naturæ vniuersalis est homo, quia dicit humanitatem in habente eam vniuersaliter: res naturæ singularis est iste homo, quia dicit naturam hanc in habente singulari: natura autem in habente appellatur res naturæ, natura verò dicit quo est, res naturæ vniuersalis dicit quid est, res naturæ singularis dicit quis est. Res autem naturæ vniuersalis nunquam poterit esse ens in actu sine re naturæ singularis: ergo non potest intelligi actu sine illa: quia vniuersale in sui diffinitione concernit esse singularis: est enim vniuersale dicibile de pluribus.

¶ Item, homo qui est res naturæ vniuersalis, dicit habens humanitatem communiter. Sed iste homo, qui est res naturæ singularis, dicit habens humanitatem modo singulari; & ita dicit rem naturę, prout est subiicibilis proprietati. Sed hæc est ratio hypostasis, ergo non potest intelligi res naturæ singularis, quin intelligatur hypostasis: nec res naturæ vniuersalis, quin intelligatur esse res naturæ singularis: & (dico secundùm actum.) Vnio igitur rei naturæ vniuersalis & particularis sine hypostasi nullo modo potest intelligi. Abstracta ergo persona, & hypostasi, non potest hæc vnio esse in re naturæ aliquo modo.

RESOLVTIO.

Quia sicut se habet persona ad hypostasim, ita hypostasis ad rem naturæ singularis se habet. Si abstracta simpliciter persona, nullam est intelligere vnionem in hypostasi: nullam pariter abstracta hypostasi intelligere erit vnionem in re natura.

¶ Solvtio. Dicendum quod quidam dicunt: quòd in homine est ponere quo est, & quid est, & quis est. Quo est, dicit ipsam naturam: quid est, dicit ipsam naturam prout est in habente communiter: quis est, dicit ipsam prout est in habente singulari. Et ita vnum dicit rem naturæ singularis, alterum vniuersalis. Sed res naturæ singularis est duplex: quia aut in potentia ad significationem & ad proprietatem distinguentem: & sic appellatur hypostasis. Aut est actu signata proprietate distincta: & sic appellatur persona & indiuiduum. Sed differt, quia persona solùm attenditur in creatura rationali: indiuiduum verò communiter attenditur in rationali & irrationali. Similiter in Deo est natura, scilicet deitas: & est ibi vt res naturæ vniuersalis & singularis secundùm rationem intelligentiæ & loquendi: quia secundùm rem quicquid in Deo est, vnum sunt. Nec sunt istæ intentiones, scilicet vniuersale & singulare in Deo, sicut aliàs probatum est: tamen cùm dico, Deus, dico vt rem naturæ vniuersalis, quia dico deitatem vt in habente communiter, non appropriando ad hanc personam, vel ad aliam: cùm verò dico, iste qui est Deus, demonstrata aliqua personarum, dico vt rem naturæ singularis: cùm verò dico pater, vel filius, vel spiritus sanctus, dico personam. Sed si humana natura vniatur alicui, non fiet vnio in natura solùm: cùm deitas in Deo sit quasi natura communis: nec pari ratione in re naturæ vniuersalis. ergo in re naturæ vt singularis. Sed res naturæ vt singularis in Deo est, iste qui est Deus: persona autem est pater: quia dicit eam vt signatam actu; sicut autem se habet persona ad hypostasim, ita hypostasis ad rem naturæ singularis; quia per additionem alicuius respectus. Ergo si abstracta persona simpliciter, nulla potest intelligi in hypostasi vnio; similiter abstracta hypostasi nulla poterit intelligi in re naturæ vnio.

Part. 1. q. 41. memb. 4

¶ Ad rationem contrariam dicendum, quòd abstracta persona & hypostasi adhuc intelligitur res naturæ, sed non potest intelligi vt vnibilis. Aliter videtur nobis dicendum: quod res naturæ potest intelligi passiuè: immò iuxta modum conceptionis intellectus nostri faciliùs intelligitur res naturæ & hypostasis vnibilis, quàm persona: quia vt sic si intelliguntur, intelliguntur vt in maiori distantia ab vltima distinctione, quæ est ex personali proprietate: vnde & in maiori aptitudine ad vnionem: non tamen ad vnionem in vnitate personæ, sed hypostaseos, vel habentis naturam. Nec est aliqua ratio proposita cogens ad contrarium: cogunt tamen ad ostendendum, quòd nec res naturę, nec hypostasis inquantum huiusmodi potest intelligi vnibilis in vnitate personæ. Præterea, vnibilis actiuè potest intelligi, cùm in nullo præiudicetur diuinæ potestati ex huiusmodi intellectu vel consideratione. Nec intelligitur diminuta diuina potestas, siue consideretur vt habentis naturam diuinam, siue vt hypostasis, siue vt personæ. Siue igitur vnibilis intelligatur potens vniri, siue potens vnire: res habens diuinam naturam vnibilis potest intelligi, similiter hypostasis diuina.

MEMBRVM II.

De causa huiusmodi vnionis.

Consequenter quæritur de causa huiusce vnionis, hoc modo. Primò quæritur, vtrùm gratia sit causa huius vnionis. Secundò, vtrùm huiusmodi vnitas sit naturalis. Tertiò & vltimò, vtrum sit maxima vnitatum.

ARTICVLVS I.

An gratia sit causa huiusce vnionis.

Ad Primvm posset dari responsio secundùm Ioannem Damascenum: Quod diuinitas vnitur corpori mediante intellectu, vel anima: & anima mediante gratia, & ita cùm anima sit susceptiua gratiæ, inde est, quod anima sit vinculum istius vnionis: cùm corpus per gratiã, quæ est susceptiua gratiæ, vniatur diuinitati. Damasc. lib. 3. c. 6.

¶ Sed contra hanc rationem obiicitur sic: Inter imaginem, & illud cuius est imago, si aliquid additur, quod sit alterius generis, plus facit dissimilitudinem, quàm similitudinem: quia imago est expressa similitudo eius, cuius est imago. Sed anima est imago diuinitatis, ergo si aliquid alterius generis veniret medium inter animam & diuinitatem, induceret dissimilitudinem inter ea. Gratia verò est alterius generis quàm Dei imago, quæ est anima: ergo mediante ipsa non fit vnio animæ Christi cum diuinitate. Quod gratia & imago Dei, quæ est anima, sint alterius generis, patet; quia anima est in genere naturali, & gratia in genere gratuito.

¶ Contra. Impossibile est creaturam per naturam creaturæ sublimari super creaturam, siue super statum creaturæ. Sed vnio humanitatis ad diuinitatem est sublimatio creaturæ super creaturam, siue super statum creaturæ, qua non potest maior cogitari: ergo non est aliquo modo per naturam humanæ creaturæ quod vniatur ad diuinitatem. Hæc ergo vnio non est per naturam, ergo est per aliquod additum ipsi naturæ, quod eleuet ipsam super omnem naturam. Sed illud additum est donum gratis datum naturę, ergo est gratia: & cùm per illud fiat vnio, erit igitur gratia in Christo causa vnionis.

RESOLVTIO.

Cùm non sit possibile natura humana ex viribus naturalibus ad diuinam vnionem eleuari, necessariò intercidit gratia.

¶ Solvtio. Dicendum, & concedendum: quòd in Christo sit gratia vnionis ad vniendum humanitatẽ cum diuinitate. Et hoc est, quia non est possibile creaturæ humanæ; quòd ipsa per donum conditionis naturæ eleuetur & disponatur ad diuinam vnionem; & ideo necessaria est ei gratia, quæ eleuet ad hoc, & disponat ipsam: quam nos appellamus gratiam vnionis.

¶ Ad rationem contrariam, qua obiicitur: quòd si aliquid alterius generis additur inter imaginem, & illud cuius est imago, &c. Dicendum, quòd est imago Dei in potentia, & actu. Imago Dei in potentia est ipsa anima per naturam: imago verò Dei in actu, est ipsa anima per gratiã, & non aliter quàm per gratiam; quia ipsa gratia est similitudo Dei in actu: & illud, quod trahit imaginem de potẽtia in actu, est gratia, quæ facit de simili potentia actu simile; & ideo venit inter imaginem & illud cuius est, vt actu assimilet. Et iterum illa propositio: Inter imaginem, & illud cuius est imago, si aliquid additur, &c. Falsa est vbi, illud, quod additur, est perfectio alterius: gratia verò est perfectio imaginis, trahẽs ipsam de potentia in actum. & ideo ponit & facit similitudinem eius ad illud, cuius est. De hoc plenius habebitur infra.

ARTICVLVS II.

An isthæc eadem vnitas naturalis sit.

Secvndò quæritur, cuiusmodi sit vnitas in hac vnione, vtrùm sit naturalis? Ad quod sic: Aristoteles distinguit Aristot. 5. Metaph. 7.

ſtinguit vnum in vnũ per ſe, & vnum per accidens. Vnum per accidens eſt ſicut accidens & ſubiectum, vel duo accidentia in vno ſubiecto. Vnum verò per ſe decem modis: quia aliqua ſunt vnum continuatione, ſicut quorum eſt terminus vnus. Secundò eſt vnum forma ſiue ſpecie (quia ſub hoc comprehenditur vnum ſpecie,) vt Sortes, & Plato. Tertio modo eſt vnum genere, vt homo & bos. Quarto modo vnum diffinitione, vt diffinitio & diffinitum, & ſimiliter ſpecies generis. Quinto modo eſt vnum indiuiſibilitate, quod nullo modo habet multitudinem; ſicut punctus. Sexto modo eſt vnum numero, vt ſingulare. Septimo modo eſt vnum vniuerſalitate. Octauò vnum totalitate: & hoc eſt, vnum perfectione, quia totum & perfectum idem: quia ſic circulus eſt magis vnus aliis figuris, quia perfectior eſt. Nonò dicitur vnum proportione, vt ſicut ſe habet nauta ad nauem, ita magiſter ad ſcholas: vnde ſunt vnum proportione in regendo. Decimo modo eſt vnum materia. Chriſtus autem Deus & homo nullo iſtorum modorum eſt vnum: quia nec proportione, nec totalitate, quia Chriſtus non eſt vnum ſicut circulus. Nec vnũ vniuerſalitate, quia vniuerſale eſt genus vel ſpecies: & hoc non eſt ponere in Chriſto quantum ad illam vnionem. Nec vnum genere, nec vnum ſpecie, nec vnum numero; quia illud vnum ſemper eſt alicuius ſpeciei: Chriſtus autẽ non comprehenditur ſub ſpecie aliqua ſecundùm iſtã vnionem. Nec vnum indiuiſibilitate, vt punctus: quia in Chriſto intelligitur diuiſio & differentia naturarum. Nec vnum forma, nec vnum diffinitione. Vnio ergo illa ad aliquam vnitatem non reducitur.

¶ Item, Algazel diſtinguit vnum in vnum ſimpliciter, & in vnum ſecundùm quid. Vnum ſimpliciter eſt tribus modis. Quoddam, in quo non eſt multitudo actu, nec potentia: ſicut punctus, & vnitas, & Deus. Aliud eſt, in quo eſt multitudo potentia, ſed non actu; ſicut continuum, vt linea: quæ vnum eſt in actu, multa tamen in potentia per diuiſionem. Tertio modo eſt vnum, in quo eſt multitudo potentia, & effectu: illa tamen multa vniuntur, vt lectus, & membrum: quia in manu plura ſunt potentia & actu; vt caro, & oſſa, & nerui. Vnum verò ſecundùm quid, eſt quinq; modis, ſcilicet vnum genere, vnum ſpecie, vnum accidente, vt nix, & camphora; vnum ſubiecto, vnum proportione. Sed in prædicta vnione non eſt vnum genere, vel ſpecie, vel proportione, vel numero: nec vnum ſubiecto, quia Deus nulli eſt ſubiectus. Item, non eſt ibi vnum ſimpliciter primo modo, nec ſecundo modo, ſicut linea: quia hæc vnitas ſolùm eſt in rebus, quę ſunt vnius naturæ per continuationem. Similiter nec vnum tertio modo, ſicut lectus: quia tale vnum eſt per conſtitutionem & compoſitionem ex diuerſis partibus: ſed hoc modo non dicitur Chriſtus vnum: quia naturæ in Chriſto non ſunt partes componentes ipſum, vnde non eſt ibi diuerſitas aliqua partis: cùm pars de ſui natura incompletionem & poſſibilitatem dicat: ergo nullo modo eſt ibi aliqua naturalium vnitatum, nec conſimilis alicuius.

Algazel in Metaphyſica.

RESOLVTIO.

Vnio naturarum in Chriſto non natura, ſed gratia eſt: reducibilis tamen eſt ad vnitatem aliquam per naturam.

¶ Solvtio. Dicendum eſt ad iſtam quæſtionem: quòd vnitas illa, ad quam trahitur hæc vnio, non eſt naturæ, ſed gratiæ. Philoſophus autem loquitur de vnitatibus naturæ. Et propter hoc iſta non continetur in diuiſione ſua: tamen aliquo modo eſt reducibilis ad aliquas illarum. Et quò ad primam diſtinctionem reducenda eſt ad vnum totalite: ſed nõ totalitate partium, ſicut manus; ſed totalitate perfectionis: quia illud vnũ, quod eſt Chriſtus, in quo eſt prędicta vnio; perfectiſſimum eſt. Vnde ſemper ſalua catholica confeſſione, poteſt dici: quòd in Chriſto eſt vnitas totalitate, numero, & indiuiſibilitate per aliquam ſimilitudinem; quia inquãtum Deus dicitur vnum indiuiſibilitate, inquantum dicitur vnus homo, dicitur vnum numero: cùm verò dicitur vnus, id eſt vna perſona in duabus naturis, intelligitur vnitas totalitate. Et ſic illa vnitas reducibilis eſt ad vnitatem ſecundùm totalitatem perfectionis.

¶ Ad id, quod ſecundò obiicitur de vnitatibus ſecundùm Philoſophum, dicendum: quòd Chriſtus eſt vnum ſimpliciter. Sed vnum ſimpliciter dicitur duobus modis, ſcilicet, vnum vnione, & vnum vnitate. Vnum vnitate dicitur dupliciter: quoddam eſt, in quo non eſt multitudo actu nec potentia, vt Deus: & eſt vnum, in quo eſt multitudo potentia, ſed non actu, vt linea. Vnum vnione eſt, in quo ſunt multa potentia & actu: vt lectus. Ad hanc vnitatem reducibilis eſt vnitas, qua Chriſtus eſt vnum: nõ quia Chriſtus ſit compoſitus ex pluribus naturis tanquam ex partibus: ſed quia ſunt in eo plures naturæ actu & potentia vnitæ, ſcilicet Deitas, anima, & corpus: talis autem vnitas vnionis eſt in perſona.

ARTICVLVS III.

An vnio naturarum in Chriſto ſuprema ſit vnitum omnium.

DEinde quæritur, Vtrùm illud vnum, ad quod terminatur iſta vnio, ſit maximè vnum inter alias vnitates creatas? Ad quod ſic Bernardus: *Inter omnia, quæ rectè dicuntur vnum, arcem tenet vnitas Trinitatis: quia tres perſonæ sũt vna ſubſtantia: ſecundò præcellit illa vnitas, qua tres naturæ ſunt vna perſona.* Sed hæc vnitas, qua Chriſtus eſt vnũ: ergo poſt vnitatem Trinitatis, quæ increata eſt, maxima eſt vnitas Chriſti inter omnes vnitates creatas.

Bern. 5 de conſid. ad Eugeniũ.

¶ Item, quæcunque vniuntur in aliquo, quantò illud eſt ſimplicius, tantò ex illis magis eſt vnum. Si ergo in Chriſto vnio diuinæ naturæ ad humanam eſt in perſona ſimpliciſſima: ergo hæc vnio terminatur ad maximè vnum.

¶ Item, oſtenditur quòd ſit maior, quàm vnitas animæ & corporis in perſona hominis. Maior eſt vnitas, quæ non eſt ſeparabilis vel diſſolubilis, quàm illa quæ eſt huiuſmodi. Sed vnio diuinæ naturæ & humanæ in perſona Chriſti non eſt aliquo modo ſeparabilis vel diſſolubilis; vnio verò animæ & corporis in perſona hominis eſt ſeparabilis: ergo ad maiorem vnitatem terminatur illa quàm iſta. Minor patet; in vnione diuinæ naturæ ad humanam in perſona, perſona vincit & ligat illas naturas: ſed perſona eſt vnitas indiſſolubilis: ergo ligat illas naturas indiſſolubiliter: ergo non eſt aliquo modo ſeparabilis hæc vnitas: ergo eſt maxima inter creatas.

¶ Item, eſt natura, & res naturę: perfectiſſima verò vnitas eſt aliquorũ, quæ ſunt vna natura: ſicut plurium perſonarum in trinitate. Si ergo hæc eſt perfectiſſima vnitas, quæ eſt in diuina natura: ergo poſt illam perfectiſſima eſt inter alias vnitates creatas vnitas, quæ eſt in re diuinæ naturæ: hæc autẽ eſt vnitas Chriſti, ergo ipſa eſt maxima inter omnes vnitates creatas.

¶ Ad oppoſitum ſic: Magis eſt vnum, quod eſt vnum in natura & perſona; quàm quod eſt vnum in perſona tãtùm, ſed vnio animę & corporis in homine terminatur ad vnum in natura, & perſona: quia ex vnione horum reſultat in homine natura vna & perſona vna: in Chriſto autem terminatur vnio Deitatis & humanitatis ad vnum in perſona ſolum: ergo illud vnum, ad quod terminatur hæc vnio, inter vnitates creatas non eſt maximè vnum.

¶ Item, minima eſt vnitas, quæ eſt ſecundùm minimum eſſe: ſed vnitas, quæ eſt ſecundùm relationem, eſt ſecundùm minimum eſſe: ergo vnitas ſecundùm relationem eſt minima. Sed vnitas, qua Chriſtus eſt vnum, eſt vnitas ſecundùm relationem; ergo eſt minima inter vnitates creatas. Quod autem vnitas ſecundùm relationem ſit ſecundùm minimum eſſe, patet; quia inter omnia prędicamenta relatio minimè habet de eſſe: alia enim ponunt aliquid in ſubiecto: quo dempto vel addito, fit mutatio in ſubiecto: longum enim ponit aliquid in ſubiecto ſecundùm quantitatẽ; album ſecundùm qualitatem;

legere

legere secundùm actionem, homo secundùm substãtiam, (si dicatur de aliquo, quod sit homo) & sic de aliis: his enim remotis vel additis fit mutatio in subiecto. Sed prædicando relationem de aliquo, non ponit aliquid in ipso, quo dempto vel addito fiat mutatio in illo: vt si dicatur aliquis primus, hoc non ponit aliquam mutationem in ipso; quia veniat alter ante ipsum, iam non est primus, nec per hoc est mutatio alicuius naturæ facta in subiecto: & sic relatio nihil addit ad esse, quod additum sit natura aliqua; & propter hoc minimè habet de esse; & ideo vnio terminata ad ipsam est minima. Quod autẽ vnio in Christo terminetur ad vnitatem secundùm relationem, patet: quia in Christo non est nisi esse substantiæ, & esse relationis; esse substantiæ pertinet ad essentiam, esse relationis pertinet ad personam; quia esse personę est esse relationis. Sed hæc vnio terminatur ad vnitatem personæ filij Dei: & cùm dico, filium, non dico quid, sed aliquid; ergo vnitas Christi est secundùm esse relationis. (5. Physi.)

¶ ITEM, magis est vnum, quod est ex paucioribus, quã quod est ex pluribus. Sed in Christo sunt tres vnitates entes actu, scilicet vnitas diuinæ naturæ, vnitas animæ, & vnitas corporis; & sunt etiam substantiales; in homine autem non inueniuntur nisi duæ, scilicet vnitas animæ, & vnitas corporis; ergo minus est vnum Christus, quã homo.

¶ ITEM, Algazel diuidit vnum in vnum simpliciter, & in vnum secundùm quid. Vnum simpliciter tripliciter; quoddam in quo non est multitudo actu, nec potentia; quoddam in quo non est multitudo actu, sed potentia; quoddam in quo est multitudo actu & potentia. Vnum primo modo est magis vnum, quàm vnum secundo modo; & vnum secundo modo est magis vnum, quàm vnum tertio modo. Cùm ergo Christus sit vnum tertio modo, linea verò secundo modo; ergo magis vnum est linea, quã Christus. (Algazel.)

¶ ITEM, vnum homogeneum magis est vnum quàm vnum & heterogeneum: quia vnum, quod est vnius naturæ in toto & in partibus, magis est vnum, quàm quod est diuersarum naturarum; vt elementum magis est vnum, quàm elementatum. Ergo cùm Christus sit vnum eterogeneum; quia est diuersarum naturarum; aër verò, vel aliquod aliud elementum sit vnum homogeneum, & vnius naturæ, ergo est magis vnum, quàm Christus.

¶ ITEM, quæ magis distant in vnione, minus sunt vnum. Sed magis distant in vnione diuina natura & humana, quàm corpus & anima in vnione hominis: ergo minus est vnum, quod est ex diuina & humana natura, quàm homo qui est ex corpore & anima; ergo vnitas Christi nõ est maxima inter vnitates creatas.

RESOLVTIO.

Post diuinæ Trinitatis vnitatem vnitas naturarum in Christo vnitatum omnium suprema est.

¶ SOLVTIO. Prænotanda est quædam diuisio vnitatis, quam ponit B. Bernard. Distinguit enim vnitatem secundùm nouem modos: primò in corpore, secũdò in homine, tertiò in Deo. Vnitatem in corpore assignat duplicem: prima est vnitas collectiua, sicut cùm multi lapides vniuntur in vno aceruo; secunda est vnitas conformitatiua, sicut cùm multa membra vniuntur in vno corpore ad conformandum ipsum: prima istarum vnitatum facit vnũ secundùm quid, scilicet vnum aggregatione; secunda facit vnum simpliciter, sicut dicimus multa membra esse vnum corpus. Vnitatem verò in homine assignat triplicẽ; prima est vnitas in iure, secunda est vnitas in natura, tertia est vnitas voluntate: vnitas iuris est vnitas coniugata, qua fit, vt duo iam non sint duo, sed vna caro; vt vir & vxor sunt vna caro, Genes. 3. & hoc est vnum in iure, quia vnum habet potestatem corporis alterius, 1. Corinth. 7. & potest vterque in alium vt in se; neutrum verò propriam corporis habet potestatem. Vnitatem autem in natura assignat duplicem, scilicet quantum ad esse, & quantum ad benè esse; vnitas quantum ad esse est vnitas natiua, qua vnitate anima & caro efficitur, vel nascitur vnus homo: vnitas quantum ad benè esse est vnitas precatiua, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed vnus sibimet semper nititur inueniri; vult dicere, quòd quilibet homo per naturam vult semper vnam habere virtutem, quia semper vellet esse in natura sana, nunquam infirmus. Vnitatem in voluntate assignat duplicem; quia quædam est quãtum ad proximum, quædam quantum ad Deum: quantum ad proximum hæc est consentanea, cùm scilicet per charitatem multorum hominum est cor vnum & anima vna, Act. 4. vnitas voluntate quantum ad Deum est vnitas votiua, cùm scilicet anima votis omnibus adhærens Deo, vnus spiritus est, 1. Corinth. 6. Vnitatem in Deo assignat dupliciter, scilicet vnitas in natura, & vnitas in persona: vnitas in persona est vnitas dignatiua, qua humana natura & diuina in vna persona est; in qua vnitate limus noster assumptus est à Verbo in vnam personam, qua vnitate Christus est vnum: vnitas in natura est consubstantialis vnitas, sicut vnitas trinitatis: in qua tres personę sunt vna substantia & natura. (Bernard. in libro de consider. ad Eugen.) (Genes. 3.) (1. Cor. 6.) (Act. 4.) (1. Cor. 6.)

¶ DICENDVM ergo, quod est quædam vnitas in vno; & quædam vnitas in pluribus; sicut illæ, quæ dictæ sunt. De prima non loquitur Bernardus, sed solùm de vnitate in pluribus. Et inter omnia, quæ dicuntur vnum hoc modo, verum est, quòd arcem tenet vnitas trinitatis, qua tres personæ sunt vna substantia. Secundò, illa vnitas præcellit omnes alias vnitates, qua tres naturæ sunt vna persona. Vnde Bernardus dicit: ***Decuit quòd pro homine constitutum est sacramentum; cum summa, quæ Deus, & Deo est, vnitati congruerit: vt quemodo ibi tres personæ vna substantia: ita hic tres essentiæ vna natura.*** Quando ergo quæritur, vtrùm illa vnitas, qua Christus est vnum, sit maxima. Concedo, quod post vnitatem trinitatis est illa vnitas maxima inter omnes vnitates prædictas, quæ sunt in pluribus. (Bernard.)

¶ AD primam rationem in contrarium, dicendum: quòd magis vnum, & minus vnum potest dici dupliciter, scilicet quantitatiuè, & qualitatiuè. Quantitatiuè magis est vnum, quod pluribus modis est vnum, vel quod in pluribus est vnum. Qualitatiuè magis est vnum, quod magis est indiuisum. Primo modo magis est homo aliquis vnum, quia in pluribus est vnum, scilicet in natura, & in persona: secundo modo est Christus magis vnum, quàm aliquis homo; quia magis est indiuisa vnitas diuinitatis ad humanitatem in Christo in persona; quàm vnio animæ vel corporis; vt ostensum est; & inseparabilior quàm aliqua alia vnitas: & hoc est magis vnum dictum simpliciter.

¶ AD secundam dicendum, quòd est relatio subsistens, & relatio assistens. Prima habet maximè de esse: secunda minimè.

¶ AD quod notandum, quòd est substantia materia, & forma: substantia materia est vt potentia, forma vt actus. Sed potentia dicitur relatiuè ad actum, & econuersò: ergo & in principiis substantiæ inuenitur relatio, quæ ita essentialis est, quod nisi ipsa esset, substantia non esset. Hæc ergo relatio est principium ad esse ipsius substantiæ: & hæc est subsistens, vel insistens. Relatio assistens est, quæ sequitur ad esse substantiæ; quæ causatur ex comparatione rerum aliquorum prædicamentorum inuicem; sicut ad substantiam sequuntur istę relationes; idem, diuersum. Ex hoc enim quòd eadem forma substantialis ponitur in duobus, assistit, & consequitur relatio, quæ est identitatis specie. Similiter ex hoc quòd consimilis quantitas, causatur hæc relatio, quæ est æqualitatis: & hæc relatio minimè habet de causa * quæ causatur solùm ex aliis. In trinitate ergo est relatio: sed hæc est relatio sicut insistens, vel subsistens; & non assistens: vnde facit personam verissimè esse; quia personalis est, vt alibi declaratum est. Hæc etiam relatio magis habet de esse, quàm aliqua alia substantia creata. Et ita cùm vnitas Christi sit in persona, quæ habet esse istius relationis: patet, quod ipsa habet maximum esse inter creatas vnitates. (* al. quia.) (Part. 1 q. 4°. mẽb. 4 art. 3. §. 4.)

¶ AD tertiam dicendum, ꝙ vnum est dupliciter, scil. in

natura

natura, & in persona. Primo modo decurrit obiectio; secundo modo magis vnum est Christus; quia illæ tres vnitates sunt magis indiuisæ & inseparabiles in Christo, quã illæ duæ, quæ sunt in homine.

¶ Ad quartam & quintam dicendum; quòd est vnum natura, & re naturæ, siue hypostasi. Si dicitis vnum natura: sic aliquid homogeneum magis est vnum, quàm Christus. Sed re naturæ magis est vnum Christus; quia res naturę, quæ est in Christo, magis habet esse indiuisum.

¶ Ad sextam dicendum, quòd in formis materialibus benè sequitur, quòd quæ magis distant si vniantur, minus sunt vnum. Sed in formis spiritualibus, quæ magis distãt, magis vniuntur. Et huius ratio est simplicitas huius formæ; quia in simplici non est diuisio partis & partis; & propter hoc cùm vnitur, totum simul vnitur. Sed non sic est in forma materiali, quæ participabilis est, & distensa. Forma igitur prima, quæ est verbum; cùm sit simplicissima, maximè se vnit, & maximè facit vnum: & ideo Christus est maximè vnum.

MEMBRVM III.

De effectu eiusdem vnionis.

CONSEQVENTER quæritur de effectu huius vnionis. Et circa hoc duo quæruntur. Primum est, vtrùm vnio faciat mutationem in vnitis. Secùdò, supposito quod non omnino: vtrùm faciat de vnitis, quòd vnum sit alterum, vel vnum in altero.

ARTICVLVS I.

An vnio Verbi cum carne mutationem faciat in vnitis?

AD primum sic obiicitur: Omne, quod est alio modo se habens nunc quàm prius, est mutatum. Sed omne, quod nunc est aliud quàm prius, est alio modo se habens nunc quàm prius: ergo omne, quod est aliud quã prius, est mutatum. Sed Verbum per vnionem cum carne est aliud quàm prius, ergo hæc v[illegible] facit mutationem in diuina natura. Mutari enim nihil [illegible]d est, quam alio modo se habere nunc quàm prius. Sed plus est esse aliquid nunc quod non prius: quàm esse alio modo se habens nũc quàm prius. Si ergo illud facit mutationem, ergo & istud. Sed Verbum in hac vnione est aliquid quod non prius; quia modo est homo, & prius non fuit: ergo est mutatum.

¶ Item, omne, quod transit de non esse ad esse, mutatur: ergo omne quod transit de aliquo esse ad non esse, mutatur. Sed filius Dei per incarnationem transit de non esse homo ad esse homo: ergo in vnione illa mutatur.

¶ Ad oppositum, Omne mutabile est imperfectum. Sed verbum æternum nullo modo est imperfectum, ergo nullo modo est mutabile, nec mutatum. Vnde Bernardus: *Deus semper idem, & vno modo se habens, & vnus sibi.* Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Bernard. Psal. 101.

RESOLVTIO.

Vnio Verbi cum carne mutationem facit; sed in humanitate tantùm.

¶ Solutio. Quædam vniuntur, ita quòd fit mutatio in vtroque vnitorum, vt aqua vnitur cum vino. Vel in altero tantum, sicut cùm vnitur lux solis ipsi aëri: lux non mutatur in illa vnione, nec recipit aliquam dispositionẽ, quam non habuit prius: licèt modo sit illuminãs, & prius non: hoc enim non ponit nouam dispositionem in luce, ponit tamen in recipiente; quia modò est illuminatum, & non prius. Secundùm hoc dicendum; quòd vnio Verbi ad carnem nullam facit mutationem in Verbo: sed solùm est mutatio in ipsa humanitate, quæ modò recipit radium diuinitatis, & prius non, & propter hoc non est facta mutatio in lege æterna.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendum; q̃ aliquid dicitur aliter se habens quã prius, vel propter mutationem in altero, quod se habet modò ad ipsum aliter quàm prius: sicut sol dicitur illuminans ab actione, quam habet in aërem; quod non prius: & tamen non mutatur in se; sed aër nũc se habet aliter ad ipsum, quàm prius: sol autem de se sic habet eodem modo. Sed dico, quòd Verbum non se habet aliter quàm prius: sed aliter se habet ad Verbum quàm prius, scilicet ipsa humanitas.

¶ Ad secundam similiter respondendum est.

¶ Ad tertiam dicendum, quòd filius Dei transit de nõ esse aliquo ad aliquod esse per istam vnionem: sed aliquid quod se habet ad ipsum, sicut humana natura, transit de non esse diuino ad esse diuinum per vnionem cum Verbo in vna persona, & in vnum esse personæ.

ARTICVLVS II.

An isthæc eadem vnio naturarum in Christo faciat, quòd Verbum rectè sit homo: vel quòd in se sit habens hominem?

SECVNDÒ quæritur, vtrùm hæc vnio faciat, quòd homo sit verbum rectè; vel sit in se habens hominem. Ad quod sic Augustinus: *Talis fuit ista susceptio, quæ Deum faceret hominem, & hominem Deum.* Ergo facit quod Verbum rectè sit homo. August.

¶ Item Augustinus: *Tanta fuit illa vnio, vt quicquid conuenit filio D[illegible] naturam, conueniat filio hominis per gratiam.* Idem. Sed quæcu[illegible]unt hoc modo, vnum rectè prædicatur de alio, ergo er[illegible] rectè prædicare filium hominis de filio Dei.

¶ Item Bernardus: *Tam expressam vim vnionis ex se præfert ea persona, qua Deus & homo vnus est Christus, vt si duo detrui-cem prædices, non errasti: Deum videlicet hominem, & hominem Deum.* Bernar. 5. de consideat. ad Eugen.

¶ Item, si non prædico aliquid in rectitudine, sed totum in obliquitate, sicut dicunt quidam, cùm dicitur, filius Dei est homo: sensus est, id est, filius Dei est ens in humanitate. Hæc igitur vnio non facit hoc esse hoc, sed hoc esse in illo; ergo minor est hæc vnio, quàm vnio accidentis in subiectum: quæ facit quod vnum prædicetur de altero rectè.

¶ Item, si dicatur: quòd non prædicatur ibi esse, sed habere; quia sensus est: filius Dei est habẽs humanitatem. Ergo hæc prædicatio solùm dicit, quomodo se habet: & ita reddit tertia opinio, quæ damnata est in Senten. Nam ex prædicatione secundùm habitum non sequitur * alia vnio: vnde non sequitur, iste est habens vestem, ergo vestis ei vnitur. Sed ex parte ista fit vnio filij hominis, & filij Dei: ergo plus prædico quàm habitum, dicendo; filius Dei est homo. Dicunt quidam, quòd idem prædicatur de se, cùm dicitur: filius Dei est homo, sed aliter se habens: vnde sensus est, filius Dei est filius, qui est homo: & sic in prædicato intelligitur implicatio, scilicet ille qui est homo. Sed vbicunq; est prædicatio per implicationem, locutio impropria est. Vnde cùm inuenimus in autoritatibus Sãctorum, quod natura generat naturam in trinitate; impropriè dicitur, & exponendum est, id est ille, qui est natura, generat illũ, qui est natura, scilicet pater filium: quia hoc propriè non conuenit ibi naturæ; sed ei qui est natura, scilicet patri. Ergo similiter si sensus est, filius Dei est homo, id est filius Dei est ille, qui est homo; impropria est hæc prędicatio, filius Dei est homo: quod est inconueniens. * aliàs, aliqua

¶ Item, quæritur de illa implicatione, quæ est; ille qui est homo: hic enim prædicatur idem de se, & non aliud; cùm dico ille qui est homo: ergo erit sensus, filius Dei est filius, qui est filius, qui est homo: similiter iterum quæritur de hac implicatione, & sic in infinitum: & etiam ibi est nugatio. Igitur non est ibi prædicatio secundùm habitum, sed recta, cùm dicitur; filius Dei est homo.

RESOLVTIO.

Vnio naturarum in Christo nequaquam facit quòd verbum sit rectè homo. Sed quòd verbum sit in humana natura, siue humana natura: vel rectius, quòd humana natura sit de esse persona: aut de hypostasi verbi, siue quid sua hypostasis.

¶ Solutio. Notandum, quòd in prædicationibus diuinis maxima est differentia. Aliquando enim est ibi prædi-

prædicatio per entitatem, id est per identitatem: aliquando prædicatur esse de; aliquando esse huius; aliquando esse à: verbi gratia, quando aliquid prædicatur in diuinis ab æterno, est prædicatio per entitatē; vt filius Dei est Deus; & similiter Deus est potens, hæc enim est prædicatio per identitatem essentiæ.

¶ ALIQVANDO autem in diuinis prædicatur esse ad; sicut cùm prædicantur notiones personales de Deo: sicut cùm dico, Deus generat, Deus est genitus. Per hoc quod dico genitus, vel generans, non dico quid, sed esse ad aliquid, secundùm relationem personæ ad personam, quam prædicat generans, genitum, & procedens: & huiusmodi sunt relationes diuinæ, id est diuinarum personarum. Sed est alia relatio creatoris ad creaturas, quam prædicant de Deo ista nomina, dominus, causa, & huiusmodi; quia causa dicitur ad effectum, & dominus ad seruum. Sed primū ad aliquid non dicit quid: vnde generans genitum prædicant de Deo aliquid, quod non est quid, vel substantia: quia dicunt relationem personalem. Sed secundum ad aliquid, dicit quid in Deo: vnde dicendo, Deus est causa, siue dominus: hic prædicatur relatio, quæ est quid, vel substantia: vnde substantia per modum relationis ibi prędicatur.

¶ ALIQVANDO autem in diuinis præ[dic]atur esse huius, vel esse in, quod idem est: (Et sumatur i[llud] esse in; sicut accidens in subiecto.) Et hoc modo fit prædicatio hic, secundùm quod assignat Augustinus, vnus est vtrumque, demonstrata humana, & diuina natura, scilicet Christus. Hæc enim prædicatio non ęst per identitatem essentiæ, ad minus ex parte humanę naturę, licet ex parte diuinæ; quia filius Dei & diuina natura sunt idem per essentiam; cùm in Deo non differant natura, & res naturæ: sed filius Dei, & humana natura non sunt idem; vnde sensus illius prædicationis est: idem Christus est in diuina & humana natura: vel, diuinæ & humanæ naturæ. August.

¶ ALIQVANDO autem ibi prædicatur à, vt cùm dicitur, Dominus est fortitudo mea, Dominus est spes mea: nā sensus est; fortitudo mea est à Deo, spes mea est à Deo: & hæc est prædicatio, secundùm quam prædicamus effectum de causa. Sed vlterius prædicatur in diuinis esse de: & talis est ibi prædicatio; Deus est homo, filius Dei est homo. Nam (sicut dictum est) in Christo est vnio diuinæ & & humanæ naturæ; quæ est quasi vnio per insertionem: sed in vniōne per insertionem vnum non est alterum, nec in altero; sed vnum fit de hypostasi alterius: sicut quando pirum insertum pomo fit vna hypostasis ex duabus naturis, scilicet vna arbor; quia vnum trahit alterum ad suam hypostasim; & ita vnum fit de altero quantum ad esse suæ hypostasis: vnde pirum est de esse hypostasis vel arboris, cui vnitur; & similiter pomum: & propter hoc cùm dicitur, ista arbor est pirum; hic prædicatur esse de; quia pirum est de esse illius arboris. Similiter cùm dicitur, Christus est homo: quia non solùm est sensus, Christus est ens in humana natura: immò etiam humana natura est de Christo. Sicut ergo cùm dico, homo est animal, hoc genus, animal, non prædicat totum esse hominis, sed dicit de illo; similiter & hic. Ita ergo est verbum insitum, quod trahit humanam naturam ad esse suę hypostasis: & quod est de sua hypostasi, sicut pirum de hypostasi pomi: & tamen natura piri non est natura pomi. Similiter nec diuina natura est humana; nec vna natura fit de alia, sed facit hæc vnio vnam naturam esse de hypostasi alterius, & non vnam esse aliam. Et ita non prædicatur ibi habitus solum, nec esse in solum, sed esse de. Et sic facit, quòd homo est de esse personæ Verbi, siue quid suæ hypostasis: & non quod sit ipsum rectè, immò prædicatur ibi esse de: & in rectitudine, filius Dei est hōmo; sicut & hic cùm dicitur; hæc arbor est pirum.

¶ AD id ergo, quod obiicitur, quòd ista susceptio facit hominem esse Deum, & Deum hominem. Patet responsio, quia licet homo in prædicando rectè dicatur de Deo, & econuersò: non tamen homo est rectè Deus: sed signatur homo, siue natura humana esse de hypostasi filij Dei.

¶ SIMILITER respondendum est ad illud Bernard.

¶ AD alia patet responsio: quia opiniones suppositæ non vsquequaque sunt veræ, vt asserunt rationes contra illas propositæ.

QVÆSTIO VIII.

De Conceptione Christi.

In tria Membra, & quatuor Articulos diuisa.

EXPEDITIS cum adiutorio Christi quæstionibus pertinentibus ad mysterium incarnationis filij Dei: consequenter cum omni reuerentia quærendum est de sacramentis Conceptionis & Natiuitatis, quæ ei conueniunt ratione assumptæ carnis. Et primò de conceptione: circa quam quæruntur hæc; Primò de tempore cōceptionis. Secundò de ordine conceptionis. Tertiò de principiis & ratione conceptionis. D Tho. 3. par. q. 31. & inde S. Bon. in 3. d. 3. par. 2. art. 1. & d. 2. sparsim.

MEMBRVM I.

De tempore conceptionis Christi.

CIRCA tempus Conceptionis quærendum de dilatione incarnationis, quare per tanta tempora dilata est. Sed hæc quæstio conuenienter determinatur in inquisitione Moralium de tempore lationis Euāgelij. Quātum tamen ad præsens notandum est verbum Apostoli: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege: vt illos, qui sub lege erant, redimeret, &c.* Circa hanc autoritatem Apostoli sunt quatuor dubitationes. Prima est de plenitudine temporis: secunda de missione, qua dicitur, *Misit Deus filium sum*: tertia de hoc q. dicitur, *factum de muliere*: quarta de hoc quod dicitur, *factū sub lege.* Galat. 4.

¶ CIRCA PRIMVM obiicitur: *Quæ cùm impleta esset, &c.* & dicitur de sagena. Gloss. *Vniuersaliter in fine seculi.* Ergo ante finem seculi non est temporis impletio. Matt. 13. Gloss.

¶ ITEM: *Ex parte [cogn]oscimus, & ex parte prophetamus: sed cùm venerit quod perfectum est; euacuabitur quod ex parte est.* Ergo non est tempore gratiæ donorum plenitudo: quod enim est ex parte, non est totum plenum. 1. Cor. 13.

¶ ITEM: *Nosipsi primitias spiritus habentes, intra gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, &c.* Ergo non est plenitudo quantum ad adoptionem. Rom. 8.

¶ ITEM, sicut ibidem dicitur: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc, &c.* Ergo non est plenitudo quantum ad liberationem. Ibidem.

¶ RESPONSIO. Est plenitudo naturæ, gratiæ, & gloriæ. Et naturæ plenitudo duplex est: primò quantum ad conditionem rerum completam secundùm genus & speciem, de qua dicitur: *Compleuit Deus die septimo opus suum, & requieuit, &c.* secundò, quantum ad multiplicationem, de qua dicitur: *Domini est terra, & plenitudo eius, &c.* Et, *Audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen eius, &c.* Plenitudo verò gratiæ dicitur tempus incarnationis, & redemptionis Christi. Primò per comparationem ad Deum: in incarnatione enim facta est plena participatio Deitatis, vnde: *In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Secundò per comparationem ad Angelum; quia ruina angelorum reparatur per redemptionem ex electis hominibus: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, &c.* Tertiò per comparationem ad hominem multipliciter: primò in plena liberatione à culpa per misericordiam: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari, &c.* deinde in plena perceptione boni necessarij ad salutem, quantum ad bonum veritatis ad intellectum, & gratiæ quantum ad effectum, de qua: *Plenum gratia & veritatis.* Et subditur: De plenitudine eius accepimus omnes. Quartò per comparationem ad omnem creaturam, quæ ex incarnatione perficitur: cùm enim omnis creatura ordinet ad hominem, & humana natura vniatur diuinæ, completur vniuersa creatura, cum qua communicat homo, siue sit corporalis, siue spiritualis. Et hoc est quod dicitur Ephes. 1. Secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporis instaurate omnia in Christo, Genes 2. Psal. 23. Isai. 34. Colos 2. Psal. 109. Coloss. 1. Ioan. 1.

quæ

quæ in cœlo, & in terra sunt, &c. His ergo rationibus dicitur tempus gratiæ, tempus plenitudinis. Plenitudo verò gloriæ attenditur quantum ad duo. Primò quantum ad plenitudinem numeri electorum, de qua Apocalypf. 6. Sustinete modicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Secundò, quantum ad perceptionem æternorum bonorum, de qua: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* (Eccl. 24.)

¶ Ad primum obiectum iam patet responsio: quia Gl. illa intelligitur de plenitudine numeri electorum: quę nō pertinet ad plenitudinem gratiæ, sed gloriæ.

¶ Ad secundum, quod dicitur de cogitatione in parte. Dicendum, quod est plenitudo quantum ad statum sufficiens: & est plenitudo simpliciter perfecta. Quantum ad primam est plenitudo donorum in præsenti: sed non quantum ad secundam in membris Christi scilicet. (* al. cognitione.)

¶ Ad tertium, quod obiicitur de plenitudine adoptionis. Dicendum, quod est plenitudo adoptionis in re, & in spe. Plenitudo adoptionis in re non est in præsenti; sed in spe, vnde ibidem dicit Apostolus: *Spe salui facti sumus.* (Ephes. 1.)

¶ Ad vltimum, quod obiicitur de plenitudine liberationis. Dicendum, quod est plenitudo liberationis à culpa: & est plenitudo liberationis à pœna. Prima est per virtutem redemptionis: secunda verò erit per gloriam futuræ beatitudinis. Vnde Apostolus: *Quoniam creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* (Rom. 8.)

¶ Consequenter queritur: quomodo Deus misit filium suum? Determinationem huius quæstionis require suprà.* (* lib. 1. in inquisit. de Notionib. quęst. de Missione.)

¶ Consequenter queritur: quomodo factus de muliere? quamuis istud tactum sit suprà. Cùm autem tota massa in Adam fuisset corrupta; cumque substantia Christi omnino sit munda; videtur quod non debuisset esse facta nec de viro, nec de muliere: sicut Adam non fuit factus de viro, nec de muliere.

¶ Item, quare non fuit factus de viro, sicut Eua fuit facta de Adam?

¶ Ad quod respondet Anselmus, dicens: *Quatuor modis potest Deus facere hominem: videlicet aut de viro & fœmina, sicut assiduus monstrat vsus: aut nec de viro, nec de fœmina, sicut creauit Adam: aut de viro sine fœmina, sicut fecit Euam: aut de fœmina sine viro, quod nondum fecerat, scilicet ante incarnationem. Vt igitur hunc modum probet suæ subiacere potestati: & ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil conuenientius, quàm vt de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus.* Et in hoc ostenditur magnitudo suæ potentiæ: quia maius est facere siue assumere carnem de natura corrupta, quàm de incorrupta. (Ansel. in lib. 2. Cur Deus homo, cap. 8.)

¶ Item quæritur, qualiter Beata Virgo dicatur mater Christi secundùm quod homo: cùm dicatur hic factus de muliere, non natus: *Factus ex semine Dauid secundùm carnem.* Non enim sequitur, aliquid factum est de carne virginis: ergo natum est de virgine, vel filius virginis? nam pediculus fit de carne hominis, & tamen non est filius hominis? (Galat. 4. Rom. 1.)

¶ Responsio. Vtrumque dicitur, natum, & factum. Natū: *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Factum verò dicitur Galat. 4. & ad Roman. 1. Et ratio huius est: ad ostendendum, quod non naturali propagatione de carne Virginis est educta caro Domini saluatoris, sed virtute & gratia spiritus sancti. Vnde, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur.* In Dan. 2. *Lapis abscindebatur de monte sine manibus.* (Matth. 1. Luc. 1. — Luc. 1. — Dan. 2.)

¶ Sed iuxta hoc obiicitur: nam per hoc videtur, quòd B. Virgo conceptioni non præbuit nisi materiale principium. Sed contra. Si non præbuit nisi materiale principiū: ergo nō potest dici mater Christi; quęadmodum nec Adā, qui prębuit materiale principium ad formandum carnem Christi, non dicitur eius pater: nec homo dicitur pater pediculi, quia præbet ei materiale principium.

¶ Item, non nascitur aliquis nisi ex generante habente potentiam generatiuam. Sed ipse Christus natus est de Virgine, sicut dicitur: *Quod in ea natum est, &c.* ergo ipsa nō fuit principium materiale solùm, immò etiam actiuum conceptionis carnis Christi. (Matth. 1.)

¶ Item, Ioan. Damasc. *Post assensum sanctæ Virginis Sanctus spiritus superuenit in ipsam, purgans ipsam, & virtutem conceptiuam Verbi Dei tribuens, simul autem & generatiuam.* Ergo ipsa fuit non solùm materiale principium, sed principium generatiuum ipsius carnis Christi. (Damasc. lib. 4 c. 15.)

¶ Responsio. Est loqui de B. Virgine quantum ad statum præcedentem superuentionem Spiritussancti: & secundùm hoc in ea fuit solùm materiale principium: & respiciens hunc statum Apostolus, dicit: *Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Est etiam loqui de eadē quantum ad statum post superuentionem, in qua recepit virtutem generatiuam à Spiritu sancto: & quantum ad hoc dicitur natus, & genitus de Virgine. (Rom. 1.)

Consequenter quæritur de hoc quod dicitur: *Factū sub lege.* In Psal. 1. super illum locum: *Et lege Domini, &c.* dicit Augustinus: *Aliud est sub lege, & aliud in lege. Quod in lege, secūdùm legem agit, voluntariè obediens legi: qui autem est sub lege, secundùm legem agit, necessitatis timore coactus.* Sed in Christo nulla potuit esse coactio. (Psalm. 1. Augus.)

¶ Item, *Iusto non est lex posita.* Non est igitur Christus sub lege. (1. Tim. 1.)

¶ Item dicit: *Vt redimeret eos qui sub lege erant.* Ergo si ipse erat sub lege, ipse erat redempturus se. (Ibidem.)

¶ Responsio. Esse sub lege, dicitur duobus modis. Est enim subiectio voluntaria: & est subiectio necessitatis. Primo modo secundùm primam fuit sub lege: sed secundùm secundam subiectionem non. Vnde Glos. *Sub lege, id est sub onere legis, sicut sub aliis pœnis: non vt ea expiaretur, sed vt ab ea liberaret.* Vnde factus sub lege, dicit Glos. *Vt circuncisus appareat: quasi filius Abrahæ signum habens eius, cui promissus fuerat: in quo impleta est circuncisio, ita signum iam cessat.* (Glos. super Gal. 4 — Eadem.)

¶ Ad illud, quod obiicitur, quòd iusto non est lex posita. Dicendum, quòd hoc dicitur, quia quod iustus agit, non agit timore, sed amore: *Legis autem & Euangelij* (sicut dicit Augustinus) *est breuissima differentia, timor & amor.* (Aug. contra Adamātium.)

¶ Ad aliud, quod arguit: Vt eos, qui sub lege erant, redimeret, &c. ergo redempturus se, non sequitur. Nam alio modo dicitur Christus sub lege: aliter redempti ab ipso.

MEMBRVM II.

An caro Christi potius concepta fuerit, quàm assumpta?

Consequenter quæritur de ordine conceptionis: Vtrùm caro Christi priùs fuerit concepta, quàm assumpta? Ad quod respondet Magister in Sententiis: quòd non priùs secundùm tempus concepta est quàm assumpta, sed simul. (Magister)

¶ Sed quæritur, cùm præintelligatur conceptio carnis: quæ erit ratio, vt non priùs conciperetur, quàm assumeretur.

¶ Item, supposito quòd non priùs secundùm tempus sit conceptio, quàm assumptio: quæritur tamen, quod istorum sit priùs secundùm naturam? Nam cùm conceptio carnis possit intelligi sine assumptione, sed non econuersò: priùs est naturaliter conceptio, quàm assumptio.

¶ Item, priùs est naturaliter sumere, quàm assumere: quia assumere est ad se sumere: & priùs est essentialiter esse carnis, quàm sumptio carnis. Cùm ergo cōceptio det esse carni, priùs est naturaliter conceptio sumptione & assumptione.

¶ Contra. In incarnatione fuit operatio diuina, & operatio creaturæ: & prior fuit operatio diuina, quàm operatio creaturæ. Cùm ergo assumere sit operatio Dei, cōcipere verò operatio Virginis: relinquitur quod prius est naturaliter assumptio conceptione.

¶ Item, cùm circa incarnationem Verbi accipiantur multi actus, videlicet missio, incarnatio, conceptio, assumptio,

sumptio, vnio, factio, seu creatio: quæ erit istorum differentia.

¶ Item, est ne ordo in his actibus secundùm prius & posterius tẽpore: aut secundùm prius & posterius natura.

RESOLVTIO.

Neque prius, neque posterius, sed simul.

¶ Responsio: Ad primum dicendum, quòd conceptio debet præcedere assumptionem tempore, sed simul esse. Et hoc propter tres rationes: prima est, quia tam assumptio quàm conceptio sunt actiones summæ potentiæ, quæ est infinita; & cuius virtus est supra tẽpus: quãuis mediante virgine concipiente, de qua caro Domini sumpta est: & ideo non conuenit, vt secundũ successionẽ temporis operetur prius conceptionem, & post assumptionem. Secunda ratio est, quia actiones istæ sunt gratiæ, non naturales: gratia autem eleuata est supra tempus; & eius operatio, quæ est ab ipso sine nostro arbitrio, sed nutu diuino. Tertia ratio est, quia sicut opus primæ cõditionis absque omni successione temporis fuit in creatione: ita opus recreationis debet esse absq; omni successione temporis.

¶ Ad Secvndvm dicendum: quòd secundùm naturã prius est conceptio, quàm assumptio passiua. Est enim assumptio actiua, quæ est assumentis: & est assumptio passiua, quæ est assumpti. Ordine naturæ assumpti prius est assumptum concipi, quàm assumi: quamuis simul tempore est conceptio cum assumptione passiua. Ordine verò naturæ assumentis, quæ est prior; prius erit assumptio actiua conceptione.

¶ Ad Tertivm dicẽdum; quòd illi sic distinguuntur. Missio enim est personæ diuinæ, scilicet filij. (*In misso enim intelligitur ratio processionis ab alio cum effectu manifestationis in creatura, vt dicit Augustinus.*) vnde missio pertinet ad filium, non ad diuinam naturam. Incarnatio verò pertinet ad diuinam naturam, prout est in persona filij: quia incarnatum esse, idem est quod carni vnitum esse: etiam hoc pertinet ad naturam diuinam in persona filij, in cuius persona natura diuina vnita est humanæ. Conceptio autem pertinet ad naturã humanam: in carne enim propriè concipitur illud, quod per generationem educitur: vnde carò propriè dicitur concipi. Creatio verò, siue factio pertinet ad humanam naturam in anima: ipsa enim est facta, non infecta, sicut diuina natura; & creata de nihilo, non sicut caro, quæ facta est de aliquo. Vnio verò est naturarum diuinæ & humanæ in persona. Assumptio tandem propriè est personæ diuinæ respectu humanæ naturæ. Sic igitur patet istorum distinctio. [Auguſ. in lib. de Trinit.]

¶ Ordo autem istorum actuum non secundùm tempus accipitur, sed secundùm rationem intelligẽtiæ. Prius igitur est missio personæ in respectu humanæ naturæ: deinde est conceptio ipsius carnis in virgine: tertiò est creatio seu factio animæ cum infusione: quartò est assumptio vtriusque ab ipsa persona diuina: quintò est vnio, quæ est terminus assumptionis. Sed quia vnio posset intelligi Deitatis ad solam animam: ideo consequitur sexto loco incarnatio, qua exprimitur vnio Deitatis non solùm ad animam, sed etiam ad carnem in vnitate personæ.

MEMBRVM III.

De principio & ratione conceptionis.

Consequenter quæritur de principio & ratione conceptionis. Quæritur igitur, qua ratione dicatur Christus conceptus de spiritu sancto. Ad quod assignantur tres rationes: de quibus quæritur per singula. Prima ratio est ostensio charitatis. Secunda est ostensio gratiæ, quam nulla præcesserant merita. Tertiò, quia operatione & virtute Spiritus sancti conceptus est. Quartò quæritur, quare non dicitur filius spiritus sancti.

(***)

ARTICVLVS I.

An charitas fuerit ratio conceptionis, & incarnationis Christi?

Ad Primvm Augustinus in Enchiridio: *Cùm illa creatura, quam Virgo concepit & peperit; quamuis ad solam personam pertinentem tota Trinitas fecerit (neque enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? An & quando vnus trium in aliquo opere nominatur; vniuersa operari Trinitas intelligatur? ita verè est: & exemplis doceri potest.* Quæritur ergo, vtrùm charitas sit ratio conceptionis? [Auguſ. in Ench. c. 3?]

¶ Et videtur quod sic: Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Glos. *Filium hominis, qui idem est filius Dei, & dilectione Dei ad hoc missum.* [Ioan. 3. Gloſſa.]

¶ Item, *Quod ex ea natum est, de spiritu sancto est, &c.* Glo. *Sola charitas fecit eum incarnari.* [Matth. 1. Gloſſa.]

¶ Contra Ioan. Damascen. *In assumptione quatuor monstrãtur: bonitas, sapientia, potentia, iustitia*: ergo non solùm ratio fuit incarnationis bonitas charitatis: immò sapientiæ, potentiæ, & iustitiæ. [Damaſc. lib. 3. c. 2.]

RESOLVTIO.

Prima & motiua ratio incarnationis filij Dei fuit diuinæ charitatis ostensio.

¶ Responsio. Ratio incarnationis potest accipi secundùm differentem causalitatem. Si enim consideremus causam mouentem summam bonitatem ad reparationem humani generis, ratio fuit charitas, secundũ quod dicit Ioan. Damascen. Monstratur charitas in incarnatione: non enim despexit proprij plasmatis infirmitatem: sed viscera eius commota sunt, &c. Si verò cõsideremus causam effectiuam, ratio fuit demonstratio potentiæ: quia (sicut dicit Ioan. Damascen.) in quo Deus factus est homo, monstratur infinita Dei virtus. Si consideretur causa formalis sine modus liberationis, ratio fuit summa sapientia: quæ, secundùm Ioannem Damascenum, decentissimè excogitauit humanam redemptionem, secundùm quod dicitur: *Prudentia eius percussit superbum, &c.* Si verò consideremus causam finalem incarnationis, quæ fuit nostra redemptio, ratio incarnationis fuit iustitia: secundùm quod dicitur: *Sic docet nos implere omnem iustitiam.* Motiua autem causa, quæ ex parte Dei attenditur; est prior secundùm rationem intelligentiæ omnibus alijs: & ideo charitas est prima ratio incarnationis. Et ideo dicitur Christus cõceptus de Spiritu sancto. [Damaſc.] [Iob 26.] [Matth. 3.]

¶ Qværitvr, si charitas est ratio incarnationis: & ideo Christus dicitur conceptus de spiritu sancto, quare etiam non dicitur conceptus de charitate, sicut de Spiritu sancto? Responsio. Dicendum, quòd spiritus sanctus datur, & quòd spiritus sanctus operatur. Datur enim inquantum donum: datur etiam inquantum charitas: operatur verò inquantum spiritus: charitas enim nomen est doni, spiritus autem nomen est potestatis. Et ideo dicitur conceptus de spiritu sancto, non tamen de charitate: quia quamuis spiritus sanctus sit amor, non tamen operatur inquantum amor; sed amor est, quo operatur. Non congruit ergo dici conceptus de charitate: sed de spiritu sancto operante per charitatem. [Quęſtio.]

¶ Item quæritur, qualiter in alijs operibus vna nominata persona, tres intelliguntur: sicut dicit August. supra? Dicendum, quod in omni opere primæ conditionis Gen. 1. secundùm Beatum Augustinum, cum dicitur: Dixit Deus fiat, pater intelligitur, qui dicit, fiat: quod autem dicitur factum est, proculdubio per verbum: per hoc dicitur, vidit quod esset bonum spiritussanctus intelligitur. Et sic tota trinitas in suis operibus intimatur. Similiter in opere regenerationis, cum baptizabant in nomine Christi; in hoc nomine Christus pater vngens; & filius, qui vngitur; & spiritussanctus vnctio, intelligitur. [Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 11. Geneſ. 1.]

):(

ARTICVLVS II.

An verbum diuinum nullis praecedentibus nostris meritis, naturam nostram sibi vniuerit?

Avg. Enchir. c. 4. AD SECVNDAM rationem dicit Augustinus: *Profectò modus iste, quo natus est Christus de Maria sicut filius, & de spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, de qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit, verbo Dei copularetur in tantam personae vnitatem; vt idem esset filius Dei, qui filius hominis: & filius hominis, qui filius Dei: ac si in naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quae nullum possit admittere peccatum: quae gratia ideo per spiritum sanctum est significata, quia ipse propriè sic est Deus: vt sit etiam donum Dei.*

¶ QVAERITVR ergo, vtrùm nullis praecedentibus meritis vniuit sibi naturam nostram? Quod nullis, videtur. Tit. 2. *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos.* (& loquitur de gratia incarnationis.) Glossa. Vnde Glos. *Saluator noster Dei filius, & si inuisibilis sit in forma Dei; tamen per gratiam apparuit in forma serui.* August. *Sed* (vt dicit August.) *quod est ex gratia, non est ex meritis.*

Tit. 3. ¶ ITEM, *Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiae, &c.* Loquitur autem ibi Apostolus de benignitate ostensa in incarnatione: vnde Glos. ibi, Gloss. ibi. *Cùm benignus humanatus Deus saluator noster apparuit.*

Psalm. 73 Glossa. ¶ ITEM super illud: *Respice in testamentũ tuum*, dicit Glo. *quod meminit promissionis, quia merita defecerunt.* Ex his patet, quòd non praecedentibus meritis incarnatus est filius Dei.

Psalm. 32. Glossa. ¶ CONTRA. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te*: secundùm Glo. hic insinuatur desiderium Prophetę de incarnatione, & meritum adimpletionis, primum cùm dicit: *Fiat misericordia tua Domine super nos.* Ibidem Glossa. vnde Glos. *Incarnationem desiderat impleri Propheta.* secũdùm ibi, *Quemadmodum sperauimus in te.* Vnde Glos. *Quemadmodum; id est, quo merito? quasi ita fiat, & propter hoc fiat: quia sperauimus in te, & non alio.* haec Glos. Ex hoc videtur, quod meritum fuit respectu incarnationis.

Psalm. 11. Glossa. ¶ ITEM, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum non exurgam, dicit Dominus.* Glos. *Apparebo in filio in hoc tempore gratiae.* Ex hoc patet, quod loquitur ibi de incarnatione seu apparitione in carne. Similiter ibi tangitur meritum. Eadem ibidem. Vnde Glos. ibidem: *Hoc faciam propter gemitum pauperum: qui de malis gemunt, & peccatis conteruntur: nam aliter non essent digni auxilio.* haec Glos. Haec autem dignitas est merito gemituum, & contritionis: ergo, &c.

¶ ITEM, qui meretur principale, meretur & illud, quod operatur ad illud: vt qui meretur habere domum, vel castrum, meretur praeparatorium ad hoc quod sit castrum. Sed sancti patres ante aduentum Christi, eo quod decesserunt in charitate, meruerunt beatitudinem patrię: igitur cùm incarnatio Christi sit cooperatoria beatitudini patriae, antiqui patres decedentes in charitate meruerunt incarnationem Christi.

Ioan. 6. ¶ ITEM, *Petite, & accipietis, &c.* quod intelligendum est cum conditionibus efficacibus ad meritum exauditionis, quae sunt, pro se, piè, perseueranter, & ad salutem: meretur igitur oratio dignè & modo debito effusa exaudiri. Sed constat, quòd patres antiqui affectuosissimè desiderauerunt aduentum filij Dei in carnem, & instantissimè illud postularunt. Esai. 64. Glossa. Vnde, *Vtinam disrumperes caelos, & descenderes.* Glos. *In persona sua, & omnium prophetarum, aduentum Christi desiderantium loquitur Esaias, praeuidens aduentum filij Dei.* Psal. 143. Item in Psalm. *Inclina caelos, & descende.* Quòd autem piè, & perseueranter, & ad salutem postulauerint, manifestum est: igitur meruerunt exaudiri: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Nullis praecedentibus meritis condigni, sed benè aliquibus congrui incarnatus est Christus.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod cùm dicit Augustinus, nullis praecedentibus meritis copulatus est verbo Dei: potest intelligi vel de meritis illius hominis, qui copulatus est verbo, cuius nulla praecesserũt merita; quia in instanti suae conceptionis copulatus est, & tunc intelligitur, nullis praecedentibus meritis, scilicet hominis assumpti. Et tunc plana sunt obiecta: quia licèt nulla praeerant illius hominis merita; erant tamen merita Ecclesiae praecedentia. Vel potest intelligi de meritis ecclesiae: & tunc respondéri potest: quod est meritum congrui, quod praecessit; & est meritum condigni, quod non praecessit: meritum autem congrui non tollit gratiam.

¶ AD id ergo, quod obiicitur de merito spei, &c. Dicunt quidam, quod hoc intelligitur de merito congrui. Non autem videtur haec respõsio sufficiens; cùm virtutibus merentur ex condigno, secundùm quosdam. Propter quod dicendum, quòd Glos. non dicit, quòd Propheta meruerit incarnationem merito spei: sed quod desiderabat incarnationem adimpleri. Incarnatio autem non est completa in assumptione humanae naturae: sed in assumptione & reparatione hominis mediante incarnatione: propter quam per se erat dispensatio incarnationis. Ex spe igitur habita ex promissione incarnationis, ipsam desiderabat: ex ipsa spe merendo, eiusdem adimpletionem petebat; dicendo: *Fiat misericordia, &c.* Et hoc signat Glos. quae est. Psal. 32. Glossa. *Incarnationem desiderat Propheta impleri, vt perfectus possit esse.* Vnde petebat esse perfectus ex adimpletione incarnationis.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd digni erant merito gemitus & contritionis. Dicendum, quòd est dignitas cõgrui: & sic erant digni. Et est dignitas condigni, & sic non erant digni.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd qui meretur principale, meretur cooperatorium ad illud. Potest dici secundùm quosdam, quòd beatitudinem patriae non meretur quis ex condigno, sed solùm ex congruo. Sed supposito contrario, scilicet quod beati merentur illam ex condigno, à nobis sine praeiudicio videtur dicendũ, quod charitas illam meretur merito condigni. Potest tamen dici: quòd licèt mereatur quis aliquod principale, non tamen meretur quodlibet cooperatorium ad illud. Poterat enim Dominus contulisse iustis beatitudinem sine cooperatione mediatoris, scilicet Christi hominis. Quia igitur iste modus conferendi non fuit necessarius, nec sic meruerunt de condigno beatitudinem, nõ igitur meruerunt incarnationem Christi: quae operabatur illis ipsam beatitudinem.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd meruerunt efficacia orationis, &c. Dicendum, quòd antiqui patres non petebant à Domino incarnationem eius, sed incarnationis accelerationem. Benè enim constitit eis ex promissione facta Patriarchis, & reuelatione facta Prophetis, quòd Deus incarnaretur: vnde non instabant ad impetrandum incarnationem: sed ad impetrandum accelerationem incarnationis. Praeterea; vna conditionum, quae requiritur ad hoc, quod oratio sit efficax, est pro se, ad hoc autem quod fiat pro se, oportet quod postuletur aliquid obtinẽdum in ipso petente: hoc autem non fiebat in petitione incarnationis filij: vnde deficit illa conditio orationis efficacis, quae est, pro se. Si autem postulassent à Deo plenam beatitudinem mediante incarnatione, non video quare non impetrassent, dummodò occurrissent omnia, quae ad efficaciam orationis requirũtur. Vnde plena beatitudo mediante incarnatione cadit sub merito orationis: incarnatio autem nequaquam, quia non dicitur oratio efficax nisi respectu boni habendi in ipso petẽte: quod notatur per hoc quod dicitur, pro se.

ARTICVLVS III.

An, & quare Christus dicatur conceptus virtute & operatione spiritus sancti?

TERTIÒ quaeritur de hoc, quod dicitur: quòd operatione & virtute spiritus sancti conceptus est. Dicit enim Ambrosius: Ambros. in lib. de Spiritu sancto. *Si quasi ex operatione & potestate spiritus sancti virgo concepit: quis neget spiritum sanctum Dominicae incarnationis autorem?* Sed eadem ratione debet dici con-

ceptus de patre & filio; cùm eorum poteſtate & virtute Virgo conceperit.

¶ ITEM, quòd ſpiritusſanctus eſt, & operetur, habet à patre, & filio: igitur authoritas operationis ſpiritus ſancti primò reſidet penes patrem & filium, ergo authoritas incarnationis Dominicæ magis attribuenda eſt patri & filio quàm ſpiritui ſancto.

¶ ITEM, opus incarnationis eſt mirabile, & magis mirabile quàm aliquod aliud: quia omne aliud eſt ſolummodò circa aliquod creatum: ſed hoc non eſt circa creatum ſolùm, ſed etiam circa increatum. (In hoc enim opere fit vnio extremorum: quorum vnum eſt creatum, alterum increatum.) Sed omnia alia opera mirabilia per indifferentiam referuntur ad trinitatem perſonarũ; ſimiliter videtur quod iſtud, vel ſi referri habeat ad aliquam perſonã per aliquam rationem appropriationis, hoc debet fieri ad illam perſonam, penes quam primò reſidet autoritas poteſtatis, ſcilicet ad patrem.

¶ PRÆTEREA, opera creationis per indifferentiam referuntur ad trinitatem perſonarum: ſimiliter videtur ꝙ debeat eſſe de operibus recreationis. Nõ igitur magis appropriatur ſpiritui ſancto quàm patri, vel filio.

RESOLVTIO.

Chriſtus conceptus dicitur virtute & operatione Spiritus ſancti potius quàm Patris, vel filij; per appropriationem, & per ſimilitudinem conceptionis naturalis.

¶ RESPONSIO: Quòd filius dicitur conceptus operatione & virtute ſpiritusſancti, dicitur per appropriationem: eò quod ſecundùm rationem ſit proximior ad actũ conceptionis ſiue incarnationis: vt per quem, ſiue in quo ad nos diuina deſcendunt. Vnde Auguſtinus: *Nobis omnis vſus Deitatis eſt ex munere quodammodo: nam & quaſi proprior nobis videtur eſſe ſpiritus ſanctus, vt pote patris & filij munus: ex ipſo nimirùm eſt omnis vſus gratiæ cum patre & filio.* Et poſt in eodem: *A patre per filium & ſpiritum, vel potius in ſpiritu diuina ad nos deſcendunt.* Alia ratio eſt ſecundùm Hugonem, per ſimilitudinem conceptionis naturalis, in qua eſt amor motiuum ad cõceptionem, ſecundùm quod ipſe dicit: *In muliere amor viri, in viro amor mulieris id agere ſolet. vt quia in altero ſolo natura ſibi ſufficiens non eſt, alterum ſibi per dilectionem ſubueniat: vt quod in neutra per ſe potuit, in vtraque per ſe cum altera poſſit.* Semen igitur humani partus ſolùm formandum à muliere concipitur, quod ſimul à viro, & à muliere ſeminatur; quod quæ in muliere per amorem viri, & in viro per amorem mulieris natura operatur. Conſequenter aſſignat rationem, quare Maria dicatur de ſpiritu ſancto concepiſſe, dicens: *Concepit Maria de ſpiritu ſancto: non quod de ſubſtantia ſpiritus ſancti ſemen partus acceperit: ſed quia per amorẽ & operationem ſpiritus ſancti ex carne Virginis diuino partui ſubſtantia miniſtraretur. Nam quia in corde eius amor ſpiritus ſancti ſingulariter ardebat: ideo in carne eius amor ſpiritus ſancti mirabilia faciebat: vt cuius dilectio in corde non accepit ſocium, eius operatio in carne illius non haberet exemplum.*

Aug. de ſpiritu & anima, cap. 6.
Idem in eodem.
Hugo de S. Vict.
Idem.

¶ AD aliud dicendum, quod autor quandoq; dicitur communiter ab actione: quandoque proprius ab actione originali principali. Primo modo dicitur ſpiritusſanctus autor incarnationis, & ratione ſupradicta: non ſecundo.

¶ AD illud, quod ſequitur. Dicendum, quòd ſi autor diceretur, penes quem reſidet prima principalitas ſiue autoritas, locum haberet quod proponitur; ſed non eſt ſic, vt tactum eſt.

¶ AD vltimum dicendum, quod ſicut dicit Auguſtinus, quòd ſpiritusſanctus eſt patris & filij munus. Vnde ratio propriè conuenit ſpiritui ſancto: propter quod & illa quæ propriè rationem ſiue proprietatem muneris dicunt; ſpiritui ſancto attribuuntur: talia autem ſunt dona gratuita, vtpotè quibus fit hominis reparatio. Præterea, huiuſmodi dona non dantur niſi enti actu: creatio autem eſt productio non entis in eſſe. Vnde collatio eorum, quibus conuenit ratio doni vel muneris, ſequitur eſſe actu. Propter quod dona, quæ referuntur ad recreationem appropriantur ſpiritui ſancto. Vnde ſecus eſt de operibus creationis & recreationis. Præterea, in operibus conditionis ſiue creationis eſt quidam modus appropriationis: licet effectus indifferenter ſit à tribus perſonis. Autoritas enim patri attribuitur, ars filio, cauſalitas ſiue diffuſio ſpiritui ſancto. Vnde Auguſtinus: *Tria quædam maximè ſcienda de creatura nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, ob hoc inquit: Dixit Deus, fiat lux. & facta eſt lux: & vidit Deus lucem quia bona eſt. Si ergo quærimus, quis fecerit, Deus eſt: ſi per quid fecerit: dixit Deus, fiat. & facta eſt: ſi quare fecerit: quia bona eſt: nec autor eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec cauſa melior quàm vt bonum crearetur à bono.*

Aug. de anima, & ſpiritu.
Auguſ. 11. de ciuit. Dei, c. 21. Geneſ. 1. Ibidem.

¶ DICENDVM igitur, quòd licet in creatione commune ſit opus trium perſonarum: tamen ratione aliqua per diſtinctionem ſit appropriatio perſonis, vt dicit Auguſtinus. Pater intelligitur, qui dixit, fiat: quod autem intelligitur factum, proculdubio per filium factum eſt: in eo verò quod dicitur, vidit Deus quod bonum eſſet, ſpiritusſanctus intelligitur; & ſic trinitas in ſuis operibus intimatur. Sic erit in recreatione, in qua multo magis ſignum bonitatis apparet: plus enim eſt animam reparare, quàm creare cœlum & terram. Sic eſt ergo, vt pater conceptionem faciat per verbum, ſiue in verbo, & ſua bonitate, quæ appropriatur ſpiritui ſancto; vnde bonitas eſt quaſi cauſa coniuncti, vt cui appropriatur ipſa diffuſio in ipſa vnione, ſiue in noſtræ naturæ aſſumptione.

Auguſ. 11. de Ciuit. Dei Geneſ. 1.

ARTICVLVS IIII.

An Chriſtus dicendus ſit filius ſpiritus ſancti.

QVARTÒ quæritur, Vtrùm dicatur filius ſpiritusſancti: Cùm enim dicatur conceptus de ſpiritu ſancto, cur non ſit filius Spiritusſancti? Reſpondendum eſt ſecundum Auguſtinum: *Non eſt concedendum, quòd qui de aliqua re naſcitur, continuò filius eſſe nuncupetur.* Et eſt inſtantia in capillo & pediculo, qui naſcuntur de homine: & in aqua & ſpiritu ſancto, de quibus naſcuntur fideles. Oſtenditur autem, quòd non conuertitur conſequentia: ſi aliquid naſcitur de aliquo, quod ſit eius filius: vel ſi dicatur filius, quod naſcatur de illo, & eſt exemplum in illis, qui dicuntur filij gehennæ.

Auguſ. in Enchir.

¶ CIRCA hanc quæſtionem quæritur ſic, & oſtenditur quod non ſit filius Spiritus ſancti. Dicit enim Auguſtinus, quòd natus eſt de Maria ſicut filius: & de ſpiritu ſancto non ſicut filius.

Auguſt.

¶ ITEM Auguſtinus: *Ieſus neque ſuus, neque ſpiritus ſancti filius dici poteſt.*

Idem in 2. de Trinit.

¶ CONTRA. Quæcunque per indifferentiam cooperantur alicui effectui ad productionem alicuius in eſſe: ſecundùm indifferentem relationem ſe habent ad illud. Si ergo pater & ſpiritus ſanctus per indifferentiam ſe habent, & indifferenter cooperantur incarnationi Chriſti, ſiue natiuitati eius temporali, ſecundùm indifferentem relationem ſe habent ad Chriſtum hominem. Si ergo filius ſecundũ quod homo dicitur filius Dei patris, & Deus pater pater illius, & eadem ratione ſpiritus ſanctus dicetur pater eiuſdem. Sed quod conuenit illi homini, conuenit filio Dei: igitur filius Dei eſt filius ſpiritus ſancti.

¶ ITEM, tota trinitas eſt pater noſter, & ſic ſpiritus ſanctus eadem ratione; eſt pater illius hominis. Sed quod cõuenit illi homini, conuenit filio Dei: ergo, &c. Quod autẽ trinitas ſit pater noſter, habetur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* (dicitur de iuſtis) Hæc autem filiatio eſt per gratiam: ſed in Chriſto fuit abundantiſſima gratia; vnde & ipſe debet dici maximè filius ſpiritus ſancti, cui appropriatur donum gratiæ. Dicit enim Auguſtinus: *Tanto magis efficitur filius: quãtò largius datur ei ſpiritus bonus.* Sed cùm largiſſimè data eſt gratia Chriſto homini: maximè dicetur filius.

Ioan. 1.
Auguſt.

¶ ITEM, in Cant. Deut. *Deus nonne ipſe eſt pater tuus: qui poſſedit, fecit, & creauit te?* Sed conſtat, quod tota trinitas fecit, & creauit hominem illum, &c.

Deut. 32.

¶ ITEM, ſicut in trinitate ſunt tres perſonæ in eadem eſſentia: ſic in Domino Ieſu ſunt tres naturæ in eadẽ perſona, vt dicit Bernard. ſcil. ſuprema, quæ eſt diuinitas; infima, quæ

ma, quæ est caro, media, quæ est anima. Sed ratione supremæ naturæ est filius, scilicet Dei patris; ratione infimæ est filius, scilicet virginis matris, igitur & ratione naturæ similiter erit filius, scilicet creationis & recreationis. Sed siue sic, siue sic, erit filius trinitatis; & ita filius Spiritus sancti; vt supra.

Symbol. Apost. ¶ ITEM, per hoc quod dicitur, Conceptus de Spiritu sancto, notatur alia relatio Christi ad spiritum sanctum (Christi dico, secundùm quod homo) & hoc est secundùm rationem originis. Multo igitur magis dicetur filius Spiritus sancti; quã homo purus dicatur per gratiam filius trinitatis.

RESOLVTIO.

Ne relationum, proprietatumve personalium in diuinis sequatur confusio, haud quidem Christus spiritus sancti filius dicendus est.

¶ RESPONSIO. In diuinis non est aliquid ponendum, vnde sequatur relationum seu proprietatum personalium confusio. Vbi enim perfectissimus ordo est; vt in diuinis personis, ibi nulla potest esse confusio; propter qd' nulla ratione ponendum est in diuinis personis, vnde sequatur relationum confusio, vel personalium proprietatum patris & spiritus sancti. Vnde Ansel. Propter hoc solus filius incarnatus est; vt pateat non communicaret rationem filij, nec e conuersò; nec spiritus sanctus rationem filij vel patris: vt sicut distinguuntur relationes personarum æternaliter, ita etiam distinguantur temporaliter: & ille, qui fuit filius Dei ab æterno, sit filius Virginis temporaliter.

¶ CONCEDENDVM autem est, quod est filius patris, & est filius Dei. Sed cùm dicitur filius patris, intelligitur de æterna generatione: cùm verò dicitur filius Dei, intelligitur secundùm humanam naturam de filiatione, quæ est per creationem & gratiam. Et cùm dicitur filius Dei patris, intelligitur quod qui est filius Dei patris per naturam, est filius Dei per gratiam. Non tamen conuenit concedi, quod sit filius trinitatis simpliciter: posset tamen concedi cum determinatione, vt est filius Trinitatis per creationem. Quamuis enim esse Deum conueniat patri, filio, & spiritui sancto: non tamen conuenit quod dicatur filius filij, vel filius spiritus sancti, ne confundantur rationes in personis. Pari ratione non cõceditur filius trinitatis: quia de ratione trinitatis intelligitur pater, filius, & spiritus sanctus habẽtes vnam essentiam, licèt benè concedatur quod sit filius Dei. Vnde super illud: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Glos. *Secundùm id, quod est de matre, habeo: non secundùm id, quod est de te, habeo: nam de te es pater meus: sed de matre es Deus meus, & creator, secundùm quod homo sum: sed secundùm quod Deus sum, à te sum genitus.* Psalm. 21. Glos interlin.

¶ AD hoc igitur, quod primò obiicitur; Dicendum, quòd licèt in tribus personis sit indifferentia in actione quantum ad incarnationem filij, non tamen est indifferẽtia in relatione respectu incarnati: sicut nec sequitur; est indifferẽtia in essentia, ergo in relatione; actio autem huiusmodi essentialis est. Si autem esset actio, siue vt actio personalis; vt generare, spirare, & huiusmodi; benè sequeretur: quia ad huiusmodi actiones, siue vt actiones, sequũtur per conformitatem relationes & proprietates personales: scilicet ad identitatem actionum, & diuersitatem identitas & diuersitas relationum & proprietatum. Non autem sic est de actionibus essentialibus: & si quandoque sic, hoc non est de necessitate consequentiæ formalis, sed materialis.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd tota trinitas dicitur pater noster, &c. Dicendum, quod non est simile de nobis, & de Christo homine: gratia enim inhabitans, quæ est in nobis à trinitate, facit nos filios Dei, non naturales, sed adoptiuos; cuiusmodi filiatio Christo non conuenit. Gratia autem, quæ est in Christo à trinitate; quæ quidẽ est gratia vnionis; facit Christum filium Dei naturalem. Naturalis autem filius non potest dici nisi Dei patris propter rationem supradictam: ne scilicet accidat in diuinis relationum & proprietatum confusio. Licèt igitur in Christo sit gratia gratum faciens superaddita naturæ: quia etiam est superaddita gratia vnionis, propter quam est filius per naturam, & à qua propriè est filius; non autem est filius naturalis trinitatis per gratiam, quæ est superaddita naturæ, quæ solùm gratum facit, nõ debet ab hac gratia dici filius trinitatis, vel spiritus sancti.

¶ AD hoc quod obiicitur: quòd tantò magis efficitur filius, &c. Dicendum, quod intelligitur de filiatione, secundùm quod communiter se habet ad filiationẽ per gratiam, & ad filiationem per naturam: & quia cæteris hominibus conuenit solùm esse filios per gratiam, nõ filios per naturam: Christo autem homini, cui non est datus spiritus ad mensuram; per gratiam vnionis conuenit esse filium patris per naturam, ideo magis effectus est filius, quàm alius. Vnde super illud: *Me suscepit dextera tua.* Glos. *id est sapientia tua verbum tuum.* In Christo enim homine Dei sapientia est, & nos in illo sumus assumpti, sed diuerso modo: ille per vnionem, nos per adoptionem. Psal. 62. Glossa.

¶ AD aliud dicendum; quòd licet tota trinitas fecerit hominem illum: vnde potest dici filius trinitatis per creationem, siue spiritus sancti; hæc enim concediwr; iste homo est filius spiritus sancti per creationem: prout iste homo dicit suppositum siue indiuiduum hominis, non personã filij; hæc tamen non conceditur; filius Dei est filius spiritus sancti per creationem; quia habitudines seu proprietates filij & spiritus sancti non respiciunt se correlatiuè; vnde nullo modo dicendus est filius Dei filius spiritus sancti.

¶ SI autem obiiciatur: filius Dei est homo ille, qui est filius spiritus sancti per creationem: ergo est filius spiritus sancti per creationem. Dicendum, quòd nõ sequitur: quia si aliqua, quæ dicuntur de isto homine, dicantur de filio Dei; non tamen quæcunque, vtpotè quæ dicta ponunt cõfusionem personalium proprietatum: vel quæ impediunt habitudinem relationum personalium; quod accideret, si diceretur filius Dei filius spiritus sancti per creationem: quia tunc eadem persona esset spirator & filius respectu eiusdem.

¶ PRÆTEREA, potest dici: quod est loqui de gratia Christi, secundùm quod per eam habitat in eo trinitas: & est loqui de ea, secundùm quod per illam est vnio. Primo modo est comparatio Christi hominis ad totam trinitatẽ: secundo modo est comparatio illius hominis ad diuinam personam. Secundùm primam comparationem gratiæ iste homo est filius Dei: nõ tamen conuenit concedi, quod filius trinitatis, propter rationem prædictam: quia in hac comparatione non est filius patris vt patris, sed secundùm quod Deus; nec filius filij vt filij, sed secundùm q Deus; nec spiritus sancti similiter; & ideo non debet dici filius trinitatis, sed Dei. Secundùm secundam comparationem est comparatio ad diuinam personam per gratiam vnionis: & per eandem gratiam est filius patris per naturam: & hoc quod dico, iste homo, supponit ipsam personam æternam.

¶ AD quod obiicitur de communicatione idiomatũ. Dicendum quod hæc communicatio non est generaliter omnium, sed eorum, quæ absolutè assignantur conuenire; & sunt dispensatiuè assumpta ad hominis reparationẽ; cuiusmodi sunt infirmitas, siue pœnalitas moriendi, patiendi famem, sitim, & alia huiusmodi: quæ hominis congruunt reparationi.

¶ AD quod obiicitur: quòd ratione additionis mediæ naturæ, scilicet animæ debet spiritus sanctus dici pater. Dicendum, quòd non est simile de naturis extremis, & media. Suprema enim natura, prout est ipsius filij, siue filius est de substantia patris, seu de ipso patre per cõformitatem principalem; propter quod conuenit illi modus essendi à patre, qui est proprius filio. Similiter & infima natura, scilicet caro Christi est de carne virginis, habet enim esse secundùm carnem à carne virginis: propter quod cõuenit illi modus essendi àB. Virgine, qui est proprius filio. Sed natura media, scilicet anima exit in esse per creationẽ; vnde non est ex aliquo per acceptionem esse de substan-

tia alicuius: vnde quantum ad animam non conuenit ei modus aliquis, qui sit proprius filio. Quia igitur filius quantum ad naturam supremam est de substantia patris; quantum ad carnem susceptam de substantia matris; dicitur filius patris & matris ratione illius duplicis naturæ habitæ, siue modi existendi.

¶ Ad illud, quod vltimò obiicitur; quare non est filius spiritus sancti: ex quo est de spiritu sancto. Dicendum quod esse de aliquo, dicitur tripliciter: Aut sicut de materia, aut sicut de substantia, aut sicut de potestate. Solo medio modo esse de aliquo ponit filiationem; dummodò addatur similitudo naturæ speciei, secundùm quod dicit Ioan. Damascenus, quòd generare est simile de sua substantia producere. Secundùm primum modum producitur pediculus de homine: secundùm modum secundum filius à patre: secũdùm modum tertium opus siue effectus ab artifice. Et hoc vltimo modo dicitur conceptio de spiritu sancto, secundùm quod dicit Ambrosius, & Hugo: Non idcirco spiritus, scilicet pater Christi dicendus est, quia eius amor conceptionem virginis operatus est: & nõ de sua essentia Virgini semen partus tribuit: sed de carne propria Virgini substantiam ministrauit. Christus ergo & de Virgine est natus, & de carne Virginis carnis substantiam accepit: Spiritus sanctus namque Virgini superuenit, vt per eius operationem caro Christi de carne Virginis formaretur.

Ambr. & Hugo de S. Vict. in lib. de Sacramẽtis.

Quæstio lateralis.

¶ Ad maiorem euidentiam prædictorum quæritur hic incidẽter de gratia Christi: qualiter illi dicatur naturalis, cùm gratia & natura ex opposito diuidantur.

¶ Ad quod dicendum est: quòd naturale dicitur duobus modis. Vel quòd est natura, & hoc modo gratia non fuit naturalis in Christo. Vel quòd est per modum naturæ, & hoc modo gratia dicitur naturalis: quia sicut naturales vires insunt inseparabiliter subiecto, ita gratia inseparabiliter inest Christo. Naturale etiam dicitur, quod est rei innatum à principio suæ conditionis, & hoc modo dicũtur habitus naturales, qui inditi sunt animæ à sua creatione. Secundùm hunc etiam modum dicitur gratia Christo naturalis, quia innata est Christo homini à conditione.

Quæstio lateralis. Colos. 2.

¶ Item quæritur, quomodo Christus diuina gratia corporaliter repletus. (Hoc enim dicitur: *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*) cùm cõstet quòd Deitas non modo corporali habitet in Christo.

¶ Ad quod dicendum, quòd illud intelligitur multipliciter, secundùm quod habetur ibi in Glos. Vno modo vt accipiatur tropicè, vnde dicit Glos. *Translato verbo vsus est: & propter completionem vmbrarum legalium figurarum dicit, corporaliter, id est completiuè, quia in ipso complentur omnia, vt quodammodò sit corpus & impletio vmbrarum legis, id est significationum illarum ipse sit veritas.* Alio modo vt accipiatur ad literam, vnde dicit Glos. *Dicit corporaliter, quia in Christi corpore, quod assumpsit de Virgine, tanquam in templo habitat Deus.* Vel posset alio modo intelligi, quod dicitur corporaliter, secundùm modum trinæ dimensionis, qua determinatur corpus. Est enim Deus in rebus tribus modis; in omnibus creaturis est per continentiam & conseruationem; in sanctis est per gratiam & charitatem; in Christo verò est per vnionem. Primus modus comparatur dimensioni longitudinis, quia secundùm illum modum dicitur, *quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter; & disponit omnia suauiter.* Secundus modus comparatur dimensioni latitudinis, quia charitas est latitudo spiritualis, vnde; *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Tertius modus, qui est per vnionem, comparatur profunditati, quia ille modus intimus est, Ephes. 3. Vt possitis comprehendere, quæ sit longitudo, quantum ad primum; latitudo, quantum ad secundum; & profundum, quantum ad tertium. Vt sublimitas referatur ad humanam naturam, quæ sublimata est ad vnionem cum diuina: & profundum referatur ad diuinam, quæ intimè per vnitatem personæ vnita est ad humanam. Quia ergo hoc triplici modo est Deitas in Christo, ideo dicitur repletus gratia corporaliter. Vnde super illud: *Mons, in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo.* Glos. *Verbum habitabit eum, id est hominem Christum vsque in finem: quia personaliter vnitus est ei, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sic, erat vtique verbum in carne; vt etiã verbum caro factum solus diceretur, id est homo verbo in vnam personam copularetur.

Glos. ibi. Glos. ibi. Sap. 8. Psal. 118. Ephes. 3. Psal. 67. Gloss.

QVÆSTIO IX.

De sanctitate conceptionis Christi.

In quatuor Membra, & vndecim Articulos diuisa.

Consequenter quærendum est de sanctitate conceptionis Christi. Et hoc tripliciter: Primò, quãtum ad sanctitatem concipientis matris. Secundò, quantum ad sanctitatem concepti filij. Tertiò, quãtum ad perfectionem Dominici corporis. D. Tho. 3. par. q. 27 & inde. S. Bon. in 3. d. 3. par. 1. & d. 12. art. 2 Sco. in 3. d. 3.

¶ Quæritur igitur in parte ista primò, quorum sit sanctificatio. Secundò de sanctificatione Beatæ Virginis, in quo statu potuit sanctificari. Tertiò de sanctificatione eius in conceptu saluatoris. Quartò de perfectione Dominici corporis.

MEMBRVM I.

Quorum sit sanctificatio?

Primò quæritur, quorum sit sanctificatio: vt pateat quid sit, & in quo casu fuerit Virginis sanctificatio, vel à quo fuerit sanctificata. Circa quod quæruntur duo: Primò, vtrùm sanctificatio sit rationalis solùm. Secundò, vtrùm sit rationalis rei, quæ est Christus: an rei rationalis, quæ est puta creatura.

ARTICVLVS I.

An sanctificatio rerum rationalium tantùm sit?

Ad primum arguitur sic. Cùm sanctificatio opponatur peccato; vbi non erit peccatum, nec erit sanctificatio. Sed peccatum non est ponere in re irrationali, ergo nec sanctificationem, ergo sanctificatio solùm est in re rationali.

¶ Ad oppositum. In vltimo Exod. & ferè per totam legem inuenimus tabernaculum sanctum, & oleum vnctionis sanctum, & vasa sancta, & vestes sanctas: sicut vestes Aaron: & hæc omnia sunt res irrationales. Sed vbi est sanctitas, ibi & sanctificatio: non ergo solùm est in re rationali sanctificatio. Exod. vlt.

RESOLVTIO.

Sanctificatio communiter & rationalis, & irrationalis rei est. propriè autem non nisi rei rationalis est.

¶ Responsio: Dicendum, quòd sanctificatio nihil aliud est, quàm motus ad sanctitatem; sicut dealbatio dicitur motus ad albedinem. Sed sanctitas dicitur quatuor modis: est enim sanctitas per dedicationem ad cultũ Dei: & est sanctitas per emundationem à peccato: tertio modo dicitur sanctitas in scriptura ipsa abstractio à carnali actu: quarto modo dicitur sanctitas per confirmationem in bonum.

¶ Sanctitas verò per dedicationem ad cultũ dicitur communissimè: vnde conuenit & rei rationali, & irrationali, dũmodo sit dedicata ad cultũ Dei. Ab hac sanctificatione dicebantur Nazaræi sancti, quia dedicati erant ad cultum Dei, vt habetur Num. 6. quòd non debent Nazaræi bibere vinum, nec radere comã. Et postea addit de ritu eorũ. *Ita faciet vnusquisq; ad perfectionem sanctitatis suæ.* Hoc etiam modo dicebantur sacerdotes sancti, sicut pater Leuit. 8. vbi loquitur de consecratione sacerdotum, qui sunt cultui diuino mancipati vel dedicati. Posuit laminam auream consecratam in sanctificatione. Et hoc etiam modo dicuntur Christiani sancti, quia dedicati sunt ad cultum Dei in baptismate. Hoc etiam modo dicuntur res irrationales sanctificatæ, tabernaculum sanctum, & vasa sancta. Num. 6. Leuit. 8.

Num. 7. Compleuit Moyses tabernaculum, vnxit & sanctificauit.

Rom. 6. ¶ Secunda est sanctitas per emundationem à peccato, de qua habetur ad Rom. 6. *Nunc autem liberati à peccato,*
Thess. 4 *serui facti Deo, habetis fructum in sanctificationem.* Et similiter: *Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*

Exod. 19. ¶ Tertio modo est sanctitas per abstractionem à carnali actu: de quo præcipitur Moysi, vt sanctificet populū. *Vade* (inquit) *ad populum, & sanctifica eos hodie & cras: & lauet*
Glossa. 1. Reg. 21 *vestimenta.* Et dicit Gloss. quod sanctificatio ista erat abstinentia à mulieribus. De hac 1. Reg. 21. vbi quæritur: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. *Sunt ne vasa puerorum sancta.* Et respondet Dauid: *Et quidem, si de mulieribus agitur, continuimus*, &c.

Psal. 14. ¶ Quartò modo est sanctitas vel sanctificatio per confirmationem in bonum. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? innocens manibus*, &c. Per montem sanctum significat confirmationem. Vnde sanctum vno modo idem est quod confirmatum: sanctum alio modo græcè, idem est quod Ἅγιος, ab α, quod est sine: & γῆ terra: Vnde sanctum, id est, sine terra: & per terram signatur peccatum vel culpa: hoc est sanctum per emundationem à peccato. Secundum ergo primum modum est sanctificatio rei rationalis & irrationalis: secundùm alios modos est solum rei rationalis.

ARTICVLVS II.

An sanctificatio dici possit de Christo.

Daniel. 9. Glossa. CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm sanctificatio sit ipsius Christi? Et videtur quod non. *Cùm venerit sanctus sanctorum.* Gloss. dicit: *Christus, qui est sanctus, non debet dici sanctificatus.* Ergo sanctificatio non debet dici de Christo.

¶ Item, sanctificatio est motus de non sancto ad sanctum: sed Christus nunquam fuit non sanctus: ergo non potest dici sanctificatus.

Ierem. 1. ¶ Contra. *Priusquam exires de ventre sanctificaui te.* Gloss. Quidam hunc locum super saluatorem intelligunt: qui priusquam in vtero virginali formaretur, & antequam exiret de vulua, est sanctificatus.

Ioan. 17. Glossa August. ¶ Item, (& loquitur filius Dei ad patrem.) *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Gloss. August. *Ego me hominem sanctifico in me verbo.* Sed talis est sanctificatio Christi: ergo Christus est sanctificatus.

RESOLVTIO.

Sanctificatio, quæ est de non sancto in sanctum negatiuè quondam dicebatur de Christo: non autem priuatiuè siue contrariè. Sanctificatio item, quæ est quasi motus de sancto in sanctum continuatiuè & extensiuè etiam dicitur de Christo: nec aliàs.

¶ Solvtio. Dicendum, quod sanctificatio est motus ad sanctitatem. Hoc autem potest esse dupliciter: quia omnis motus est ab aliquo in aliquid. Sanctificatio autem dicit motum in sanctitatem: vnde sanctitas est terminus in quem ipsius sanctificationis. Sed motus in sanctitatem dicitur aliquando de sancto in sanctum: aliquando de non sancto in sanctum. Et motus de non sancto in sanctum est dupliciter: quia *non sanctum* potest dici priuatiuè, siue contrariè, vel negatiuè. Non sanctum negatiuè potest dici de eo, quod non est: quia illud quod non est, est non sanctum. Non sanctum contrariè vel priuatiuè dicitur de eo, quod est tantum priuatum sanctitate, siue habens contrariam dispositionem ad sanctitatem: sicut aliquis peccator. Sanctificatio ergo de non sancto, dicitur vel de non sancto negatiuè: vel de non sancto priuatiuè siue contrariè. Sanctificatio, quæ est de non sancto negatiuè, illa fuit in Christo homine in ipsa incarnatione sua; scilicet quando creabatur eius beata anima, prius fuit dicere de ea non sanctum: quia prius fuerat non ens: in sua autem creatione fuit mutata de non ente in ens, & de non sancto negatiuè in sanctum. Et hoc modo loquitur gl. Hierem. Alio modo dicitur sanctificatio motus de non sancto priuatiuè siue contrariè in sanctum: & ista sanctificatione sanctificatus fuit Ioannes Baptista in vtero: quia Ioannes ante sanctificationem fuit priuatus sanctitate, & habebat dispositionem contrariam, scilicet culpam originalem: hoc etiam modo sanctificatur quilibet paruulus in baptismo. Hæc autem sanctificatio non fuit in Christo: quia Christus homo nunquam fuit priuatus sanctitate.

¶ Sanctificatio verò, quæ est motus in sanctitatem de sancto, est dupliciter. Vno modo cum mouetur aliquis de minori sanctitate in maiorem sanctitatem. Alio modo non quia moueatur in maiorem sanctitatem: sed quia mouetur in continuationem sanctitatis. De sanctitate primo modo habemus. vbi Christus orat patrem Ioan. 17.
pro Apostolis, dicens: *Pater sanctifica eos in veritate:* & tamen Glossa.
iam erant sancti Apostoli, Gloss. dicit: *Sicut gratia tua incepta est sanctificatio, per quam iam non sunt de mundo: ita eadem gratia perseuerent in veritate, id est, in sanctitate, qua est in perseuerantia; vt de sanctitate iustitiæ præsentis perueniant ad sanctitatem iustitiæ finalis.* Vnde patet, quòd sanctificatio ibi dicit motum in maiorem sanctitatem. Loquendo autem de sanctificatione alia, quæ est in continuationem & extensionem sanctitatis: hoc modo sanctificantur illi, qui sunt in patria. Et non est sanctificatio propriè motus; quia tota simul in se: sed propter continuationem dicitur quasi motus. Illi enim qui sunt in patria, semper continuantur in sanctitatem: sicut lucere dicit quandam extensionem & continuationem. Et hoc modo est sanctificatio in Christo: cum dicitur in Ioan. Ego pro eis sanctifico meipsum, id est, contineo me in sanctitate: vt à me recipiant sanctitatem. Et in Gloss. similiter: Ego me hominem sanctifico in me verbo.

MEMBRVM II.

De sanctificatione B. Virginis.

CONSEQVENTER quæritur de sanctificatione Beatæ D. Tho.
Virginis: in scilicet quo statu potuit sanctificari. Et 3 par. q
circa hoc plura quæruntur. Primum est, an ante conce- 27.
ptionem fuerit sanctificata. Secundum est, an in conceptione fuerit sanctificata. Tertium est, an post conceptionem ante infusionem animæ fuerit sanctificata. Quartum, an post animæ infusionem fuerit sanctificata in vtero matris suæ. Quintum, à quibus fuit sanctificata.

ARTICVLVS I.

An Beata Virgo ante suam conceptionem sanctificata fuerit.

AD primum ergo arguitur sic: *Si radix est sancta, &* Ad Rom.
rami sunt sancti. Sed sic se habent parentes Beatæ 12.
Virginis ad ipsam, sicut radix ad ramum. Si ergo in parentibus Beatæ Virginis potuit esse sanctificatio & infusio sanctitatis: ergo ramus scilicet B. Virgo potuit in eis sanctificari. Sed quicquid potuit ei boni conferri, est ei collatum: ergo ipsa fuit sanctificata in parentibus suis ante conceptionem.

¶ Item: *Nos peccamus omnes in Adam.* Ergo omnes pec- Ad Rom.
camus in radice. Sed sanctificatio cum sit per infusionem 5.
gratiæ, opponitur peccato: ergo nos omnes potuimus sanctificari in radice: ergo & beata Virgo: cum fortior sit gratia ad sanctificationem, quam culpa ad condemnationem. Sed quicquid potuit habere boni, habuit (hoc supponimus) ergo fuit sanctificata in radice, scilicet in parentibus ante conceptionem.

¶ Contra. Bernardus mouet quæstionem de san- Bernar. in
ctificatione Virginis, dicens: *Dicitur ne sanctificata, qua-* Epistola
tenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus vocaretur con- contra
ceptus? Et obiicit contra hoc. *Non valuit ante sancta esse,* Lugdu-
quam esset. Sed non erat, antequam conciperetur: ergo non nenses
potuit sanctificari, antequam conciperetur. Canonicos.

¶ Item. *Eramus omnes natura filij iræ.* Sed natura ista Ad Eph. 2.

se extendit vsque ad beatam virginem: ergo beata Virgo fuit filia iræ. Non ergo sanctificata ante conceptionem in parentibus. Gratia ergo huius quæritur, quare non potuit sanctificari in parentibus.

RESOLVTIO.

Quia B. Virgo ante sui conceptionem in parentibus fuit per naturam, quæ natura sanctificata non est; ob id nec in illis sanctificari potuit.

¶ SOLVT. Dicendum, quod duplex est sanctificatio sc. sanctificatio naturæ, & sanctificatio personæ. Sanctificatio personæ est per præsentem gratiam. Sanctificatio naturæ non erit nisi per futuram gloriam: quia ibi sanctificabitur natura scil. in gloria: prout innuitur. *In resurrectione enim sanctificabitur natura ipsa, quia tunc fiet sermo, qui scriptus est: vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus?* Et appellat stimulum fomitem. Sanctificatio autem, quæ est per baptismum, & quæ est per præsentem gratiam; non est sanctificatio naturæ, sed sanctificatio solum personæ: sed fomes adhuc remanet post baptismum in natura, & transfunditur per generationem in totam naturam: propter hoc non est generatio sine peccato, quia natura non est sanctificata, & per generationem transfunditur natura: ideo necesse est, vt quod generatur, in generationem contrahat peccatum. Et propter hoc B. Virgo non potuit in parentibus suis sanctificari: immò necesse fuit quod in generatione sua contraheret peccatum à parentibus. Erat etiam in ipsis ante conceptionem quantum ad rationem naturæ & non personæ, & propter hoc in ipsis sanctificari non potuit. 1. Cor. 15.

¶ AD primum obiectum dicendum: quod est sanctitas naturæ, & personæ. Licet ergo radix sit sancta quantum ad personam, non tamen ramus est sanctus. Sed radix B. Virginis, id est, parentes eius non potuerunt sanctificari quantum ad naturam, sed quantum ad personam. Cum ergo natura in parentibus sit radix ipsa, à qua procedit per generationem: cum illa non potuerit sanctificari: nec B. Virgo in illa radice. Et iterum loquitur Apostolus ibi de Iudæis, & contra illos, qui despiciebant Iudæos, asserentes quod non saluarentur: propter quod ostendit Apostolus, quod Iudæi aliquando saluabuntur: quia radix scil. parentes eorum sicut sancti patres saluati sunt: ergo rami saluabuntur scilicet Iudæi: quia sunt aliquando imitaturi fidem sanctorum patrum: & hoc est secundum viam prædestinationis, & non naturæ: quia ita præordinatum est à Deo. Nec loquitur de omnibus Iudæis: sed in genere loquitur, quia aliquando saluabuntur. Et sic patet, quod non facit hæc authoritas ad propositum.

¶ AD aliud dicendum, sicut dictum est: quod peccatum personæ corrumpit naturam, sicut peccatum Adæ: quia ab eo dependebat tota natura humana. Sanctificatio verò, quæ est perfectio personæ, non potuit sanctificare naturam: vnde si Adam esset sanctificatus, non ideo esset sanctificata natura humana. Vnde sanctificatio in radice redit in sanctificationem personæ, & non naturæ. Quia ergo non educitur ratione personæ, sed ratione naturæ (vnde vis generatiua est vis naturæ & non personæ, nisi ratione naturæ) ideo non potuimus in Adam sanctificari: nec eadem ratione B. Virgo in parentibus suis; quia educimur ex parte illa, ex qua non est sanctitas scil. per viam naturæ: via autem naturæ, nec natura potuit sanctificari per Adam.

ARTICVLVS II.

An & in ipsa conceptione sanctificari potuit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm B. Virgo potuit sanctificari in conceptione sua. Et ostendit S. Bernard. quod non, dicens: *Fortè inter amplexus maritales sanctitas ipsi conceptioni se immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & concepta.* Ita forte dicetur. Sed contra hoc obiicit sic: *Sed hoc (inquit) non admittit ratio: quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut sancto spiritui societas cum peccato fuit; aut peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit?* Id.

¶ IDEM. Bernardus: *Ante conceptionem minimè sanctificari potuit, quia non erat: sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat.* Restat ergo, vt post conceptum in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur; quæ excluso peccato sanctam fecit natiuitatem: non tamen conceptionem. Ergo post conceptionem, non in conceptione fuit sanctificata. Idem.

¶ IDEM Bernardus per comparationem ad Christum. *Sic paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen concipi: vt vni sanè seruaretur prærogatiua sancti conceptus, vel sanctificationis in conceptu.* Cum ergo Christus habeat prærogatiuam sancti conceptus: patet, quod aliquis alius non fuit sanctificatus in conceptu: ergo nec B. Virgo. Idem.

¶ IDEM. *Solus Iesus est de spiritusancto conceptus; quia solus ante conceptum sanctus: quo excepto, respicit vniuersos, quod vnus humiliter confitetur. In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Solus ergo Christus conceptus est absq; peccato: non ergo B. Virgo fuit in suo conceptu sanctificata. Idem. Psalm. 50.

¶ ITEM, Si B. Virgo non fuisset concepta in peccato: ergo non fuisset obligata peccato, nec habuisset reatum peccati. Si ergo quod non habet reatum peccati, non indiget redemptione; quia redemptio est propter obligationem ad peccatum, & ad reatum peccati: ergo non indigeret redemptione per Christum: quod secundum Catholicam fidem non est ponendum.

¶ ITEM, *saluator noster sicut pro liberandis omnibus venit, ita nullum à reatu liberum reperit:* ergo nec beatam virginem inuenit liberam à reatu peccati: ergo concepta fuit in peccato: non ergo sanctificata fuit in conceptu suo. Leo Papa.

¶ AD oppositum. Coitus coniugalis potest esse meritorius, sicut dicit August. vt fuit in Abraham, quando Sara concepit Isaac: quia hoc fecit ex obedientia. Sed vbicunque est meritum, ibi est gratia mouens: vbicunque est gratia mouens, est ibi præsentia spiritussancti: sed vbicunque est præsentia spiritussancti, ibi potest esse sanctificatio: ergo in coitu coniugali potest esse sanctificatio. Cum ergo gloriosa virgo concepta fuerit in coitu coniugali, ibi potuit sanctificari: sed quicquid potuit ei dari, datum est: ergo datum est ei, quod esset sanctificata in conceptu suo. August.

¶ ITEM, vt distinguunt theologi. Coitus coniugalis est tripliciter: Aliquando est meritorius: aliquando licitus: aliquando illicitus. (Et intelligatur illicitus communiter, quantum ad veniale peccatum & mortale.) Coitus verò meritorius est dupliciter. Quia aliquando fit causa prolis suscitandæ ad cultum Dei; sicut si homo moueretur per charitatem ad suscitandum prolem ad cultum Dei in coitu maritali vel coniugali; iste coitus esset meritorius: sicut fuit in Abraham, qui suscitauit prolem Domino: & ipsum ad hoc mouit charitas vt generaret filium, qui seruiret Deo. Alius est causa reddendi debitum vxori: & de hoc habetur. *Vxori vir debitum reddat.* Vnde si aliquis homo moueretur ad coitum, non causa libidinis suæ, sed vt per hoc redderet vxori suæ debitum, quod ei debet, quia vir non habet potestatem corporis sui sed mulier; & econuersò, moueretur ex iustitia: vnde coitus ille ei esset meritorius. Est etiam coitus, qui dicitur licitus, sicut quando mouetur homo ad coitum coniugalem causa fornicationis vitandæ: secundum quod dicit Apost. *Vnusquisque habeat suam propter fornicationem.* Est coitus coniugalis, qui dicitur permissus, sicut coitus fragilis: vt cum aliquis coit cũ vxore sua non causa vitandæ fornicationis, nec propter aliquã causam prędictam; sed quia quęrit in vxore sua delectationẽ suã; quam tamen in altera non quæreret: post ponendo tamen delectationem suam illi delectationi, quę est in Deo: & ad 1. Cor. 8. 1. Cor. 6.

coitum

coitum istum sequitur peccatum, quia delectatur in creatura: sed tamen veniale; eo quod postponit illam delectationem delectationi, quæ est in Deo. Est alius coitus, qui dicitur prohibitus: sicut quando aliquis coit solùm cum vxore sua causa libidinis explendæ, sicut faceret cum meretrice: & quærit in ea delectationem per meretricias blanditias, sicut faceret cũ meretrice: & ad talem coitum sequitur peccatum mortale. Ex his ergo habemus, quod aliquis est coitus coniugalis meritorius. Sed vbi est meritum, ibi mouet gratia, & ibi est præsentia spiritus sancti. & ita sanctificatio: ergo in aliquo coitu potest esse sanctificatio: ergo B. Virgo potuit in conceptu sanctificari: quia potuit esse meritorius conceptus: sed datum est ei omne bonum, quod potuit: ergo in conceptu sanctificata fuit.

RESOLVTIO.

Cum conceptio sequatur ad coitum, ad quem quantumuis sanctum natura moueat secundum inordinationem fomitis, nec in ipsa conceptione sanctificari potuit B. Virgo.

In Quarto Senten. ¶ Resp. Supposito, quod alibi disputatur: quod coitus coniugalis possit esse meritorius. Distinguendum, quod est considerare coniugalem coitum meritorium, secũdum quod est actus personæ, vel naturæ. Prout est actus personæ, sic est ibi voluntas mouens. Prout actus est naturæ: sic est ibi natura mouens. Sed differenter, quia inquantum est ille actus à voluntate mouente, sic etiam ibi mouet charitas: inquantum est à natura mouente, sic etiam ibi mouet fomes peccati: quia sic ille actus ordinatus est ad peccatum Adæ & ex fomite peccati. Voluntas enim mouet ibi secundum ordinem charitatis: & à parte illa est meritorius: natura autem mouet ibi secundum inordinationem fomitis, & à parte illa est libido in coitu, & peccatum. Sed conceptio sequitur ad coitum: & respicit naturam mouentem, & non voluntatem. Conceptio enim dicit commixtionem, quæ est in principiis seminalibus viri & mulieris: quæ commixtio fit per naturam: & ideo natura est mouens coniunctum in conceptione: à parte autem illius commixtionis est libido. Et propter hoc dicit: Bernard. Bernard. *Quomodo peccatum non fuit, vbi libido non defuit?* Licet ergo coitus ex vna parte posset esse meritorius, nunquam tamen conceptio poterit esse meritoria, & ita nec sanctificatio in conceptione. Et ideo B. Virgo in sua conceptione sanctificari non potuit.

ARTICVLVS III.

An & post conceptionem ante animæ infusionem.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm B. Virgo post suam conceptionem fuerit sanctificata ante infusionem animæ: ita quod caro eius esset sanctificata, antequam infunderetur anima in ea. Et ostenditur quod sic: Lucæ 1. Lucæ 1. vbi habetur de B. Ioan. quando B. Virgo salutauit Elisabeth post annunciationem Angeli ei factam scil. quod conciperet saluatorem. *Exultauit in gaudio infans in vtero.* dicit Gloss. Glossa ibi. *Nondum in eo erat spiritus vitæ, & tamen iam erat spiritus gratiæ.* Si ergo quod datum est Ioanni, non debet denegari gloriosæ virgini; patet, quod ante animæ eius infusionem in carne fuit caro eius sanctificata.

Ierem. 1. ¶ Item, dicit Dominus ad Hierem. *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & priusquam exires de ventre, sanctificaui te.* Sed noscere Dei est dupliciter: quia est notitia simpliciter, & est notitia approbationis. Notitia simpliciter est, qua nouit bona & mala indifferenter: notitia approbationis est, qua solum nouit bona, & qua approbat ipsa bona: secundum quam dicit Dominus. Matt. 25. *Nescio vos,* Constat quod Dominus loquitur ad Hierem. de notitia approbationis: sed illa nunquam est nisi de bono: ergo iam erat Hieremias in statu bono, antequam esset formatus in vtero. Sed ante formationem corporis non infundi tur anima: ergo ante infusionem animæ erat in statu bono. Sed quod datum est Hierem. non debuit negari B. Virgini: ergo ipsa fuit sanctificata in vtero ante infusionem animæ.

¶ Contra. Nihil pertinet ad gratiam, quod non pertinet ad gloriam: quia gratia ordinatur est ad gloriam. Sed August. dicit de abortiuis, quod non pertinent ad gloriam resurrectionis: quia nihil pertinet ad gloriam resurrectionis, nisi quod cecidit per mortem: sed illi non ceciderunt per mortem, quia nunquam habuerunt vitam: vnde non pertinent ad resurrectionis gloriam. Similiter cum caro ante infusionem animæ nullo modo pertineat ad gloriam, quia dato quod nunquam animetur, nunquam glorificabitur: ergo nullo modo pertinet ad gratia. Sed sanctificatio est per gratiam: ergo ante infusionem animæ non potest sanctificari. August. de ciuit. Dei lib. 22. cap 13.

¶ Item. *Habemus legem de percutiente mulierem pregnantem.* Et distinguitur ibi in Gloss. quod si puerperium fuerit informe: ille non debet damnari, nec iudicatur homicida: sed solum punitur pœna pecuniaria, & non morte. Si autem puerperium fuit formatum: ille debet iudicari homicida: ante informationem autem non est fœtus animatus: videmus ergo, quod Lex Dei non computat fœtum ante animationem: ergo nullo modo potest sanctificari ante animationem. Exod 21.

RESOLVTIO.

Adhuc nec post conceptionem ante animæ infusionem sanctificari potuit B. Virgo: cum corpus humanum non nisi ex vnione ad animam possibilitatem habeat ad gloriam, & per consequens ad gratiam, quæ ad eam ordinatur.

¶ Solvt. Dicendum, quod caro ante animationem nullo modo potest sanctificari. Et ratio huius est: quia corpus nostrum de se est corruptibile: nec habet de se naturam perpetuationis ad esse: sed necessitas perpetuitatis esse in est ipsi ex vnione ad animam rationalem, quæ est substantia perpetua. Vnde ex hoc quod perficitur, imprimitur ei vita rationalis: ex vnione deinde retinet corpus humanum possibilitatem ad vitam perpetuam, & necessitatem resurgendi. Sic autem non est in corporibus aliis animatis: quia non habent ordinem, nec vnionem ad formam perpetuam: quia anima vegetabilis & sensibilis, quæ sunt perfectiones aliorum corporum animatorum, sunt corruptibiles. Patet ergo, quod corpus humanum accipit ex vnione ad animam possibilitatem ad gloriam. Cum igitur gratia ordinetur ad gloriam, similiter accipiet possibilitatem suscipiendi gratiam per vnionem sui ad animam. Sicut ergo corpus ante animationem non habet conditionem, per quam possit ordinari ad gloriam: similiter nec conditionem, per quam possit ordinari ad gratiam: ergo ante animationem non potest suscipere gratiam: ergo nec sanctificationem: cum sanctificatio fit per gratiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Ioanne. Dicendum, sicut patet in litera: quod tunc erat sextus mensis Ioannis, quando missus fuit Angelus ad Mariam: & post eius salutationem accessit ipsa ad Elisabeth, & salutauit eam: & ad vocem ipsius exultauit puer in gaudio in vtero. Lucæ 1. Sed (sicut dicit Augustinus) iuxta sententiam medicorum corpus formatur vsque ad 40. dies; quo formato, anima infunditur: & sic sexto mense est corpus animatum, & viuificatum: ergo in Ioanne erat iam anima & spiritus vitæ.

¶ Sed tunc quæritur; quomodo dicit Gloss. quod nondum in ipso erat spiritus vitæ. Dicendum, quod aliquando dicitur res esse, quando innotescit: aliquando non esse, cum non innotescit. Quod ergo dicitur, quod nondum erat in ipso spiritus vitæ: hoc est verum quantum ad manifestationem, quia non adhuc innotescebat, quod haberet spiritum vitæ: quantum vero ad vegetationem & viuificationem erat ibi spiritus vitæ, sed non apparebat quantum ad motum.

¶ Ad

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Hierem. *Priusquam, &c.* Dicendum, quod ibi loquitur de notitia approbationis. Sed notitia approbationis est duplex: quædam secundum prædestinationem: quædam secundum præsentem iustitiam. Prima non ponit bonum in actu, sed bonum futurũ: secunda ponit præsentis gratiæ bonum in actu in cognitu. Cum ergo dicit priusquam, &c. noui te. intelligitur de notitia approbationis secundum prædestinationem: quæ non ponit bonum vel gratiam in præsenti actu, sed in futuro in ipso cognito. Illud ergo noscere non ponit sanctificationem in Hierem. ante formationem: sed in futuro secundum prædestinationem. Et hoc est, quod dicit Bern. de Hierem. *Pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum distinxit oraculum: vt illam tantum præcognitam scil. figurationem vel formationẽ, istam scil. parturitionem sanctitatis munere præornatam ostenderet: ne quis prophetæ prærogatiuam putauerit de sola præscientia existimanda.* Et sic patet, quod ante figurationem fuit tantummodo sanctificatio in Hierem. vt præcognita & approbata, & non in actu: sicut possum dicere, quod ante creationem mundi nouit nos notitia approbationis.

Bernard.

ARTICVLVS IV.

An & post infusionem animæ in vtero matris?

CONSEQVENTER quæritur. An post infusionem animæ fuerit sanctificata in vtero matris suæ. Quamuis ista quæstio mota sit. Primo Lib. in Tractatu de Trinitate: vbi quæritur, quo modo Deus sit in rebus per gratiam: Et ostenditur, quod non fuit sanctificata, sicut dicit Aug. ad Dardanum. *Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum: nisi cum fuerit renati: quod non possunt esse antequam nati.* Ex hoc sic obiicitur: nullus potest habere Deum inhabitantem in se, nisi fuerit renatus: nec potest esse renatus, antequam natus: ergo nullus antequam natus potest habere Deum inhabitantem in se. Si ergo Deus inhabitat per gratiam: nullus in vtero, antequam sit natus, potest habere gratiam: Cum ergo sanctificatio fiat per gratiam inhabitantem: patet, quod B. Virgo in vtero matris suæ ante suam natiuitatem non potuit sanctificari.

Quæst. II.

August. ad Dardanum.

¶ ITEM Aug. *Illa sanctificatio, qua efficimur singuli templa Dei, non est nisi renatorum: quod non nisi nati homines esse possunt.*

Idem ad eundem Epistol. 57.

¶ SED posset dici, quod legitur, quod Ioan. & Hierem. fuerunt sanctificati in vtero, antequam essent nati. Contra quod Aug. obiicit hoc modo. *De hominibus constitutis intra materna viscera, vtrùm existimemus eos aliquo sanctificationis modo donari* (& hoc propter Ioan. & Hiere.) *tamen illa sanctificatio, qua efficimur templa Dei, non est nisi renatorum: quod non nisi nati homines esse possunt.* Sed illa sanctificatio est per receptionem gratiæ: quia per receptionem gratiæ efficimur templa Dei: ergo B. Virgo in vtero non potuit recipere gratiam, nec sanctificationem ante suam natiuitatem.

Idem.

¶ POSSET dici ad hoc, quod duplex est natiuitas scil. natiuitas in vtero, & natiuitas ex vtero. Sanctificationem autem ante natiuitatem in vtero nemo potest habere: sed ante natiuitatem ex vtero potest; quia iam est infusa anima in vtero carni. Et ita dicitur de Christo. *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est.* Contra opponit Aug. hoc modo. *Huic natiuitati,* quæ scil. est in vtero, *iam accedit secunda natiuitas, quæ est ex vtero:* ergo iam non erit secunda natiuitas illa, per quam renasci dicimur, sed tertia. Dominus autem, cum huic loqueretur, inquit. *Nisi quis renatus fuerit denuo,* &c. eam computans primam natiuitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente; quæ fit ex ea, non quæ fit in ea: ergo renasci dicitur respectu natiuitatis ex vtero, quæ est matre pariente, & non respectu natiuitatis in vtero.

Matth. 1.

August.

Ioan 3.

¶ ITEM, iam diceretur tertia natiuitas, quam Dominus vocat secundam: ergo cum non possit aliquis sanctificari antequam renasci; non potest aliquis sanctificari in vtero.

¶ ITEM, si homo regenerari in vtero potest per gratiam; cum teste illi adhuc nasci; renasceretur antequam nascatur: quod fieri nullo modo potest. Ergo nec sanctificari potest per gratiam spiritus, antequam nasceretur: quia sanctificari non est nisi renasci: ergo virgo non potuit sanctificari in vtero.

¶ ITEM, obiicit Aug. de sanctificatione Hierem. dicens: *Illa sanctificatio potest non inconuenienter secundum prædestinationem intelligi: sicut filios Dei appellat Euangelium nondum renatos, sed prædestinatos solum;* cum dicitur: *Christus erat moriturus, vt filios Dei congregaret in vnum:* hic vocat filios Dei secundum prædestinationem solum scil. nondum regeneratos: ergo similiter in illa sanctificatione conuenienter potest intelligi. Non est igitur instantia de Hierem. quod possit fieri sanctificatio ante natiuitatem ex vtero.

August.

Ioan. 11.

¶ ITEM, Hieron. *Non credas mihi, quod dixero tibi; nisi traxero de nouo vel veteri testamento.* Sed de sanctificatione virginis in vtero nihil inuenitur nec in nouo nec in veteri testamento: ergo non debet credi fuisse sanctificata in vtero.

Hieron.

¶ AD oppositum. Bernardus: *Lego de Hieremia, quod priusquam exiret de vulua, sanctificatus sit: & de Io. Bapt. non secus sentio, qui Deum in vtero sensit.*

Bernar. in Epistola ad Canonicos Lugdunenses.

¶ ITEM, dixit Dominus Hierem. *Priusquam exires de ventre sanctificaui te.* Gloss. *Ioannes etiam sanctificatus fuit in vtero: & spiritum sanctum accepit.*

Ierem. 1. Glossa.

¶ ITEM, vbi dixit Elisabeth ad Mariam. *Vt autem facta est vox salutationis tuæ in aurib. meis; exultauit infans in gaudio in vtero meo:* dicit glo. Ambrosij. *Non prius mater est repleta spiritu sancto quam filius: sed filius repletus replet & matrem: & apparet quod Angelus dixerat; quod spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Ex his ergo patet, quod Ioannes fuit sanctificatus in vtero: & similiter Hierem. Ex his sic arguit Bernardus: *Quod paucis mortalium constat esse collatum: fas certè non est tanta virgini fuisse negatum.* Sed constat alijs collatam esse gratiam sanctificationis in vtero, sicut Ioan. & Hierem. ergo sanctificatio in vtero fuit collata virgini: ergo mater Domini proculdubio prius fuit sancta quam nata.

Lucæ 1.

Glossa Ambrosij.

Bernard.

¶ ITEM Bernardus: *Non fallitur omnino sancta Ecclesia celebrans sanctam eius natiuitatis diem.* Sed statim in peccato non debetur gaudium nec solemnitas, sed luctus: ergo cum natiuitati B. Virginis debeatur gaudium & solennitas; patet, quod eius natiuitas fuit sancta: ergo B. Virgo prius fuit sancta quam nata: quia si esset nata in peccato, potius esset flendum de sua natiuitate, quam gaudendum.

Idem.

¶ ITEM, Anselmus: Decebat, *vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Et ponit rationem huius: *Cui Deus pater vnicum filium, quem de corde suo genuit æqualem sibi, ita dare disponebat; vt naturaliter esset vnus eidemque communis, Dei patris & virginis filius: & quam substancialiter filius sibi matrem facere eligebat, & de qua spiritus sanctus operaturus erat, vt de illa conciperetur & nasceretur ille, de quo ipse procedebat: & propter hoc decebat vt illius hominis scil. Christi conceptio de matre purissima fieret; qua puritate nulla maior possit intelligi sub Deo.* Sed si non esset purificata & sanctificata in vtero, intelligeretur maior puritas in Ioanne, & Hierem. quàm in Virgine: si ergo in illis non potest intelligi maior puritas quàm in virgine: relinquitur quòd priùs fuit B. Virgo sanctificata, quàm nata.

Ansel. in lib. de cõceptu virginali cap. 18.

RESOLVTIO.

Ambigendum non est B. Virginem ante suam natiuitatem post infusionem animæ sanctificatam fuisse.

¶ SOLVT. Concedendum est, quod gloriosa virgo ante suam natiuitatem: post infusionem animæ in suo corpore fuit sanctificata in vtero matris suæ. Et concedendum etiam quod maiori dono gratiæ fuit ditata, quàm aliquis alius.

¶ Ad

¶ Ad rationes aût Aug. dicendum: quod est regeneratio, quæ est per gratiam sacramentorum: & hæc est secundum legem communem. Est alia, quæ est per gratiam spiritussancti: & hæc est secundum legem priuatam: *quia* (sicut dicit Aug.) *Deus non alligauit virtutem suam sacramentis*. Vnde quamuis dederit virtutem sacramentis & potentiã sanctificandi: nihilominus potest ipse iustificare per gratiam spiritussancti sine susceptione sacramenti: vnde sine sacramento potest dare gratiam. Dicendum ergo, quod Aug. loquitur de regeneratione vel sanctificatione: quæ est secundùm legem communem, & non secundum legem priuatam: quod patet, quia dicit *illa sanctificatio, qua singuli efficimur templa Dei*, &c. Et per hoc qd' dicit *singuli* signat quod illa sanctificatio pertinet ad omnes: & vult dicere, quod illa sanctificatio, quæ pertinet ad omnes, non potest esse, nisi fuerit homo natus: quia hoc est per gratiã baptismatis: sed null' potest baptizari in vtero. Et similiter cum dicit Aug. *de hominibus constitutis*, &c. vult distinguere, q est sanctificatio priuata, & communis. Et non vult dicere, quod Io. & Hier. non fuerit in vtero sanctificati sanctificatione priuata: sed quod non fuerunt sanctificati in vtero sanctificatione communi, quæ est secundum legem communem per susceptionem sacramenti. Vnde cum dicit: *Illa sanctificatio, qua singuli*, &c. Et cum dicit: *Vtrùm æstimemus eos*, &c. vult dicere quod sanctificatio pertinens ad omnes non potest esse nisi hominis nati: quia est per sacramenta: sed illa, quæ est per gratiam prærogatiuæ spiritussancti: potest esse in vtero. Et similiter cum accipit illa verba. *Nisi quis renatus denuo*, &c. intelligit de regeneratione vel sanctificatione, quæ est secundum legẽ communem, quæ est per sacramentum baptismatis: qd' patet per illud, quod sequitur *ex aqua & spiritusancto*. Sanctificatio autem B. Virginis Ioan. & Hierem. fuit prærogatiuæ per gratiam spiritussancti, & per legem priuatam: & maximè sanctificatio B. Virginis.

August. *Idem.* *Idem.* *Ioan. 3.* *Ibidem.*

¶ Ad aliud dicendum: quod & si sanctificatio B. Virginis in vtero non legatur expressa: legitur tamen in significatione. *Sanctificauit tabernaculum suũ altissimus*: quia præfigurata fuit in multis locis in veteri & nouo Testamento. Similiter legitur in ratione fidei in veteri & nouo Testamento: nam legitur de Ioan. & Hiere. qd' sanctificati fuerint in vtero: sed quod alijs est concessum, non est tantæ Virgini negatum. Et ita fides est: & ratio fidei, quia credẽdum est: ex quo illi fuerunt sanctificati in vtero, quod similiter B. Virgo (& multò fortiùs) fuit sanctificata in vtero.

Psal. 45.

ARTICVLVS V.

An B. Virgo in prima sui sanctificatione sanctificata fuerit à fomite.

CONSEQVENTER quæritur, à quo fuit sanctificata in vtero. Ad quod sic. Non est dubium, quin B. Virgo in prima sanctificatione fuerit sanctificata à culpa: quæstio est ergo, vtrùm in prima sanctificatione fuit sanctificata à fomite. Et ostenditur quod sic: Bern. *Decuit reginam virginum absq; omni peccato ducere vitam*. Sed si post primam sanctificatione remansisset fomes; remansisset inclinatio ad peccatum necessariò; quia fomes est inclinatiuus ad peccatum, ad minus veniale ineuitabiliter. Si ergo remansisset fomes, non posset vitam ducere absque omni peccato, ad minus veniali: ergo post primam sanctificationem non remansit fomes, sed fuit sanctificata ab illo.

Bernard.

¶ Idem Bernardus: *Puto quod copiosior gratia sanctificationis in ipsam descendit; quæ non solùm eius sanctificauit ortum, sed ab omni peccato deinceps custodiret immunem.*

Bernard.

¶ Contra. Inconueniens est tendenti ad summam perfectionem remouere promotiuum ad virtutem. Sed beata Virgo debebat tendere ad summam perfectionem: ergo ab ea non debuit remoueri illud, quod est promotiuum ad virtutem. Sed fomes est promotiuum ad virtutem: quia (sicut dicit Augustinus) hac ratione remanet fomes in nobis post baptismum scilicet ad exercitium virtutis.

Bernard.

¶ Item, habetur Lucæ 1. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Super quo dicit Damascenus: *Dolores, quos virgo effugit pariens, hos in Christi passione sustinuit.* Passio ergo ista vel gladius per transiuit animam virginis sicut carnem Christi. Sed gladius per transiens animam magis penetrat, quam penetrans corpus vel carnem: ergo maiorem habebat virgo passionem vel dolorem, quam si gladius ille penetrasset carnem eius: ergo virgo habuit perturbationem in anima ex summo dolore. Sed perturbatio est effectus fomitis adhuc remanentis: ergo post primam sanctificationem habuit fomitem vel remansit fomes in anima virginis.

Lucæ 1. *Damasc.*

¶ Item, Augustinus: Introducens illud quod dicit Simeon ad Mariam. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, &c. *Hoc vtique signauit; quia etiam Maria, per quam gestum est ministerium incarnationis saluatoris, in morte Domini dubitaret: non tamen in dubitatione permaneret.* Sic enim animam pertransit gladius, si dubitatio non permaneat in cogitatione, sed pellatur superueniente reformante se pristina virtute. Sed dubitatio circa fidem procedit ex vitio fomitis.

August. in Quæst. noui & veteris Testamenti q. 23. *Lucæ 2.*

RESOLVTIO.

Quidquid arbitrentur quidam: B. Virgo in prima sui sanctificatione omnino à fomite sanctificata fuit.

¶ Solvtio. Dicendum, quod fomes respicit naturam, & respicit personam. In prima autem sanctificatione non remouebatur fomes à virgine, in quantum respicit naturam, sed in secunda: quia in secunda mundata fuit caro eius vt est principium ad carnem alia: & hoc vt de ipsa carne virginis sumeretur caro sine peccato, quæ verbo vniretur. Fomes autem prout respicit personam, duplicem habet effectum: quorum vnus est pronitas ad malum: secundus est difficultas ad bonum. De primo effectu habetur: *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua*: de vtroque etiam dicit Apostolus: *Non enim quod volo, hoc ago bonum* (hoc dicit propter difficultatem ad bonum) *sed quod odio malum, illud facio* (hoc dicit propter pronitatem ad malum) Forsitan (sicut dicunt) non omnino fomes extinguebatur in persona per gratiam primæ sanctificationis, sed solum in quantum dicit pronitatem ad malum: in secunda verò quantum ad difficultatem ad bonum. Vnde quantum ad hoc post primam sanctificationem non posset peccare, sed extingueretur tota pronitas, quæ est ad malum: tamen adhuc post illam remansit difficultas ad bonum: quæ remota fuit in secunda sanctificatione. Credo tamen firmiter, quod B. Virgo in prima sanctificatione quantum ad suam personam ita purgata fuit & à peccato & à fomite: prout dicit pronitatem ad malum & difficultatem ad bonum; quod nihil in persona sua remansit purgandum: sed solum in natura.

Gen 8. *Ad Rom. 7.*

¶ Ad obiectum ergo dicendum: quod est promotiuum virtutis dupliciter, sicut promotiuum sanitatis. Est enim promotiuum sanitatis in sano & in ægro: & non est idem promotiuum sanitatis in vtroque; quia vinum est promotiuum sanitatis & conseruatiuum in sano, sed in ægro febrici tante non: immò prouocaret maiorem ægritudinem in eo: Similiter aqua est promotiuum sanitatis in ægro, sed non in sano, sed potius promoueret ægritudinem in eo. Sic etiam est promotiuum virtutis in natura sana & in natura ægra. Fomes ergo in natura lapsa & ægra per peccatum est promotiuum ad virtutem per accidens (sed non in natura sana: vnde si Adam non peccasset, aliquo modo fomes non esset promotiuum ad virtutem) sed peccati promotiuum est. Est igitur fomes promotiuus virtutis in natura lapsa solum in perfectis; quia in aliis non mouet fomes virtutem: sed in perfectis, quia resistunt & abstinent à peccato, ad quod inclinat eos fomes; & hæc est virtus maxi-

maxima: & ideo dicitur fomes promouere in eis virtutem. Vnde in Paulo hoc modo prouocauit virtutem; quia dolebat de stimulo carnis: quare dicit. *Datus est stimulus carnis*, &c. hoc enim prouocabat ipsum ad humilitatem. Sed si reuelationum diuinarum magnitudo non extolleret ipsum, nec ex eis superbiret, sed teneretur in tanta humilitate, quanta fuit humilitas virginis: quando Angelus annunciauit ei, & reuelauit secreta Dei (vnde ipsa dixit: *Quia respexerit humilitatem ancillæ suæ*) credo si ita esset in Paulo, non diceremus, quod stimulus vel fomes esset materia humilitatis in ipso: immo impeditiuum. Sed quia in ipso esset passio elationis, nisi esset fomes: ideo dicitur fomes prouocatiuum humilitatis in ipso. In natura ergo sana fomes non est prouocatiuum virtutis. Cùm ergo B. Virgo per specialissimam gratiam sanctificationis tota fuit facta sana in prima sanctificatione, in ea non promoueret virtutem.

1. Cor. 12.

Lucæ 1.

¶ Ad aliud dicendum, qđ in virgine fuit dolor de passione filij sui secundum partem inferiorem animæ scil. secundum sensualitatem: & etiam secundum partem inferiorem rationis: non tamen tantus, quantus in filio. Sed secundum superiorem partem, qua ipsa considerauit fructum passionis scil. redemptionem nostram, ei fuit summum gaudium: quia ipsum fructum maximè desiderabat: & ideo maximè gaudebat. Talis ergo dolor non oriebatur ex fomite, nec ex peccato: sed ex naturali pietate & sensualitate. Quia dolor, qui prouenit ex fomite, causatur ex inordinatione virium; qua anima perturbatur; vt minus videat verum & bonum; qui dolor non fuit in beata virgine.

¶ Ad illud Aug. dicendum; quod differentia est inter spiritum & animam; qualis inter rationem & sensualitatem. Ratio ergo se tenet ex parte spiritus, sensualitas ex parte animæ. Non dixit autem Aug. quod dubitatio pertransiret spiritum, sed animam; hoc est sensualitatis naturam. Nunquam autem rationalem partem virginis dubitatio infidelitatis tetigit; quia in fide nunquam dubitauit: imo discipulis non credentibus in passione sola in fide stetit. Intelligenda autem est hæc dubitatio pietatis naturalis, non hæsitatio infidelitatis. Vel potest dici quod fuit dubitatio admirationis: quæ solet quandoq; habere ortum ex consideratione rei stupendæ. Mouebatur enim beata virgo stupore admirationis, cum videret filium suum; quem firmiter credidit Deum, taliter patientem: cuiusmodi considerationem solet associare quædam dubitatio, vt posset cogitare: est ne iste filius meus, quem sic pati video?

MEMBRVM III.

De sanctificatione Beatæ Virginis in conceptu saluatoris.

CONSEQVENTER quæritur de sanctificatione Beatæ Virginis in conceptu saluatoris: & in hunc modum. Primò, an necessaria fuerit sanctificatio secunda. Secundò, à quo fuerit sanctificata. Tertiò, per quid fuerit sanctificata. Quartò, vtrùm ante conceptionem Christi fuerit aliquo modo obnoxia peccato?

ARTICVLVS I.

An necessaria fuerit secunda B. Virginis sanctificatio scil. in conceptu saluatoris.

AD primum proceditur sic. Prima sanctificatio, quam habuit B. Virgo in vtero, abstulit omnem culpam ab ea: abstulit etiam fomitem peccati. Relinquitur igitur, qđ post primam sanctificationem nihil remansit in virgine purificandum: ergo non fuit alia sanctificatio necessaria: quia inutilis esset. Quòd sanctificata & purificata fuerit à culpa originali & à fomite, patet per Bern. dicentem: *Copiosior gratia sanctificationis in ipsam descendit, quæ non solum eius ortum sanctificauit; sed ab omni peccato deinceps custodiuit immunem.* Ergo non indigebat alia sanctificatione.

Bernard.

¶ ITEM, est sanctificatio communis, quæ est per sacramentum: & est sanctificatio specialis, quæ est per gratiam spiritussancti: & hæc fuit in Ioan. & Hiere. & specialissima fuit in B. Virgine, & per gratiam specialissimam: hoc enim oportet dicere, cum copiosior fuerit. Maior ergo est gratia sanctificationis in Virgine quam in alijs, & gratia sanctificationis specialis quam gratia sanctificationis communis. Sed gratia sanctificationis communis remouet culpam; remanet tamen fomes & pronitas ad peccãdum: sicut patet in baptizatis: & hoc cum quadam ineuitabilitate peccandi. Plus ergo datur de virtute sanctificationi speciali: ergo ipsa remouet culpa originalem & fomitem vel pronitatem ad peccandum: sed non pronitatem ad quodlibet peccatum, sed ad peccatum mortale: sicut creditur fuisse in Ioan. & Hiere. Sed gratia sanctificationis in virgine abundat vltra istas: ergo B. Virgo ita sanctificata fuit in vtero, vt remoueretur culpa originalis & fomes siue pronitas ad culpam non solum mortalem, sed etiam venialem: ergo nihil remansit in ea purgandum.

¶ AD oppositum: sicut habetur 13. Sent. *Iuxta sanctorum attestationem: caro assumpta à verbo priùs peccato obnoxia fuit, sicut reliqua virginis caro: sed spiritussancti operatione ita mundata, vt ab omni contagione peccati immunis vniretur verbo.* Mariam quoq; spiritussanctus in eam præueniens, à peccato prorsus mundauit, & à fomite peccati etiam liberauit. Ergo indigebat secunda purgatione in conceptione filij sui. Magist. in 3. Sent. dist. 3.

¶ ITEM, sicut dicit Hugo: *Catholica veritatis diffinitio est, quòd filius Dei de carne obnoxia peccato carnem assumpsit liberatam à peccato: & tunc liberata quando mundata: & tunc mundata quando assumpta.* Ergo caro virginis ante filij sui conceptionem fuit immunda & indigens purgatione. Hugo.

¶ ITEM, sicut habetur à Ioan. Damascen. *Post consensum B. Virginis spiritussanctus superuenit in ipsam secundùm verbum Domini, quòd dixit Angelus, purgans ipsam.* Ergo adhuc erat aliqua labes in ipsa post primam sanctificationem purganda. Damasc.

RESOLVTIO.

Vt caro B. Virginis nedum in ordine ad suam beatam animam, verùm etiam in ordine ad verbum diuinum ex ea generandum sanctissima foret, iure secundò sanctificata est.

¶ SOLVT. Dicendum, quod caro B. Virginis duplicem habuit ordinem. Vnum scil. ad suam beatam animam: & sic consideratur in se, non per comparationem ad aliam carnem. Alium habuit ordinem ad naturam, secundum quam ipsa poterat esse principium alterius carnis per generationem scil. quòd ex ipsa posset alia caro descindi per generationem: sicut est de carne hominis, quæ potest in se considerari, vel inquantum est principium ad aliam carnem, quæ potest ab ipsa descindi per generationem. Loquendo ergo de carne virginis, vtroque modo dicendum est quod ipsa fuit sanctificata: sed in prima sanctificatione fuit caro eius sanctificata, secundum quod consideratur in se in comparatione ad suam animam scil. secundum qđ est caro singularis personæ: vnde quantum ad personam sanctificata est in prima sanctificatione. In secunda verò sanctificatione fuit sanctificata, inquantum potuit esse principium ad carnem aliam: & sic fuit sanctificata, inquantum respiciebat naturam, & hoc vt de ipsa acciperetur caro vnienda verbo sine peccato: quia secundũ illam duplicem comparationem vel considerationem carnis nostræ est duplex impuritas. Quia igitur solum quantum ad seipsam fuit sanctificata in prima sanctificatione, ideo necessaria fuit secunda. Et illa prima sanctificatio remouit ab ea omne, quod poterat esse inclinatiuum ad peccatum, & ad motus carnales, qui serpunt in carne velut serpentes. Et tanta fuit illa sanctificatio, vt etiam extenderetur ad alios: & quod extingueret omnem concupiscentiam carnalem in alio. Et propter hoc dicitur cedrus. Et *Quasi cedrus*, &c. quia sicut cedrus interficit serpentes odore suo: ita sanctificatio eius irradiabat in alijs, & in eis extinguebat omnes motus concupiscentiæ carnales Eccl. 24.

nales in carne serpentes. Et similiter comparant myrrhæ. *Ego sicut myrrha electa*, &c. quia sicut myrrha interficit vermes: ita eius sanctitas interficiebat vermes, id est, concupiscentias carnales. Vnde etiam dicunt infideles, cum Maria pulcherrima fuerit; à nullo tamé vnquam potuit concupisci: & hoc erat: quia virtus suæ castitatis & sanctitatis extinguebat omnem motum carnalem in alijs aspicientibus ipsam. Et hanc prærogatiuam habuit præ omnibus sanctificatis & virginibus: quia sanctitas earum non extinguebat motus, nec concupiscentias in alijs: nec transfundebatur ad alios. Sic patet ad quid sanctificatio secunda fuit necessaria, quia per primam erat sanctificata plenissimè in se quantum ad personam: per secundam fuit sanctificata, vt poterat esse per naturam principium ad carnem aliam per decisionem à carne sua.

Eccl. 14.

¶ Ad primam autem rationem dicendum: quod fomes corrumpit personam, & corrumpit naturam. Inquantum autem corrumpit personam, sic fuit extinctus fomes in prima sanctificatione: sed non inquantum corrumpit naturam: & propter hoc necessaria fuit sanctificatio secunda, in qua tolleretur fomes, inquantum corrumpit naturam. Et in illa sanctificatione excessit Ioan. & Hiere. quia magis & copiosiùs sanctificatur in se, quàm illi: illi etiam alio modo non erant sanctificati quàm in seipsis.

ARTICVLVS II.

A quibus B. Virgo sanctificata sit in conceptione filij Dei.

CONSEQVENTER quæritur, à quibus sanctificata fuerit. Et quæruntur tria. Primò, vtrum sanctificata fuerit à culpa in conceptione filij Dei. Secundò, vtrùm à potentia peccandi. Tertiò, vtrùm à reatu carentiæ visionis.

An in conceptione filij Dei sanctificata fuerit B. Virgo à culpa? §. 1.

¶ Ad primum. Quòd auferretur peccatum ab ipsa per istam sanctificationem, patet: *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Gloss. dicit: *Superueniens spiritussanctus in virginem, mentem ipsius ab omni sorde vitiorum castificauit.* Sed tunc fuit facta secunda sanctificatio: ergo secunda sanctificatio abstulit à beata virgine sordes vitiorum: ergo & peccatum.

Lucæ 1. Glossa.

¶ Item, Augustinus: *Esse sine peccato, de solo vnigenito in hac vita est dictum.*

Augus. in lib. de perfectione iustitiæ hominis.

¶ Item in eodem. Apostolus cum ministros eligeret ordinandos; non ait, si quis sine peccato est, quod inueniri non potest: sed ait, si quis sine crimine est, quod inueniri potest. Ex his videtur, quod B. Virgo etiam post conceptionem non fuerit sine peccato.

¶ Contra Bernard. *Decuit reginam virginum absq; omni peccato ducere vitam* (& loquitur post primam sanctificationem) ergo ante secundam sanctificationem erat immunis à peccato: ergo secunda sanctificatio nullum abstulit peccatum ab ipsa.

Bernard.

¶ Item, Aug. *Sola medicinam parere nostro vulneri potuit; qua non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.* Sed ipsa emisit piam prolem ex carne: relinquitur igitur, quod in carne non erat vulnus peccati: ergo non fuit secundò sanctificata à peccato: cum non haberet peccatum.

Augus. in lib. de baptismo paruulorum.

¶ Idem Augustinus: *Inde scimus, quòd gratia sit plus collatum ad vincendum ex omni parte peccatum; quòd concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Hâc excepta, omnes sancti dicunt: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, &c.

Idem.

1. Ioan. 1.

RESOLVTIO.

Maria virgo in secunda sui sanctificatione, hoc est, in conceptione filij Dei non à culpa, siue peccato aliquo sanctificata est; sed à vitiorum sordibus.

¶ Resp. Secundum quosdam distinguendum: quod peccatum aliquando dicitur pœna peccati. Rom. 8. De peccato damnauit peccata in carne. Aliquando dicitur peccatum fomes peccati, secundùm quod dicitur: *Sed quod nolo, illud facio*: non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Et iterum: Peccatum occasione per mandatum, &c. Aliquando verò dicitur peccatũ reatus ipsius peccati. *Qui mortuus est peccato iustificatus est à peccato.* Secundum hoc respondendum est: si peccatum dicatur pœna peccati, dicendum est: quod caro virginis ante cóceptionem filij fuit obnoxia peccato: & fortè post conceptionem (& dico obnoxietatem & necessitatem ad sustinendum pœnã peccati, sicut corporales necessitates, & mortem. Si verò peccatum dicatur reatus peccati; quem reatum B. Anselmus dicit carentiam debitæ iustitiæ, siue maculam: hoc modo nec caro ipsius, nec anima fuit obnoxia peccato à statu primæ sanctificationis. Si verò peccatum dicatur fomes, dupliciter consideratur vel comparatur, ad personam scil. vel ad naturam. Secundum quod vitiat personam: non fuit obnoxia peccato post primam sanctificationem: secũdum quod comparatur ad naturam, non fuit obnoxia peccato post secundam.

Ad Rom. 7.

Ad Rom. 6.

Anselm.

¶ Sed aliter potest dici, & fortè melius: quod differt peccatum, & vitium. Nam peccatum dicit culpam; vitium verò non dicit culpam, sed illud, quod sequitur ex culpa scil. pœnam. Non vult ergo glo. supradicta dicere, quod tunc fuerit liberata à peccato per istam sanctificationem secundam, cum non haberet peccatum: sed fuit liberata à sordibus vitiorum, id est, ab illis difficultatibus, quas habebat ad tendendum in bonum: quæ difficultates dicuntur corruptiones potentiarum animæ, siue vitia potentiarum; quia sunt obnubilationes earum: & ab his sordibus fuit liberata: ita vt sine difficultate prompta fuerit ad omne bonum diligendum, & verum discernendum.

¶ Est etiam aliter dicendum: supposito, quod fuerit sanctificata in prima sanctificatione ab istis difficultatibus: quoniam dicitur res tunc fieri, cum innotescit. Sensus ergo illius glo. vel authoritatis est. Spiritussanctus, &c. castificauit, id est, castam ostendit scil. quando concepit filium suum: quia aliqua alia res non ita benè probaret istam castificationem, sicut conceptio filij Dei. Non vult ergo dicere, quod prius non esset castificata à sorde vitiorum: sed quod tunc castitas eius manifestiùs apparuit; quando filium suum concepit.

An & potentia peccandi? §. 2.

¶ Consequenter quæritur, vtrùm fuerit sanctificata B. Virgo à potentia peccandi. Et ostendit quod non. Triplex enim distinguitur status scil. status innocentiæ, status naturæ lapsæ, & status gloriæ. In statu innocentiæ est potentia ad peccandum & ad non peccandum: in statu naturæ lapsæ est necessitas ad peccandum: in statu gloriæ non est potentia peccandi. In duplici ergo statu est potentia peccandi: in solo autem statu gloriæ non est potentia peccandi. Si ergo gloriosa virgo post secundam sanctificationem in conceptione filij sui non erat adhuc in statu gloriæ: patet quod adhuc habebat potentiam peccandi, vel ad peccandum: ergo in secunda sanctificatione non fuit ablata potentia peccandi ab ea.

¶ Item, Apostolus: *Stipendia peccati mors.* Sed in B. Virgine remansit potentia moriendi post secundam sanctificationem: ergo & potentia peccandi.

Ad Rom. 6.

¶ Contra. Augustinus dicit: *Inde scimus, quòd ei gratiæ plus sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum: quòd concipere & parere potuit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Si ergo ex plenitudine gratiæ data est Mariæ potestas ad vincendum ex omni parte peccatum; & hoc in conceptione filij: ergo in ipsa non remansit potentia ad peccandum.

Augus. in lib. de gratia & natura.

¶ Item, duplex est peccatum scilicet veniale & mortale. Similiter est potentia ad peccandum mortaliter & venialiter. Sed minima gratia aufert peccatum mortale (vnde minima gratia non compatitur secum mortale) gratia verò perfecta aufert peccatum veniale, nec ipsum

vllo modo secum patitur (vnde cum perfecta gratia non potest morari peccatum mortale, nec aliquod veniale) ergo cum perfectissima gratia non remanebit potentia ad peccandum. Si ergo postquam virgo concepit filium in ipsa fuit summa plenitudo gratiæ (vnde dixit Angelus.
Lucæ 1. *Aue gratia plena*) ergo secunda sanctificatio eius abstulit potentiam ad peccandum; quia non potuit remanere cum gratia perfectissima.

RESOLVTIO.

Per secundam sanctificationem B. Virgo ita sanctificata est à potentia peccandi, vt potestas sui arbitrij effecta sit necessitas ad non peccandum.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod sicut in Angelis confirmatis post suam confirmationem non remansit potentia ad peccandum: ita in gloriosa virgine post sanctificationem illam, quam habuit in conceptione filij sui, non remansit potentia ad peccandum: quia ablata fuit per sanctificationem illam, quam habuit, cum dixit Angelus.
Lucæ 1. *Aue gratia plena*; vnde plenitudo gratiæ fuit gratia confirmationis in bonum. Sed notandum, quod potentia lib. arbitrij vno modo consideratur, prout se habet indifferenter ad peccandum & non peccandum: & hoc modo consideratur quasi indisposita ad hoc vel ad illud. Alio modo consideratur cum dispositione ad peccandum. Tertiò modo cum dispositione ad non peccandū. Quartò modo cum necessitate ad peccandum. Quintò modo cum necessitate ad non peccandum. Consideratur potentia liberi arbitrij vt in disposita, & vt disposita, & vt necessitas: sicut potentia materiæ potest considerari, prout non est disposita ad aliquam formam, sed indifferenter se habet ad omnes: alio modo prout est disposita ad aliquam formam: tertio modo prout est necessitas ad aliquam formam: & tunc non potest esse sine illa. Primo modo fuit potentia liberi arbitrij in Adam in statu innocentiæ scil. non disposita, sed indifferenter se habens ad peccandum
Ecclesiastici 15. vel non peccandum: vnde dicitur. *Reliquit eum Dominus in manu consilij sui*, id est, in lib. arb. potestate: manus enim ibi dicit potestatem lib. arbit. In regeneratis per sacramentum baptismi est potentia lib. arb. cū dispositione ad peccandum, quia ab ipsis non aufertur fomes, qui est dispositio inclinans ad peccandum. In non regeneratis est potentia lib. arb. cum necessitate ad peccandum: vnde fomes in illis non solum est vt dispositio ad peccatum, sed vt quædam necessitas. In sanctificatis est potentia disposita ad non peccandum: sicut in Ioan. & Hierem. In B. Virgine per gratiam sanctificationis vltimæ, quæ maximè superabundat omnibus alijs sanctificationibus, quæ est per plenitudinem gratiæ est potentia lib. arb. necessitas ad nō peccandum: & sic post illam sanctificationem non habuit potentiam peccandi: vnde Augustinus: *Cum de peccatis agitur, de Maria nullam volo fieri mentionem.*

Augustin. ¶ AD primum autem obiectum dicendum: quod non posse peccare, non solùm pertinet ad statum gloriæ: sed etiam ad statum perfectæ gratiæ: sicut est in sancto homine perseuerante finaliter, qui moritur cum perseuerantia in bonum; non habet potentiam peccandi scil. in vltimo instanti; tamen non est in statu gloriæ, sed est in statu plenæ gratiæ: quia perseuerantia est finalis status plenæ gratiæ. Cum ergo B. Virgo post sanctificationem secundam esset in statu plenæ gratiæ; vnde dixit Angelus. *Aue gra-*
Lucæ 1. *tia plena*: patet, quod non habuit potentiam ad peccandum.

¶ AD aliud dicendum: quod ex corruptione originali est aliquid, quod est purè pro culpa, quiddam purè pœna, quiddam medium: sicut fomes, qui est in nobis dispositio ad peccatum. Dico ergo, quod in virgine non remansit culpa post secundam sanctificationem, nec dispositio ad culpam scilicet fomes; sed solum illud, quod est purè pœna scil. quod ipsa fuit mortalis post secundam sanctificationem: & hanc etiam pœnam accepit filius eius Christus voluntariè. Vnde quia purè pœna ista non fuit ordinans ad culpam, sed ad maiorem gloriam (super Iob 4. Est pœna ordinans ad culpam, & ad gloriam) & ita non remansit in ea pœna prout ad culpam, sed prout ad maiorem gloriam. Apostolus autem loquitur in non sanctificatis, in quibus fomes remanet.

An & à reatu carentiæ visionis Dei? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm in B. Virgine post secundam sanctificationem remansit reatus, scil. carentiæ visionis. Et videtur quod non: quia originali peccato debetur carentia visionis Dei: sed ab ipsa virgine remotum fuit peccatum originale cum sequela sua in sanctificatione: ergo post illam non remansit in ea reatus carentiæ visionis Dei.

¶ CONTRA, posito quod Christus non moreretur, adhuc non remoueretur rumphea siue interclusio ad beatam visionem: ergo si B. Virgo moreretur antequam Christus esset passus; interclusio inter ipsam & beatam visionem esset: ergo non euolaret ad gloriam: ergo in ipsa remansit reatus illius post secundam sanctificationem.

RESOLVTIO.

Per secundam sanctificationem sanctificata & liberatā est B. Virgo à reatu carentiæ visionis Dei pro eo, quod attinebat ad personam: sed non pro eo quod ad naturam.

¶ SOLVT. Dicendum quod sicut duo sunt, quæ prohibent visionem, scil. defectus visus vt cæcitas, & defectus luminis: similiter sunt duo, quæ prohibent visionem Dei æternam; priuans visionem, & prohibens lumen. Visionē priuans fuit culpa originalis in singulis personis: prohibens autem lumen fuit ipsa rumphea, quæ est ex reatu naturæ humanæ generali manens. Primum prohibet visionem æternam in habitu: secūdum in actu. In non circumcisis ergo fuit carentia visionis, & quantum ad defectum visus, & quantum ad defectum luminis: qui tempore circumcisionis non fuerunt circumcisi. In circūcisis autem, sicut in Abraham & sanctis patribus, fuit carentia visionis quantum ad defectum luminis, reatus videl. humanæ naturæ: qui designatur per rumpheam; qui solum potuit remoueri per passionem Christi. In virgine ergo per gratiam datam in sanctificatione remouebatur quicquid debebat remoueri, quod erat pertinens ad cæcitatem personæ: sed non quod pertinebat ad reatum naturæ, ex quo est defectus luminis. Ideo quod B. Virgo non euolaret ante passionem, si moreretur: hoc non facit defectus ex parte ipsius videntis: sed quia sanctificatio non remouet tenebram naturæ scil. rumpheam: quæ est prohibens exterius, quod solum tollitur per passionem Christi.

ARTICVLVS III.

A quo, aut per quem sanctificata & purgata sit B. Virgo?

CONSEQVENTER quæritur. Per quem fuerit B. Virgo sanctificata. Et dicit Archangelus Gabriel: *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: vnde. Lucæ 1.
Ioan. Damasc. *Spiritussanctus superueniens in eam, purgauit eam.* Damasc.

¶ ITEM, dicit Hugo. quod in corde eius amor spiritussancti singulariter ardebat: ideo in carne ipsius spiritussancti amor mirabilia faciebat scil. increatus. Sanctificauit ergo eam spiritussanctus. Hugo.

¶ CONTRA. Videtur quod per creaturam fuit sanctificata scil. per Angelum, qui venit ad ipsam: quia (sicut dicit Dionysius) triplex est actus Angeli scil. perficere, illuminare, purgare. Ad illuminationem sequitur purgatio: vnde non illuminat, quin purget. Sed Angelus Gabriel missus ad Mariam, ipsam illuminauit: quia virgo recepit lumen cognitionis ab Angelo; cum ipse dixit, *Spiritussanctus superueniet in te*, &c. Ergo Gabriel Angelus purgauit ipsam: ergo purgata fuit per Angelum. Dionys. Lucæ 1.

* *
*

RESO-

RESOLVTIO.

Et à spiritusancto, & ab Angelo nuncio.

¶ SOLVT. Dicendum, qđ duplex est purgatio. Quædam est purgatio à peccato & sequela peccati: & hoc solum fit per virtutem increatam, & est solius Dei. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates propter me.* & *Purgationem peccatorum faciens*; similiter purgatio sequelæ peccati est à solo Deo; & secundum hoc purgata fuit B. Virgo effectiuè per spiritusanctum. Est alia purgatio, quæ est quantum ad defectum cognitionis scil. quando purgatur intellectus ab eo, quod nescit. Et talis purgatio habet fieri per Angelos: quia omnes Angeli sunt manifestatores: vt dicit Dion. & in hoc quod manifestatores, sunt purgatores. Hac purgatione, quæ est ab ignorantia, fuit B. Virgo purgata per Angelum: quando purgauit eam ab ignorantia, qua nesciebat, quomodo conciperet filium Dei, cum diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et dixit Angelus: *Spiritussanctus superueniet in te*, &c.

Esa. 43. Ad Hebræ. 1. — Dionys. — Lucæ 1.

ARTICVLVS IV.

An caro Christi ante conceptionem obnoxia fuerit peccato: ita vt Christus dici possit decimatus in Abraham?

CONSEQVENTER quæritur de sanctitate conceptionis ex patre concepti. Circa quod quæritur de carne Christi, vtrùm ante conceptionem fuerit obnoxia peccato. Et secundum hoc mouetur quæstio: vtrùm Christus decimatus sit in Abraham: sicut Apostolus de Leui ad Heb. 7. cum decimatio deberetur ratione peccati.

Hebr. 7.

¶ AD hoc obiicitur hoc modo. Illa decimatio aut fuit secundum carnem, aut secundum animam. Non secundum animam, quoniam Leui in Abraham non fuit secundum animam. Ergo secundum carnem: sed tam Christus quam Leui fuit in Abraham secundum carnem indistinctè: ergo tam Christus quam Leui fuit decimatus. Nulla enim erat differentia carnis Abrahæ ad carnem Leui & ad carnem Christi.

¶ ITEM, quia omnes fuimus in lumbis Adæ, quando peccauit, omnes peccauimus in Adam: ergo pari ratione quia Leuitæ fuerunt in lumbis Abrahæ, omnes decimati sunt in Abraham: ergo pari ratione Christus cum fuerit in lumbis Abrahæ, decimatus est in Abraham.

¶ ITEM, tota caro B. Virginis fuit in lumbis Abrahæ decimata: ergo quælibet eius pars. Sed caro Christi fuit pars eius: ergo fuit decimata.

¶ ITEM, tota massa humani generis fuit corrupta in Adam, & indigens curatione, Sed caro Christi fuit de massa humani generis: ergo indiguit curatione: ergo & decimatione: *quia* (sicut dicit Augustinus:) *decimabatur quod curabatur.*

¶ ITEM, Christus fuit circumcisus & altari oblatus, licet non habuerit peccatum originale: quare non similiter decimatus?

August. lib. 10. super Gen. ad literam c. 20.

¶ CONTRA. Est authoritas Apostoli ad Heb. 7. vbi probat, quod sacerdotium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech, maius est sacerdotio Leui: quia Leui decimatus fuit, quando Abraham decimas dedit Melchisedech. Gen. 14. & dicit Apostolus, qđ dignior est, qui accipit decimas; quam qui dat: ergo Melchisedech fuit dignior Abraham.

Hebr. 7. — Gen. 14.

¶ ITEM, dignior est qui benedicit; quam qui benedicitur. Sed Melchisedech benedixit Abrahæ: sicut dicitur Gen. 14. & toti posteritati: ergo dignior fuit tota posteritate Abrahæ: ergo & dignior Leui: ergo est dignius sacerdotium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech sacerdotio Leuitico. Relinquitur igitur, quod Christus non est decimatus in Abraham, sicut Leui.

Ibidem.

¶ ITEM, decimatio dabat ratione culpæ originalis; per quam erat amissa decima dragma, quæ fuerat perdita. Lucæ 15. scil. genus humanum. Si ergo culpa originalis nullum respectum habet ad carnem Christi: nullo modo potest dici decimata.

Lucæ 15.

¶ ITEM, obiicitur contra rationem Apostoli, quia non videtur valere: quemadmodũ non valet: si Dominus Papa est in lumbis patris sui, & pater suus det decimas alicui sacerdoti, quod propter hoc sacerdos sit dignior Domino Papa. Ergo partione non sequitur, quod Leui sit dignior Melchisedech.

¶ ITEM, dicit Aug. *Quod decimabatur, curabatur* Sed nullus fuit curatus in Abraham: quia tam Abraham quàm sua posteritas descendebat ad limbum vsq; ad Christum: ergo nullus decimabatur in Abraham: ergo nec Leui. August.

¶ ITEM, si oblatio decimarum tunc diminuebat concupiscentiam, ergo & modo debet diminuere: si ergo modo non diminuit, nec tunc: ergo nihil profuit esse decimatum quò ad remedium originalis.

¶ ITEM, erant ne omnes benedicti in Abraham: sic nec decimati? eadem enim videtur ratio.

¶ PRÆTEREA, cum in benedictione & decimatione Melchisedech diminueretur originalis concupiscentia: sed hoc non erat nisi propter collationem gratiæ: gratia autem non est nisi in anima: ergo cum anima non sit ex traduce, nihil est dictu Leui benedictum fuisse in Abraham. Nullæ ergo sunt rationes Apostoli.

RESOLVTIO.

Cum Christus secundùm corpulentam substantiam tantum, nec quidem secundùm seminalem rationem in Abrahæ lumbis fuerit; nequaquam in eo decimari potuit.

¶ RESP. Secundum opinionem quorundam, quam ponit Hugo. Quidam putant carnem illam, quæ accepta est à verbo; ab initio in primo parente, quando tota massa per peccatum est corrupta; à contagione corruptionis peccati immunem fuisse custoditam. Aiunt enim quod illa pars naturæ sub peccato esse non debuit, per quam ipsa humana natura à peccato liberanda fuit. Ad probandam quoque existimationem suam adducunt rationem Apostoli: qui cum nouum sacerdotium veteri præferendum assereret, Melchisedech, qui typum aut noui sacerdotij vicem gerebat; ab Abraham decimas accepisse ostendit. Quomodo autem Leui, qui secundum carnem in lumbis patris tunc fuit, decimatus est: & Christus, qui secundum carnem ibidem fuit, decimatus non est; nullam causam posse inueniri putant: nisi quia caro Leui cum culpa ibi fuit: caro verò Christi sine culpa fuit. Sic namq; Leui in lumbis Abrahæ decimatus est, quia naturã & culpam ibi habuit, & quia naturam & culpam inde accepturus fuit: Christus aũt decimatus non est, propterea quod inde solum naturam accepturus erat; & culpam ibi non habuit. Sed quia caro Leui, & caro Christi in Abraham non erat actu, sed potentia; propterea non videtur aliqua ratio dici, vt dicatur caro à peccato à principio fuisse custodita. Propter hoc dicendum secundum gl. Hebr. 7. Quod duo sunt in semine, corpulenta substantia, & seminalis ratio. Ideo esse in lumbis Abrahæ dicitur dupliciter, materialiter (scil.) secundum corpulentam substantiam: & secundum seminalem rationem: quæ quidem est ratio propagationis cum libidine. Omnes ergo præter Christum fuerunt in lumbis Abrahæ vtroque modo: Christus autem tantùm modo materialiter, quia corpulentã substantiam de carne B. Virginis sumpsit: ratio autem conceptionis non à virili semine, sed desuper venit. Et ideo omnes præter Christum decimari debuerunt: quia erant obligati non tãtùm quia ibi erant materialiter, sed quia ibi erant secundum seminalem rationem.

Hugo de S. Victore de sacramentis lib. 1. par. 2. cap. 5. — Gloss. ordin super illud. *Adhuc enim in lumbis patris erat.*

¶ ET per hoc patet solutio ad obiectum primò.

¶ AD secundum verò dicendum: quod caro Christi esse in lumbis, dicitur duobus modis: secundum actum, & secundum potentia. Secundum actum nec caro Leui, nec caro Christi fuit in lumbis Abrahæ. Item secundum potentiam dupliciter: aut vnde fieri possit, aut vnde fiat: sicut dicit August. quoniam in costa erat, vnde posset fieri mulier, sed non vnde fieret: vnde posset fieri, dicit materialem causam: vnde fiat, dicit actiuam seu formalem.

Secundum hoc ergo dicendum: quod cæteri homines à Christo fuerunt in lumbis Abrahæ in potentia secundum vtrumque modum: Christus verò non nisi secundum primum. Obligati autem peccato, eo sunt quod sunt in lumbis secundum potentiam actiuam: quæ debetur soli seminali rationi: quæ secundum legem carnalis concupiscentiæ omnes generat: & ideo decimabiles.

¶ Ad tertium, quod obiicitur de carne Virginis. Dicendum, quod refert dicere carnem in Abraham, secundum quod est in potentia ad carnem virginis: & secundum quod est in potentia ad carnem Christi. Nam prout est in potentia ad carnem virginis, sic est educenda secundum potentiam materialem, & rationem propagationis cum libidine: & ideo decimabilis. Secundum verò quòd in potentia ad carnem Christi, sic solum ponitur potentia materialis, quæ educenda est in actum per operationem spiritusſancti: & ideo non decimabilis. Tota ergo caro virginis erat decimabilis: sed non tota caro virginis, vt in potentia ad carnem Christi.

¶ Eodem modo respondetur ad quartum, quod obiicitur; quòd tota massa humani generis fuit corrupta in Adam.

¶ Ad quintum, quod obiicitur de circumcisione. Dicendum, quod non est simile de circumcisione, & decimatione: quia decimatio fiebat ratione naturæ, non ratione personæ: non enim in lumbis Abrahæ decimabantur homines in actu existentes. Circumcisio verò & oblatio fiebant ratione personæ: nec fuit ratio circumcisionis Christi propter se, vel propter culpam originalem: sed propter nos: & ad ostendendum pœnalitatem assumptam.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur contra rationem Apostoli. Dicendum quod ratio procedit, supposita propositione, quod Abraham fuit dignior omni sua posteritate: & hanc supponit iuxta opinionem Iudæorum. Consequitur igitur hoc supposito, quod si Abrahã est dignior Melchisedech, in quo figuratur sacerdotium Christi; Abraham est dignior Leui, & sua posteritate: ergo Melchisedech est dignior Leui; & sacerdotium eius, & ita sacerdotium Christi.

¶ Ad illud, quod obiicitur secundum authoritatem Aug. *Non decimabatur, nisi quod curabatur.* Secundum quosdam exponitur, decimabatur, id est, ad reddendam decimam obligabatur; quod curabatur, id est, q^d curatione indigebat. Sed aliter & meliùs exponitur. Decimabatur q^d curabatur: quia in oblatione decimarum Abrahæ curatio originalis morbi per Christum significabatur: vnde significatio curationis erat in oblatione Abrahæ: sed effectus erat per fidem Christi: & ideo non procedit obiectio. (August.)

¶ Ad illud, quod obiicit: quod oblatio decimarũ diminuebat concupiscentiam. Dicendum quod hoc non erat ex virtute sua: sed ex virtute gratiæ fidei offerentium: vnde non erat eis alligata gratia, sicut modo in sacramento baptismi alligatur gratia per Christum: cuius virtute originalis concupiscentia minuitur: tamen signatio diminutionis concupiscentiæ originalis erat in decima: sicut dicit Hugo. In lege naturali primò data sunt sacramenta, decimationes, sacrificia, & oblationes: vt in decimatione peccatorum remissio, in sacrificiis mortificatio, in oblatione boni operis exhibitio signaretur. Sed obscura fuit signatio in sacramento decimationis: vbi homo de his, quæ possidebat, partem obtulit: vt ad hunc modum quod erat imperfectionis, sibi tribueret; quod ad bonitatem spectat, Deo imputaret. Et hoc sibi voluerunt nouem partes retentæ, quia nouenarius signum imperfectionis est, à denario perfecto deficiens. (Hugo de S. Victore.)

¶ Ad vltimum dicendũ secundum Aug. quod omnia creata fuerunt secundum materiam, vel secundum similitudinem. Similiter dicendum: quod sunt filij Abrahæ secundum carnem, & sunt filij Abrahæ secundum fidem. Illi sunt filij secundum materiam, isti sunt secundum similitudinem: quia imitatores fidei Abrahæ. Benedictio igitur erat omnium in Abrahã, qui erant filij eius per fidem, id est, imitatores fidei eius: vnde. *Non enim qui secundum carnem, sunt filij Dei: sed qui filij promissionis existimantur in semine,* &c. Item: *Signum accepit circumcisionis, vt pater sit omnium credentium: non his, qui sunt ex circumcisione, sed his, qui sectantur vestigia fidei patris nostri Abrahæ.* De decimatione autem non est sic: quia decimatio est præsignatio faciendæ liberationis per Christum: quæ quò ad sufficientiam respicit omnes: sed quò ad efficaciam non omnes, sed tantùm electos. Hæc ergo est ratio, quare omnes decimabantur, non omnes benedicebantur. (Ad Rom. 9. Ad eundem 4.)

¶ Et quod obiicitur, quod gratia non est ex traduce, nec anima. Dicendum, quod licet vna anima non sit ab altera, nec gratia transfundatur ab anima in animam: vna tamen potest habere similitudinem, id est, exemplum credendi ab alia. Et sic patet solutio ad prædicta.

MEMBRVM IV.

An corpus Christi simul, vel successiuè conceptum, formatum, & assumptum fuerit?

Deinde quæritur de perfectione Dominici corporis. Ad quod August. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites: non carnem Christi sine deitate esse conceptam in vtero virginis, priusquàm susciperetur à verbo: sed ipsum verbum Domini sua carnis assumptione conceptum, ipsamq; carnem verbi assumptione conceptam.* Si ergo ipsum verbum assumpsit corpus perfectum & formatum totaliter: ergo simul corpus fuit conceptum & formatum. (Aug. in li. de fide ad Petrũ. Sco. in 3. d. 2. q. 3. Aug. c. 18. Tom. 3.)

¶ Item, August. *Non ex vtero virginis prius caro concepta est, & postea deitas venit in carnem; sed mox vt verbum venit in vterum, seruata proprietate naturæ, propriè factum est caro, & perfectus homo in veritate carnis & animæ.* (Idem in lib. de Trinit.)

¶ Contra. Aug. super Ioan. 2. *Soluite templum,* &c. Et subditur: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum,* &c. *Hic numerus perfectioni Dominici corporis conuenit: quot diebus forma corporis humani perficitur.* Ex quo arguitur, q^d prius fuit concepta caro Christi & formata, quam verbo vnita: sicut est in aliis corporibus, quæ prius concipiuntur & formantur, quàm animæ infundantur. (Idem super Ioan. 2. August.)

RESOLVTIO.

Simul, & illico.

¶ Responsio. Non hoc dixit August. vt negaret, quando caro illa esset concepta simul & formata & assumpta: sed quia membrorum distinctio in ipso momento conceptionis & vnionis adeo erat parua, vt humano visui vix posset subiici. In diebus autem illis, quos memorat, est notabilis facta. Et nota quod dicit August. de numero dierum perfectionis corporis Christi: conceptio humana sic dicitur procedere & perfici; vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem: nouem diebus conuertitur in sanguinem: deinde 12. diebus solidetur: 18. diebus formetur vsque ad perfecta membra: deinde vsque ad tempus partus in magnitudine augeatur. Quadragesimoquinto ergo & vno addito (quod summam significat) fit consummatio templi. Quod si multiplicetur hic numerus per sex, qui erat caput huius numeri: fiunt ducenti, & 76. id est, nouem menses, & sex dies: qui computantur ab octauo Calen. Aprilis (quo die conceptus Dominus creditur) vsque ad octauum Calen. Ianuarij: quo die natus est. Non ergo absurdè 46. annis fabricatum est templum; quod corpus eius significabat: vt quot anni fuerunt in fabricatione templi: tot dies fuerint in fabricatione corporis Dominici. Et sic patet quod hic numerus perfectioni Dominici corporis conuenit. (August. in lib. 83. qq. Quæst. 56. & lib. 4. de Trin. c. 5. & Enchirid. c. 86.)

QVÆSTIO X.

De Natiuitate Christi.

In sex Membra, & in quinq; Articulos diuisa.

D.Tho.3. pa. q. 35. S.Bon. in 3.d.8. & d.10.art. 2. Sco. ibidem. INQVISITIO de his, quæ pertinent ad conceptionem: inquirendum est de Natiuitate filij Dei in hunc modum. Primò, an diuina natura sit nata. Secundò, an duæ sint natiuitates filij Dei. Tertiò, an possint dici duo filij Dei. Quartò, vtrùm Christus sit filius adoptiuus. Quintò, vtrùm vniuocè dicatur filius Dei & filius virginis. Sextò, ad maiorem declarationem quæritur de filiatione secundum adoptionem.

An enunciare sit, Diuina natura nata est de virgine?

PRimò igitur dubitatur. Vtrùm diuina natura sit nata de virgine? Et videtur quòd sic: Idem est Deus quod diuina essentia: cum ergo verè dicitur, Deus est natus de virgine: ergo verè dicetur, diuina natura est nata de virgine.

¶ ITEM, diuina natura est incarnata: sed incarnatio ordinatur ad generationem: ergo diuina natura est genita: ergo nata.

August. ¶ ITEM, August. dicit expressè diuinam naturam concipi & nasci de humana natura.

¶ CONTRA, si diuina natura est nata de virgine: ergo diuina natura est filia virginis: quod est abusio dicere.

¶ ITEM. Omni, cui conuenit esse natum; conuenit esse ab alio: si ergo diuinæ naturæ nullo modo conuenit esse ab alio; nec ei conuenit esse natum: cum ipsa sit ens non ab alio.

RESOLVTIO.

Cùm nasci dicat esse ab alio, diuina autem essentia vel natura à nullo sit; iure dicere non est; diuina natura nata est de virgine.

¶ RESPONSIO. Dicendum pro regula: quòd nulla dictio significans proprietatem personalem creatam vel increatam conuenit diuinæ essentiæ. Inde est, quòd sicut diuinæ essentiæ non conuenit esse genitam vel generari; quia hæc est proprietas filij, quæ ponit esse ab alio & increata: ita non conuenit diuinæ essentiæ mitti vel nasci, quia in hoc quòd dico *mitti & nasci* intelligitur esse ab alio: quod nullo modo conuenit diuinæ essentiæ.

¶ AD primum ergo obiectum dicendum: quòd non est simile; nec sequitur, Deus est natus, ergo diuina essentia est nata. Quamuis enim hoc nomen *Deus* & diuina essentia significent idem; tamen alio & alio modo. Quia diuina essentia significat essentiam vt essentiam, id est, in absolutione ab omni relatione: & ideo non supponit personam: nec ei conuenit proprietas personalis: hoc nomen verò *Deus*, vt habentem illam essentiam significat: & quia hoc conuenit personæ habere essentiam diuinam; ideo hoc nomen *Deus* supponit personam, & ei conuenit proprietas personalis: quamuis ergo dicatur Deus natus; non tamen dicetur, essentia nata.

¶ AD secundum dicendum: quod non sequitur: incarnatio ordinatur ad generationem, ergo cum diuina essentia sit incarnata; est nata: nam incarnatio essentiæ non est ordinata ad generationem essentiæ; sed ad generationem personæ: & ideo non sequitur, quod diuina essentia sit nata de virgine, sed persona.

¶ AD vltimum dicendum: quod authoritates debent intelligi hoc modo: vt non dicatur concipi vel nasci, quantum est de se: sed hoc ratione personæ. Vnde sensus est, natura æterna non posset concipi vel nasci, &c. hoc est, ille, qui est natura diuina scilicet filius non posset concipi sine susceptione veritatis humanæ naturæ.

):(

MEMBRVM II.

An dicere sit, Christus bis natus est?

COnsequenter quæritur. An sint duæ natiuitates filij Dei. Et arguitur sic: Nunc æternitatis, & nunc temporis non faciunt numerum; quia æternitas cum tempore est: ergo nec faciunt bis: ergo cum Christus filius hominis natus sit in tempore, Christus filius Dei natus in æternitate; non est dicere quòd sit bis natus.

¶ ITEM, bis, dicit numerum & interruptionem temporum: ergo & discontinuationem & distantiam. Si ergo non potest poni distantia entis in æternitate, & entis in tempore; cum simul sint: non erit dicere bis natum Christum propter æternam natiuitatem & propter temporalem.

RESOLVTIO.

Iuxta variam acceptionem particulæ Bis, & dicere, & non dicere est.

¶ RESPONSIO. Hæc dictio *bis* dupliciter dicitur: quandoque enim significat numerum temporum: quandoque ordinem aliquorum se habentium secundum priùs & posteriùs. Secundum primum modum hæc dictio *bis* ponit interruptionem temporum vel vicissitudinem: & ideo secundum hunc modum non esset dicere Christum bis genitum. Secundum autem modum alium est dicere Christum bis genitum: quia per hoc notatur ordo generationis temporalis ad æternam: quia æternitas prior est tempore, & non tempus: ideo ratione natiuitatis æternæ & temporalis est dicere bis natum Christum, & etiam bis genitum.

MEMBRVM III.

An Christus possit dici duo filij.

COnsequenter quæritur. An Christus possit dici duo filij. Et videtur quod sic: quia cum filium esse dicatur ratione natiuitatis: & duæ sunt natiuitates Christi: ergo Christus est duo filij.

¶ ITEM, alia est substantia, de qua genitus est filius virginis: alia, de qua genitus est filius Dei: ergo duo erunt filij: ex quo substantialiter sunt duæ generationes.

¶ ITEM, generans dicitur ad genitum: si ergo sunt duo generantes, & duo geniti: ergo & duo filij.

¶ ITEM, persona consequitur naturam: ergo si plures naturæ sunt in Christo, & plures erunt personæ: quia multiplicato priori, multiplicabitur quod consequens est ad illud. Si ergo est generatio secundum plures naturas, necesse est plures personas esse genitas: ergo duo geniti personaliter: ergo Christus est duo geniti personaliter.

¶ ITEM; sicut se habet quantùm ad vnitatem & pluralitatem vniuersale ad singulare; sic se habet natura ad rem naturæ: si ergo plurium vniuersalium non est vnum singulare vel particulare: ergo nec plurium naturarum erit vna res naturæ: ergo nec vna persona. Sed Christus est genitus quantum ad duas naturas: ergo non est vna persona: ergo est duo filij.

RESOLVTIO.

Christus non duo filij, sed dupliciter filius dici potest.

¶ RESP. Dicendum, quod generatio non solùm comparatur ad natum: sed ad illud, ex quo est generatio: & ideo quamuis non multiplicetur natura, tamen multiplicatur generatio vel natiuitas ex parte eius, ex quo est generatio. Et ideo non sequitur, duæ generationes vel duæ natiuitates, ergo duo filij, vel duo nati: quemadmodum non sequitur: duæ dationes, ergo duo data: cum Dominus det seruo aliquid ad tempus, & post modum det ei ad perpetuitatem. Sicut etiam non sequitur: duæ factiones, ergo duo facta; sicut cum aliquis facit imaginem, & postea deaurat eam: Sed benè sequeretur: ergo factum dupliciter.

¶ Et per hoc patet responsio ad primum.

¶ Ad secundum dicendum: quod non sequitur: duæ sunt substantiæ, ex quibus est generatio: ergo duo filij: quia vnitas filiationis non est respectu eius, ex quo est generatio: sed eius, cuius est: hoc est ratione eius, qui generatur. Et quia generatio ista est vnius hypostasis siue personæ: ideo vna est filiatio & vnus est filius.

¶ Ad tertium dicendum: quod non sequitur: duo generantes, ergo duo geniti. Nam aliquid vnum & idem potest referri duobus differentibus secundum differentem habitudinem: nec ex hac relatione sequitur ipsum esse duo. Ita vnus & idem filius se habet relatiuè ad patrem per generationem diuinam, & ad matrem per generationem humanam. nec erit diuersa filiatio: sed est filiatio respectu diuersorum. Similiter nec erit duo filij: quia filiatio dicit proprietatem siue relationem personæ.

Boet. de duab. naturis.

¶ Ad illud, quod obicitur vltimo in duabus rationibus. Dicendum sicut priùs tactum est: quod (vt dicit Boëtius) persona non est in accidentibus, sed solum in substantijs: & non in quibuscunque, sed in rationalibus: & non in quibuscunque rationalibus, sed solum in indiuiduis. Sed vlterius addendum est, quod est quædam substantia indiuidua per se habens subsistentiam: quædam verò est, quæ non habet per se subsistentiam: sicut anima licet sit substantia rationalis indiuidua, non tamen habet per se subsistentiam, & ideo non est dicenda persona: persona enim consequitur naturam rationalem indiuiduam per se existentem vel subsistentem. Hinc est, quod cum humana natura in Christo non habeat per se subsistentiam, non habebit esse personæ: immò cum persona dicat substantiam completam non possibilem ad perfectionem digniorem; nullo modo dicetur persona secundum humanam naturam. Per hoc etiam patet solutio: non enim est verum, quod persona sequatur naturam quamcunque, sed naturam per se subsistentem. Præterea, non est vera comparatio: quod sicut vnum indiuiduum non potest esse diuersorum vniuersalium; quod vna persona non possit esse plurium naturarum: quia vniuersale dicit totum esse indiuidui: natura verò dicit vt partem vel quasi partem ipsius personæ: sicut patet, quod duæ naturæ sunt in vna persona in homine, scilicet anima & caro.

¶ Sed si obijceretur: quod per se subsistere, perfectionis est: cum ergo natura aliorum hominum sit per se subsistens, non autem natura humana in Christo: videbitur humana natura Christi esse imperfecta respectu naturarum aliorum hominum. Dicendum, quod esse vnibile perfectiori vel formæ digniori, non est imperfectionis; immò magis perfectionis: vt patet: quia vis vegetabilis perfectior est in sensibilibus quam in vegetabilibus: & tamen in vegetabilibus est per se, in sensibilibus verò est in vnione & ordine ad formam digniorem. Similiter vis sensibilis perfectior est in homine, vbi est in ordine ad rationem; quàm in brutis, vbi est per se subsistens. Similiter natura humana perfectior est in Christo; quia in vnione ad diuinam naturam, quam in alijs hominibus, vbi est per se subsistens.

MEMBRVM IV.

An Christus secundum quod homo dici possit filius adoptiuus.

Hilar. de Trin. lib. 2.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm Christus sit filius adoptiuus. Et videtur, quod sic. Hilarius: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur.* Ergo Christus secundum quod homo est filius adoptiuus.

August. de ratio. e San. torum ... de ...

¶ Item, Augustinus: *Ea gratia fit ab initio fidei homo quicunque Christianus, qua gratia ille homo factus est Christus.* Sed homo fit Christianus per gratiam adoptionis: ergo ille homo fit Christus per gratiam adoptionis: ergo est filius adoptiuus.

¶ Item, sicut conceditur, Christus secundum quod homo, est creatura, ergo similiter Christus secundum quod homo est filius adoptiuus.

Ad Philip. 2. Glossa

¶ Contra. *Dominus Iesus est in gloria Dei patris*, &c. Gloss. *inquantum homo assumpsit nomen Dei, non per gratiam adoptionis; sed per gratiam vnionis, scilicet, vt non sit adoptione Deus: sed verus Deus, cui flectitur omne genu.*

Ad Rom. 1. Ambros.

¶ Item: *Qui prædestinatus est filius Dei*, &c. Ambrosius: *Volui, reuolui scripturas: nunquam filium adoptiuum inueni.*

Aug. in Ecclesiast. dogmatibus.

¶ Item, Augustinus: *Natus est secundum veritatem naturæ ex Deo Dei filius: & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius: vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet.*

RESOLVTIO.

Cùm adoptio importet de non filio filium: Christus autem secundum quòd homo nunquam fuerit non filius; adoptiuus filius dici non potest.

¶ Respondeo. Cum adoptio sit, vt de non filio fiat filius, non est autem dicere quod Christus secundùm quod homo fuerit non filius: ideo secundum quod homo non potest dici filius adoptiuus.

¶ Ad authoritatem Hilarij, qua dicit: quod carnis humanitas adoptatur. Dicendum quod humanitas carnis potest accipi dupliciter: secundum speciem communem: aut secundum substantiam singularem. Nullo modo est dicendum: quod humanitas in Christo adoptetur secundum substantiam singularẽ. Secundum verò speciẽ communem posset dici adoptari humanitas in Christo: sed hoc non respectu Christi, sed respectu aliorum hominum, qui cum Christo communem habent humanitatem: vt diceretur humanitas adoptari secundum hunc sensum; quia quæ non habebat esse filij in alijs, in Christo habet esse filij. Et secundum hunc modum humanitas siue homo de non filio in alijs fit filius in Christo. Et secundum hoc dicitur humanitas adoptari in Christo.

August. vbi supra c. 15. Tomo 7.

¶ Ad aliud dicendum: quod est gratia creata informans animam: & est gratia increata causans creatam. Quando ergo dicit August. *eadem gratia, qua homo fit Christianus, & homo factus est Christus*: intelligitur de gratia increata, quæ est spiritussanctus: qua sicut causa efficiente efficitur homo Christianus: & ille homo factus est Christus. Gratia verò creata non eadem: quia: quia illa in homine puro est gratia adoptionis: in Christo verò homine gratia vnionis.

* Aliàs, fit.

¶ Item ad tertium dicendum: qđ adoptio ponit differentem statum humanæ naturæ: vnum in quo* fit non filius, quod non est inuenire in Christo secundum quod homo: creatura verò non ponit status differentiam, sed solummodo esse de nihilo: quod conuenit Christo secundum quod homo: Præterea, creatura ponit esse post non esse: adoptio verò benè esse post malè esse: quod nullo modo conuenit Christo secundum quod homo.

MEMBRVM V.

An Christus vniuocè dicatur filius Dei, & filius virginis?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm Christus vniuocè dicatur filius Dei, & filius Virginis. Et videtur, quod sic. Quia cum dicatur, filius hominis & filius Dei secundum rationem generationis naturalis ex vtraq; parte, non dicitur æquiuocè filius, sed vniuocè.

¶ Contra, filius virginis est per decisionem partis à virgine: filius vero Dei patris est non per decisionem, sed per totalitatem ipsius substantiæ, quam accepit a patre: ergo æquiuocè dicitur filius, non vniuocè.

RESOLVTIO.

Nec æquiuocè, nec vniuocè, sed analogicè.

¶ Respondeo. Non dicitur vniuocè, nec æquiuocè, sed analogicè, id est, secundum prius & posterius quemadmodum bonitas de bono creato & increato.

¶ Item, quæritur: vtrùm debeat dici filius natura-

Nam

[illegible] hominem [illegible] & [illegible] filius [illegible] Deus verò dicitur Deus [illegible] homo verò dicitur homo humanitate. * Christus enim Deitate dicitur Deus, humanitate homo, filiatione filius. Non igitur natura est filius, sed magis filiatione.

* al. Deitate vere dicitur Deus.

¶ Item, cùm essentia sit idem quod natura, poterit ne dici filius essentia, sicut filius natura?

¶ Respondeo ad primum, sicut [illegible] quod dicit Magister in Sententijs: Aliter dicitur Deus natura, aliter filius natura. Cùm enim dicitur Deus natura, ablatiuus est quasi formalis: sicut si diceretur Deitate Deus. Cùm verò dicitur filius natura, non est ablatiuus quasi formalis, siue quasi materialis, siue substantialis: vnde sensus est, filius natura, id est filius habens naturam. Vnde licet dicatur filius filiatione formaliter: nihilominus est Deus natura.

Magist. Sentent.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum dico essentiam; dico Deitatem absolutè: cùm verò dico naturam; dico Deitatem cum ratione generationis, scilicet filij. Natura enim est essentia habens virtutem producēdi ex se simile. Propterea quamuis concedatur, filius natura; non tamen cōcedi debet filius essentia in ablatiuo: cùm per ablatiuum significetur circumstantia materialis.

MEMBRVM VI.

De filiatione per adoptionem.

Consequenter quæritur ad maiorem declarationem de filiatione per adoptionem in hunc modum. Primò, vtrùm ratio paternitatis siue filiationis dicatur vniuocè de nobis & filio Dei. Secundò, vtrùm ratio, qua dicitur pater noster, conueniat patri tantùm, aut toti Trinitati. Tertiò, vtrùm Christus secundùm quod homo sit filius Trinitatis, siue filius adoptionis. Quartò, vnde sit in nobis filiatio. Quintò, vtrùm ante incarnationem fuerit filiatio.

ARTICVLVS I.

An ratio paternitatis, siue filiationis vniuocè dicatur de nobis, & de filio Dei?

Ad primum sic obijcitur. Vnum vni opponitur vno genere oppositionis. Si ergo alia est relatio, qua Christus dicitur filius patris, & qua nos dicimur filij patris: quia illa est increata, & ista creata: ergo alia relatio qua dicitur pater filij, & qua dicitur pater noster; ergo hęc paternitas est ab illa paternitate.

¶ Item, *Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum, &c.* Interlinearis. *Aliter dicitur meum, aliter dicitur vestrum: meum dicitur natura, vestrum verò gratia.* Ergo alia est ratio paternitatis & filiationis, qua dicitur pater filij: & qua dicitur pater noster.

Ioan. 20. Glossa.

¶ Contra, Augustinus: *Pater dicitur principium filij, quomodo genuit eum: & principium spiritus sancti, quomodo donum eius est: & principium creaturæ, quomodo creauit eam.* Et tamen propter has rationes diuersas nō multiplicatur ratio principij. Ergo cùm dicitur pater filij, & pater creaturæ; non multiplicabitur ratio patris respectu filij, & respectu creaturæ rationalis.

August. in lib. de Trin.

¶ Item, *Filiogenua mea ante Deum & patrem, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Ergo paternitas in cælo & in terra [illegible] hoc non dicitur secundùm rationem diuersam. Cùm ergo paternitas in cęlo sit, qua dicitur pater filij: paternitas in terra, qua dicitur pater noster: ergo non est differentia, cum dicitur pater filij, & [illegible] dicitur pater noster.

Ephes. 3.

RESOLVTIO.

Est [illegible] non [illegible] differentia secundum rem, sed tantum secundum modum.

¶ [illegible] Sicut [illegible] principium [illegible] [illegible] [illegible] parte [illegible]

[illegible] quod dicitur [illegible] non est dicere plura principia. Sic [illegible] cum dicitur pater filij, & pater noster [illegible] differentia paternitatis ex parte eius, qui dicitur pater, secundum rem, sed tantum secundum modum, sed ex parte eorum, ad quos dicitur pater. Sicut cum dicitur principium filij, dicitur personaliter; cum verò dicitur principium creaturæ, dicitur essentialiter. Similiter cum dicitur pater filij, dicitur personaliter: cum dicitur pater creaturæ, dicitur essentialiter; nec est ibi differentia secūdum rem, sed tantum secundum modum.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur, quod vnum non opponitur multis correlatiuè. Dicendum, quod falsum est, etiam in inferioribus: immò cum vnus est pater multorum, vnum opponitur multis correlatiuè. Dicendum est ergo, quod non multiplicatur relatio in parte secūdum essentiam, cùm dicitur: Deus est pater filij, & cum dicitur, est pater noster: sed solum est ibi differens modus, quamuis multiplicetur in ijs, qui sunt ab eo.

¶ Ad illud, quod dicit Glos. Aug. super Ioan. *Aliter dicitur meum, aliter vestrum, &c.* Dicendum, quòd gratia & natura nō faciunt distinctionem ex parte illius a quo; sed ex parte eorum, quæ sunt ab illo.

Glossa August.

ARTICVLVS II.

An ratio, qua Deus dicitur pater noster, toti Trinitati, vel Patri tantùm conueniat?

Consequenter quæritur, Vtrùm ratio paternitatis respectu nostri conueniat toti Trinitati. Et cùm filius secundùm rationem nominis non dicat respectum ad posterius, sed ad prius; & similiter spiritus inquantum spiritus: nomen autem paternitatis dicat respectum ad posterius: ergo non conuenit filio, quod dicatur pater noster, quemadmodum nec dicitur filius noster, quia filiatio dicitur in respectu ad prius; pari ratione nec spiritus sanctus.

¶ Item, abstractis personis ab essentia, adhuc remanet summa bonitas per intellectum quò ad nos. Sed summa bonitas quò ad nos non ostenditur nisi per impartitionem gratiæ; ergo adhuc intelligeretur impartitio gratiæ; ergo & filiatio. Ex quo relinquitur, quod esse filium per gratiam, non dependet à patre, & spiritu sancto.

¶ Contra. Ipse filius dicit in Euangelio: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* Ergo per consequens dicit se Patrem.

Matth. 9.

¶ Item, *Vnus Deus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus pater omnium.* Dicit Glos. *Pater omnium dicitur creatione: sed fidelium regeneratione.* Si ergo creatio & regeneratio est communis effectus trium personarum, ergo & ipsa paternitas.

Ephes. 4. Glossa.

RESOLVTIO.

Toti Trinitati: cùm tota Trinitas ad eam concurrat.

¶ Respondeo. Dicendum, quod pater noster dicitur communiter de tribus personis. Ad filiationem enim per gratiam requiritur, quod simus ad imaginem & similitudinem per gratiam: quod autem simus in esse gratiæ, hoc pertinet ad patrem: quod verò ad imaginem, ad filium qui est imago patris: quod autem ad similitudinem, ad spiritum sanctum, qui est similitudo, per quam assimilamur Deo. Prętereà à patre per filium regeneramur, ab vtroque per spiritum sanctum reformamur: ex quibus duobus est filiatio per adoptionem. Ex quo relinquitur, quod ratio paternitatis, qua dicitur pater noster, conuenit toti Trinitati.

¶ Ad illud, quod primò obijcitur. Dicendū, quod nomen paternitatis conuenit filio, non eò quod dicitur filius, sed eo quòd principium gratiæ redemptionis. Similiter spiritus sanctus, non eo quod dicitur spiritus, sed eo quòd nobis est in pignus æternæ hæreditatis. Vnde Augustinus. *Filium dedit in pretium redemptionis, spiritum sanctum in priuilegium adoptionis, se denique totum seruat hæreditatem adoptatis.*

August. in lib. de anima & spiritu.

¶ Ad [illegible]

fonis intelligeretur impartitio gratiæ, non tamen secundùm appropriatam rationem, vt gratiæ adoptionis. Ad gratiam enim adoptionis concurrunt duo in filijs Adæ, qui nascũtur filij iræ, siue filij diaboli: primum est redemptio à filiatione diaboli: secundum est adoptatio in filiationem Dei. Primum per appropriationem fit à patre per filium: secundum ab vtroque per spiritum sanctum. Vnde
Idem in eodem. Augustinus: *Pater tradidit filium, quo redimeret seruos: misit spiritum sanctum, quo seruos adoptaret in filios.*

ARTICVLVS III.

An Christus secundùm quod homo sit filius Trinitatis?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm Christus, secundùm quod homo sit filius Trinitatis. Et hęc quęstio suprà determinata est, vbi quæritur: quare Christus non dicatur filius spiritus sancti. Supra quæstione 8. membro 3. art. 4.

ARTICVLVS IV.

A quo, & per quod in nobis sit filiatio adoptionis?

Rom. 8. CONSEQVENTER quęritur, vnde sit in nobis filiatio. Nam dicitur: *Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd filij Dei sumus.* Ergo per spiritum sumus filij adoptionis.

Aug. in lib. de anima & spiritu. ¶ ITEM, suprà Augustinus: *Misit spiritum sanctum vt seruos adoptaret in filios.*

Rom. 8. Glossa. ¶ ITEM: *Non accepistis spiritum seruitutis, sed spiritum adoptionis: in quo clamamus, Abba pater.* Glos. *Timor castus, qui bonus est & perficiens, nos generat filios.* Ergo per timorem efficimur filij.

Ioan. 1. ¶ ITEM; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Ergo per fidem efficimur filij.

Ioan. 3. Ibidem. ¶ ITEM: *Quod natum est ex spiritu, &c.* Et sequitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto.* Ergo per sacramentum baptismi efficimur filij Dei, quia per illud regeneramur.

1. Ioan. 3. ¶ ITEM: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus: vt filij Dei nominemur, & simus.* Ergo filij sumus per charitatem.

August. ¶ ITEM, Augustinus: *Ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu sancto.* Ergo sumus filij per humilitatem.

Idem. ¶ IDEM Augustinus: *Compertum est nos esse filios per adoptionem per illum, qui est filius per naturam.* Ergo filij sumus per filium. Quæritur ergo de istorum differentia.

RESOLVTIO.

A patre, à filio, à spiritu sancto: per humilitatem, per gratiam sacramentalem, per timorem filialem, per fidem, per charitatem: sed diuersa ratione.

¶ RESPONDEO. Adoptio respicit causam increatã, & causam creatam. Causa increata est Trinitas dupliciter: per gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Per gratiam quidem hoc modo: pater per filium tollens filiationem diaboli in redemptione, & per spiritum sanctum conferẽs filiationem Dei: & hoc modo descendunt diuina ad nos. Ad gloriam autẽ: pater per spiritum sanctum reducit nos ad conformitatem filij, & filius reducit nos ad imaginem

Augus. in lib. de anima & spiritu. patris; vnde Augustinus: *Spiritus sanctus perducit Ecclesiam ad Christum: quam ipse sine macula & ruga tradet regnum Deo & patri.*

¶ CAVSA verò creata determinatur multipliciter, secundùm differẽtem considerationem. Nam causa disponens est humilitas, causa efficiens est gratia sacramenti; causa perficiens respectu patris timor filialis, respectu filij fides, respectu spiritus sancti charitas.

ARTICVLVS V.

An ante incarnationem fuerit filiatio per adoptionem?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm ante incarnationem fuerit filiatio per adoptionem? Et cùm dica-
Ioan. 1 tur, quod postquam verbum caro factum est; *dedit eis potestatem filios Dei fieri his, &c.* videtur quod ante incarnationẽ non fuerit filiatio per adoptionem.

¶ ITEM, dicitur in 3. Sentent. *Nos dicimur filij adoptiui: quia cùm natura fuerimus filij iræ,* Ephes. 2. *per gratiam facti sumus filij Dei.* Cùm ergo in statu innocentiæ non essent filij iræ, ergo nec poterant esse adoptiui filij: ergo Adam ante peccatum non fuit filius adoptionis. Mag... lib. 3 sen... dist. ... Eph...

¶ CONTRA, ante incarnationem, & ante peccatum, & post sancti erant filij: aliter non pertinerent ad hæreditatem. Vnde, *Verè tu pater noster es: & Abraham nesciuit.* Aut ergo filij naturales, aut adoptiui, aut solùm filij per creationem: sicut cætera. Non primo modo, nec tertio solùm: relinquitur ergo quòd filij secundo modo, scilicet adoptiui. Esai. 6...

RESOLVTIO.

Fuit; sed aliter quàm post incarnationem.

¶ RESPONSIO. Adoptio respicit duplicem terminum, à quo, & ad quem. Quãtum ad terminum à quo; refert in statu ante peccatum, & post peccatum: nam in statu post peccatum de filio iræ fit filius: in statu verò ante peccatum non de filio iræ, sed de non filio per gratiam fit filius: vnde post peccatum est contraria dispositio ad filiationem; in statu innocentiæ negatio filiationis. Quantum verò ad terminum ad quem, refert ante incarnationem, & post: nam ante incarnationem ex fide incarnationis erat filiatio in potentia, non in effectu: qui est cum cõsecutione hæreditatis. Post incarnationem verò & passionem erat filiatio in effectu cum consecutione hæreditatis; remota obligatione per passionem. Item refert adoptio ante peccatum, si non esset incarnatio: & post peccatum post incarnationem. Nam si non esset incarnatio, esset solùm hæreditas in terra fluente melle, scilicet in dulcedine diuinitatis tantùm. Per incarnationem verò est hæreditas aucta in terra fluente lac & mel, id est delectationem diuinitatis & humanitatis assumptæ in vnitate personæ filij Dei. Vnde, *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8.

QVÆSTIO XI.

De Gratia Christi in generali.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER inquirẽdum est de gratia Christi. Hæc enim quæstio præambula est ad cæteras; quæ sunt de potestate, scientia, voluntate, & merito Domini Saluatoris. Quærendum est ergo generaliter. Primò, an in Christo sit ponenda gratia, quæ dicitur vnionis. Secundò, an in Christo ponenda sit gratia, secundùm quam est caput. Tertiò, an in Christo ponenda sit gratia absoluta, prout consideratur vt quidam homo singularis.

MEMBRVM I.

An in Christo sit gratia vnionis?

AD PRIMVM obiicitur sic: In Christo est vnio diuinitatis ad corpus; Si ergo ipsum corpus non est susceptiuum gratiæ: ergo non vnitur corpus diuinitati, nec diuinitas corpori per gratiam. Minor patet, scilicet, quòd corpus non sit susceptiuum gratiæ: quia opposita nata sunt fieri circa idem: & quod non est susceptiuum vnius oppositi, non est susceptiuum alterius: peccatum verò & gratia sunt opposita, sed corpus non est susceptiuum peccati, ergo nec gratiæ: non ergo est aliqua gratia, quæ vniat corpus cum diuinitate. D Tho. 3 par. q. 7 & 8. S. Bo na 103. d. 4. art. 2. q. 3. & d. 13. per totũ Sco. ibid.

¶ Ex hoc vlterius arguitur: quoniam similis est ratio vniendi totam humanitatem diuinitati; si ergo corpus vnitur diuinitati sine gratia, ergo humanitas vnitur diuinitati sine gratia.

¶ AD illud potest dari responsio secundùm Ioan. Damascenum, quod diuinitas vnitur corpori mediante intellectu vel anima, & anima mediante gratia: & ita cùm anima sit susceptiua gratiæ, inde est quòd gratia est vinculum illius vnionis: quia corpus vnitur animæ, & per ipsam Damasc. lib. 3. de ... thod. ... c. 6

animam, quæ est susceptiua gratiæ, vnitur diuinitati.

¶ Sed contra obiicitur hoc modo: In triduo erat separata anima à corpore Christi; & tamen corpus Christi vniebatur diuinitati; ergo non vniebatur per animam: ergo in triduo non vniebatur corpus Christi diuinitati per gratiam. Sed idem est modus & fuit vniendi humanitatē cum diuinitate in conceptione Iesu Christi; & semper; cū ergo in triduo non fuerit hæc vnio per gratiam, ergo nec in eius conceptione.

¶ Item, ponatur per impossibile, quòd anima in triduo separetur à diuinitate; aut igitur propter hoc soluitur vnio diuinitatis ad corpus, aut non. Si non, ergo si non vnitur corpus diuinitati per gratiam nisi ratione animæ, ergo gratia non fuit medium vnionis in triduo, ergo illa vnio, quæ est in Christo, non fuit per gratiam.

¶ Item, potentior est virtus educens effectum sine medio, quàm cū medio; quia ex defectu virtutis est, quod indiget medio ad productionem sui operis. Sed virtus diuina est potentissima; ergo semper producit effectū suum sine medio. Cùm ergo eius effectus fuerit incarnatio sine vnio humanitatis ad diuinitatem in Christo: ergo hæc vnio fuit sine medio: ergo gratia non fuit medium in illa vnione: & sic in Christo non est ponere gratiam vnionis.

August. ¶ Ad Oppositvm. Augustinus: *Maior gratia nō potest cogitari, quàm quod filius hominis sit filius hominis.* Sed filius hominis est filius Dei per vnionem; ergo gratia vnionis est in Christo.

Idem. ¶ Item, Augustinus: *Quicquid conuenit filio Dei per naturam: conuenit filio hominis per gratiam.* Sed quòd hoc conueniat filio hominis, quod conuenit filio Dei; non est ex alia gratia, quàm quæ vnit filium hominis filio Dei; ergo necesse est ponere gratiam vnionis in Christo.

Ioan. 1. ¶ Item habetur: *Quod verbum caro factum est, plenum gratiæ, & veritatis.* Ergo est gratia vnionis verbi cum carne.

¶ Item, impossibile est creaturam per naturam creaturæ sublimari super creaturam, siue super statum creaturæ. Sed vnio humanitatis ad diuinitatem est sublimatio creaturæ super creaturam, siue super statum creaturæ, qua non potest cogitari maior: ergo non est aliquo modo per naturam humanæ naturæ, quòd vniatur ad diuinitatem; ergo necesse est quod sit per aliquid additū naturæ: quod eleuet ipsam super omnem naturam: sed illud est donum gratis datum, constat ergo gratia, &c. & cùm per illud fiat illa vnio, necesse est ponere gratiam vnionis omnino in Christo.

RESOLVTIO.

Cogimur prorsus in Christo vnionis gratiam ponere. Si quidem aliter humana natura possibile non erat ad tantam vnionem cum natura diuina eleuari & sublimari.

¶ Solvtio. Dicendum, & concedendum est, quòd in Christo sit gratia vnionis humanitatis ad diuinitatem. Et ratio huius est, quia non est possibile ipsi creaturæ humanæ per donum conditionis naturæ; quòd eleuetur & disponatur ad diuinam vnionem, & ideo necessaria est ei gratia, quæ eleuet & disponat ipsam ad vnionem diuinā; hanc autem gratiam dicimus gratiam vnionis.

¶ Ad primum quod obiicitur in contrarium, quòd corpus non est susceptiuum gratiæ. Dicendum, quòd susceptiuum gratiæ dicitur dupliciter; scilicet per se, & per aliud: sola rationalis creatura est susceptiua peccati per se, & gratiæ per se: corpus verò per accidens siue per aliud, scilicet per animam. Quia enim anima est perfectio corporis; & corpus est susceptiuum perfectionis ab anima; perfectio animæ, quæ est gratia, mediante anima suscipitur à corpore: quemadmodum erit in gloria: gloria enim erit in anima, & anima glorificata perficiet corpus: & inde erit in corpore gloria. Similiter est de gratia, quia anima est perfectio corporis, & gratia est perfectio animæ: & ideo mediante anima corporis est perfectio. Dicendum igitur, quòd in Christo sicut ipsa anima vniebatur diuinitati per gratiam vnionis; ita ipsum corpus per eandem gratiam vniebatur diuinitati mediante anima, sicut dicit Damascenus, quòd mediante intellectu vnitur diuinitati.

¶ Ad illud, quod postea obiicitur de triduo; & ad aliud quod sequitur. Dicendum, quòd in triduo vniebatur diuinitas corpori mediante anima; quamuis esset etiam separata à corpore. Nam anima ex quo vnitur corpori, relinquit in corpore dispositionem, quæ remanet in corpore, separata anima ab ipso; & illa dispositio est ipsius animæ sicut effectus: & propter hoc quicquid fit per illam dispositionem vel mediante illa, fit mediante anima * suæ causæ proximæ: mediante verò illa dispositione erat vnio diuinitatis ad corpus in triduo, & ideo dicitur quòd mediante anima fuit vnio, quia mediante dispositione derelicta ab anima in ipso corpore: per quam corpus ad vnionem disponebatur & tenebatur in vnione. Quod manifestatur sic: Augustinus mouet quæstionem de abortiuis fœtibus, vtrùm pertineant ad resurrectionem? Et dicit quod non: quia ipsum puerperium nondum fuit animatum, & propter hoc corpus abortiuum nihil sortitur ab anima; quia nondum fuit vnitum animæ; & ideo ex impressione animæ non sortitur dispositionem ad incorruptionem & perpetuitatem: & ideo omnino resoluitur in pristinam materiam. Corpus verò Herodis pertinet ad resurrectionem, sed non ad beatam: quia corpus eius vnitum fuit animæ; quæ erat substantia immortalis & perpetua: quæ tamen nullam habebat gratiam, nec condignitatem ad gloriam per gratiam: & inde est quod sortitur corpus per dispositionem ad esse perpetuum, sed non gloriosum: & vnietur iterum animæ Herodis. Vlteriùs est in corpore beati Petri: quia fuit vnitum corpus eius animæ, quæ erat substantia perpetua, & habens gratiam, ex qua erat in eo condignitas ad gloriam: & ideo ex eius impressione sortitur possibilitatem ad resurrectionem & ad esse perpetuum & gloriosum. Habet ergo corpus Petri, separata anima Petri ab ipso, possibilitatem ordinatam ad gloriam. Vlteriùs fuit in corpore Iesu Christi: quia plus fuit in ipso, quàm in aliis: quia non solùm erat gratia communis in anima sua, sicut in aliis animabus sanctis, sicut in anima Petri: immò vlterius in sua beata anima erat gratia vnionis ad diuinitatem. Sicut ergo in corpore Petri per vnionem ad substantiam perpetuam, quæ erat eius anima habens etiam gratiam, relinquebatur potestas in corpore Petri ad resurrectionem ad gloriam: eodem modo in Domino Iesu gratia vnionis, qua beata eius anima vniebatur diuinitati; relinquebat in corpore eius ab anima sua, quæ erat perpetua & gratiosa omni plenitudine gratiæ: possibilitatem ad esse perpetuum, & gloriosum, & ad diuinam vnionem. Abstracta verò anima, non abstrahitur impressio, quæ est ab anima in corpore: vnde in corpore Iesu Christi manet dispositio ad diuinam vnionem, separata anima; per quam dispositionem manet vnio corporis ad diuinitatem: quia quælibet materia sortitur proprietatem & dispositionem suæ formæ. Et ita anima Christi separata à corpore in triduo, illud, quod ex anima erat, scilicet impressio fuit medium vel dispositio vnionis corporis ad diuinitatem.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quòd potentior est virtus, &c. Dicendum, quòd gratia vnionis sit necessaria in Christo ad vnionem diuinitatis & humanitatis, non est de impotentia Deitatis; sed de impotentia humanitatis: quia ipsa Deitas de se potentiam habet actiuam sufficientem ad vniendum sibi humanitatem sine aliquo medio & adiutorio: sed ipsa humanitas impotentiam habet de se ad hoc quòd vniatur diuinitati: per conditionem enim naturæ impossibile est quod disponatur ad vnionem illam: quia oportet quod in illa vnione eleuetur supra omnem naturam & omnem creaturam.

(* * *)

* al. sicut sui causa proxima: vel sua causa proxima.

Aug lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 13 & Ench. ca. 84 & 85.

MEMBRVM II.

An in Christo, secundùm quod homo ponere sit gratiam, secundùm quam est caput Ecclesiæ.

CONSEQVENTER quæritur: An in Christo ponenda sit gratia, secundùm quam est caput Ecclesiæ? *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam; quæ est corpus eius.* (& hoc secundùm humanam naturam) Si ergo Christus est caput super omnē ecclesiam: & hoc habet ex dono patris, quia dicit, ipsum dedit, &c. & istud donum est gratia, ergo ex gratia habet, quòd sit caput Ecclesiæ. Ephes. 1.

¶ ITEM, Augustinus: *In Christo habitat omnis plenitudo gratiæ: sicut in capite, in quo sunt omnes sensus.* Ergo ipse est velut caput ex gratia Dei: ergo in ipso est gratia; secundùm quā est caput Ecclesiæ. Aug. ad Dardanū

¶ ITEM Hugo dicit: *Sicut spiritus hominis mediante capite ad membra descendit viuificanda: sic spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos: cuius plenitudo quidem est in capite, participatio verò in membris.* Hugo de S. Vict. li. de Sacramētis.

¶ AD oppositum supponitur hæc propositio, quæ asseritur à sanctis. *Corruptio originalis traducta est per peccatum Adæ, & per carnem traducitur in nobis:* quia enim caro est ex traduce, & ex carne generatur caro: ideo traducitur de carne in carnem per generationem. Sed gratia non traducitur; quia anima est subiectum gratiæ; anima verò non est ex traduce: vnde sicut non traducitur anima ab anima, ita nec gratia à gratia: sed cùm corruptio originalis sit in carne; sicut traducitur caro ex carne; ita corruptio. Ex his obiicitur; animæ non sunt ex traduce, immò sunt diuisè & distinctè à Deo creatæ immediatè, iuxta illud: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Ergo ab anima Christi non traducitur gratia ad animas nostras: ergo non perficiuntur animæ ab ipsa gratia animæ Christi; non potest ergo anima ipsius transfundere gratiam, nec influere ad animas nostras. Sed alia ratione non dicitur caput: nisi quia sicut caput vitam & spiritum trāsfundit aliis membris; ita Christus gratiam membris suis, quæ sunt fideles animæ. Cùm ergo hæc non possint esse: relinquitur quod in eo non est gratia, secundùm quam sit caput. Psalm. 3.

¶ ITEM, Augustinus: *Mens nulla interposita natura ab ipsa prima veritate formatur.* Sed hæc formatio nihil aliud est, quàm perfectio; quæ est gratia in anima vel in mente; ergo ipsa gratia est immediatè in animabus nostris ab ipsa prima veritate. August.

¶ ITEM, nullius creaturæ est dare gratiam: quia sicut anima immediatè est à Deo; ita eius perfectio, quæ est gratia; ergo gratia nullo mediante est à Deo; ergo cum Christus inquantum homo sit creatura, nō potest esse medium influentiæ gratiæ Dei ad nos. Sed alia ratione non dicitur habere gratiam, secundùm quam dicitur caput ecclesiæ: ergo non est in ipso ponenda gratia, secundùm quam dicatur esse caput ecclesiæ.

RESOLVTIO.

Prorsus in Christo secundùm quòd homo ponere est gratiam, secundùm quàm est caput Ecclesiæ, vt in medio, & per modum fidei, & per modum meriti, & per modum desiderij vel orationis, & per modum dispositionis.

¶ SOL. Dicendum quod in Christo secundùm quod homo est ponere gratiam, secundùm quam est caput Ecclesiæ. Ad istud intelligendum notandum est, quòd influentia gratiæ est à Deo sine medio, & per medium. Sine medio Christus secundùm quod Deus immediatè est dator gratiæ autoritate & in propria ratione efficientis, vnde dicitur: *Ego sum ipse qui deleo iniquitates propter me.* Per medium Christus secundùm quod homo multis modis. Est enim medium per modum fidei, per modum meriti, per modum desiderij siue orationis, per modum dispositionis. Per modum fidei, prout ipse consideratur in fide: fidei enim, quæ de Christo, siue de Deo homine est; disponit immediatè animam ad gratiam: immò impossibile fuit sine fide illa aliquem gratum esse Deo: vnde propter hoc dicit Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Gloss. *id est, per ipsum mihi alij placent.* Augustinus: *Sine fide mediatoris nunquam aliquis placuit Deo.* Similiter per modum meriti: quia per passionem suam meruit à Patre, vt daretur gratia omnibus credentibus in ipsum, & amātibus ipsum, secundùm quod dicitur: *Iniquitates eorum ipse portabit: & ideo dispartiam ei plurimos.* Similiter per modum desiderij, siue orationis; quia omnibus credentibus & desiderantibus gratiam, orat & desiderat, secundùm quod legitur; *Deus qui iustificat; quis est qui condemnet? Iesus Christus qui sedet ad dexteram Patris, qui & interpellat pro nobis.* Et, *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ipse enim est medium, sicut aduocatus & orans pro nobis, vt nobis detur gratia. Isai. 44. Matth. 3. Glossa. August. Esai. 53 Rom. 8. 1. Ioan. 2.

¶ ITEM per modum dispositionis quantum ad naturam; quia tota natura humana ante incarnationem erat digna odio & reprobatione propter peccatum originale; sed cùm fuit natura humana assumpta à filio Dei in vnitate personæ, disponebatur ratione prædestinatorum ad gratiam dispositione congruitatis siue dignitatis. Sicut ergo per vnum hominem fuit lapsa: ita per vnum hominem Deum, scilicet Christum per vnionem cum diuinitate fuit disposita ad iustificationem, vnde dicitur: *Sicut per vnius delictum omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam omnes homines in iustificationem vitæ.* Quia dedecens esset filio habenti humanam naturam: si ipsa tota perderetur. Rom. 5.

¶ AD PRIMVM in contrarium dicendum: quòd peccatum traducitur vno modo, & gratia alio modo. Peccatum enim traducitur per naturam corruptionis; gratia verò per Spiritum sanctum. Sicut ergo videmus continuationem ab Adam vsque ad vltimum filium Adæ; & hanc continuationem facit natura: & quia ipsa corrupta fuit in Adam, ideo corrupta est in omnibus aliis: & ideo per ipsum traducitur corruptio originalis in filiis Adæ. Sic spiritus sanctus, per quem abundat gratia in anima Christi quantum ad omnem gratiæ actum, in aliis sanctis consimilem gratiam infundit. Et sicut vnus est spiritus capitis & membrorum, viuificans caput & membra: sic idem est spiritus, per quem in nobis est gratia, & in Christo. Et hoc est quod dicit Hugo: Sicut spiritus hominis mediante capite ad membra descendit viuificanda; sic spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos: cuius plenitudo quidem in capite, participatio verò in membris; vnde spiritus ille plenissimè viuificat caput, consequenter alia membra: & in capite sunt omnes sensus, in membris verò est sensus vnus, scilicet tactus; sicut dicit Augustinus. Est ergo hoc modo gratia in nobis ab anima Christi per spiritum sanctum. Hugo de Sacramētis, lib. 2. par. 2. c. 1.

¶ AD aliud, quod opponitur; quòd mens nulla interposita natura ab ipsa prima veritate formatur. Dicendum, quòd aliud est dicere animam formari per gratiam, & animam accipere gratiam. Inter formationem animæ per gratiam & Deum, nullum est medium: immò ipsa Trinitas format ipsam, id est, reducit in diuinam formationem, & similitudinem: & hæc formatio est gratificatio. Sed in acceptione gratiæ ab anima potest incidere medium: quia acceptio respicit dantem & accipientē: sed inter dantem & accipiētem potest esse medium: medium dico vel fidei, vel meriti, vel aliorum modorum, quos diximus supra.

¶ AD aliud, quod obiicitur, quòd nullius creaturæ est dare gratiam. Dicendum, quòd dare gratiam per modum authoritatis solius Dei est: sed dare gratiam per modum impetrationis & meriti, & sic de aliis modis, potest esse creaturæ: & sic est ipsius Iesu Christi secundùm quod homo.

(***)

MEMBRVM III.

An & in ipso ponere sit gratiam singularis sanctitatis, secundùm quam sit, vt quidam homo sanctus.

CONSEQVENTER quæritur, An in Christo ponenda sit gratia absoluta, vt consideratur vt quidam homo singularis: sicut in aliis hominibus sanctis. Et ostenditur quod non: quoniam maior lux absorbet minorẽ: gratia vnionis, qua homo vnitur Deo, vt sit idem homo quod Deus; est maior gratia, quæ possit cogitari: vnde est sicut maior lux: gratia verò singularis sanctitatis in homine singulari est sicut minor lux: ergo hæc gratia in Christo, qua diceretur factus homo singularis; absorbetur per gratiam vnionis hominis ad Deum: quæ est in Christo: ergo in Christo non est ponenda talis gratia.

¶ ITEM, gratia vnionis est summa; quia maior cogitari non potest: est ergo sufficiens ad omnia operabilia, quæ potest efficere gratia. Sed vanum est ponere per plura, ad quod sufficit vnum: si ergo gratia vnionis sufficit ad omnia operanda: ergo cum ipsa sit in Christo; vanum esset ponere gratiam singularis sanctitatis.

Esai. 11. ¶ AD oppositum: *Requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientiæ & intellectus*, &c. Et loquitur de Christo. Sed hæ sunt singulares gratiæ donorum, seu virtutum: ergo in ipso sunt gratiæ singulares virtutum. In ipso ergo est ponere gratiam singularis sanctitatis, secundum quod est quidam homo, sicut in aliis.

RESOLVTIO.

Adhuc & gratiam hanc in Christo ponere est, vt nil gratiæ sibi desit, quæ ab homine haberi possit.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod in Christo fuit gratia singularis sanctitatis, secundũ quam esset quidam sanctus homo: ita vt nihil deesset sibi de gratia, quæ posset haberi ab homine. Item, ipse fuit homo Deus: & ideo necessaria fuit in eo gratia vnionis: quia quod sit homo Deus, hoc habet ipse per vnionem. Item, ipse fuit mediator Dei & hominis: & ideo fuit gratia in ipso, secundum quam esset caput: vt esset medium influentiæ gratiæ in nobis, sicut caput ad alia membra.

¶ AD primam rationem in contrariũ dicendum: quod non est simile de luce corporali, & spirituali. In luce enim corporali minor lux absorbetur à maiori: sed non in luce spirituali. Et hæc est ratio: quia omnia lumina corporalia sunt ad vnum actum scil. ad manifestandum visibile (& loquor de ipsis quantum ad illuminationẽ) & ideo quantum ad manifestationem vnum absorbetur ab alio. Sed tamen quantum ad virtutem non absorbetur vna lux per aliam: vnde virtus stellæ non absorbetur per virtutem solis: nec virtus lunæ: immò retinent stellæ & luna speciales operationes & influentias suarum virtutum ad ista inferiora. Licet enim luna non luceat de die, vt illuminet nos; tamen retinet suam virtutem: nec absorbetur à virtute solis; immò potius ab ipsa fortificatur & multiplicatur; & virtutes stellarum similiter. Vnde in luminaribus cœlestibus fortificatur & multificatur virtus vnius luminis, quando coniungitur cum alio. In luce verò spirituali, quæ est gratia, non sunt omnia luminaria ad vnum actum, sed ad diuersos, per quos dirigunt animam & illuminant diuersimodè: sicut fides illuminat animam & dirigit ad credendum, & manifestat ei, quid debet credere: charitas ad diligendum. Et propter hoc vna non absorbetur ab alia in anima, sed fortificatur per coniunctionem cum altera. Sic ergo in Christo gratia vnionis & aliæ gratiæ non sunt ad vnum actum; & ideo vna non absorbetur ab alia.

¶ AD aliud dicendum; quod non est vanum ponere istas gratias in Christo, siue gratiam sic multiplicatam: quia ad diuersa sunt. Dico tamen, quòd vna est gratia secundùm essentiam in Christo; non tamen est vna, considerando operationem, vel actum; quia alius actus est vnire humanitatem diuinitati: alius actus influere gratiam, & esse exemplar ad omnes animas sanctas, per spiritum sanctum. Item, sua anima poterat cogitare de summa bonitate, & amare eam: & hic est alius actus à prædictis. Secundùm primum attenditur in Christo gratia vnionis; quantum ad secũdum gratia, secundùm quam est caput Ecclesiæ, siue medium influentiæ gratiæ in animabus nostris: quãtum ad tertium gratia singularis sanctitatis. Et ita cùm isti actus non superfluant, sed verissime sint in Christo: adeo non est vanum ponere istas gratias in Christo.

QVÆSTIO XII.

De gratia Christi in speciali.

In tria Membra, & quinque Articulos diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de omnibus istis gratiis in speciali. Primò videlicet de gratia vnionis. Secundò de gratia, secundùm quam est caput. Tertiò verò de gratia singularis sanctitatis. D. Tho. 3 part. q. 7. & 8. S. Bo. in 3. d. 4. art. 2. q. 3. & d. 13 per totum. Sco. ibid.

MEMBRVM I.

De gratia vnionis.

PRIMÒ ergo quæritur de gratia vnionis, hoc modo. Primò de essentia ipsius gratiæ vnionis absolutè. Secundò, de essentia ipsius per comparationem ad gratiam, secundùm quam Christus dicitur esse caput.

ARTICVLVS I.

An gratia vnionis in Christo creata vel increata sit?

AD PRIMVM ergo quæritur de gratia vnionis absolutè, vtrùm sit creata, vel increata? Et ostenditur, quod sit increata hoc modo: Nulla creatura habet actum super creaturam effectiuè vel formaliter: sed gratia vnionis est ad actum, qui est super omnem creaturam, scilicet vnire humanitatem diuinitati: (Vniri enim diuinitati; quæ est principium omnium creaturarum; est suprà omnem creaturam) ergo causa effectiua vel formalis illius vnionis est supra omnem creaturam; ergo non est creatura, est igitur increata.

¶ ITEM: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ex hoc obiicitur: nihil coniungit, vel coniungere potest vanitatem veritati nisi veritas; cùm ergo humana natura sit vanitas, diuinitas sit veritas: ergo cùm nulla creatura sit veritas, nulla creatura potest esse coniungens Deitatem humanitati; vel econuersò humanitatem Deitati. Si ergo gratia vnionis est illud, per quod fit vnio ista; ergo gratia vnionis non erit creata. Eccl. 1.

¶ ITEM, *Pater diligit filium: non enim ad mensuram dedit ei spiritum.* Ex hoc arguitur: omnis creatura est in mensura, quia omne creatum est mensuratum, & creatum sub certa mensura, sicut habetur: *Omnia in pondere, numero, & mensura disposuisti.* Sed spiritus, qui datus est ipsi Christo in vnione, est sine mensura; ergo non est creatus. Spiritus autem ille dicitur gratia, ergo gratia data Christo in vnione, est increata. Ioan. 3. Sap. 11.

¶ ITEM, *Prædestinatus est filius Dei in virtute, &c.* super illud dicit Augustinus: *Nos sumus filij gratia, ipse autem filius natura. Si quæratur, an ad hominem referatur? sanè dici potest. Id est, si quæratur, si ipse homo sit filius per naturam patris? sanè potest dici.* Sed ipse homo non est filius nisi per vnionem; ergo vnionis gratia facit illum hominem esse filium natura, hoc est esse illum filium, qui est filius patris æternaliter. Sed hoc non posset facere aliquod temporale; ergo gratia vnionis non est temporalis: est igitur æterna, ergo increata. Rom. 1. Aug. super ibi.

¶ AD oppositum dicit Rabanus: *Cùm spiritus sanctus datur: hoc est non tantùm secundùm essentiam intelligendum, sed secundùm dona eius.* Ergo cùm dicimus ipsum datum Christo non ad mensuram; non debemus solùm intelligere de essentia spiritus sancti, sed etiã de donis spiritus sancti, quæ sunt sapientia, intellectus, &c. sicut habetur Esai. 11. Si ergo spiritus vel gratia in illis donis est creata, ergo in Christo præter spiritum sanctum fuit gratia vnionis creata. Rabanus Esai. 11.

¶ ITEM,

¶ ITEM, conditio humanitatis Christi non præcedit tempore vnionem ipsius humanitatis cum diuinitate; licet præcedat tempore naturæ. (Simul enim tempore fuit condita & vnita.) In ipsa ergo vnione humanitatis Christi ad diuinitatem, aut ipsi humanitati aduenit aliqua dispositio, quæ non est naturæ, sed superadditur naturæ: aut non aliqua, quæ non sit naturæ. Si dicatur, quòd non aduenit ei aliqua dispositio, quæ non sit naturæ. Ex hoc sequitur, quòd non plus se habet ad hoc quòd vniatur hæc humanitas Christi ad diuinitatem, quàm alia humanitas: hoc autem falsum est, & inconueniens: ergo aduenit ei aliqua dispositio, quæ non est naturæ humanæ: ergo superaddita est & ei gratis data ad vnionem ipsius cum diuinitate; ergo ipsa est gratia vnionis; necessaria est ergo creata dispositio ipsa gratia vnionis.

RESOLVTIO.

Gratia vnionis in Christo in creata & increata. Disponens quidem vel præparans, creata: completa verò & perficiens (quæ spiritus sanctus est) increata.

¶ SOLVTIO. Intelligendum est primò ad solutionẽ huius quęstionis, quod gratia vnionis duplex est. Est enim gratia vnionis disponens; & est gratia vnionis complens. Disponens est gratia creata; complens verò & perficiens est gratia increata; & hæc est ipse Spiritus sanctus. Ipse enim Spiritus sanctus non solùm per appropriationem est donum, sed etiam per suam proprietatem est amor procedens à patre & filio; quia amor est per proprietatem, ideo est donum per proprietatem: quia illud, quo propriè datur aliquid alij, est amor. Vnde amor est ratio doni, & est illud, quod primò donatur: quia si ex alia causa datur aliquid quàm ex pura liberalitate & amore; non est donũ propriè: vt si detur aliquid ex timore, non est donum, sed *redemptio debiti: similiter si ex cupiditate detur, non est donum, sed quæstus. Ergo donum propriè resp c t liberalitatem & amorem dantis. Quia ergo Spiritus sanctus est amor, ideo est donum; & quia est donum, ideo ipse est gratia. Ipse ergo est gratia increata. Gratia verò creata est ipsa dispositio, quæ ab increata relinquitur: quæ dispositio non est aliud, quàm Deiformitas, vel diuina assimilatio.

* al. redditio

¶ DICENDVM igitur: quòd est gratia vnionis duplex, creata, & increata. Gratia increata est spiritus sanctus: qui est sicut complens & perficiens vltimò istam vnionem; sed gratia creata est disponens ad hanc vnionem ex parte humanitatis. Et causa, propter quam oportet ponere illud duplex medium in vnione, hæc est; quia maximè distant substantia creata, & increata; scilicet diuinitas & humanitas: vnde ad hoc quòd cõueniant in vnionem, necesse est quod veniat medium in duplici ratione; medium autem est gratia vnionis, quæ interuenit ad illam vnionem. Cùm igitur ex vna parte sit substantia creata, scilicet humanitas; ex alia parte sit substantia increata, scilicet diuinitas: oportet quod gratia vnionis illarum sit gratia creata, & gratia increata. Sed non potest esse vna gratia creata, & increata: ergo oportet quod sit duplex; oportet igitur duplex esse medium in vna vnione; gratiam increatam ex parte diuinitatis, & gratiam creatam ex parte humanitatis. Et sic patet; quòd in illa vnione necesse est esse duplicem gratiam, quæ sit medium vnionis, scilicet gratiam creatam, & increatam: quæ est Spiritus sanctus.

¶ RATIO autem, propter quam hoc magis attribuitur spiritui sancto, quod sit gratia increata vnionis, quàm alij personæ, hæc est. Secundum enim illud, quod propinquius est nobis ex parte diuinitatis, secundum illud debet esse vnio Deitatis ad humanitatem, quæ est natura nostra: quia quæ vniuntur, maximè vniuntur in eo, in quo appropinquant: propinquius autem dicimus participatione vel communione. Secundùm enim quod Deitas participatur & communicat se creaturæ; dicitur accedere vel appropinquare, non aliter. Vnde Augustinus hoc modo ponit fieri vnionem animę cum corpore; quòd anima secundùm illud, secundùm quod magis appropinquat cũ corpore, vnitur corpori: hoc autem est infimum ipsius animę; quia illud quod est infimum ipsius animæ, maximè accedit ad naturam corporis. Similiter corpus secundùm illud, secundùm quod magis appropinquat animæ, vnitur cum ipsa anima: hoc autem est supremum corporis. Corpus enim secundùm supremum suum, quod est spiritus, magis appropinquat ad naturam animæ; quia illud supremum est subtilissimum, quod sit in corpore: & quia magis accedit ad naturam animæ, ideo est medium ex parte corporis ad vniendum corpus cum anima. Similiter est in parte ista; prout possumus per quandam similitudinem dicere: quia secundùm illud, secundùm quod magis accedit diuinitas ad humanam naturam; secundùm illud ex parte humanitatis dicitur esse vnio diuinitatis cum humana natura in Christo. Illud autem, secundùm quod magis accedit diuinitas ad humanam naturam, est Spiritus sanctus, sicut dicit Augustinus, inquiens: *Quòd omnis vsus Deitatis est nobis ex munere, qui est spiritus sanctus: vnde per ipsum est nobis communio totius Trinitatis.* Et ratio huius est; quia spiritus amor est: illud enim, per quod communicat se Trinitas, est amor: amor autem essentialiter & personaliter in ipsa Trinitate est spiritus sanctus; & ideo per ipsum est nobis communio Deitatis, quæ communio Deitatis summa fuit in ipsa vnione ipsius ad humanitatem in Christo in vnitate personæ: & ideo spiritus sanctus potius dicitur medium istius vnionis ex parte Deitatis, quàm alia persona. Item dicit Dionysius: *Amor est vis vnitiua*: si ergo debet vniri diuinitas humanitati; magis debet ei attribui, quod sit ratio vel medium huius vnionis, quàm alij: quia amor est spiritus sanctus per proprietatem. Item spiritus sanctus est nexus, & vinculum, & communio patris, & filij, vt dicit Augustinus: & hoc, eo quod est amor. Sicut ergo spiritui sancto conuenit esse vnionem diuinarum personarum in diuina natura, & est ostensiuum vnitatis earum; ita conueniet ei, vt sit vnio naturarum in vna persona filij.

Aug. in li. de anima & spiritu

Idem in eodem.

Dionys. in lib. de diuinis nominib. c. 4. part.

August.

¶ DEBEMVS præterea intelligere gratiam creatam vnionis in Christo in tanta perfectione, & consummatione, & excellentia; vt non solùm disponat ad amorem & cogitationem Dei creatam; & talem, qualem competit homini Deo; sed vlterius ad vnitatem personalem cum Deo, ita disponendo: quòd quicquid conuenit filio Dei per naturam, conueniat filio hominis per gratiam, sicut dicit Augustinus. Et sic gratia vnionis creata est perfectissima assimilatio creaturæ rationalis ad Deum, quæ possit esse, aut intelligi. Gratia verò vnionis increata est spiritus sanctus.

Idem.

¶ AD PRIMVM ergo, quod obiicitur in cõtrarium. Dicendum, quod si loquamur de forma complente: sic nulla creatura potest se habere formaliter ad actum supra omnem creaturam; sed loquendo de forma disponente: sic potest se habere formaliter ad ipsum aliquo modo: quia potest ad ipsum disponere, sed non ipsum complere. Hoc ergo modo se habet gratia creata ad vnionẽ in Christo formaliter ex parte humanitatis; quia ipsa est velut forma disponens ex parte humanitatis. Gratia verò increata, quæ est spiritus sanctus; est complens & perficiens illam vnionem.

¶ AD aliud dicendum; quod gratia creata habet duplicem respectum: secundùm quod dicimus, quòd omnis creatura duplicem habet respectum; quia creatura comparatur ad illud, à quo est; & ad illud de quo est. Si respiciamus illud à quo est; sic inuenimus Deum, quia est à Deo. Si respiciamus illud, de quo est; sic inuenimus nihilum: quia omnis creatura, inquantum creatura de nihilo est. Ex hoc verò quòd creatura est de nihilo, ex hoc est vanitas; & habet esse vertibile, sicut dicit Damascenus. Sed ex respectu ad illud, à quo est; quod est prima veritas, scilicet Deus: ex hoc ipsa creatura habens esse verum, & non est secundùm hoc vanitas.

Damasc.

¶ AD aliud patet solutio; quòd in Christo est gratia vnionis duplex: scilicet creata, & increata. Gratia vnionis increata illa est infinita & sine mensura: & hæc est spiritus sanctus:

Ioan. 3. [illegible]: & de hac loquitur Ioan. Non est ei datus spiritus ad mensuram. Sed gratia vnionis creata est in mensura, & de hac non loquitur Ioan. Vnde nullum est inconueniens, quòd dicatur gratia eius increata infinita, & quod in ipso sit gratia creata finita. Istud tamen inuenies planè deter-
Par. 1. q. 6. minatum in primo Libro, in Quæstione de infinitate diuinæ essentiæ.

¶ Vltimvm iam per dicta patet.

ARTICVLVS II.

De gratia vnionis per comparationem ad gratiam secundùm caput.

Consequenter quæritur de gratia vnionis per comparationem ad gratiam, secundùm quam est caput. Et primo quæritur: an gratia vnionis sit eadem cum gratia, secundùm quam est caput. Secundò quæritur, quæ illarum gratiarum sit prior.

An gratia vnionis in Christo eadem sit cum gratia, secundùm quam caput ecclesiæ est. §. 1.

August. ¶ Ad primum arguitur sic, Augustinus: *Nulla maior gratia cogitari potest, quàm quod filius hominis sit filius Dei.* Sed hæc est gratia vnionis, ergo nulla maior gratia potest cogitari, quàm gratia vnionis: hæc ergo est in Christo, de qua ha-
Ioan. 1. betur: *De plenitudine eius accepimus omnes gratiam.* Et illa gratia, de qua nos accepimus, est illa, secundùm quam Christus est caput, ergo gratia vnionis in Christo est gratia illa, secundùm quam Christus est caput.

Hugo de S. Vict. de Sacramētis, lib. 2. par. 1. c. 1. ¶ Item, Hugo dicit: *Vnus est spiritus, qui per Christum venit ad Christianos, cuius plenitudo in capite, & participatio in mēbris.* Sed plenitudo spiritus in capite est gratia vnionis: ipsa verò participatio, quæ venit à capite in membra, est gratia, secundùm quam est caput: quia ex illa fluit participatio in membris, ergo eadem est hæc gratia cum illa.

¶ Ad oppositum. Ad alium actum est gratia vnionis, & gratia secundùm quam est caput, ergo est alia & alia gratia. Maior patet; quia gratia vnionis est ad vniendum humanitatem cum deitate, alia ad vniendum caput & membra; sed isti sunt actus diuersi, ergo ab alia & alia gratia.

RESOLVTIO.

Et eadem, & non eadem: diuersa ratione.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd gratia vnionis intelligitur gratia creata, & gratia increata. Et similiter gratia, secundùm quā Christus est caput, intelligitur gratia creata & increata. Si ergo intelligas ex vtraque parte gratiam increatam; dico quod eadem est gratia vnionis increata, & gratia secundùm quam est caput: increata re, & ratione, scilicet spiritus sanctus. Et hoc vult dicere autoritas Hug. scilicet quòd vnus est spiritus, qui per Christum venit ad Christianos: cuius plenitudo in capite, & participatio in membris. Si autem intelligamus gratiam vnionis creatam, & gratiam secundùm quam est caput creatam; sic differt gratia à gratia secundùm rationem, & non secundùm substantiam. Sicut si diceretur, quod eadem est lux, quæ plenissimè lucet in sole; & per quam est influentia luminis à sole per radios ad ista inferiora. Similiter eadem est gratia vnionis, quæ ex sua plenitudine lucet in Christo, & quæ habet virtutem lucendi, & lucet, & radiat ab ipso in alijs, scilicet in membris: & eadem secundùm substātiam. Secundùm quod lucet in Christo vniens humanitatem deitati, dicitur gratia vnionis: sed secundùm quod ab ipso radiat in membris, dicitur gratia secundùm quam est caput.

¶ Et per hoc soluitur ratio in contrarium, quia non ostendit diuersitatem essentię, sed secundùm respectus, qui solum sunt secundùm diuersas rationes gratiæ.

An vnionis, vel capitis gratia prior sit? §. 2.

¶ Consequenter quæritur, quæ illarum gratiarum sit prior; cùm differāt secundùm intelligentiæ rationem, an gratia vnionis, vel gratia secundum quam est caput? Et videtur, quòd gratia vnionis sit prior; quia quo posito, ponitur aliud; & quo remoto, remouetur: illud est est prius illo natura. Sed posita gratia vnionis, ponitur gratia secundum quam est caput: & remota hac, remouetur illa: ergo prior est gratia vnionis natura, quàm illa.

August. ¶ Item, caput est prius vnitum animæ: & postmodū influit vitam, & sensum alijs membris. Similiter dicit Augustinus: *Humanitas Christi vnitur deitati quasi animæ: quia deitas est vita ipsius humanitatis.* Ex hoc ostenditur Christi humanitas caput: quia infundit ad alios vitam spiritualem, & sensum. Sed caput prius recipit vitam & spiritum, quàm influat: ergo humanitas Christi prius vnitur deitati, quàm influat alijs vitam spiritualem, ergo prior est gratia vnionis, quàm gratia influentiæ, secundùm quam est caput.

Ad oppositum, gratia vnionis non fuit nisi tempore incarnationis Christi: quia nō fuit quousq; vniretur humanitas Christi diuinitati. Sed gratia secundùm quam dicitur caput, fuit ante incarnationem iuxta autoritates Sanctorum: quia illa fuit à primo iusto, & influebat in omnibus iustis (sicut in Abel & in sanctis patribus) vitam & lumen gratiæ ratione fidei mediatoris: ergo prior est gratia, secundùm quam est caput, quàm gratia vnionis.

¶ Si dicatur, quòd gratia vnionis erat in fide, & ideo præcedebat gratiam influentiæ, sicut in Abel erat fides de incarnatione Christi: & ita fides de gratia vnionis: & ex hac fide sequebatur influentia gratiæ in ipso. Tunc obijcitur. Esse in fide, non est esse simpliciter, sed secundum quid, ergo esse gratiæ vnionis in fide, non erat esse simpliciter: sed alia simpliciter erat, scilicet gratia influentiæ, secundum quam est caput; quia influebat alijs: ergo prior est simpliciter gratia influentiæ, secundùm quam est caput; quia influebat alijs: ergo prior est simpliciter gratia influentiæ quàm vnionis.

RESOLVTIO.

Secundùm rationem intelligendi gratia vnionis prior est gratia capitis.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd Christus dicitur esse caput ratione fidei: vnde eo ipso est caput, quo creditur. Et fides nostra & antiquorum eadem est; quamuis enim per tempora varietur, vnum tamen est creditum, & idem: & tamen nos credimus Christum incarnatum, ipsi verò crediderunt incarnandum, siue futuram incarnationem: & quia creditum idem, ideo fides vna modò & tunc, sicut
August. dicit Augustinus, *ideo vnum caput omnibus credentibus in Christum modò & tunc: quia non est fides de homine tantùm, sed de homine Deo.* Hæc autem non mutabatur ante incarnationem & post. Ex hoc verò qđ est fides de homine Deo, creditur gratia vnionis: ex hoc verò ꝙ creditur gratia vnionis, est Christus vel homo Deus nobis caput, & nos mēbra eius, aliter non, scilicet nisi habeamus fidem de homine Deo, siue de Deo homine. Est ergo prior secundùm rationem intelligentię gratia vnionis, quàm gratia secundùm quam est caput: licet eadem sit secundùm substantiam, quia aliter non esset caput nostrum, nisi crederemus gratiam vnionis.

¶ Ad rationes in contrarium dicendum: quòd gratia, secundùm quam est caput, ponit esse simpliciter ex parte deitatis: sed ex parte humanitatis nō ponit simpliciter, sed esse in fide. Gratia verò vnionis credita facit quod sit caput: & propter hoc ante incarnationem erat caput.

MEMBRVM III.

De gratia Christi, secundùm quam est caput.

Consequenter quæritur de gratia Christi, secūdùm quam est caput. Et quæruntur tria. Primò, secundùm quam rationem Christus dicitur caput. Secundò quorum, vel cuius sit caput. Tertiò de vnione capitis ad corpus: & econuersò.

ARTICVLVS I.

Secundùm quam rationem Christus caput sit?

Primò quæritur, secundùm quam rationem sit caput. Et circa hoc tria quæruntur. Primum est, secundùm quam proprietatem dicatur: vtrùm per rationem influentiæ. Secundum, per quam naturā dicatur esse caput? Tertium, an alij à Christo conueniat esse caput?

An Christus secundum rationem influentiæ dicatur caput ecclesiæ. §. 1.

¶ AD PRIMVM. Secundùm quam proprietatem Christus dicitur esse caput, nunquid secundùm rationem influentiæ: proceditur sic. Caput enim dicitur metaphorice in alijs; sicut Rex dicitur esse caput regni, quia per suum Imperium mouet regnum. Si ergo Christus secundùm quod homo est rex regum, ergo habet regnum super omnem creaturam, secundùm quod dicitur: *In fæmore suo scriptum est, Rex regum, & Dominus dominantium*: ergo secundùm hoc dicitur esse caput. Apoc. 19.

¶ ITEM, melius & dignius in quolibet genere dicitur caput in illo genere: sicut leo dicitur caput animalium, quia est dignissimum & nobilissimum animalium. Si ergo Christus est dignissimus & nobilissimus in genere rationalium, cōstat quòd ipse secundùm hoc est caput creaturarum rationalium.

¶ ITEM, paterfamilias dicitur esse caput suæ familiæ, quia omnibus prouidet: ergo cùm Christus se habeat in hunc modum ad ecclesiā; quia pastor & Episcopus animarum, & prouidet & regit ecclesiam, sicut habetur: *Eratis sicut oues errantes, sed nunc conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum*. Et, *Ipse est caput corporis ecclesiæ*. Gloss. *Ipse ita se habet ad ecclesiam, sicut caput ad corpus: prouidet enim ecclesiæ, & regit eam*. Ergo secundùm hanc proprietatem dicitur caput. 1. Pet. 2. Coloss. 1. Glossa.

¶ ITEM, ita se habet caput ad animam perficientem per sensum: quòd in capite sunt omnes sensus, sed in corpore non. Si ergo Christus hoc modo se habet ad spiritum sanctū, à quo accipit omnes modos gratiæ, sicut caput ad animam, nos verò sicut membra; quia nos omnes sensus gratiæ, vel modos gratię ab ipso recepimus: ergo ipse dicitur secundùm hunc modum caput nostrum: quia plenitudinem gratiæ recipit à spiritu sancto, sicut caput ab anima, nos verò sicut membra. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *In capite, quod est Christus, sunt omnes sensus gratiæ: in alijs verò est solus tactus; quibus datus est spiritus ad mensuram*. Dicitur ergo Christus caput secundùm has proprietates: quia est velut Rex: & quia est dignissimus creaturarum rationalium: & quia est in ratione prouidentis; & quia habet plenitudinem gratiæ, quantum ad omnem sensum gratiæ. Aug. ad Dardan.

¶ AD oppositum. *Omni custodia serua cor tuum: quoniam ab ipso vita procedit*. Sicut ergo à capite fluunt sensus in membris, ita à corde fluit vita in membris. Sed prior actus animæ est vita, secundus actus est illuminare, vel sensificare: & etiam prius procedit vita à corde in membris, & post sensus à capite in membris. Si ergo à primo actu debet Christus magis denominari, quàm à secundo: magis debet dici Christus cor Ecclesiæ, quàm caput Ecclesiæ. Prouer. 4.

RESOLVTIO.

Tametsi alijs pluribus rationibus dicatur Christus caput ecclesiæ: potissimè tamen huiusmodi dicitur ratione influentiæ.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd quamuis possit dici caput secundùm prædictas metaphoras: eo scilicet, quod sit in ratione mouentis regnum, sicut Rex: in ratione dignissimi, & prouidentis Ecclesiæ; & quia est in eo plenitudo gratiæ quantum ad omnem sensum spiritualem gratię; sicut omnes sensus sunt in capite. Tamen propria ratione dicitur caput per rationem influentiæ: vt sicut ab ipso capite est influentia sensus & motus secundùm diuersas partes eius, quia ab anteriori parte capitis fluunt nerui, per quos fluit sensus ad membra; à posteriori verò parte fluunt nerui, per quos fluunt motus ab anima ad singula membra. Similiter Christus in ecclesiam influit sensum & motum spiritualiter: sensum quidem influit per fidem, motum verò per amorem (Influit enim sensum fidei, & motum amoris) & illa ratione propriè dicitur caput ecclesię. Vnde, secundùm quod videmus, quòd caput quodam modo gerit vicem animæ in mouendo corpus, & consulendo ei per sensum, ita est de Christo respectu ecclesiæ: quia se habet ad ipsam in ratione mouentis & consulentis per sensum gratiæ: quem et influit. Vnde; *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Gloss. *Capiti omnia subiecta sunt ad operandum. id autem, scilicet caput supra locatum est ad consulendum; quia ipsius animæ quodammodo vicem gerit caput*. In hoc quod dicit, ad operandum, ostendit quomodo motus est à capite in membris. In hoc quod dicit, ad consulendum, ostendit q. sensus est ab ipso in membris. Coloss. 1. Glossa.

¶ AD illud, quod obijcitur, quòd magis debet dici cor ecclesiæ, quàm caput. Dicendum, sicut dicit Augustinus, quòd triplex est vis animæ ad corpus, scilicet vis naturalis, quæ operatur in hepate: & vis vitalis, quæ operatur in corde: & vis animalis, quæ operatur in cerebro. Vis naturalis dicitur illa, quæ est nutritiua: sicut digestiua, retentiua, expulsiua, & etiam augmentatiua. Vis vitalis, quæ operatur in corde, est illa, vnde est motus cordis continuè. Vis animalis est illa, quæ operatur in cerebro, vnde est motus & sensus in membris: & secundùm hoc diuiditur motus & spiritus, qui sunt vehicula virtutum, scilicet in spiritum vitalem, naturalem, & animalem. Sed operationes virtutis naturalis omnino sunt inuoluntariæ: nec subiectę sunt rationi. Operationes animales omnino subiectæ sunt rationi: & ideo recipiunt imperium ab ipsa. Operationes vitales partim sunt subiectæ rationi, partim non: & ideo partim sunt voluntariæ, partim naturales. Secundùm hoc ergo dicendum; quòd ille motus, qui est à Christo capite in corpus ecclesiæ, est omnino secundùm motum voluntarium, qui simpliciter non est naturalis, vel vitalis: ideo potius debet dici Christus caput ecclesiæ metaphoricè secundùm illū motum, quàm cor, vel epar. August. in lib. de anima & spiritu.

Secundùm quam naturam dicatur Christus caput: secundùm diuinam, an secundùm humanam? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: secundùm quam naturam dicatur Christus esse caput, nunquid dicitur caput secundùm diuinam naturam, an secundùm humanam? Quòd secundùm diuinam, patet: *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. Gloss. *super omnē ecclesiam, quæ in cælo & in terra est, dum confitentur hunc esse, per quem facti sūt: subijciuntur enim ei tanquam capiti, à quo trahunt originem*. Sed ex ipso facti sunt secundùm Deitatem: relinquitur ergo, quod secundùm Deitatem est caput ecclesiæ. Ephes. 1. Glossa.

¶ CONTRA, vnius naturæ sunt caput & corpus: si ergo Christus secundùm diuinam naturam & Ecclesia non sunt vnius naturæ; immò secundum humanam: ergo non est caput Ecclesię secundùm diuinam naturam, sed secundùm humanam.

RESOLVTIO.

Secundùm humanam propriè.

¶ AD hoc intelligendum est, quòd caput ecclesiæ dicitur communiter & propriè. Communiter tota Trinitas est caput ecclesiæ. Propriè Christus homo, siue Deus homo est caput ecclesiæ. Tota enim Trinitas mouet & regit Ecclesiam, & infundit gratiam ei; quia sentiat per fidem, & moueatur per charitatem: vnde in ratione regentis & influentis se habet ad ipsam. Secundùm verò humanitatem propriè dicitur caput; quia hoc modo se habet ad ecclesiam secundùm rationem conformitatis ad ipsam per gratiam & naturam. Vnde; *Ipsum dedit caput, &c.* Gloss. *Propriè dicitur caput secundùm humanitatem: secundùm quam et coniungitur Ecclesia natura & gratia.* Ephes. 1. Glossa.

An alij à Christo conueniat esse caput Ecclesiæ? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrùm alij conueniat esse caput ecclesiæ, quàm Christo homini Deo? Et quæritur, vtrùm Spiritui sancto conueniat esse caput ecclesiæ: Et quod sic, videtur: quoniam à Spiritu sancto fluit omnis gratia; eo enim quod nobis datur Spiritus sanctus, datur nobis omnis gratia, ergo & omnis motus gratiæ, & sensus nobis datur per spiritum sanctum. Cùm ergo à capite influat sensus & motus; & eò dicitur caput: ergo Spiritus sanctus est caput ecclesiæ.

¶ ITEM, *Vnum corpus & vnus spiritus, scilicet est ecclesiæ*. Gl. *Vnus spiritus habitat in nobis, quo vnum efficimur: vnum enim corpus efficimur per societatem, quam facit spiritus sanctus*. Si ergo Ephes. 4 Glossa.

[illegible] compar [illegible] corpori [illegible]

1. Cor. 11 Glossa. ¶ Item [illegible] *caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi* [illegible] *Caput* [illegible] *Deus pater quia* [illegible] *datur*. Ex hoc [illegible] diuinitatem pater est caput [illegible] eccleſiæ.

Ibidem Glossa. ¶ Item illud [illegible] Caput Christi Deus. *Omnia* [illegible] *caput Christi* [illegible] *quod homo* [illegible] *creatrix* [illegible] *creaturæ assumpte, sit Trinitas*. Si [illegible] Trinitas [illegible] caput Christi [illegible] homo [illegible] Christus [illegible] caput ecclesiæ; ergo [illegible] ipsa Trinitas est caput ecclesiæ, ergo & pater [illegible] sanctus. hoc [illegible] non conueniat filio.

RESOLVTIO.

Proprie non nisi Christo.

¶ Solvtio. Dicendum, quod caput dicitur communiter, & proprie. Secundum quod dicitur caput communiter, nihil plus importat quam esse principium. Sed duobus modis est principium: quia pater est principium ad diuinas personas, Trinitas est principium ad creaturas. Et in hoc est differentia: quia principium, quod dicitur pater, ad diuinas personas, est principium in identitate substantiæ: sed Trinitas est principium ad creaturas in diuersitate substantiæ, quia est principium creaturæ faciens illam esse de nihilo: sed pater est principium filij de se ipso: quia de sua substantia generat filium, & de sua substantia cum ipso filio spirat spiritum sanctum. Et ita secundum hoc caput dicitur dupliciter: vno modo quod est principium ad aliud in identitate substantiæ, alio modo in diuersitate. Et (vt plenius dicatur) caput communiter accipitur essentialiter, & sic dicitur principium respectu creaturæ, & supponit Diuinitatem: & hoc modo dicitur Trinitas creatrix caput creaturæ. Caput etiam communiter dicitur personaliter, & aliquando pro vna persona; sicut pater dicitur caput filij generatione æterna: aliquando pro duabus personis, secundum quod pater & filius dicuntur caput spiritus sancti spiratione æterna, & secundum hunc

Glossa. 1. Cor. 11 modum dicitur in Glos. *Dignum est filij caput pater dicatur.* Illis ergo modis dicitur caput communiter.

¶ Capvt proprie non solum dicit attentionem principij, sed etiam influentiæ sensus & motus spiritualis. Et hoc dupliciter: quia potest dici caput per rationem influentiæ tantum: vel per rationem influentiæ, & per conformitatem naturæ. Primo modo Trinitas dicitur caput ecclesiæ, & Christus secundum diuinitatem, scilicet secundum rationem influentiæ tantum sensus fidei, & motus [illegible]. Secundo modo dicitur Christus secundum humanitatem caput ecclesiæ: quia ei communicat natura & gratia [illegible]. Primo modo dicitur caput minus proprie, [illegible] modo magis proprie. Soli ergo Christo proprie [illegible] esse caput ecclesiæ: hoc est secundum rationem [illegible] conformitatem naturæ: & hoc secundum [illegible]. Trinitati verò & Christo secundum diuinitatem [illegible] ecclesiæ caput, minus proprie: & hoc [illegible] ratione influentiæ tantum. Patri verò, & [illegible] communiter, quia est principium ad creaturam [illegible] proprie.

¶ Ad rationes [illegible] solutio. & primò ad illud, quod obijcitur [illegible], quia quamuis ab ipso [illegible] influentia in ecclesiam [illegible] & motus spiritualis [illegible], non tamen [illegible] quod sit in conformitate [illegible] cum ecclesia, [illegible] erit ei propriè esse caput [illegible] communiter, & [illegible].

¶ [illegible] quod obijcitur [illegible] dicendum, quod [illegible] esse caput [illegible]

[illegible]

ARTICVLVS II.

Quorum Christus caput sit.

Consequenter quæritur quorum Christus sit caput. [illegible] Primo [illegible] Christus [illegible] caput [illegible] Secundo [illegible] homini [illegible] principaliter.

An Christus [illegible] § 1.

¶ Ad [illegible]

¶ Contra [illegible] Coloss. 2. Glossa. *Quia caput omnis principatus* [illegible] & loquitur de Christo [illegible] *Non [illegible] hominum, sed omnis principatus & potestatis angelorum* [illegible] *pus*. Et sequitur: *Et vos estis* [illegible] *qui [illegible] implet*. Ex quo relinquitur [illegible] Christo homine, quod Christus [illegible] homo est caput

Ibidem. Angelorum.

¶ Item, *Omnia subiecit sub pedibus eius*, [illegible] Psalm. Glos. *Sicut pes est infima pars corporis, ita in Christo infima pars est humanitas, quam angeli adorant* [illegible], quod angeli sunt subiecti ipsi humanitati. Si ergo dicitur caput ecclesiæ, eò quod regit ecclesiam [illegible] subiectam, ergo similiter debet dici caput angelorum, eò quod regit & imperat angelis sibi subiectis.

Ephes. 1. Psal. 8. Glossa.

RESOLVTIO.

Et Angelorum Christus caput est, sed non simpliciter sicut hominum.

¶ Solvtio istius patet ex prædictis. Nam [illegible] caput per metaphoram, quia Rex dicitur caput regni, & mouens, & imperans ipsi: [illegible] Christus [illegible] homo est caput angelorum, quia ipse est Rex [illegible] super omnes angelos, qui adorant eum. Si autem dicatur caput secundum conformitatem naturæ, sic Christus in quantum homo non est caput angelorum simpliciter, sed secundum quid: quia non est conformis angelis in natura simpliciter, sed secundum quod dicitur, quod anima rationalis quantum ad partem superiorem [illegible] habet conformitatem cum angelis. Est ergo [illegible] quantum conformatur eis in natura per potentiam intellectiuam. Hominum autem est caput [illegible] modo: quia plenam habet conformitatem [illegible].

An Christus sit caput omnium electorum. § 2.

¶ Consequenter quæritur, vtrum sit caput electorum omnium: Ad quod sic obijcitur. Ipse Christus proprie non est caput nisi secundum quod homo: sed non fuit homo ante incarnationem, ergo non fuit caput ante incarnationē, ergo nec fuit caput sanctorum patrum ante incarnationem existentium.

¶ Item, Christus dicitur caput ecclesiæ propriè propter conformitatem naturæ, quam habet cum fidelibus. Si ergo ante incarnationem non [illegible] eandem in natura cum ecclesia, ergo non erat caput ecclesiæ [illegible] fidelium, qui sunt membra ecclesiæ ante incarnationem.

¶ Contra. Christus [illegible] caput, quia creditus est esse homo: [illegible] Sed [illegible] eadem fide credebatur à primo iusto ante incarnationem vsque ad vltimum iustum post incarnationem: sed post incarnationem creditur iam esse homo: ab illis autem futurus homo: & tamen fides eadem, quia creditur idem, scilicet Deus homo: ergo æqualiter est caput eorum, qui fuerunt ante incarnationem & post.

Item, aut Christus dicitur caput [illegible] propter naturam, [illegible] natura conformis [illegible] fideles [illegible]

in peccato, nec infidelis est membrum eius propriè. Eò ergo dicitur caput quòd creditur cum * amore. Si ergo fides ista manet eadem in Sanctis ante incarnationem & post, tempore solum variato: manifestum est, quod æqualiter & eodem modo est caput sanctorum existentium ante incarnationem, & post.

* al. cū amore Dei

Coloss. 1. Glossa.

¶ ITEM: *Ipse est caput corporis ecclesiæ.* Gloss. *Quaeritur cum ecclesia ab Abel inceperit; quomodo Christus est caput eorum, qui tunc fuerunt: Et respondet: quod dicitur caput secundum diuinitatem & humanitatem. Secundùm diuinitatem fuit principium & fundator ecclesiæ: quia omnes iustos, qui ab Abel vsque ad vltimum iustum generantur, virtute diuinitatis illuminauit. Secundùm humanitatem etiam potest dici caput vel principium ecclesiæ: quia super fidem humanitatis eius fundata est.* Ex hoc expressè relinquitur: quòd si ecclesia fuit fundata super fidem humanitatis suæ ante incarnationem: & eò dicitur caput, quò est fides de sua humanitate: ergo est caput eorum, qui fuerunt ante incarnationem, fidelium: sicut eorum, qui sunt post incarnationem.

RESOLVTIO.

Omnium: & præteritorum, & præsentium, & futurorum.

Augus. in lib. de catechizandis rudib. cap. 3. sed exemplū est de Iacob, Genes. 25. Idem.

¶ SOLVTIO. Dicendum secundùm Augustinum, qui ponit exemplum, quod habetur Genes. 38. de filiis Iudæ: in quorum natiuitate Zaram prior eduxit manum: in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior, illo verò retrahente manum, egressus est alter. Et dicit Augustinus, quòd sicut Zaram, dum nasceretur, prior emisit manum, pòstmodum caput secutum est, deinde cætera membra: sed tamen caput dignitate & potestate præcellit: licet tempore sequeretur. Ita Christus mediator Dei & hominum, in Patriarchis & Prophetis præmisit manum, antequam appareret in carnem, vinculis legis superbum populum constringentem siue comprimentem: tempore autem nascendi secutum est caput corporis ecclesiæ, cui adhęserunt omnes fideles credendo. Relinquitur ergo quod fuit caput fidelium, & præsentium, & antiquorum. Non sequitur ergo, tunc non fuit homo, ergo tunc non fuit caput: quia ipse est caput, eò quod est creditus homo & amatus.

¶ AD primum obiectum in contrarium patet responsio: quia Christus non dicitur caput, eò quod est homo in re: sed eo quod est homo in fide. Vnde quia creditus est esse homo, ideo est caput: hoc modo similiter se habet ad antiquos & pręsentes; quia eadem fides est. Vnde sicut eadē est prædestinatio & veritas prædestinationis ante exitum rei prædestinatæ, & post; licet res mutetur: similiter eadem est veritas fidei, qua creditus est Christus incarnaturus, vel incarnatus: licet tempore varietur.

¶ AD aliud similiter patet responsio.

An Christus sit caput reproborum. §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrùm Christus sit caput reproborum: qui scilicet sunt in fide & charitate; tamē in hoc nō perseuerabunt? Ad quod sic obiicitur. Corpus Christi verum, quod traxit de virgine, est figura & sacramentum corporis mystici, quod est ecclesia: quia sicut corpus Christi est compactum ex purissimis sanguinibus virginis & pertinentibus ad gloriam resurrectionis: ita à simili corpus mysticum, quod est ecclesia; compaginatum est ex purissimis & fidelibus animabus pertinentibus ad gloriam resurrectionis: ergo nō sunt membra ecclesiæ nisi pertinentes ad gloriam resurrectionis. Sed reprobi existētes in fide & charitate, qui tamen non perseuerabunt, & infideles non pertinent ad gloriam resurrectionis, licet pertineant ad resurrectionem: ergo nullus reprobus est membrum ecclesiæ, ergo Christus non est caput reproborum, etiam existentium in charitate.

¶ CONTRA, reprobi existentes in fide, & charitate, recipiunt à Christo sensum & motum, quia cùm sint in charitate & fide, habent sensum fidei & motum amoris: & constat quod hæc habent à capite.

¶ ITEM, ipsi sunt in conformitate naturæ ad Christum. Christus ergo est caput eorum, & ipsi membra eius.

RESOLVTIO.

Et reproborum Christus caput est, sed quamdiu in mundo sunt.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd esse membrum Christi, vel ecclesiæ, non ponit nisi sensum gratiæ per fidem, & motum per amorem & conformitatem cum Christo in natura: & quia ista sunt in reprobis existentibus in fide & charitate, licèt non cum perseuerantia; ideo quamdiu sunt ista in illis, concedendum est, quod sunt membra Christi & ecclesiæ: & comparantur ad Christum tanquam ad caput, quantum ad præsentem statum, in quo sunt in fide & charitate: quando autem postea decident ab istis, tunc erunt membra abscissa à corpore ecclesiæ.

¶ AD rationem in contrarium dicendum: quòd corpus Christi verum figura est & sacramētum corporis mystici quantum ad futurum: ratio autem procedit, ac si respiceret statum futurum, cùm obiicit de pertinentibus ad gloriam resurrectionis.

An animarum tantùm, vel etiam corporum Christus caput sit. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm Christus sit caput animarum tantùm, aut etiā corporum & animarum. Ad quod sic arguitur. Oportet, quod membra habeant continuationē ad caput: sed corpora nostra nullam possunt habere continuationem, nec coniunctionem ad corpus, & animam ipsius Christi: ergo corpora nostra non sunt membra eius: ergo ipse non est caput corporum nostrorum.

¶ CONTRA: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi.* Ergo ipse est caput corporum nostrorum. 1. Cor. 6.

RESOLVTIO.

Vtrorumq; simul, & corporum scilicet & animarum.

¶ SOLVT. Dicendum, sicut habetur: *An nescitis, &c.* Glos. *Christus caput nostrum est, eo quod factus est propter nos: corpus aūt eius est ecclesia.* Si tantummodò animam suscepisset sine corpore, membra eius non essent nisi animæ nostræ: quia verò corpus suscepit, & corporū caput est. Et sic patet, quòd Christus nō solum est caput animarum, sed & corporum. 1. Cor. 6. Glossa ordin.

¶ AD rationem in contrarium dicendum, quòd corpora nostra duplicem habēt coniunctionem cū corpore Christi. Vnā propter similitudinē in specie: aliam propter perfectionem vnam & eandem. Corpora ergo nostra habent coniunctionem cum corpore Christi, quia sunt eiusdem speciei nostra corpora, & suum corpus. Coniunctio verò, quæ est propter perfectionem vnam, potest esse dupliciter: quia est perfectio naturæ, & sic anima est perfectio: & est perfectio sanctificationis nostræ, & hic est spiritus sanctus. Dicendum ergo quod attendēdo perfectionem naturæ, quæ est anima: sic corpora nostra & suum nō habent perfectionem vnam: quia alia est anima Christi, quæ perficit corpus Christi secundùm numerum: & quæ corpora nostra. Sed corpora nostra habent perfectionem vnam, accipiendo perfectionem sanctificationis, quæ est spiritus sanctus: perfectio enim corporis non solùm est anima, sed etiam spiritus sanctus: cuius corpora nostra templum sunt, sicut habetur: *Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti?* Sed anima perficit quantum ad esse naturæ: spiritus sanctus quantum ad esse sanctificationis. Idem autem spiritus sanctus, qui sanctificat corpus Christi, sanctificat & corpora nostra; cùm sumus in fide & charitate: Ex hac speciali sanctificatione imprimitur dispositio, & pertinent ad gloriam resurrectionis. Vnde Apostolus probat per hoc corporum resurrectionem gloriosam, dicens: *Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis, viuificabit & mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum sanctum in nobis.* 1. Cor. 6. Rom. 8.

ARTICVLVS II.

De vnione capitis ad membra, siue ad corpus.

CONSEQVENTER est quæstio de vnione capitis ad membra. Et quia caput primò vnitur mēbris, & postea influit in illis. Primò ergo quæritur de vnione capitis ad corpus. Secundò de influentia capitis ad corpus.

¶ QVÒ ad primum quæritur primò, vtrùm mali pertineant ad illā vnionē. Secundò, per quid sit vnio membrorū in corpore ecclesiæ? Tertiò, qualiter est vnio capitis ad corpus.

corpus. Quartò, de influentia capitis: videlicet, vtrum possit esse influentia à Christo homine in corpus ecclesiæ. Quintò, vtrùm ab ipso Christo homine possit esse influentia in angelos. Sextò, vtrùm influentia eius in homines fuerit maior post incarnationem, quàm ante.

An mali pertineant ad vnionem capitis cum corpore ecclesiæ. §. 1.

Hugo de sacramẽtis, lib. 2. par. 2. c. 1. ¶ Ad primum arguitur sic. Dicit Hugo: *Per fidem accepimus vnionem, per charitatem viuificationem* (& loquitur de vnione & viuificatione corporis ecclesiæ.) Sed multi existentes in peccato mortali habent fidem informem; licet non habeant charitatem: ergo ad vnionem pertinent corporis ecclesiæ per fidem, licèt non pertineant ad viuificationem per charitatem.

Idem in eodem. ¶ Contra, Hugo: *Nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus viuum.* Sed omnis existens in peccato mortali, est mortuus. Ergo non est in corpore: ergo nullus existens in peccato mortali pertinet ad vnionem corporis Ecclesiæ.

RESOLVTIO.

Mali sunt quidem de vnitate Ecclesiæ, sed non de vnitate corporis Ecclesiæ.

¶ Solutio. Dicendum, quod ad vnionem corporis mystici siue ecclesiæ nunquam propriè pertinent existentes in peccato mortali. Tamen refert dicere vnitatem ecclesiæ, & corporis ecclesiæ. In vnitate enim ecclesiæ sunt boni & mali; dummodo habeant fidem rectam: & hoc est quod habetur Math. 13. quod ipsi tritico adiuncta sunt zizania: & dicit Augustinus, quod ecclesia est ager, in qua radicantur triticum id est, boni, & zizania, hoc est mali simul; tamen in fine separabuntur. Vnitas verò corporis ecclesiæ non est nisi per fidem formatam charitate: & de hac intelligit Hugo, cum dicit: *Per fidem accepimus vnionem scilicet formatam.* Non sunt ergo secundum propriam rationẽ corporis de corpore ecclesiæ mali; quamuis sint de ecclesia. Et cum dicit Hugo: *Per fidem accepimus vnionem, per charitatem viuificationem*: ipse loquitur per similitudinem corporis humani. Quia in corpore humano est quædam vnio membrorum materialis, sicut vnio, quæ est per neruos: alia est formalis; sicut illa, quæ est membrorum per participationem vnius vitæ communis ab anima. Secundũ hoc in corpore ecclesiæ ponit duplicem vnionem: vnam quasi materialem, & hanc appellat vnionem per fidem: aliam formalem, & hæc est per charitatem.

[Margin: Matt. 13. August. Hugo. Idem.]

Per quid sit vnio membrorum in corpore ecclesiæ? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: per quid est vnio membrorum in corpore ecclesiæ? Ad quod sic. Diuersa est fides & charitas habentium fidem & charitatem: & differt numero fides mea & tua. Sed ex diuersis numero non est propriè vnio: ergo cùm non ponatur vnitas in corpore ecclesię nisi per fidẽ & charitatẽ: non est ergo vnio simpliciter in corpore ecclesiæ per fidem & charitatem: sed solùm videtur adunatio membrorum ecclesiæ; sicut est aceruus lapidum.

1. Cor. 10. Glossa. ¶ Contra, *Vnum corpus multi sumus, & vnus panis.* Glo. *Vnum oẽs sumus ecclesia vna, vnitis vinculo fidei spei & charitatis, & mutua operum exhibitione.* Quæritur ergo, quomodo dicetur istud vnum, scilicet quod fideles habentes charitatem, siue ecclesia dicitur esse vnum, & vnum corpus, & vnus panis.

RESOLVTIO.

Per vnam perfectionem, quæ spiritus sanctus est, & per consimilem dispositionem, scilicet fide, spe, charitate, & opere.

¶ Solutio. Dicendum, quòd vnum corpus dicitur ab vna perfectione, & consimili dispositione. Dicitur ergo vnum corpus ecclesia ab vna perfectione: vna enim est perfectio in capite nostro Christo & in omnibus sanctis credentibus & amantibus ipsum: & hæc perfectio est spiritus sanctus; ex quo est nobis communio Trinitatis. Vnde

Hugo de S. Victor. Hugo dicit: *In corpore vno vnus spiritus, id est vnum corpus ecclesiæ ab vno spiritu.* Et addit: *Ecclesia sancta corpus Christi est vno spiritu sanctificata, & vnita fide vna: huiusmodi corporis membra sunt singuli fidelium, & omnes vnum corpus existunt propter spiritũ vnum, & fidem vnam.* Est ergo vnitas huius corporis, scilicet ecclesiæ ab vna perfectione, scilicet à spiritu sancto, qui vnus & idẽ est in omnibus. Diuisiones enim gratiarũ sunt; idem autem spiritus: sicut dicitur 1. Cor. 12. Similiter est vnitas in corpore à consimili dispositione: quia in omnibus sanctis est quædam consimilis dispositio in participatione vnius perfectionis, scilicet spiritus sanctus. Et hęc similis dispositio attenditur quantum ad quatuor, scil. quantũ ad cognitionem rationis, & quantum ad desiderium concupiscibilis, & quantum ad expectationem irascibilis, & quantum ad operis imitationẽ. Vnitas ergo quæ est in illis à consimili dispositione quantum ad cognitionem; est per fidem: idem enim credunt; similiter idem appetunt, vel volunt, scilicet summam bonitatem per charitatem: est ergo quantum ad desiderium cõcupiscibilis vnitas per charitatem vnam. Similiter idem expectant, scilicet æternam beatitudinem; & hoc per spem: vnitas ergo quò ad expectationẽ ipsius irascibilis quantum ad spem vná. Similiter idẽ imitantur, sc. Iesum Christũ per operum exhibitionẽ. Et ista quatuor tanguntur in Gl. super illud: *Et non tenens caput, ex quo totum connexum est, &c.* dicit Gloss. *Caput veritate & gratia plenum: & hic est Christus, de cuius plenitudine accipiendo totum corpus, id est ecclesia per nexus charitatis, & coniunctiones spei, & fidei, & operum fideles coniuncti sunt, & similes*: & hic notantur quatuor prædicta. Ex his ergo patet, quòd vnitas corporis ecclesiæ est ex consimili dispositione. Sunt ergo similes in fide, spe, charitate, & opere. Colos. 2. Glossa.

¶ Ad rationem autem in contrarium, quòd ex diuersis numero non fit vnum. Dicendum, quòd sicut videmus in corpore animalis; quodlibet membrum corporis habet propriam speciem, qua distinguitur ab alio membro: item habent membra in corpore communem perfectionem, scilicet vitam communem, qua viuunt, ab anima vna. Similiter dicendum de corpore ecclesię: quòd quodlibet membrum corporis ecclesiæ habet propriam perfectionẽ suam, scilicet gratiam, fidem, charitatem, & spem: ita quòd mea fides non est tua, & sic de alijs. Habent etiam membra ecclesiæ vnam communem perfectionem, scilicet per spiritum sanctum, sicut dicit Hugo: *A spiritu vno corpus vnum*: vnde à parte ista est vnitas in corpore ecclesiæ & membris eius. Hugo.

¶ Item, fides quantum ad illud, quod creditur; est eadem numero in omnibus sanctis, qui sunt membra ecclesiæ: quia idem numero credunt, scilicet Christum Iesum. Vnde quantum ad hoc est fides eadem numero in omnibus credentibus: sed non quantum ad illud, quo creditur, quia illud quo creditur, non est idem numero in illis: sed est simile, vel idem specie.

An vnio Christi capitis ad ecclesiæ corpus sit vnio simpliciter. §. 3.

¶ Consequenter quæritur de vnione capitis ad corpus: & econuersò. Vtrùm hæc sit vnio simpliciter? Ad quod sic obiicitur. *Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Glos. *Nullum maius donum posset Deus præstare homini, quã quod verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, vt illos illi tanquam membra coaptaret.* Ex quo relinquitur, quod verbum Dei efficitur caput nostrum, & nos membra ipsi coaptata. Ephes. 1. Glossa.

¶ Item dicit ibidem Gloss. de ista coaptatione illius doni, quo coaptatur, dicẽs: Vt esset filius Dei filius hominis, vnus Deus cum patre, vnus homo cum hominibus. Si ergo ipse filius hominis est vnus Deus cũ Deo vnitate simpliciter: ergo & cum homine est vnus vnitate simpliciter.

¶ Contra, filius hominis est vnus vel vnum cũ Deo vnitate in persona. Sed nos non sumus vnũ cum Christo vnitate in persona: nec etiam alia vnitate, nisi voluntate, sc. quia idem volumus, quod ipse vult. Sed non est vnum vniuocè vnum in voluntate, & vnum in persona: quia vnũ in persona est vnum simpliciter, sicut patet de corpore & anima; vnum verò in voluntate non est vnum simpliciter: ergo non est vnũ simpliciter ipsum caput & corpus. Quæritur ergo, quomodo sint vnum.

RESOLVTIO.

Non vnio simpliciter est: sed vnio analogiæ.

Hugo de S. Victore super Ioan. 17. ¶ SOLVTIO. Dicendum secundùm Hugon. de S. Victore, qui exponens illud: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos, &c.* distinguit vnum multipliciter, quia est vnum in natura: & hoc modo pater, & filius, & spiritus sanctus sunt vnum. Secundo modo est vnũ in persona, quomodo humanitas & diuinitas sunt vnum in persona filij. Tertio modo est vnum per iustitiam præsentem & futuram gloriam: & illud est vnum, quod attenditur in conformitate voluntatis. Prima & perfectissima vnitas est vnio personarum in natura vna: secunda est vnitas naturarum in persona vna: tertia verò vnitas est vnio capitis & corporis ecclesiæ: quę est vnitas conformitatis in voluntate vna: & hæc est per iustitiam præsentem: quia (sicut dicit Ansel.) *iustitia est rectitudo voluntatis*: & dicitur vnitas secundum analogiam. Vnde Hugo loquens de istis vnitatibus, dicit: *Verbum cum patre vnum in natura: homo cum verbo vnum in persona: membra cum capite sunt vnum in iustitia primò: & postea vnum in gloria.* [Ansel lib. de cõcep. Virgi. c. 5. Hugo.]

De influentia gratiæ à Christo capite in corpus ecclesiæ. §. 4.

¶ CONSEQVENTER quæritur de influentia gratiæ à capite Christo in corpus ecclesiæ? Fundatur autem hæc quæstio super illud: *De plenitudine eius nos omnes accepimus. & gratiam pro gratia.* [Ioan. 1.] Et quæstio ista partitur hoc modo. Primo quæritur, vtrùm possit esse influentia à Christo homine in corpus ecclesiæ: Secundò quæritur, vtrùm ab ipso Christo homine possit esse influentia gratiæ in angelis. Tertiò quæritur de influentiæ gratiæ ab ipso in homines, vtrùm maior fuerit post incarnationem, quàm ante.

¶ AD PRIMVM SIC. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est* [Ioan. 1. Glossa.] Gloss. *Gratia remissionis peccatorum.* Ergo per ipsum Iesum Christum est gratia remissionis peccatorum: ergo gratiam remissionis peccati influit in corpore & mẽbris ecclesiæ.

¶ ITEM Augustinus super illud: *De plenitudine eius, &c.* & super illud: *Plenum gratiæ & veritatis*, dicit: *Accepimus de ipsius plenitudine gratiam, vt in ipsum credamus: & veritatem vt ipsum intelligamus; quia intellectus diuinorum consequitur ad fidem.* [Aug. super Ioã. 1. Ibidem August.]

¶ AD oppositum. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, dicit Dominus.* [Esai. 43.] Solius ergo Dei est delere peccata propter se: ergo solius Dei est influere gratiam remissionis peccati: non igitur est hoc possibile Christo homini.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd Christus homo influit gratiam corpori ecclesiæ & membris eius tribus modis. Vno modo per modum meriti: alio modo per modum exemplaris: tertio modo per modum capitis. Per modum meriti est in nobis gratia ab ipso Christo homine: quia ipse est, qui meruit nobis gratiam, per quam remitterentur peccata nostra: & gratiam, qua cognosceremus, & diligeremus ipsum: & omnibus credentibus in ipsum & diligentibus hoc meruit; secundùm quod habetur: [Rom. 5.] *Sicut per vnius hominis inobedientiam constituti sunt multi peccatores: ita per vnius hominis Christi obedientiam iusti constituuntur multi.* Secundo modo influit nobis gratiam per modum exemplaris: sicut enim videmus quod se habet exemplar ad * exemplum, & quodammodo exemplum educitur ab exemplari: ita in ipso Christo homine est exemplar propositum gratiæ, cui debemus nos coaptare & conformare. [* al. exemplatum.] Vnde ipse est liber vitæ, iuxta quem debent scribi nostri, id est conscientiæ, quæ sunt libri, vt habetur in Apocal. 20. [Apoc. 20.] Et ista eductio signatur. [1. Cor. 15] *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Sicut ergo portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. Tertio modo influentia [illegible] ipso est per modum capitis: est autem quidam amor & appetitus naturalis capitis ad membra: ipsum enim caput quodam naturali amore diligit membra: vnde & spiritus animales, qui sunt in capite, ex hoc amore decurrunt à capite in membris: vnde si aliquod membrum lædatur, concurrunt spiritus à capite ad partem illam dolentem, & ibi colliguntur. Influentia ergo capitis ad membra, vt sensificentur & moueantur, est per naturalem amorem: & hunc appetitum implet spiritus animalis fluens à capite in membra, vel in membris. Secundùm hoc dicendum, quod spiritus increatus, per quem est nobis communio totius Trinitatis, scilicet spiritus sanctus, abundat in nostro capite, scilicet Christo: & ipsius Christi, & suæ beatæ animæ est desiderium, vt participemus suum spiritum. Ipse verò spiritus explet desiderium, quod habet Christus ad nos; propter amorem, quem habet erga nos. Et hoc modo est influentia gratiæ à Christo capite in corpus Ecclesiæ. Vnde Hugo: *Sicut spiritus hominis mediante capite ad membra descendit viuificanda; sicut spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos: cuius plenitudo quidem est in capite: participatio verò in membris.* [Hugo.]

¶ AD primum dicendum, quòd est remissio peccati quantum ad maculam, & quantum ad pœnam. Prima est à Christo secundùm deitatem: secunda est à Christo secũdùm quod homo per modum meriti & satisfactionis.

¶ AD illud quod obijcitur de Gloss. super Ioannem, quòd de plenitudine eius accepimus gratiam, &c. Dicendum, quòd ab ipso Christo secundùm deitatem accepimus hoc authoritate: sed ab ipso Christo, inquantum homo, accepimus hoc per modum meriti, & modis alijs, vt dictum est.

¶ CONSEQVENTER quęritur: vtrùm à Christo homine possit esse influentia gratiæ in Angelis. Ad quod sic obiicitur: super illud: *Inuenerunt eum sedentem in templo in medio doctorum, &c.* [Lucæ 2.] dicit Gregorius: *Discit in terra, qui Angelos docet in cœlo.* [Gregor.] Si ergo secundùm quod homo discit in terra: ergo similiter secundum quod homo docet Angelos in cœlo. A Christo ergo homine accipiunt Angeli doctrinam veritatis: ergo receperunt influentiã scientiæ ab ipso.

¶ ITEM: Dion. *Ipsæ scripturæ substantias angelicas introducunt apud Iesum Christum quærentes, & pro nobis sua diuina actionis scientiam discentes, & eos ipsum Iesum immediatè docentem.* [Dion. in Hierarchia cœlesti.] Ergo ab ipso Iesu siue à Christo homine recipiunt scientiam ipsi Angeli.

¶ ITEM: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c.* [Esa. 63.] Ita dicebant angeli, quando Iesus ascendit in cœlum; & dicebat eis. *Ego qui loquor iustitiam, &c.* [Ibidem.] Ex quo patet, quod ipse docebat eos de mysterio suæ incarnationis.

¶ AD oppositum. Angeli erant beati ante incarnationem Christi: sed beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus: ergo ipsi erant in statu omnium bonorum congregatione perfecto. Ergo nihil deficiebat eis de aliquo bono, nec de iucunditate aliqua, nec cognitione: ergo non indigebant edoceri à Christo homine: ergo non receperunt aliquam influentiam cognitionis ab ipso.

¶ ITEM, constat quod non indigent ab ipso Christo remissione peccati, nec redemptione. Si enim non incarnaretur Christus: nihilominus essent ipsi beati. Non recipiunt ergo ab ipso aliquam influentiam.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd à capite Christo homine recipiunt angeli cognitionem veritatis, & honorem; & dulcedinem, & iucunditatem.

¶ COGNITIONEM veritatis: quia eruditur ab ipso: immò per Ecclesiam etiam, quæ est corpus eius, innotuit eis mysterium incarnationis: nec erubescunt eruditi per ipsam: vnde Apost. *Vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* [Ephes. 3.] Item [illegible]ent dicit ibi Gloss. Innotescat per Ecclesiam, quæ dona Dei recepit, id est, per Apostolos in Ecclesia prædicantes principibus & potestatibus, id est, diuersis ordinibus angelorum, qui sunt in cœlestibus, id est, in cœlo: vbi & nos erimus. Dicit namq; B. Hieron. Angelicas dignitates supramemoratum mysterium ad plenum non intellexisse donec completa est passio Christi: & apostolorum prædicatio per gentes dilatata. [Hieron.]

¶ ITEM accipiunt honorem: qui attenditur quantum ad reparationem seu restaurationem ruinæ angelicæ: non enim parum erat eis detractum honoris ex ruina apostatarum angelorum: sed per incarnationem & passionem fit reparatio seu restauratio ruinæ angelicæ per homines, implentes numerum ipsorum angelorum secundum qd' habetur: *Indicabit in nationibus, implebit ruinas*, &c. *Benedictus* Psal. 109.
Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. &c. *qui proposuit in eo* Ad Eph. 1.
dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælo, & quæ in terra sunt in ipso, &c. Gloss. dicit: *Pro-* Glossa.
posuit instaurare, id est, ad primum statum reducere omnia per peccatum destructa; Angelos, & homines: quia per hominis restitutionem ruina angelorum reparatur; instaurantur quæ in cælis sunt scilicet quòd cecidit in Angelis, restauratur in hominibus.

¶ ITEM recipiunt dulcedinem & iucunditatem ab ipsa humanitate Christi. Habent enim magnam iucunditatem & dulcedinem in contemplatione diuinitatis. Sed cum vident diuinitatem in humanitate; eis alius modus
1. Petr. 1. est dulcedinis. Propter quod dicit Petrus: *In quem desiderant Angeli conspicere*. Et hac ratione dicitur: *Colles fluent*
Ioel 3. *lacte, & melle*. Colles Angeli sunt, qui ante incarnationem fluebant mel in dulcedine contemplationis diuinitatis in se. Sed ex eius incarnatione fluunt dulcedine contemplationis diuinitatis in humanitate, quæ signatur per lac.

¶ AD rationes in contrarium dicendum: quod est beatitudo in gaudio æterno substantiali: & beatitudo in gaudio æterno accidentali siue superaddito. Gaudium substantiale est in contemplatione diuinitatis: ibi enim est substantia beatitudinis rationalis creaturæ. Gaudium accidentale est in contemplatione societatis humanitatis cum diuinitate. Quantum ergo ad substantiam gaudij nihil accrescit in gaudio beatitudinis: sed tantum quantum ad multitudinem, quia pluribus modis habent modò gaudium in beatitudinem, quàm ante incarnationem.

¶ QVOD ergo obijcitur: Angelis nihil deest, ex quo sunt beati. Hoc est verum quantum ad substantiam gaudij seu beatitudinis; sed non quantum ad multitudinem.

¶ CONSEQVENTER est quæstio de influentia à capite Christo in homines: vtrùm maior sit post incarnationem, quàm ante: vel æqualis? Ad quod sic. Christus est nobis caput, & ipsis; qui fuerunt ante incarnationem, per fidem & charitatem: & per fidem & charitatem nobis influit & ipsis. Si ergo æqualis est fides & charitas in patribus ante incarnationem: ergo æqualis est influentia à capite Christo in hominibus ante incarnationem & post.

¶ CONTRA, Ante incarnationem non receperunt patres gratiam remissionis pœnæ, quæ est carentia visionis Dei. Sed post incarnationem & passionem Christi receperunt homines sancti totaliter gratiam remissionis illius pœnæ & aliarum pœnarum æternarum: ergo maior est influentia gratiæ à capite Christo in homines post incarnationem, quàm ante.

¶ ITEM, sacramenta nouæ legis, quæ habent virtutem per passionem Christi; maiorem habent virtutem: quam
2. Cor. 3. sacramenta veteris (efficiunt enim quod figurant: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes*, &c. *ipsi verò sub velamine*) ergo plus recipimus de cognitione veritatis à Christo, quàm ipsi.

¶ SOLVTIO. Dicendum quod Ecclesia post incarnationem & passionem Christi maiorem recipit gratiam ab
Rom. 3. ipso Christo capite, quàm ante. Vnde habetur Rom. 3. quod ipse Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine: hoc est per fidem passionis ad ostensionem iustitiæ suæ, hoc est iustificationis per passionem propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentationem Dei ad ostensionem iustitiæ suæ in hoc tempore. Et vult dicere, quod per fidem passionis Christi erat remissio peccatorum antiquorum & modernorum: sed differenter. Quia ante incarnationem per fidem passionis erat remissio peccatorum, quantum ad culpam, & non quantum ad omnem pœnam: quia remanebat pœna carentiæ visionis Dei. Sed post incarnationem eius & passionem est remissio peccatorum quantum ad omnem culpam & pœnam. Vnde ante incarnationem erant in sustentatione, id est, expectatione, carentes visione Dei gloriosa: sed modo patet nobis gloria.

¶ AD illud, quod obijcitur in contrarium: quod æqualis erat fides & charitas in patribus ante incarnationem, & in illis qui sunt post. Dicendum quod fides Ecclesiæ ante incarnationem & post æqualis est: tamen virtuosior est post, quàm ante. Et hoc est: quia post incarnationem & passionem habet meritum passionis Christi sibi coniunctum: quod non habebat ante. Vnde qui credit Christum incarnatum & passum; habet meritum suæ passionis sibi coniunctum. Vnde ratione meriti passionis Christi sibi coniuncti, est maioris virtutis, quàm ante: & efficit aliquid, quod non ante.

MEMBRVM III.

An gratia Christi, secundùm quòd singularis quidam homo est plenitudinis gratia sit. Et an secundùm eam dici possit membrum corporis Ecclesiæ?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm gratia Christi, secundùm quod est quidam homo singularis, sit gratia plenitudinis? Et ostenditur quod sic: *Verbum caro factum* Ioan. 1.
est, &c. *plenum gratia & veritatis*. Sed verbum caro factum Ibidem.
est ipse Christus homo: ergo & Christus vt quidam homo habuit plenitudinem gratiæ quò ad omne bonum, & veritatis quantum ad scientiam omnium.

¶ CONTRA, in Christo homine non fuerunt omnes virtutes: sed non est plenitudo gratiæ sine plenitudine omnium virtutum: ergo in Christo non fuit plenissima gratia (Quòd patet: quia in Christo non fuit fides, quæ est prima virtutum: nam fides est cum visione ænigmatica: Christus enim videbat sine ænigmate) Similiter non habuit spem: nam spes est expectatio futuræ beatitudinis, quæ non habetur: ipse autem iam beatitudinem habebat, nec expectabat eam. Item, pœnitentia est vna virtutum: sed Christus non habuit eam; nam pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus: sicut habetur in 4. Sent.

¶ ITEM, si dicatur, quod in Christo, prout est quidam homo singularis, est plenitudo gratiæ; sicut fuit in B. Virgine, & in B. Stephano (vnde dicitur: *Stephanus plenus gra-*
tia & fortitudine) & similiter dicitur: quod plenitudo gra- Act. 7.
tiæ est in Ecclesia. Quæritur ergo quomodo differt plenitudo gratiæ in istis.

¶ POSTEA quæritur, vtrùm Christus secundum gratiam, quam habet vt quidam homo singularis, possit dici membrum corporis Ecclesiæ. Et videtur quod sic. Quia secundum istam gratiam est sicut quidam singularis homo sanctus: sicut fuit Petrus, vel vnus alius. Sed omnes sancti sunt membra Ecclesiæ: ergo Christus secundum hanc gratiam est membrum Ecclesiæ.

¶ SI dicatur, quod hoc non potest esse; quia ipse est caput Ecclesiæ: & ideo non potest esse membrum. Istud nihil est; quia caput est principale membrum corporis: ergo Christus potest esse membrum corporis mystici scilicet Ecclesiæ, cum sit caput eius: nam cor, epar, & caput sunt membra principalia corporis.

¶ ITEM: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de mem-* 1. Cor. 12.
bro, id est, de Iesu Christo. Christus ergo est membrum.

RESOLVTIO.

Quæuis gratia in Christo, tam scil. gratia vnionis, quàm capitis, & singularis personæ diuersa ratione causarum plenitudinis gratia dici potest: secundùm etiam gratiam singularis personæ & capitis & membrum corporis Ecclesiæ potest Christus.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod cum in Christo sit gratia vnionis, & gratia secundum quam est caput, & gratia secundum quam est quidam homo singularis sanctus: dicimus, quod gratia sic tripliciter dicta in ipso potest dici gratia plenitudinis.

¶ SECVNDVM rationem causæ finalis, gratia plenitudinis est gratia vnionis: quia summa & perfectissima est in ipso: nam vltimus effectus gratiæ & perfectior est, nos vnire Deo: sed in alijs a Christo non est *vnire* nisi per cognitionem & amorem: in Christo verò non solum secundum cognitionem & amorem, sed etiam in vnitate personæ; vt sit idem filius hominis qui & filius Dei: Et hæc est maior vnio, quæ posset esse, vel cogitari: vnde ille est affectus plenissimus, qui possit esse gratiæ.

¶ SECVNDVM rationem verò causæ efficientis gratia Christi, secundum quam est caput, est gratia plenitudinis. Quia sicut quædam luminaria perficiuntur suo lumine solum, & non habent potestatem influendi suum lumen in alijs, sicut patet de carbone: quædam verò non solùm retinent suum lumen in se, sed ipsum influunt, & illuminant alia corpora, sicut patet de flamma. Ita gratia Christi radiat ab ipso ad alios: non autem gratia in alijs sanctis: sed tantum perficit ipsorum animas: nec habent potestatem influendi ipsam. Et propter hoc sicut lumen in flamma dicitur plenum, lumen verò in carbone semiplenum: ita gratia in Christo, secundum quam est caput, debet dici gratia plena: in alijs sanctis non: sed debet dici gratia semiplena.

¶ SECVNDVM verò rationem causæ formalis dicitur gratia singularis Christi gratia plenitudinis, plenè informans animam Christi: & plenissime omnes vires beatæ animæ eius quantum ad omnes actus ipsarum: quia in ipso est gratia cognitionis veritatis omnium: & hæc perficit quantum ad actum rationis, & perficit quantum ad actum concupiscibilis, qui est amor bonitatis: & quantum ad zelum irascibilis. In alijs verò sanctis licet ipsam informaret secundum excellentiam ad vnum actum: non tamen ad omnes actus. Et cum in alijs sanctis sit præeminentia respectu alicuius doni, secundùm quod dicitur de sanctis:
Eccl. 44. *Non est inuentus similis illi*, &c. in Christo est præeminentia respectu omnium donorum: quia non habet gratiam ad vnum actum gratiæ tantum, sed ad omnes. Et hoc est, quod dicit Aug. quod accepit gratiam totaliter & vniuersaliter. Vnde comparatio gratiæ Christi ad gratias aliorum secundum plenitudinem & perfectionem est, secundùm quod comparatur figura circuli ad alias figuras singulares: Circulus enim est capacissima figura respectu aliarum: ita gratia Christi capacissima est: capax enim est omnis actus cuiuslibet virtutis: quod non est in alijs gratijs sanctorum.

¶ AD rationem in contrarium dicendum: quod sunt quædam dona gratuita cum imperfectione: quædam autem sine imperfectione: hoc est, quæ non dicunt imperfectionem. Fides autem est donum gratuitum cum imperfectione: vnde non solum dicit perfectionem: immò etiam nominat imperfectionem: nam fides est, quæ assentit veritati; quam non videt: hoc quod dico *assentire veritati* perfectionis est: sed hoc quod dico *quam non videt* imperfectionis. Similiter pœnitentia est donum gratuitum cum imperfectione: pœnitentia enim est virtus consistens in detestatione mali; quod commissum est: detestatio mali dicit perfectionem; sed quod commissum est, dicit imperfectionem: perfectionis enim est detestari mala: sed imperfectionis est, quòd commissa sint. Cùm igitur in ipsa gratia, quæ est plena, immò plenissima, sicut gratia Christi; nulla sit imperfectio, patet quod non deberent in ipso esse dona gratiarum cum imperfectione ratione suæ perfectionis. Et propter hoc nec fides in ratione fidei, nec spes in ratione spei, nec pœnitentia in ratione pœnitentiæ debuerunt esse in Christo: quia sub rationibus istis dicunt imperfectionem: sed illud solum, quod erat perfectũ in istis donis fuit in Christo. In ipso.n. fuit assensus primæ veritati, quod est perfectionis in fide. sed illud, quod est imperfectionis in fide, non fuit in Christo scil. cognitio ænigmatica. Similiter in ipso fuit maxime quod est perfectionis in spe scil. adhæsio cum bono: sed non cum illa imperfectione, quæ est expectatio boni, quod non habetur. Similiter illud, qđ est perfectionis in pœnitentia, fuit maxime in ipso: quia nunquam aliquis tantum potuit detestari peccatum, quantum ipse detestabatur: quia nunquam habuit aliquis tantam oppositionem voluntatis ad malum aliquod. Semper ergo quod est perfectionis gratiæ & plenitudinis, est in gratia Christi absoluta: & ideo in ipso est gratia plenitudinis.

¶ AD aliud dicendum: quod plenitudo gratiæ dicitur multipliciter. Dicitur enim plenitudo gratiæ quantum ad sufficientiam, hoc est, quæ sufficit animæ ad habendum vitam æternam, & aureolam: & hoc modo Stephanus dicitur plenus gratia: Act. 7. sua enim gratia non solum fuit Actuum 7.
condigna aurea, id est, præmio æterno substantiali, immo & aureola: meruit enim auream & aureolam: quia fuit prædicator & martyr. Secundò modo dicitur plenitudo gratiæ quantum ad numerositatẽ: & hoc modo Ecclesia dicitur plena gratia; quia non est aliquod genus gratiæ, quod non sit in Ecclesia, quantum ad aliquod membrum eius: ita quod huic datur istud, alij aliud. Vnde Apostolus. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: *alij enim datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ*, &c. Tertiò modo 1. Cor. 12.
est plenitudo gratiæ prærogatione super omnem creaturam puram: & hæc est in B. Virgine: *Aue gratia plena*. Ex Lucæ 1.
hoc enim quod ipsa est mater filij Dei; est ei quædam excellentia & prærogatiua gratiæ: cui non potest pura creatura comparari. Vnde Anselmus: *Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret: cui Deus pater vnicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat*, &c. Quartò modo dicitur Anselm. Lib. de Concep. Virg. cap. 18.
plenitudo gratiæ quantùm ad consummationẽ siue perfectionem: & hæc est in Christo homine. Vnde: *Plenum gratiæ & veritatis*: quia habuit gratiam quantum ad omnem actum perfectum. Et ex hoc etiam est, qđ Christus Ioan. 1.
non habuit fidem & spem sub his rationibus: quia non fuit gratiæ consummatæ: immò sunt eorum, quę nondum habentur: & ideo dicunt illud, quod dicunt, cum imperfectione: Christus autem habuit gratiam perfectionis, & ad omnem actum perfectum.

¶ AD aliam quæstionem, vtrùm Christus secundũ gratiam absolutam sit membrum corporis Ecclesiæ. Dicendum, quòd Christus dicitur caput Ecclesiæ secundùm humanitatem, & diuinitatem. Si ergo dicatur caput secundùm diuinitatem, & comparemus ad hoc caput humanitatem Christi; sic Christus secundùm humanitatem est membrum scil. ipsius diuinitatis, quæ est caput: quia ipsa diuinitas, cui vnita est humanitas; mouet ipsam humanitatem & sensificat, sicut caput mẽbra: & hoc modo Christus est membrum corporis Ecclesiæ: cuius caput est diuinitas: & hoc modo dicitur: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*. Gloss. *de membro, id est, de Christo capite*: 1. Cor. 12. Gloss.
vnde appellat ibi Christum caput secundùm humanitatem: tamen est membrum respectu diuinitatis. Si verò dicatur caput secundùm humanitatem: sic non debet dici membrum corporis Ecclesiæ, sed caput.

¶ SED tunc obijcitur contra. Caput est membrũ corporis: & de integritate ipsius. Dicendum, quod non est per omnia simile de capite & corpore materiali & spirituali: quia in capite & corpore materiali ita est, quod cum influat caput ad corpus & ad singula eius membra; ipsum tamen caput indiget alijs membris: vnde alia membra influunt ipsi: sicut enim à capite influit sensus ipsi cordi: ita à corde influit vita capiti: & similiter ab epate influit nutrimentum ad caput: sine quib. non potest esse caput: vnde mutuò sibi seruiunt caput & mẽbra materialia. Vnde caput materiale non solùm se habet in ratione influentis ad alia mẽbra; sed etiam in ratione recipientis ab ipsis: quia se habent in mutua indigentia: ita qđ membra indigent capite, & econuersò. Vnde: *Nõ potest autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij*. Sed Christus secundùm humanitatem, quæ est ca- 1. Cor. 12.
put spirituale respectu corporis spiritualis Ecclesiæ, non indiget membris suis: vnde se habet ad ipsa solum in ratione influentis, & non ab ipsis recipientis. Et ideo dicitur caput corporis Ecclesiæ, & non membrum: quia non indiget corpore. Et sic patet responsio.

D. Tho. 3. par. q. 9. 10. 11. & 12. S. Bon. in 3. d. 14. Sco. ibid.

QVÆSTIO XIII

De scientia Christi.

In septem Membra diuisa

POST inquisitionem de gratia Christi, restat ad praesens inquirendum de eius scientia ... quaeritur; in hunc modum. Primò, vtrum in Christo secundum duas naturas sit ponere duas scientias. Secundo, vtrum scientia sua in Christo ab initio infusa, aut per successionem temporis acquisita. Tertio, vtrum fuerit sine aliqua ignorantia. Quartò, vtrum fuerit omnium. Quinto, vtrum secundum omnem modum sciendi humanum. Sexto, vtrum aliquam scientiam receperit ab Angelis. Septimò, vtrùm æqualis fuerit scientia Christi scientiæ Dei.

MEMBRVM I.

An in Christo iuxta duas naturas duas etiam scientias ponere sit.

AD primum arguitur sic. Cùm in Christo sit vna persona: vnius autem personæ vna est perfectio: scientia autem est perfectio: relinquitur ergo, quod vna erat scientia Christi.

¶ ITEM, cum Christus sit sciens secundum scientiam increatam: scientia autem increata est certissima & perfectissima & nobilissima de omnibus: ergo secundum illam Christus de omnibus habet perfectissimam & nobilissimam scientiam: vanum est autem ponere haberi per plura: quod perfectè habetur per vnum: relinquitur ergo quod Christus non habet scientiam aliam quam increatam.

¶ ITEM, habens scientiam nobiliorem, non indiget ignobiliori. Cùm ergo in Christo sit scientia per gratiam vnionis, & scientia increata: superfluè ergo ponerentur in Christo aliæ scientiæ creatæ scil. naturæ integræ & perfectæ, & scientia experientiæ.

¶ ITEM, scientia Christi, quæ est per gratiam vnionis, est secundum maius lumen; quam sint aliæ tres sequentes. Sed sic est in lumine corporali, quod maius lumen absorbet minus: ergo similiter erit in lumine spirituali: ergo non manent in Christo alij modi sciendi, nisi solùm duo primi suprà distincti: quorum vnus est scientiæ increatæ: alius est per lumen gratiæ vnionis.

¶ ITEM, in Angelis post confirmationem non remansit cognitio vespertina: nec in hominibus adueniente gratia comprehensionis siue beatitudinis, manebit scientia fidei: *quia cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quòd ex parte est.* Ergo in Christo non potuit esse scientia creata cum scientia increata: vel ad minus scientia vnionis vel comprehensionis.

1. Cor. 13.

Damasc.

¶ CONTRA Ioan. Damasc. *Quorum sunt diuersæ naturæ, eorum sunt diuersæ operationes: rationibus autem proportionantur habitus*: ergo cum in Christo sint diuersæ operationes propter diuersas naturas; erunt in ipso diuersi habitus: ergo cum scientia dicat habitum secundum diuinam naturam & humanam, in Christo erunt diuersæ scientiæ.

¶ ITEM, si in Christo non esset nisi scientia increata, non esset anima Christi sciens: cum scientia animæ, qua scit formaliter, sit creata: eadem ratione nec esset diligens, nec beata: relinquitur ergo quòd ipsa est sciens scientia creata.

Boet. in lib. de duabus naturis & vna persona Christi.

¶ ITEM, sicut dicit Boetius, *Christus accepit aliquid à triplici statu humani generis, seu Adæ.* Vnus status fuit, qui debebatur ei, si stetisset scil. status beatitudinis in præmium. Alius fuit status in statu, in quo erat scil. status innocentiæ: secundum quem statum debebatur ei scientia, quæ debetur naturæ integræ & perfectæ. Alius status fuit post lapsum: secundum quem statum habuit scientiam experimentalem habuit etiam scientiam pœnæ peccati per experientiam. A primo ergo statu habuit Christus scientiam comprehensionis: a secundo statu scientiam naturæ integræ & perfectæ: a tertio statu scientiam experientiæ sed non experientiam culpæ sed tantùm pœnæ. Relinquitur ergo quod præter scientiam increatam, & scientiam gratiæ vnionis, erit in Christo triplex alia scientia, sicut supra dictum est.

RESOLVTIO.

Vt in Christo naturam humanam vndequaq; perfectam statuamus & vltra scientiam increatam etiam creatam scientiam statuere habemus.

¶ QVOD concedendum, est.

¶ DICENDVM igitur ad primum, quod habitus non diuersificantur secundum personam, immo secundum naturam. Vnde dicit Ioan. Damasc. *Quia in Christo sunt diuersæ voluntates propter diuersas naturas.* Et similiter dicendum in Christo propter diuersas naturas diuersas scientias, creatam & increatam.

Damasc.

¶ AD aliud dicendum: quod quamuis Christus homo vna sit persona cum filio Dei; & propter personalem vnionem sit sciens scientia increata sicut filius Dei: vnde ratione personæ non indigeat alia scientia: tamen ratione personæ in humana natura indiget alia scientia, scil. creata. Non enim debet esse humana natura in Christo imperfecta: quod consequeretur, si careret scientia creata: sed perfectior deberet esse in ipso natura omnibus alijs; ideo omni genere sciendi scientia creata oportet quod sit perfecta illa anima.

¶ AD aliud dicendum: quod duplex est necessitas vel indigentia: vna quidem est rei in se; altera est respectu finis: quæ quidem necessitas idem est quod vtilitas, prout necessarium dicitur vtile in vno sensu. Dicendum ergo, quod Christus homo habens scientiam vnionis & comprehensionis propter se, non indiget altero modo sciendi. Sed quia assumpsit humanam naturam; vt genus humanum per verum hominem redimeretur, respectu finis istius necessaria erat duplex in Christo scientia, naturalis scilicet, & scientia experientiæ. Scientia naturalis siue naturæ integræ & perfectæ: vt verus homo probaretur: scientia verò experientiæ; vt genus humanum per sensum pœnæ & experientiam redimeretur. Et huiusmodi scientiæ sunt vtiliores seu magis conuenientes fini prædicto: quamuis aliæ simpliciter meliores.

¶ AD aliud dicendum: quod in corporalibus minus lumen obfuscatur & absorbetur à maiori. Et ratio huius est, quoniam omnia lumina corporalia sunt ad vnum actum scil. manifestationis: qui quidem actus per se & perfectissimè est à lumine maiori. Sed in spiritualibus non sic: non enim omnia lumina spiritualia sunt ad vnum actum. Distinguendum tamen est secundùm statum comprehensoris & viatoris. Viatoris enim non est vnus actus, sed plures: vnde luminaria plura virtutum seu donorum in viatore non sunt ad vnum actum; & inde est quod non est eadem cognitio secundùm speciem per illa. In statu verò comprehensoris inquantum comprehensoris, non est nisi vnus actus, qui determinatur secundum summum luminis, & totalitatem virtutis eius: lumen scil. diuinæ visionis in gloria. Secundum hoc ergo dicere solum, quod aliæ cognitiones, quæ sunt secundum minora lumina scil. fidei, & huiusmodi; absorbentur: & secundum hoc accipitur illud, quod dicitur. Cum venerit quod perfectum est, &c. Christus autem erat in statu comprehensoris simul & viatoris secundum partes animæ differentes, inferiorem & superiorem: & ideo scientia comprehensionis non absorbebat alias scientias. Et sic patet solutio ad obiecta.

MEMBRVM II.

An ab instante conceptionis, vel successiue indita fuerit scientia Christo.

CONSEQVENTER quæritur Vtrum scientia indita fuerit Christo ab initio suæ conceptionis, vel per successionem temporis acquisita.

¶ AD quod sic arguitur: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Sed discere est venire in notitiam illius, quod prius non habuit: ergo Christus non habuit plenam scientiam à principio ergo acquisita est.

Hebr.

¶ ITEM,

[Psalm. 15. Glossa.] ¶ Item, *Qui tribuit mihi intellectum*, &c. Gloss. *Vsque ad mortem erudiuit me pars inferior mea scilicet carnis assumptio; vt experiretur tenebras mortis.* Ergo ex aliqua parte fuit in eo scientia acquisita.

[Lucæ 2. Beda.] ¶ Item, super illud Luc. 2. *Proficiebat puer Iesus ætate & sapientia.* Beda: *Sicut carnis est ætate proficere: sic animæ gratia, & sapientia.* Ergo recepit cognitionem, quam prius non habebat.

[Leo Papa.] ¶ Item, Leo: *Adorauerunt infantem, in nullo ab aliis generalitate infantiæ dissimilem.* Sed non habere aliquam notitiam pertinet ad generalitatem infantiæ: ergo non habuit tunc notitiam: ergo postea profecit.

[Damasc. lib. 3. de Orthod. fide cap. 21.] ¶ Item, Damascenus: *Oportet cognoscere, quomodo seruilem & ignorantem naturam accepit: serua enim Dei est hominis natura, qui fecit eam; & non habet futurorum cognitionem.*

¶ Item, si imperfectionem habuit ex parte affectiuæ: multo fortius ex parte cognitiuæ, quæ ordinatur ad affectiuam. Cum ergo constet, quod imperfectionem habuit ex parte affectiuæ sensibilis, secundum quam habuit tristitiam & timorem: ergo ex parte cognitiuæ sensibilis habuit imperfectionem.

[Hieron. in c. 26. Matth.] ¶ Item, simili ratione videtur, quod in parte rationali habuit imperfectionem, quantum ad cognitionem: cum etiam in parte rationali habuerit imperfectionem, quantum ad affectiuam. Quod probatur: dicit enim Hieronymus: *Cœpit Iesus timere, ne anima eius videretur irrationalis:* ergo in ratione fuit timor. Secundum ergo hunc modum viatoris fuit timor in ratione.

[Ad Hebr. 4. August.] ¶ Item, *Non habemus pontificem, qui non possit compati,* &c. Augustinus: *Multiplex est in Christo natura. vna secundum quam patiebatur, scilicet corpus: altera, secundum quam compatiebatur, scilicet anima: tertia, secundum quam nec patiebatur nec compatiebatur scilicet diuinitas.* Ergo si rectè distinxi, anima secundum omnem partem patiebatur: quia secundum sensitiuam patiendo, secundum affectiuam rationalem compatiendo: ergo & in rationali: & ita didicit per experientiam pars illa.

[Ad Rom. 8.] ¶ Item, Deus assumpsit humanam naturam in similitudinem carnis peccati; quia sumpsit eam de massa peccati. Roman. 8. Sed illud est humanæ naturæ corruptæ. Sed secundum hominem ordinata cognitio est, vt ex multis sensibus fiat vna memoria, & ex multis memoriis vnum experimentum: ergo hic modus cognitionis erat etiam in Christo.

[Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei c. 7. & lib. 4. super Genes. ad literam c. 24.] ¶ Item, Augustinus: *Angeli cognitionem matutinam habuerunt in comparatione ad verbum: vespertinam in comparatione rerum in genere suo.* Ergo si Christus vtroque modo cognouit, habuit cognitionem vtramque: & ita potuit crescere vespertina scientia eius sicut Angelorum: quia possunt* fieri quæ non sunt.

[* Aliàs, scire quæ non sciuntur.]

[Gregor. super Lucæ 2.] ¶ Contra, Gregor. super illud: *Proficiebat ætate & sapientia,* &c. *Non accipiendo quod non habebat per accessum temporis: sed pandendo donum gratiæ.*

[Damasc.] ¶ Item, Damascenus: *Proficere dicebatur, secundum eam, quæ inerat sibi, sapientiam in manifestationem ducens.* Relinquitur ergo: quod non fuit scientia, licet manifestatio.

¶ Item, nihil habens habitum secundum nobiliorem modum & perfectum, habet ordinationem ad illum secundum [illegible]modum imperfectum. Sed ignobilior est ille, qui est [illegible]dum experientiam; illo, qui est secundum viam aliam: ergo Christus non profecit in scientia secundum experientiam.

¶ Item, Christus secundum intellectum fuit comprehensor. Sed anima in gloria nullo modo ordinatur ad habitum experimentalem, immò euacuat huiusmodi habitum tanquam id, quod imperfectum est, cum adest cognitio perfecta. Si ergo perfectum tollit imperfectum præteritum, non ordinat ad imperfectum futurum. Relinquitur ergo, quod cognitio in parte non fuit in Christo: ex quo habuit cognitionem perfectam.

* * *

RESOLVTIO.

Iuxta diuersam sciendi rationem & ab æterno inditam, & progressio temporis partam Christi scientiam asseuerare possumus.

¶ Solutio. Vnus est modus sciendi in Christo secundum diuinam naturam: & ibi scientia idem est quod idipsum, id est quod eius essentia: iste modus fuit in filio Dei ab æterno. Secundus est in Christo secundum gratiam vnionis, quam scientiam nulla alia creatura habuit: iste enim modus distinguitur ab omni alio sciente. Item tertius est secundum gratiam comprehensoris [illegible] in hoc communicant Angeli, & animæ sanctæ. Item quartus secundum naturam integram animæ: secundum quam habuit Adam scientiam in statu innocentiæ: & hanc habuit perfectius, quam alij puri homines. Item quintus secundum pœnalem naturam assumptam. Item sextus est quædam gratia data Christo ad cognoscendum res secundum numerum * secundum progressum temporis: quæ fuit à principio data animæ Christi, secundum intellectum: non dico ipsam cognitionem. Et quantum ad primum similiter se habet ante incarnationem, & post. Secundus verò non fuit ab æterno: secundum hanc omnium habuit cognitionem scilicet eorum; quæ pertinebant ad mysterium incarnationis, passionis, & redemptionis. Hanc etiam non habuerunt Angeli statim post confirmationem: vnde dixerunt. *Quis est iste, qui venit de Edom*, &c. [Esa. 63.] Et si aliqui habuerunt, hoc fuit ex superadditione aliqua, non ex ipsa gloria. Et secundum hoc intelligitur illud: *Vt innotescat principatibus & potestatibus per Ecclesiam.* [Ad Eph. 3.] Secundum verò tertium modum cognitionis scil. comprehensoris, habuit cognitionem omnium pertinentium ad suam gloriam, & suorum, id est, eorum, quæ ordinantur ad illam. Quartus verò modus cognitionis, quæ est secundum naturam integram, quæ fuit in Adam: *Adduxit ea ad Adam: vt videret*, &c. [Genes. 2.] fuit in Christo secundum naturam integram, quam assumpsit. Quintus, qui est cognitionis, quæ est secundum naturam pœnalem; fuit similiter in Christo. In hac didicit diuersas pœnalitates secundum experientiam in affectiua, quas tamen cognouit secundum alium modum scil. secundùm gratiam cognitionis, quæ data est sibi per gratiam vnionis: vnde præsciuit illas secundum gratiam, quæ fuit gratia vnionis. Sextus modus cognitionis est ad cognoscendum per experientiam; non vt prior, quæ affectiuæ fuit; sed cognitiuæ ex sensu. Vnde specialis gratia, quam habuit ad sciendum; fuit ei data quò ad experientiam in cognitiua.

[* Aliàs, per.]

¶ Notandum autem, quòd est duplex cognitio in sensu per experientiam: cognitio enim in sensu est duobus modis. Vno modo cum res est in sensu secundùm similitudinem, alio modo cum est in sensu secundum formam: aliter enim est similitudo coloris in oculo: aliter dolor. Et secundum hoc duplex est cognitio in Christo secundum experientiam. Prima quantum ad naturam pœnalem: secunda quantum ad specialem gratiam cognoscendi res secundùm numerum per processum temporis.

¶ Ad obiecta verò in contrarium dicendū: quod quædam authoritates intelliguntur secundum cognitionem completam secundum gratiam vnionis & comprehensoris, & integræ naturæ: aliæ verò intelliguntur secundum cognitionem experimentalem: aliæ verò secundum manifestationem quò ad nos.

¶ Nota tamen qd' si quandoq; nouit primo modo; quod prius non nouit illo eodē modo; nō debet propter hoc dici ignorantia. Ignorantia.n. dicitur esse alicuius, qd' prius non fuit cognitum: & de his, quæ necessaria sunt: sed talis non fuit in Christo. Non enim potest dici qd' aliquid non nouit, quod non prius: quia sensibilia, quæ addidicit per experientiam, prius nouit per modum nobiliorem & perfectiorē: ignorantia aūt est defectus perfectionis. Et sic patet responsio ad primò obiecta: quia & si didicit ex his, quæ passus est, obedientiā: & si eruditus est vsq; ad mortē, non propter hoc sequitur, quod fuit ignorās: quia quod processu tēporis cognouit sciētia experimētali, prius cognouit alio modo [illegible]

cognitionis. Similiter intelligendum est de aliis obiectis sequentibus. Vnde non venit in aliquid nouum totum omnino per processum temporis: sed in aliquid non notum sic.

¶ Ad hoc, quod dicit Damasc. quod assumpsit naturam seruilem, & ignorantem. Dicendum quod seruilis dicitur ratione peccati: sed sic non fuit in eo seruilis: sed seruilis ratione pœnæ, ad quam obligata fuit humana natura propter peccatum. Quod vero dicitur ignorans: hoc refertur ad genus naturæ, non ad naturam, prout fuit in Christo: Ipse enim dicitur filius, non seruus. Vnde Anselmus ostendit, quod non decuit ipsum assumere ignorantiam, dicens. Quomodo tot & tanta faceret ille homo sine immensa sapientia? Vbi ostendit quod non fuit ignorantia naturæ respectu boni, nec respectu mali, sic. Si nihil amatur, quod non cognoscatur: sicut nihil boni est, quod non amet; sic nihil boni est, quod ignoret: bonum autem nemo perfectè nouit, nisi qui scit illud à malo discernere. Et sic non fuit ignorantia, nec respectu mali, nec respectu boni.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod imperfectio fuit ex parte cognitiuæ, sicut ex parte affectiuæ. Dicendum quod non est verum: quia ipse Dominus dispensatiuè, & secundùm congruitatem redemptionis nostræ assumpsit imperfectiones quasdam ex parte affectiuæ, prout congruebat nostræ redemptioni. Non autem ex parte cognitiuæ: quia huiusmodi defectus scil. qui ponunt ignorantiam; noxij essent in multis, & in nullo vtiles: vt vult* Anselmus.

*Anselm

¶ Ad aliud August. quod obiicitur, quod compassio fuit in intelligibili affectiua, sicut passio in sensitiua. Dicendum quod licet intelligibilis pars esset consentiens vel compatiens corporali, quando patiebatur: nihilominus fruebatur perfectè. Et hoc enim quod patiebatur, gaudebat: vnde perfectum habuit gaudium, & maximam passionem: quia ex hoc fuit gaudium perfectius, sicut est in sanctis patientibus pro Christo. Gloria verò illa, & gaudium erat secundum ordinem ad superius: scilicet ad diuinam naturam sibi vnitam, secundùm quam residebat ratio totius redemptionis. Compassio verò secundùm ordinationem ad inferiùs. Vnde licet compassio esset, & passio: ex magnitudine tamen gloriæ non reputabatur. Prætereà, licet hoc didicerit per experientiam; sciuit tamen alio modo, vt supradictum est: vnde non fuit ignorans: nam licet rationalis pars didicerit per experientiam, sciuit tamen alio modo.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod ex multis sensibus vna memoria, &c. Dicendum, quod duplex est cognitio experimentalis. Vna per viam acquisitionis scientiæ: secundum quod ex multis memoriis colligitur vnum experimentum: & ex multis exprimentis vnum vniuersale, quod est principium scientiæ. Alia est in via exercitij practicæ: sicut cum aliquis habet theoricam medicinæ, experitur & procedit in operibus practicæ. In prima via est motus ab incognito ad cognitum. In secunda verò est motus non ab incognito ad cognitum: sed à cognito hoc modo, incognitum secundum alium modum: sicut dicit Philosophus. Prima via est imperfectionis naturæ: quia est motus ab ignorantia ad scientiam: & ideo non est ponenda in Christo. Secunda verò via est perfectionis naturæ: nam secundum eam non est motus ab ignorantia ad scientiam, sed ab huiusmodi scientia ad alterius modi scientiam. Prætereà, venire à posterioribus in priora, est secundum naturam corruptam & imperfectam: econuersò vero venire; est secundum naturam perfectam in primo statu: & ita fuit in Christo.

Attende, an detur huiusmodi processus.

¶ Ad aliud dicendum, quod dissimiliter est in Christo & in Angelis matutinum & vespertinum. Vespertina enim cognitio propriè dicitur in creatura, quæ possibilitatem habet ad obscuritatem, (vespertinum enim dicit possibilitatem ad obscuritatem) & hæc possibilitas fuit in Angelis. Vnde hoc fuit in natura alia à Christo tantum: sed in Christo non fuit hæc possibilitas propter vnionem. Vnde & si habuit cognitionem rerum in genere suo; non conuertitur cum cognitione vespertina, nisi fiat additio scil. possibilitas ad obscuritatem. Vnde habere cognitionem in genere suo cum tali possibilitate; conuertitur cum cognitione vespertina. Sed talem non habuit Christus: ergo nec vespertinam. Sed statim cum vnita est natura humana cum diuina, habuit gratiam: & sic fuit cum lumine & non cum obscuritate aliqua, sicut angeli, quantum est de natura sua.

MEMBRVM III

An Christi scientia sine omni ignorantia fuerit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum scientia Christi fuit sine aliqua ignorantia. Dicit enim Ambr. *Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ: suscepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum.* Et sequitur: *Expers autem agnitionis infantia per humanam vitam, imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorabat.*

Ambros. lib. de Incarnatione Domini c. 7. Ibidem.

¶ ITEM, Ioan. Damasc. *Ignorantem & seruilem assumpsit naturam.*

Damasc. lib. 3. de Orthod. fide cap. 21.

¶ ITEM, Anselm. *Cur non poterat ille homo verè esse ignorans, sicut verè mortalis erat?* Ex quo arguitur: cum verè assumpserit ipse mortalitatem, quod & verè ignorantiam.

Anselm lib. 2. Cur Deus homo.

¶ CONTRA. Anselm. *Illa assumptio in vnitate personæ filij Dei non nisi sapienter à summa sapientia fiebat.* Et ideo non assumpsit in homine, quod nullo modo vtile, sed valde noxium est ad suum opus: quod idem homo facturus est. Ignorantia namq; ad nihilum illi vtilis esset: sed ad multa noxia.

Anselm.

Idem ferè ad verbū habes suprà quæst. 5. memb. 2 Art. 1. § 1.

¶ ITEM. Quomodo tot & tanta opera faceret: sine immensa sapientia?

¶ ITERVM. Quomodo illi crederent homines, si illum scirent nescientem? Si autem nesciret, ad quid esset illi vtilis ignorantia?

¶ ITEM Ioan. Damasc. *Proficere dicitur ætate, & sapientia: per augmentationem ætatis eam, quæ ei inerat, sapientiam in manifestationem ducens. Qui autem dicunt ipsum proficere ætate & sapientia, vt additamentum suscipientem: non eam quæ secundùm hypostasim, vnionem venerantur.*

Damasc.

¶ ITEM, maior est cognitio creaturæ per vnionem, quàm per comprehensionem. Si ergo in cognitione, quæ erit per apprehensionem in gloria, ignorantia non manet: ergo nec cum vnione poterit esse ignorantia.

¶ ITEM, si aliquis oculus haberet similitudines omnium visibilium vnitas: virtus visiua iuncta illi oculo haberet cognitionem omnium sensibilium. Ergo cum intellectus animæ Christi sit iunctus intellectui increato, in quo rationes & ideæ rerum omnium sunt: intellectus Christi habebit cognitionem omnium sine ignorantia alicuius.

RESOLVTIO.

Quia sapienter Christus ignorantiam assumere nequiuit; in eius scientia ob id ignorantia non fuit.

¶ QVOD concedendum est. Et dicendum ad primum in contrarium secundum Ioan. Dam. & secundum Gregor. Theologum. Si separabis quod videtur, ab eo quod intelligitur; & serua dicetur & ignorans caro, propter hypostaseos autem, id est, personæ indiuisibilem vnionem ditata est anima Domini futurorum cognitione.

Dam. & Gregor. Theol.

¶ AD secundum respondet Anselmus: *Sapienter Deus assumpsit mortalitatem: qua sapienter & valde vtiliter vteretur: ignorantiam verò non poterat assumere sapienter: quia nunquam est vtilis, sed semper noxia: nisi fortè mala voluntas, quæ nunquam in illo erit, ab effectu restringatur.*

Anselm.

¶ AD authoritatem Ambros. respondet Magister in Sent. exponendo, & dicens: quod intelligenda sunt verba Ambr. vt quantum ad visum hominum, & sui sensus ostensionem profecisse dicatur.

Magist. Sent.

(*)

MEMBRVM IV.

An Christus vniuersorum scientiam habuerit?

CONSEQVENTER quæritur, Vtrùm scientia Christi fuerit omnium, id est, vtrùm omnium habuerit scientiam. Ad quod sic Anselmus: *Nihil amatur, quod non cognoscatur.* Si ergo nihil est boni, quod anima Christi non amet: ergo nihil est boni, quod ignoret. Bonum autem nemo perfectè nouit: nisi qui scit à malo illud discernere: nullum ergo erit malum, quod ignorabat. Ex quo relinquitur, quod omnium tam bonorum quam malorum habuit scientiam. — Ansel. li. 2. Cur Deus homo cap. 13.

¶ ITEM, *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam.* Gloss. *omnium rerum cognitionem, sicut verbum sibi vnitum.* — Apoc. 5. Glossa.

¶ CONTRA, *De die illa nemo scit, neque filius,* &c. Ergo ipse secundum quod homo diem iudicij ignorauit: vnde Hieron. *Solus pater, & filius, & spiritussanctus, id est, vnus Deus in sua scientia, alijs incognitum hoc reseruat.* Ergo ab illa cognitione excluditur omnis creatura: ergo & Christi anima. — Matt. 13. Hieron.

¶ ITEM Ambr. *Per humanam imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat.* — Ambros.

RESOLVTIO.

*Christus ratione vnitæ naturæ omnium notitiam habuit: * nec eum quidquam latere potuit.*

¶ RESP. Aliud est loqui de natura in se: aliud de natura vnita. Quod ergo dicitur nescire de hora iudicij, intelligitur ratione naturæ in se: ratione verò naturæ vnitæ habet notitiam illius. Vnde Damasc. secundum Gregor. Theologum. *Si separabis quod videtur, ab eo quod intelligitur; ignorans dicitur caro: propter personæ verò indiuisibilem vnionem ditata est anima Domini futurorum cognitione.* Vel aliter secundum Rabb. & Bedam: *Cum dicitur nescire filius, intelligitur de filio adoptiuo.* Vnde subdunt, non de vnigenito, sed de adoptiuo filio hoc dixisse. Et per hoc patet responsio ad primum. — Damasc. Raban & Beda.

¶ AD secundum dicendum secundum Ansel. Cum dictum est, *Christus didicit:* intelligendum est, fecit alios discere: vel quod per scientiam non ignorauit, experimento didicit. — Ansel. in lib. Cur homo Deus.

¶ SECVNDVM hoc quæritur: vtrùm sequatur: Christus habet scientiam omnium, ergo habet scientiam creandi mundum? Ad quod dicendum, quod hæc est duplex. Christus habet scientiam creandi mundum: quia iste genitiuus *creandi* potest dicere habitudinem ad scientiam causæ materialis: vel effectiuæ. Si dicat habitudinem causæ materialis, vera est, & est sensus: habet scientiam creandi, id est, habet scientiam de creaturis, aut de ipsa creatione. Si dicat habitudinem causæ efficientis, falsa est: quia tunc est sensus: habet scientiam ad creandum, vel ad hoc vt creet: quod falsum est. — Dubitatio.

MEMBRVM V.

Si Christus habuerit scientiam secundum omnem sciendi modum.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm Christus habuit scientiam secundũ omnem modum sciendi? Quæritur ergo, vtrùm habuit scientiam deliberatiuam. Quod videtur: quia ista est propriè humanæ naturæ: ipse aut accepit omnes proprietates humanæ naturæ: ergo & istam habuit.

¶ CONTRA. Dam. *In Christi anima non inquirimus consilium & electionem: non enim habuit ignorantiam.* — Damasc.

¶ RESP. Electio dicitur dupliciter: & consiliũ similiter. Vno modo consilium dicitur appetitus inquisitionis eius, quod ignoratur: & electio præoptio prouenies ex huiusmodi consilio: & hoc modo non fuit in Christo consiliũ, nec electio. Alio modo consiliũ dicitur discretio interna boni à malo, & electio præoptio boni: & hoc modo fuit in Christi anima consilium, & electio, & scientia deliberatiua.

¶ ITEM quæritur: vtrùm in Christo fuerit cognitio successiua ex parte intellectus speculatiui. Nam dicit Aug. *Omnium scientiam vno affectu videbimus: nec erunt volubiles cogitationes de vno in aliud.* Ergo multomagis intellectus Christi vnitus summæ sapientiæ, omnia sciebat, & contemplabatur. — August. in lib. 15. de Trinit.

¶ CONTRA. Scientia in Christo homine est secundum naturã rationis humanæ: Sed ratio secundum quod est propria hominis: & facit differentiam à Deo, & Angelis, decurrit ab vno cognito & accepto in aliud, & ab vno prius accepto post aliud, vt à præmissis ad conclusionem. Sed constat, vbicunque est talis cognitio, est successio: nec est in vno aspectu: relinquitur igitur quod scientia Christi secundum rationem humanam ex parte speculationis est successiua.

¶ ITEM Greg. *Cùm mens hominis ad vnum se conuertit: auertit se ab alio.* — Gregor.

¶ RESP. Cum multiplex (sicut dictum est) sit scientia in Christo creata: scientia sc. secundum gratiam vnionis, & scientia comprehensionis, & scientia naturæ perfectæ, & scientia experientiæ. Secundum duas primas est scientia in Christo sub vno aspectu, non successiua: quia est in contemplatione causæ, quæ Deus est; in qua videt omnia simul: secundum quod dicit Apostol. *Tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* Quia sicut Deus cognoscit nos in seipso, & omnia alia: ita & nos in gloria comprehendimus nos & omnia alia in Christo: & ita simul omnia. Et hoc modo anima Christi per gratiam vnionis & comprehensionis simul nouit omnia, non successiuè. Secundum verò scientiam integræ naturæ, & scientiam experientiæ non speculabatur omnia simul: sed erat decursus ab vno noto ad aliud notum: non tamen à noto ad ignotum, sed à noto secundum hunc modum, in ignotum secundum alium modum: secundum quod dicit Philosophus: quod scientes propter quid, nesciunt ipsum quia: cum igitur postea ipsum quia cognoscant, non mouentur à cognito in non cognitum: sed à cognito sic in incognitum secundum alium modum. Et secundum hoc patet responsio ad obiecta. — 1. Ad Cor. 13.

¶ CONSEQVENTER quæritur: vtrùm cognitio per experiẽtiam mansit in anima Christi post separationẽ. Quia videtur, quod huiusmodi scientia bona est: sed nullum bonum ei desinit: ergo ista scientia permansit.

¶ CONTRA. Ista scientia fit per passionem sensus: sed nulla passio permansit: nec sensus passio: ergo nec ista scientia permansit.

¶ RESP. In cognitione experientiæ imperfectio est: ratione eius imperfectionis non potest remanere* in beatificata anima secundum partem sensibilem: & ideo quia in parte est, non remanet: secundùm quod dicitur: *Cùm venerit, quod perfectum est; euacuabitur, quod ex parte est.* — * Aliàs, beata. 1. Cor. 13.

MEMBRVM VI.

An Christus scientiam aliquam ab Angelis acceperit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm Christus acceperit aliquam scientiam ab Angelis. Ad quod sic Dion. *Per Angelos videmus eum sub paternis legibus ordinatum.* Sed superior ordo inferiorem illuminat, & sic deinceps: relinquitur ergo quod supremus ordo ad minus erat illuminatiuus animæ Christi. — Dion. in hierarchia angelica.

¶ CONTRA, *Minuisti eum paulò minus ab angelis:* Gloss. *Hoc est ratione passionis, non potentia.* Ergo nec ratione scientiæ minor erat angelis. — Ad Hebræ. 2.

¶ ITEM Gloss. ibidem: *Natura mentis humanæ, quam assumpsit Christus, solus maior est Deus.* Ergo non est minor angelis: ergo nunquam habuit illuminationem ab eis. — Glossa. Eadem ibid.

RESOLVTIO.

Nullam prorsus.

¶ QVOD concedendum est.

¶ AD illud ergo, quod dicit Dion. Dicendum quod non intelligit ipse, quod subdatur angelis quantum ad scientiam: sed quod per angelicum officium incarnationis mysterium dispensatum est. Vnde dicit: *Video, quia diuinum humanitatis mysterium angeli docuerunt: sicut diuinissimus Gabriel* — Dion.

Zacha-

Zachariam docuit & Mariam: alius angelorum Ioseph erudiebat. Et ipse Iesus super cœlestium essentiarum superessentialis essentia subditur patris & Dei per Angelos dispositionibus: per ipsos nunciatur ad Ioseph Iesu ad AEgyptum recessio, & rursus ad Iudaam reditio.

MEMBRVM VII.

An scientia anima Christi aqualis fuerit scientia Dei?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm scientia animæ Christi fuerit æqualis scientiæ Dei. Ad quod sic obiicitur. Quantitas scientiæ attenditur secundum quantitatem scibilium: si ergo æqualia sunt scibilia animæ Christi scibilibus scientiæ Dei: æqualis erunt scientiæ.

Hugo de S Victore Tractatu de anima Christi. ¶ ITEM Hug. *Anima Christi aquè sapiens est vt Deus.*

¶ CONTRA, scientia Dei est sua essentia: & comprehendit suam essentiam, & suam potentiam, & virtutem. Cum ergo essentia, potentia, & virtus sint infinita: etiam scientia Dei infinita. Cum ergo scientia animæ, Christi sit finita; quia creata; impossibile est æquari.

Idem. ¶ ITEM Hug. *Vnum scio, & indubitanter affirmo: quia aut alia scientia prater diuinam in anima Christi non fuit: aut si alia fuit, ei aqualis non fuit.*

Psalm. 138. Glossa. ¶ ITEM, *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam.* Gloss. *Homo vnitus diuina natura non potest ei aquari in scientia.*

RESOLVTIO.

Et quidem quantùm ad scita: sed non quantùm ad medium, & modum; quibus scitur.

¶ RESP. Est considerate diuinam essentiam, secundùm quod dicitur respectu sui: & secundum quod dicitur de respectu creatoris. Secundum quod dicitur respectu sui, est scientia essentiæ & virtutis infinitæ: & secundum hunc modum nihil est ei æquabile. Secundum verò quòd dicitur respectu creaturarum, consideratur diuina scientia in triplici respectu. Primus respectus est ad id, quod scitur: secundus ad medium, per quod scitur; tertius est ad modum, quo scitur. Et ad hoc quod dicatur aliquid æquale scientiæ Dei; oportet quod æquetur secundùm hæc tria: quod non est possibile creaturę aliquo modo. Dicendum ergo, quod comparatione habita scientiæ animæ Christi ad diuinam scientiam secundum illud, quod scitur; est dicere animam Christi æquè scire sicut Deus: quia scit omnia, quæ Deus. Comparatione verò habita quantum ad medium, propter quod scitur: vel quãtum ad modum, quo scitur; non erit dicere æqualitatem. Quia Deus scit omnia per seipsum sicut causam omnium: anima verò Christi non per seipsam causam, immò per causam Deum: ecce inæqualitas quantum ad medium. Præterea: clariùs & luculentiùs est cognitio Dei, quàm cognitio animæ Christi de rebus omnibus: quia ipse Deus omnes res videt vt in se: anima verò Christi non vt in se, sed vt in Deo: ex quo patet inæqualitas quantum ad modum. Ex quo relinquitur simpliciter inæqualitas & inæqualis:

QVÆSTIO XIV.
De potentia Christi.

In duo Membra diuisa.

D Tho. 3 part q. 13. S Bon in 3. d. 12 art. 2. Sco. ibid. POST inquisitionem de gratia, & scientia Christi; est inquirendum de Potentia Christi. Et circa eam quæruntur duo. Primum; an generaliter fuerit in Christo potentia non peccandi. Secundum, vtrùm in ipso Christo secundùm quod homo fuerit omnipotentia.

MEMBRVM I.

An generaliter fuerit in Christo potentia non peccandi.

Ansel. lib. 2. *Cur Deus homo* c. 10. AD primum obiicitur sic. Ansel. *Quomodo dicemus cum non potuisse mentiri: quod semper est peccatum; cum dicat Iudais de patre. Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Et inter hæc verba dicat: *Non scio eum.* Ergo ipse potuit esse mendax: ergo potuit peccare. Ioan. 8.

¶ ITEM idem Ansel. *Qui cum dicat has tres dictiones non potuisse proferre sine aliis verbis: vt diceret; non scio eum? quod sicut faceret, sicut essent ipse ait, mendax*: cum ergo hoc potuit; peccare potuit. Ansel. Ioan. 8.

¶ ITEM, si Christus non potest peccare; ergo de necessitate conseruat iustitiam: ergo non est laudandus de iustitia. Cum ergo sit laudandus: relinquitur quod potest peccare.

¶ ITEM, potentia peccandi ipsis sanctis cooperatur ad meritum & præmium: sicut dicitur. *Potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit.* Relinquitur ergo si auferatur à Christo potentia peccandi, quod minuatur aliquid de præmio & merito eius. Eccl. 31.

RESOLVTIO.

In Christo generaliter & omnino fuit potentia non peccandi.

¶ RESP. Ad primum secundum Ansel. Omnis potestas sequitur voluntatem: cum enim dicitur, quod possum loqui, vel ambulare; subauditur, si volo. Si enim non intelligitur voluntas; non est potestas, sed necessitas. Nam cum dico: quia nolens possum trahi; aut vinci: non est hæc mea potestas, sed necessitas & potestas alterius: non est enim aliud, possum trahi, aut vinci: quam alius me trahere, aut vincere potest. Possumus itaq; dicere de Christo: quòd cum dicitur, potuit mentiri: subauditur, si vellet: quoniam nolens non potuit mentiri. Cum ergo non potuerit velle mentiri: non minùs dici potest nequiuisse mentiri. Ansel. in lib *Cur Deus homo.*

¶ AD aliud dicendum: quod est necessitas coactionis & prohibitionis: & cum aliquod bonum fit ex huiusmodi necessitate, non debetur laus: quia ista tollit voluntatem. Et est necessitas immutabilitatis: & ista non tollit voluntatem; nec laudem; sed ponit immutabilitatem voluntatis in bono: & hoc modo Deus dicitur ex necessitate esse bonus, & seruare iustitiam; ita etiam Christus: non tamen primo modo, secundum quod necessitas dicitur prohibitionis vel coactionis. Vnde Ansel. *Impropriè dicitur necessitas, vbi non est coactio, nec prohibitio.* Qua propter quia Deus perfectè habet à se quicquid habet: maximè laudandus est de bonis, quæ habet; & seruat ea nulla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate. Secundum hoc ergo patet, quod necessitas immutabilitatis dicitur propriè necessitas: non tamen tollit laudem. Anselm.

¶ AD aliud dicendum, quod potentia peccandi inquantum huiusmodi (loquendo formaliter) non cooperatur ad præmium, nec etiam ad meritum: sed inquantum potentia peccandi eadem est, quæ est potentia benefaciendi, potentia peccandi dicitur cooperari ad meritum: non inquantum est peccandi, sed inquantum potentia: formaliter loquendo. Ad primum verò materialiter solum dicitur potentia peccandi cooperari: quia materia gloriæ erit, quod habuit potentiam peccandi, & tamen non vsus est ea ad peccatum. Ex quo manifestum est, quod non dicitur simpliciter potentia peccandi cooperari ad meritum vel præmium: sed secundum quid. Simpliciter cooperatur ad meritum potentia libertatis arbitrij: secundum quod est ad faciendum, vel non faciendum: seu faciendi & non faciendi: non secundum quod est peccandi, & non peccandi. Hæc ergo ponetur in Christo, quæ simpliciter est potentia merendi.

MEMBRVM II.

An in Christo secundùm quòd homo omnipotentia fuerit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrùm in Christo fuerit omnipotentia. Ad quod sic: *Non est ei datus spiritus ad mensuram.* Ergo data est ei gratia non mensurata: ergo cum gratia sit ad cognoscendum & ad operandum: ei data est gratia sine mensura ad cognoscendum & ad operan- Ioan. 3.

randum: ergo sicut per gratiam immensam siue non mensuratam cognoscendi habet scientiam omnium: ita per gratiam operandi immensam poterit operari omnia.

¶ Item, rationalis anima est imago trinitatis per naturam: sed imago trinitatis attenditur quantum ad potentiam, scientiam, & voluntatem: ergo sicut per naturam anima est capax diuinæ scientiæ; ita & potentiæ; ergo sicut anima Christi naturali potentia potuit capere omnem scientiam, ita omnipotentiam. Sed datum est illi animæ per gratiam esse illud, cuius erat capax per naturam: ergo ei data est omnipotentia.

¶ Item, cum sint tria, potentia, scientia, & voluntas: potentia non ponit scientiam, nec scientia voluntatem: sed econuersò scientia ponit potentiam, & voluntas scientiam: ita quod consequitur necessariò: si voluntas est, scientia est: & si scientia est, potentia est: non enim est scientia, nisi sit potentia sciendi. Ex hoc ergo relinquitur: quod natura, quæ est capax voluntatis; est capax scientiæ: & quæ est capax scientiæ Dei, & potentiæ Dei erit capax.

¶ Item, omnis scientia practica alicuius boni operis, est causa effectiua vel exemplaris illius operis: cum ergo scientia omnium comprehendat speculatiuam & practicam scientiam omnium: & in Christo sit omniscientia; erit in ipso secundum animam scientia practica omnium: ergo erit causa effectiua vel exemplaris omnium. Si ergo huiusmodi scientiam sequitur potentia actiua, erit in anima Christi potestas faciendi omnia.

Aliàs itura-le. ¶ Item, artifex * materialis non solummodo confert alij scientiam speculatiuam sui operis; sed etiam actiuam. Ergo cum artifex summus contulerit Christo homini omniscientiam: relinquitur quod non solum dedit ei scientiam speculatiuam, sed etiam actiuam omnium: ergo & per consequens omnipotentiam: frustra enim esset actiua potentia, nisi esset potentia ad actum.

¶ Item, si diceretur quod non potest dari omnipotentia creaturæ propter hoc, quia est infinitas. Ergo similiter nec scientia; cum ipsa sit infinita & maioris extensionis, quam potentia Dei (Ad quæcunque enim se extendit potentia, & scientia: sed non conuertitur: quia scientia se extendit ad bona & mala, entia & non entia: potentia verò non se extendit ad mala) Magis igitur erit capax potentiæ, cum sit minoris extensionis, quàm scientiæ.

¶ Contra. Omnis potentia, cuius est susceptibilis creatura, consequitur essentiam creaturæ. Si ergo potentia faciendi vel creandi omnia nullo modo consequitur essentiam alicuius creaturæ, sed antecedit omnem creaturam: ergo potentiæ faciendi vel creandi omnia, non erit susceptibilis aliqua creatura: ergo nec Christi anima.

¶ Item, nihil potest esse suiipsius principium: cum ergo omnipotentia sit animæ Christi & omnium principium: ergo nec anima Christi, nec aliquid aliorum omnium potest habere omnipotentiam.

¶ Item, nulla potentia entis creati transcendit ens: cum ergo potentia creandi transcendat ens; quia est operatiua de non ente simpliciter ens, & de nihilo aliquid: ergo nulla potentia entis creati potest esse potentia creandi: ergo nec per consequens omnipotentia: ergo anima Christi non habuit, nec habere potuit omnipotentiam.

RESOLVTIO.

In Christo haud quaquam dicendum est fuisse omnipotentiam, ita vt ex se posset omnia facere: sed eatenus, quatenus in eo diuinitatem fuisse credimus, cuius diuinitatis omnipotentia est.

¶ Responsio. Concedendum est, quod anima Christi non habet, nec habuit omnipotentiam, sicut omni scientiam: nisi eo modo quo dicitur habuisse diuinitatem, cuius est omnipotentia. Non tamen dicitur habuisse omnipotentiam, vt ex se posset facere omnia: sicut ex alia parte habet omniscientiam, quia ex se potest scire omnia.

¶ Ad primum aũt dicendum: quod data est ei gratia sine mensura, sed ad cognoscendum & operandum secundum possibilitatem naturæ cognoscentis & operantis: Data est enim gratia sine mensura ad cognoscibilia creaturæ, & ad omnia operabilia creaturæ: verùm omnia simpliciter cognoscibilia sunt creaturæ rationali, non tamen omnia operabilia. Propterea non sequitur, quod sicut per gratiam habuit omniscientiam, quod & omnipotentiam.

¶ Ad aliud dicendum, quod omniscientia non ponit causalitatem vt principium rerum, sed solummodo ponit similitudinem ad res omnes. Et ideo cum anima (sicut dicit Augustinus) ad similitudinem totius sapientiæ facta sit; est omnium similitudo in potentia per intellectum: scientia autem nihil aliud est quàm assimilatio intellectus ad rem erit igitur anima per naturam capax omniscientiæ. Omnipotentia verò ponit causalitatem & principium rerum omnium; quod nullo modo potest conuenire habenti principium, siue ei quod est de principio: talis autem est omnis creatura & rationalis anima. Ex quo euidens est, quòd nullo modo est capax omnipotentiæ. August.

¶ Ad aliud dicendum: quod potentia dicitur dupliciter. Vno modo potentia dicitur respectu actus interioris; secundum quod dicitur potentia cognoscendi, vel volendi. Alio modo dicitur potentia respectu actus exterioris: secundum quod dicitur potentia operandi. Primo modo dicta potentia consequitur ad scientiam: secundo verò modo non. Sequitur enim si scientia est, potentia cognoscendi est: sed non sequitur, si scientia est, potentia operandi est. Illo ergo modo, quo potentia sequitur ad scientiam, est potentia ad omnia, sicut & scientia: sed hæc non est potentia operandi, sed potentia cognoscendi omnia.

¶ Ad aliud dicendum: quod scientia practica duobus modis habetur. Habetur enim scientia practica practicè: & habetur scientia practica speculatiuè. Practicè, cum refertur ad opus, seu ad executionem operis: speculatiuè verò cum non refertur ad executionẽ operis, sed ad contemplationem operis. Secundum hoc ergo dicendum, quod anima Christi habuit scientiam practicam omnium speculatiuè; non practicè: & ita scientia omnium practica, quæ fuit in Deo practicè scil. ad executionem operis, fuit in anima Christi speculatiuè scil. ad contemplationem operis. Et hoc modo summus artifex omnium dedit scientiam practicam omnium Christo homini. Ad scientiam autem dictam hoc modo non sequitur omnipotentia, sed ad scientiam practicam alio modo dictam.

¶ Ad aliud dicendum: quod quicquid est creaturæ, est finitum actu. Tamen rationalis anima quantùm ad potentiam vno modo est infinita, alio modo finita. Infinita quidem est quantùm ad potentiam cognoscendi: non enim determinatur ad aliqua cognoscibilia, quin adhuc possit in plura, si essent: & ideo quantum est de se, est infinita potentia. Quantùm verò ad potentiam operandi, anima rationalis est finita; quia determinatur ad finita operabilia, quia ita datur, quod ad tot, & non ad plura. Ex quo patet, quod non est similis ratio ex parte capacitatis scientiæ Dei, & potentiæ: quia potentia cognoscendi, quæ quodammodo infinita est; quodam modo est capax ipsius scientiæ infinitæ: ex alia parte potentia operandi, quæ finita est, non est capax potentiæ infinitæ Dei.

¶ Item, si quæratur: propter quid creaturæ non potest conferri potentia creandi: sicut generatio potentia generandi: generatus enim homo habuit potentiã generandi hominem: ergo eadem ratione videtur quod creatam possit habere potentiam creandi. Respondendum est, quod hoc est: quia omnis creatura agit de suppositione materiæ: non enim potest esse tota causa sui operis: sicut prima potentia Dei. Quia ergo potentia creandi est in non subiectam materiam: inde est, quod creatura non est susceptibilis potentiæ creandi. Dubitatio.

¶ Item,

Dubitatio.

¶ ITEM, si quæratur vtrùm anima Christi habuit omnium voluntatem, sicut scientiam? Quod videtur, quia habuit voluntatem omnis boni: vnumquodque autem inquantum est, bonum est: ergo habuit voluntatem omnium.

¶ CONTRA, voluntas dicitur ad opus (vnde nihil est dictum, volo domum: sed volo facere domum) & ita videtur, quod sicut potentia est actus; ita & voluntas: ergo sicut non habuit omnium potentiam: ita nec omnium voluntatem.

¶ RESP. Voluntas & consensus dicuntur dupliciter. Est enim voluntas appetitus rei vt sit: vel rei vt fiat. Primo modo est voluntas omnium: secundo modo non. Primo modo voluntas dicitur respectu existentiæ boni: secundo modo dicitur respectu operationis boni.

QVÆSTIO XV.

De voluntate Christi.

In duo Membra diuisa.

D. Tho. 3. part. q. 18 S. Bon. in 3. d. 17. art. 1 Scot. ibid.

ORDINE consequenti quærendum est de Voluntate, Oratione, & Merito saluatoris. Voluntas in actu cordis est: oratio in actu cordis & oris: meritum in actu cordis, oris, & operis.

¶ PRIMÒ quæritur de voluntate Christi secundùm quod homo, & hoc sub duobus quæsitis scil. an in Christo fuerint diuersæ voluntates? deinde an in ipso fuerint contrariæ voluntates?

MEMBRVM I.

An in Christo fuerint diuersæ voluntates.

Matt. 26.

AD primum obiicitur sic: Matth. *Pater, si possibile est; transeat à me calix iste: verumtamen nō quod ego volo, sed quod tu vis.* Ex hoc ostēdit Magister in Christo diuersas fuisse voluntates, dicens:

Magist. 3. Sent. dist. 17.

Quo circa ambigendum non est, diuersas in Christo fuisse voluntates, iuxta duas naturas scilicet diuinam & humanam voluntatem. Et humana voluntas duplex est; affectus rationis, & affectus sensualitatis: & voluntate diuina, & rationis volebat: sed voluntate sensualitatis refugiebat.

Ibidem.

¶ ITEM ibidem: *Qui hominis naturam suscepit, quæ sunt hominis, subire debuit.* Si ergo hominis est duplex affectus; rationis, & sensualitatis: ergo & in Christo debuit esse geminus affectus, vel duplex voluntas: rationis, qua vellet mori: & sensualitatis, qua nollet.

Ioan. 21.

¶ ITEM, quod duplex sit affectus hominis, ostenditur. vbi dicitur Petro: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget: & ducet te, quò tu non vis.* Et exemplo Paulo dicentis:

Ad Philip. 1. August.

Cupio dissolui, & esse cum Christo. Propter quod dicit August. quod Paulus mentis affectu & ratione cupit dissolui & esse cum Christo: sensu autem carnis refugit. Ex his arguitur diuersas voluntates esse in Christo, vel fuisse.

¶ CONTRA: si Christus volebat mori voluntate rationis; & voluntate sensualitatis nolebat: ergo caro in Christo concupiscebat aduersus spiritum, & econuersò, secundùm quod dicitur ad Gall. 5. Sed hoc est falsum: non ergo fuerunt in eo diuersæ voluntates.

RESOLVTIO.

Diuersæ in Christo voluntates fuêre absque tamen rebellione carnis ad spiritum.

August.

¶ RESP. Augustinus: *Nonnullum est vitium, cum caro concupiscit aduersus spiritum.* Et sequitur: *Talis enim rixa taliśque concertatio in anima Christi nullatenus esse potuit; quia carnalis concupiscentia ibi esse nequiuit: Dei etiam voluntas fuit, vel erat, & rationi placebat; vt secundùm carnem nollet, quatenus veritas humanitatis in eo probaretur.* Sic ergo patet responsio, quòd diuersæ fuerunt voluntates: nec tamen fuit rebellio carnis ad spiritum.

MEMBRVM II.

An in Christo fuerint contrariæ voluntates?

August. super Genes.

CONSEQVENTER quæritur. An in Christo fuerint voluntates contrariæ. Ad quod sic Aug. super Gen. *Omne animal fuit in arca Noë: quia omnes motus fuerunt pacati in Christo.* Ergo in eo non erat contraria voluntas sensualitatis voluntati rationis.

¶ ITEM, motus sensualitatis in Christo aut erat ordinatus sub voluntate: aut non. Constans est quod non inordinatus: relinquitur ergo quod ordinatus: ergo erat sub voluntate rationis, & secundum voluntatem rationis.

Idem in lib. de trinit.

¶ CONTRA. *Contrariæ voluntates sunt, quæ sunt contrariorum:* sicut dicit August. quid secundum species volitorum distinguuntur species voluntatum. Cum ergo voluntas sensualitatis & rationis in Christo fuerint contrariorum: quia vna erat voluntas viuendi, altera moriendi: ergo fuerunt voluntates contrariæ.

Hieron.

¶ ITEM, ex parte carnis erat concupiscentia viuendi, ex parte spiritus concupiscentia moriendi: ergo in Christo caro concupiscebat aduersus spiritum.

¶ ITEM Hieron. quod dicit, quod voluntas humana propter fragilitatem carnis recusabat passionem: sed voluntas diuina prompta erat perficere dispensationem. Secundum hoc ergo obiicitur: cum teneretur Christus voluntatem humanam conformare voluntati diuinæ: & scienter volebat contrarium scil. non mori: ergo peccauit: ergo in Christo fuit inordinata voluntas.

Hieron.

¶ ITEM, aut voluntas humana dicitur ab Hieron. voluntas rationis, aut sensualitatis. Si voluntas rationis: ergo voluntas rationis non erat conformis voluntati diuinæ: ergo peccauit. Si voluntas sensualitatis: aut ergo motus ille voluntatis erat ordinatus; aut inordinatus: si inordinatus, ergo non approbabatur à ratione: si ordinatus, ergo approbabatur à ratione: ergo ratio volebat idem sensualitati & redit idem quod priùs, quod peccauit.

¶ ITEM, omnis motus voluntarius contra diuinam voluntatem est illicitus: ergo cum motus, quo volebat non mori, sit contrarius diuinæ voluntati, quæ erat ad mori: ergo illicitus.

RESOLVTIO.

In Christo fuerunt quidem diuersæ voluntates, sed non contrariæ.

¶ RESP. Prænotandum est, quod Christus dicitur habuisse diuersas voluntates quatuor modis. Primo modo iuxta duas naturas diuinam & humanam dicuntur in Christo diuersæ voluntates: diuina scilicet voluntas, & humana. Secundo modo secundum humanam naturam dicuntur in Christo diuersæ voluntates: scilicet voluntas rationis, & voluntas sensualitatis. Tertio modo dicuntur in Christo diuersæ voluntates secundum rationem: quia ratio habet quandam voluntatem, vt natura est vnibilis corpori: & habet voluntatem, vt ratio est per omnia conformis diuinitati: & secundum hoc dicerentur diuersæ voluntates in Christo: voluntas naturalis, & voluntas rationis. Quartò modo dicuntur diuersæ voluntates in Christo ratione sui, & ratione membrorum. Dicendum ergo: quod in Christo fuerunt diuersæ voluntates: vt quædam dicatur velle in persona sua, quædam verò in persona membrorum. Dicendum ergo quod in Christo fuerunt diuersæ voluntates, sed non contrariæ: nec voluntas sensualitatis contraria voluntati rationis, nec voluntas humana contraria diuinæ voluntati: nec voluntas naturalis contraria voluntati rationis: nec voluntas ratione personæ suæ contraria voluntati ratione membrorum. Quamuis quidam distinguant, quod est contrarietas naturæ duplex, naturalis, & moralis: Contrarietas moralis est, quæ est de contrariis in moribus: contrarietas autem in moribus determinatur secundum rationem boni & mali: quia ergo in Christo vtrumque erat bonum scilicet viuere & mori; voluntas sensualitatis & rationis non fuerunt contrariorum in moribus; cum

vtrumque sit bonum. Contrarietas verò naturalis est illa, quæ est de contrariis in natura: contraria autem in natura attenduntur secundùm contrarias dispositiones in natura. Vnde secundùm hoc viuere & mori sunt contraria: & voluntas sensualitatis & rationis secundùm hoc fuerunt contrariorum: & secundùm hoc voluntates contrariæ. Non tamen ex hoc sequitur, quod inordinatio fuit in Christo: quia ordinatio & inordinatio attenduntur secundùm rationem moralem, id est, secundùm rationem boni & mali.

Damasc. ¶ Sed dicendum est rectius secundùm Ioan. Dam. Quòd Christus habuit diuersas voluntates: sed non contrarias. Contraria enim nata sunt fieri circa idem: quia ergo non erat circa idem voluntas moriendi & viuendi, nec secundùm idem in Christo: quia vnum est circa sensualitatem, aliud circa rationem: non erit contrarietas voluntatis sensualitatis, & rationis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod voluntates sunt contrariæ, quæ sunt contrariorum. Dicendum quod non est verum, nisi vbi sunt eiusdem generis voluntates. Voluntas autem sensualitatis & rationis non sunt eiusdem generis: quia illa habet liberam potestatem respectu sui actus: ista verò habet inditam necessitatem.

¶ Ad aliud dicendum, quod non dicitur contrarietas carnis & spiritus; eò quòd caro concupiscat aliquid, quod non concupiscit spiritus: sed quia caro concupiscit aliquid, quod spiritus non vult eam concupiscere: & hoc modo dicitur: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*: hæc enim sibi inuicem aduersantur scil. in nobis. Propter hoc dicuntur aduersari in nobis concupiscentia carnis, & spiritus: quia concupiscere carnis & spiritus contrariatur, non solùm ipsa concupita. In Domino autem Iesu, quamuis ipsa concupita spiritu & carne fuerint contraria scilicet. viuere & mori: tamen concupiscere carnis non erat contrarium ipsi concupiscere spiritus: quia spiritus volebat, quod ipsa hoc concupisceret. [Ad Ga. 5.]

¶ Ad aliud dicendum, quod illud argumentum non valet: tenebatur conformare voluntatem humanam voluntati diuinæ, &c. ergo peccauit? quia propositio illa intelligitur indefinitè, non vniuersaliter. Non enim tenebatur omnem suam voluntatem conformare voluntati diuinæ: sed quæ est rationis solùm. Voluntas enim sensualitatis est determinata ad vnam partem à conditore, ad ea scil. appetenda, quæ sunt vitæ conseruatiua, & fugienda contraria. Voluntas verò rationis ipsa est libera domina sui actus: & ei Lex imponitur conformationis scilicet ad diuinam voluntatem.

¶ Ad aliud dicendum: quod ab Hieron. appellatur voluntas humana voluntas sensualitatis, vel voluntas rationis naturalis. Et concedendum est, quod ille motus fuit ordinatus: & voluntas rationis voluit idem vno modo, quod sensualitas: alio modo non. Voluit enim vt ille motus surgeret: sed noluit vt procederet. Præterea, voluit absolutè, siue in spiritu, quod voluit sensualitas, scilicet viuere: conditione verò nostræ redemptionis voluit oppositum, scilicet mori. Voluntate ergo naturali voluit idem cum sensualitate, scilicet viuere: rationali verò voluntate consideratione nostræ redemptionis voluit mori: nec sunt voluntates contrariæ, sed diuersæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod motus voluntarius dicitur propriè, & impropriè. Motus voluntarius propriè dicitur voluntate rationali, quæ est domina sui actus, vt dictum est: & ideo ei Lex imponitur: & ideo circa motum eius est licitum & illicitum. Motus verò voluntarius impropriè dicitur voluntatis naturalis, vel sensualitatis; qui est determinatus ad vnam partem: & ideo necessarius: & ideo circa illum motum non cadit licitum, vel illicitum.

Ad Philip. 1. ¶ Item incidenter quæritur de illo verbo Apostoli: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quia contrarium videtur: *Nolumus expoliari, sed superuestiri,* &c.

2 Cor. 5. ¶ Respondent, quod voluntate naturali siue sensualitatis nolebat expoliari: sed superuestiri. Sed voluntate rationis cupiebat dissolui.

¶ Sed contra hoc obiicitur. vbi dicitur: *Cupio dissolui,* &c. Multò meliùs permanere in carne propter vos necessarium: & hoc confidens, quia manebo, &c. Ex quo relinquitur quod melius erat ei remanere in carne propter fratres. Sed Apostolus voluntate rationali volebat quod meliùs est: ergo voluntate rationali volebat, non dissolui: ergo voluntate rationali volebat contraria. Ad Philip. 1.

¶ Item, vtrumque ex charitate volebat: ergo volebat contraria ex charitate. Quòd non videtur conueniens.

¶ Ad quod dicendum, quòd in carne est infirmitas aggrauans animam & naturã: secundùm quòd dicit Aug. quod corpus corruptibile aggrauat animã, non quia corpus sed quia corruptibile. Cum ergo dicitur: *Nolumus expoliari, sed superuestiri*; dicitur respectu naturæ. Quod verò dicitur. *Cupio dissolui*: dicitur respectu aggrauantis infirmitatis, vel corruptionis. August. 12 de Ciuit. Dei. 1 Cor. 5. Ad Philip. 1.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur. Dicendum, quod est voluntas absoluta: & est voluntas cõditionalis. Voluntas absoluta est, qua aliqd volumus simpliciter: voluntas verò conditionalis est, qua volumus aliquid ratione alicuius causæ trahentis, vel impellentis. Voluntas verò dissolutionis in Paulo non erat absolutè, sed sub conditione, vt esset cùm Christo: voluntas verò absoluta erat manere: tamen secundùm determinationem Apostoli neutrum erat absolutè volitum; quia manere erat propter vtilitatem fratrum: dissolui erat, vt esset cum Christo: & ideo non erant voluntates simpliciter absolutè. quia erant conditionales. Et per hæc patet solutio ad obiecta.

QVÆSTIO XVI.

De Oratione Christi.

In duo Membra diuisa.

Consequenter quæritur: de Oratione Christi. Et quæruntur duo. Primò, vtrùm orauit secundum affectionem rationis, vel sensualitatis? Secundò; vtrùm in omni oratione sua fuerit in omnibus exauditus. D. Tho. 3 par. q. 21 S. Bon. in 3. d. 17. Art. 2.

MEMBRVM I.

An Christus in horto secundùm affectionem rationis, vel sensualitatis orauerit?

Ad primum arguitur sic: Dicit Dam. *Oratio est ascensus intellectus in Deum.* Ergo oratio solùm est virtutis intellectiuæ, siue rationis: non igitur orauit Christus secundùm sensualitatem.

¶ Item, *oratio est pius mentis affectus in Deum directus*: sicut dicunt sancti. Si ergo sensualitas non dirigitur in diuina; quia nec potest cogitare diuina: ergo nec affici circa diuina. Ergo pius affectus in Deum directus nullo modo est sensualitatis: ergo nec oratio: illa ergo oratio Christi, qua orauit, vt transiret calix; non fuit sensualitatis; sed rationis. Damasc.

¶ Item, ad solam rationem pertinet conferre res, siue per conditionem, siue alio modo: ad sensualitatem verò pertinet simpliciter res apprehendere, & non per collationem vel conditionem. Cùm ergo petitio illa proponeretur à Christo sub conditione. Pater si possibile est, &c. relinquitur quod petitio illa vel oratio fuit rationis, & non sensualitatis.

¶ Item, nullus discretus secundùm discretionem operatur aliquid, cuius contrarium velit: ergo Christus non petiit aliquid, cuius contrarium vellet secundum rationem. Cùm ergo petierit transitum passionis; relinquitur quòd voluit, quòd transiret passio secundùm rationem: ergo secundùm rationem orabat vel petebat non mori. Contrà istud expressè est, qđ dicit Magister inquiens: *Ex affectu humano, sensualitatem, non rationis illud voluit, & petiit, nec impetrauit: nec ideo petiit, vt impetraret.* Magist. in 3 Sent. dist. 17.

RESOLVTIO.

Secundùm vtramq;.

¶ Resp. Dicendum, quod illa petitio vel oratio fuit rationis, & sensualitatis: sed aliter & aliter: quia sensualitatis vt mouentis: rationis vt proponentis. Vnde dicunt quod in hac petitione ratio fuit sicut aduocatus sensualitatis. Vnde & in petitione notanda est materia petitionis, & forma: materia petitionis fuit vt transiret calix: forma verò fuit conditionalis, si possibile esset secundum diuinam dispositionem. Materiam ergo petitionis vel orationis sumpsit ratio à sensualitate: sed formam petitionis, vel orationis ex se, seu ex sua intentione adiunxit.

¶ Et per hoc soluuntur tria prima obiecta.

¶ Ad illud, quod obiicit: quod nullus discretus facit aliquid, cuius contrarium velit. Dicendum, quod discretus propter se non facit aliquid, cuius contrarium velit; sed propter alios. Discretus enim & bonus propter alios benè operatur aliquid, quod si compleretur, quodammodo esset contra illud, quod vult: sicut accidit in illis, qui docet alios pugnare; quia faciunt tentationes ad lædendum: & tamen nolunt lædere. Secundum istum modum dicendum, quod Christus proposuit petitionem vel orationem, quam impetrare noluit; propter instructionem nostram duplicem. Prima est, quia per illam instruimur, quod nobis licèt velle aliquid proprium ex sensualitate: nec est periculosum Martyribus, si horreant mortem; cum filius Dei illam horruerit. Alia est, quod nos debemus supponere voluntatem sensualitatis voluntati diuinæ, in periculis

Matt. 26. positi. Vnde subiunxit: *Veruntamen non sicut ego volo: sed sicut tu.*

ARTICVLVS II.

An Christus in omni oratione sua fuerit in omnibus exauditus.

Consequenter quæritur. Vtrùm Christus in omni oratione sua fuerit in omnibus exauditus. Quòd

Ad Heb. 5. probatur per illud: *In omnibus exauditus est pro sua reuerentia.*

¶ Item, ipse piè & iustè petiit in omnibus quòd petendum erat: ergo in omnibus debuit exaudiri.

Ad eosdem 7. ¶ Item, *ipse erat summus sacerdos, sanctus, innocens, impollutus*: sicut dicitur: Ergo ipse pro omnibus debuit impetrare, pro quibus orauit.

Psal. 20. ¶ Item, *Voluntate labiorum eius non fraudasti eum.*

Psal. 21. ¶ Contra, *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies,* &c.

¶ Item, petiit vt transiret passio, in quo non est exauditus. Non ergo in omnibus Christus est exauditus.

RESOLVTIO.

Vtique secundùm formam petitionis, tametsi non secundùm materiam.

¶ Resp. Dicendum, quod in omnibus est exauditus, quantum est de se secundum formam petitionis.

Psal. 21. ¶ Illa ergo authoritas: *Deus meus clamabo per diem,* &c. non intelligitur de capite secundum se, sed de capite ratione membrorum.

¶ Ad aliud dicendum: quod secundum formam petitionis est exauditus, non secundum materiam: non enim petiit passionem amoueri absolutè, sed sub conditione.

QVÆSTIO XVII.

De Merito Christi.

In quatuor Membra, & septem Articulos diuisa.

D. Th. 3. par. q. 19. Art. 3. & 4. & alibi sparsim. S. Bon. in 3 q. 18. Sco. ib. & dist. seq.

Consequenter quæritur de merito Christi. Circa quod quæruntur ista. Primò, an propriè ponendum sit in Christo meritum. Secundò de tempore meriti vel merendi quantùm ad ipsum. Tertiò de causa merendi. Quartò de effectu meriti.

MEMBRVM I.

An in Christo propriè meritum ponere sit?

Ad primum sic. Mereri est facere de indebito debitum: quia (sicut dicit Aug.) *quod meremur, quasi ex debito redditur.* Cum ergo Christo nihil fuerit indebitum: ergo Christus non potuit mereri, vt fieret debitum: ergo nec simpliciter mereri. August.

¶ Item, Christus à principio suæ conditionis secundum quòd homo fuit in statu comprehensoris, siue beati; quia fruebatur sicut sancti in gloria: sed status comprehensoris non est mereri: ergo nec Christi.

¶ Item B. Hilar. dicit: *Non sibi orauit, vt transiret calix: sed pro hominibus: quia per talitem passionis tentandi erant omnes discipuli.* Ergo pari ratione nec sibi meruit. Hilar.

¶ Item, quicunq; meretur, proficit in melius. Si ergo Christus non poterat proficere in melius sibi: relinquitur, quod non poterat mereri sibi. Quòd autem non posset proficere, probatur authoritate Gregorij dicentis. *Non habuit Christus iuxta anima meritum, quo potuisset proficere: in membris autem, qua nos sumus, quotidie proficit.* Gregor.

¶ Item, omne meritum est ex motu charitatis; quæ non est beatitudo, nec pars beatitudinis: quia si esset beatitudo vel pars beatitudinis, sequeretur quod idem esset præmium & meritum: & ita idem esset causa & effectus respectu eiusdem. Cùm ergo in Christo motus charitatis fuerit pars beatitudinis: relinquitur quod non fuerit meritorius: ergo nec aliquis alius motus: cum à motu charitatis habeant omnes alij esse meritorij.

¶ Item, cum in Christo fuerit summa charitas; magis merebatur Christus, quam aliquis homo mereatur ex charitate: sed homo ex charitate meretur visionem Dei, & dilectionem æternam. Si ergo non est possibile mereri maius, quam sit visio Dei & dilectio æterna: non ergo erit possibile Christo habenti summam charitatem mereri sibi: cum visionem & dilectionem Dei habuerit à conceptione.

¶ Contra Augustinus: *Humilitas Christi claritatis est meritum: claritas verò humilitatis est præmium.* August.

RESOLVTIO.

In Christo propriè meritum ponere est: sed longè aliàs quàm in nobis scil. de debito habitus faciendo debitum actus.

¶ Resp. Mereri dicitur multipliciter. Vno modo dicitur mereri impropriè: sicut dicimus mereri interpretatiuè: prout dicitur, quod existens in peccato mortali, bonum faciens, sed mala intentione, meretur: quia Deus retribuit ei maius, quam faciat: & ideo interpretatur Deus remunerando, ac si ille meruisset. Alio modo dicitur mereri communiter; secundum quod dicitur mereri de congruo: secundum quem modum dicuntur sancti mereri primam gratiam existenti in peccato. Tertiò modo dicitur mereri propriè, secundum quod nos dicimus mereri, de non debito facere debitum: secundum quem modum dicimus mereri ex gratia & libero arbitrio vitam æternā: secundùm quod dicitur: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Quartò modo dicitur mereri de debito facere maius debitum: secundum quem modum dicitur mereri ex sequentibus operibus factis in charitate. Vnde August. *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Istis modis dicitur mereri in nobis. Quintò modo dicitur mereri, de debito habitus facere debitum actus: secundum quem modum Christus meruit sibi. Quia cum ab instanti conceptionis deberetur ei per habitum plenitudinis gratiæ, quem habebat, omne bonum; tamen per temporis successum ex actu gratiæ in operibus suis excellentibus fecit, quod sibi deberetur ex actu, quod sibi debebatur ex habitu. 2. Timot. ult. August. ad Bonifacium.

¶ Et per hoc patet responsio ad primum obiectum.

¶ Ad secundum respondent hoc modo: quia sicut Angeli, qui iam beati sunt, duplicem habent operationem: vnam, qua contemplantur Deum: aliam, qua ministrant nobis

nobis: & secundum illam, qua contemplantur, non merentur sed iam sunt beati in substantia præmij: secundum verò ministerium, quo ministrant nobis; merentur excellentiam & augmentum ipsius præmij. Secundùm istum modum magni consilij Angelus homo Christus duplicem habuit operationem animæ secundùm partem rationis: vnam, qua contemplabatur gloriam diuinitatis, secundùm quam erat comprehensor & beatus: aliam, secundùm quam operabatur dispensationem nostræ redemptionis in corpore mortali: secundùm quem modum merebatur, & erat in statu viatoris.

Hilar. ¶ Ad aliud dicendum; quod illud, quod dicit Hilar. *Non sibi orauit*: intelligitur, quia non timore passionis ex parte rationis orauit quò ad se: quamuis timore sensualitatis orauerit pro se: vt patet ex dictis. Simili ratione dicendum, quòd quantum ad suam superiorem partem nihil meruit; cum secundū illam esset beatus; quamuis meruerit quantum ad aliam partem inferiorem & sensualitatem ex parte corporis; secundùm quam erat passibilitas, & mortalitas: & ipse meruit impassibilitatem & immortalitem corpori. Hoc autem infrà patebit planiùs.

Memb. 4. ¶ Ad aliud dicendum, quòd anima Christi secundùm partem superiorem non poterat proficere in melius, cùm ab instanti conceptionis haberet plenitudinem gratiæ & veritatis: & secundum hoc intelligitur authoritas Gregor. Secundum verò partem inferiorem, secundum quam habebat comparationem ad passibile corpus, erat proficere in melius: quia iuxta illam & propter illam dicitur: *Minuisti eum paulominùs ab Angelis*, &c. Quò ad illam ergo erat imperfectio, & ratione illius poterat dici profectus. (Psal. 8 & Hebr. 2.)

¶ Ad aliud dicendum: quod motus charitatis duplex est. Est motus charitatis in Deū: & est motus charitatis in proximum. Motus charitatis in Deum est secundum viam superiorem: motus charitatis in proximum secundum viam inferiorem rationis. Motus verò charitatis in Deum in Christo erat pars beatitudinis ipsius: motus verò charitatis in proximum erat actus meritorius: quia motus charitatis in Deum erat secundum statum patriæ: sed motus charitatis in proximum erat secundum statum viæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod maius bonum meruit Christus actu suæ charitatis, quàm aliquis homo. Sed bonum illud, quod meruit Christus, potest intelligi quò ad nos, aut quò ad ipsum. Quò ad ipsum non meruit maius bonum beatitudinę, quam nos meremur. sc. in genere: sed hoc non fuit ex defectu charitatis suæ, sed ex plenitudine suæ gratiæ, quæ augeri non poterat quò ad ipsum. Quò ad nos verò meruit maius bonum: quia ipse omnibus nobis meruit vitam æternam, quantum est de se. Vnde præmium suæ charitatis non fuit particulare, sed vniuersale omnibus: nec nos ex actibus nostris possemus mereri vitam æternam, nisi eius meritum præcessisset.

MEMBRVM II.

De tempore merendi quantùm ad Christum.

CONSEQVENTER quæritur de tēpore merendi quantùm ad ipsum Christum. Et quæruntur duo. Primò, vtrùm ab initio conceptionis suæ meruerit. Secundò, an in vita potuerit non mereri?

ARTICVLVS I.

An Christus ab initio suæ conceptionis meruerit?

3 Sent. dist. 19. AD primum sic: in 3. Sent. dicitur: *Ab ipsa conceptione tantum meruit, quantum per martyrij tolerantiam.*

¶ CONTRA, prius est esse, quàm operari: sed omne mereri est operari: ergo prius est esse, quàm mereri: ergo prius fuit Christus, quàm meruerit. Non ergo ab initio conceptionis, sed post conceptionem meruit.

¶ ITEM, nullus meretur nisi sit diuisus à materno vtero. Cùm ergo à principio suæ conceptionis non esset diuisus à materno vtero, à principio suæ conceptionis non meruit.

RESOLVTIO.

Et meruisse & non meruisse dici potest, diuersa ratione.

¶ RESP. Est principium extra sumptum, vel intra sumptum. Si dicatur principium intra sumptum, non est dicere, quòd à principio conceptionis meruerit: quia tunc principium illud dicit illud instans, quo producebatur in esse per spiritum sanctum. Si verò initium, vel principium dicatur extra sumptum; tunc est dicere, quod Christus meruit à principio conceptionis: quia statim post quàm conceptus est, habuit plenum vsum lib. arb. & fuit vir perfectus quantùm ad animam per plenitudinem scientiæ & gratiæ, & vsum rationis: & perfectus fuit quantùm ad corpus quò ad distributionem membrorum & formationem; licet non quantum ad quantitatem: secundum quod dicitur: *Mulier circumdabit virum.* Hier. 31.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet non fuerit diuisus à materno vtero secundum carnem siue corpus: quia tamen in eo erant perfectè quæcunq; requiruntur ad meritum, merebatur. Incarnatio enim corporis non tollit potestatem merendi; alijs concurrentibus, quæ sufficiunt ad meritum. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS II.

An Christus in vita sua non potuerit non mereri?

CONSEQVENTER quæritur, an Christus potuerit non mereri in vita?

¶ AD quod sic: Cùm omne meritorium sit voluntarium? potest fieri & non fieri per arbitrium voluntatis: ergo poterat Christus mereri & non mereri.

¶ ITEM, paruuli baptizati sine omni merito perueniunt ad gloriam: ergo Christus sine omni merito peruenire poterat ad gloriam immortalitatis.

¶ ITEM, in Christo erat liberum arbitrium determinatum in bonum necessariò. Cum ergo meritum attendatur penes liberum arbitrium indeterminatum: ergo Christus non poterat mereri, cum non conueniret illud sibi: *Potuit transgredi, & non est transgressus.* Ecclesiastici 31.

¶ CONTRA: Gloriosius est habere præmium ex suo merito, quàm non ex suo merito. Si ergo beatitudo Christi non potuit esse gloriosior, quàm fuit: ergo non potuit illam non habere ex merito.

¶ ITEM, existenti in statu merendi, perfectionis est mereri, & imperfectionis non mereri. Si ergo quicquid est perfectionis, necessariò est ei tribuendum: ergo necesse fuit ipsum mereri in statu merendi: status autem merendi animæ est, cum existit in carne passibili; quia adhuc est in via, distans à fine gloriæ consummatæ.

RESOLVTIO.

Christus in vita sua non potuit non mereri: quia eius virtutes ociosæ esse non poterant.

¶ RESPON. Dicendum, quod Christus secundum rationem illam, qua erat viator, non poterat non mereri. Anima enim rationalis Christi duplicem habebat operationem: vnam secundum comparationem ad diuinam naturam, cui vniebatur, secundū quam fruebatur & contemplabatur diuinitatem: aliam secundum comparationem, quam habebat ad corpus, cui vniebatur. Secundum primā comparationem erat in statu comprehensoris & beatitudinis: secundum secundam comparationem erat in statu viatoris & merendi. Secundum hoc ergo ab initio conceptionis merebatur: quia virtutes non poterant in eo esse ociosæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod mereri est voluntariū: ergo poterat non mereri. Dicendum, quod mereri potest dici dupliciter: in particulari, & in vniuersali. In particulari, vt cum dicitur mereri hoc motu, vel illo: vel operatione hac, vel illa: & hoc modo poterat Christus mereri & non mereri, id est, mereri hoc motu, & non mereri illo motu: quia in potestate sua erat moueri vel non moueri hoc motu. Si verò mereri dicatur in vniuersa-

uersali, sic non poterat non mereri: quia quamuis posset non mereri hoc motu vel illo; tamen non poterat esse, quin mereretur aliquo. Nec ex hoc sequitur, quòd mereri non sit voluntarium: quia voluntarium semper determinatur respectu actus singularis, vel particularis.

¶ SIMILE est, cùm opponitur de peccato veniali, qđ non potest vitari. Intelligendum est, quod potest vitari in hoc motu, & in illo; non tamen potest vitari in vniuersali in quocunque.

¶ AD illud, quod obiicitur de paruulis. Dicendum, quòd paruuli sine proprio merito perueniunt ad gloriam; non tamen sine merito Christi. Et ratio est, quia non habēt potestatem vtendi liberum arbitrium, nec vsum virtutis possunt habere. In Christo autem non sic: quia ab initio conceptionis habuit potestatem arbitrij, & vtebatur arbitrio: & ideo mouebatur meritoriè secūdùm habitus virtutum. Vnde: *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum.* Et ideo non est simile de Christo & de paruulis. Hier.31.

¶ AD aliud dicēdum, quòd liberum arbitrium erat in Christo determinatum in bonum, quod est finis: ita quòd non erat ab illo auersio. In bono verò, quod est ad finem, quod est penes opera virtutum, distinguēdum: quia si dicas bonum in vniuersali, sic erat liberum arbitrium determinatum in bonum. Si dicas bonum in particulari, vt in hoc opere, vel illo: sic erat indeterminatū, & poterat hoc opus facere vel dimittere: & ideo manet indeterminatio, secundùm quam attenditur meritum. Est enim duplex indeterminatio liberi arbitrij: vna est inter bonum & malū, seu inter benefacere, & malefacere: alia est inter bonum, & illud bonum; siue facere hoc, & non facere. Vtraque indeterminatio est in nostro libero arbitrio, secunda tantùm fuit in Christo sufficiens ad merendum. Et sic patet solutio ad obiecta.

MEMBRVM III.

De causa merendi in Christo.

CONSEQVENTER quæritur de causa merendi. Et quæruntur tria. Primò, quomodo meruit charitate. Secundò, quomodo meruit actione. Tertiò, quomodo meruit per passionem.

ARTICVLVS I.

An Christus meruerit charitate?

AD primum sic: Omne meritum in minus est, quàm sit præmium, quod reddit Deus de merito. Cùm ergo charitas Christi excederet omne præmium, vel ad minus æquaretur, cùm Deus semper remuneret supra condignum: ergo non poterat mereri per charitatem.

¶ ITEM, quantamcunque dulcedinem & iocunditatē in Deo habere poterat per charitatem anima Christi, dabatur ab initio conceptionis. Si ergo præmium animæ pro merito est ipsa iocunditas in Deo, relinquitur ergo quòd per charitatem nihil amplius merebatur.

¶ CONTRA: Omni operationi voluntariæ debetur laus, vel vituperium, vel indifferentia: cùm est rectè facta, laus & præmium: cùm malè facta, vituperium & supplicium: cùm indifferenter, nec laus, nec vituperium. Cùm ergo Christus operaretur voluntariè & rectè (constat) cùm omnibus circumstantijs debitis: ergo debebatur ei laus & præmium.

¶ ITEM, Christus erat in statu operatoris, ergo operabatur aut dignè Deo, aut nō dignè. Constat, quod dignè: ergo operationi ipsius debebat Deus præmium. Communis enim conceptio fidei est, quod omnem operationem factam propter se dignè remunerat Deus.

RESOLVTIO.

Cùm Christus voluntariè & rectè operatus fuerit semper, huiusmodiq; operi Deus non defuerit de merito; iure charitate meruisse dicendus est.

¶ QVOD concedendum est. Ad illud verò quod obijcitur de remuneratione suprà condignum. Hoc intelligitur respectu actus, inquātum principium ipsius est creatura: non inquantum actus meritorij principium est gratia, etiā increata, vnde in Christo erat remuneratio actus charitatis supra condignum, inquantum principium eius erat lib. arb. creatum. Sed quantum ad principium summę gratiæ etiam increatæ; quæ erat principium mouens in Christo, non erat supra condignum.

¶ AD aliud dicendum, quòd meritum in Christo non erat respectu præmij substantialis, quod consistit in contemplatione diuinitatis, & in fruitione summæ bonitatis: sed respectu præmij accidentalis; quod determinatur in felicitate creata partis sensibilis, & immortalitate corporis, quantum ad ipsum, quātum verò ad nos impletio nostræ redemptionis.

¶ AD aliud volunt dicere, quod est meritum rei habitæ, & hoc fuit in Christo respectu præmij substantialis; sicut dicitur, quòd angeli merentur beatitudinem habitam ministrando nobis. Et est meritum rei habendæ: Et hoc fuit in Christo respectu immortalitatis & impassibilitatis. Sed melius est, vt dicatur, sicut dictum est ad præcedentem obiectionem.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo Christus actione meruerit.

CONSEQVENTER quæritur, quomodo meruit Christus per actionem. Ad quod sic: Christus ab initio cōceptionis habuit plenitudinem gratiæ & virtutum: ergo quicquid meruit per passionem, meruerat ante per dilectionem & operationem: quia quātitas meriti attenditur penes quantitatem gratiæ & charitatis: ergo cùm per passionem meruerit apertionem ianuæ & liberationem: ergo & hoc ante meruerat.

¶ ITEM, Christus quolibet motu suo meruit nobis vitam æternam, quod maius est, quàm apertio ianuæ, vel liberatio: ergo in quolibet motu meruit, quod minus est, ianuæ apertionem & liberationem.

¶ ITEM, si quolibet motu suo meruit nobis vitam æternam: ergo & illud, quod & de necessitate annexum est vitæ æternæ: ergo & apertionem ianuæ & liberationem, ergo & ante passionem illud meruit.

¶ ITEM Luc. 3. Baptizato Domino aperti sunt cœli: dicit Beda, quòd per baptismum aperta est ianua paradisi. Luc.3. Beda.

¶ ITEM, dicunt aliæ authoritates, quòd per ascensionē aperta est ianua paradisi: non ergo per passionem.

¶ CONTRA: Ambros. *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei filius pro nobis* * *merere tur debitoribus mortis.* Ambr. super ep. ad Rom. * al. moreretur.

RESOLVTIO.

Christus actione meruit potissimè quantum ad effectum meriti.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quòd quantum ad vim merendi, quæ attenditur penes gratiam & charitatem; tātum meruit ante passionem, quantum post: sed non quantum ad effectum meriti: quantum enim ad effectum meriti meruit nobis aditum regni. Tota enim vis meriti consistit penes gratiam, & charitatem; non tamen totus effectus: sicut tota vis comburendi ligna consistit penes ignē, non tamen totus effectus: sicut dictum est prius. Et sic patet solutio ad primum.

¶ AD aliud dicendum, quòd ex charitate est meritum vitæ æternæ: sed ex charitate informāte passionem est meritum remissionis pœnæ. Propterea non sequitur: meruit ex charitate nobis vitam æternam: ergo meruit quod minus est, scilicet liberationem: quia ad liberationem requiritur solutio pœnæ: quia hoc est meritū remissionis pœnę.

¶ AD aliud dicendum: quod cùm dicitur, meruit quodlibet motu suo nobis vitam æternam. Intelligi potest dupliciter: in potentia, & in effectu. In potentia meruit nobis quolibet motu vitam æternam: non tamen quod erat annexum, scilicet apertionem ianuæ & liberationem. In effectu verò non meruit nisi exhibita satisfactione pro originali reatu. Vnde dicendum est, quod quodlibet opus Christi ante passionem fuit nobis meritorium: sed passio fuit nobis meritoria & satisfactoria: meritoria vitæ æternę: & satisfactoria quò ad remissionem pœnæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd in baptismo Christi dicitur aperiri ianua paradisi per figuram. Illa enim apertio cœli in baptismo Christi fuit figura, quod baptizatis, vel baptizandis baptismo Christi ex virtute passionis aperietur ianua: in passiõe verò dicitur aperiri ianua per causam & meritum: in ascensione verò per effectum.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo Christus per passionem meruerit?

Consequenter quæritur: quomodo Christus meruit per passionem? Ad quod sic: Christus ab initio suæ cõceptionis habuit parem charitatem in omni sua actione & passione. Quantitas autem meriti attẽditur secundùm quantitatem charitatis: ergo par fuit meritum Christi in omni sua actione & passione ab initio conceptionis: ergo nihil meruit sibi per passionem.

¶ Item, tota vis merendi est penes charitatem. Si ergo in Christo ab initio fuit eadem charitas, & eodem modo se habens, ergo idem meritum: nihil ergo nouum sibi meruit per passionem.

Gregor. ¶ Item Gregorius: *Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quo potuisset proficere: in membris autem quæ nos sumus, quotidie proficit.*

¶ Item, cùm per passionem non fecerit de indebito debitum, nec de debito magis debitum: quia charitas in eo non poterat augeri, quare nec meritum: ergo nec de debito habitus debitum vsus: cùm prius per debitum charitatis & aliarũ virtutum meruerit omne bonum. Relinquitur ergo, quod per passionem nihil meruit secundùm aliquam rationem merendi.

¶ Item, passio in Christo erat ex parte corporis, & compassio ex parte animæ irrationali, & non parte rationali: ergo cùm omne meritum sit secũdùm partem rationalem, non erat passio eius meritoria.

¶ Item, passio est motus inuoluntarius: motus autem inuoluntarius non est meritorius, ergo passio non fuit meritoria.

Aug. super Ioan. ¶ Contra, August. *Vt Christus clarificaretur resurrectione, prius humiliatus est passione: humilitas charitatis est meritum; claritas humilitatis est præmium.*

RESOLVTIO.

Christus per passionem meruit, de debito vnius actus faciendo debitum alterius actus.

¶ Respon. Meritum quantum ad virtutem, consistit penes charitatem: quantum verò ad effectum consistit in opere, mouente charitate: siue sit opus interius, sicut voluntas: siue exterius, quantum ad agere, & pati. Attendendo ergo ad virtutem meriti, tantum meruit Christus ante passionem, quantum in passione. Attendendo verò ad effectum meriti plus meruit, id est pluribus modis, siue in

Magister 3. sent. dist. 18. pluribus, secundùm quod dicit Magister Sent. quòd non profecit quantum ad virtutem meriti, sed quãtum ad numerum meritorum.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur de quantitate meriti. Dicendum, quòd de quantitate meriti est loqui dupliciter. Aut per modum quantitatis continuæ, secundùm q̃ dicitur quãtitas virtualis in merito: & hoc etiam attenditur quantum ad charitatem. Aut per modum quantitatis discretæ: & hoc attẽditur quantum ad numerũ effectuum ipsius meriti. Secundùm primum modum æquale fuit in Christo semper meritum: secundùm modum secundum multiplicabatur.

¶ Ad aliud iam patet responsio, quia vis merendi cõsistit penes charitatem; nõ tamen totus effectus: sicut patet, quòd tota vis comburendi consistit penes ignem, non tamen totus effectus: imò effectus combustionis consistit in igne & materia lignorum. Eodem modo tota vis merẽdi in charitate consistit; effectus verò consistit penes charitatem, & opera charitate informata.

Magist. ¶ Ad authoritatem Gregorij patet responsio per Magistrum: quia debet intelligi, quod non profecerit quantum ad vim merendi, sed quantum ad numerum meritorum, sicut dictum est.

¶ Ad aliud dicendum: quòd mereri nõ solùm dicitur secundùm illas rationes de indebito facere debitum; vel de indebito facere magis debitum, &c. secundùm quas rationes non potest poni mereri in Christo: sed etiam mereri dicitur de debito habitus faciendo debitum vsus, secũdùm quem modum non dicitur meruisse à principio conceptionis: quia cùm secundùm habitum gratiæ virtutũ esset dignus omnibus bonis, non exeundo in actum virtutis; ex ipso etiam actu habuit dignitatem, & debebatur ei omne bonum; vt non solùm haberet dignitatem respectu præmij ex habitu, sed etiam haberet meritum prēmij ex actu. Dicitur etiam alio modo mereri ex debito vnius actus facere debitum alterius actus: secundùm quem modum Christus merebatur quolibet actu: & quod meruerat per vnum actum virtutis, merebatur per alterum actum virtutis: & quod meruerat per actionem, merebatur per passionem, & ita per plura idem meruit. Secundùm ergo hunc modum dicitur meruisse per passionem immortalitatem corporis, & impassibilitatem animæ; quia cùm prius meruisset ex actione illud, & esset ibi debitum per actionem; idem meruit ex passione, & factum est ei debitum per passionem. Sic ergo est in ipso mereri per passionem: quia ex debito vnius actus fit debitum alterius actus.

¶ Ad aliud dicendum, quòd passio erat in parte irrationali, sicut accidens in subiecto: passio etiã erat in parte rationali, sicut volitum in volente. Quia ergo passio non erat in parte irrationali solùm, sed etiam in parte rationali; tamẽ secundùm alium modum: scilicet secundùm quẽ attenditur meritum. (Non enim aliquid dicitur meritorium, nisi sit in voluntate, sicut volitum & placitum) propter hoc est passio Christi meritoria; quia fuit in parte rationali: sicut volitum & placitum.

¶ Ad aliud dicendum, quòd aliter fuit passio in Christo, aliter in alijs sanctis. In Christo enim fuit passio volũtaria, & quantum ad fieri, & quantum ad esse: non enim in corpore suo passio fieret, nisi voluisset: nec etiam in ipso esset passio, nisi voluisset. Erat etiam passio voluntaria quantum ad actum: quia ei placebat pati. In sanctis verò, quamuis passio quantum ad fieri, & quantum ad esse non subiaceat voluntati; quia est à violentia extrinsecus agente: tamen ipsum pati, qui est effectus passionis, est volitum. Vnde secundùm hoc patet, quod in sanctis passio secundùm quod est inuoluntaria: simpliciter tamen voluntaria quò ad effectum, & ideo meritoria. In Christo verò & quò ad causam, & quò ad effectum est voluntaria. Cùm ergo dicitur passió est inuoluntaria in Christo. Dicendum quod falsum est, nec quantum ad causam, nec quantum ad effectum. In sanctis verò inuoluntaria est quò ad causam: sed voluntaria quò ad effectum. Et sic patet solutio ad quæsita.

MEMBRVM IIII.

De effectu meriti Christi.

Consequenter quæritur de effectu meriti Christi. Et quia meritum Christi completur per passionem, quæruntur hæc: Primò, quid sibi meruit. Secundò, quid nobis meruit.

ARTICVLVS I.

Quid sibi per passionem meruerit Christus?

Ad primum cùm dicat Apostolus: *Factus est obediens, &c. Propter quod Deus exaltauit illum.* Quæritur, an meruit exaltari secundùm diuinam naturam, aut secundùm humanam? Secundò, an meruit sui corporis glorificationem? Tertiò, qualiter meruit nomen, de quo Philippen. 2. dicitur: Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip. 2.

An secundùm humanam, vel secundùm diuinam naturam meruit Christus exaltari per passionem. §. 1.

¶ Ad primum: *Factus est obediens vsq; ad mortẽ: mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum.* Ergo meruit exaltationem suã per humilitatem, vel obedientiam passionis. Philip. 2.

¶ Item, iuxta hoc quæritur: vtrùm exaltatio illa referatur ad diuinam naturam, vel humanam. August. *In qua enim forma crucifixus est, in ea exaltatus est; in ea donatum est* August.

ei no-

ei nomen, quod est super omne nomen: vt cum ipsa forma serui nominetur vnigenitus filius Dei; hoc illi donatum est vt homini, quod iam habebat idem Deus ipse. Hoc igitur per gratiam accepit, vt ipse ens homo, vel subsistens in forma serui, id est in anima, & carne, nominetur & sit Deus: ergo exaltatus est secundum humanam naturam, non secundum diuinam.

Ansel in lib. de incarnatione verbi. ¶ ITEM Anselmus: *In incarnatione filij Dei non fuit diuina natura humiliata: sed solùm natura humana exaltata.* Ergo nec in resurrectione fuit diuina natura exaltata: cùm non prius fuerit humiliata.

Ambros. ¶ CONTRA: Ambros. dicit, nomen illud donatũ esse Deo, non homini. Et ita videtur contrarius esse Aug. & ita videtur exaltatio diuinæ naturæ, non humanæ.

¶ ITEM ad illam naturam pertinet esse exaltatam, quę fuit humiliata. Cùm ergo diuina natura fuerit humiliata; Philip. 2. quia exinanita, sicut patet: *Exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens.* Ergo ipsa natura diuina fuit exaltata per obediẽtiam passionis.

¶ ITEM, in vnione diuinæ naturæ & humanæ, natura humana exaltata fuit in altitudinem diuinæ naturæ: ergo & eadẽ ratione diuina natura humiliata est ex vnione ad humilitatem humanæ naturæ. Ergo ad diuinam naturam pertinet meritum exaltationis.

RESOLVTIO.

Secundùm humanam: nec nisi æstimatiuè secundùm diuinam.

¶ RESPONSIO. Natura diuina nunquam fuit exaltata secundùm rem, sed solùmmodò si dicitur exaltata, intelligitur quantum ad hominum opinionem. Et hoc, quia in resurrectione apparuit Christus non tantùm homo, sed Deus: quod prius non apparebat.

¶ AD illud Ambros. quod videtur contrarium August.
Il 3. Sent. dist 18 Dicendum, sicut dicitur 3. Sent. quòd Ambrosius intelligit illud de naturali donatione, qua æternaliter generando dedit Deus filio nomen, quod est super omne nomen, scilicet Deum esse per naturam: quia genuit ab æterno filium plenum, & sibi æqualem Deum. August. autem loquitur de donatione gratuita, vel per gratiam, sicut patet in autoritate sua.

¶ AD illud, quod dicit Apostolus diuinam naturam exinanitam fuisse, & ita humiliatam. Dicendum, quòd nõ dicit hoc Apostolus propter aliquam mutationem in diuina natura seu in persona filij: sed hoc dicit, quo ad humanam opinionem, eo quòd deitas mortalitatem carnis induta, non credebatur esse, quod erat.

¶ AD aliud dicendum, quòd cum natura nobilior ignobiliori vnitur, hæc vnio non facit, vt nobilior vilescat; sed vt ignobilior nobilitetur: vt cùm anima rationalis corpori vnitur, non descendit anima rationalis à sua nobilitate; sed corporalis ascendit ad maiorem nobilitatem. Multò magis & incomparabiliter erit in vnione diuinæ naturæ ad humanam: diuina natura non descendit: sed sed humana ascendit. In illa enim vnione alterum extremorum est mutabile, alterum prorsus immutabile: & ideo illa vnio non fuit nisi cum mutatione alterius extremorum, scilicet humanæ naturæ, non diuinæ. Sicut contingit relationem mutari, altero relatiuorum mutato solùm, alterum verò immutato, vt ille, qui est dexter omnino quiescens & immutatus, fiet sinister altero mutato, qui est circa ipsum, à leua in dexteram, sicut dicit Boëtius. Boet. in l. de Trini. Similiter diuina natura vnitur humanæ, ipsa omnino non mutata, nec humiliata in deterius: sed humana natura muta est, & exaltata in melius.

An & per eandem passionem meruit Christus sui corporis glorificationem? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: an Christus meruit sui corporis glorificationem.

Ambros. * al. clarificationẽ ¶ AD quod sic Ambrosius: *Euidens fuit, quòd Christus per humilitatem & obedientiam passionis meruit * glorificationem corporis.*

¶ CONTRA, meritum ordinatur ad præmium: sed maius bonum non ordinatur ad minus bonum: ergo præmium est maius bonum, quàm meritum. Cùm ergo omnis affectio animæ ordinata sit ad maius bonum; quàm quælibet dispositio corporis: ergo secundùm actum charitatis in affectione animæ ordinata non poterit esse meritum immortalitatis corporis.

¶ ITEM, corpus Christi non habebat debitum mortalitatis: ergo sine omni merito ei debebatur immortalitas.

RESOLVTIO.

Et sui corporis glorificationem per passionem meruit Christus, saltem acceleratiuè.

¶ RESPON. Dicunt, quòd dotes corporis gloriosi magis attribuendæ sunt animæ, quàm corpori: quia econtrariò necessitas ad moriendum propriè est pœna animæ, non corporis: vnde & contrarium eius immortalitas propriè magis est debita animæ, quàm corpori. Secundùm hoc ergo dicunt: quod actus animæ, quibus merebatur, referuntur ad dispositionem animæ, non corporis, nisi ex consequenti, quia ex gloria animæ est gloria corporis.

¶ AD aliud dicendum, quòd quamuis corpus Christi non haberet debitum mortalitatis: nihilominus immortalitatem poterat mereri quantum ad accelerationem, secundùm quod dicunt, quòd Christus per passionem accelerationem resurrectionis meruit, iuxta autoritatem: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et, *Solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat illum detineri ab eo, & cæt.* Psalm. 15. Act. 2. Gloss. *Per putrefactionem & incinerationem, quibus caruit.*

¶ POSSET tamen dici, quòd non est inconueniens, si dicamus, quòd ex maiori bono, scilicet ex charitate Christus meruit minus bonum, scilicet immortalitatem corporis: quia hoc non est ex defectu charitatis ipsius merentis, immò ex perfectione, quæ cùm non habeat maius bonum, in quod se extendat, extendit se in bonum minus merendum.

¶ SIMILITER dicendum ad aliud, quod non est inconueniens, quamuis immortalitas sit debita corpori; quod cadat sub merito secundùm rationem merendi, qua dictum est superius: quod mereri est facere de debito magis debitum.

An, & quomodo Christus meruerit sibi nomen illud, quod supra omne nomen est, scilicet Iesus? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quęritur, qualiter meruit nomen, quod est super omne nomen. Et quęritur de hoc nomine IESVS, verùm illud meruit Christus: & an conueniat ei ex tempore, vel ab æterno. Ad quod sic: *Vocabis nomen eius Iesum* Gloss. *Non impones, quod ab angelo, vel ab æterno est impositum.* Ergo ab æterno habuit huiusmodi nomen, ergo illud non meruit. Philip. 2. Matt. 1. Glossa.

¶ ITEM, si hoc nomen ab æterno impositũ vel ab angelo: ergo non erat ex tempore imponendum, vel ab homine, scilicet Ioseph.

¶ CONTRA. Hoc nomen IESVS, conuenit Christo ab effectu salutis, secundùm quod dicitur: *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ergo cùm per passionem meruerit effectum salutis nostræ; relinquitur quod meruit hoc nomen per passionem. Matth. 1.

¶ ITEM, Chrysost. exponens istum eundem locum: *Vocabis nomen eius Iesum. Dicitur Ioseph, hoc nomen do tibi imponendum: & si non sit tuus fœtus, sed ea, quæ patris sunt, circa ipsum demonstrabis.* Chrysost. Matth. 1.

RESOLVTIO.

Ab actu saluandi.

¶ RESPONSIO. Hoc nomen, IESVS, idem est quod Saluator. Saluator autẽ tripliciter dicitur: vel ab actu saluandi, vel ab habitu, vel à potentia saluandi. Secundùm quod dicitur à potentia saluandi, secundùm hoc conuenit hoc nomen ab æterno; & dicitur impositum ab æterno. Secundum, quod dicitur ab habitu saluandi: sic dicitur impositum ex tempore ab angelo, quod conuenit à principio conceptionis. Secundùm verò quod dicitur ab actu saluandi: secundùm hoc dicitur impositum à Ioseph ratione futuræ passionis: & hoc modo dicitur illud nomen meruisse.

¶ ITEM,

¶ ITEM quęritur de differentia huius nominis IESVS, & huius nominis, CHRISTVS.

¶ AD quod breuiter dicendum, quòd cùm Deus & homo vnus sit Christus in vnitate personæ, potest signari persona Christi dupliciter. Vel ratione diuinæ naturæ in comparatione ad humanam, secundùm quam dicitur IESVS, id est saluator: verbo enim in humana natura conuenit saluare. Vel ratione humanæ naturæ in comparatione ad diuinam: & hoc modo nominatur Christus, quod dicitur ratione humanæ naturæ per vnionem ad diuinam.

¶ CONSEQVENTER quæritur, an meruit nomen Dei: hoc est manifestationem nominis, secundùm quod dicitur in 3. Sent.

3 Sent. dist. 18. Matth. 8 Glossa.

¶ AD quod sic obijcitur: Dicebant dæmones, *Iesu fili Dauid, ad quid venisti ante tempus torquere nos?* Glos. *Tantum innotuit, quantum oportuit: non sicut angelis per hoc quod est vita & lux* (supple) innotuit dæmonibus: *sed terrendis per quædam virtutis effecta*. Ergo cùm dæmones haberent scientiam per effectum virtutis Christi, quod esset Deus ante passionem: ergo non meruit per passionem notitiam vel manifestationem nominis diuini.

Luc. 4. Glossa.

¶ ITEM, dixit dæmon: *Scio quod sis Sanctus Dei*. Glos. *Dominum in terra videntes, se continuò iudicandos credebant.* Ergo cum scirent se non esse iudicandos nisi a Deo, sciebant Christum esse Deum.

1 Cor. 2. Glossa.

¶ ITEM super illud: *Si cognouissent, &c* Glos. *Maiores Iudæi, qui ad cognitionem legis tenebantur, sciuerunt quod esset Christus: minores verò & simplices, qui ad cognitionem legis non tenebantur, nescierunt.* Ergo cùm dæmones maiorem habeant cognitionem maioribus Iudæorum; dæmones vel maiores Iudæorum sciuerunt Christũ esse Deum: ergo per passionem non meruit illius nominis manifestationem.

1. Cor. 2

¶ CONTRA, super illud: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, &c.* sed secundùm quod de Iudæis exponitur: dicitur, crucifixissent, id est crucifigi permisissent: sed secundum quod de dæmonibus dicitur crucifixissent, id est crucifigi suggessissent: ergo nec dæmones nec Iudæi cognouerunt.

¶ RESPON. Dicendum, quòd non cognouerunt, nec dæmones, nec Iudæi Christum esse Deum, quamuis cognouerunt ipsum esse sanctum virum.

¶ AD illud, quod obijcitur primò; Dicendum, quòd cognitio illa per effectum inducebat ad credẽdum ipsum virtute diuina operari, sed non ad credendum, quod esset Deus. Vnde, *Si cognouissent, &c.* Glos. *Quod dicunt dæmones in Euangelio, magis ex suspicione quàm cognitione dicere credendi sunt.*

1. Cor. 2. Glossa.

¶ AD secundum dicendum, quòd illud quod dicitur, continuò se iudicandos credebant, intelligitur nõ de credulitate fidei virtutis, sed de credulitate opinionis.

¶ AD vltimum dicendum, quòd tam maiores, quàm minores Iudæi ex ignorantia peccauerunt. Sed differẽter: quia maiores sciuerunt ipsum esse Messiam, sed non Deũ: quia non inueniebant expressum in lege secundùm suum intellectum. Minores autem vtrunque ignorabant.

ARTICVLVS II.

Quid Christus meruerit nobis?

CONSEQVENTER quæritur: quid Christus meruit nobis: & maximè per passionem? Et quæruntur tria. Primò, qualiter meruit vniuersaliter deletionem. Secundò, qualiter remissionem pœnæ æternæ. Tertiò, qualiter ex merito passionis sit remissio temporalis pœnæ.

An Christus passione sua meruerit nobis vniuersaliter deletionem culparum. §. 1.

Ansel. in lib. 2. Cur Deus homo, ca. 14.

¶ AD primum obijcitur sic. Anselm. *Dic mihi cur ita tuũ cor indicat, vt plus horreat vnum peccatum in læsione vnius hominis, quàm omnia alia quæ excogitari possunt? cum omnia, quæcunq; sũt peccata cõtra illum sint.* Et respondet discipulus: *quoniam peccatum, quod in eius persona fit, incomparabiliter superat omnia alia peccata, quæ extra personã illius excogitari possunt.* Et sequitur: *Ita videmus, quia violationi vitæ corporalis huius hominis nulla immẽsitas vel multitudo peccatorum extra personam Dei cõparari valet.*

Idem.

¶ ITEM idem: *Putas ne tantùm bonum tam amabile posse sufficere ad soluendum, quod debetur pro peccatis totius mundi.* Et respondet: *imò plus potest in infinitum. Vides igitur, quomodo hæc vita vincat omnia peccata si pro illis detur.* Si ergo dare vitam est mortem accipere: sicut datio huius vitæ prępualet omnibus hominum peccatis: ita & acceptio mortis.

Idem.

¶ CONTRA idem Anselm. *Si tam malum est Christum occidere, quàm bona est vita eius: quomodo potest mors eius superare & delere peccata eorum, qui eum occiderunt? Aut si alicuius eorum peccatum deleret, quomodo potest aliorum quoq; hominum peccata delere? Credimus enim quod & multi ex illis saluati sunt, & innumerabiles alij saluantur.*

RESOLVTIO.

Generaliter omnium peccatorum deletionem Christus meruit, etiam se perimentium.

Ansel. in lib. 2. Cur Deus homo, c. 15. 1. Cor. 2.

¶ RESPON. secundùm Anselm. Hanc quęstionem soluit Apostolus, qui dicit: *Quia si cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent.* Tantum namque differunt, scienter factum peccatum, & quod per ignorantiam fit; vt malum, quod nunquam facere possunt pro nimietate sua, si cognosceretur, veniale sit: quia ignoranter factum est. Deum enim occidere nullus homo vnquam (scienter saltem) velle posset. Et ideo qui occiderunt illum ignoranter; nõ in illud infinitum peccatum, cui nulla alia peccata comparari possunt, proruerunt. Nam si considerauimus eius imaginem, ad videndum quàm bona esset vita illa, secundùm hoc quod ignoranter factum est: sed quasi scienter fiet, quod nec vnquam fecit aliquis, nec facere potuit.

An Christus per eandem suam passionem meruerit nobis pœnæ æternæ remissionem. §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur: qualiter meruit remissionem pœnæ æternæ per passionem.

Ansel. in 1 lib. Cur Deus homo, cap. 1

¶ AD quod sic Anselm. dicit: *Oportet in satisfactione plus reddere quàm sit ablatum.* Si ergo mors Christi est satisfactoria pro pœna æterna, quia hæc iusta est redemptio: pœna autem æterna est ablatio vitæ æternæ, ergo mors Christi erit maius, quàm sit vita æterna. Secundùm hoc ergo obijcitur sic: dignior est vita, qua anima viuit Deo, quàm vita qua viuit in carne: dignior etiam est vita gratiæ, quàm vita naturæ, ergo mors, quæ priuat vitam in carne, vel vitam naturæ, non erit compensabilis pro morte, quæ priuat vitam in Deo, siue gratiæ: sed talis fuit mors Christi, talis ex alia parte fuit mors culpæ & reatus pœnæ æternæ: relinquitur ergo quòd non fuit satisfactoria pro pœna æterna.

¶ ITEM, coniunctio animæ ad Deum, est coniunctio ad vitam, quæ eam perficit: coniunctio animæ ad carnem ponit vitam, quam anima efficit: maior autem est delectatio in sua perfectione, quàm in illo cuius est perfectio, ergo oppositum erit maior pœna. Maior ergo pœna erit mors culpæ, quàm possit esse mors Christi in separatione animæ à corpore.

Philip. 1.

¶ ITEM, tanta potest esse delectatio animæ cum Deo, quod facit appetere separationem animæ à corpore: sicut patet in Paulo, ergo incomparabiliter maior pœna est separatio animæ à Deo, quàm separatio animæ à corpore.

¶ ITEM, maior est pœna, quæ aufert pacem animæ in se, quàm quæ aufert pacem animæ ad corpus. Si ergo per mortem culpæ perdit pacem in se; per mortem corporalẽ pacem ad carnem: ergo primum.

¶ CONTRA, Vita Christi, qua viuebat in carne, erat vita Dei: sed nulla vita, qua viuit creatura, est maior vita Dei: relinquitur ergo quod dare hanc vitam erit maius, quàm fuerit ablatio vitæ æternæ.

Ansel. lib. 2. Cur Deus homo.

ITEM Anselmus: *Putas ne tantum bonum, tam amabile, quantum fuit vita Christi; posse sufficere ad soluendum, quod debetur pro peccatis totius mundi? immo plus potest in infinitum.*

Relinquitur ergo, quod datio huius vitæ præualet omnibus hominum peccatis: ergo & acceptio mortis.

RESOLVTIO.

Dedisse Christum Deum & hominē vitam suam; mortemq́, subijsse in redemptionem hominum, cùm longè præponderet omnibus eorum debitis: profectò æternæ pœnæ remissionem meruisse, ambigendum non est.

¶ QVOD concedendum est.

¶ AD obiecta verò dicendum, quòd in satisfactione non solùm pensandum est, quantum soluatur; sed à quanto, & ex quanto soluatur. Si ergo vita Christi, qua viuebat in carne per animā vnitam diuinitati, consideretur; maius est vita Christi ratione animæ vnitæ diuinitati, quàm aliqua vita creaturæ. Si verò consideretur absolutè, maius est vita, qua anima viuit Deo: & pœna maxima est mors, siue separatio ab illa vita: non tamen sentitur vt maxima; nisi in statu separationis à corpore, in quo statu anima nata est ad fruendum illa vita. Præterea, si consideretur à quanto fuerit satisfactio per mortalitatem Christi: quia ab ipso Dei filio, qui est verus Deus: inuenietur super omnem æstimationem pœnæ satisfactum fuisse. Vnde; *Qui filio suo vnigenito non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non nobis omnia donauit*, id est condonauit, & remisit? Præterea, si consideretur ex quanto: id est ex quanta charitate mortem subierit: quia fuit charitas immensa inuenietur super omnem modum æstimationis satisfactio. Prædictæ igitur rationes procedunt facta comparatione mortis culpæ seu pœnæ æternæ, ad mortem hominis puri.

Rom.8.

An item & remissionem pœnæ temporalis? §.3.

¶ CONSEQVE[...]ER quæritur: qualiter ex merito passionis sit remissio[...]næ temporalis?

Tren.1. ¶ AD quod sic obijcitur: *O vos omnes, qui transitis per viā, attēdite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Ergo dolor Christi excessit omnes dolores.

Psal.87. Glossa. ¶ ITEM, *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Gloss. *id est, omnes passiones.*

August. in lib. de ciuit. Dei. ¶ ITEM, Augustinus: *Dolor adempti boni est testimonium naturæ bonæ.* Si ergo in Christo fuit optima natura, & complexio, & bonum ademptum maximum, ergo suus dolor maximus.

¶ CONTRA, quanto aliquid magis est voluntarium, tanto minus est pœnale. Sed passio & mors Christi maximè fuit voluntaria inter omnium passiones: ergo minus pœnalis.

¶ ITEM, passio Christi erat coniuncta maximæ delectationi, quæ erat in anima Christi quantum ad superiorem partem, ergo plus habet de consolatione, quàm alicuius passio: ergo minus pœnalis.

¶ ITEM, quantum aliqua passio minus habet de causa, scilicet merito patiendi, minus est pœnalis, maximè viri perfecti: sed talis fuit passio Christi.

RESOLVTIO.

Et quidem: cùm summoperè temporaliter passus sit.

¶ RESPONSIO. Magis pœnale dicitur; vel quod magis est cōtra naturam patientis: & hoc modo passio Christi fuit maximè pœnalis. Vel quod magis habet de causa, vel minus de consolatione: & hoc modo non fuit maximè pœnalis. Vel quod magis est contra voluntatem naturalem, siue sensualitatis: & hoc modo maximè fuit pœnalis, vel contra voluntatem rationis: & non maximè pœnalis. Et per hoc soluuntur obiecta.

Quæstio lateralis. ¶ CONSEQVEN[T]ER quæritur: quomodo nostrā mortem moriendo destruxit. Hoc enim dicunt autoritates.

¶ CONTRA, destruxit mortem; ergo temporalem, vel æternam. Temporalem non, quia ita morimur vt prius. Æternam non, quia præsciti ad mortem ita damnantur, sicut priùs, ergo non destruxit mortem temporalem, vel æternam.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod destruxit mortem per causam. Mors enim eius est causa, scil. meritoria destructionis futuræ mortis in gloriosa resurrectione. Mortem etiam æternam destruxit in suis: quia fecit, vt eam nō incurrerent. Sed & dominium mortis temporalis destruxit in pluribus: ita enim dominabatur mors prius, vt timore mortis retro abibant: sed post factum est, vt non timeretur; sed gratanter currerent ad mortem; quod in Martyribus claruit.

QVÆSTIO XVIII.

De passione Christi.

In septem membra, & tredecim articulos diuisa.

CONSEQVENTIA inquisitionis requirit, vt agamus de venerāda & super omnia recogitanda Dominica passione. Cuius inquisitionis partes erunt sex. Prima inquiret de veritate passionis. Secunda de generalitate passionis. Tertia de necessitate passionis. Quarta de conuenientia passionis. Quinta de quantitate passionis. Sexta de effectu passionis. Septima de causalitate passionis. D.Tho. 3.part.q. 46. S Bona. in 3 d 19.& 20. Scot.in 3. dist.20.

MEMBRVM I.

An in Christo fuerit potentia patiendi, cum actu & sensu eiusdem.

CIRCA primum, de veritate scilicet passionis quæruntur duo. Primò de potentia passionis. Secundò de actu & sensu passionis.

¶ AD PRIMVM arguitur sic: Præstantior est natura agens patiente. Si ergo nulla natura est præstantior natura Christi, ergo potest pati ab aliquo. Maior patet per Augustinum, dicentem: *Omni modo præstantior est natura agens naturâ patiente.* Aug. 12. super Genes.ca.16 & 3 de anima, com 19.

¶ ITEM corpus nostrum alterius est naturæ, quàm corpus Christi, quia infimæ naturæ est corpus nostrū. corpus verò Christi est potestatiuæ naturæ, vt scilicet feratur vndis, & sistat in liquidis, & structa transcurrat. Si ergo corpus Christi habet potestatē naturæ huiusmodi, ergo corpus Christi non habebit infirmitatem naturæ nostræ, ergo non habebit doloris nostri naturam.

¶ ITEM, corpus Christi est conceptum de spiritu sancto, & à principio cœlesti, & non à principio naturæ, sicut natura corporis nostri. Ex quo relinquitur quod non habet naturam ad dolendum sicut corpus nostrum.

¶ ITEM non potest fieri, vt timor significetur in verbis Euangelij, quibus dicitur: *Transeat à me calix iste, &c.* cùm fiducia teneatur in factis. Cùm ergo fiduciam habuerit in factis, sicut patet Matth.16. vbi dicit Petro: *Scandalum mihi es, vade retro me, &c.* cùm prædiceret passionem: videtur, q. non timuerit passionem. Præterea, quomodo timuit, qui armatis obuius prodijt? Relinquitur ergo, quòd non fuit timor in mente; & ita nec dolor. Matt.16. Matt.16

¶ ITEM, non est infirmitas in corpore, ad cuius occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus concidunt. Sed tale fuit corpus Christi, sicut habetur Ioan.18. ergo relinquitur, quòd non fuit infirmitas in corpore Christi, cuius erat tanta virtus. Ioan 18.

¶ ITEM, res, quæ est sanatiua & ablatiua doloris, dominatur super dolorē: sed talis fuit manus Christi & corpus: relinquitur ergo quòd nec manus, nec corpus Christi habuit doloris infirmitatem.

¶ ITEM, obijcitur per comparationem ād statū Adæ: dicebatur enim Adam immortalis, quia poterat nō mori: si enim vellet, nō esset mortalis, ergo similiter cū Christus non pateretur nisi vellet, non debet dici passibilis.

¶ ITEM, est gratia, quę compatitur secum peccatū, scil. veniale, & est amplior gratia, quæ non cōpatitur peccatū, tamen compatitur pœnam peccati, sicut fuit gratia B. Virginis: & est alia gratia, quæ neutrum istorum secum patitur; sicut gratia fruitionis: ergo cùm Christus hanc habuerit, non debet dici passibilis.

¶ AD oppositum Aug. *Est aliqua natura beata & immortalis: & est alia misera & mortalis ei opposita: & est media, quæ est misera & immortalis.* Sed illud mediū est medium diuidens; quia nō ponit nos in idē, sed in diuersum, quia separat nos à Deo, ideo introducit vnum mediatorem Iesum, qui habet beatitudinem & mortalitatem: ergo est passibilis. Aug de ciu. De

¶ DEIN-

Hilar. 10 de Trin. 3. Sent. dist. 15.

¶ DEINDE quæritur de sensu passionis. Ponit enim Hilarius & introducit similitudinem teli perforantis aëra: & cùm in aëre sit passio, nullus tamen est ibi sensus passionis. Si ergo similiter caro Christi patiebatur: in carne Christi non fuit sensus passionis.

Idem ibi. ¶ ITEM idem ibidem: *Tu verò, quo sensu rationis intelligis Dominum Iesum, ad quod festinat, timere, & consternantem fortes infirmitate trepidare, & vulnera non permittentem dolere vulneratum; & contumelia crucis dehonestari, cui crux consensus ad Deum est, & reditus ad regnum?* Ex quibus verbis videtur Hilarius dicere expressè, in Christo non fuisse passionis sensum.

Dionys. ep. 10 ad Ioan. Euangelist. ¶ ITEM Dionysius: *Absit, vt ego ita insaniam, vt credam vos aliquid pati: sed & corporis passiones solum secundum iudicare ipsos sentire credo.* Si ergo non est discipulus super magistrū: si Apostoli non patiebantur, ergo nec Christus.

Hilar. ¶ ITEM Hilarius: *Virtus corporis sine sensu pœna, vim pœna desæuientis excepit.* Ergo non habuit sensum pœnæ.

¶ ITEM, erat summa delectatio in ipso, qua maior excogitari non potest; quia comprehensor non erat: ergo secum non patiebatur passionis sensum.

Esai. 53. ¶ CONTRA, *Verè languores nostros ipse tulit, &c.*

Matt. 26. ¶ ET, *Tristis est anima mea, &c.*

Esai. 53. ¶ ITEM, *Vidimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem.*

Dan. 3. ¶ ITEM quæritur de differentia passionis in Christo, & in nobis. Sic passus est Ioannes ante portam latinam, & & tres pueri Daniel. 3. & isti sine sensu pœnæ: & sic non est passus Christus.

RESOLVTIO.

In Domino Iesu Christo veram potentiam patiendi dicimus: nō quidem indispositam, vt in Adam in statu primo instituto: non coactam, vt in nobis in statu hoc tertio restituto: sed liberam, & omnino voluntati subiectam. Quare & ipsum verè passum confitemur.

Magister in lib. 3. sent. d. 15. Hilar. ¶ CIRCA solutionem huius Quæstionis nota solutionem Magistri in 3. Sentent. vbi dicitur: *Audisti lector, &c.* Et est summa responsionis, vt intelligantur verba Hilarij, quibus dicit dolorem passionis in Christum non incidisse, & huiusmodi: quia in se non habuit causam seu meritum doloris, scilicet originale peccatum: siue quia in eo non habuit dominium passio, siue dolor: seu quia in eo non fuit necessitas dolendi, siue timendi. In verbis ergo Hilarij non excluditur veritas passionis à Christo: sed excluditur causa, dominium, & necessitas patiendi. Vnde Magister ostendit per eundem Hilarium, veram tristitiam & passionem fuisse, vbi dicit: *Tristitia autem, &c.* vna est auctoritas Hilarij, in qua dicit, quòd tristitia fuit in Christo: sed tamen causa tristitiæ eius fuit defectus Apostolorum. Et hoc est, quod dicitur ibi: *Interrogo, quid sit tristem esse, &c.* Item Hilarius dicit: quòd genera passionum infirmitatem carnis, vel carnem affecerunt: nō tamen diuinitatem verbi. Et hoc dicitur ibi: *Cùm hæc passionum genera, &c.*

Magister Hilar. in lib. de Trinit.

Idem in lib. de Synodis.

Aliorum sententia. ¶ ALII dicunt, quòd cùm in Christo sunt duæ naturæ in vna persona; illa quæ dicit Hilarius ibi, intelliguntur de persona, prout est in diuina natura; secundùm quam non habuit passibilitatem, nec naturam doloris: ratione enim vnionis personalis quod dicitur de filio Dei, dicitur de filio hominis: vnde illud, quod dicitur de impassibilitate quantum ad hominem; hoc dicitur ratione personæ, non ratione humanæ naturæ. Et hoc patet per verbum Hilarij: *Verbum caro factum, pati potuit, sed passibile esse non potuit, quia passibilitas naturæ infirmæ significatio est.* Et est ratio dicti: quia actus pertinet ad personam, sed passibilitas pertinet ad naturam; ideo personæ filij conuenit pati propter assumptam naturam; non tamen conuenit, quod sit passibilis. Et secundùm hoc exponunt verba Hilarij. Secundùm ergo hanc opinionem dicendum, quòd aliquid fuit passibile in Christo simpliciter, scilicet corpus. Aliquid verò impassibile simpliciter, tamen secundùm quid passibile, sicut anima, sicut dicit Ioannes Damascenus: *Anima impassibilis existens, corpore inciso, ipsa non incisa condolet, & compatitur.* Aliquid verò simpliciter impassibile & incompassibile, sicut diuinitas, prout dicit Ioannes Damascenus, quòd diuinitas impassibilis ens nō est compassa corpori: sicut sole superlucente in ligno, si securis incidat lignum, incisibilis & impassibilis remanet sol: sic persona verè erit impassibilis, & compati dicitur ratione humanæ naturæ.

Idem in eodem.

Damasc.

Idem.

Hilar. ¶ SED quod verba Hilarij non intelligantur de persona, sed de ipsa humana natura: expressè habetur in litera, vbi expressè dicit Hilarius. *Habuit sane illud domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, vt calcet vndas.* Item, *quam infirmitatem dominatam huius corporis credis: cuius tantam habuit natura virtutem?*

Idem.

Aliorum opinio. ¶ PRÆTEREA, dixerunt alij, assignantes differentiam inter potentiam patiendi & passibilitatem. Nam potentia patiendi dici solum potentiam materialem: passibilitas verò dicit præter illam potentiam aptitudinem, quæ est necessitas ad patiendum: secundùm quem modum dicitur, quod materia prima non est mobilis secundùm se sursum vel deorsum; sed tamen est in ea potentia ad motum; prout est ei coniuncta grauitas, dicitur mobilis; scil. quia habet aptitudinem ad hoc, vt moueatur deorsum. Secundùm hunc modum volūt dicere de natura humana Christi, quod habuit naturā ad patiendum: non tamē est passibilis, quia non habuit necessitatem ad patiendum. Et hæc volunt sensisse Hilarium; qui dicit in Libro de Synodis, quam Christus pati potuit, sed passibilis esse non potuit: quia in natura humana Christi non fuit principium materiale, disponens necessario ad patiendum; quod quidem est lex concupiscentiæ, siue fomitis traducta, sicut in nobis. Sed principium patiendi fuit extra naturam, scilicet in causa efficiente, scilicet in voluntate eius: quia nisi ipse voluisset, non potuisset pati, [illegible] vulnerari, nec lædi. Et hoc modo exponunt verba Hilarij, quod non habuit naturam ad dolendum, id est legem naturæ, seu meritum, secundùm quam est necessitas ad patiendum. Similiter exponunt non habuisse sensum pœnæ, quia non fuit dissensus voluntatis, & ideo dicitur dolor non fuisse in sensu, quia non fuit in sensu voluntatis displicentia. Ad illud verò, quod dicitur: non timuisse, non doluisse. Dicunt, quod hoc dicitur: quia non fuerunt in eo passiones huiusmodi, sicut in nobis: prout definiuntur à Philosopho per motum inuoluntarium. Secundùm hoc ergo soluunt omnia.

Idem.

Hebr. 8. Glossa. ¶ SED contra hoc obijcitur super illud: *Si ergo esset super terram, non esset sacerdos, &c.* Gloss. *Quid tam congruenter offerretur pro hominibus, quàm humana caro? Et quid tam aptum immolationi, quàm caro mortalis?* Et sequitur de sacrificio, quod obtulit Christus in passione, de quo hoc est intelligendum: *Vnus ipse erat qui offerebat, & quod offerebat.* Ex quo relinquitur, quòd caro Christi non solùm habuit potentiam ad immolationem & passionem; sed etiam dispositionem, & aptitudinem.

Idem.

Boet. in li. de duabus naturis & vna persona Christi. ¶ ITEM Boëtius distinguit tres status hominis: statum innocentiæ, statum miseriæ, statum beatitudinis. Et dicit, quòd à statu innocentiæ accepit Christus corpus animale indigens alimento, sicut Adam habuit. A statu miseriæ accepit corpus mortale, vnde dicit: Mortale corpus assumpsit, vt morte à genere humano fugaret. A statu verò beatitudinis accepit peccandi impossibilitatem. Si ergo est corpus mortale, & non est cum potentia siue aptitudine; relinquitur quòd corpus Christi habuit aptitudinem ad moriendum, & patiendum.

Opinio propria. Hilar. 10. de Trin. ¶ RESPONDEO igitur secundùm beatum Augustinum: Voluntate tristitiam suscepit veram, quo modo carnem. Et sicut dicit B. Hilarius: *Homo ille de cælo est, habens ad patiendum corpus, & passus est: sed naturam non habens ad dolendum.* Et iterum: *Quam infirmitatem dominatam huius corpori credis, cuius tantam natura habuit virtutem?* Et iterum: *Licèt forma corporis nostri esset in Christo, non tamen vitiosæ infirmitatis nostra forma erat in corpore.* Secundùm ergo beatum Augustinum patet, quod fuit passio in Christo, sed subiecta voluntati, vnde dicit: Voluntate tristitiam suscepit veram, quo modo voluntate carnem suscepit veram. Secundùm verò B. Hilarium nō fuit passio in Christo per necessitatem, & ideo dicit: naturam non habens ad dolendum,

Idem.

Idem.

Augu.

Hilar.

nec

Idem. nec per dominationem, vt passio dominaretur suæ voluntati: propter quod dicit, non infirmitatem dominatam huius corporis, nec per vitium siue peccati obnoxietatem, Idem. propter quod dicit, non vitiosæ infirmitatis nostræ erat forma in Christi corpore. Dicendum ergo secundùm hũc modum ad determinationem verborum B. Hilarij, & præcedentium Sanctorum: quod in Christo aliter fuit potentia patiendi, quàm sit in nobis in statu miseriæ; & quàm fuerit in Adam in statu innocentiæ. In nobis enim est potentia cum necessitate patiendi, & voluntate non patiendi, nec potente prohibere passionem. In Adam fuit potentia in statu innocentię, sine aliqua necessitate: & dispositione ad patiendum; & voluntate ad patiendum, nec potente prohibere passionem, si esset. In domino verò Iesu fuit potentia ad patiendum, non tamen indisposita, vt in Adam: nec cum necessitate ad patiendum, vt in nobis: sed cum dispositione ad patiendum: & cum voluntate potente prohibere passionem. Dicendum igitur, quod cum sit potentia actiua & passiua: potentia actiua in nobis est solum subiecta voluntati: potentia passiua non, sed sequitur conditionem naturæ. In Domino verò Iesu potentia passiua, sicut potentia actiua fuit subiecta voluntati, vt esset domina sui actus & suæ passionis: vt sicut voluntas nostra habet dominium sui actus potens prohibere eum, vel educere: ita Christi voluntas dominium habuit, & potens fuit prohibere passionem à potentia patiendi assumpta: vel ipsam educere in actum patiendi. Et ideò quia passio in effectu in Christo dependebat à voluntate, quàmuis esset potentia disposita pati in carne: propterea dicit Hilarius, quod non habet naturam doloris: nec excipit sensum pœnæ necessariò, nec timet, nec dolet, vel sentit vulnus per naturam. Tamen dicit eum verè passum, & habere corpus ad patiendum: nec infirmitatem dominatam suo corpori, nec vitiosæ infirmitatis formam habuisse. Dicendum ergo, quod Adam ad hoc quod esset impassibilis, erat ex virtute diuinæ protectionis secundùm Hugo. non ex sua natura. Item in nobis est passibilitas cum necessitate ad patiendum: sed in Christo erat dispositio ad passibilitatem; tamen potens erat prohibere omnes passiones: & hoc habebat ampliùs quàm Adam. Nos verò habemus dominium actionum nostrarum, non passionum secundùm Damascenum: Christus autem habuit vtrarunque dominium. Et hoc vult Hilarius in authoritate prædicta.

Hugo de Sacramentis lib. 1. par. 6. ca. 18.

Damas.

¶ Ad illud, quod quæritur de gratia fruitionis, quod deberet prohibere omnem passionem & sensum passionis. Dicendum, quod gratia in Christo consideratur dupliciter: vel secundùm se, & sic habebat summam delectationem: vel vt ordinatur ad redemptionem: & sic exigebatur, quod haberet passibilitatem; quia exigebat pœnam.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod habebat summam delectationem & voluntatem ad patiendum: & ideò impassibilis. Dicendum secundùm Augustinum de Anima & spiritu. Anima dupliciter consideratur; vt anima, & sic habet relationem ad membra, quę viuificat; & hoc modo patiebatur: vel consideratur vt spiritus, & sic fruebatur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur per authoritatem Dionys. Dicendum, quod intelligitur de passione perturbante rationem: & non de propassione.

Dionys. ad Ioan. Euangelistam.

¶ Ad illud, quod quæritur de sensu passionis; quia videtur dicere Hilarius, quod non habuit sensum passionis. Dicendum, quod sicut distinguitur passio & propassio: ita debet distingui sentire & prosentire: vt sentire dicatur de sensu perturbante rationem; prosentire de sensu, qui est solummodo in sensualitate.

¶ Ad aliud, quod quæritur de differentia passionum in nobis, & in Christo. Dicendum, quod in nobis est necessitas ad patiendum: in ipso verò solummodo dispositio absque vlla necessitate. Item nos patimur, velimus, nolimus: ipse autem dominium habuit suæ passionis: vt dictum est. Item nos passibilitatem habemus per causam, quia per peccatum, seu ex peccato: ipse autem passibilitatem habuit, non per causam vel necessitatem aliquam: sed sola voluntate assumpta.

MEMBRVM II.

De generalitate passionis Christi.

Consequenter quæritur de generalitate passionis Christi. Et quæruntur hic ordinatè duo. Primò de generalitate passibilium. Secundò de generalitate passionum.

ARTICVLVS I.

De generalitate passibilium.

Circa primum quæritur primò. Vtrum pateretur secundùm sensualitatem. Secundò, vtrum secundùm rationem: & si hoc, si secundùm superiorem & inferiorem. Tertiò, vtrum pateretur secundùm omnem voluntatem. Quartò, vtrum pateretur anima Christi, secundùm quod anima, & secundùm quod spiritus.

An Christus secundùm sensualitatem passus sit. §. 1.

¶ Ad primum sic obiicitur. Hilar. *Hominibus sunt naturalia per animæ ad gloriam ardentis calorem, vt passiones suas nesciant, & vulnera ignorent, & mortem non intelligant.* Ergo si in aliquibus feruor fidei absorbet passionem: multò fortiùs gratia in Christo absorbuit omnem passionem. Vnde Hilarius ibidem. *Dominus gloriæ Iesus Christus, cuius fimbria virtus est, cuius sputus & sermo natura corporis est: dum & mancus iam non mancus manus iubetur extendere: & cæcus natus natiuitatis vitia non sentit, & truncus aure non truncus est: in ea infirmitate corporis deputabitur, in qua gloriosus ac beatos viros fides sua spiritu non relinquit.* Hilar. lib. de Trini. Idem ib.

¶ Item, si dicatur quod intelligitur de sensu rationis, non carnis. contra Hil. *Quod pati animus gloriæ cupiditate contendit: id se pati corpus anima vetegante non sentit.* Ergo si corpus non habet sensum, quando animus propter amorem gloriæ vult pati: relinquitur, quod nec in Christo: cùm maximè fuerit amator gloriæ. Idem.

¶ Si dicatur, quòd non sentire dicitur, quia non reputatur: tamen est ibi sensus passionis verus. Contra Hilar. *Non vis (impie hæretice) vt transeunte palmas clauo, Christus non doluerit: interrogo, cur pueri ignem non timuerunt, nec doluerunt? aut quid in eorum natura fuit, vt naturam ignis excederet?* Si ergo bona est comparatio, quàm ponit: videtur quod Christus clauum non senserit. Idem 11. de Trini.

RESOLVTIO.

Christus sensibiliter passus est: sed ex virtute & potestate suæ naturæ.

¶ Respon. Dicendum, quod Hilar. non vult remouere verum sensum passionis: sed errorem Arrij: vnde dicit. *Volunt plerique eorum ex passionum metu & ex infirmitate patiendi non in natura eum impassibilis Dei fuisse: vt qui timuit & doluit, non fuerit in ea securitate potestatis, quæ non timet: vel in ea spiritus incorruptione, quæ non dolet.* Sic ergo dicebat Arrius ipsum nõ esse Deum, si passus esset verè. Dicendum ergo, quod passio Christi fuit secundum sensum, & in parte sensibili. Tamen secundùm Hilar. & Damas. hæc est differentia in passione Christi & nostra. Est enim pati ex infirmitate: & est pati ex potestate. Qui patitur, & non potest prohibere passionem, patitur ex infirmitate: qui autem potest prohibere patitur ex virtute. Vnde dicit Damas. *Passus est vnigenitus Dei omnium incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus virtute suæ naturæ: sicut & virtute suæ naturæ natus est.* Nostrum autem pati est ex infirmitate. Idem. Hilar. li. 10. de Trinit. Damas. Damas.

¶ Ad autoritatem Hilar. dicendum: quod vult ostendere excellentiam naturæ diuinæ, & etiam humanæ. Vnde cùm obiicitur, quod martyres non sentiunt passiones. Dicendum quod hoc est, quia non reputantur propter amorem gloriæ: immò superferuntur passionibus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de pueris in ignem positis. Dan. 3. Dicendum, quod non vult Hila. excludere sensum passionum: sed ostendere excellentiam naturæ. Natura enim dicitur natura patiendi ex corruptione humanæ cõditionis ex Adam, quæ non fuit in Christo: & in nobis est

passibilitas contracta ex necessitate: in Christo autem solummodo assumpta: & hoc intendit ostendere. Vnde dicit. *Habens nostri doloris corpus: sed naturam non habens ad dolendum.* Vnde dicit: *Cum lege hominum natus sit, non tamen lege hominum conceptus est, habens in se constitutionem humana conditionis in partu: & ipse extra constitutionem humanæ conditionis in origine.* Patet ergo quod vult ostendere excellentiam humanæ naturæ in Christo.

(margin: Hilar.)

An Christus passus sit secundùm superiorem, & inferiorem rationem: §. 2.

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum passio sit in Christo secundùm rationem inferiorem, & superiorem.

¶ AD quod sic obiicitur. Adam peccauit secundùm partem superiorem & inferiorem, & etiam punitus est: ergò & Christus debuit satisfacere secundùm vtramque.

¶ Si dicatur, quod dupliciter est considerare superiorem partem rationis: vt est natura, vel vt est ratio: si consideretur vt est ratio, sic non fuit in Christo passio: sed prout consideratur vt natura. Contra, in lib. arb. cùm peccat, est ratio vt ratio: peccatum autem est in lib. arb. cùm non eligit eligenda: ergo pœna debet esse in ratione, vt est ratio, non solum vt est natura.

¶ Si dicatur ratio, vt ratio dupliciter consideratur: vt ad suum superius ordinatur, & sic nullam habebat passionem nec culpam: vel vt comparatur ad suum inferius, scil. ad suas vires; sic habuit passionem & culpam superior ratio in Adam. Contra. *Tristis est anima mea*, &c. Hieron. *Patitur anima mea Christi, ne credatur irrationalis.* Sed magis dicitur rationalis, secundùm quod conuertitur ad suum superius, hoc est, secundùm superiorem portionem: relinquitur ergò, quod in illa fuit passio.

(margin: Marci 14. Hieron.)

¶ ITEM ibidem Ambr. *Remotâ delectatione Deitatis, tadio humana calamitatis afficitur.* Et hoc videtur, quod patiebatur, vt verus homo: ex quo separata erat delectatio Deitati.

(margin: Ambros. ibid.)

¶ ITEM, Adam peccauit ex comprehensione Deitatis, & secundùm superiorem partem: & ita secundùm quod ratio conuertitur ad suum superius, fuit in Adam culpa: ergo in ipso secundùm hoc debuit esse pœna, seu passio.

¶ CONTRA, Christus fuit comprehensor: ergo summam habuit delectationem ex illa parte: ergò Christus nihil patiebatur secundùm rationem conuersam ad superius suum.

RESOLVTIO.

Secundùm vtranque rationem passus est Christus; inferiorem scil. & superiorem, ne dum vt natura, verùm etiam vt ratio.

¶ RESPON. Dicendum sine præiudicio, quod est considerare rationem dupliciter (secundùm quod dicit August. quod ratio diuidit se in duo, in superiorem & inferiorem secundùm duplicem comparationem) vel vt ratio, vel vt natura. Secundùm quod consideratur vt natura, appetit vnionem cum suo corpore, & refugit separationem. Dicendum ergo, quod in Christo fuit passio in ratione, secundùm quod ratio, & secundùm quod natura. Vnde Hieronym. *Tristis est anima mea*, &c. *Contristatur propter scandalum Apostolorum* (& hoc intelligendum est de inferiori ratione) scandalum enim non est solum in ratione vt natura; seu metus scandali, quem habebat, vt dicit Hilar. sed in ratione vt ratio. In superiori verò parte fuit passio vt est natura, non vt est ratio.

(margin: August. — Hieron. super Isai. 26. Hilar.)

¶ QVOD ergò obiicitur per Hieronym. Patitur anima Christi, ne putetur esse irrationalis. Dicendum, quod ipse loquitur contra hæreticos, qui dicebant ipsum solum habere Deitatem cum corpore sine anima: vnde ostendit eum habuisse rationem.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod remota delectatione Deitatis, tædio humanæ calamitatis afficitur. Dicendum, quod Christus ante passionem gaudebat in superiori parte rationis: & ex hoc erat influentia ipsis viribus inferioribus, à quibus remota est consolationis influentia in passione. Vnde secundùm hoc intelligenda est authoritas Amb. super illud. *Deus meus, Deus meus, vt quid*, &c. Clamat homo, Deitatis separatione moriturus. Sed constat, quod non intelligit de separatione vnionis, sed de separatione consolationis influentis super inferiores vires: quam etiam spirituales viri benè sentiunt, dicente, secundùm, *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi*, &c. Amb. sup. Matt. 27. Psal. 34.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod Adam ex comprehensione Deitatis peccauit. Dicendum, quod comprehensio deitatis est dupliciter: vna secundùm auersionem, secundùm quod ei * proponitur bonum commutabile: & alia secundùm comprehensionem, * quæ ei adhæret sprecto omni commutabili: & secundùm hoc erat comprehensio in anima Christi. Secundùm hanc autem comprehensionem nullo modo committitur peccatum, sed secundùm primam. Vnde illa comprehensio non concludit, quod Christus debuit dolere secundùm illam partem, qua comprehendit.

(margin: * Alias, præponitur. * Alias, qua.)

An & secundùm omnem voluntatem Christus passus sit, scilicet naturalem & deliberatiuam, absolutam & conditionalem? §. 3.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum pateretur Christus secundùm omnem voluntatem?

¶ AD quod sic. Passio fuit in Christo, secundùm quod culpa fuit in Adam: sed culpa fuit in Adam secundùm voluntatem sensualitatis & rationis: ergò & pœna vel passio in Christo.

¶ CONTRA, est pœna damnatoria in inferno: purgatoria in purgatorio: satisfactoria in præsenti. In pœna damnatoria est pœna sine voluntate: in pœna purgatoria cum voluntate: in pœna satisfactoria ex voluntate. Sed vbi est voluntas, ibi est gaudium de satisfactione pro culpa: ergò gaudet voluntas de passione: ergo in Christo non fuit passio voluntatis rationis * qua gaudebat de satisfactione. * Alias, quia.

¶ ITEM, Martyres gaudent de passionibus; quia ibi adest, quod volunt: latrones cruciantur, quia ibi est quod displicet. Sed vbi est, quod vult aliquis, non est tristitia: ergò nec Christus habuit passionem rationis.

¶ ITEM, ex eadem parte non potest esse volitum & inuolitum, placitum & non placitum, gaudium & tristitia: ergo si in parte rationis superioris erat gaudium, secundùm illam non inerat tristitia.

¶ ITEM Arrius posuit; quod passio fuit in Christo secundùm omnem naturam Christi. Sed quæritur, si ponamus sicut Arrius, si poneremus passionem magis meritoriam, quam nunc? Et videtur quod sic, quia maiorem poneremus passionem: & ita * magis meritum, & magis meritoriam. Sed ad hoc dici posset, quod non dicitur magis meritoria passio, quia maior: sed quia ex maiori charitate. * Alias, mais.

RESOLVTIO.

Nequaquam, sed secundùm naturalem tantùm, & conditionalem quodammodo.

¶ RESPONS. secundùm Damascenum. Voluntas est rationis & liberi appetitus: voluntas non est propriè ex parte sensualitatis: sed solum ex parte rationis. Sed appetitus duplex, ideò voluntas duplex: appetitus rationalis, & naturalis: sic rationis voluntas est duplex: est naturalis, respondens appetitui naturali rationis: & deliberatiua, quæ respondet appetitui rationali: vtraque autem voluntas idem est secundùm rem, sed differens secundùm rationem. In naturali ergò voluntate fuit passio: sed non in deliberatiua. Naturalis autem voluntas est per comparationem ad suum corpus: & dolet de contrario, scilicet de separatione: ideò passio fuit in voluntate rationali. Deliberatiua est, secundùm quam contulit vtilitatem passionis: & secundùm hanc non fuit passio. Secundùm hoc respondendum est ad omnia obiecta. Et secundùm hanc distinctionem distinguendum est, cùm obiicitur: quod habuit gaudium summum, &c. Damas.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum passio fuerit secundum voluntatem absolutam, vel conditionalem.

AD

Quæstio lateralis. ¶ Ad quod sic obiicitur. Omne illud, quod appetitur, appetitur voluntate conditionali: sed Christus appetebat pati non voluntate absoluta, sed conditionali, scilicet pro redemptione, ergo, &c.

¶ Contra, vbicunque appetitus voluntaris conditionalis; est partim in voluntarium, & partim voluntariũ: Damaſ. & ponit Damaſ. exemplum de illo, qui proiicit merces in mari: nec est simpliciter illa voluntas. Si ergò Christus passus est voluntate conditionali: ergò sua passio nõ fuit simpliciter voluntaria: ergò nec simpliciter laudabilis; quia solum actus voluntarij laudabiles sunt.

¶ Item, si non fuit voluntaria, fuit compulsio: & vbi est voluntas cõditionalis, est compulsa voluntas: sed in Christo non est ponere voluntatem compulsam: ergo nec conditionalem.

Rom. 5. Origen. ¶ Item, *Vix pro iusto quis moritur.* Orig. distinguit. *Est aliquis, qui moritur necessitate, & placet ei: talis moritur pro iusto. Est alius, qui vult mori ex charitate, sicut martyres; talis moritur pro bono:* quæritur ergo differentia istorum. Et si Christus passus est & voluit pati non pro iusto, id est, necessitate, quod videtur: ergo pro bono mortuus est, id est, voluntariè: ergò & mera voluntate: quia melius semper est ei tribuendum.

¶ Respon. Triplex est voluntas absoluta. Velle absolutum est, quo aliquid appetitur, non aliqua coactione ex alio. Et est velle absolutum, quo aliquid appetitur propter se; sicut volo beatitudinem. Vtroque modo fuit voluntas absoluta in Christo: quia à nullo fuit coacta: præterea appetebat aliquid propter se, sc. beatitudinem membris suis, sed est tertia voluntas absoluta, id est, non relata ad aliud. Si ergò accipitur voluntas absoluta primo modo vel secundo: sic Christus voluit pati voluntate absoluta. Si autem accipitur absoluta, id est voluntas non relata ad aliud: sic non fuit absoluta.

An anima Christi passa sit, secundùm quod anima, & secundùm quòd spiritus. §. 4.

¶ Consequenter quæritur. Vtrum anima Christi pateretur, secundum quod est anima, & secundùm quod est spiritus: secundùm quod dicit August. quod anima dupliciter potest considerari: secundùm suum esse absolutum, & sic est spiritus: & secundùm comparationem ad corpus, & sic est anima.

¶ Ad quod arguitur sic. Passio seu satisfactio debet esse, secundùm quod obligati sumus: sed obligati sumus in anima, & secundùm quod anima, & secundùm quod spiritus est: ergo, &c.

¶ Contra, in parte animæ superiori ponimus gaudium, non tristitiam. Vnde ratio vt consideratur, vt ratio, absoluitur à pœna: & est voluntas, vt deliberata: & hoc, quia plus abstrahitur, quam naturalis à corpore. Ergo cum anima in quantum spiritus omnino abstrahatur: videtur quod vt sic consideratur, nullatenus patiatur.

RESOLVTIO.

Anima Christi non secundùm quod spiritus; sed secundùm quod anima, id est, vt corpori vnita passa est.

August. ¶ Responsio. Secundùm August. spiritus dicitur multipliciter: aliquando dicitur nomen substantiæ spiritualis: aliquando nomen potentiæ. Et hoc dupliciter, quia vel nominat potentiam animæ rationalis, vt est in esse absoluto, non relato ad corpus: vel vt est vnita corpori. Primo modo considerata, sic est idem quod ratio considerata vt ratio: & sic in Christo non fuit passio.

¶ Quod ergò obiicitur, quod natura nostra erat obligata secundùm animam & secundùm spiritum, &c. Dicendum, quod nõ sequitur: quia codẽ modo posset destrui distinctio, quæ est de ratione vt ratio. Et ratio huius est, quia voluntarium oportet esse passionem: sed ad voluntarium exigitur, ꝙ sit in aliqua parte gaudiũ; & hoc est in superiori parte rationis: ad meritum enim concurrit voluntas, seu passio voluntaria. Item, si omnino remoueretur delectatio seu gaudium à superiori parte rationis; tunc summa esset tristitia: & impatientia: & ita non esset passio, nec voluntaria, nec meritoria: quia ex hoc sequeretur, quod pateretur sine charitate & amore: qui amor maximè exigitur in opere meritorio.

¶ Item, si obiicitur illud Marci. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Glo. *Remota delectatione æternæ Deitatis, tædio humanæ calamitatis afficitur.* Ex quo videtur, quod etiam secundùm partem superiorem, quæ est in contemplatione diuinitatis, fuerit passio. Marci Glossa.

¶ Ad hoc dicendum, sicut supra tactum est: quod sicut dicitur lux solis remoueri, cùm non illuminat partem inferiorem; quamuis nunquam remoueatur lux ab ipso corpore solis: ita delectatio diuina secundùm rationem dicitur amoueri, cùm non radiabat super partem inferiorem in passione: propter quod dicebat, Deus meus, vt quid me dereliquisti, &c. vt eò dicatur derelictus, quò passioni subiectus. Inquantum ergo per delectationem partis superioris vires inferiores condelectabantur, non dicitur derelictus: sed inquantum dispensatiuè subtrahebatur delectatio in passione, dicitur remota delectatione æternæ deitatis, tædio humanæ calamitatis affici.

ARTICVLVS II.

An Christus passus sit omne genus passionis corporalis.

Consequenter quæritur de generalitate passionis quantum ad genera passionum. Et primò quæritur, vtrum habuit omnia genera passionum corporalium. Secundò esset quærendum, vtrum passus sit omni genere passionum spiritualium. Sed hanc quæstionem habes determinatam supra in Inquisitione de Assumptione humanæ naturæ. Quæstione de effectibus, quos cum natura nostra assumpsit Christus. Quæst

¶ Circa primum ergò obiicitur sic. Hilar. *Vnigenitus Deus ad peragendum mortis suæ sacramentum, consummasse omne humanarum genus passionum testatus est: cum inclinato capite, emisit spiritum.* Ergò passus est omni genere passionis humanæ, tam corporalis, quàm spiritualis. Hilar. 10. de Trinit.

¶ Item Damaſ. *Totum hominem, & omnia quæ hominis sunt, assumpsit præter peccatum: naturales etiam & indetractabiles passiones, quæcunq; ex transgressione in humanam deuenere vitam.* Ergo passus est secundùm omne genus passionum. Damaſ.

¶ Item, passio Christi fuit satisfactoria secundùm omnimodam iustitiam: sed omnimoda iustitia exigit, quod fiat satisfactio per pœnam eiusdem generis: ergò si omne genus passionum humanarum debet absolui per passionem Christi; passus est secundùm omnem passionem.

¶ Item, omnis habens omnes operationes omnium virium, & habens omnes passiones: sed Christus fuit huiusmodi: ergo, &c. Quòd omnes naturales virium operationes sint passiones: patet per Dama. qui dicit: quod ira est operatio, seu actio ipsius irascibilis: & tamen est passio: vnde patet, quod actiones sunt passiones. Damaſ lib. 1. de orthod. fide ca. & lib. 3. cap. 20.

¶ Contra, omnis passio inquantum passio est inuoluntaria: sed nihil inuoluntarium ponẽdum est in Christo: ergo nulla passio ponenda est in Christo.

¶ Item, passio est motus ab aliquo * incedente passo: sed nullus motus poterat fieri in Christo: vel esse, cui cederet natura Christi: ergò nec aliqua passio. * Alias incidente.

¶ Item, est defectus cognitiuæ & affectiuæ: sed nullus defectus cognitiuæ fuit in Christo: ergò nunc defectus affectiuæ. Sed huiusmodi defectus est passio: ergo, &c.

¶ Si dicatur quod non est simile: quia debuit tollere pœnam, non ignorantiam: & ita Christus debuit habere passionem, non ignorantiam. Contra. Vtraque debuit tollere Christus: & ex parte affectiuæ, & cognitiuæ: ergò vtrunque debuit accipere: sed nõ accepit defectum ex parte cognitiuę: ergò nec ex parte affectiuę: ergò nec passionem.

¶ Item, omnis passio aut est per modum passionis, aut propassionis: sed non fuit in Christo per modum passionis: sed nõ fuit in Christo per modum passionis: quia non fuit eius ratio perturbata. *Non erit tristis, nec turbulentus,* &c. Item nec per modum propassionis: quia propassio est subitus motus secundùm Gl. super illud Apostoli. *Irascimini, & nolite peccare,* &c. *Ira est subitus motus,* sed nihil subitum fuit in Christo: ergò nec passio. Quòd nihil subitum fuerit in eo, patet: quia nihil passus est, quod iam non præuiderit. Esa. 42. Ephes. Glossa.

RESOLVTIO.

Christus corporaliter passus est omnium generum passiones, non culpabiles tamen, nec sua dignitati derogantes, sed ad nostram redemptionem ordinatas.

¶ RESPON. secundùm B. Augu. & Hilar. est passio culpabilis, quę nunquam fuit in Christo. Et est passio pœnalis duplex. Quædam, quæ derogat dignitati: & quædam, quæ non. Prima est, sicut diceremus passionem per modum passionis, quæ turbaret rationem: similiter ignorantia secundùm Aug. similiter concupiscentia: quia hæc derogant dignitati suæ. Item illæ passiones, quæ nō derogant dignitati, sunt dupliciter. Quædam sunt ordinatæ ad nostram redemptionem: quædam non. Primæ sunt sicut infirmitates, febres, & huiusmodi: hæc nō cooperantur ad nostram redemptionem. Dicendum ergò secundùm Aug. quod assumpsit omnes passiones, non culpabiles, & suæ dignitati non derogantes, & ad nostram redemptionem ordinatas. Et hoc idem Hilar. 10. de Trinitate.

¶ AD hoc autem, quod obiicitur per authoritatē Hilarij. Dicendum quod verum est, quod assumpsit omne genus passionum: non tamen omnem speciem. Vnde dicit:
Hilar. *Nihil vitiosæ infirmitatis assumpsit.*

¶ AD illud quod obiicitur per authoritatem Dam. Dicendum, quod ipse determinat, quid assumpsit, cùm dicit:
Damas. *naturales & intractabiles.* Passiones naturales, quæ conueniunt omnibus, nec possunt detrahi ab homine; vt fames, sitis, & huiusmodi.

¶ NOTA tamen, quod peccatum aliquando dicit culpam, vel quod est ordinans ad culpā. Vel sic, peccatum dicit idem, quod culpa: vel quod est ordinās ad culpā. Vel sic, peccatū dicit idem, quod culpa: vel quod ordinans est ad peccatum
* Alias videlicet. * vel pronitatē, vel quod est ex peccato: & hæ sunt pœnæ, quæ insunt omnibus, vel insunt aliquibus: illas assumpsit, quæ insunt omnibus. Et hoc vult dicere Damas.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod debuit pati secundùm omnimodam iustitiam, &c. Dicendum, quod non exigitur in satisfactione pati secundùm omne genus pœnæ: sed exigitur æquiualentia pœnæ; quod sit pœna æquiualens: Item, oportet quod sit condignitas in satisfactione. Si autē poneremus omnes passiones in Christo, iam non seruaretur condignitas: & ita nec satisfactio.

¶ AD illud, quod obijcitur. Omnis habens naturales virium operationes, &c. Dicendum, quod passio dicitur à πάθειν, quod est informare: vnde comprehensiones, & affectiones dicuntur passiones in anima: & de his passionibus intelligitur authoritas Ioan. Damas. Si verò passio dicatur actus seu motus præter naturā; tunc dicitur passio à pati, & de hac non intelligitur illa propositio.

¶ AD primum, quod obiicitur in contrarium. Dicendum, quod voluntarium & inuoluntarium dicuntur dupliciter: sicut supra distinguitur voluntas, vt est natura, vel vt est deliberatiua. Secundùm deliberationem nihil fuit inuoluntarium in Christo. Item, aliquando fit passio præter voluntatem: aliquando contra voluntatem: cùm non potest prohibere quis passionem. Vlterius fuit in Christo, qui passus est ex voluntate: vnde dicit Damas. *Nihil coactum in Christo consideratur: sed omnia voluntaria: volens esuriuit, volens sitiuit,* &c.

Damas. lib. 2 de orthod. fide c. 10.

¶ AD aliud, quod obiicitur de ignorantia. Dicendum secundùm Anselmum debuit assumere illos defectus, qui vtiles essent ad redemptionem: ignorantia autem nihil vtilis est: & non debuit eam assumere: sed passio erat necessaria, ideò assumpsit.

Ansel. in lib. *Cur Deus homo.*

¶ AD aliud, quod obiicitur quod nihil subitū in Christo, &c. Dicendum, quod *subitum,* dicitur dupliciter. Vel quod non est præuisum ratione: & hoc modo nihil fuit subitum in Christo, vel subitum dicitur idem, quod non præuisum sensualitate: & sic subitum fuit in Christo.

MEMBRVM III.

De necessitate passionis Christi.

CONSEQVENTER quæritur de necessitate dominicæ passionis. Et quæruntur tria. Primò de necessitate quantùm ad causam inferiorem materialē, vel formalem. Secundò de necessitate quantùm ad causam interiorem finalem. Tertiò de necessitate quantùm ad causam superiorem efficientem nostram redemptionem.

ARTICVLVS I.

An in Christo fuerit necessitas patiendi vel moriendi quantùm ad causam materialem & formalem.

AD PRIMVM August. *Christus assumpsit primitias carnis nostræ.* Sed primitiæ carnis nostræ sunt caro hominis ante peccatum, scilicet in statu innocentiæ: cùm ergò in illo statu nō habuerit homo necessitatem ad moriendum, sed potentiam tantum: nec caro Christi. August.

¶ ITEM, super illud: *Qui desursum venit super omnes est.* Gl. Ioan. 3.
August. *Quia de altitudine humana natura ante peccatum accepit verbum Dei naturam humanam.* Si igitur in illa altitudine nō fuit necessitas ad moriendum: relinquitur, quod nec in carne Christi. August.

¶ ITEM, necessitas ad moriendum est pœna peccati. Sed remota causa, vniuersaliter remouetur effectus: relinquitur igitur, cùm caro Christi fuerit penitus sine peccato (quia magis etiam quam Adam immunis fuit à peccato in statu innocentiæ; eò quòd non potuit peccare, quod potuit Adam) ergò nec in carne eius debuit esse necessitas ad moriendum.

¶ ITEM, Anselmus. *Voluntas Dei nulla necessitate facit aliquid, sed sola potestate.* Et voluntas Christi fuit voluntas Dei: nulla ergo necessitate mortuus est, sed sola potestate. Ansel. c. 5.

¶ ITEM Lib. 2. *Cùm quæritur, vtrum Deus & homo potuit seruare vitam suam, vt nunquam moreretur. Dubitandum non est, quoniam semper habuit potestatem seruandi, quamuis nequiuerit velle seruare, vt nunquam moreretur: & quoniam hoc à seipso habuit, vt scilicet velle non posset; non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit.* Idem li. 2. *Cur Deus homo.*

¶ ITEM in eodem. Sicut non debes dicere, quia non potuit velle non mori, aut necessitate voluit mori: sic non est dicendum, quod non potuit mori, aut necessitate mortuus est.

¶ ITEM in eodem. *Omnis necessitas aut est coactio, aut prohibitio.* Quæ duæ necessitates conuertuntur adinuicem contrariè; sicut necesse & impossibile: quicquid namque cogitur esse, prohibetur non esse: & quod cogitur non esse, prohibetur esse: quemadmodum, quod necesse est esse, impossibile est non esse: & quod necesse est non esse, impossibile est esse: & econuersò. Si ergò in Christo non fuit coactiò ad mori, nec prohibitio ad nō mori: ergò in Christo non fuit necessitas ad moriendum. Idem in eodem cap. 17.

¶ CONTRA, omnis articulus fidei habet necessariam veritatem. Cùm ergò mori Christum, esset articulus fidei: necessaria erat veritas; ergò non poterat esse falsum: ergò necesse erat mori.

¶ ITEM Anselmus: *Si mortuus non esset; virgo, de qua assumptus est, munda non fuisset. Quoniam hoc nequaquam valuit esse, nisi veram mortem eius credendo: nec ille de illa potuit aliter assumi: quare si non mortuus est ex necessitate, postquam assumptus est de virgine, potuit de virgine non esse assumptus: quod impossibile est.* Idem in eodem cap. 18.

¶ ITEM & eodem. *Quod Deus immutabiliter vult, non potest non esse, sed necesse est esse: quapropter si Deus voluit, vt homo ille moreretur, non potuit non mori, sed necesse habuit mori.* Idem in eodem.

¶ ITEM idem in eodem. *Ad hoc valuit in Christo diuersitas naturarum & vnitas personæ: vt quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana natura non posset, facere diuina: & si diuina minimè conueniret, exhiberet humana: & non alius nec alius, sed idem ipse esset, qui vtrunque perfectè existens, per humanam solueret, quod illa debebat; & per diuinam posset, quod expediebat.* Ex qua authoritate relinquitur, quod secundùm humanam naturam debebat pati Christus, vt redimeretur genus humanum. Sed si habuit debitum, ergò habuit necessitatem debiti ad moriendum, seu obnoxietatem: quod idem est. Idem in eodem.

¶ ITEM Aug. *Si talem carnem, qualem habuit Adam in primo statu, assumpsit Christus: non solùm caro Christi non esset caro peccati, sed nec similitudo carnis peccati.* Quare videtur quod non assumpsit carnem de primo statu Adæ, sed de secundo. Et ita relinquitur, quod assumpsit carnem: vt est in ea necessitas ad moriendum. Augus. ad Iulianum

¶ ITEM

¶ ITEM assumpsit carnem de carne virginis, licet non secundùm legem propagationis, sed opere Spiritus sancti. Cùm ergò tota virginis caro habuit necessitatem ad moriendum: ergò & caro Christi.

Glos. sup. Hebr. 9.

¶ ITEM, Gl. *Sicut alijs hominibus statutum est semel mori: ita Christus eadem necessitate mortuus est.* Relinquitur ergò, quod Christus mortuus est necessitate.

RESOLVTIO.

Si qua in Christo necessitas fuit ad patiendum & moriendum quò ad aliquam causarum: hæc non fuit, nisi quò ad causam finalem.

Philos. 5. Metap. 6.

¶ RESPONS. Secundùm quod dicit Philosophus necessarium dicitur quatuor modis secundùm quatuor genera causarum. Est enim necessitas secundùm causam formalē: secundùm quod dicitur, quod calidum de necessitate calefacit: seu patiens de necessitate patitur. Et est necessitas secundùm causam materialem: secundùm quam dicitur, quod necesse est calidum in summo fieri ignem: secundùm quod diceretur, quod passibile in summo dispositum necesse est pati. Et est necessitas secundùm causam efficientē: quæ vocatur necessitas secundùm violentiam vel coactionem: secundùm quam dicitur, quod fortiter lapidem impulsum necesse est moueri. Et est necessitas secundùm causam finalem: secundùm quam dicitur, quod serram necesse est esse ex ferro & calibe: quia est ad diuidendum dura & solida. Dicendū ergò, quod in nobis est necessitas ad moriendum vel patiendum secundùm causam materialem, formalem, & efficientem. In Domino verò Iesu fuit necessitas solum secundùm causam ad patiendum finalem: secundùm quod dicitur: *Misit Deus filium suum*, &c. vt nos redimeret, &c. sed ista redemptio non potuit esse, nisi per satisfactionem; nec satisfactio, nisi per passionem; ideò secundùm necessitatem causæ finalis fuit necessitas patiendi in Christo: secundùm quod dicitur super illud. *Vt morte intercedente*, &c. Gl. *Mors erat necessaria in redemptione.* Et subditur. *Tantum vtique fuit nostrum peccatum, vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei Filius pro nobis debitoribus morte moreretur.* Nō autem in Christo fuit necessitas ad moriendum secundùm necessitatem causæ efficientis: quia nulla causa poterat eum cogere ad moriendum: causa (inquam) creata. Nec est necessitas secundùm rationem causæ materialis: quia illa est necessitas cōtracta ex vitio propagationis in nobis: & illa est necessitas conditionis. Nec necessitas secundùm rationem causæ formalis; quia illa non potest prohiberi: nec est voluntaria. quia dicit Ioan. Damas. *Passiones etsi secundùm legem naturæ fiebant in Christo, non tamen coactè, sed voluntariè.*

(Galat. 4. — Hebr. 9. Glossa. Eadem. — Damas. lib. 3. de orthod. fide cap. 15.)

¶ AD ea ergò, quæ obiiciuntur in partem negatiuam: & ad prima duo dicendum secundùm authoritatem Boetij, quod Christus à triplici statu hominis accepit aliquid. A primo statu accepit indigentiam cibi & potus: vel ad cibum & potum: à secundò necessitatem ad moriendum: à tertiò impossibilitatem ad peccandum. Et ita nō accepit carnem omni eo modo, quo fuit in Adam in statu primo. Dicendū ergò, quod cùm dicitur assumpsisse de altitudine humanæ naturę & de primitiis, nostræ massæ: hoc dicitur, quia accepit carnem cum plena subiectione respectu mentis: vt sicut caro ante peccatum nullo modo concupiscebat aduersus spiritum, sed omninò subiiciebatur: sic & caro Christi, etiam plus, subiiciebatur spiritui. Non tamen attenditur similitudo quantùm ad mortem: quià in Adam fuit solum mortalitas secundùm potentiam absq; aliqua dispositione & necessitate ad moriendum: in Christo verò fuit mortalitas cum assumpta dispositione ad moriendum: quæ quidem dispositio secundùm rationem causę finalis ponit necessitatem: quamuis secundùm rationem causę materialis, vel formalis, vel efficientis (prout dictum est) non ponat necessitatem. Et per hoc patet solutio ad duo prima.

(Boet. in lib. de duab. naturis. & vna persona Christi.)

¶ AD aliud dicendum: quod hoc, quod hic dicitur: remota causa remouetur effectus: intelligitur in causis naturalibus & effectibus: nō in causis innaturalibus. Vnde exemplum Aug. tale est, *infixio teli in corpore, est causa morbi: non tamen remota infixione teli, remouetur morbus.* Præterea (sicut dictum est supra) pœna non semper est effectus peccati in sustinente pœnam. Quædam enim pœna est, quæ non ordinatur ad culpā: sed ad gloriam: sicut dicit B. Greg. Quædā etiā est pœna pro peccato alieno, nō proprio: quomodo fuit pœna in Christo ad satisfactionē nostri peccati nō sui.

(Augus. in libr. de Trinit. — Grego.)

¶ AD aliud Ans. dicendum: quod est necessitas immutabilitatis, & est necessitas coactionis vel prohibitionis. Necessitate immutabilitatis dicendum est, quod necesse fuit Christum mori, quia immutabiliter mori voluit: necessitate verò coactionis vel prohibitionis minimè. Vnde dicit Ansel. *Sicut dixi, idcirco non potuit non mori, quia verò moriturus erat: & ideò moriturus erat, quia hoc sponte & immutabiliter voluit: sequitur illum, non ob aliud, non potuisse, non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori.*

(Ansel.)

¶ AD omnia alia obiecta per Ansel. dicendum: quod posse & nō posse, & necesse, & impossibile dicuntur duobus modis. Potentia vel impotētia, necessitate vel impossibilitate, vel impossibilitate quæ est in ipso, aut quæ est in alio. Cùm ergò dicitur de Deo & de Christo necesse vel impossibile: intelligendum est non de necessitate vel impossibilitate, quæ est in ipso: sed necessitate vel impossibilitate, quæ est in alio (& hoc proprio modo accepto nomine necessitatis, secundùm quod dicitur coactio vel prohibitio.) Et hoc est, quod dicit Ansel. Cùm dicimus, *iste homo potest vinci*: sensus est, aliquis potest eum vincere: vnde non ponitur potentia in ipso, sed in altero. Similiter cùm dicimus, *ille non potest vinci*, sensus est, quia nullus eum vincere potest: vnde per hoc non ponitur impotentia in ipso, sed in altero. Similiter cùm dicimus, *Deum de necessitate facere aliquid*, non signamus ꝙ in illo sit aliqua necessitas, sed quod est in alio. Cùm ergò dicimus aliquid necesse esse, aut non esse in Deo: non intelligitur quod sit in illo necessitas cogens aut prohibens: sed signatur, quod in omnibus aliis rebus est necessitas prohibens facere eos, & cogens non facere contra hoc, quod de Deo dicitur. Nam cùm dicimus, *quod necesse est Deum semper verum dicere, & necesse est eum nunquā mentiri*: non dicitur aliud, nisi quia tanta est in eo constantia seruādi veritatem, vt necesse sit nullam rem facere posse, vt verum non dicat; aut vt mentiatur. Quapropter cùm dicimus, *Filius Dei non potuit non mentiri, aut necesse habuit mori*, non signatur in illo vlla impotentia seruandi vitam suam immortalem. Similiter cùm dicitur, *necessario voluit mori, aut non potuit velle non mori*; non signatur impotentia volendi seruare vitam suam, sed immutabilitas voluntatis, qua se spōte ad hoc fecit hominem; vt in eadem voluntate perseuerans, moreretur; & quia nulla res potuit voluntatem illam immutare. Et per hoc patet responsio ad omnia obiecta ad partem negatiuam.

(Idem 2. Cur Deus homo cap. 10)

¶ AD obiecta ad partem affirmatiuam: Ad tria prima respondendum est per distinctionem Ansel. Est necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res: & est necessitas sequēs, quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur, cęlum volui: quia necesse est vt voluatur. Sequens verò, & quæ nihil efficit, sed fit: hæc est, cùm dico te ex necessitate loqui, cùm loqueris: cùm enim hoc dico, significo te nihil facere posse, vt dum loqueris, non loquaris: non ꝙ aliquid te cogat ad loquendum: nam violentia naturalis conditionis cogit cęlum volui: te verò nulla necessitas facit loqui. Sed vbicunq; est præcedens necessitas, & sequēs: non autem vbi sequens, ibi statim & præcedens. Possumus namque dicere, necesse est cælum volui, quia voluitur: sed non similiter est verum, idcirco te loqui, quia necesse est vt loquaris. Ista sequens necessitas currit per omnia tempora, hoc modo. Quicquid fuit, necesse est fuisse: quicquid est, necesse est esse: quicquid futurum est, necesse est futurum fuisse. Si vis ergò omnium, quę fecit Christus, & quę passus est, veram scire necessitatem: scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit: voluntatem verò eius nulla præcessit necessitas: quare si non fuerunt, nisi quia ipse voluit: si non voluisset non fuissent. Per hanc ergò distinctionem necessitatis patet solutio ad tria prima obiecta.

(Ansel 2. Cur Deus homo cap. 18.)

¶ AD aliud similiter patet solutio per distinctionē Ans. *Scito, quia sicut contingit posse & non posse, & necessitatem aliquando dici: non quia sunt in rebus, vbi dicuntur: sed quoniam sunt in alio: ita & debere. Quippe cùm dicimus pauperes à diuitibus eleemosynam debere accipere, non est aliud quam diuites pauperibus debere eleemosynam impendere: hoc namq; debitum non est exigendum à paupere,*

(Ansel. eod. in cap. 17)

sed à Deo. Deus quoque dicitur omnibus debere præstare, non quia in hoc ille aliquo modo sit debitor: sed quoniam omnia debent illi subesse: & dicitur debere facere quoniam quod vult: debet esse; ita quando vult creatura aliquid facere, quod suum est facere & non facere: dicitur debere facere, quia quod ipsa vult, debet esse. Dominus itaque Iesus cum mortem (sicut dicimus) voluit sustinere: quoniam suum erat & pati & non pati debuit facere quod fecit, quia quod voluit facere, debuit facere; & non debuit facere: quia non ex debito. Et sic patet solutio ad quartum obiectum.

Damasc. ¶ AD alia vero obiecta dicendum secundùm Ioa. Dam. quod naturales nostræ passiones secundùm naturã, & supra naturam fuerunt in Christo. Secundùm naturam enim mouebantur passiones, quando Deus permittebat carnem pati, quæ sunt eius propria. Super naturam autem, quia nõ præcedebant in Domino naturalia, id est naturales passiones voluntatem. Nihil enim coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria, volens esuriuit, volens sitiuit, volens mortuus est.

Glos. sup. Hebr. 9. ¶ AD vltimum quod obiicitur, in Gl. *Sicut in alijs hominibus statutum est*, &c. Dicendum quod vis facienda est in hoc quod dicitur semel, non fit ibi comparatio mortis ad mortem: sed mortis, *semel*, ad mortem semel: secundùm quod
Rom. 5. dicitur, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, &c. & sic absoluitur quæstio ista.

ARTICVLVS II.

An necesse fuerit Christum pati, vt nos à peccato, diabolóq; liberaremur?

CONSEQVENTER quæritur de necessitate passionis quantùm ad inferiorem causam finalem: vtrum sc. secundùm quod dicimus serrã necesse est esse ex ferro & ex calibe; quia est ad scindendum: eodem modo dici debeat, Christũ necesse est pati, quia incarnatus est ad redemptio-
Gregor. nem? Ad quod sic Greg. *Tanta debuit esse humilitas Redemptoris, quanta fuit superbia præuaricatoris.* Et quod tãta fuerit humilitas, patet: quia Adam ascendere voluit ad deitatẽ, non in vnione personę, sed in cõformatione scientię. Sed Deus
Philip. 2. descendit vsq; ad vnionem cum humana: *Habitu inuentus vt homo*, &c. Ergò tanta fuit humilitas, quanta præuaricatio: ergò non necesse fuit Christũ pati ad redimendũ hominẽ.

¶ ITEM, tantum meruit ab initio suæ cõceptionis, quãtum post (quod patet, quia quantitas meriti attenditur penes charitatem). Si ergo tanta charitate mouebatur ab initio, quanta post: quia non creuit charitas in eo, cùm semper fuerit plenus gratia & veritate: ergo tantum meruit ante, & post: ergo non necesse erat pati.

Bernard. ¶ ITEM, Bernard. *Vna gutta sanguinis sufficiens fuit precium nostræ redemptionis.* Ergo post circumcisionem non fuit necesse eum pati.

¶ ITEM, per solam gratiã reconciliamur Deo: ergo cùm in plena recõciliatione sit plena remissio pęnæ culpæ: ergo
Rom. 3. nõ fuit necessaria passio, *Iustificati gratis per gratiam.*

Heb. 2. ¶ AD oppositum, *Decebat enim eum per passionem consumma-*
Glossa. *re.* Gl. *Nisi Christus pateretur, homo non redimeretur: & nõ redemptus periret, & sic frustra omnia.* Ex quo relinquitur, quod necesse fuit ipsum pati ad redimendum hominem.

Timot. 2. ¶ ITEM, *Apparuit gratia Dei*, &c. Glo. *Non essemus participes*
Glossa. *diuinitatis eius, nisi esset particeps mortalitatis nostræ*: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Oportuit vtiq; : nam aliàs non propriè redempti, sed liberati essemus.

Anselm. ¶ RESPON. secundùm Ansel. quod de necessitate redemptionis passus est Christus. Tamen distinguendum est inter liberationem & redemptionem? Redimere enim est rem suam iusto præcio recuperare: & nisi esset passio, non esset per iustum precium recuperatum, quod erat amissum
Glos. sup. tamẽ si alio modo liberasset, quam per passionem, esset liberatio, nõ redemptio. Vnde dicit Gl. prædicta: *nisi Christus moreretur, homo non redimeretur; posito quod debebat redimi, id est precio liberari vel recuperari.* Deus enim creauit de terra hominem secundùm imaginem suã, & iterum conuertit eum
Eccle. 17. in ipsam, id est, in ipsam imaginem: quod factum est per gratiam redemptionis. Eccles. 17.

¶ AD illud, quod obiicitur: maior fuit humilitas redemptoris in Incarnatione, quã superbia præuaricatoris Adæ. Dicendũ, quod in peccato Adæ non solùm fuit elatio: sed etiam peruersa delectatio. Vnde, *Vidit mulier lignum*, &c. & Genes. 3.
fuit peruersa delectatio secundùm spiritum, scilic. in appetendo; & secundùm corpus, sc. comedendo. Vnde sicut ab elatione inchoauit peccatum Adæ: ita fuit consumatio in comestionis delectatione. Eodem modo dispensatio nostræ redemptionis fuit in initio humilitatis incarnationis: progressus in conuersatione, in qua passus est per compassionem; vnde fleuit. Luc. 19. Cõsummatio verò fuit in pas- Luc. 19.
sione: vnde dixit. Consummatum est. Decuit enim sic ad- Genes. 3.
implere omnem iustitiam: vt sicut delectatio fuit per omnes sensus præuaricatoris, vt patet, Gen. 3. ita Christus passus est per omnes sensus: vt patet in Euangelio.

¶ AD aliud dicendum, quod mereri est dupliciter: in virtute, & in effectu. Meritum in virtute mensuratur secũdùm charitatem; & quanta charitas, tantum meritum in effectu non solùm est in charitate, sed in charitate coniuncta effectui. Primo modo tãtum meruit Christus in initio, & post: secundo modo non. Vnde per voluntatem cõiunctam charitati, qua prædicabat, & huiusmodi faciebat; meruit remissionem pœnæ: sed per charitatem cõiunctam effectui meruit remissionem pœnæ & culpæ totaliter.

¶ AD aliud, quod obiicitur de vna gutta sanguinis, &c. Dicendum, quod satisfactoria pęna potest dupliciter ponderari: aut secundùm genus, aut secundùm circunstantias. Si secundùm circunstantias personę ponderetur pœna, cũ vita Christi sit vita Dei, sic quælibet gutta sanguinis sufficiens fuit: & sic intelligitur authoritas Bernardi. In satisfactione autem respondere debet genus pœnæ generi culpę: & ideò secundùm genus culpæ non fuit sufficiens.

¶ AD aliud, quod obiicitur: per solam gratiam reconciliamur, &c. Dicendum, quod verum est, supposita passione Christi. Vnde dicit Apostolus, *Iustificati gratis per fidem in* Rom. 3.
sanguine. Vnde fides sanguinis passionis est, quæ iustificat.

ARTICVLVS III.

An necesse fuerit Christum mori: ita vt non potuerit non mori?

CONSEQVENTER quæritur de necessitate passionis quantùm ad causam superiorem.

¶ AD quod sic: necessitas multipliciter dicitur: necessitas causæ inferioris: scil. quæ ponit impossibilitatem non essendi, sc. quod impossibile est aliter se habere. Est necessitas causæ superioris; quæ est necessitas immutabilitatis: vt cùm dicitur, Deum necesse est esse bonum; seu illud fore, quod Deus vult: & de hac loquimur hic.

¶ Anselmus, *Quodlibet inconueniens Deo sequitur impossibi-* Ansel. lib. 1.
le: id est, in Deo ponere inconueniens, est impossibile: im- *Cur Deus*
mò quodlibet conueniens necesse est Deo attribui. Sed *homo.*
nisi Christus patiatur, sequitur inconueniens Deo: ergo cap. 20.
Christum necesse est pati. Probatio minoris: nisi Christus moriatur, homo non redimitur: & nisi redimatur, frustra sunt omnia. Ergo cum inconueniens sit Deo aliquid facere frustra, inconueniens est Deo, quod Christus non patiatur: ergo necesse est Christum pati.

¶ ITEM, super illud, *Per passionem consummare*, &c. Gl.
Nisi Christus moreretur, homo non redimeretur; & non redemptus Hebr. 2.
periret, & sic frustra essent omnia facta: quod est impossibi- Glossa.
le; quare videtur, quod necesse fuerit Christum pati.

¶ SI dicatur, quod aliud est Deum liberare, & aliud hominem liberari. Homo per se non poterat liberari, cùm nihil haberet: Deus tamen poterat liberare. Vnde Grego- Greg. in
rius: *Qui nos fecit existere de nihilo: reuocare nos potuit sine morte* Moral.
sua & passione.

¶ CONTRA, Deus nunquam sine satisfactione liberat hominem: sed nullus homo potest satisfacere de Originali; quia non potest satisfacere de iniuria, quam intulit Deo: nec alia creatura, vt dicit Anselmus: ergo oportuit, quod esset homo Deus. Vnde dicit Anselmus. *Ille, qui de suo poterit* Ansel.
dare, quod superet omne, quod sub Deo est; maiorem necesse est esse omni eo, quod sub Deo est. Vnde piè eligendum fuisset Adæ cõtemnere omnia sub Deo quam offendisse: & similiter cuilibet peccatori. Ergo plus debuit reddere, quam omnia, quę sunt sub Deo: quod non potest facere, nisi Deus, ergo,

¶ ITEM Anselmus. *Nihil Deum potest dimittere inordinatum* Idem.

sed

sed si dimitteret peccatum impunitum, ipse dimitteret inordinatum: ergo non potest dimittere peccatum impunitum. Sed punire peccatum, est dupliciter: secundùm iustitiam in inferno: aut secundum misericordiam in præsenti puniendo: ergo oportuit quod sic vel sic puniretur. Sed non conuenit diuinæ bonitati totaliter punire creaturam humanam in inferno: quia tota obligabatur per peccatum Adæ: ergo oportuit, quod hic recipiat satisfactionem. Sed homo non potuit satisfacere, & tamen debuit satisfacere: Deus autem potuit, sed satisfactionis debitor non fuit; si ergo satisfactionem necesse est esse per pœnam eius, qui debet & potest: ergo necesse est satisfactionem esse per passionem hominis Dei.

¶ Si dicatur, quod Deus potuit peccatum dimittere impunitum de potentia, non de iustitia; quę distinctio ponitur: Genes. 18. *Non potero celare Abraham*, &c. Contra ponatur quod dimittat culpam humani generis impunitam: sed si hoc facit, ordinatè facit, quia quicquid facit, ordinatè facit: ergo nulla est distinctio: ergò necessitate causæ superioris passus est.

Ioan. 3. ¶ Contra, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret.* Si ergo dedit, gratis dedit: non ergò necessitate.

RESOLVTIO.

Profectò non potuit Christus non mori: verùm non necessitate coactionis, sed immutabilitatis: quia scilicet immutabili voluntate voluit mori.

¶ Responsio, secundùm Anselm. Est necessitas communiter dicta, sicut necessitas immutabilitatis: & est necessitas propriè dicta, sicut coactionis vel prohibitionis. Prima est in Deo: secunda nequaquam. Si ergò referatur necessitas passionis Christi ad coactionem vel prohibitionem: sic non est necessitate aliqua passus. Vnde dicit Anselm. Ansel. *Voluntas Dei nulla necessitate facit, sed sua potestate.* Sed voluntas Christi fuit voluntas Dei: nulla ergò necessitate mortuus est, sed sua potestate. Ideò non ob aliud dicimus eum non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit non mori.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quodlibet inconueniens Deo impossibile sequitur. Dicendum, quod si non liberasset, esset cõueniens secundùm iustitiam: si verò alio modo liberasset, esset conueniens secundùm misericordiam: quemadmodum quod hoc modo liberarit, est conueniens secundùm iustitiam, misericordiam, & sapientiam.

¶ Ad obiecta omnia habes solutionem supra in Quæstione de Potentia Dei. Lib. 1. vbi quæritur: quid dicatur Deo possibile.

MEMBRVM IIII.

De conuenientia passionis Christi.

Consequenter quæritur de conuenientia passionis Christi. Et hoc sub duplici consideratione. Primò de conuenientia eius quò ad Deum. Secundò de conuenientia quò ad nos.

ARTICVLVS I.

De conuenientia passionũ quò ad Deum.

Primò quæritur de conuenientia quò ad Deum, dupliciter. Primò si conueniens est iustitiæ. Secundò, si conueniens est misericordiæ.

An Christum pati, moriue, diuinam iustitiam decuerit? §. 1.

Ansel ¶ Ad primum sic. Ansel. *Quæ iustitia est, hominem iustissimum omnium morti tradere pro peccatore. Quis hic si innocentem damnaret, vt nocentem liberaret, damnandus non iudicaretur?* Ergo videtur, quod non conueniat iustitiæ Dei.

Ansel ¶ Idem Ansel. *Si aliter peccatores saluare non potuit, vbi est eius omnipotentia? Si verò potuit, sed noluit: quomodo defendimus eius misericordiam, potentiam eius, atque iustitiam: Hæc est oppositio infidelium.*

¶ Si dicatur, quod non damnauit, nec tradidit: sed permisit hoc fieri. Contra. Ansel. Ansel. *Immo pater præcepit, vt moreretur.* Vnde, Philip. 3. *Factus est obediens Patri vsq; ad mortem*, &c. Item, Hebr. 4. *Didicit obedientiam ex his, quæ passus est.* Item, Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit.* Ergò Pater tradidit eum in mortem: quod non videtur conuenire iustitiæ Dei.

RESOLVTIO.

Profectò decuit: quia nullum peccatum vnquam impunitum inordinatumve voluit.

¶ Respons. Dicendum, quod modus iste fuit de conuenientia diuinę iustitiæ. Dei enim iustitia est; vt nunquam peccatum dimittatur sine pœna. Peccatum enim nullum ordinatur nisi in pœna, secundùm quod dicit August. *Peccantes in supplicijs ordinantur.* August. in libr. de natura boni. Ergò aut peccatum ordinatur de districta iustitia, vt puniatur æternaliter: aut de iustitia cum misericordia, vt puniatur temporaliter. Et sic passus est de iustitia: quia non poterat reatus solui per hominẽ purum, secundùm quod probat Ans. Homo enim nõ poterat reddere, sed debebat: Deus poterat, sed non debebat: Ansel. oportuit ergò quod solueret homo Deus: homo qui deberet & Deus qui posset.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod innocentem condemnare non est iustum. Dicendum secundùm Anselm: quod ipsum Pater non coegit ad mortem: sed ipse voluntariè subiit mortem: quia ergò voluntarius fecit, non fuit iniustitia. Est tamen addendum ad solutionem Anselmi, quod referendo ad potentiam diuinam absolutam, nulla esset iniuria punire innocentem: secundùm quod dicit Apostolus, *Nunquid potestatem habet figulus*, &c. Rom. 11. quia nulla actio Dei potest esse iniusta. Item referendo ad iustitiam, dicendum, quod Deus ordinat mala: vnde potest punire innocentem propter bonum, quod inde elicitur, scilicet salus humani generis. Vnde sic punitus est Iob, tamen pro bono proprio: Christus autem pro alieno. Quomodo ergò defendemus eius potentiam, & sapientiam? Dicendum quod ex eò quòd ex malis pœnæ elicit bona: ex hoc defendimus eius sapientiam. Præterea, quia non potest conqueri creatura de aliqua iniuria, defendimus eius iustitiam.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: præcepit eum mori. Dicendum secundùm Ansel. quod discernendum est in his, quæ fecit ex obedientia: Ansel. quia scil. seruauit misericordiam, & iustitiam, & veritatem, & obedientiam: vnde dicit. Sponte subiit mortem non propter obedientiam deserendi vitam, sed propter obedientiam seruandi iustitiam, in qua tam firmiter perseuerauit, vt inde mortem incurreret. Vnde quia pater præcepit tenere veritatem, propter ipsam tenendam passus est.

An & diuinam misericordiam decuerit? §. 2.

¶ Consequenter quæritur: vtrum conueniat diuinæ misericordiæ. Ad quod sic. Bonitas Dei & misericordia debent eligere viam illam, quæ magis est ad salutem. Sed via, quæ magis habet imitatores, magis est ad salutem. At in via prosperitatis magis haberet imitatores (& dico prosperitatis non culpabilis) ergò magis est ad salutem: ergò illam magis debuisset elegisse, quam mortem.

¶ Item, Dionys. *Optimi est optima adducere, & optimo modo.* Dionys. Sed optimè adduceretur salus nostra sine peccata alicuius, quam cum multorum peccato: sed per passionem non adducitur salus nostra sine peccato multo: ergò non conuenit diuinæ misericordiæ.

RESOLVTIO.

Quinimmo: nam aliàs non esset recessus à peccato: & huiusmodi ex malo scilicet, peruerso impetu hominum, bonum elegit, videlicet hominum met redemptionem.

¶ Respons. Dicendum secundùm Aug. *Omne peccatum peccatum est ex eo, quod appetimus, quæ Christus contempsit: & quia refugimus, quæ ipse sustinuit, & appetiuit.* August. de vera Religion. Appetiuit autem Christus paupertatem, vilitatem, & subiectionem: homines verò eligunt diuitias, delicias, & honores. Si ergò elegisset viam prosperitatis, non conueniret diuinæ misericordiæ; quia tunc non esset recessus à peccato: ipse autem elegit talem, in qua est recessus à peccato. Vel potest dici, quod redemptio hominis debuit fieri per satisfactionẽ pro peccato: satisfactio autem pro peccato debet esse pœnalis &

afflictiua: propter quod debuit esse redemptio hominis non per incessum in via prosperitatis, sed potius aduersitatis pœnalis.

Boet. li. 4. de conso. prosa 6. ¶ Ad aliud, quod obiicitur Optimi, &c. Dicendum secundùm Boet. Ordo prouidentiæ diuinæ cuncta complectitur: vt si quis ab assignato ordine recesserit, in aliú ordinem relabatur. Et exemplum Ansel. est in centro & circunferentia: quantò enim plus elongatur à centro, tantò plus appropinquat circunferentię: & econuersò. Eodem modo dicendum, quod prouidentia est sicut circunferentia cuncta continens: & quantò quis elongatur à vita, tantò proximat morti: & econuersò. Similiter est de iustitia & misericordia. Ipse autem non coegit liberum arbitrium hominum: sed dedit necessaria ad redemtionem, non cogendo lib. ar. Vnde si compulisset vt non posset, ei intentare mortem; iam habuisset coactam vitam. Vnde ex proprio impetu mortem intulerunt: ipse autem ex malo impetu eorum bonum redemptionis produxit, seruato ordine.

Ansel. li. 1. *Cur Deus homo.* cap. 15.

ARTICVLVS II.

An conueniens fuerit Christum pati ab hominibus: & An si ab eis passus non fuisset, à dæmonibus pati debuisset.

Matt. 21. Hieron. CONSEQVENTER quæritur de conuenientia passionis quò ad nos. Ad quod sic: *Fortè verebuntur filium meum.* Hieron. *Fortè dicens, tangit lib. art. eorum, & non intentarent ei mortem, si non vellent.* Poterat ergò non pati ab eis. Hoc supposito, quæritur ergò, si conueniens esset ipsum pati à dæmonibus. Videtur quod sic: quia diabolus fuit author culpæ, per quam genus humanum perditum: ergò conuenit, vt per eundem introduceretur salus per Christum: ergò conueniens fuit) vt passus esset à dæmonæ: si nō fuisset passus ab homine.

¶ Item, debebat soluere reatum hominis, non dæmonis: ergò homo non debebat committere reatum in occidendo Christum. Sed in morte Christi augumentatum est peccatum, vel reatus: ergò non debuit pati ab homine.

RESOLVTIO.

Primum vtique: secundum minimè.

¶ Responsio. Dicendum, quod non fuisset passus à dæmone, si nō fuisset passus ab homine. Vnde si non fuisset passus ab homine, nihilominus esse redemptio seu liberatio hominis: & suffi ceret sola voluntas patiendi ad redemptionem siue ad liberationem. Vnde, *Ei autem,* &c. *merces imputatur,* &c. Gloss. *Ei, qui habet voluntatem & facultatem, non sufficit sola voluntas: ei autem, qui habet voluntatem & non facultatem, sufficit, sola voluntas.* Eodem modo dicendum est de Christo.

Rom. 4. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod conuenientiùs fuisset pati à dæmone. Dicendum, quod passus ab homine, est passus à dæmone: à dæmone vt suggerente, ab homine vt exequente. Vnde sicut suggessit peccatum homini primo, sic suggessit fieri passionem. Et conueniens fuit, quod sicut vicit suggerendo solummodo, vt suggerendo solummodo vincatur.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non debuit pati ab homine. Dicendum, quod iste modus fuit conuenientior, & maximè ostensiuus charitatis: vndè non solum soluit ab originali, immò alliciens fuit ad amorem: cum à peccatoribus sustineret in semetipso contradictionem. & etiam orauit pro illis.

Heb. 12. Luc. 23.

MEMBRVM V.

De quantitate passionis Christi.

CONSEQVENTER quæritur de quantitate passionis Christi. Et quæruntur potissimè duo. Primò de quantitate in se. Secundò de quantitate in comparatione ad satisfactionem.

ARTICVLVS I.

An Christi passio maxima fuerit?

Augus. AD PRIMVM sic. Aug. *Testimonium naturæ bonæ est dolor adepti boni.* Ergo vbi melior natura, maior dolor: sed natura Christi fuit optima: ergo in eo fuit maximus dolor.

¶ Item, *Attendite: & videte: si est dolor sicut dolor meus,* &c. Trenor. 1.

¶ Item, dolor est sensus diuisionis impatiens: vnde vbi est maxima conuenientia, ibi est maximus dolor in diuidendo. Sed Christi natura optimè erat complexionata: ergò, &c.

¶ Contra, Passio, quæ magis habet sibi coniunctam delectationem, minor est: & quæ maximè coniuncta, minima est: sed Christus semper fruebatur: ergo minimam habuit passionem.

¶ Item, cum natura rapitur ad operationes naturales, sc. in dormiendo, vt vegetabilis ad operationes interiores; tunc tota cessat ab operibus exterioribus, & ab actu rationis, & huiusmodi: ergo multò fortius cum anima Christi secundùm rationem totam raperetur ad Dei contemplationem, minimam habuit passionem.

¶ Item, motus maiores impediunt minores: cùm ergò Christus maximo motu raperetur, & moueretur in Deum: ergò motus doloris minor impediebatur.

RESOLVTIO.

Maxima vtique: quia contra eius corpus optimè complexionatum, & maximè animæ coaptatum.

¶ Respon. Dicendum secundùm Ansel. distinguendo naturam in Christo, & etiam rationem. Dolor Christi si consideretur secundùm naturam, maximus est dolor. Magnus enim dolor est, qui magis est contra naturam patientis: maior qui magis est contra naturam patientis, & etiam contra voluntatem. Maior ergò fuit dolor in Christo: quia magis contra naturam patientis: vnde cum corpus eius fuerit optimæ complexionis, & optimæ conueniens animæ, anima maximè doluit in separatione: ideò maior dolor. Si consideretur maior dolor secundùm quod dicitur contra voluntatem patientis, hoc est dupliciter. Nam est voluntas naturalis: & est voluntas rationis, vel voluntas rationalis. Primo modo fuit maximus dolor in Christo: Et secundo modo non fuit dolor in Christo: quia nunquam fuit martyr, qui tantum informatus charitate desideraret mori: & ex hoc est meritum passionis. Ansel.

¶ Cum ergò obiicitur, q̀ habuit delectationem coniunctam. Dicendum, quod delectatio fuit in voluntate, vt est ratio: passio verò in voluntate, vt est natura: & ideò non ex eadem parte fuit delectatio & passio. Vnde oportuit, quod in vna parte haberet summum gaudium, vt voluntariè & ex charitate impleret passionem, quod exigitur ad meritum: & ex altera parte maximum doloré. Et hoc vult Damas. cùm loquitur de passionibus supra naturam, &c.

ARTICVLVS II.

An Christi passio tanta fuerit, vt satisfactionem assumptam æquarit?

CONSEQVENTER quæritur de quantitate passionis per comparationem ad satisfactionem. Ad quod sic melior est vita gratiæ & nobilior incomparabiliter vita naturæ: ergò destructio illius peior. Si ergo per peccatum subtrahitur vita gratię: in morte Christi solum vita naturæ: ergo non est comparabilis mors Christi ad satisfaciendum pro peccato.

¶ Item, peccatum Adæ fuit generale, quia transfusum in omnes: mors Christi particularis: ergo non pôtuit esse satisfactoria pro illo.

¶ Item Ansel. *Reatus peccati mensuratur secundùm magnitudinem nocumenti:* tantum ergò fuit peccatú crucifixorum seu crucifigentium Christum, quantum bonum fuit vita Christi: ergò non est compensabilis ad satisfaciendum; nisi pro peccato eorum: ergò non pro peccato omnium. Ans. lib. 1. *Cur Deus homo.* cap. 2.

¶ Contra, Ille, qui patitur, non solum est homo, sed est Deus. Si ergò ponderetur quælibet actio eius: erit illa compensabilis pro quolibet peccato.

¶ Item, secundùm voluntatem & charitatem est mensura meriti. Si ergò persona satisfaciens est persona Dei; & charitas illa maxima, quæ excellit omnia ergò poterit satisfacere pro quali-bet culpa.

RESOLVTIO.

Attendendo conditiones patientis, passionis, & mortis ad patiendum: longè nimis equauit, quinnimo excessit.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod non est considerando, quantum passus est: sed ex quanto. Vnde considerandum circumstantias personæ; quia filius Dei est; & circumstantias passionis, & huiusmodi: sufficiens est passio Christi ad omnem, & omnium satisfactionem.

¶ AD illud igitur, quod obiicitur de subtractione vitæ naturæ. Dicendum, quod vita Christo dupliciter potest considerari: vt est vita Dei; vel vt est vita hominis in se. Si consideretur vt est vita Dei, sic est sufficiens ad satisfaciendum pro infinitis peccatis: Sivt vita hominis in se consideretur, non est sufficiens.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod satisfactio fuit particularis, peccatum veniale. Dicendum, quod sicut peccatum generale: ita & satisfactio. Vnde, *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituti sunt multi*: quantum ad sufficientiam: quamuis non quantum ad efficientiam. Sicut sol sufficiens est illuminationis omnium hominum: non tamen causa efficiens illuminationem in omnibus: quia non in cæcis. Rom.5.

¶ AD aliud, quod obiicitur de peccato crucifixorum. Dicendum; quod nescierunt vitam Christi esse vitam Dei. Vnde, *Si cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent*, &c. Vnde non est infinitum peccatum eorum: quia non attingebat, nisi secundùm scientiam eorum: vnde non intendebant subtrahere, nisi vitam hominis: quare excusantur ab infinito: & passio Christi per omnia sufficiens est ad soluendum pro peccatis omnium. 1.Cor.2.

MEMBRVM VI.

De effectu passionis Christi.

CONSEQVENTER quærendum est de effectu passionis Dominicæ: qui ponuntur quatuor. Primus iustificationis à peccatis. Secundus reconciliationis ad Deū. Tertius religatio potestatis diaboli. Quartus apertio ianuæ paradisi.

ARTICVLVS I.

An Christi passio operetur in nobis iustificationem à peccatis.

AD PRIMVM obiicitur in hunc modum. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates propter me*. Ergo solus Deus est, qui delet peccatum: relinquitur ergo, quod passio non delet peccatum: quia determinatiuè & exclusiuè dicit. Ego sum, qui deleo, &c. vt nulli alij tribuatur. Esa.44.

¶ ITEM, dicit authoritas: quod magis est de impio facere pium, quam creare cælum & terram. Si ergo solius Dei est creare: solius Dei est de impio facere pium. Cùm ergò per passionem non possit esse creatio: per passionem non potest esse iustificatio, per quam est de impio facere pium. Est sententia August. Tract.72. in Io. exponendo verba illa Io.14. *Maiora horum facict.*

¶ ITEM, passio Christi non attingit animam iustificandam; quia iam præterita est: nec etiam attigit tempore passionis, quia erat in alio subiecto. Relinquitur igitur, quod non potest agere in animam: ergò nec delere peccatum.

¶ ITEM, sola gratia deletur peccatum: si ergò passio Christi non est causa gratiæ efficiens, seu dans: ergò nec causa deletionis peccati: solus autem Deus est dator gratiæ non aliqua creatura; secundùm quod dicit Bernardus: Absit, vt perfectionem animæ tribuamus creaturæ: Deo autem eius creationem: cum longè perfectius sit esse perfectum, quam factum. Ex quo patet quod solus Deus est dator gratiæ non aliqua creatura.

¶ CONTRA, *Lauit nos à peccatis in sanguine suo*: ergò sanguis passionis lauit peccata. Apoc.1.

¶ ITEM, *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit; emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Heb.9.

¶ ITEM, ibidem dicitur: quod sine sanguinis effusione non est remissio peccatorum. Ibidem.

RESOLVTIO.

Christi passio & per modum meriti, & per modum satisfactionis operatur in nobis iustificationem à peccatis. Ad quod etiam valet per dilectionem, per fidem, per compassionem, & per imitationem.

¶ RESPONSIO, Passio Christi se habet ad remissionem peccati modis pluribus. Est enim passio Christi dupliciter: in rei natura, & in anima, Secundùm quod passio Christi est in rei natura; comparatur ad deletionem peccati dupliciter, per modum meriti, & per modum satisfactionis. In peccato autem sunt duo, macula, & reatus: macula, quæ est deformitas vel dissimilitudo ad Deum; reatus obligatio ad pœnam. Est igitur passio causa meritoria deletionis maculæ; quia meruit nobis gratiam, & omne illud, quo deletur peccatum. Vnde, *Si proprio filio non pepercit, quomodo non cum illo omnia donauit?* Et est etiam causa satisfactoria reatus pœnæ: secundùm quod dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit*, &c. Vnde, Cur Deus homo. *Putasne vitam Christi tantum bonum tam amabile posse sufficere ad soluendum, quod debetur pro peccatis totius mundi?* Et respondet, *immò plus potest in infinitum*. Et subditur. *Vides igitur quomodo vita hac vincat omnia peccata, si pro illis detur.* Sic ergò passio Christi in ipsa natura rei delet peccatum, vt causa meritoria gratiæ ad delendum maculam: & vt causa satisfactoria ad delendum reatum ad pœnam. Rom.8. Esa.53. Anselm. Cur Deus homo. Idem.

¶ SECVNDVM verò, quò passio Christi consideratur secundùm esse, quod habet in animabus, valet etiam ad remissionem peccati quatuor modis, per dilectionem, per fidem, per compassionem, per imitationem. Istis enim quatuor modis coniungitur animæ, & habet esse in illa. Passio igitur Christi in deletione & fide valet ad deletionem maculæ: passio verò Christi in compassione & imitatione valet ad deletionem obligationis & reatus pœnæ. Passio ergò Christi duobus modis valet ad deletionem peccati: sicut dicit Magister: Primus modus ex parte charitatis: secundus ex parte fidei. Ex parte charitatis modus est per modum excitantis ad charitatem: ex parte fidei per modum efficientis. Modus ergò ex parte charitatis est; quia per passionem Christi excitatur in nobis amor Dei: secundùm quod dicit Apostolus: *Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam cum essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est*. Et ex hoc accendimur ad amandum ipsum amore charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum. Ex parte verò fidei ostenditur modus per modum efficientis, quia passio Christi per fidem formatam, quæ est cum amore Dei, valet ad deletionem maculæ peccati, vt causa effectui coniuncta: & hoc in adultis in fide propria, vel cum sacramento fidei, vt baptismatis ad deletionem maculæ in paruulis: & est hoc ex fide aliena Ecclesiæ. Vnde Apostolus, *Iustitia Dei per fidem est Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine*, id est, per fidem passionis. Ex quo relinquitur, quod ex fide passionis est iustificatio siue emundatio peccatorum. Passio verò Christi in compassione & imitatione, vel per passionem & imitationem valet ad deletionem reatus pœnæ: sed passio interior, vt causa meritoria remissionis pœnæ: imitatio in actu exteriori, vt causa satisfactoria pœnæ debitæ. De compassione. *Si compatimur, & conregnabimus*. De imitatione: *Christus passus est pro nobis*, &c. Magist. in 3. sent. dist.18. Rom.5. Rom.3. 2. Tim.2. 1. Pet.2.

¶ DICENDVM igitur ad primum: quod ipse solus Deus est causa delens culpam, vt principale efficiens & agens passio verò Christi est in genere causæ materialis, vel efficientis, vt meritoriū; quod non est principale, sed cooperans: sicut patet ex dictis. Cùm ergo dicitur. Ego ego deleo iniquitates propter me: intelligitur per exclusionem alterius causæ principalis, non meritoriæ, vel cooperantis, seu materialis.

¶ AD aliud dicendum: quod passio Christi iustificat, secundùm quod consideratur in rei natura per modū causæ meritoriæ vel satisfactoriæ. Secundùm verò ꝙ cōsideratur, vt habet esse in anima per fidē; sic solū iustificat in ratione efficientis: sed hoc est fides de ipsa passione: & hoc * per modū causæ cooperantis: non per modū causæ operantis. * Alias, per modū causæ operantis, non per modum causæ efficientis.

AD

¶ Ad aliud tunc patet responsio. Passio enim Christi attingit animam, vel in modum meriti gratiæ, quæ animæ datur: vel in modum solutionis pœnæ reatus pro anima: vel in modum, quo est in anima vt dilecta, vt credita, vt afficiens per compassionem, & cõformata per imitationem: vt dictum est.

¶ Ad vltimum iam patet responsio: quia quamuis passio Christi non sit causa gratiæ effectiua; est tamen causa meritoria.

Quæstio collateralis. Rom. 4.

¶ Consequenter quæritur, de causalitatis differentia in iustificatione vel remissione peccati per passionem, & per resurrectionem. Nam dicitur: *Mortuus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram.* Quæritur ergo, quare plus attribuitur remissio delicti passioni, & iustificatio resurrectioni, quam econuerso. Namque iustificatio ponit remissionem peccati: si ergò resurrexit propter iustificationem nostram: ergò & propter peccati remissionem. Et si per passionem est iustificatio.

Glos. sup. Rom. 5.

¶ Item Gl. dicit: *Vtraque mors & resurrectio Christi delicta tollunt: & vtraque iustificant.* Non ergò debet attribui morti tollere peccatum, & resurrectioni iustificatio.

Rom. 3.

¶ Præterea, dicitur, *Iustificati per fidem in sanguine.* Ergò passio vel fides passionis est causa nostræ iustificationis. Conuenientius ergò debuit dixisse. Mortuus est propter iustificationem nostram, & resurrexit propter delicta nostra.

¶ Item, Christus post resurrectionem non erat in statu merendi: ergò nihil meruit per resurrectionem: ergò resurrectio sua non fuit causa meritoriæ nostræ iustificationis, vel nostræ resurrectionis.

Glos. sup. Rom. 4.

¶ Respons. secundùm Gl. *Mortuus est. &c. Nota quod vtraque, id est, mors & resurrectio Christi delicta nostra tollunt, & vtraque iustificant: mors tamen Christi sola interitum vitæ veteris signat; & in resurrectio noua vita signatur: ideoq; quantum ad significationis diuersitatem verba distinxit.* Ex quo accipitur, quod mors & resurrectio Christi comparantur remissioni peccati & iustificationi, vt causa & signum. Secundùm quod signum, mors comparatur remissioni: resurrectio iustitiæ vel iustificationi. Secundùm verò quod causa, vtrunque conuenit vtrique: sicut supra obiectum est.

¶ Et per hoc patet responsio ad primum.

¶ Ad aliud dicendum: quod est iustificatio motus ad imperfectam iustitiam, quæ est in præsenti vita: & est iustificatio motus ad perfectã iustitiam, quæ erit in patria. Prima est per meritum passionis: secunda erit per resurrectionem, quæ est causa nostræ gloriosæ resurrectionis: & ita per consequens perfectæ iustitiæ. Passio ergò & resurrectio indifferenter iustificant. Vnde Gl. *Noua vita à iustificatione incipit, & in immortalitate perficietur.* Ex his iam patet responsio ad alia.

Glos. sup. Rom. 5.

¶ Sed addendum est, quod iustificatio largè dicitur respectu remissionis peccati, & respectu adeptionis iustitiæ: secundùm quod iustitia ponit duos terminos à malo ad bonum. Strictè verò respectu adeptionis iustitiæ. Quantũ ergò ad figuram, tamen passio Christi, tum resurrectio iustificant: secundùm quod iustitia sumitur largè: secundùm verò quod sumitur strictè, quantum ad causam passio Christi & resurrectio iustificant: sed non quantum ad figuram.

¶ Ad vltimum dicendum: quod licèt status gloriæ non sit status merendi, sumendo propriè meritum, quantum ad meritum substantialis præmij; & hoc quantum existentes in gloria: merentur tamen impetrando alijs, & aduocando pro illis. Vnde habemus, *Aduocatum habemus apud Patrem, &c.* De causalitate verò resurrectionis infra determinabitur. Quæstione. 20. Memb. 2.

1 Ioan. 2.

ARTICVLVS II.

De effectu reconciliationis ad Deum.

Consequenter quæritur de effectu reconciliationis ad Deum. De quo, *Si adhuc, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Secundùm istum effectum dicitur Christus mediator Dei & hominum. Quæruntur igitur circa hæc tria. Primò, an sit mediator. Secundò, secundùm quid mediator. Tertio, quomodo mediator.

Rom. 5.

An Christus Dei & hominum mediator sit? §. 1.

¶ Circa primum sic. Habetur ab August. *Dixerunt quidam Philosophi, mediatores esse inter nos & Deum dæmones: quoniam Deus est immortalis & sine omni miseria: homines miseri & mortales: dæmones miseri & immortales: ex hoc concludebant dæmones esse mediatores inter nos & Deum, quoniam immortale & miserum, est medium inter immortale & beatum, & mortale, & miserum.* Sed determinat August. quod necesse est habere alium mediatorem: quia mediator huiusmodi separat & impedit accessum ac beatitudinem: dicit enim sic. Alius est medius malus, qui separat amicos: alius bonus, qui reconciliat inimicos. Et ideò multi sunt medij separatores: quia multitudo, quę beata est, vnius Dei participatione fit beata: cuius participationis priuatione misera multitudo malorum angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quam interponit ad beatitudinis adiutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodammodo, ne possit ad illud beatificum bonum peruenire.

Aug. 9. de ciuit. Dei cap. 15.

¶ Item, beati angeli non possunt esse mediatores: quantum ipsi sunt immortales & beati: quorum neutra proprietas conuenit homini. Dicit enim sic Aug. *Boni igitur angeli inter miseros & mortales, & beatos & immortales medij esse non possunt; quia ipsi quoque & beati & immortales sunt.*

Idem in eodem libro.

RESOLVTIO.

Quinimo alius quiuis ab eo, nec quidem angelus, talis esse posset.

¶ Ex his patet, quod neque angeli boni, neque mali possunt esse mediatores: sed oportet, quod aliquis sit mediator, qui sit immortalis & beatus: mortalis ad tempus, & beatus perpetuò: vt eò quòd mortalis ad tempus, cõueniret cum homine existenti in via: per hoc quod beatus, existenti in patria: talis est Christus Deus & homo. Vnde August. *Quærendus est medius, qui non solum homo, verumetiam Deus sit: vt homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem huius medij beata immortalitas interueniendo, perducat: quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem: Mortalis quippe factus est, non infirmata verbi diuinitate, sed carnis infirmitate suscepta. Non autem permansit in ipsa carne mortalis, quam resuscitauit à mortuis; quoniam ipse fructus est medians eius, vt nec ipsi, propter quos liberandos mediator effectus est, in perpetua, vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos & Deum mortalitatem habere oportuit transeuntem, & beatitudinem permanentem: vt per id, quod transit, congrueret morituris: & ad id quod permanet, transferret ex mortuis.* Christus igitur medius seu mediator est conueniens & concilians; cuius participatione & beneficentia homo miser & mortalis fieret beatus & immortalis. Vnde Aug. *Ad hoc quippe se interposuit medius immortalis & miser, vt ad immortalitatem beatam transire non sinat quoniam persistit, quod impedit, id est, ipsa miseria. Ad hoc autem se interposuit immortalis & beatus: vt mortalitate transacta, & ex mortuis faceret immortales: quod in se resurgendo monstrauit; & ex miseris * bonos: vnde nunquam ipse discessit.* Ex his patere potest, quod Christus etiam in quantum homo, mediator est inter nos & Deum. Extrema enim sunt Deus immortalis & beatus, homo mortalis & beatus, qui fuit Christus, quantum ad naturam humanam. Vnde Aug. *Nec tamen ob hoc mediator est; quia verbum maximè quippe immortale & maximè beatum, longe est à mortalibus miseris: sed mediator, per quod homo corpso vtiq; ostendens ad illud non solum beatum, verum etiam * beneficum bonum non oportere quæri alios mediatores: per quos arbitremur nobis perueniendi gradus esse moliendos: quia beatus & * beneficus Deus particeps factus humanitatis nostræ compendium præbuit participandæ deitatis suæ. Nec enim nos ab immortalitate & miseria liberans, ad angelos immortales beatosq; ita perducit, vt eorum participatione nos immortales & beati simus: sed ad illam Trinitatem, cuius participatione & angeli beati sunt.*

Idem in eodem libro.

Idem in eodem libro.

** Alias beatos: quia beatitudo nunquam ab ipso discessit.*

Idem in eodem.

** Alias beatificũ.*

** Alias beatificus.*

Secundùm quid Christus mediator dicatur?

¶ Secundò quæritur, secundùm quid sit mediator. Et quòd in quantum homo non dicatur Christus mediator, ostenditur. Medium enim debet communicare cum vtro-

que

quæ extremorum: sed in quantum homo non communicat nisi cum altero, sc. cum nobis, non cum Deo.

RESOLVTIO.

Secundùm proprietates & secundùm hypostasim.

¶ Ad hoc dicendum: quod medium dicitur multipliciter, scil. quantum ad conuenientia naturæ, quantum ad conuenientia proprietatis, quantum ad conuenientia personæ. Dicitur medium quantum ad naturam; sicut est medium in coloribus: hoc autem modo non est medium inter Deum & hominem: quoniam non potest non esse natura media. Dicitur autem aliter medium quantum ad conuenientiam proprietatum: & hoc modo potest Christus dici medium esse quantum ad humanam naturam inter Deum & hominem: quoniam habet proprietates conuenientes cum vtroque, cum Deo scilicet beatitudinem, plenitudinem gratiæ & scientiæ: & habet alias, in quibus communicat cum homine, scilicet mortalitatem & alios defectus. Cùm ergò dicitur, quod necessarium est medium communicare cum extremis: intelligendum est quantum ad hoc, quod extrema sunt: seu secundùm ea, secundùm quæ sunt extrema. Sed Deus & homo non sunt extrema secundùm suas naturas: sed quantum ad suas proprietates: vnde Deus dicebatur extremum ratione suæ immortalitatis & beatitudinis: homo verò ratione suæ miseriæ & mortalitatis: Christus autem quantum ad naturam humanam vtriusque communicat alteram proprietatem.

¶ Item, alio modo dicitur Christus medium inter Deum & hominem: eo quod eius hypostasis est in naturis duabus. Vnde dicit Damas. quod eius hypostasis est ex duabus naturis: quod sic exponitur, id est, ex duabus naturis subsistit, scil. diuina & humana: sed vtraque in sua perfectione remanet. Christus ergo quantum ad humanitatem potest dici mediator Dei & hominum: quia licet quantum ad naturam communicet cum hominibus solum: ratione tamen personæ communicat cum Deo: quoniam personam habet filij Dei; non personam creatam aut compositam, sed æternam simplicem. De hoc mediatore dicit Isidor. *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; non aliter in Deitate, aliter in humanitate, sed idem vnus in vtraque natura. nec purus conceptus homo, nec purus homo editus; nec meritum accepit vt Deus esset; sed Dei verbo manente incommutabili essentia assumpsit carnem; in qua impassibilis pati, immortalis mori, æternus ante secula temporaliter posset ostendi.*

Damas.

Isidor. in lib. de Trinit.

Quomodo Christus mediator sit? §. 3.

¶ Tertiò quæritur: quomodo mediator sit. August. *Hic est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: per hoc mediator, per quod homo, per quod & via. Si inter eum qui tendit; & illud quò tendit, via media est: est spes perueniendi. Si autem desit, & ignoretur: quà sit eundum; quid prodest nosse quò eundum est? Sola est aduersus omnes errores via munitissima, vt ipse sit Deus & homo: quò itur Deus, quà itur homo.* Et ita secundùm quod homo mediator est & via.

Augu. de ciuit. Dei.

RESOLVTIO.

Christus mediator est per hoc quòd via.

¶ Notandum, quòd hæc sunt nomina, quæ dicuntur de Deo secundùm quod homo; mediator, via, templum, caput, fundamentum, pastor, hostium, sacerdos, hostia siue sacrificium, Redemptor, & Saluator. Et sciendum, quod ista nomina attribuuntur Christo homini secundùm diuersos actus eius: vnde diuersitas istorum nominum est penes differentiam actuum Christi hominis. Est ergò vnus actus Christi hominis vniri Deitati, seu assumi à filio Dei, in quo præcipuè habitat secundùm vnionem personalem: & quantum ad hunc actum dicitur templum: ista præcipua & principalis habitatio Dei in Christo homine notatur, cum dicitur: *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ,* &c. Deinde est alius actus, scilicet, participare proprietates humanæ naturæ & diuinæ: eò enim quod humana natura Christi vnita Deitati, participat Christus proprietates diuinæ naturæ & humanæ: seu personam diuinam & humanam naturam; & quantum ad hunc actum dicitur Mediator. Sed ex hac meditatione, seu ex hac vnione manet ei plenitudo gratiæ: at pleni est largiri seu effundere alijs de sua plenitudine: ideò sequitur tertius actus Christi in quantum homo, scilicet infundere hominibus sensus spirituales, seu largiri gratiam, prout dicitur de ipso. *De plenitudine eius accepimus omnes:* & secundùm hunc actum dicitur caput: capitis enim est influere sensum, & vitam, vel motum aliis membris. Sed quia gratia primò confertur indistinctè: ideò post hanc infusionem gratiæ seu collationem hominibus sequitur distinctio animæ: quæ quidem distinctio est secundùm intellectum & affectum. Vnde post effusionem gratiæ consequuntur duo actus quantum ad distinctionem gratiæ, scilicet illuminare intellectum, & accendere affectum: quantum ad actum illuminationis intellectus, quod est per intelligentiam fidei, dicitur fundamentum: quantum ad actum accendendi affectum dicitur hostium: priùs est ergò dare gratiam, & deinde distribuere: item priùs est illuminatio intellectus, quam accensio affectus. Sed post istos actus est incorporare nos Ecclesiæ, quod fit per sacramentorum participationem: & quantum ad hunc actum, quod est nos per sacramenta regenerare; dicitur Christus sacerdos. Sed frustra esset regeneratio, nisi sequeretur nutritio; quæ fit per ministrationem pastus: secundùm quod dicitur Christus pascere nos verbo spiritualis doctrinæ: & quantum ad hunc actum dicitur pastor. Sed quia obligati sumus ad carentiam visionis Dei per Originale peccatum contractum à parentibus; & propter peccata actualia, quæ addidimus: ideò est alius actus Christi soluere istam pœnam vel obligationem: & sic dicitur hostia, vel Redemptor. Soluta autem ista pœna vel obligatione, est alius actus, scilicet amouere rumpheam: quod non est aliud, quam amouere velamentum mentis nostræ: & secundùm hoc dicitur: via quoniam priùs non erat via, qua ad Deum graderetur. Deinde est tribuere gloriam: & secundùm hunc actum dicitur Saluator. Sic ergo patet distinctio & ordo istorum nominum per destributionem, & ordinem actuum.

Psal. 44.

Ioan. 1.

ARTICVLVS III.

An per passionem ablata sit diabolo potestas?

Consequenter quæritur de effectu ablationis potestatis diaboli quantum ad potestatem nocendi & tentandi. Ad quod sic obiicitur, diabolus non poterat ponere manum, nec in Iob, nec in res eius; nisi permissus: vnde dicebat Domino. *Mitte manum tuam*, &c. ergò diabolus ante incarnationem non habebat potestatem nocendi, nisi quantum erat permissus. Sed post passionem habet potestatem permissus: sicut patet in flagellatione Antonij & aliorum sanctorum: relinquitur igitur, quod per passionem non habet minorem potestatem.

Iob 1.
Ibi.

¶ Item, post passionem habet potestatem vexandi corporaliter homines: sicut patet in multis, qui etiam sunt fideles: ergò non est per passionem diminuta potestas nocendi.

¶ Item lib. arb. semper liberum fuit à necessitate coactionis: ergò ante passionem per tentationem diaboli non poterat cogi ad peccandum; sicut nec modo: ergo non maiorem habuit diabolus potestatem tentandi, quam modo.

¶ Item, per circumcisionem in sanctis ante passionem delebatur culpa originalis, & culpa actualis per charitatem. Ergò cum non habebat potestatem diabolus puniendi, nisi ratio peccati: non habebat tunc potestatem puniendi bonos, sicut nec modo: ergo, &c.

¶ Contra. Apoc. *Vidi Angelum descendentem de cælo, & apprehendit draconem, qui est diabolus: & ligauit eum,* &c. per quem angelum intelligitur Christus: Ergo per passionem Christi diminuta est potestas diaboli, vt minus possit, quã priùs.

Apoc. 20.

¶ Item, per passionem absolutus est reatus in illis, qui baptizantur, originalis & etiam actualis culpæ. Cum ergò diabolus non habeat potestatem, nisi ratione peccati: nullam omninò habet potestatem.

Item,

¶ ITEM, ante passionem diabolus adorabatur vt Deus: sed prædicata passione per mundum, iam nusquam adoratur. Ex quo certissime relinquitur, quod potestatem amisit: cum hoc maximè appetat, scilicet adorari vt Deus.

¶ ITEM, sancti angeli post incarnationem naturam generaliter humanam reuerentur: vnde angelus Ioanni volenti se adorare, dixit. *Vide, ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.* Apoc. vlt.

Non pœnitus ablata, sed longè imminuta.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod diabolus per passionem Christi minorem habet potestatē in naturam humanam vniuersaliter: quia subtracta est ei potestas, qua prius subiiciebat eam sibi in infidelibus idololatria & veneratione quasi Deus: subtracta est etiam ei infidelibus, in quibus propter fidem passionis non habet potestatem, nisi quatenus ei permissum est ad exercitium virtus. In fidelibus enim character passionis est, scilicet crucis ex sacramento baptismatis, quo diaboli potestas cohibetur. Vnde dicitur, quatuor Angelis. *Nolite nocere, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Apoc. 7.

¶ AD illud igitur, quod obiicitur primò dicendum: quod simpliciter diabolus permissus nocere, minorem potestatem habet post passionem quam priùs, in ipsis fidelibus: quia fideles post passionem fortiora arma habent defensionis & resistentiæ contra omnem impugnationum diaboli. Vnde, *In omnibus sumentes scutum fidei, vt possitis omnia tela nequissimi extinguere.* Habent etiam nomen Iesu: cuius nominis inuocatio pellit dæmones: sicut dicitur. *In nomine meo dæmonia eiicient,* &c. Ad Ephe. 6. Matt. vlt.

¶ AD secundùm dicendum: quod post passionem habet potestatem vexandi corpora: sed non quorumcunque, nec qualitercunque. Potestatem enim vexandi habet corpora excommunicatorum præcisorum ab Ecclesia: secundùm quod dicitur de fornicatore, quem excommunicauit Apostolus dicens. *Iudicaui illum, qui huiusmodi est, tradere sathanæ in interitum carnis,* &c. Eorum verò qui non sunt præcisi ab Ecclesia fidelium, potestatem non habet, nisi quatenus à Deo permittitur, vel ad hominum correctionem, vel ad sanctorum exercitium & coronam: secundùm quod dicitur de B. Antonio, post quam fuit à diabolo flagellatus: quod ei quærenti à Domino apparente sibi vbi erat, cùm flagellaretur: respondebatur, *Antoni præsens eram: sed victoriam expectabam.* Ante passionem verò. (vt dicitur) potestatem habebat vexandi corporaliter omnes præter illos, qui solo priuilegio speciali tenebantur à Domino: secundùm quod de sancto Iob legitur. *Nonne tu vallasti domum eius,* &c. Non tamen vtebatur semper diabolus potestate puniendi: vt maiorem haberet potestatem seducendi per culpam, sicut & nunc in excommunicatis & infidelibus. 1. Cor. 5. Iob 1.

¶ AD tertium dicendum: quod est coactio sufficiens, & est coactio inducens. Quantum ad coactionem sufficientem li. ar. semper fuit liberum à necessitate coactionis: quantum verò ad coactionem inducentem, quæ attenditur quò ad terrores & dolores pœnarum, vel quantum ad cupiditates & blanditias voluptatum (his enim inducitur lib. ar.) ante passionem magis potuit, quam post. Minus enim potest diabolus inducere terrendo vel blandiendo post passionem, quam prius: cùm & ipse terreatur ab ipso signaculo crucis & inuocatione nominis Christi: secundùm quod dicitur. *A voce Domini pauebit Assur, virga percussus,* & cæt. Esa. 30.

¶ Ad vltimum dicendum: quod quamuis deleretur in sanctis culpa originalis & actualis quantum ad maculam & quò ad diuinam offensam & quò ad reatum gehennæ: non tamen quantum ad reatum carentiæ visionis diuinæ, ratione cuius habebat diabolus potestatem detinendi eos in limbo.

ARTICVLVS IV.

An per Christi passionem aperta sit ianua paradisi?

CONSEQVENTER quæritur de effectu apertionis ianuæ paradisi. Et primò dubitabatur, quid dicatur decretum: & quæ est differentia decreti & chirographi. Ad quod breuiter dicendum, secundùm quod dicitur. *Delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Glo. *decretum Dei fuit, quod Adæ præcepit, sc. de ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Huius decreti violati chirographum, id est memoriam deleuit Deus, quando peccatum primi parentis per sanguinem Christi abluit. Secundùm hoc ergo patet, quod decretum dicitur diuinum præceptum, quod datum fuit Adæ: chirographum dicitur memoria præuaricationis Adæ: siue reatus peccati Adæ. Ad Col. 2. Glossa. Genes. 2.

¶ ITEM alio modo exponit gl. *Decretū est sententia cunctis hominibus aduersa: quæ scil. dictum est. Morte morieris.* Chirographum dicitur peccatum Adæ: quod quasi cautionem contra nos tenebat diabolus: sed istud chirographum tulit, cum nobis delicta condonauit. Secundùm hoc ergo patet, quod decretum dicitur sententia Dei respectu necessitatis mortis, seu exclusionis à via cælesti. Chirographum verò erat reatus peccati Adæ in totum genus humanum. Glossa Genes. 2.

¶ CONSEQVENTER dubitatur de impotentia apertionis: de qua dicitur. Quod nullus erat, qui posset aperire librum: & liber dicitur, in quo omnia leguntur, summa & diuina sapientia seu veritas: de quo. Liber apertus est, qui est liber vitæ: clausio huius libri est clausio contemplationis diuinæ propter reatum originalis peccati. Ex qua authoritate patet, quod nullus poterat per meritum suum peruenire ad diuinam contemplationem: & hoc est aperire ianuam paradisi. Apoc. 5. Apoc. 20.

¶ SED contra hoc obiicitur. Quantumcunque charitas sint pretiosa & virtuosa tempore nostro: tantum fuit & tam pretiosa temporibus Abrahæ. Si ergo virtus charitatis & pretiositas tempore isto meretur vitam æternam & contemplationem Dei, videlicet aditum paradisi: ergo charitas temporibus Abrahæ meruit aditum paradisi: ergo sine passione Christi esset aditus in paradisum.

¶ ITEM si Abraham meruit intrare paradisum, meruit apertionem paradisi: ergo manente merito Abrahæ, necesse erat introitum esse: siue Christus pateretur, siue non.

¶ ITEM sicut dicit Apostolus, *Abrahæ dictæ sunt promissiones:* quæ quidem promissiones de hæreditate non pertinebant ad terrena, sed ad cælestia. Cùm ergò constet, quod liberalior est Rex æternus, quàm temporalis: consequi ex ista parte, quod si aliquis seruiat regi terreno pro bono temporali sibi commisso, meretur bona temporalia: ergò multo fortius ex parte alia: si Abraham seruiat regi æterno pro hæreditate sibi promissa æterna, meretur illam. Cùm ergò pateat, quod seruierit pro hæreditate æterna sibi promissa: constat quod meruit illam: ergo iustus iudex reddidisset sibi hæreditatem æternam: ergò sine passione esset ei patens aditus paradisi. Ad Gal. 3.

RESOLVTIO.

Per solum Christum paradisi ianua aperta est: quia solus ipse, nec alius quiuis pro reatu originali satisfacere potuit.

¶ RESPON. dicendum, quod nullius hominis charitas potest mereri vitā æternam post peccatum, nisi interueniente merito Christi: quia omnes sunt originali reatu obligati ad satisfactionem: quam nullus purus homo potest exhibere. Cuius probationem inuenies tactam in Quæstionibus de Incarnatione: quæ quidem obligatio, vel reatus est obtrusio diuinæ contemplationis, seu paradisi. Sed in hoc est differentia inter fideles post passionem & ante: quia ante passionem non est solutio satisfactionis originalis reatus: sed per passionem est solutio originalis reatus: & ideò fidelibus post passionem ex virtute sacramenti passionis patet aditus ad paradisum: ante passionem verò non.

¶ AD illud ergo, quod primò obiicitur: quod tanta fuit charitas tunc, quanta nunc. Concedo: non tamen ex hoc sequitur, quod meruit aditum priùs, sicut nunc. Et ratio huius est: quia charitas ante passionem non habet meritum passionis Christi coniunctum, per quod solum est originalis solutio reatus: sed post passionem habet charitas

meri-

[illegible] Christi [illegible]
[illegible]

¶ Ad secundum [illegible] Abraham [illegible] paradisum, ergo [illegible] vel [illegible] patre, quo ob [illegible] competit hæredi [illegible] habere, nisi [illegible] debito pœnæ. Vnde [illegible] pro quo obligati [illegible] vita & ex hac parte prius oportet [illegible] debitum pro peccato Adæ per passionem Christi, [illegible] introitus in paradisum: nullus autem [illegible] soluere potuit, nisi Christus. Patet ergo quod [illegible] sequitur, quod obiectum est, non enim sequitur, quod si quis mereatur consequens, quod mereatur antecedens.

¶ Ad vltimum patet responsio: nõ enim facta est Abrahæ promissio nisi in semine, quod exponit Apostolus: *Qui est Christus.* Sub conditione ergo fiebat promissio Abrahæ hæreditatis æternæ, quæ fuit impleta in Christi passione: & ex hoc non sequitur, quòd debeat esse sine Christi passione.

Galat. 3.

Quæstio incidentalis. ¶ Incidenter quæritur de allegato verbo Amb. *Saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei moreretur pro nobis debitoribus mortis.* 3. Sent.

Ambr. 3 sen. dis. 18.

¶ Contra quod obijcitur sic: Ergo Abraham fuit debitor mortis, ergo dignus morte: non ergo dignus vita æterna.

¶ Item, si mortis debitor fuit, & mortis spiritualis: ergo debuit damnari, cùm mors spiritualis sit debitũ mortis spiritualis, vel ipsa damnatio.

Ansel. in lib. Cur Deus homo. ¶ Item Anselm. *Nihil asperius vel difficilius potest homo ad honorem Dei sponte, & non ex debito pati, quàm mortem: & nullatenus potest se magis dare homo Deo ad honorem, quàm cùm se tradit morti ad illius Dei honorem.* Ergo aliquis potest pati, non ex merito, sed ad honorẽ Dei. relinquitur ergo, quod non omnes sunt debitores mortis.

Philip 2. ¶ Item, obijcitur de Christo: Christus ex obedientia mortuus est, sicut dicitur: *Christus factus est obediens vsque ad mortem.* Ergo erat debitor mortis: quia tenebatur ex præcepto patris mori pro redemptione humani generis.

August. ¶ Item, sicut August. *Seruitia quantò minus debita, tantò gratiosiora:* ergo cũ passio Christi fuit maximè debita; quia maximè debebat obedire patri: minus fuit grata.

¶ Respon. Ad primum dicendum, quòd duplex est dignitas, sufficientiæ, & cooperationis. Si respiciamus ad dignitatem sufficientiæ, non est dignitas in Abraham, vel in aliquo alio respectu vitæ æternæ sine passione Christi. Si verò dicatur dignitas cooperationis: dignitas fuit in Abraham respectu vitæ æternæ: cooperatus enim est passioni Christi, id est operatus est, vt per passionem haberet vitam æternam.

¶ Ad aliud verò, quod obijcitur, quod erat debitor mortis: Distinguendum est, quod est mors multipliciter. Est enim mors separatio animæ à corpore. Et est mors separatio animæ à Deo: vnde dicitur mortale peccatum. Et est mors perpetua, separatio animæ à diuina beatitudine irreparabiliter: vnde dicitur mors æterna. Et est mors separatio animæ à Dei contemplatione, seu beata visione; non perpetuò, sed ad tempus. Et secundum hunc modũ

Ambrof. accipitur mors, cùm dicitur ab Ambros. quod omnes erãt debitores mortis: & hoc modo fuit Abraham debitor mortis spiritualis.

¶ Ad illud verò, quod secundò obijcitur, dicendum: quod damnatio est perpetua separatio à Deo, & ideo est mors irremediabilis: non autem sic dicitur debitum mortis, quia non accipitur de morte irremediabili, sicut dictum est.

Ansel. in lib. Cur Deus homo. ¶ Ad tertium dicendum, quod [illegible] Ansel. non intelligit [illegible] Christo, vnde [illegible] *mortem [illegible], qui pro peccato hominis satisfacere*

Ibidem [illegible] *ratio plane illum homi-*

[illegible] Alex. tom. 3.

[illegible] quem [illegible] talem esse oportere, qui nec ex necessitate moriatur, quia omnipotens erit: nec ex debito, quia nunquam peccator erit: & mori [illegible] libera voluntate, [illegible] necessarium erit.

¶ Ad quartum dicendum, quod est debitum dupliciter [illegible] debitum ex necessitate [illegible] & est debitum ex voluntate. Primo [illegible] Christus debitor mortis [illegible] eodem modo. Vnde [illegible] *Dominus Iesus, cum mortem sustinere voluit, quoniam suum erat pati, debuit facere quod fecit: quia quod voluit pati, debuit & non debuit facere, quia non [illegible].* [illegible] necessi- Idem eodem

[illegible] voluntate. Primo modo [illegible] sed secundo modo [illegible] Non tamen [illegible] quod debitum [illegible] potest necessitatem mortis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod operari ex debito præcepti potest quis dupliciter: vel attendendo [illegible] obligationem præcepti, vel attendendo ad bonitatem præcipientis, hoc est dicere, attendendo ad potestatem præcipientis, vel ad bonitatem præcipientis. Attendens potestatem præcipientis, diminuit meritum suum: quia attendit ipsam obligationem vt debitum. Attendens verò bonitatem præcipientis, non respicit obligationem, vel debitum: & ideo solum ad operandum [illegible] amore bonitatis præcipientis; non ex debito potestatis. In primo ergo sensu intelligit Augustinus, quod seruitia quanto magis debita, tanto minus grata: secundo modo non in Christo.

MEMBRVM VII.

A quo Christus passioni & morti traditus sit?

Rom 8. VLTIMÒ quæritur de causalitate passionis. Nam pater tradidit filium: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* [illegible] tradidit se ipsum:

1. Petr. 2. *Tradebat autem iniuste se iudicantis,* & [illegible] Iudas tradidit illum: *Iudas Iscarioth, qui tradidit eum.* Similiter & Iudæi tradiderunt eum, vnde: *Sciebat autem Pilatus, quod propter inuidiam tradidissent illum, &c.* Sed actio patris & filij fuit bona: actio Iudæ & Iudæorum fuit mala.

Marc. 15. Matt. 27.

¶ Obijcitur ergo sic: contrariarum causarum sunt effectus contrarij: voluntas Dei & Christi, voluntas Iudæ & Iudæorum sunt causæ contrariæ: ergo effectus contrarij: ergo passio Christi non erit effectus illorum.

¶ Item, si Deus vult passionem Christi & Iudæi [illegible] sunt idem: ergo volendo hoc cõformant voluntatem suam voluntati diuinæ, ergo non peccant.

¶ Item, cùm pater fuit causa & filius, & Iudas, & Iudæi aut eodem genere causæ, aut diuerso. Non diuerso: cùm sint in genere causæ efficientis. Non eodem, quia non vna causa in genere boni: sicut dicitur 3. Sent. Qualiter ergo pater & filius iuste potuerunt tradere innocentẽ ad mortem? est enim iniustum innocentem punire. 3 Sent. dist. 20.

RESOLVTIO.

A patre, à semet, à Iuda, à Iudæis, & à crucifixoribus. A patre vt à permittente, à semet vt à voluntarie [illegible], à Iuda & à Iudæis sicut à procurantibus, à crucifixoribus velut ab inferentibus.

Respon. Potest dici, quòd pater & filius tradiderũt: quia potentiam suam, ne fieret [illegible] si [illegible] voluissent exercuisse potentiam, nullo modo ipsum Iudæi crucifixisse potuissent.

¶ Sed vltra distinguendum est, quod [illegible] est bonum dupliciter. Bonum ex genere [illegible] bonum [illegible] Similiter econtrario dicitur malum dupliciter [illegible] vtique quod est bonum ex genere, esse malum ex fine, & econuersò, quod est malum ex genere, esse bonum ex fine, vel ex circunstantia. Secundum hoc ergo dicendum, quod [illegible] ipsum tradere est malum ex [illegible] & [illegible] ipsum tamen tradere, vt [illegible] non [illegible] erat bonum ex fine [illegible] quod pater tradidit filium [illegible]

Galat. 4. num erat. Et hoc est, quod dicit Apostolus: *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant,* Philip. 2. *redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et ideo filius se tradidit, vt obediret patri: vnde factus est patri obediens vsque ad mortem, &c. Non autem Iudas & Iudæi ex hoc fine tradiderunt: sed Iudæi, ne amitterent locum & gentem: & Iudas similiter ex auaritia, & ideo isti peccauerunt. Ioan. 11. Intentio enim informat operationem, vnde bona vel mala dicitur ratione intentionis, proinde B. Ambr. inquit, quod Ambros. intentio seu affectus operi nomen imponit.

¶ Et sic patet solutio ad quartum obiectum.

¶ Ad primum autem dicendum: quod est effectus causæ, quo efficit: & est effectus, quem efficit. Contrarij autem fuerunt effectus voluntatum Dei, & Iudæorum, quibus effecerunt: quia contrariæ intentiones Dei & Iudæorum; & actus consequentes: tamen effectus, quem effecerunt, est idem, videlicet passio Christi; quamuis ex diuersa intentione. Et istud non est inconueniens; quemadmodum distinguitur opus operans, & opus operatum. Opus ergo operans non fuit idem; tamen idem fuit opus operatum. Et per hoc patet responsio ad primum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd conformatio voluntatis humanæ ad diuinam non est in volendo quod Deus vult: sed in volendo eo modo, quo Deus vult nos velle: quod non fuit in Iudæis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus pater fuit causa efficiens mortis Christi; vt permittens, & vt non prohibens mortem, cùm posset. Christus verò vt passionem voluntariè suscipiens, nec prohibens, cùm posset. Iudæi verò & Iudas vt causæ procurans. Crucifixores verò vt causa inferens mortem.

¶ Item quæritur adhuc de huiusmodi effectu passionis Christi, an sit bonus, vel malus? Cùm enim passio Christi sit bona, & ipsam operati sint Iudas & Iudæi: videtur, quod Iudas & Iudæi operati sint bonum.

¶ Respon. Dicendum, quod non: quoniam passio Christi non erat bona nisi ex fine: quem finem Iudas & Iudæi non habebant: sed potiùs contrarium. Dicendum ergo, quoniam passio Christi comparatur ad patientem, & ad causam inferentem. Vt quidem est effectus actionis Iudæ & Iudæorum, quæ mala est; est ipsa passio mala: quoniam bonus effectus non potest esse à causa proxima mala. Vt autem illa passio est patientis, volentis, & desiderantis per suam passionem genus humanum redimere; bona est & meritoria: quoniam non sic est passio pura: sed prout refertur ad inferentes, est passio pura; & ideo non meritoria.

QVÆSTIO XIX.

De morte Christi.

In quinque Membra diuisa.

D. Tho. 3. par. q. 50. S. Bö. in 3. d. 20. & 21 Sco. lib. eo. d. 21. & 22. INQVISITO de Dominica passione cum omni deuotione, inquirendum est de eius sacratissima morte: ex cuius consideratione magis est lugendum, quàm disputandum. Solent tamen quærere circa hoc disputantes. Primò, an mors Christi debeat intelligi separatio humanitatis à diuinitate. Secundò, an concedendum sit simpliciter de Christo, quod fuerit mortuus. Tertiò, an concedendum, quod in triduo fuerit homo. Quartò de descensu animæ eius ad inferos, Quintò de quiete corporis eius in sepulchro.

MEMBRVM I.

An mors Christi debeat intelligi separatio humanitatis à Deitate?

Damasc. lib. 3. de orthod. fide cap. 6. AD primum arguitur sic, sicut dicit Damascenus: *Caro vnita est Deitati mediante anima & intellectu:* ergo per animam vniebatur caro diuinitati. Soluta ergo vnione animæ & intellectus ad carnem: soluetur necessariò vnio deitatis ad eandem: separato enim medio coniungente extrema, separatur necessariò extremum ab extremo. Cùm ergo in morte constet, quod facta est separatio animæ & intellectus à carne: ergo facta est separatio Deitatis ab eadem.

¶ Item, dicit Augustinus: *Mors, quam timent homines, separatio est animæ à carne: mors autem, quam non timent, est separatio animæ à Deo: vtraq; verò diabolis suasu homini propinata est.* Si ergo mors Christi debuit delere mortem, quam diabolus propinauerat homini: ergo mors Christi debuit esse separatio animæ à carne, & à diuinitate. August.

¶ Item Ambros. tractans illud: *Iesus clamans voce magna dixit: Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti? Clamat homo separatione diuinitatis moriturus: nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtiq; mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita diuinitas est,* Ex quo relinquitur primum. Ambr. in Matt. 27. Ambros.

¶ Item * Anastasius: *Maledictus, qui totum hominem, quem assumpsit Dei filius, denuò assumptũ, vel liberatum tertio die à mortuis resurrexisse nõ confitetur.* Relinquitur ergo, quod denuo assumptus est homo in resurrectione, quem assumpserat in incarnatione: deposuerat ergo eum in morte. * al. Athanasius. Refertur 3. Sent. d. 2. § 6.

¶ Item, cùm in Christo sit vnio carnis ad animam, & vnio carnis ad diuinitatem; prior est natura vnio carnis ad animam, & ordinatur ad vnionem carnis ad diuinitatem: si ergo prima est dissolubilis per mortem, ergo & secunda. Item vnio diuinitatis ad carnem est per gratiam: sed subiectum gratiæ non potest esse nisi rationalis substantia: separata igitur à carne anima, separatur rationalis substantia: separatur ergo & gratia: ergo & vnio cum diuina natura.

¶ Item: *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Constat, quòd istud nõ dicit caro, sed diuinitas, ergo diuinitas proposuerat deponere animam. Ioan. 10.

¶ Item, cùm caro non habeat potestatem à se ponendi vel sumendi animam: ergo ista non potuerunt esse verba ratione carnis. Si ergo vera sunt, vera sunt ratione diuinitatis: ergo diuinitas deposuit animam in morte.

¶ Item, cùm anima de sui natura per subtractionem gratiæ sit separabilis à diuina natura: similiter & corpus; quæritur, an econuersò, scilicet diuinitas sit separabilis de sui natura ab anima & carne, quibus vnita fuit? Quod si dicatur: ergo simpliciter est separabilis diuinitas ab humanitate.

¶ Contra August. *Ego pono animam meam, &c. Verbum ex quo suscepit hominem, id est carnem & animam, nunquam deposuit animam; vt esset anima separata à verbo: sed caro posuit animam, quando expirauit: qua redeunte, resurrexit.* Mors ergo ad tempus carnem & animam separauit: sed neutrum à verbo Dei. August. tract. 47. super Ioan. 10.

¶ Item Ioan. Damasc. *Si mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab eius corpore diuisa est: tamen diuinitas inseparabilis ab vtroq; permansit: neq; vna hypostasis in duas diuisa est.* Etenim corpus & anima secundùm idem à principio in verbi hypostasi habuerunt subsistentiam; & in morte à se inuicem diuisa manserunt; singulum eorum vnam hypostasim verbi habens: neque enim corpus, neq; anima propriam habent hypostasim præter verbi hypostasim. Damasc. lib. 3. de orthod. fide, ca. 27.

¶ Item Leo Papa: *Tanta est vnio Dei & hominis: vt nec supplicio possent dirimi, nec morte distingui.* Igitur mors Christi non debet intelligi separatio animæ vel carnis à diuinitate: sed separatio animæ à carne. Leo Papa

RESOLVTIO.

Mors Christi non intelligenda est separatio humanitatis à diuinitate, sed separatio animæ à corpore.

¶ Quod concedendum est, & respondendum est ad obiecta.

¶ Ad primũ distinguo, quod est medium vnionis inter aliqua extrema dupliciter, necessitatis, & congruitatis. Necessitatis mediũ, sicut vita vegetabilis & sensibilis media sunt vnionis vitæ rationalis ad carnem: ita vt separata vita vegetabili & sensibili à carne, separatur vita rationalis à carne. Medium verò congruitatis est: vt aqua est medium inter terram & aërem. Congruit enim vt inter terr.

quæ est frigida & sicca per naturam; & aërem, qui est humidus & frigidus per naturam; sit aqua media, quæ est frigida & humida: non tamen necessitatis est medium; quia remota aqua, nihilominus vnietur aër terræ. Dicendum ergo, quòd anima & intellectus est medium congruitatis vnionis diuinitatis ad carnem, nō necessitatis: intellectus enim & anima propter naturā incorporeitatis magis conueniunt cum diuina natura, quàm caro: & ideo congruitatis medium est; non tamen necessitatis: quia diuina natura non indiget aliquo ad sui vnionem cum aliqua creatura. Inde est quòd separatione facta animæ à carne: non sequitur separatio carnis à diuinitate.

¶ Ad secundum dicendum, quòd mors Christi virtutem habuit delendi mortem, quam diabolus propinauit homini; ex hoc quod erat mors Dei; mors autem Dei esse non potuit quantum ad diuinam naturam: ergo mors Dei esse non potuit nisi quantum ad humanam, quam assumpserat, naturam. Moriebatur ergo Christus habens humanam naturā in ipsa humana natura, separata anima à carne, coniunctis anima & carne cum diuinitate. Et ideo nihil ad propositum, quod arguunt ex autoritate August.

¶ Ad tertium dicendum, quòd sicut intelligitur separatio in autoritate Ambr. sic intelligitur derelictio in autoritate Euangelij: *Vt quid me dereliquisti.* Derelictio enim
Matt. 27. & Mar. 15. intelligitur non quantum ad recessum diuinitatis ab homine quantum ad vnionem: sed solùm quantum ad recessum quantum ad protectionem. Si enim illa derelictio intelligeretur vnionis solutio; ante mortem facta fuisset Dei
Ibidem. & hominis solutio, quia ante mortem dixit: *Deus meus, &c.* alioquin fuisset aliquod tempus, quando Christus adhuc homo viuus erat & non Deus: q; est absurdum. Separatio ergo diuinitatis à carne debet intelligi quātum ad subtractionē protectionis, quæ per potentiā non amouit violētiam passionis; non quantum ad solutionem vnionis.

¶ Ad quartum dicendum, quòd in verbis Anastasij assumptio intelligitur non secundùm carnem tantùm, sed secundùm totum. Non enim dicit simpliciter, hominē assumptum denuò, sed totum hominē: vt ostendat hominē assumptum, id est denuò cōiunctum in resurrectione, qui prius in morte fuerat diuisus, separata anima à carne.

¶ Ad quintum dicendum, quod non sequitur: hæc vnio sequitur vel ordinatur ad illam: ergo si hæc separetur, & illa. Quod patet, quia est vnio manus vel pedis ad corpus ordinata ad vnionem corporis cū anima: & tamen cōtingit esse separationem manus & pedis à corpore; manēte tamē vnione corporis cum anima. Id est, quamuis vnio carnis ad animam ordinetur ad vnionem carnis ad diuinā naturam; nō sequitur, quòd separata vnione animæ à carne, separetur vnio carnis à diuinitate.

¶ Ad sextum dicendum, quòd est gratia, quæ conformat naturam spiritualem diuinæ quantum ad cognitionē & amorem: & huius gratiæ subiectum est natura rationalis. Et est gratia, quæ conformat, secundùm quod possibile est, naturam corporalem ad diuinam quātum ad susceptionem diuinæ actionis & virtutis: & huius gratiæ subiectum potest esse natura corporalis: & gratia hęc fuit summè in incarnatione Christi, vt esset assumptibilis à verbo Dei, & susceptibilis diuinæ vnionis.

August. ¶ Ad septimum dicendum secundùm August. quòd caro ponit & sumit animam, non potestate sua, sed potestate inhabitantis carnem diuinitatis. Verba ergo illa sunt Christi ratione carnis, in quantum habet in se potestatem diuinitatis.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd diuinitas non est separabilis de sui natura ab anima & carne; quibus fuit vnita, sicut econuersò: & hoc est, quia natura diuina, quæ est summum bonum; quantum est de se; nulli deest nec deficit creaturæ: tamen creatura per naturam suam, quæ defectibilis est; quia est ex nihilo, deficit illi.

MEMBRVM II.

An rectè dictum sit, Deus passus, Deus mortuus, Verbum est crucifixum, & huiusmodi?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm simpliciter de Deo cōcedendum sit, quod fuerit mortuus? Et quòd sic, primò ostenditur per autoritatem Augustini: *Verbum caro factum est: & secundùm hoc ipsum verbum crucifixum: sed non est mutatum in hominem, homo in illo mutatus est, vt melior fieret.* August.

¶ Item, idem August. *Quicquid passus est homo, non potest dici nō passus Deus; quia Deus erat homo.* Ergo si homo est mortuus: dicetur Deus est mortuus. Idem

¶ Item Augustinus: *Quomodo non potes dicere te nō passum iniuriam, si vestis tua incidatur; quamuis vestis tua nō sit tu? Multò magis quicquid patitur caro vnita verbo, debet dici pati Deus: licèt verbum nec mori, nec corrumpi, nec mutari potuit.* Idem

¶ Item Ambros. *Quod verbi caro patiebatur, manens in carne verbum, in se pro corporis assumptione referebatur, vt pati diceretur, quia caro patiebatur.* sicut scriptum est: *Christo in carne passo.* Ex his ergo relinquitur quòd simpliciter concedendum est: Deus est mortuus, Deus est passus, verbum est crucifixum. Ambr. 4. lib. [illegible] 1. Pet. 4.

¶ Contra Augustinus: *Si quis dixerit atq; crediderit filiū Dei Deum passum, anathema sit.* August.

¶ Item, non est simpliciter affirmare contraria, seu contradictoriè opposita de eodem: sed de Deo est simpliciter dicere, quòd est impassibilis, immortalis: ergo nō erit de eo accipere contraria, quòd passibilis, quòd mortalis, seu quòd passus, quòd mortuus.

¶ Item, in diuinis non differt quod est & quo est: deitas, & Deus. Vnde nulla operatio est, quam sit dicere de Deo respectu creaturæ, quā nō sit dicere de diuinitate: sicut.n. dicitur, Deus creat, iustificat, & glorificat: ita dicitur, diuinitas creat, iustificat, & glorificat: & sicut dicitur Deus incarnatus, dicitur Deitas incarnata. Si ergo conueniēter dicitur, Deus est passus & mortuus per carnem sibi vnitam: ita diuinitas dicetur passa & mortua propter carnem ei vnitam: quod non admittit confessio fidei. Relinquitur igitur quòd nec conuenienter dicetur, Deus passus & mortuus.

¶ Item, natura diuina vnitur humanitati, sicut diuina persona, & Deus sicut deitas. Vnde est dicere incarnatum de vtroque, scilicet natura, & persona; similiter de alijs, quæ dicuntur de natura humana, quod debeant dici de vtroque, scilicet natura & persona: & ita esse mortuum dicitur de vtroque.

¶ Ivxta hoc quæritur: an separata anima à carne, manente vnione Deitatis ad carnem, debeat dici caro mortua? Quod videtur: quia mors est separatio animæ à carne.

¶ Contra, sicut anima est vita, ita Deus est vita, & causa vitæ veriùs quàm anima: ergo cùm ab anima existēte in carne dicatur caro viuere, eo quod anima est vita & causa vitæ: multo magis ab vnione deitatis cum carne debet dici caro viuere; cùm Deitas sit verissima vita, & causa verissimæ vitæ.

RESOLVTIO.

Augustino & Ambrosio prædictas propositiones admittentibus assentiamur.

¶ Respon. Secundùm autoritates prædictas August. & Ambr. cōcedendum, quòd conuenienter dicitur, Deus passus, Deus mortuus.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur ex autoritate Augustini, dicendum, secundùm quod ipsemet exponit in eodem. Si quis dixerit, quòd in passione dolorem sentiebat filius Dei: Deus, & non caro tātùm cum anima, quā sibi acceperat, anathema sit. Anathematizat ergo August. dicentem Deum passum ratione diuinæ naturæ, non ratione humanæ naturæ assumptæ.

¶ Ad secundum dicendum, quòd contraria vel contradictoria non est accipere de eodem secundum idem: tamen secundùm diuersa nullum est inconueniens. Vnde non est inconueniens dicere, quòd passus est Deus secundùm humanam naturam, & mortuus: non passus, nō mortuus secundùm diuinam. Et sicut de persona Christi simpliciter est verum dicere, quòd est Deus, & similiter quòd homo: ita simpliciter erit affirmare de persona Christi ꝓprietates Dei, & proprietates hominis: tamen secundùm diuersas naturas. Vnde Ambros. *Generalis est ista fides: quòd Christus est filius Dei, & natus ex Virgine: quem quasi gigantē pro-* Ambros.

phetæ describit, eo quod biformis geminaq́, naturæ, vnus sit consors diuinitatis & corporis. Idem ergo masculinè patiebatur & nõ patiebatur, moriebatur & non moriebatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quamuis Deus & deitas idem sint secundùm rem; tamen differunt secundùm intelligentiæ rationem. Nam diuinitas, significat diuinam naturam inquantum huiusmodi; & ideo nõ supponit personam: hoc nomen Deus, significat diuinam naturam in habente ipsam; & ideo supponit personam; quia ergo vna persona est in duabus naturis, ideo proprietates vtriusque naturæ conueniunt personæ: & erit dicere Deum mortalem, & immortalem, Deum passum & non passum ratione personæ, & huiusmodi.

¶ Qvod autem obiicit de vnione: quia natura vnitur humanitati, sicut & persona: & deitas, sicut Deus: vnde est dicere incarnatum de vtroque. Dicendum, quod aliter & aliter: nam diuina natura seu deitas vnita humanitati, non vt humanitas sit vnum in illa; sed vt diuinitas & humanitas sint vnum in persona diuina. Et ideo sicut natura in ipsa vnione distinguitur à natura: ita & proprietas naturæ à proprietate naturæ: inde est, quod licèt dicatur incarnata, id est carni vnita; non tamen dicetur, quod est passibilis, mortalis, mortua, vel passa. Sed cũ dicitur, persona vnitur humanitati, siue Deus; ratione personæ significatur humanitatis vnio ad personã, non in aliquo alio, sed in ipsa persona: inde est, quòd proprietates naturæ humanæ conueniunt diuinæ personæ: vt sit dicere, personam mortuam, & passam: & ita Deum mortuum, & passum.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd anima est vnita corpori in vnitate naturæ: & ideo ex vnione vel coniunctione animæ ad carnem resultat vita in carne: vita enim est actus & perfectio naturæ: diuinitas verò non vnitur carni in vnitate naturæ: & ideo quãuis diuinitas sit vita & causa vitæ, vbi est conueniens susceptibile: tamen ex vnione diuinitatis cum carne vel corpore non erit dicere corpus viuere vel esse viuum; quia non est dicere vnam vitam * communem naturæ & carni esse.

*al. cõmunem esse naturæ deitatis & carni.

MEMBRVM III.

An Christus in triduo fuerit homo.

Deinde quæritur: An Christus in triduo mortuus, fuerit homo? Circa hoc sic obijcitur. Si anima nunquam fuisset vnita corpori. & si * diuersa assumpta fuisset à Verbo; nunquam fuisset homo. Sed in triduo non fuit anima vnita carni, ergo tunc non fuit homo.

* al. diuisa.

¶ Item, in illo triduo fuit homo, & nõ potuit loqui, nec audire, nec videre, nec aliquod aliud officium hominis exercere: ergo in illo triduo fuit homo cæcus, surdus, mutus: quod est abusio dicere.

¶ Item, sicut dicit Boëtius. Triplex est status hominis: ante peccatum, post peccatũ, & status gloriæ. Primus fuit posse mori & non posse mori; secundus non posse nõ mori: tertius verò nõ posse mori: quo exprimitur immortalitas gloriæ, quam tunc non habuit Christus. Sed nullũ istorum habuit in triduo, ergo non fuit homo.

¶ Item, nusquam fuit homo in illo triduo, quia nec in sepulchro; cùm ibi non haberet animam; nec in inferno, cùm ibi non haberet corpus: relinquitur ergo, quòd nusquam fuit homo.

¶ Contra, August. *Talis fuit illa susceptio, quæ Deum faceret hominem, & hominem Deum.* Sed illa susceptio nunquã desijt esse: ergo nunquam desijt Deus esse homo. August.

¶ Item Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum, & c. ergo nunquam desijt esse sacerdos, ergo nec desijt esse homo, ex quo factus est sacerdos in incarnatione.

¶ Item, quicquid prius fuit subiectũ rationalitati, fuit subiectum rationalitati in triduo, quia anima non desijt esse vnita verbo: ergo non desijt esse rationalis. Simili ratione nec desijt esse substantia corporalis: quia caro illa nõ desijt esse vnita verbo: ergo ipse Christus in triduo fuit substantia corporea rationalis, ergo fuit homo.

¶ Item, in illo triduo fuit hypostasis humanæ naturæ; seu habens humanam naturam, quia habuit animã & carnem sibi vnitam, ergo fuit homo.

¶ Item, Hugo: *Quid est stultius dicere, quam quod homo tũc esse desinat, quando verè esse incipit: & tantò vtiq; verius, quantò verius est, in quo esse incipit?* Ergo cùm homo sanctus in morte incipiat esse beatus, quod est esse verissimum: ergo stultissimũ est dicere, quod homo tunc esse desinat. Hugo de sacramẽtis, lib. 2. par. 1. c. 11

¶ Item idem: Paulus inquit: *Cupio dissolui, & esse cum Christo. quid cupis mori & in Christo esse? Immò dicunt quidam, quod mori est nihil esse; quia non eris, quod fuisti, post mortem. Si istis credis Paule; mortem non optas: nisi fortè non esse desideras.* Relinquitur igitur, quod in morte non desinit esse aliquis homo: ergo multo magis, nec filius Dei desinit esse homo. Idem super Phil. 1

RESOLVTIO.

Christus in triduo homo quidem fuit materialiter: at non formaliter.

¶ Ad hoc diuersi diuersa dixerunt. Quidam indistinctè dixerunt, quod Christus in triduo fuit homo: vt Magister, & Hugo de S. Victore, sed differenti ratione. Nã Magister dicit, quod fuit homo; quia habuit illam eandem naturam ipse Deus sibi vnitam, & eodem modo quò prius: ex qua vnione dicitur homo. Dicit etiam, quòd aliter est in puro homine, aliter in Christo: quia in puro homine nõ est nisi vna vnio, scilicet animæ ad carnem: sed in Christo sunt duæ vniones: vna vnio humanitatis ad diuinitatem, & hæc fecit eum hominem: alia est animæ ad carnem, & hæc fecit eum viuere. Vnde cùm hæc fuerit soluta in triduo, dicunt eum fuisse mortuum: sed quia alia nõ fuit soluta, dicunt ipsum fuisse hominem. Ad hoc autem, quod dicitur, Christus nusquã fuit homo in illo triduo. Ipsi respondẽt, quòd in inferno fuit homo, & in sepulchro: quia in vtroque habuit humanam naturam. Quidam tamen illorum sunt, qui dicunt, quòd in illis duobus locis fuit homo ita quòd in neutro. Hugo verò concedit similiter, ꝙ Christus in triduo fuit homo. Vnde dicit, quòd rectè verbum postquam factum est homo, nunquam postea homo esse desijt: quia se nec in morte carnis ab assumpta humanitate nunquam diuisit. Tamen sua opinio est, quòd esse personale hominis consistat penes animam principaliter: vnde dicit quòd spiritus rationalis propriè dicitur persona, numero discretus, & ratione discernẽs. Vnde dicit personam esse quasi per se sonantem, siue singulariter discernentem, inquantum numero discreta est, per se, inquantũ ratione discernit, sonantem, siue indicantem per se, intelligimus. Secundùm hanc distinctionem propriè dicimus, quòd spiritus rationalis persona est: corpus verò vnitum ipsi spiritui rationali accipit ab eo, vt sit persona: vtrumque verò vnitum ipsi personæ verbi, accipiunt ab ipso verbo esse personæ. Concedit igitur Hug. quòd homo mortuus est homo: nec quãdo homo viuere desinit, desinit esse homo: quia anima non moritur, nec viuere desinit, etiã quando viuificare desinit: quamuis fortassis secundùm sensum loquendi non possit dici homo, quia illud nomen de terra sumptum est: tamẽ secundùm esse principale ipsius hominis est dicere hominem esse, etiam cùm separatur spiritus à corpore. Vnde arguit in hunc modum. Cùm homo ex corpore & anima constet; tamen propter vnam partem quæ est corpus, dicitur homo corpus: multo ergo magis propter partem aliam, quæ anima est, debet dici anima. Si enim ex parte totum naturam & nomen trahere dicitur; ab illa proculdubio parte, quæ dignior & melior est, rectiùs & naturam & nomen trahere diceretur: quamuis humana locutio ab illa parte hominis potissimum vocabula formauerit, quam primo in homine sensus humanus agnouit: solùm enim corpus in homine videtur: & ideo à corpore hominis nomen sumitur. Ex his ergo relinquit Hugo, quòd si homo dicit personam, homo mortuus est homo. Si verò homo dicat animæ & corporis vnionẽ, homo mortuus non est homo. Vnde dicit: *Separata anima à carne, eadem persona spiritus rationalis remanet, quæ licet fortassis secundùm sensum loquendi homo iam dici non possit; quia id, quod iam de terra sumptum erat, iam sibi vnitum non habeat, tamen minus persona est, & eadem persona, quæ prius fuit* Secundùm Hugo.

Aliorum opinio. Magister

dùm ergo ipsum Hugonem est dicere Christum in triduo esse hominem.

Aliorum sententia. ¶ Sed contra opinionem Hug. est opinio aliorũ, qui dicunt, quòd anima non est persona. Sustinentes ergo ipsum, distinguemus istã: Christus in triduo est homo, quia hoc quod dico, *homo*, potest dicere coniunctum ex anima & corpore, & hoc modo Christus in triduo non fuit homo. Vel potest dicere hoc quod dico, *homo*, personam habentem humanam naturam, hoc est corpus & animam, & secundùm hoc Christus in triduo fuit homo.

Aliorum opinio. ¶ Alii verò dixerunt distinctè, quòd Christus in triduo non fuit homo: dicentes, quòd ad hoc ꝙ purus homo sit homo, vnũ tantùm exigitur, scil. vnio animæ ad carnẽ. Sed ad hoc quod Christus sit homo, duo exigũtur, scil. vnio humanitatis ad Deum, & vnio animæ ad carnem: quia verò faciliùs est destruere, quàm cõstruere, dicunt ꝙ quia vna illarum fuit soluta, scil. vnio animæ ad carnẽ, tunc nõ fuit homo. Ad hoc enim ꝙ sit homo albus, duo exiguntur; quòd sit homo, & quòd sit albus: sed ad hoc quod non sit homo albus, sufficit quod alterum non sit. Ad illud ergo, quod obiicitur primò: quod talis fuit illa susceptio, &c. Dicẽdum, quòd illa susceptio fecit hominẽ; quia fuit animæ & carnis vnitarum. Ex hoc quod fuit animæ & carnis solùm non fecit hominem, sed ex hoc quod animę & carnis vnitarum: quia ergo vnio animæ & carnis desijt, ideo in triduo desijt esse homo. Ad secundum verò quod obijcitur: *Tu es sacerdos in æternum, &c.* Psal. 109. Respondent dicẽtes, hoc esse dictum: quia sacerdotium Christi futurum erat in æternum, nec eius sacerdotio aliud successit: sicut sacerdotio Aaron successit sacerdotium Christi. Ad tertium respondent, quòd non sequitur: fuit substantia corporea rationalis, ergo homo: procedit enim ab insufficienti. Dicunt namq; quòd quædam proprietates sunt, quę tantùm sumuntur secundùm animã, vt animalitas: quædã tantùm secundùm corpus, vt corporeitas: quædam ex concursu animæ & carnis, vt humanitas. Ad hoc ergo ꝙ sit homo, oportet, quòd omnes tales proprietates ibi sint, quæ secundùm carnem sunt, & quæ secundùm animam sunt, & quæ sunt ex cõcursu illorum coniunctorũ, & ideo nõ sequitur. Ad quartum dicendum, quòd non sequitur: est hypostasis humanę naturæ, ergo homo: nisi vbi hypostasis est ratione humanæ naturæ. In Christo verò hypostasis seu persona nõ est ratione humanæ naturæ; sed ratione naturæ diuinæ in verbo: & ideo non sequitur; nisi solùm ꝙ est hypostasis habens humanam naturam, id est corpus & animam.

¶ Ad rationes verò Hug. de S. Vict. patet responsio ex prædictis verbis.

Aliorum sententia. ¶ Alii verò distinguunt, ꝙ est considerare esse hominis secundùm actũ & rem: & secundùm hoc diffinitur, hõ substãtia cõposita ex corpore & anima rõnali & est cõsiderare esse hominis secundũ habitum & rõnem; & secundũ hoc diffinitur, hõ est animal rationale. Primo modo dixerunt, ꝙ hæc non est vera: Cæsar est homo: vel, homo mortuus est homo: secundo modo dicunt, ꝙ veræ sunt: Cæsar est hõ; homo mortuus est hõ. Quia primo mõ ponitur esse hominis secundùm actum; secundo verò modo non affirmatur esse hominis secundùm actum: sed solùm secundùm habitum & rationem, quod est esse abstractum à tẽpore. Hoc ergo modo volunt concedere, quòd Christus in triduo est homo, primo modo non.

¶ Potest tamen dici aliter, quòd homo dicitur materialiter & formaliter. Materialiter loquendo, Christus in triduò est homo, quia habet esse in anima & corpore, ex quibus constituitur homo. Formaliter verò nõ est homo, quia non fuit ibi compositio ex corpore & anima; vnde est formalis constitutio hominis. Quia ergo est hypostasis seu persona habens animam & corpus, est dicere, ꝙ est materialiter homo: quia verò non hypostasis seu persona subsistens in corpore & anima vnitis; non est dicere ꝙ sit formaliter homo.

MEMBRVM IIII.

An Christus ad infernum descenderit?

August. CONSEQVENTER quæritur de descensu Christi ad inferos. Ad quod obiicitur sic. August. dicit ad Dardanum: *Non facile alicubi in scripturis nomen inferni in bono inuenitur.*

¶ Item, *Non est agnitus qui reuersus sit ab inferis.* Cap. 2.

¶ Item, *Maximum chaos firmatum est inter nos & vos.* Luc. 16. Ergo videtur, quòd Christus non descenderit ad infernum.

¶ Item dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso:* Luc. 23 sed hoc nõ dixit ratione deitatis, sed ratione animæ. Cùm ergo paradisus & infernus sint opposita loca, in triduo non fuit anima Christi in inferno.

¶ Sed contra Act. 2. dixit B. Petrus Christum soluisse dolores inferni, quibus non poterat detineri. Act. 2.

¶ Item Damasc. Descendit ad infernum anima deificata: vt quemadmodum his, qui in terra sunt, ortus est sol iustitiæ: ita his, qui sub terra sunt, & in tenebris, & vmbra mortis sedent, superluceseat.

RESOLVTIO.

Christus profectò ad infernum descendit: & ratione quadam ad vtrumq; infernum, inferius scil. & superius.

¶ Qvod concedendum est. Et respondendum ad obiecta, quòd infernus vno modo dicitur locus, & est nomẽ loci infimi deputati animabus damnationis: & hoc modo dicebantur sancti descendisse ad inferos, vel in infernum, & anima Christi. Alio modo dicitur actus, & maximè pęnalis, vt magis sit nomen pœnæ; quàm loci: & secundùm hoc dæmones existentes in isto aëre caliginoso, dicuntur esse in inferno, ratione pœnæ. Vnde Hieronymus: *Febricitans & si in lectis ponatur eburneis: feruorem tamen aut frigus multi laborũ nequit euitare: ita dæmones & si in templis vel idolis colantur aureis, seu quocunque modo per aërem vecti: igne tamen semper ardent gehennali.* Hieron. Isto ergo modo non potest aliquis reuerti ab inferis: nec Christus dicitur descendere ad infernum.

¶ Ad illud verò quod consequenter obiicitur de paradiso: similiter dicẽdum, quòd vno modo paradisus potest dicere nomen loci: alio modo nomen summi gaudij, & summæ delectationis, quæ est in Deo, & hoc vltimo modo accipiendum est, quod dixit Dominus latroni: *Hodie mecum eris in paradiso,* Luc. 23. secundùm quod dicit Augustinus: August. ad Dardan. *Si secundùm* (inquit) *hominem, quem Deus verbo suscepit, putamus dictum esse: Hodie mecum eris in paradiso: non ex his verbis æstimãdus erit in cœlo paradisus: non enim illa die futurus erat Christus homo in cœlo.* Et pòst: *Quis audeat dicere Dominum Iesum ad pœnales inferni partes venisse, nec fuisse apud eos qui in sinu Abrahæ requiescunt? Vbi fuit ipse, intelligendus est paradisus, quem latronis animæ polliceri dignatus est.* Idem. *Quod si ita est, generale nomen paradisi est, vbi feliciter viuitur.* Et pòst: *Vbicunque paradisus sit, quisq; bonorum ibi est cum illo, qui vbiq; est.* Idem.

Quæstio. ¶ Item Qværitvr, vtrùm Christus descendit ad infernum inferius. Et cùm limbus dicatur, vbi erant animæ sanctorum liberandorum; & hic erat infernus superior: infernus verò inferior erat locus suppliciorum, vbi erant animæ non liberandorum, sed perpetuò damnatorum; de quo inferno dicitur: In inferno nulla est redemptio, &c. Si ergo non descendit ad infernum nisi propter animas liberandas, ergo non descendit ad infernum inferius.

¶ Contra: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psalm. 85.

¶ Item, *Tu verò in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, &c* Zach. 9. Gloss. *Quia eos, qui tenebantur vincti in inferni carceribus, vbi eos nulla refrigerauerat misericordia; quam ille diues quærebat; tua liberasti misericordia.* Glossa. Sed constans est, quòd ille diues erat in inferno inferiori: relinquitur igitur, quòd Christus descendit ad infernum inferius.

¶ Respon. Inferius, vel inferior dicitur tripliciter: ratione meriti, ratione pœnæ, ratione loci. Ratione meriti, vt existentes in peccato mortali dicuntur esse in inferno: & dicuntur erui, quando illuminati ad pœnitentiam, conuertuntur ad dolendum de suis peccatis. Ratione pœnæ dicitur infernus inferior pœna æternæ damnationis, de qua non est liberatio. Ratione verò loci dicitur infernus inferior in respectu ad locum nostræ habitationis: vt propter miserias, quas * hic sustinemus, dicitur infernus. * al. ibi. Vnde Augustinus: *Est infernus inferior isto inferno, in quo sumus* August. in Psalm. 85.

in hac mortalitate corpus enim mortuum est propter peccatum: ergo & hic sunt mortui: vt non mireris, quòd infernus dicitur, quia mortuus abundat. Secundum ergo Augustinum, propter duo inferna, quorum alterum est superius, alterum inferius missus est Dei filius, vndique liberans: ad hoc nascendo, ad illud moriendo.

¶ Et secundum hoc patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM V.

An Christus in triduo totus in sepulchro, & vbique?

CONSEQVENTER quæritur de quiete Christi in sepulchro? Ad quod sic: Omne totum dicitur relatiuè ad partem. Si ergo totum fuit in sepulchro, ergo quælibet pars eius, quod falsum est. Relinquitur ergo, quod nó fuit totus in sepulchro, neque vbique.

August. ¶ ITEM, sicut dicit August. & probat Hugo de S. Vict. Deitas pars non fuit, vt ex ipsa totum fieret maius ipsa: nec in ipsa pars fuit, vt in ipsa aliquid esset minus ipsa: ergo ab ipsa deitate in Christo remouetur omnis ratio totius & partis: ergo & ab ipsa humanitate (non enim pars dicitur nisi respectu compartis) ergo humanitatis non est pars in Christo cum diuinitate, nó ergo potest totú dici in Christo, cùm omne totú dicatur respectu partis: nihil est ergo dicere, totus vbique est, seu totum.

¶ ITEM, obijcitur: qđ corpus Christi potest esse in pluribus locis, quia est in diuersis altaribus: sed qua ratione aptum est esse in duobus, ita in tribus, & quatuor, & sic deinceps: ergo si corpus Christi poterit esse vbique, multo fortiori ratione & anima: ergo si totum referatur ad humanam naturam, totum potest esse vbique.

Quæstio lateralis. Hugo. ¶ ITEM distinguit Hugo, quòd aliud est aliqua simul per vnionem ad vnitatem componi; aliud aliqua per vnitatem vnioni apponi. Quando enim aliqua per vnionem ad vnitatem componuntur, nomen totius partis communicare non possunt: verbi gratia, paries, tectum, & fundamentum, hæc tria quædam sunt; & nullum horum per se domus est. Quando verò aliqua alicui vnitatem suam ex se habenti per vnionem apponuntur, in participationem illius transeunt, cui apponuntur: & nomen illius pariter cum illo participare incipiunt, sicut per vnionem vnitatem illius participare inceperunt. Et ponit exemplum: corpus rationali spiritui vnitum, non dat illi, vt sit persona, sed coniunctum accipit ab illo, vt sit vna persona cum illo: sic humanitas iuncta verbo non quidem dedit illi, vt esset persona; sed vnita illi accepit personam cum illo. Ex hoc ergo arguitur: si humanitas accepit ex vnione vnitatem personæ: ergo cùm vnitas personæ sit vbique, accipiet esse vbique: ergo erit dicere, quod tota humana natura est vbique.

Magister 3. lib. sen. dist. 15. ¶ ITEM, dubitatur de hoc, quod dicit Magister, *quòd non maior erat persona, vbi alterum tantùm vnitum habebat, quā vbi erat neutrum habens vnitum.* Ex quo videtur implicare: quod alicubi erat neutrum habens.

¶ CONTRA, postquam naturam humanam assumpsit, nunquam deposuit: ergo nunquam fuit neutrum habens.

RESOLVTIO.

Si totum dicatur idem quod perfectum; sic Christus totus in sepulchro fuit in triduo, & vbique, sed non totum.

¶ RESPON. Totum vno modo dicitur idem, quod perfectum: & hoc modo totum non dicitur ad partem: Alio modo totum dicitur ex partibus constitutum. Primo modo dicitur totus fuisse Christus in triduo in inferno, & in sepulchro; & non totum: quia totus pertinet ad personam, quæ quidem perfectè erat vbique & plenè: totum verò pertinet ad naturam, quæ quidem secundùm humanam naturam nec erat vbique, nec etiam erat perfectè in sepulchro, nec perfectè in inferno, sed secundùm partem.

¶ ET per hoc patet responsio ad primum.

¶ AD secundum dicendum: quòd intentio partis remouetur ab humanitate per comparationem ipsius ad diuinitatem (non enim cum deitate venit in compositionem ipsius personæ Christi) non tamen ab ea removetur intentio totius & partis secundum quod accipitur secundùm se. Vnde Hugo: *In humanitate sola inuenientur partes, & totum in partibus: constat enim homo vt quoddam totum ex partibus, scilicet anima & carne: propterea igitur verbum totum hominem assumpsit, quia totum, quod erat hominis, assumpsit; scilicet corpus & animam: non autem totus homo in sepulchro iacuit, sed pars hominis.* Hugo de S. Victor

¶ AD tertium dicendum: quòd inter substantiam creatam separatam, & substantiam diuinam media est dignitate & excellentia naturæ natura vnita diuinæ substantię. Omnis autem substantia creata est circumscripta, & in vno solo loco: substantia verò diuina, quia incircumscripta vbique est: substantia verò vnita diuinæ virtute vnionis excellit omnem aliam; & habet esse in pluribus locis: sed quia in minus quàm diuina, ideo non est possibile, vt sit vbique. Non ergo sequitur, potest esse in hoc, & in illo, ergo in quolibet: quia non est consimilis ratio ad esse vbique. Præterea, solùm determinatur ei esse in pluribus ratione sacramenti: quamuis secundùm speciem difficillimum sit diffinire, an natum sit esse in vno loco tātùm, vel in pluribus.

¶ AD aliud dicendum: quòd cum dicitur, quòd humanitas accipit vnitatem personæ: intelligendum est, quia humanitas non habet aliam personalitatem; nisi quæ est personæ diuinæ: non tamen ipsa humanitas est ipsa persona: ideo non sequitur, quòd ab ea accipiat esse vbiq;.

¶ AD vltimū dicendum: quòd non intendit Magister negare vnionem humanæ naturæ cum diuina absolutè, sed respectu loci: quamuis.n. Deus sit semper; non tamen est semper hic cum Angelo, licèt sit semper cum Angelo: quoniam Angelus non est hic. Simpliciter Christus semper est habens humanam naturam, sed non semper est habens naturam in hoc loco, in quo non est natura humana: & hæc est intentio Magistri.

¶ AD pleniorem intelligentiam quæritur: quomodo descendere dicatur de Christo; cum dicitur descendisse ad inferos, vel descendisse de cœlo. Et primò quæritur? An descendere conueniat Christo secundùm diuinam naturam. Ad quòd sic: ascendere & descendere sunt actiones circumscriptæ substantiæ: Christus secundùm diuinam naturam est in circumscripta substantia: ergo non conuenit ei ascendere & descendere de cœlo ratione diuinæ substantiæ: ergo ratione humanę naturę: ergo verè & propriè filius hominis descendit de cœlo ratione conditionis humanæ naturæ. Quæstio.

¶ ITEM, filius Dei secundùm diuinam naturam est vbique: ergo non mutat locum: ergo non descendit.

¶ ITEM, obijcitur de hoc, quòd dicitur: *Nemo ascendit in cœlum: nisi qui de cœlo descendit, filius hominis.* Sed solus Christus descendit: ergo solus Christus ascendit in cœlum: ergo nos non ascendemus. Quæstio collateralis. Ioan. 3.

¶ RESP. Dicendum: quòd descensus in Christo intelligitur secundùm diuinam naturam in comparatione ad humanam: quemadmodum intelligitur missio, secundùm quod ait Aug. Dicit Euangelista: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*, &c. Deinde subiungit: *In propria venit*, &c. Illuc autem missus est, quò venit: illuc ergo missus est, vbi erat. Missus autem dicitur, inquantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est. Descensus ergo non aliud intelligitur, nisi apparitio sublimitatis verbi in humilitate humanitatis assumptæ. August. in libro de Trin. Ioan. 1.

¶ EA verò, quæ obiiciuntur primò, non procedunt in hac via: quia accipiūt ascensum vel descensum, secundùm quod sunt proprietates creaturæ. Et per hoc patet responsio ad duo, prima.

¶ AD vltimum verò dicendum: quod persona Christi aliquando accipitur cum præcisione, pro solo capite: quēadmodum dicitur: *Qui de sursum venit, super omnes est.* Aliquando verò pro toto corpore Ecclesiæ, seu pro capite, inquantum sunt ei membra vnita: videlicet omnes fideles existētes in charitate. Et hoc modo accipitur: *Nemo ascendit in cœlum,* Ioan. 3. Ioan. 6.

Auguft in lib. de baptifmo paruulorum. *in cœlum*, &c. Vnde Aug. *In vnitate eius omnes immutandi leuandiq; concurrunt: vt ille, qui descendit; fit ille, qui afcendit: non aliud fe deputans quam corpus noftrum: vt de ipfo & Ecclefia veriùs dicatur.* Erunt duo in carne vna. Non ergo fequitur, folus Chriftus afcendit, non ergo nos afcendemus: quia (ficut dicit Gloff. *Nemo afcendit*, &c.) *non afcendunt in cœlum, nifi fint membra cohærentia illi, qui eft vna perfona homo & Dei filius.* Sic ergo terminatur hæc pars ad laudem & gloriam Iefu Chrifti. Gen 2. Gloffa fuper Ioan. 3.

QVÆSTIO XX.

De refurrectione Chrifti.

In tria Membra, & vndecim Articulos diuifa.

D. Tho 3 par. q 53. & inde S. Bon. in 3. d. 19. Art. 1. q. 1.

POst inquifitionem paffionis & mortis dominicæ: inquirendum eft de refurrectione, & demonftratione refurrectionis.

¶ CIRCA refurrectionem verò quærendum erit. Primò de veritate refurrectionis. Secundò de caufalitate & effectu refurrectionis. Tertiò de tempore refurrectionis.

MEMBRVM I.

De veritate refurrectionis Chrifti.

CIRCA veritatem quæruntur duo: An fit, & quid fit: quæ patebunt, habita inquifitione de neceffitate refurrectionis, ex quo relinquitur, quia eft: & de modo refurrectionis, ex quo relinquitur quid eft.

ARTICVLVS I.

An Chrifti refurrectio neceffaria fuerit?

1. Cor. 15. AD primum igitur arguitur in hunc modum. *Si Chriftus non refurrexit, inanis eft fides noftra*, &c. Ex hoc videtur neceffarium, quòd Chriftus refurrexerit: quia neceffe eft fidem noftram effe veram.

Lucæ vlt Gloffa ibi. ¶ ITEM. *Quid turbati eftis*, ibi Gloff. *Si non eft veritas refurrectionis, perditus eft fructus paffionis.* Ergo refurrectio neceffaria eft ad noftram redemptionem.

Rom. 5. ¶ ITEM, *Nos faluati fumus ab ira per ipfum.* Sed faluatio ab ira eft terminus à quo fcil. à pœna: faluari in vita eft terminus ad quem fcil. ad vitam (Vnde Gloff. ibidem: *Vt iuftè viuamus: quia aliter viuere non poteramus.*) Si ergo per animam folùm defcendentem ad inferos Chriftus mortuus faluauit nos ab ira: ergo ad faluandum in vita exigitur, quòd fit viuus: ergo exigitur refurrectio eius: ergo neceffaria eft. Gloffa ibi.

Ioan. 5. August. ¶ AD oppofitum: *Audient, qui in monumentis funt*, &c. Auguft. *Per verbum Dei fit refurrectio animarum, per verbum carnem factum fit refurrectio corporum.* Iuxta hoc arguitur: Ad plenam reftitutionem non exigitur nifi refurrectio animæ & corporis: fed per incarnationem fit refurrectio & reftitutio huiufmodi: quia verbum caro factum eft. Io. 1. ergo ad plenam reftitutionem non eft neceffaria refurrectio Chrifti.

¶ ITEM ad idem. Plena reftitutio fit in remiffione culpæ & pœnæ. Si ergo per paffionem fit plena remiffio pœnæ & culpæ: ergo & plena reftitutio: quia iuftus Dominus reddet vnicuique, quòd meruit. Sed fancti meruerunt gloriam foluta pœna originali: ergo plenè per paffionem eft reftitutio. Quòd per paffionem fieret reftitutio, patet per illud: *Peccata noftra tulit in corpore fuo fuper lignum.* Et, *Cuius liuore fanati fumus.* Et per illud: *Delens chirographum decreti*. id eft, *diuinam fententiam*, &c. 1 Petri 2. Efa 53. Ad Coloff. 2.

Ioan. 19. ¶ ITEM, in paffione dicitur: Confummatum eft. Ergo fufficienter erat fatisfactum pro culpa Adæ. Sed fi Adam non peccaffet, transferretur ad gloriam: ergo & tam cito poft paffionem homo poterat transferri: ergo, &c.

¶ ITEM, paffio amouit rumphæam: ergo & obftaculum videndi Deum: ergo nec ad gloriam animarum neceffaria eft refurrectio.

):(

RESOLVTIO.

Chriftum refurrexiffe à mortuis omninò & pro viatoribus, & pro beatis neceffarium fuit.

¶ RESP. Dicendum: quòd neceffaria eft refurrectio Chrifti & viatoribus & beatis: licèt alio & alio modo. Viatoribus eft neceffaria tripliciter. Primò propter iuftificationem noftrã. Vnde: *Refurrexit propter iuftificationem noftram.* Secundò propter gratiam impetrandam, feu propter reconciliationem: vnde. *Vt appareat vultui Dei pro nobis*, fc. in corpore & anima, vt oret pro nobis. Vnde dicunt, quòd caufa meritoria eft quodammodo, vt Deus pater nobis mifereatur. Tertia ratio eft ex parte fufcipientis gratiam fc. propter difpofitionem ampliorem ad fufcipiendum gratiam: vnde tota humana natura ordinatur ad Chriftum: & eft in reuerentia etiam fanctis angelis, poftquam affumpta eft: quare poteft ipfa fufcipere maiorẽ gratiam, quam ante poffet: vnde in affumptione accepit huiufmodi difpofitionem: in paffione recepit maiorem difpofitionem: & in refurrectione ampliorem. Vnde generalis difpofitio amplior in natura humana ad gratiam eft ex natura eiufdem fpeciei, quæ refurrexit in Chrifto: quia magis ex hoc eft accepta Deo. Præterea, difpofitio perfonalis eft in credente: fecundùm quòd dicit Apoft. Quòd refurrexit propter iuftificationẽ noftram, mortuus eft propter delicta noftra (quòd dicitur propter fidem & amorem) Intelligendum eft ergo, quòd refurrectio iuftificat; fimiliter & paffio: fed paffio iuftificat in adultis folùm per fidem & amorem, id eft, vt credita & dilecta. (Hoc. n. exigitur ad hoc, vt effectus iuftificationis habeatur.) Vnde fufficiens eft caufa iuftificationis paffio: fed non efficiens, nifi credatur Deus paffus: ad quod maximè refurrectio operatur. Vel Gl. intelligitur: fi non eft veritas refurrectionis, q. d. fruftrabitur, quia non crederetur. Et fuper: *Quæ vtilitas in fanguine meo.* Gloff. *Si ftatim non refurgo, corruptumq; fuerit corpus meũ; nemini annunciabor; nullum lucrabor: & ita peribit confeffio fc. teftimonium deitatis.* Et ideo: *Quem Deus fufcitauit, folutis doloribus*, &c. Gloff. *Affertio refurrectionis huius teftimonium eft deitatis.* Sic igitur neceffaria eft refurrectio viatoribus. Rom. 4 Ad Hebræ. 9. Rom. 4 Pfal. 29. Gloffa. Actuum 2. Gloffa Bedæ.

¶ ITEM, beatis neceffaria eft refurrectio Chrifti dupliciter. Primò ad maiorem gloriam fpirituũ: & hoc eft commune animabus & angelis; quia glorificata humanitate Chrifti, eft duplex delectatio in Chrifto: vna in contemplatione diuinitatis, alia in contemplatione humanitatis: *in quam etiam angeli defiderant profpicere.* Et hoc de præfenti. Deinde ad refurrectionem corporum: fua. n. refurrectio erit caufa futuræ refurrectionis: & hoc in futuro. Vnde: *Ad vefperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Gl. *Dominus refurrexit mane, idem nobis promittens per fuam refurrectionem, quæ eft efficiens caufa refurrectionis noftræ & animæ & corporis.* 1. Petr. 1. Pfal. 29 Gloffa.

¶ AD illud verò, quòd obiicitur: per verbum carnem factum fit refurrectio corporum. Dicendum, quòd verum eft: fed hæc non eft proxima difpofitio: immò exiguntur aliæ fcil. per verbum paffum in carne, & refurgens, & veniens ad iudicium: iftæ funt difpofitiones proximæ noftræ refurrectionis.

¶ AD aliud, quòd obiicit: quòd plena eft remiffio culpæ & pœnæ per paffionem. Dicendum quòd plena eft quantùm ad fufficientiam: non tamen quantùm ad efficientiam. Vnde per paffionem non crederetur Deus (vt dictum eft) fed per refurrectionem creditur Deus: vnde affertio refurrectionis teftimonium eft deitatis. ficut dicit allegata Gloff. fuper illud: *Quæ vtilitas in fanguine meo*, &c. Pfal. 29.

¶ AD aliud, quòd obiicitur: Confummatũ eft. Dicendum, quod licèt fatisfactum effet pro culpa Adæ; & quò ad hoc confummatum: tamen requirebatur vlteriùs apertio ianuæ per efficientiam, quæ debuit fieri per afcenfum Chrifti in cœlum. Vnde in morte Chrifti non fuit omninò confummatio eorũm, quæ requirebantur ad plenam iuftorum beatificationem: quia ordinatum fuit, fiue Domini prouidentia difpofitum: vt in carne gloriofa introduceret animas in cœlum: & hoc exigitur ad habendam tantam gloriam, quantam debebant habere.

ARTICVLVS II.

An Christi resurrectio & à morte, & ab incineratione fuerit.

CONSEQVENTER quæritur de modo resurrectionis sc. an sit idem modus resurgendi in Christo, & in nobis? Nostra namq; resurrectio est à morte & ab incineratione: quæritur ergo an hoc modo sit in Christo, vel possibile sit sic fieri.

¶ AD quod Dam. [Dam. lib. 4.] *Resurrectio Domini est corporis facti incorrupti & animæ vnio.* Ergo in resurrectione Christi corpus transiit de corruptione ad incorruptionem: ergo corpus eius fuit corruptum corpus, secundùm quod dicit Apostolus [1. Cor. 15.] de corpore nostro. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c.*

¶ ITEM Greg. [Gregor.] *Mortem nostram moriendo destruxit.* Sed Christus non solùm debuit destruere mortem, id est, dissolutionem animæ & corporis: sed mortem, quæ attenditur in incorruptione, id est, in incineratione.

¶ ITEM, mortalitas respicit dissolutionem animæ & corporis: incineratio dissolutionem corporis, secundùm sententiam Domini. [Gen. 3.] *Terra es, &c.* Sed passio Christi soluit debitum mortis: ergo & debitum incinerationis soluere debuit incineratione sua: ergo debuit incinerari.

¶ ITEM, [Philip. 2.] *Humiliauit se vsq; ad mortem.* Quare ergo non vsq; ad incinerationem.

¶ ITEM, in corpore nostro est vitium originis: quia vitium est cum origine: item vitium est in vnione corporis & animæ. Sed propter vitium in coniunctione corporis & animæ inest nobis vitium mortalitatis, id est, separationis corporis & animæ: ergo & propter vitium originis inerit nobis incineratio. Si ergo Christus accepit pœnam, quæ consequitur ad vitium vnionis: ergo Christus similiter debuit accipere illam pœnam, quæ est propter vitium originis scil. incinerationem.

¶ ITEM, sicut dicitur ad Hebræ. 7. [Hebr. 7.] Leui decimatus est in Abraam, non tamen Christus: quia solùm descendit secundùm corpulentam substantiam, non tamen secũdùm inuisibilem rationem scilicet concupiscentiam originis, sicut Leui. Iuxta hoc videtur, quòd Christus, eò quòd descendit secundùm corpulentam substantiam, accepit mortalitatem: & quia non descendit secundùm seminalem rationem; ideo non accepit incinerationem, sicut alij homines. Si hoc ponatur, contra: corpus descendens ab Adam subiectum est contrarietati: quia est ex contrariis, quæ appetunt ire in regiones diuersas: sed ad tale corpus sequitur incineratio: ergo secundùm quòd ab Adam descendit secundùm corpulentam substantiam, corpus eius est incinerabile.

¶ ITEM, controuersia est inter animam & spiritum. [Ad Galat. 5.] *Caro concupiscit, &c.* Sed ista rebellio, quæ consequitur ad inuisibilem concupiscentiam, & in spiritu benè ordinato, facit concupiscere mortem. Vnde: [Rom. 7.] *Quis me liberabit, &c.* Ergo mortalitas sequitur ad inuisibilem rationem: ergo secundùm hoc nec Christus hanc debuit suscipere pœnam.

¶ ITEM: [Actuum 2.] *Lætatum est cor.* Gloss. [Glossa.] *In hoc creuit lætitia, quòd resurrectionem suam in exemplum nobis dabat.* Ergo resurrectio eius est in exemplum: ergo cùm nostra sit ab incineratione & morte, & sua debet esse.

¶ AD oppositum: [Psalm 15. Glossa.] *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Gloss. *Corpus meum sanctificatum, per quòd alia sanctificantur, non patiens corrumpi.*

¶ ITEM. Si virtus aliqua creata vnita corpori non patitur ipsum corrumpi scil. ipsa anima, dum vnitur corpori: ergo multò fortiùs virtus diuina vnita corpori, non pateretur ipsum corrumpi.

RESOLVTIO.

Modus resurgendi Christi vnicus ac singularis fuit: & longè aliàs, quàm modus resurgendi nostrùm.

¶ RESP. Ad differentiam resurrectionis suæ & nostræ videndum est, quòd dicit Damasc. [Damasc.] quòd quædam resurrectionis diffinitio est communissima, quæ est talis. Resurrectio est corporis & animæ iterata copulatio. Et ratio hæc conuenit suscitationi, sicut in Lazaro suscitato ad vitam mortalem.

¶ ITEM, quædam dicitur propria & est talis. [Ioan. 11.] *Resurrectio est eius, quòd cecidit, & dissolutum est, animalis secunda resurrectio.* Et appellat *casum* mortem, quæ consequitur ad peccatũ, nec stare potest cùm natura recta: hoc modo oẽs resurgemus. Dissolutionem dicit incinerationẽ, *secunda* ibi apponitur ad differentiam suscitatorum per miracula: illa enim dicitur prima, quia est resurrectio ad corpus corruptibile, & iterum casurum & moriturum. Item: quædam dicitur appropriata: quæ est talis. *Resurrectio est eius, quòd cecidit secunda surrectio:* & hæc potest conuenire B. Virgini, secundùm quòd piè creditur à quibusdam, quòd iam surrexerit. Nec ponitur ibi *dissolutum* quia nihil de corpore eius inuenitur: vnde non creditur incineratũ: sed ponitur *casus* qui refertur ad mortem. Alia est propria Domini scil. talis. Resurrectio est corporis facti incorrupti, id est, impassibilis iterata vnio. Nec ponitur ibi *casus* quia mors Christi non fuit casus oppositus naturæ rectæ.

¶ AD hoc ergo, quòd obiicitur: quòd prius fuit corruptum. Dicendum, secundùm: [Psalm. 15.] *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Gl. [Glossa.] *Vno modo dicitur corruptio passionis, vel passibilitatis; hæc conuenit corpori Christi: alia putrefactionis: hæc non conuenit ei.* Vnde Gloss. [Eadem.] *Corpus meum à te sanctificatum videre corruptionem, id est, putrefactionem.* Alibi dicitur: *pati corruptionem*, id est, *vulnerationem*, ibi. [Psal. 29.] *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

¶ AD aliud, qđ obiicitur: *Qui mortem nostrã, &c.* [Gregor.] Dicendum, qđ non conuenit Christo, quòd per incinerationem suam destrueret nostram. Nam corpus eius erat vnitũ deitati & animæ: mors autem est separatio corporis & animę: quia ergo Christus assumpsit corpus, in quo debebat fieri redemptio; ideo assumpsit mortalitatem. Sed ita non est de incineratione: quia vnio erat cum corpore & anima separabiliter; ideo secuta est mors, vel mortalitas: sed vnio carnis indissolubilis erat cum deitate, regente corpus, ne iret in dissolutionem. Vnde: *Assimilabor descendentibus in lacum.* [Psal 77.] Gloss. [Glossa.] *Si silueris, id est, cessabis à continentia; assimilabor descendentibus in lacum.* [Hieron.] *Ex eo enim quòd mihi semper verbũ vnitur: non sum talis, quales cæteri homines, qui nascuntur in profunda miseria sæculi (Verbum est hominis Christi ad deitatem) miseria magna est mortalitas: sed profunda incineratio & corruptio.*

¶ AD aliud, quòd obiicitur: quòd mors est solutio mortis: ergo incineratio incinerationis. Dicendum: quod non sequitur, immò sufficit mors ad solutionem mortis, & incinerationis. Vnde, [Iob 6.] *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* Et appellat peccata sua, peccata humani generis: pro quibus satisfecit: & si ista penderentur, præponderat passio Christi ad sufficientiam pro mille mundis. Vnde quia Christus viuit vita Dei: & eadem est Christi vita & Dei: sicut dicit Anselm. [Anselm.] ideo mors eius præponderat.

¶ AD aliud, qđ obiicitur: qđ humiliauit se ad mortem: ergo debuit se humiliare ad incinerationem. Dicendum, ꝙ non debuit: quia sic humiliaretur vsq; ad profundam miseriam: quòd non decuit ipsum. Vnde nec ipsa passione accepit illam profundam miseriam, quæ est in perturbatione rationis, quæ est vltimus effectus passionis ex parte animæ. Vnde non absorpta est sua ratio mortis dolore: licèt fuerit separatio corporis & animæ. Eodem modo dicendum: quòd non decuit, quod descenderet vsq; ad vltimum effectum post mortem scil. incinerationem ex parte corporis.

¶ AD aliud, qđ obiicitur: ꝙ accepit mortem, quę consequitur ad vitiũ coniunctionis sc. corporis & animæ: ergo, &c. Dicendum secundùm Aug. [August.] ꝙ debuit accipere ꝙ conueniret ad nostram redemptionẽ: & suam non dedeceret dignitatem. Incineratio autem suam dedeceret dignitatem, quia sequitur vitium originis: qđ non accepit Christus. Vnde: [1. Cor. 15.] *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cœlestis.* Vnde Gl. [Glossa.] dicit, quòd fuit à principio cœlesti. Vnde (sicut dictum est) sicut non habuit vltimum effectum passionis ex parte animæ (sicut patet, cùm dixit Centurio. [Matt. 27.] *Verè filius Dei erat iste*: vnde anima non mouebat organum corporis: nec impediebatur vis motiua sicut in nobis) ita nec, ex parte corporis incinerationem.

¶ AD

¶ Ad illud, quòd obiicitur: quòd ad esse de Adam secundùm corpulentam substantiam sequitur incineratio. Dicendum, quòd non est: sed incineratio sequitur vitium originis: vnde si Adam non peccasset, nec filij eius non haberent vitium originis: nec expoliaremur, sed superuestiremur, secundùm illud: 1. Cor. 5.

1. Cor. 15

¶ Ad illud, quòd obiicitur: quòd mortalitas sequitur ad inuisibilem rationem; propter quod nec Christus debuit hanc suscipere. Dicendum, quòd non sequitur: qui enim venit in carnem, vt hominem redimeret: debuit accipere, quæ conuenirent ad hominis redemptionem. Vnde licèt non debuerit ad mortem obligari vt ad sequelam inuisibilis rationis: conueniens tamen fuit, vt illam dispensatiuè acciperet, inquantum conueniebat nostræ redemptioni.

¶ Ad aliud, quòd obiicitur: quòd resurrectio Christi est nobis exemplar. Dicendum, quòd similiter est nostræ exemplar, quantùm ad terminum ad quem, scil. ad immortalitatem: sed non similiter quantum ad terminum à quo, scil. ab incineratione: est enim exemplar nostræ immortalitatis & incorruptionis: non corruptionis seu incinerationis.

MEMBRVM II.

De causalitate & effectu resurrectionis.

Consequenter quæritur de causalitate & effectu resurrectionis. Et primò quæritur? In quo genere causæ dicenda sit causalitas resurrectionis. Secundò, an sit causa iustificationis animarum, & qualiter. Tertiò, an sit causa resurrectionis corporum. Quartò de modo causandi, vtrùm causa remota ab effectu, vel coniuncta. Quintò, vtrùm necessaria, vel contingens. Sextò de differentia causalitatis per passionem & resurrectionem.

ARTICVLVS I.

An aliquo causarum genere, & quo, Christi resurrectio causa sit resurrectionis nostræ?

Ad primum scil. in quo genere sit. Quæritur primò, an in genere causæ meritoriæ, vel efficientis, vel materialis. Et obiicitur sic ad primum: Mereri non conuenit Christo secundùm quòd Deus, sed secundùm quod homo. Si ergo mereri non est post mortem: ergo nec resurrectio est causa meritoria, cùm sit post mortem.

¶ Item, status merendi pertinet ad statum viatoris & seruientis: cuius status terminus est beatitudo. Si ergo Christus resurgens non est in statu merendi; quia est ad finem, seu ad terminum: ergo, &c.

Phil. 2.

¶ Item, *Propter quòd Deus exaltauit illum*, &c. hoc pertinet ad præmium, non ad meritum. Sed resurrectio pertinet ad exaltationem: ergo si exaltatio ordinatur ad præmium, non ad meritum; & resurrectio: ergo resurrectio non pertinet ad meritum.

¶ Item, charitas est radix meriti: & secundùm quantitatem charitatis est quantitas meriti. Si ergo tanta charitas fuit in Christo ab instanti conceptionis, quanta post: ergo tantùm meruit ab illo instanti, quantum post: ergo, &c.

¶ Contra. Non est inconueniens ponere in Angelis statum merendi & beatitudinis, similiter nec in Christo ante mortem: ergo in Christo post mortem similiter non erit inconueniens ponere meritum & beatitudinem.

¶ Item, Christus anticipauit tempus merendi: quia ab instanti suæ conceptionis meruit; quòd non fuit secundùm legem communem; ergo similiter non erit inconueniens ponere meritum in Christo post mortem.

Quæstio lateralis.

¶ Consequenter quæritur: vtrùm sit resurrectio eius causa efficiens. Ad quod sic: quod resurrectio Christi iustificet, patet per Gloss. *Vtraq; iustificans; mors & resurrectio*: super illud. *Resurrexit propter iustificationem*. Sed iustificatio est iustum facere.

Glossa super Rom. 4.

1. Cor. 15.

¶ Item, Gloss. ibidem. Vt iustè viuamus, quòd aliter non poteramus. Ergo est causa efficiens.

Gloss. Psal. 29.

¶ Item: *Si Christus prædicatur*. Gloss. *Qui est causa efficiens nostræ resurrectionis.*

¶ Item, *Ad vesperam demorabitur*, &c. Gloss. Resurrectio Christi causa est nostræ resurrectionis, animæ in præsenti, & corporis in futuro.

¶ Contra. Nihil ignobilius in natura potest agere in nobilius. Sed omne corpus ignobilius est, quantùmcunque sit nobile, anima: ergo qualibet passio corporis ignobilior est qualibet passione animæ: ergo resurrectio Christi non potest esse causa iustificationis animæ efficiens.

¶ Item, quòd non sit causa resurrectionis, videtur sic. Maius est esse perfectum, quam factum: sed nulla creatura potest esse creatio corporum: ergo nec reparatio.

¶ Postea quæritur, an sit in genere causæ materialis. Ad quod sic: Resurrectio non habet effectum nisi inquantum credita. Sed non dicitur causa nisi respectu effectus: sed secundùm quòd creditur, est materia fidei: ergo est causa materialis. Quæstio lateralis.

¶ Contra. Si dicatur, quòd sit solùm causa in genere causæ materialis: ergo non est causa resurrectionis malorum: quia fides non est in ipsis malis: & aliter non efficit resurrectionem: ergo non est causa materialis resurrectionis eorum. Quod autem non sit ita, patet per Gloss. *Dabit voci suæ vocem*, &c. Gloss. *Efficaciam suscitandi omnes mortuos.* Psal. 67. Glossa super ibi.

RESOLVTIO.

Omni profectò causarum genere, etiam meritoriè, quamuis impropriè.

¶ Resp. Dicendum, quod resurrectio est in genere causæ meritoriæ, sed non propriè: & in genere causæ efficientis propriè, & in genere causæ materialis inquantum credita; in genere causæ finalis inquantū amata: & in genere causæ formalis vel exemplaris inquantū considerata. In genere ergo causæ meritoriæ est impropriè: nam meritum non est in beatitudine completa, cùm sit seruitium: nec est instantia in Angelis: sed est in genere causæ per modum interpellationis: vnde, *Interpellat pro nobis*. Et de sanctis oramus, vt adiuuent nos eorum merita. Rom. 8.

¶ Quod obiicitur: quod non esset inconueniens in Christo meritum post mortem. Dicendum, quod falsum est: immò inconueniens esset, propriè sumendo meritum: quia hoc esset ponere viatorem quodammodo. Vnde, *Stetit in littore*, &c. Gloss. *Dicitur de sanctis, in littore erunt, cùm in fine cùm Christo resurrexerint*. Esset ergo hoc inconueniens: quia hoc esset ponere ipsum non in statu quiescentis, quod significatur per littus. Ioan. 21. Glossa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quòd anticipauit tempus merendi, &c. Dicendum, quòd non fuit conueniens quod mereretur post mortem; nec suæ dignitati, nec suæ redemptioni conueniret. Vnde in passione totum meritum eius est consummatum.

¶ Ad aliud, quòd quæritur? an sit causa efficiens? Dicendum quòd sic, secundùm Gloss. & secundùm Sanctos. Dicendum ergo, quòd est in genere causæ efficientis scilicet per modum operantis ipse Christus resurgens. Vnde, *Venit hora, & nunc est*, &c. Gloss. *Per verbum filij Dei fit resurrectio animarum: per verbum factum carnem fit corporum resurrectio*. Causa autem resurrectionis prima est ipse Deus: causa media ipsa humanitas verbi, seu verbum humanatum: causa proxima est ipsa humanitas verbi apparens gloriosa in iudicio. Ioan. 6. Glossa.

¶ Quod obiicitur, quod æquale fuit meritū ab instanti conceptionis, &c. Dicendum, quòd possumus loqui de merito dupliciter: quantū ad formam merendi, seu quantum ad vim merendi: & sic verùm est, quòd tantùm meruit á conceptione, quantùm post. Vel possumus etiam loqui de meritò quantùm ad numerum meritorium, siue quantum ad effectum meriti: & sic non tantùm meruit, quantùm post. Et est exemplum in igne, cuius tota vis comburendi est in igne: tamen maior est combustio, cùm plura accenduntur ligna. Ita dicendum, quòd tota vis meriti est in charitate; tamen plures sunt effectus in pluribus effectibus vel operibus charitatis: vel maius est meritum in pluribus effectibus charitatis.

¶ Ad

¶ Ad alıud, quod obiicitur: quod aliter viuere non poteramus scil. iustè, nisi per resurrectionem. Dicendum quod hoc intelligendum est, prout *iustè* dicit modum iustitiæ, seu iustificationis completæ seu perfectæ. Et est responsio ex illa Gloss. *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Gloss. *Noua vita à iustificatione incipit, & in gloria consummatur.* Vnde est iustificatio perfecta, cum homo pertingit ad perfectionem iustitiæ: & abolita est pœna inclinans ad culpam, & ipsa culpa. Resurrectio autem ordinatur ad perfectionem iustitiæ: & perfectio iustitiæ est in omnimoda abolitione pœnæ: quæ est etiam incineratio: quod non fiet nisi per resurrectionem.

Rom. 4. Glossa super ibi.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nihil ignobilius altero potest agere in nobilius, &c. Si ergo corpus quantumcunq; dignum non potest dignius esse anima: nec passio corporis poterit esse causa iustificationis animæ. Dicendum secundum illud: *Caro non prodest quicquam.* Vnde nihil prodest, quia caro: sed quia caro vnita verbo: sicut patet in sacramento altaris, de quo ibi dicitur: *Qui non manducat carnem*, &c. Passio enim corporis, & resurrectio vt est simpliciter corporis, non est causa passionis animæ, id est, iustificationis: sed corporis vniti verbo.

Ioan. 6. Ibidem.

¶ Et ex hoc patet responsio ad illud, quod obiicitur: quod nulla creatura potest esse creatio corporum: vnde nec reparatio: quia creatura non est corporum reparatio, vt est creatura absolutè: sed vt est vnita creatori.

¶ Ad aliud, quod quæritur: an sit in genere causæ materialis: quia non iustificat nisi inquantum credita, quod non conuenit malis. Dicendum, quod est causa resurrectionis cum immutatione gloriosa. *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur:* & hoc in bonis inquantum credita & amata. Et est causa resurrectionis non cum immutatione: & hoc in peccatoribus. Primò modo est in genere causæ materialis in bonis: secundo modo in genere causæ efficientis in omnibus. Sic ergo respondendum, cum quæritur de causalitate resurrectionis ipsius Christi.

1. Cor. 15.

ARTICVLVS II.

An resurrectio Christi causa sit iustificationis animarum?

Consequenter quæritur? An resurrectio Christi sit causa iustificationis animarum, & quomodo? Et quæritur, vtrùm sit in genere causæ efficientis.

¶ Ad quod sic: *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Gloss. *Vtraque, mors Christi, & resurrectio iustificant.*

Rom. 4. Glossa.

¶ Item, *Ad agnoscendum virtutem resurrectionis eius.* Gloss. *Ex resurrectione eius iustificamur.*

Philip. 3 Glossa.

¶ Contra, resurrectio Christi ordinatur ad futuram gloriam: iustificatio ad præsentem gratiam: ergo nulla est causalitas resurrectionis respectu iustificationis.

¶ Item, sicut se habet passio ad iustificationem: sic resurrectio ad nostram resurrectionem: ergo iustificatio est per passionem: ergo non per resurrectionem.

¶ Item, *Iustificati per fidem in sanguine*, id est, per fidem passionis. Quare ergo magis attribuit Apostolus iustificationem resurrectioni, quam passioni? cùm dixit, resurrexit propter iustificationem, &c.

Rom. 4.

¶ Item, ad hoc quod aliqua causa agat in subiecto, oportet quod attingat illud: si resurrectio non attingit, quæritur, qualiter iustificat?

RESOLVTIO.

Christi resurrectio & vt in re consideratur, & vt in anima, nostrarum causa est iustificationis animarum.

¶ Ad hoc dicendum: quod resurrectio Christi potest dupliciter considerari: vt est in re: vel vt est in anima per considerationem; sicut tactum est superiùs in Quæst. de Passione. Secundum quod consideratur in re: sic se habet duobus modis ad nostram iustificationẽ scilicet per modum dispositionis, & per modum exemplaris. Per modum dispositionis, quia tota humana natura ordinatur ad humanam naturam in Christo: vnde cum vnitur in Christo deitas, tota sublimatur, ita vt sit in tota participatione deitatis. Hinc est, quod habetur in reuerentia à sanctis Angelis: vt dicitur Apocal. 19. Et hoc patet, quia Diabolus, qui ante incarnationem adorabatur ab homine; iam non adoratur, etiam à barbaris nationibus. Disponitur ergo magis ac magis per incarnationem & passionem, & etiam per resurrectionem ad maiorem gratiam: vnde, *Respice in faciem Christi tui.* Gloss. *Fac Christum innotescere omnibus, vt possimus ire de virtute in virtutem.* Item se habet per modum exemplaris ad nostram: secundum quod dicitur, *Quemadmodum Christus resurrexit: ita nos in nouitate ambulemus.* Isto modo se habet ad iustificationem nostram præsentem. Duplex enim est iustificatio: (namq; iustificatio est rectitudo à curuitate in rectitudinem) iustificatio in præsenti est à curuitate culpæ ad rectitudinem gratiæ: futura verò iustificatio erit à curuitate miseriæ ad omnimodam rectitudinem: & sic iustificationis futuræ est exemplar, seu causa exemplaris. Sic igitur se habet secundum quod consideratur in re. Secundum autem quod consideratur in anima vt credita & amata, iustificat (sicut dictum est) & in gloria consummatur.

Quæst. 18.

Apoc. 19. Psal. 83. Glossa. Rom. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod magis attribuitur iustificatio passioni. Dicendum quòd non sequitur: quia plena iustificatio ab omnimoda miseria non erit nisi in beatitudine, quæ iustificatio incipit in præsenti, & in beatitudine consummatur: secundùm qd' dicit Gloss. *Noua vita in iustificatione incipit*, &c.

Glossa super Rom. 4.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod vtraq; iustificant. Dicendum, quod verum est, inquantum creduntur & amantur: sed hoc est disponendo: resurrectio enim credita & amata disponit ad iustificationem. Resurrectio itaq; signum est & causa iustificationis: passio solùm causa est, secundum quod dicit Gloss. Bedæ: & ideo magis attribuitur iustificatio resurrectioni, quam passioni: quia signum & causa est & complementum.

ARTICVLVS III.

An Christi resurrectio causa sit resurrectionis corporum, ne dum bonorum, sed & malorum etiam?

Consequenter quæritur? An sit causa resurrectionis corporum. Et primò quæritur, an sit bonorum & malorum, an bonorum tantùm. Ad primum sic: *Dabit voci suæ vocem*, &c. Gloss. *suscitandi generaliter omnes mortuos*, &c.

Psal. 67. Glossa.

¶ Item, *Venit hora, & nunc est*, &c. Gloss. *Per verbum carnem factum fiet corporum resurrectio in futuro.*

Ioan. 5. Glossa.

¶ Item, ibidem: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei*, &c.

Ibidem.

¶ Contra: sicut se habet passio secundùm causalitatem ad redemptionem: sic resurrectio ad resurrectionem. Si ergo passio non habet effectum nisi in bonis; quia non iustificat nisi bonos: ergo nec resurrectio erit causa nisi resurrectionis bonorum.

¶ Item, quicquid fecit, fecit propter iustificationem nostram, & propter remissionem peccatorum: vnde, *Mortuus est propter delicta*, &c. Ergo resurrectio non habebit effectum nisi in bonis, qui habent remissionem peccatorum.

Rom. 4.

¶ Si dicatur: quod generalior est causalitas resurrectionis, quam passionis. Quæritur ergo, quare causalitas resurrectionis sit generalior, & attingat bonos & malos: plusquam causalitas passionis.

RESOLVTIO.

Et bonorum, & malorum corporum Christi resurrectio causa est resurrectionis: illorum cum immutatione, horum sine immutatione.

¶ Ad quod dicendum: qd' resurrectio Christi est causa resurrectionis bonorum & malorum: sed differenter: quia bonorum cum immutatione, malorum non cum immutatione. Ideo, *Fundamentum resurrectionis mortuorum.* Gloss. *Nisi aliquis credat, quòd resurrectio Christi efficit nostram; non habet super quòd fundamentum edificet.*

Hebr. 6. Glossa.

¶ Ad primum obiectum dicendum: qd' vno modo sc. loquendo de resurrectione gloriosa, sic se habet resurrectio ad resurrectionem: sicut passio ad redemptionem, vel iustificationẽ. Si autem loquamur de resurrectione communi-

munirer, non licet habe[...]. Et ratio huius est: quia Christus resurgens causa est gloriosæ resurrectionis: non tamen producitur effectus, nisi cum apparebit iudex viuorum & mortuorum: quia authoritas iudicandi data esset cum gloriosa resurrectione: secundum quod dicit Gloss. ibi. Psal. 9. *Parauit in iudicio thronum* scil. qui iudicatus fuit, datum est iudicium ei. Ideo etiam dicitur Philip. 2. Philip. 2. quod propter passionem dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et hoc etiam dicitur: Matth. vlt. Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas*, &c. Et hæc est super bonos & malos: & ita cum venerit iudex, omnes oportet resurgere.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet Christus fecerit, propter iustificationem nostram: non tamen sequitur, quod resurrectio sua non habebit effectum nisi in iustificatis. Licet enim quæ fecit Christus, ordinata fuerint ad hominis iustificationem: nihilominus, quia humiliauit se ad sustinendum dura & indecentia; data fuit illi sublimatio quantum ad potestatem exercendi iudicium quantum ad bonos & malos: vt patet ex prætactis. Vnde causalitas resurrectionis fuit generalior causalitate passionis. Vnde cum venerit ad iudicandum, omnes resurgent.

ARTICVLVS IV.

An Christi resurrectio resurrectionis nostræ causa coniuncta, vel remota sit?

CONSEQVENTER quæritur de modo: an se habeat vt causa coniuncta; vel vt remota ad nostram resurrectionem, id est, si resurrectio efficiat modò in sanctis resurrectionem corporum? Ad quod Amb. Ambros. *Gaudium patrisfamilias sed bonum fuit lætitia comitatur; vt quem subsecuti sunt similitudine passionis, comitentur gloria resurrectionis*: secundum quod dicitur. 2. Cor. 1. *Si socij fuerimus passionum*, &c. Ergo videtur quod resurrectio eius sit causa coniuncta.

¶ Idem Ambr. Ambr. in quodam sermone Pasch. Matth. 27. *Multa corpora sanctorum resurrexerunt. Legimus in prima resurrectionis festiuitate sanctorum corpora suscitata fuisse: cur non quotiens festiuitas resurrectionis eius celebratur, totiens resurgere credamus & sanctos?*

¶ Item Hieron. Hieron. in sermone de assumptione. *Veri testes non essent, nisi vera esset eorum resurrectio.*

¶ Item secundum illud: Actuum 2. *Sepulchrum illius apud nos est*, &c. Hieron. Hier. in quodam sermone. *Non fuit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud nos est: sed sepulchrum eius*, &c.

¶ Similiter quæritur de gloriosa virgine, an resurrexerit? Ad quod respondeo: quia Deo nihil est impossibile, nec nos factum de B. Virgine abnuimus.

¶ Contra. Psal. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus*, &c. Gloss. Glossa. *fletus est miseria originalis culpæ, quæ demorabitur vsque ad diem Domini, quo resurrectio nostra futura est.* Ergo non sumus resurrecturi vsque ad diem Domini.

¶ Item, Iob 14. *Non euigilet homo, donec atteratur cœlum, id est, donec innouetur.* Gloss. Glossa. *Non negat resurgere: sed donec atteretur cælum.* Ergo, &c.

¶ Item, Actuum 2. *Quem Deus suscitauit.* Gloss. Glossa. *Non communi resurrectione, quæ in finem differetur: sed quæ tertia die celebraretur.*

¶ Item, idem patet ad sensum: cum sint apud nos corpora sanctorum.

RESOLVTIO.

Remota: quidquid sit de B. Virgine, & aliis paucis.

¶ Resp. August. ad Paulinum. Dicendum secundum Aug. Alij sunt humani limites rerum, alij diuinarum signa virtutum: alia, quæ naturaliter: alia, quæ mirabiliter fiunt. Dicendum ergo, quod secundum cursum naturæ non debet esse resurrectio ante innouationem mundi. Per passionem igitur Christi fuit meritum & nostræ iustificationis, & nostræ resurrectionis, & gloriæ quò ad corpus, & quò ad animam: vnde per sufficientiam restituetur homo per illam in pristinam dignitatem. Sed adhuc non erat effectus productus, quia duplex erat adhuc [...] sc. animarum in limbo, & corporum incineratione. ad soluendam tentionem animarum apparuit verbum in anima apud inferos: similiter ad soluendū tentionem corporum oportet, quod verbum cum anima & corpore appareat vniuersaliter: quod fiet post innouationem. Primus effectus sc. liberationis animarum factus est statim post passionem: reliquus fiet post innouationem mundi, vt dictum est: proportionalia. n. sunt locus & locatum, ideo ad gloriam corporum exigitur innouatio locorum. Secundum ergo limites rerum non debet esse resurrectio corporum, nisi cum apparebit in iudicio, innouato mundo: innouatio autem non debet esse, nisi completa mortali generatione. Sed secundum diuina signa virtutū non est negandum, quin aliquorum resurrectio sit, secundum Hieron. qui non ausus est negare resurrectionem B. Virginis. Hieron.

¶ Dicendum ad illud Amb. *quòd gaudium patrisfamilias*, &c. quod est resurrectio in merito, & in re: vnde Amb. Ambros. *Est planè societas: quia si non resurrexerunt corpore, resurrexerunt tamen mente.* Vnde Amb. intelligit de merito, non de re.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de resurrectione corporum sanctorum. Hieron. Dicendum secundum Hier. propter cautelam (salua fide) pio magis desiderio dubitare oportet, quam temere diffinire, quæ sine periculo sciri non possunt. Vel potest dici: quod vera fuit eorum resurrectio sc. in corpore vero non phantastico, & anima: sed completo eo, propter quod resuscitati fuerunt, redacti sunt in puluerem: vt vult Aug. August. de mirabilibus sacræ scripturæ. *Vnde dicit, corpora sanctorum de monumentis venientia in monumenta se retraxerunt, vbi vltimam resurrectionem expectant.*

ARTICVLVS V.

An resurrectio Christi resurrectionis nostræ necessaria, vel contingens causa sit.

CONSEQVENTER quæritur: an sit causa necessaria, vel cōtingens. Ad quod sic: 1. Cor. 15. *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.* Si cōsequentia est necessaria à causa ad effectum: ergo resurrectio Christi causa est necessaria.

¶ Contra, si necessaria causa est: ergo circūscripta illa, non erit ponere nostram. Quòd aūt circumscripta illa, sit resurrectio nostra; patet: quia circumscripta redemptione & resurrectione: necesse est esse diuinam iustitiam: & ita oportet reddere vnicuiq; quod meruit: & ita necessaria est resurrectio, vt fiat retributio in anima & corpore.

¶ Item, alius modus fuit Deo possibilis: ergo resurrectio est causa contingens.

RESOLVTIO.

Necessaria: at non necessitate per se, sed necessitate per accidens.

¶ Resp. Dicendum, quod est necessarium per se, & per accidens. Primū est, quod non potuit, nec potest, nec poterit aliter se habere. Per accidens est, quod non potest aliter se habere, sed potuit: talis est resurrectio. Vel aliter: est necessitas secundum causam superiorē, & inferiorem: sicut & veritas. Item secundum causam superiorē dupliciter: est necessitas præscientiæ: & est necessitas iustitiæ. Necessitate præscientiæ necessaria erat resurrectio Christi, etiam ab initio; quia ita ab æterno erat præordinatum: non tamen necessaria necessitate iustitiæ; immò post lapsum solum necessaria fuit necessitate iustitiæ: & nostra similiter, circumscripta redemptione, necessaria erat resurrectio secundum hunc modum vltimum. Item secundum causam inferiorem similiter distinguendum: quia aut se habet ad semper producendum effectum, id est, coniuncta effectui; & sic non est causa necessaria. Vel se habet ad producendū effectum suum indeterminato tempore, vt motus cœli in tali situ est causa eclipsis: sic resurrectio Christi ordinata in iudicio, est necessaria nostræ resurrectionis causa. Et hoc dicit Gl. super illud: *Dabit voci suæ*, &c. Glossa super Psal. 67.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS VI.

An Christi passio, vel eius resurrectio resurrectionis nostræ verè causa sit.

CONSEQVENTER quæritur de differentia passionis & resurrectionis in causando. Ad quod sic: Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum.* Gloss. Glossa. *id est, maius est donum Christi, quam peccatum Adæ.* Si ergo peccatum Adæ introduxit peccatum in anima & pœnam: ergo donum mortis Christi fuit sufficiens causa pro his omnibus delendis: ergo resurrectio non est causa.

¶ Item,

¶ ITEM, saluatorem expectamus ea potestate, qua potest sibi subiicere omnia. Phil. 3. Sed hæc potestas data est illi per passionem. Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Ergo totum referendum est ad passionem.

RESOLVTIO.

Vtraque: illa per modum meriti, hæc per modum efficientiæ.

¶ RESPON. Passio Christi fuit vt causa meritoria nostræ resurrectionis & felicitatis. Sed descensus ad inferos, & resurrectio fuit secundùm efficientiam. Vnde Gloss. Glossa super Rom. 5. *Saluati sumus ab ira per passionem & reconciliati patri: nondum tamen restituti per effectum felicitati*. Sed est felicitas essentialis: & hæc erit in Deo: & est felicitas accidentalis, quæ est ex consortio, vel loco. Verbum ergo descendens liberauit sanctos à loco doloris: secundum quod dicit Gloss. Glossa. Actuum 2. Act. 2. Solutis doloribus inferni: vnde restituit secundum effectum felicitatem, quæ in Deo est, per descensum ad inferos. Sed alia est felicitas in contemplatione humanitatis: & hanc habuerunt per resurrectionem: & hæc iterum est felicitas accidentalis. Sed in ascensione addita est felicitas accidentalis, quæ est ex consortio angelorum & pulchritudine loci scil. cœli empyrei. Vlterius addet aduentus ad iudicium: quia tunc erit plena restitutio felicitatis scil. in animabus & corporibus: & sic sunt differentes causalitates secundùm effectum. Et sic patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM III.

De tempore resurrectionis Christi.

CONSEQVENTER quæritur de tempore resurrectionis Christi. Et quæritur primò de acceleratione resurrectionis. Secundò de dilatione resurrectionis vsq; ad tertium diem. Tertiò de determinatione resurrectionis quantùm ad diem & horam.

ARTICVLVS I.

An Christi resurrectio vsque ad generalem omnium resurrectionem differri debuit.

Hebræ 2. AD primum sic obiicitur: *Debuit per omnia fratribus assimilari*. Ergo debuit eis similari in natura & gratia, & similiter in gloria. Non videtur ergo, quod debuerit gloriam suscepisse, nisi cum fratribus: ergo nec ante fratres resurgere.

¶ ITEM, sic se habet Christus ad Ecclesiam, sicut caput ad corpus. Sed inconueniens est caput esse dissimile corpori in natura (vnde monstrum est. sicut statua illa Dan. 2. similiter est inconueniens quod sit dissimile in gratia: ergo eadem ratione videtur inconueniens; quod sit dissimile in gloria. Sed si ponatur resurrectio Christi ante generalem; ponitur dissimile caput & corpus: ergo, &c.

¶ ITEM, proportionaliter se habent gratia & gloria. Si ergo non præcessit gratia secundùm rem in capite: ergo non debet præcedere gloria. Quod autem non præcesserit secundùm rem gratia; patet, quia gratia fuit in antiquis patribus, qui erant eius membra. Si ergo secundùm rem & ordinem non præcessit in capite gratia: ergo non debet præcedere gloria.

Leuit. 19 ¶ ITEM, *Non morabitur opus mercenarij apud te*, &c. hæc est Lex diuina: non debet merces mercenarij detineri. Si ergo sancti meruerunt gloriam animæ, & corporis; completa redemptione per Christum: ergo non debent detineri, quin habeant mercedem suam: ergo debuerunt resurgere cum Christo? vel quare retinetur merces eorum?

Rom. 6. ¶ ITEM, *stipendium peccati mors est*: Sed peccatum originale commune est omnibus; quia simul omnes vniuersaliter, peccauerunt. Sed per Christum fit destructio mortis, quæ fuit per peccatum Adæ: ergo in resurrectione Christi debent omnes resurgere.

RESOLVTIO.

Neutiquam, & quo ad eius præstantem conditionem, & quo ad nostram informationem.

¶ RESP. Dicendum, cum quæritur de acceleratione resurrectionis Christi, an conueniens fuit eam differri. Dicendum, quod non fuit conueniens, nec quantum ad ipsum, nec quantum ad nos. Quantum ad ipsum, quia non est similis sua conditio nostræ conditioni quia sua est à principio cœlesti. *Secundus homo de cœlo cœlestis*. Gloss. 1. Cor. 15. Glossa. *Quia non humano ritu, sed nutu diuino conceptus est, & natus*. Nostra verò conditio de principio terreno est: vnde ibidem. *Qualis terrenus, tales & terreni*. Item, quia est primus Ibidem. & maximus in dignitate, dignum est vt priùs resurgat in gloria. Item quantùm ad nos non fuit conueniens, quod differretur resurrectio eius; immò necessarium erat, quod resurgeret quò ad nos: ad faciendum fidem in nobis: quia nisi cito resurgeret, quasi nullus deinceps ipsum crederet esse Deum. Item necessarium fuit, quod cito resurgeret, vt daretur nobis forma & exemplar nostræ resurrectionis: non enim possemus ita allici ad amorem beatitudinis, nisi exemplar nostræ resurrectionis videremus. Vnde: *Primitiæ Christus*: ecce dignitas in Christo, per quam oportet resurgere. Vnde Gloss. 1. Cor. 15. Glossa. *Primus tempore, maximus dignitate: qui prior resurrexit, vt fidem faceret, & formam daret credentibus*, &c. Ecce triplex ratio supradicta.

¶ QVOD autem obiicitur: quod debuit fratribus per omnia assimilari. Dicendum, quod verum est in his, quæ necessaria sunt ad nostram redemptionem: & conueniunt suæ dignitati. Quòd autem differretur resurrectio, non prodesset ad nostram redemptionem, immò noceret: etiam suam dignitatem (vt prædictum est) non deceret.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod non debuit præcedere gloria capitis, quia non præcedit gratia. Dicendum, quod ordo gloriæ non attenditur secundùm ordinem temporis, sed secundùm ordinem dignitatis: vnde quia habet prærogatiuam in gratia, debet habere prærogatiuam in gloria. Vnde super: *Præuenisti eum in benedictionibus*, &c. Gloss. Psal. 20. Glossa. *In eo plenitudo diuinitatis habitauit, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus, præ cæteris habens spiritum, id est, gratiam, & præ cæteris resurgens*, &c.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod non debet detineri merces sanctorum. Dicendum, quod si retributio præmij differretur secundum meritum vltra tempus, quo conferendum est; tunc non esset iustitia: si autem differatur secundum quod ipse ordinat, qui potiùs illam retribuit ex gratia, quam ex meritis, & prout congruit; tunc non est in iustitia: & quia istud est secundum generalem iustitiam, qua debetur præmium electis: & qua omnes insimul remunerabuntur. Vnde, *Datæ sunt illis singulæ stolæ: & dictum est, vt sustinerent modicum, donec impleatur numerus fratrum*. Apoc. 6.

¶ SI quæratur, quare differtur resurrectio generalis. Dicendum, quod non debet esse ante innouationē mundi: quoniam locus & locatum se habere debent secundùm proportionem: quia ergo non conuenit, quod mundus iste innouetur, donec impleatur numerus electorum; quia oportet quod sit locus merendi: ideo non proportionaretur locus locato. Hinc Augustinus: *Nobis in melius immutatis, ipse mundus innouabitur, vt ita proportionetur locus locato*. Aug. 20. de Ciuit. Dei.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod omnes in Adam peccauimus. Dicendum, quod omnes peccauimus in Adam secundum causam; non tamen secundùm effectum: eodem modo omnes resurgemus cum Christo secundum causam, non secundum effectum.

ARTICVLVS II.

An Christi resurrectio vsq; ad diem tertium differri debuit?

CONSEQVENTER quæritur de dilatione resurrectionis vsq; in diem tertium. Ad quod sic: Non est maior dignitas serui, quam Domini. Si ergo ex indignitate est resurrectionis dilatio: ergo non magis debet differri resurrectio Christi quam alicuius serui. Sed aliqui serui rapientur obuiam Christo in aëra. 1. Thessal. 4. & erit eorum resurrectio in momento temporis: ergo multò fortiùs resurrectio Christi. 1. Thess. 4.

¶ ITEM, *Impossibile erat verbum detineri morte*, &c. Ergo Actuum 2. necessarium fuit ipsum resurgere. Si ergo ponatur, quod

non

non resurrexit ante diem tertium, ergo poni: nus ipsum detentum morte.

Psal. 29. Glossa. ¶ ITEM, *Quæ vtilitas in sanguine meo.* Gloss. *Si non statim resurgo*, &c.

1. Cor. 15. Glossa. ¶ CONTRA, *Resurrexit tertia die.* Gloss. *Probata vera morte: & hoc tertia die, vt credatur eadem potestate nos posse suscitare.* Sed si statim resurrexisset, non crederetur verè mortuus; cum ergo debuerit resurgere ita, vt probaret veram mortem: debuit differri resurrectio vsq; in diem tertium: vt sicut in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, ita in illis tribus diebus experiri possit omne factum.

RESOLVTIO.

Quinimmo: & vt veritas sua mortis probaretur, & vt nostra mortis destructio signaretur: & vt eius potestas ponendi resumendiq; animam suam manifestaretur.

¶ RESPON. Dicendum, quod conueniens fuit, quod expectaret tertium diem propter tria. Propter significationem: *Oportuit Christum pati, & resurgere tertia die.* Gloss. *Meri-* Lucæ 24. Glossa. *to vna die, & duabus noctibus in sepulchro iacuit; quia lucem, id est, gratiam suæ mortis, quæ tantum in carne erat, tenebris nostræ duplæ mortis; quia in carne & anima erat, opposuit: & ad significandum, quòd lux sua mortis curauit nostram duplam mortem.* Secundò propter probationem: quia sicut in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, sic in tribus diebus experitur omne factum. Vnde hæc est ratio literalis scil. vt probaret veram mortem, secundum Gloss. prædictam. Tertiò propter suæ potestatis ostensionem: quia si statim resurrexisset, non videretur habere potestatem ponendi animam suam: sicut resumendi, &c. Et hoc est, quod dicit Glossa super 1. Cor. 15. Gloss. *Probata vera morte*, &c.

¶ AD hoc ergo, quod obiicitur: quod non est maior gloria serui, quàm Domini. Dicendum, quod hoc non est propter dignitatem seruorum, quod ipsi statim resurgant: sed propter gloriam electorum, quæ ampliùs non debet differri: Vnde in instanti morientur, & incinerabuntur, & resurgent.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quod impossibile erat ipsum detineri morte. Dicendum, quod (statim) non dicit minimum temporis, sed breuitatem scil. vsq; ad diem tertiam: vnde Gloss. Glossa ibidem. *Probata vera morte, & hoc tam cito scil. tertia die*, &c. vbi *tam cito* non dicit minimum temporis, sed breuitatem, &c.

ARTICVLVS III.

An tribus diebus & tribus noctibus iacuerit Christus mortuus: tum an de luce, vel ante lucem surrexerit?

CONSEQVENTER quæritur, de terminatione diei & horæ. Quæritur ergo, an tribus diebus & noctibus Matth. 12. fuerit mortuus, & post resurrexit. Ad quod sic: *Sicut enim Ionas*, &c.

Rom. 6. Glossa. ¶ CONTRA, *Hoc scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Gloss. *Quieuit in sepulchro vna die & duabus noctibus: quia nostram duplam vetustatem sua simpla consumpsit.*

RESOLVTIO.

Tribus profectò diebus totidemq; noctibus. Sed synecdochicè. Ita & de luce, & ante lucem resurrexisse ratione quadam dicere possumus.

¶ AD quod respondendum: quod fuit ibi tribus diebus & tribus noctibus, & per tres dies naturales. Sexta feria cum nocte præcedente erit vna dies: & ita per synecdochen fuit ibi illa die. Item fuit ibi per totum diem sabbati cum nocte præcedenti: & ita per illum totum diem naturalem absq; synecdochè. Item nox præcedens dominicam resurrectionis cum ipsa die est vna dies naturalis: & per illam noctem fuit ibi: & ita per diem naturalem, id est, per synecdochen: & ita per tres dies naturales fuit in sepulchro: non tantum fuit ibi per vnum diem artificialem, & per duas noctes integras. Et sic intelligitur illud. Rom. 6.

¶ ITEM quæritur de hora, cum dicitur tertia die: numquid intelligitur, de luce surrexit, vel ante lucem. Et videtur; quod ante lucem, per illud quod dicitur: *Dormiuit* Iudic. Glossa. *Samson vsque ad medium noctis*, &c. Gloss. *Samson media nocte non solùm exiuit, sed portas tulit; quia redemptor noster non solùm de inferno liber exiuit: sed de inferni claustro portas destruxit.* Et sic videtur, quod ante lucem resurrexit.

Augus. super 1 Mac. Glossa. ¶ SED contra Aug. super illud: *Elegit Lisias Ptolomeum.* Gloss. *Ab hora noctis Christi vsque ad diluculum resurrectionis constant horæ 40. si ipsa nona connumeretur.* Cum ergo dixerit ibi, quod in diluculo: patet quod non ante lucem, immò in die.

¶ AD quod respondendum: quod non sunt contraria hæc: quia quod dicitur ante lucem surrexit; respicit illud, Ioan. quod dicit: *Cùm adhuc tenebræ essent.* Et sic intelligitur illud, *ante lucem*, id est, ante quàm esset clara dies: in diluculo enim nondum est clara dies.

QVÆSTIO XXI.

De transfiguratione Christi.

In nouem Membra diuisa.

D. Tho. par. q. Matt. Actuu. 1. RESTAT quærere de demonstratione resurrectionis. Resurrectio autem demonstrata est bis, ante quàm fieret, in monte Petro & Iacobo & Ioanni. Matth. 17. & post quàm facta est pluries discipulis per dies 40. apparens eis. Act. 1. Quæstio ergo versatur circa primam demonstrationem, seu ostensionem gloriæ resurrectionis. De qua Matt. dicitur: *Transfiguratus est, & resplenduit facies eius sicut Sol: & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*, &c.

¶ CIRCA quam quæruntur plura. Primò, vtrùm mutatio facta in corpore Domini debeat dici transfiguratio. Secundò, an claritas, quæ apparuit in corpore Domini in tali mutatione, fuit vera, vel imaginaria. Tertiò, an claritas illa esset in corpore Christi vt in subiecto, vel in aëre circumfuso. Quartò, an claritas illa fuit gloriosa, vel similis gloriosæ. Quintò, an claritas illa esset naturalis, vel assumpta. Sextò, an solum corpus Christi sit transfigurabile: & vtrùm debeat dici transfiguratio fuisse in Moyse & Helia. Septimò, de comparatione & differentia apparitionis dominicæ, antequam fieret, & postquam facta est. Octauò, de circumstantiis illius: an scil. Moyses & Helias fuerunt ibi verè, vel imaginariè. Nonò, de visione Apostolorum: an visio illorum fuit oculo corporali.

MEMBRVM I.

An mutatio facta in corpore Christi in monte Thabor transfiguratio dici debeat.

CIRCA primum obiicitur in hunc modum. Nulla mutatio facta in corpore figurato, manente eadem figura, quæ priùs in illo, post illam mutationem debet dici transfiguratio: sed mutatio facta in corpore Christi in illa apparitione, quando resplenduit facies eius sicut Sol; fuit facta in corpore figurato, & remansit eadem figura in eo corpore, quæ priùs erat: ergo illa mutatio non debet dici transfiguratio.

¶ SECVNDA ratio: apparitio est in corpore Christi ante resurrectionem, & post resurrectionem: & tunc obiicitur sic. Sicut se habet corpus mortale ad proprietatem mortalem: ita se habet corpus gloriosum ad proprietatem immortalem: ergo permutatim, sicut corpus gloriosum se habet ad proprietatem corporis mortalis; ita se habet corpus mortale ad proprietatem corporis gloriosi. Si ergo post resurrectionem corpus Christi gloriosum fuit ostensum sub proprietate corporis mortalis, quia sub palpabilitate: ante resurrectionem verò corpus eius mortale fuit ostensum sub proprietate corporis gloriosi. Sed prima ostensio, quæ est corporis gloriosi, non dicitur transfiguratio, ergo similiter nec ista ostensio, quæ est corporis mortalis sub proprietate corporis gloriosi, debet dici transfiguratio: vel quare dicatur transfiguratio hæc, & illa non. Et quod conueniat hæc comparatio, patet: *Transfiguratus est* Matt. *ante eos*, &c. Gloss. Bedæ, *ostendit claritatem similem futuræ* Glossa Bedæ. *immortalitati, sicut post corpore immortali ostendit discipulis suis*

non mortalitatem, sed formam similem mortalitati: non enim corpus mortale subditum est immortalitati, nec immortale mortalitati.

Cor. 4. Glossa. ¶ AD: *Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo.* Gl. *In me, & Apollo figuram proposui.* Transfiguratio igitur nihil aliud est, quam propositio figuræ. Si ergo Christus proposuit illam claritatem in figuram gloriæ resurrectionis, ergo fuit propositio figuræ in illa mutatione, ergo rectè dicitur transfiguratio. Et hoc patet: *Transfiguratus est*, &c. Gloss. *gloriam futuræ resurrectionis ostendit Christus.* Ergo ostendit illam claritatem in propositione figuræ, hoc est, in signum futuræ resurrectionis.

Matt. 17. Glossa.

RESOLVTIO.

Si transfiguratio dicatur transformatio siue mutatio in formam aliam: vel aliàs signatio, vtique. Sin verò dicatur mutatio figuræ secundùm quantitatem, minimè.

¶ SOLVT. Dicendum, quod figura in scriptura dicitur tripliciter. Vno enim modo dicitur figura distinctio secùdùm quantitatem, & hæc, dicitur propriè figura. De hac legitur: *In ventre matris figuratus sum.* Secundo modo dicitur figura idem, quod forma. Et hoc modo dicitur figura secundum qualitatem: & est in quarta specie qualitatis, quæ est forma, vel circa hoc aliquid constans figura. De hac habetur: *Præterit figura huius mundi.* Tertiò modo dicitur figura idem, quod signum rei. De hac habetur: *Hæc autem in figura contingebant illis.* Cùm igitur transfiguratio sit mutatio figuræ seu secundùm figuram, potest transfiguratio esse mutatio figuræ secundùm quantitatem, vel secundùm qualitatem vel ostensio signi. Si ergo dicatur transfiguratio mutatio figuræ secundum quantitatem, hoc modo non fuit transfiguratio in apparitione illa Christi. Sed dicendo transfigurationem secundo modo, hoc est secundùm quod dicitur quædam transformatio & mutatio in formam aliam, de qua etiam dicitur: *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*: hoc modo fuit ibi transfiguratio. Loquendo etiam de transfiguratione dicta tertio modo, hoc modo etiam fuit ibi transfiguratio, sicut patet ex Gloss. prædicta. Secundùm hoc ergo dicendum, quod loquendo de transfiguratione primo modo, benè procedit ratio prima, sed non secundo, vel tertio modo.

Job 10. 7. Cor. 7. Cor. 10. Cor. 11. Glossa. Cor. 3.

¶ AD aliud dicendum, quod transfiguratio idem est quod transformatio & assimilatio ad aliquid: sed vbi est mutatio, seu assimilatio ignobilioris ad nobilius, propriè dicitur assimilatio vel transformatio, & non econuersò: sicut domus in mente seu ars non dicitur similis domui in opere seu artificio: sed econuersò domus in opere dicitur similis arti, seu domui in mente. Sed corpus gloriosum nobilius est quàm corpus mortale, vbi ergo fuit ostensio corporis gloriosi post resurrectionem sub proprietate corporis mortalis; non debuit dici transfiguratio vel assimilatio gloriosi ad non gloriosum: quia erat sub proprietate deterioris, quam sui. Sed vbi fuit ostensio corporis mortalis ante resurrectionem sub proprietate corporis nobilioris, scil. gloriosi videl. sub immortalitate; rectè debet dici assimilatio ad gloriosum corpus.

MEMBRVM II.

An claritas, quæ in corpore Christi in sui transfiguratione apparuit; vera, vel imaginaria fuerit?

POSTEA quæritur. Vtrùm claritas, quæ apparuit in corpore Christi: fuit vera, vel imaginaria.

Lucæ 9. Glossa Bedæ. ¶ AD quod sic: *Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Gloss. Bedæ: *Glorificationem corporis in transfiguratione, id est, imaginariam repræsentationem futuræ beatitudinis.* Ex quo patet, quod glorificatio illa seu claritas fuit imaginaria, & non vera.

¶ ITEM, consimilis mutatio fiebat in veste Christi, & in facie eius: sed in veste eius non fuit facta mutatio coloris vnius in colorem alium, quia ex non alba non fuit facta alba. Cùm ergo se habeat color vestis ad splendorem illum, sicut proprietas corporis ad eundem: ergo facies Christi ex non clara non fiebat clara. Si ergo apparebat clara: hoc erat solum claritate imaginaria.

¶ CONTRA. *Non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Gloss. *In ea claritate, in qua erit peracto iudicio.* Et loquitur de claritate, quam visuri erant discipuli in transfiguratione. Si ergo illa, in qua erit peracto iudicio, est vera: & hæc similiter; cum sit eadem illi, est vera, & non imaginaria. Matt. 17. Glossa.

¶ ITEM, in natiuitate ostendit Christus veram subtilitatem, aliter non exiuisset, clauso virginis vtero. Similiter ambulando suprà mare veram agilitatem, quia aliter non ambulasset. Ergo similiter in transfiguratione ostendit veram claritatem.

RESOLVTIO.

Vera admodum & realis.

¶ SOLVTIO. Concedendum est, quod claritas illa fuit vera.

¶ AD primum, quod obiicitur in contrarium. Dicendum, quod imaginarium dicitur dupliciter, sicut imago. Vno enim modo dicitur imago similitudo, quæ est expressa in re, alio modo dicitur imago similitudo in comprehensione: sicut nos dicimus, quod imagines rerum corporalium sunt in anima. Imaginaria, ergo repræsentatio potest dici ab imagine; secundùm quod habet esse per similitudinem expressam in re, vel in comprehensione imaginaria. Ergo repræsentatio futuræ beatitudinis dicitur illa demonstratio gloriæ ab ipsa similitudine expressa in re, quia ipsa claritas expressa fuit similitudo claritatis futuræ beatitudinis. Talis autem imaginaria repræsentatio vera est; sed non secunda: hæc est realis, & de ista procedit ratio, non de prima.

¶ AD aliud dicendum, sicut habetur: *Facta est dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus refulgens.* Vbi potest esse diasyntethica constructio; vt sit sensus; refulgens albus: & tunc erit dicendum, quod ex splendore circumfuso videbatur albus: vel erit sensus, secundum quod ordinantur verba, albus refulgens: & tunc hoc est dicere, quod vestitus albus refulgebat ex splendore vultus illius. Et hoc modo debet fieri constructio: & ita ex non alba non fuit facta alba. Lucæ 9.

¶ AD aliud dicendum, quòd aliter fuit mutatio in veste, & in facie: quia in facie erat immutatio ab interiori; ipsa enim claritas, quæ resplenduit in facie, procedebat à virtute interiori scil. à virtute diuinitatis secundum Aug. sed quod fiebat in veste, procedebat ab exteriori: & solum ab exteriori erat mutatio in veste, scilicet à splendore faciei: vnde facies eius splendebat, & ex hoc vestis: & vera fuit immutatio in facie, sed non in veste: sicut patet ex prædicta authoritate Lucæ. Nec debuit etiam ita esse, sicut in corpore Christi: quia corpus Christi erat glorificabile, & non vestis: & propter hoc debuit ostendi in similitudinem proprietatis corporis gloriosi: quæ similitudo realis est, & vera. August.

MEMBRVM III.

An & in corpore Christi, vel in aëre circumfuso vt in subiecto fuerit?

DEINDE quæritur de claritate illa, quæ apparuit in corpore Domini: in quo fuit vt in subiecto: vtrùm (scilicet) in corpore Christi: vel in aëre circumfuso? Ad quod sic: *Bonum est nos hic esse, faciamus*, &c. Gloss. *Petrus videns clarificatam humanitatem, tanto afficitur gaudio: vt nunquam velit ab eius intuitu secerni.* Videbat igitur Petrus clarificatam humanitatem: sed non diceretur clarificata humanitas, nisi illa claritas esset in humanitate: ergo illa claritas erat in corpore Domini vt in subiecto. Matt. 17. Glossa.

¶ ITEM, *Transfiguratus est*, &c. Gloss. *gloriam futuræ resurrectionis ostendit.* Illa ergo claritas erat ad ostendendam gloriam futuræ resurrectionis: sed si illa claritas non esset in corpore Domini vt in subiecto, sed in aëre; iam per hoc non ostenderetur gloria futuræ resurrectionis quia claritas illa, quæ erat in futura resurrectione; non Matt. 17. Glossa.

erat

erat in aëre, sed in corpore Domini: ergo claritas illa, quæ apparuit in transfiguratione, cum esset in signum & ostensionem illius, quæ erit in gloriosa resurrectione: non erat in aëre vt in subiecto: sed in corpore Domini.

¶ Item: aliter est splendor in sole, aliter in colore: quia splendor solis ab intrinseco est: vnde emittit splendorem in alia corpora: in colore autem est splendor ab extrinseco, vt in veste. Si ergo facies eius resplenduit sicut Sol: relinquitur quòd splendor ille & claritas illa erat in corpore Domini vt in subiecto.

¶ Contra, in corpore Christi sicut in aliis corporibus erat duplex natura scil. elementaris, & natura quinti corporis scil. natura cœlestis: quæ est natura lucis: sed quod corpus nostrum habeat potentiam ad claritatem; hoc non est per naturam elementarem: quia secundùm illam est corporale, & subiectum contrarietati & opacum: ergo hoc est per naturam lucis, quæ conciliat elementa in corpore nostro. Sed sic se habet natura elementaris ad naturam lucis, vt cùm vna apparet in corporibus, alia occultatur: sicut modo apparet in corporibus nostris natura elementaris, sed latet natura lucis: sed econtrariò erit in ipsa gloria in corporibus glorificatis: quod natura lucis manifestabitur, & natura elementaris latebit. Si ergo vna manifestata, alia latet: cùm in transfiguratione Domini maneret natura elementaris in suo dominio in corpore ipsius: nec mutaretur natura illa in ipso: quia secundùm sensum adhuc erat passibilis & natus ad patiendum: ergo natura lucis & passibilitas ad eam latebat in suo corpore. Ergo si à natura lucis est claritas in corporibus: constat quod claritas illa, in qua tunc apparuit; non erat per eductionem alicuius de potentia in actum in ipso; sed ab extrinseco erat: ergo fuit in aëre vt in subiecto, & non in corpore dominico.

¶ Item, impossibile est, quod circa idem subiectum simul sint opacum & clarum. Si ergo naturam elementarem non concomitatur inseparabiliter opacitas secundum actum: nullo modo erat claritas secundùm actum in corpore, in quo secundùm actum seruatur natura elementaris. Sed in transfiguratione seruabatur adhuc secundum actum natura elementaris in corpore dominico: quia secundùm illam erat adhuc corporale & passibile: ergo opacitas erat secundùm actum in ipso. Claritas ergo, quæ apparuit in ipso, non erat ipsius, nec in ipso vt in subiecto, sed in aëre circumfuso.

RESOLVTIO.

In corpore: tametsi etiam in aëre.

¶ Solutio. Dicendum quod claritas illa fuit in corpore Christi tanquam in subiecto: & non tantùm in aëre
Lucæ 9. circumfuso. Vnde: *Facta est, dum oraret, species eius altera,* &c. Et loquitur de transfiguratione ipsa, id est, alterata: vt dicit Gloss. quòd non potest esse, nisi fieret immutatio circa ipsam: hoc autem fuit per claritatem. Vnde claritas fuit in corpore sicut in subiecto: & aliter & aliter erat claritas in veste & in corpore: quia in corpore erat ab interiori, sicut dictum est; & ita vt in subiecto: sed in veste ab exteriori scilicet à superfluo splendore faciei.

¶ Ad primum autem in contrarium dicendum: quòd in corpore Domini est considerare multiplicem naturam scilicet naturam corporis secundùm quod corpus, & naturam corporis secundùm quod animatum anima rationali: vel corporis naturam secundùm quod vnitum animæ, quæ est plena omni gratia; & naturam corporis ipsius prout coniunctum est diuinitati: quia illud est alij natura, quòd concomitatur suam originem & natiuitatem. Hæc autem vnio concomitatur natiuitatem corporis Domini: ideo est ei ipsa vnio natura. Et per hunc modum, & secundùm has diuersas considerationes corporis, sunt habitus diuersi consequentes corpus, & proprietates diuersæ: sicut patet, corpus meum secundùm quòd corpus est graue, descendens deorsum, non mobile ante, vel retro, vel sursum; nec mobile motu progressiuo: prout autem est vnitum animæ rationali, sortitur has proprietates: quòd est mobile in ante & retro, in sursum, & etiam motu progressiuo: quia anima comparatur ad ipsum sicut motor ad mobile. Sic corpus Domini secundùm illas considerationes sortitur diuersas proprietates. Secundùm enim quòd consideratur vt corpus, est in ipso natura elementaris dominans, & natura cœlestis latens: & quantùm ad hoc, bene verùm est, quòd sortitur opacitatem & corruptionem. Sed ex vnione ad diuinitatem sortitur habitum, qui debet præcellere omni creaturæ corporali: & ex natura illius vnionis inest ei potentia ad agilitatem, ad subtilitatem, & ad claritatem. Vnde Hilarius: *Habet corpus Domini naturam, vt feratur in vndis, sistat in liquidis, & structa transcurrat.* Hilar. in lib. de Trinit. Et sicut corpus relictum suæ naturæ est tendens deorsum, & immobile motu progressiuo: vnitùm verò animæ mouetur, & habile est ad hoc quòd moueatur progressiuè: sic corpus Domini eleuatum ad vnioné cum diuina natura habet aliquid vltra naturam corporis: & sortitur habilitatem & potestatem ad quædam, quæ non conueniunt corpori alterius hominis scilicet claritatem, agilitatem, & subtilitatem: & est ei naturalis ex illa vnione. Illud ergo quòd obiicitur, tenet in corporis natura secundùm quòd corpus: sed hic est plus scilicet ipsum corpus diuinitati vnitum: & ex hoc sortitur potestatem ad istam claritatem, & ad aliam.

¶ Ad aliud, quòd obiicitur: quòd non sunt contraria simul. Dicendum, quòd similiter posset obiici de agilitate, quam habuit ambulando suprà mare: & de subtilitate, quam habuit nascendo de Virgine: sicut hic opponitur de claritate, quia in ipso erat corpulentia, non ergo subtilitas, &c. Propter hoc dicendum quòd in exitu corporis Domini ex vtero virginis fuit secundùm actum subtilitas, & corpulentia secundùm habitum: similiter ambulando super aquas fuit actu agilitas in ipso, sed habitu grauitas: sic in transfiguratione fuit claritas actu (& hoc ex hac vnione ad deitatem) & opacitas in habitu: hoc modo nihil prohibet contraria simul esse circa idem subiectum.

MEMBRVM IV.

An claritas corporis Christi in monte Thabor gloriosa, vel similis gloriosæ fuerit?

Consequenter quæritur? an illa claritas fuerit gloriosa, vel similis gloriosæ. Ad quòd sic: *Transfiguratus est.* Matt. 17. Gloss. Bedæ: *In corpore mortali ostendit, non immortalitatem, sed claritatem similem futuræ immortalitati: sicut post in corpore immortali ostendit, non mortalitatem, sed similitudinem, siue formam similem mortalitati.* Glossa. Bedæ. Ex quo patet, quòd non fuit claritas gloriosa, quam ostendit, sed gloriosæ similis.

¶ Item ibidem Beda in Gloss. Corpus mortale non est subditum immortalitati: nec immortale mortalitati. Si ergo corpus Domini in transfiguratione adhuc erat mortale: ergo claritas; quæ fuit tunc in suo corpore, non fuit claritas immortalitatis: ergo non fuit gloriosa claritas, sed ei similis.

¶ Contra. *Transfiguratus est.* Gloss. *In ea claritate, in qua erit peracto iudicio.* Marci 19. Glossa. *Ea* enim relatiuum est identitatis substantiæ: ergo supponit pro illa & eadem claritate secundùm substantiam, in qua erit peracto iudicio: sed claritas, in qua erit peracto iudicio, est claritas gloriosa: ergo & illa claritas fuit gloriosa.

¶ Item, *Expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit,* &c. Ad Philip. 3. Gloss. *Assimilabimur claritati, quam habuit in transfiguratione.* Glossa. Sed claritas nostra erit gloriosa: ergo & illa, quam habuit in transfiguratione fuit gloriosa.

¶ Item, *Duxit eos in montem.* Gloss. *Gloriam maiestatis ostensurus.* Matt. 17. Glossa. Si ostendit eis gloriam maiestatis: ergo claritatem gloriosam ostendit: vel gloriosa fuit claritas, in qua apparuit.

* *
*

RESOLVTIO.

Et similis, & non similis, altera atq; altera ratione.

¶ Solvt. Ad hanc quæstionem prænotandum: quòd hic sunt diuersæ opiniones. Vna est, quòd illa claritas non fuit gloriosa: sed similis gloriosæ: & hoc dicunt iuxta auctoritatem Bedæ: quæ est. *In corpore mortali ostendit non immortalitatem*, &c. Alij dicunt, quòd fuit gloriosa: sed fuit assumpta ad tempus, sicut aliàs proprietates assumpsit ante resurrectionem ad tempus scil. agilitatem ambulando supra mare, & subtilitatem nascendo de gloriosa virgine, & impassibilitatem, sicut quando dedit corpus suum in sacramento in cœna. (Vnde Hier. *Corpus, quòd habuit per naturam, dedit discipulis in cœna; non mortale, non corruptibile.*) Ita etiam in transfiguratione claritatem gloriosam assumpsit. Et hoc fecit, vt discipulis suis ostenderet gloriam suæ & nostræ resurrectionis. — Beda. Hieron.

¶ Sed dicendum est sine præiudicio, medio modo scilicet quod multiplex est similitudo. Quædam est similitudo ænigmatica in re, quæ est omninò alterius generis: sicut nos dicimus, quòd fides hic in via similis est visioni in patria, seu assimilatur cognitioni gloriosæ. Est iterum similitudo realis: & hæc est rerum eiusdem generis. Sed hoc potest esse dupliciter: quia aut secundùm perfectionem, aut secundùm imperfectionem. Si secundùm imperfectionem: hoc modo dicimus quòd claritas in via assimilatur charitati in patria: non enim eodem modo assimilatur, quo fides cognitioni in patria: quia fides assimilatur ei ænigmaticè, si quidem fides euacuabitur: sed charitas viæ charitati patriæ realiter; quia non euacuabitur charitas viæ adueniente illa, quæ est in gloria: sed complebitur ab ea: ergo est ei similis in re, sed tamen secundùm imperfectionem: quia differunt secundùm perfectum & imperfectum. Est etiam similitudo realis secundùm perfectionem: sicut nos dicimus, quòd filius est similis patri: & charitas Petri in patria charitati Pauli in patria. Si ergo loquamur de similitudine ænigmatica, quæ est rerum omninò alterius generis: hoc modo claritas illa non fuit similis gloriosæ: sed dicendo realem similitudinem, quæ est rerum eiusdem generis: tamen secundùm imperfectionem; hoc modo fuit illa claritas similis gloriosæ: vnde etiam potuit dici gloriosa secundùm quid. Si autem loquamur de similitudine reali, quæ est secundùm perfectionem rerum eiusdem generis: hoc modo non fuit ei similis scil. secundùm completum. Et hoc patet, quia sicut in anima Christi, eo quod fuit vnita deitati, fuit gloria secundùm partem, licet non secundùm totum; hoc est secundùm vim superiorem, & non secundùm inferiorem (immò secundùm partem inferiorem inerat ei passibilitas & miseria, & ea quæ non intrant gloriam) sed secundùm partem superiorem erat gloria: & ista gloria non fuit alterius generis quam gloria, quam post habuit scil. post resurrectionem. Sic in dispensatione, qua ostendebatur in suo corpore gloria, cùm ipsum esset vnitum deitati, sicut anima; poterat esse gloria secundùm partem, & secundùm partem non. (Et dico secundùm partem, hoc est secundùm quod vnitum deitati) Quia sicut ex dispensatione fuit, quod corpus illud esset corruptibile & obscurum; & hoc propter liberationem nostram: sic ex dispensatione fuit, quod ostenderetur in illa claritate ante resurrectionem, in qua debuit esse post: & hoc propter corroborationem fidei nostræ, quam habuit ex vnione ad deitatem.

¶ Et per hoc patet solutio ad obiecta.

MEMBRVM V.

An & naturalis, vel assumpta fuerit?

Postmodvm quæritur? Vtrùm hæc claritas fuit naturalis illi, vel assumpta. Et primò quæritur? vtrùm fuit in potentia naturali, vel fuit assumpta à Christo. Ad quòd sic: *Transfiguratus est.* Gloss. *Secundùm speciem illius, quam habebat per naturam, ostendit non admittere carnem, quam assumpserat voluntate.* Si ergo speciem, quam eis ostendit, habebat per naturam: ergo per naturam habebat claritatem, quam eis ostendit: ergo ei fuit claritas illa naturalis. — [...]17 [...]ssa.

¶ Item, ipse assumpsit corpus conueniens dispensationi: quicquid ergo fuit in eo, aut fuit ex natura suæ originis, aut ex dispensatione. Sed ex natura suæ originis fuit ei conueniens naturaliter claritas; quia fuit à principio cœlesti scilicet à spiritusancto; de quo dicitur esse conceptus: à parte ergo suæ originis est ei naturalis. Similiter ex dispensatione naturaliter conuenit ei: quia sicut ex dispensatione debuit accipere passibilitatem & miseriam propter nostram redemptionem: ita ex dispensatione fuit quòd ante mortem debuit ostendere claritatem suæ glorificationis propter fidei nostræ corroborationem. Sicut ergo in assumptione debuit assumere proprietatem conuenientem morti scil. passibilitatem: ita in assumptione debuit assumere claritatem suæ glorificationis: cùm eam debuit ante mortem ostendere. Fuit ergo naturalis ei, & à parte originis, & suæ dispensationis.

¶ Contra Damasc. *Omnes passiones nostras naturales & indetractabiles assumpsit prater peccatum.* Et Boëtius dicit: *Ipse assumpsit passibilitates & alios defectus prater peccatum, non secundùm statum ante peccatum, sed secundùm statum secundùm.* Si ergo assumpsit defectus nostros: cùm opacitas sit per naturam in nobis: ergo in ipso fuit per naturam: ergo per naturam non fuit in ipso claritas. — Damasc. lib. 3. cap. 14. & lib. 4. c. 20. Boetius in lib. de duabus naturis.

¶ Vlterivs quæritur? vtrùm esset in eo naturaliter secundùm actum: ita quod non solùm in potentia naturali: vt diceretur esse in eo secundùm actum: licèt non semper appareret. Ad quòd sic, suppositis præcedentibus: sicut se habet claritas spiritualis, quæ est scientia, ad animam Christi: ita se habet claritas corporis ad corpus Christi. Si ergo ab initio suæ conceptionis habuit scientiam omniũ sicut post: & quòd dicitur profecisse, hoc est quantum ad manifestationem tantùm: & ita anima eius semper fuit clara: ergo similiter ab instanti conceptionis suæ habuit claritatem corporis secundùm actum: licèt non semper appareret: per dispensationem.

¶ Item, semper fuit in anima Christi claritas quantùm ad partem superiorem ex vnione ad diuinitatem: sicut in inferiori passibilitas ex vnione ad corpus. Ergo similiter corpus eius: cùm esset vnitum diuinitati sicut anima; semper habuit secundùm actum naturaliter gloriam & claritatem in quadam sui parte.

¶ Contra. Si diceretur hoc, sequeretur quòd corpus eius non esset passum secundùm omnem partem: quia in parte illa non esset passibilis; in qua esset ista claritas. Sed hoc non potest concedi: quia sua beata anima secundùm partem illam, qua erat vnita corpori, totaliter patiebatur: licèt non secundùm illam, qua vnita erat diuinitati: ergo corpus eius secundùm totum patiebatur.

RESOLVTIO.

Tum naturalis, tum assumpta: naturalis quidem ratione originis & complementi corporis Christi: assumpta verò ratione eius de quo & ad quòd sumptum est illud idem corpus.

¶ Solvtio. Dicendum quòd naturale dicitur quattuor modis secundùm quadruplicem causam. Vno modo dicitur naturale per comparationem ad illud, à quo res nata est, quòd est causa efficiens. Alio modo secundùm comparationem ad causam, secundùm quam nata est: quæ est perfectio & complementum eius. Tertiò modo in comparatione ad causam, de qua nata est: quæ quidem est materia. Quartò modo in comparatione ad causam, ad quam nata est, quæ erat finis. Si ergo consideretur natura in corpore Christi à parte originis, seu in comparatione ad illud, à quo nata est: sic passio non est ei naturalis: nec inuenitur in ea passibilitas, vel mortalitas. Vnde Hilarius: *Quid per naturam humani corporis? carnem de spiritusancto conceptam indicamus: caro illa de cœlis est.* Si autem consideretur secundùm causam, secundùm quam est caro, id est, secundùm suum complementum scil. ex vnione ad diuinitatem: hoc modo adhuc dico, quòd non est in corpore Christi per naturam passibilitas: nec ea, quæ opponuntur gloriæ: & — Hilar. 10. de Trinit.

hoc

h[illegible] [illegible] a [illegible] [illegible] [illegible] pa[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible]omplementum erat [illegible] [illegible] tempore. A[illegible] endo [illegible] secundùm [illegible] [illegible], de qua est nata caro Christi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] bil[illegible], & proprietates [illegible] [illegible] [illegible] Virginis assump[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] natura naturam corpulentam, ex [illegible] [illegible] [illegible], & contrarietati subiectam. Accipiendo [illegible] [illegible] [illegible] finem, ad quem nata est, quia nata est ad redemptionem nostram, vt per passionem nos redimeret: sic adhuc est ei naturalis passio & mortalitas. Cùm ergo quæritur: vtrum claritas fuit ei in potentia naturali: Dico quòd sic: primo & secundo modo accipiendo naturam & potentiam naturalem: sed non aliis duobus modis: immò passibilitas fuit ei in potentia
Hilar. ibi. naturali. Et hoc est, quòd dicit Hil. Habuit corpus Domini, sed suæ originis proprium, non ex vitiis humanæ conceptionis existens; sed in forma corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens. Et sic solutum primum problema.

¶ Ad secundùm, quòd quæritur? vtrùm habuit illam claritatem semper in actu per naturam, licet non appareret. Dicendum, quòd non. Et quòd obiicitur: quod sicut se habet claritas animæ ad animam, ita claritas corporis ad corpus. Dicendû, quòd potest fieri illa comparatio quantum ad vnionem cum diuinitate: & quantum ad dispensationem nostræ redemptionis. Quantùm ergo ad naturam & potestatem vnionis, fuit in anima Christi scientiæ claritas; & similiter ex dispensatione. Sed quantum ad naturam vnionis solùm & potestatem vnionis potuit esse semper claritas secundùm actum in corpore Christi: sed non ex dispensatione illius ad nostram redemptionem. Repugnaret enim dispensationi isti: quia corpus Christi non esset passibile iam secundùm totum: quòd non debet côcedi: quia cum ex dispensatione fuerit, quòd eius anima debebat pati secundùm omnem vim, quam habebat per comparationem ad corpus; constat quòd ex dispensatione fuit quòd corpus eius secundùm totum pateretur. Et sic quantum ad hoc non fuit semper secundùm actum claritas in ea; sed in potentia: licèt quantum ad potestatem vnionis cum diuinitate potuerit ita esse: & ita quantùm ad hoc tenet illa comparatio.

MEMBRVM VI.

An solùm corpus Christi transfigurabile fuerit, transfiguratumq́; sit in monte Thabor: vel etiam Moysis & Heliæ?

CONSEQVENTER quæritur? An solùm corpus Christi fuit transfigurabile: an etiã alia corpora, sicut Moysi & Heliæ, transfigurabilia essent. Ad quòd sic: Exod. 34.
Exod. 34 habetur, quòd apparuit facies Moysi cornuta ex consor-
2. Cor. 3. tio Domini ex maximo splendore. Et 2. Cor. 3. dicitur: quòd non poterant filij Israël intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius. Et dicit Gloss. ibi: quòd tanta fuit claritas in facie eius, quòd maior esse non poterat. Sed in corpore Christi poterat esse maior claritas, quam illa, quæ fuit in transfiguratione: si ergo corpus Christi dicitur transfiguratum secundùm illam claritatem; ita & corpus Moysi debet [illegible] transfiguratum: vel quare hæc ostensio claritatis esset transfiguratio, & illa non?

Ibidem. ¶ ITEM: 2. ad Cor. 3. tanta erat claritas in facie Moysi, quòd non poterat percipi, nisi velaretur: ergo fuit maior claritas, quam claritas, quæ fuit in facie Christi. Si ergo ostensio illius in Christo dicitur transfiguratio, ita & in Moyse. Ergo aliud corpus est transfigurabile, quam corpus Christi; & magis etiam debet dici transfiguratio in corpore Moysi, quam in corpore Christi.

Matt. 1. ¶ ITEM, Matth. 1. *Non cognoscebat eam, donec peperit*, &c.
Gloss. Gloss. *Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam spiritus sanctus impleuerat.* Ex quo videtur, quod gloriosa virgo fuerit transfigurata, sicut corpus Christi.

Matt. 17 ¶ AD oppositum: *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Dicit
Hieron. Hieron. *Deus non potest [illegible] hac vita tam clarum facere.* Ergo impossibile est, quod tanta claritas fuerit in corpore Moysi & gloriosæ Virginis quanta fuit in corpore [illegible]. Hoc autem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

¶ Et [illegible] [illegible] [illegible], quod cùm transfiguratio [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Domino Iesu, & non in aliis.

RESOLVTIO.

Ita vera & expressa similitudine gloriosæ claritatis nullum aliud corpus transfigurabile fuit, transfiguratumq́; est, nisi corpus Christi: idq́; ratione gratiæ vnionis.

¶ SOLVT. Dicendum est sine præiudicio: sicut nos dicimus, quòd aliter fides est similis visioni in patria, quam charitas viæ charitati in patria: ita dicimus nos, quod aliter fuit similitudo gloriæ in facie Moysi & in B. Virgine, & in corpore Christi. Quia in facie Moysi & B. Virginis fuit similitudo claritatis, quæ erat alterius generis simpliciter, quam claritas gloriæ. vnde erat similitudo ænigmatica: sicut similitudo fidei ad visionem patriæ. Sed in corpore Christi fuit claritas, quæ erat eiusdem generis cum claritate gloriæ: & si non simpliciter, tamen secundùm partem: sicut charitas viæ assimilatur charitati patriæ. Et hoc est, quia radius claritatis in facie Moysi fuit a consortio sermonis Domini: similiter in B. Virgine fuit illa claritas ex consortio Dei * quam habebat spiritualiter in mente: quàm etiam habebat corporaliter in carne. Sed in corpore Christi fuit claritas ex virtute vnionis corporis Christi cû diuinitate: & propter hoc nulla alia ostensio claritatis debuit dici transfiguratio, sicut ista: quia sola ista, quæ est in expressa similitudine ad gloriam Dei, debet dici transfiguratio: hoc autem solum fuit in Christo. Et hoc est, quia claritas, quæ fuit in aliis, fuit per gratiam consequentem naturam: sed in corpore Christi fuit per gratiam, quæ est ei natura: vt dictum est scil. per gratiam vnionis. Et ex hoc est, quòd verior & expressior est similitudo gloriosæ claritatis in Christo, quam * aliæ. *al. quem *Aliàs, aliis.

¶ AD illud ergo, quod obiicitur: quòd maior fuit claritas in Moyse: quia non poterat videri, &c. Dicendum, quòd non sequitur: non poterat videri, ergo maior fuit, seu magis ostensiua gloriæ resurrectionis? Nam quod claritas Moysi non posset videri; hoc erat, non quia maior esset, sed quia offendebat & disgregabat visum: sicut etiam videmus de claritate solis, quæ propter hoc non potest videri: Sed claritas apparens in facie Christi erat delectans visum & confortans: sicut claritas gloriæ, quæ confortat
Apoc. 20. & corroborat visum: vnde in Apoc. 20. Comparatur claritas ciuitatis supernæ & dicitur similis lapidi iaspidi: cuius claritas demulcet & confortat aspectum: & sic iterum quantum ad hoc est claritas Christi in maiori conformatione & conformitate ad claritatem gloriæ & in expressa assimilatione: & ideo confortabat visum. Et per hoc soluuntur tres primæ obiectiones.

¶ AD aliud, quod obiicitur: quòd Deus non potest tam clarum facere. Dicendum, quod licet verum concedat ratio: intelligendum est tamen, quare dicat hoc Hieron. In corpore enim Moysi & Virginis B. fuit potentia passiua ad claritatem: vnde in eis fuit potentia, non potestas. Sed in corpore Christi fuit potentia, quæ dicitur potestas. hoc est actiua potentia ad hanc claritatem: ideo [illegible] maior fuit. Et hoc est, quòd dicit Hilar. *In forma corporis nostri virtutis suæ potestate consistens.* Quód ergo [illegible] [illegible]
Hilarius. Hieron. Hieron. quòd Deus non poterat tam clarum [illegible] [illegible] est, quia corpora nostra habent oppositionem [illegible] [illegible] propter peccatum: sed in corpore Christi [illegible] [illegible] nitas à peccato, vnde non erat oppositio [illegible] [illegible] nini sine peccato erat concept[illegible] [illegible] potest Deus de potentia congru[illegible] [illegible] [illegible] in aliis facere: licèt posset de potentia absoluta [illegible] gatur hic potentia congruentiæ & non [illegible] [illegible] ex parte Dei. Ex parte autem creaturæ [illegible] [illegible] passiua, quæ est in eis: vt dictum est: quia non possunt [illegible] tam claritatem sustinere vel suscipere: & hoc quia non

[illegible] Christus potest [illegible] [illegible] authoritas.

MEMBRVM VII

An [illegible] gloriosæ resurrectionis Christi iure per claritatem potius quàm per aliam dotem facta sit in monte Thabor: Item si eiusdem manifestatio gloriæ recte per subtilitatem facta fuerit?

POSTEA quæritur de comparatione secundùm differentiam apparitionis dominicæ resurrectionis, antequam fieret, & postquam facta est. Et primò quæritur de prima apparitione: secundò de secunda.

¶ De prima apparitione, quæ fuit ante resurrectionem, quæ dicitur transfiguratio; quæritur, quare ostensio gloriosæ resurrectionis potius facta fuit in illa per claritatē, quam per alias proprietates: sicut per agilitatem, subtilitatem, impassibilitatem?

¶ Ad quod sic: claritas non solùm est corporum glorificatorum, immò communis est etiam aliis corporibus; sicut cælo & stellis: sed aliæ dictæ proprietates sunt solùm corporum glorificatorum, & non aliorum corporū: conuenientior autem est ostensio facta per proprietates proprias, quam per communes: ergo conuenientior esset, quod illa demonstratio gloriosæ resurrectionis corporum fieret in transfiguratione per alias proprietates, quam per claritatem.

¶ De secunda autem apparitione, quæ facta fuit à Domino post suam resurrectionem; cum apparuit discipulis, & ianuis clausis, quæritur: quare non fuit facta per claritatem, sicut per subtilitatem.

¶ Ad quòd sic: Nam ipse Dominus in Euangelio per claritatem maximam significat resurrectionem futuram, & eius gloriam: cum dicitur. *Fulgebunt iusti sicut Sol*, &c. Ergo conuenientius fuit, vt eam ostenderet per claritatem, quam per subtilitatem.

Matt. 13.

RESOLVTIO.

Vtrumq; consultò factum est: primùm quia ad celeritatem reliquæ dotes consequuntur: secundùm, quia intellectiuam cognitionem sensitiua cognitio præit.

¶ SOLVTIO. Dicendū ad primum: quòd cum sint proprietates quatuor, secundùm quas ostenditur glorificatio, ipsa claritas est principalis, ad quam consequuntur cæteræ. Naturam enim lucis consequitur subtilitas: vnde lux per naturam habet subtilitatem ad penetrandum corpora, & maximè corpora transparētia: sicut patet in lapide cristallino, qui penetratur à luce. Similiter ad ipsā consequitur agilitas: vndè motus vel mutatio eius est quasi subita. Similiter ipsam sequitur impassibilitas: vnde etiam nullum inquinamentum patitur ab alus. Quia ergo claritas ponit omnes alias proprietates, quæ sunt corporum glorificatorum; & nulla alia ponit omnes alias: ideo conuenienter fit ostensio glorificationis corporis per claritatem. Et propter hoc Dominus in Euangelio significans gloriam resurrectionis, non multiplicat verba: sed eā perfectè, & integrè, & totaliter significat per claritatem: cùm dicit. *Fulgebunt iusti sicut Sol.*

Ibidem

¶ Ad secundùm dicendū: quòd ordo debuit esse in ostensione gloriæ resurrectionis secundū gradus: vnus gradus debuit esse ad sensum, & hic debuit esse primus: alius gradus debuit esse ad intellectum, & hic debuit esse vltimus. Nam debuit esse ostensio illius quantū ad cognitionem sensitiuam, & quantū ad intellectiuam: & sicut cognitio sensitiua prior [illegible] intellectiua: ita conueniens fuit, quòd prima [illegible] ad sensum, vltima ad intellectū. Et ideo prima [illegible] in transfiguratione ante resurrectionem [illegible] per proprietatem pertinentem [illegible] est claritas: & ideo debuit fieri [illegible] autem, quæ fuit post resurrectionem [illegible] fieri per claritatem, [illegible] sensu percipitur: sed per [illegible] quæ [illegible] intellectu & soli rationi collatione percipitur [illegible] subtilitas [illegible] Quod etiam [illegible] monstrabat [illegible] collatione [illegible] intus [illegible] per [illegible] ergo subtilis est. Ita [illegible] tionem [illegible] percipiebant, quod esset [illegible].

MEMBRVM VIII

An Moyses & Helias realiter & personaliter Christo in monte Thabor apparuerint.

DEINDE quæritur de circumstantiis illius apparitionis. An scil. Moyses & Helias fuerunt ibi verè, vel imaginariè: vtrùm scil. apparuerunt ibi personaliter, vel in subiecta creatura, vel Angeli vice eorum.

¶ Ad quòd sic: *Apparuerunt Moyses & Helias*, &c. Gloss. *Sciendum non corpora, vel animas Heliæ & Moysi apparuisse: sed in subiecta creatura illa corpora fuisse formata.* Potest etiam credi, vt angelico ministerio hoc factum esset, vt angeli eorum personas assumerent. Ergo non apparuerunt ibi verè.

Lucæ 9. Glossa

¶ ITEM Aug. de anima Samuelis disputans, dicit: *Non spiritus Samuelis a requie suscitatus est: sed aut phantasma vel illusio imaginaria Diaboli fuit machinationibus facta, quam Prophetam Samuelem appellant: sicut imagines rerum solent suis nominibus appellari.* Habet ergo Aug. pro inconuenienti, quòd anima Samuelis suscitaretur de requie sua, & appareret Sauli. Ergo similiter inconueniens est, quòd spiritus Moysis, qui iam requiescebat in sinu Abrahæ, suscitaretur, & verè ibi appareret. Et similiter ipse Helias, cum iam esset translatus ad paradisum.

Aug. ex lib 3. de mirabilibus Sacræ Scripturæ ca. 13. Idem ad Simplicianum. Lib. 2. q. 2. Sed clarius lib. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ ca. 11.

¶ ITEM, si Moyses ibi apparuit Apostolis vel oculis Apostolorum, ergo apparuit in corpore: sed conuenientiùs in corpore proprio, quam in alieno: ergo fuit resuscitatus in corpore & anima: ergo anima eius fuit in suo corpore mortali: ergo adhuc erat in statu merendi: sed si sic, ergo adhuc poterat Moyses damnari: quod est inconueniens.

¶ AD oppositum: Aug. loquens de operibus Domini dicit: *quòd si vnum est verum, reliquum est verum.* Sed quicquid fuit ibi, fuit opus Dei gloriosi: ergo si non fuit vera apparitio Moysi & Heliæ, nec fuit vera apparitio Domini.

Idem.

RESOLVTIO.

Verè admodum & realiter: Moyses quidem secundùm animam: Helias autem secundùm animam & corpus.

¶ SOLVT. Dicendū: quòd circa istam quæstionem sunt plures opiniones. Vna enim est, quòd quidam ponūt platice, quòd Moyses & Helias non apparuerunt ibi verè, sed solum imaginariè: & hoc vult dicere iuxta authoritatem Bedæ in Gloss. prædicta super Lucæ 9. Sciendum non corpora vel animas Heliæ & Moysi, &c. Alij dicunt, quòd apparuerunt ibi Moyses & Helias verè: & apparuit ibi Moyses in suo corpore relumpto ad tempus. Et hoc dicūt iuxta illud: *Faciamus hic tria tabernacula.* Gloss. *Tres testes habemus de terra Apostolos tres: de cælo Moysen & Heliam, & ipsum patrem.* Sed si non fuerunt ibi verè; non potuerunt esse viri testes ergo fuerunt ibi verè Moyses & Helias: sicut persona patris fuit ibi verè. Istud idem confirmant per gloriosum super illud: *Et apparuerunt Moyses & Helias.* Gloss. *Moyses legislator, & Helias Prophetarum eximius.* Ergo verè apparuerunt ibi: quia illi sunt verè Moyses & Helias.

Aliorum sententia.

Lucæ 9. Glossa.

Matt. 17. Glossa.

¶ Nos autem dicimus secundùm Aug. dicentem: *Alia sunt humanarum limites rerum: alia diuinarum signa virtutum. Alia sunt, quæ naturaliter: alia quæ mirabiliter fiunt: quamuis & naturæ Deus adsit, vt sit & miraculis natura non desit. Non igitur putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos. quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est: quòd per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersunt: quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Et ex hoc [illegible] tur secundùm B. Augustinum quòd apparitio [illegible] post mortem secundùm [illegible] [illegible] non est possibilis [illegible]

Aug in lib de cura agēda pro mortuis ad Paulinū c. 16

[illegible] quod apparuit ibi [illegible] per diuinā [illegible] Vnde etiam Augustinus [illegible] *affectibus, [illegible] apparuisse, [illegible] non interituri [illegible]* Moysis corpus [illegible] credimus: sed dicimus, quod sicut B[illegible] apparuit aspectibus omnium in anima per diuinam virtutem, nec propter hoc resumpsit corpus: sic dicimus, quod anima Moysi ibi fuit verè, & eis apparuit, scilicet Apostolis per diuinam virtutem: nec oportuit quòd resurgeret corpus. De Helia autem, qui viuus erat, benè concedendum est, quod apparuit in anima & corpore.

Idem ibidem.

Obiectio ¶ SED tunc restat quæstio: quoniam si solùm anima Moysis apparuit, cùm ipsa sit insensibilis, quomodo potuit Moyses apparere aspectibus Apostolorum?

¶ AD quod dicendum: quòd substātia spiritualis duobus modis apparet sensui, scilicet angelus. Vno modo per corpus assumptum: alio modo per solam similitudinem corporis, quam facit in sensum, & per quam immutat sensum. Sicut enim angelus potestatem habet supra corpora, vt sic possit corpus assumere & apparere sensui per illud: ita habet potētiam, vt possit aliquam similitudinem corporis in oculo efficere, & per illam oculum immutare: vt ab oculo per illam percipiatur. Sicut ergo mediante corpore potest facere similitudinem, qua comprehenditur, ita & sine corpore: sic dico, quòd anima sancta, quæ gloriosa est, habet istam potentiam. Et hoc modo potuit anima Moysis apparere oculis corporalibus Apostolorum, sine corporis assumptione: quam non legimus in scriptura, & sic per similitudinem corporis, quam efficiebat in sensum, percipiebatur. Item etiam ad hoc faciendum nata est anima: quia ratio totius corporis est in anima, sicut dicit Augustinus. Vnde non solùm comparatur ad corpus sicut forma, sed etiam sicut ars. Vnde membra & ossa quæ sunt in corpore naturaliter, sunt in anima sicut in arte: & ideo per diuinam virtutem potest apparere per similitudinem sine corpore.

Idem.

Obiectio ¶ SED vlteriùs restat quærere, quare non apparuit Enoch, qui fuit ante legem, sicut Moyses, qui fuit cum lege: & Helias, qui fuit post legem; vt haberetur testimonium ex his, qui ante legem, & cum lege & post legem resurrectionis gloriosæ Christi.

¶ SOLVTIO. Dicendum, (sicut dicit Gloss. super 9. Lucæ) quòd apparuerunt ibi Moyses, vt haberetur testimonium Christi ex lege: & Helias, vt haberetur testimonium ex Prophetis, scilicet vt ostendant ipsum esse, qui locutus est in lege & Prophetis: ex lege per Moysen, vt diceret, hic est de quo scripsi: ex Prophetis per Heliam, vt diceret, hic est de quo prophetaui. Sed ante tempus Abrahæ non fuit facta distinctio, nec explicatio nostræ redemptionis & resurrectionis gloriosæ, quomodo debet fieri: tamen credebatur futura, sed impliciè, non explicitè: immò primò fuit facta Abrahæ explicatio. Quia ergo Enoch fuit illius temporis ante legem, in quo non erat explicatio nostræ redemptionis, an scilicet deberet fieri per hominem solum, vel per angelum, vel per Deum hominem: ideo non apparuit Enoch ad ferendum testimonium in transfiguratione; sed legisl[a]tor, & Propheta.

¶ SED tunc quæritur [illegible] melius enim sciretur gloriosa resurrectio Christi, si publicaretur, & prędicaretur illa apparitio: quare ergo prohibuit discipulis suis, ne dicerent eam, dicens: Nemini dixeritis.

¶ SOLVTIO. Sicut dictum est, oportuit, quod fieret ostensio resurrectionis Christi, antequam fieret, sed non debuit esse prędicatio eius, nisi postquam facta est: quia oportuit, quod probaretur veritas Dominicæ passionis, antequam [illegible] Sed si diuulgata esset illa ostensio resurrectionis [illegible] passione, per hoc occultare [illegible] passionis veritas, & fides ipsius infirmaretur: putaretur enim quòd non esset vera eius passio, si prædicaretur illa gloria resurrectionis: quasi diceretur, in suo corpore [illegible] fuisse gloriam, & quod ipse [illegible] claritate, scilicet [illegible] vt eius passio non esset vera, sed solum phantastica [illegible] dixerunt [illegible] Quia ergo ita debuit esse, & manifestari gloria resurrectionis, ne per hoc [illegible] fides veritatis passionis: [illegible] non debuit prædicari, nisi postquam facta est ipsa resurrectio.

MEMBRVM I[illegible]

An visio trium illorum Apostolorum, scilicet Petri, Iacobi, & Ioannis in monte Thabor corporalis fuerit?

CONSEQVENTER quæritur de visione Apostolorum: an visio illorum potuit fieri oculis corporalibus? Ad quod sic: Nullius corporis potest videri claritas, quæ coęquatur claritati solis, ab oculis corporis animalis. Sed claritas, quæ fuit in corpore Christi fuit æqualis claritati solis, & etiam maior: sicut dicit Gloss. super illud. *Facies eius sicut sol, &c.* Gloss. non habet clarius, quod comparet. Ergo non potuit videri ab oculis corporis animalis: sed tales erant oculi corporales Apostolorum: ergo, &c. *Matt. 17.*

¶ IDEM, claritas quæ erat in corpore Domini, erat claritas corporis gloriosi: sed claritas corporis gloriosi non potest percipi à corpore non glorioso: ergo ab ipsis Apostolis, qui non adhuc erant glorificati, non poterant corporaliter videri.

¶ ITEM, Petrus dixit: *Domine, bonum est nos hic esse.* Ergo claritas illa erat delectabilis ipsis Apostolis: sed ipsa claritas erat excellens omnem claritatem, cum igitur sensus corporalis non delectetur in excellenti, sed corrumpatur ab ipso: constat, quòd non percipiebant illam claritatem suo corporali oculo, sed solùm intellectuali. *Ibidem.*

RESOLVTIO.

Corporalis vtcunque fuit.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd visio Apostolorum fuit corporalis, & oculis corporalibus perceperunt claritatem Domini.

¶ AD illud autem, quod primò obijcitur, dicendum: quòd est quædam claritas, quę est generatiua caloris: quędam, quæ non. Claritas, quæ generat calorem, ratione caloris consumentis humiditatem pupillæ, sine organum videndi, habet contrarietatem cum organo videndi: talis autem est claritas solis: & inde est, quod cùm est excellēs, quod aggrauatur oculus per illam, & disgregatur: & ideo non potest ipsam percipere. Sed claritas corporis gloriosi non est generatiua caloris, vnde nullam habet contrarietatem cum ipso organo visus: sed est confortans, & delectans visum: & propter hoc comparatur claritati lapidis iaspidis, qui confortat aspectum: & propter hoc in sua excellentia non est corruptiua visus, sicut prima: sed potest ab oculo percipi sine offensione: talis autem erat claritas, quam habebat Christus, & quam videbant Apostoli.

¶ AD aliud dicendum, sicut dicit August. introducens autoritatem Ambr. Differentia est in substantijs spiritualibus, & corporalibus, in hoc: quod in corporalibus ita est, quòd in nostra potestate est videre ipsa, si præsentes sint: vnde nec ipsa corporalia possunt prohibere, quin videamus ea, & in necessitate habent hoc, scilicet quod videamus ea. Sed in spiritualibus ita est, quod in sua potestate, & voluntate est, quòd à nobis videantur, & non in nostra est videre ipsa, immò benè possunt prohibere ne videantur; & benè possunt se manifestare, sicut patet in angelis. In potestate ergo corporis gloriosi [illegible] est per naturam animæ, quia viuum est, & quia spirituale est, quod videatur: sed non in nostra potestate, vel voluntate, quod ipsum videamus. Et sic benè concedo, quod solùm *Aug. ad Paulinū.*

[illegible] der [illegible]

¶ [illegible] di [illegible] conueniens [illegible] lux. Et est [illegible] habere [illegible] illuminatem, sicut in cœlestis. & hæc est [illegible] enim [illegible] habet multiformitatem in op[illegible]re, ita & in virtute, [illegible] natura, & lumine. Tertio modo est lux in natura non habet te contrarietatem, nec multiformitatem: & talis est lux cœli empyrei. & talis similiter est natura lucis in corpore glorificato, sicut in cœlo empyreo: quia est locus eius; vnde ei proportionatur. Natura lucis primo modo dictæ cum est in excellentia, nullo modo habet conuenientiam cum oculo, sed contrarietatem ratione humiditatis, cui contrariatur: & propter hoc existens in sua excellentia, corrumpit oculum. Natura autem lucis secundo modo non habet conuenientiam [illegible]liter cum oculo in sua excellentia: quia nullo [illegible] conuenit cum omnibus naturis oculi, cùm sit in oculo natura humiditatis, siccitatis, frigiditatis. Et propter [illegible] ula natura lucis sit habens multiformitatem [illegible] natura multiformis non conciliet multiformẽ naturam, quæ est oculi: ideo excedens in sua excellentia non con[illegible] naturam oculi: & ideo ab ipsa natura oculi læditur [illegible] ipsa oculus delectatur, sed offenditur. Sed natura [illegible]formis conciliat naturam difformem: & ideo natura lucis glorificati corporis conciliat, & confortat naturam, quæ est in oculo; quæ multiformis est, ita quod in aspectu ipsius oculus delectatur, & ideo visibilis est oculis [illegible]poralibus sine offensione.

QVÆSTIO XXII.

De Argumentis Resurrectionis Iesu Christi.

In duo Membra, & in septem articulos diuisa.

D.Tho. 3.part.q. 55. Act.1. CONSEQVENS est, adiuuante Domino, inquirere de demonstratione Dominicæ Resurrectionis, postquam facta est, de qua Act. 1. *Prabuit se ipsum viuum per dies 40. apparens in multis argumẽtis.* Circa quod negotium quæritur: primò in generali: deinde quæritur in speciali.

MEMBRVM I.

De argumentis resurrectionis Iesu Christi in generali.

IN generali quæruntur quatuor: Primò, quomodo dicatur hęc apparitio. Secundò, an argumenta apparitionis [illegible] fidem. Tertiò, vtrùm argumenta illa euacuarent fidem quantum ad meritum. Quartò, de numero & sufficientia horum argumentorum.

ARTICVLVS I.

An veteris nouiq; Testamenti apparitiones eiusdem rationis sint?

August. in libr. de Trin. PRIMVM multipliciter inueniri potest ex verbis Augustini, vbi dicit: quod legitur Dominus apparuisse in veteri Testamento, vt Abrahæ, Genes. 18. & Moysi in rubo, Exod. 3. legitur etiam apparuisse in Nouo post resurrectionem: sicut habetur in fine omnium Euangeliorum. Si ergo sunt apparitiones & hæ, & illæ: quæritur, vtrum erat [eiu]sdem rationis sint: & si non, in quo conueniant, & in quo differant.

RESOLVTIO.

Q[illegible] omninò ab inuicem differunt.

¶ A[D] QV[illegible] dicimus: quod illa apparitio, quæ fuit in [illegible], potest dici manifestatio diuinæ naturæ [illegible] subiecta creatura mutabili. Oportet [illegible] dicit Augu[st.] dicto lib. quòd creatura illa [illegible] quæ [illegible] sicut ibi omne, quod visibile [illegible]e est. Apparitio verò prout in Nouo potest dici corporis impassibilis quasi passibilis ostensio.

Idem.

ARTICVLVS II.

An [illegible] apparitionis [illegible] fidei [illegible]

Act.1. P[illegible] An [illegible] Ad [illegible]ud [illegible] *[illegible] Apostolis [illegible] argumentis [illegible] per [illegible] dies [illegible] loquens de regno Dei [illegible]* quod ad probationem & ad faciendam [fidem resur]rectionis fuerunt apparitiones illæ. Vnde Dama[sc.] dicit quod ad certificandum vel credi faciendum fecit quod illud, quod passum est, resurrexit. Damasc.

¶ SED tunc obijcitur: quoniam videtur, quòd per illas apparitiones magis infirmata sit fides resurrectionis, quàm confirmata. Primò, quia si apparuit visibilis, & ab oculis non glorificatis; omne autẽ huiusmodi visibile (sicut dicit August.) mutabile est: apparuit ergo vt mutabilis. Si ergo resurgens gloriosè immutabilis debet esse factus: plus debet illa apparitio dare credi; quod non resurrexisset gloriosè, quàm oppositum.

¶ SECVNDÒ, quia præbuit se ipsum palpabilem: si ergo in palpatione illa non solùm fuerunt extrema contingentiũ, immò etiam immutatio tangentis à contingente (aliter enim non esset palpatio) tangens autem erat corpus non glorificatum: ergo præbuit se palpabilem secundùm qualitates tactus: huiusmodi autem sunt calidum & frigidum, asperum & lene, fluidum & solidum, &c. Si ergo istæ non sunt corporum glorificatorum, magis ex his faciebat se credi talem, qui non resurrexisset gloriosè, quã qui resurrexisset.

¶ PRÆTEREA Ioan. 20. dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc: & manum tuam in latus meum.* Si ergo inferre vel immittere potuit concauitatem: videtur quod adhuc in latere erat concauitas. Si ergo illa concauitas non erat ibi à natura, in resurrectione autem gloriosa (sicut dicit Augustinus) remouentur omnes deformitates, quæ præter naturam acciderent: & glorificabatur corpus in illa dispositione, quæ erat benè dispositum secundum naturam: & concauitas illa non erat amota: magis potuit videri non resurrexisse, quàm resurrexisse gloriosè. Aut si tu dicis, quod non erat ibi concauitas, quamuis ostenderetur: tunc fuit ibi fictio; quod inconueniens videtur. Ioan. 20. August. in lib. de ci. uit. Dei.

RESOLVTIO.

Cùm huiusmodi argumenta apprimè declarẽt, illum eundem Christum, qui iam passus fuit, resurrexisse gloriosum, & inuictum, quæ summoperè ad resurrectionis veritatem ostendendam requirebantur; illius fidem astruere omnino dicenda sunt.

¶ AD hoc dicimus: quòd cùm resurrectio sit motus à mutabilitatẽ ad immutabilem, sine insinuatione mutabilitatis præcedentis, & immutabilitatis sequentis non mõstrabitur resurrectio. Vnde spiritus immutabiles non dicuntur resurgere: nec corpora, si semper fuissent mortalia, resurgere dicerentur: vnde Damasc. *Resurrectio est eius, quod cecidit, iterata surrectio.* Secundùm hoc ergo ad probandum resurrectionem Christi non solùm oportuit manifestari gloriam, quam habuit vel habebat: sed passionem, quæ præcesserat gloriam, & etiam quia ille idem, qui prius fuerat passus, erat idem qui nunc est gloriosus. Et secundùm hæc partita sunt argumenta apparitionum. Quod enim præbuit se palpabilem in loco vulnerum, argumentum fuit, quod passus fuerat: Quòd autem intrauit ianuis clausis: argumentum fuit eis, quod erat corpus gloriosum: non quia hoc perpenderent sensu exteriori: sed conferendo in ratione, sensu præuio, poterant hoc cognoscere. Si enim priùs non erat ibi, & postmodum erat, cum fores essent clausæ ante & post: poterant intelligere, quod intrauerit ianuis clausis, & ex h[illegible] vlterius quod [illegible] spiritus, vel corpus subtile: sed non erat sp[illegible] bene videbant ex palpatione [illegible] poterant intelligere, quod erat corpus illud glor[iosum]. Q[illegible] Damasc. lib.4.cap. vlt.

præbuit

præbuit se visibilem sub eisdem lineamentis, & forma, & figura, sub quibus erat ante resurrectionem: hoc fuit argumentum, quòd idem qui prius fuit passus, postea fuit gloriosus.

¶ Ad primum ergo, quod obijcitur: quòd omne visibile mutabile est: ergo si apparuit vt visibilis, apparuit vt mutabilis. Dicimus, quòd si dicatur ibi mutabile pro mobili secundùm locum: sic corpus glorificatum benè fuit mutabile: agilitas enim est dos ipsius corporis gloriosi. Si autem dicatur mutabile pro corruptibili: tunc non sequitur, fuit visibile, ergo mutabile, id est corruptibile: sed sequeretur, ergo corruptibile, vel tanquam corruptibile. Et hoc verum est solùm, quòd corpus Christi tanquam corruptibile, non tanquam gloriosum videbatur ab illis.

¶ Similiter autem ad illud, quod obijcitur de palpatione, respondemus: quòd sunt quædam sensibilia propria, quædam communia. Tactu ergo in palpatione corporis Christi non fuit comprehensa differentia sensibilis proprij, vtpote quòd esset calidum, vel frigidum, vel aliquid huiusmodi: sed perceptum fuit, quod esset corpus: & quod talis figuræ, & talis formæ: vnde non sequitur, fuit palpatum, ergo calidum, vel frigidum, vel huiusmodi: sed solùm quod fuit corpus, vel sic figuratum, vel sic formatum. Si ergo obijcitur: quòd si fuit ibi tactus, fuit ibi immutatio. Dicimus, quòd hæc mutatio non fuit ex parte eius, quod recipiebatur: sed magis ex parte recipientis.

¶ Similiter autem ad illud, quod tertiò obijcitur dicimus, quod de illo differenter sentiunt ipsi Sancti: quoniam secundùm Augustinum, quando quærit, vtrùm indicia martyrij remanebunt in ipsis corporibus martyrum glorificatis. Respondet Augustinus: *Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit: sed si hoc decebit in illo nouo seculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illa carne immortali cernantur, vbi membra vt præciderentur percussa vel secta sunt; ibi cicatrices: sed tamen eisdem membris redditis non perditis apparebunt. Secundùm Damascenum, & Augustinum similiter dicendum, huiusmodi cicatrices quod remansissent in carne Christi glorificata, dispensatio erat, non natura. Vnde dicit: *Eorum, quæ post resurrectionem Deo dignorum modi sunt diuersi: nam & hæc vere non secundùm naturam, sed secundùm dispensationem ad certificandum vel credi faciendum; quoniam ipsum, quod passum est, corpus resurrexit: vt cicatrices, cibatio, atque potatio: quæ post resurrectionem fuerunt. Alia verò & secundùm naturam: vt transire de loco ad locum infatigabiliter, & per ianuas clausas intrare. Alia secundùm fictionem, vt illud: finxit se longiùs ire.* Vnde vult, quòd secundùm tres differentias fuerunt illa in corpore glorificato, quæ ostensa sunt: quædam secundùm naturam, quædam secundùm fictionem, quædam autem secundùm dispensationem. Et hoc modo fuerunt in eo cicatrices secundùm dispensationem, non quòd dispensatio tolleret veritatem; sed dispensatione fiebat hoc, vt remanerent cicatrices, vt nostram fidem confirmaret.

Augus. in lib. xxi de ciui. Dei, cap. 20.

Luc. 21.

Damasc. lib. 4. de orthod. fide, c. 19.

¶ Si ergo obijcitur: quòd à conditione, vel à prima dispositione corporis Christi, non erat ibi cicatrix: ergo nec in glorificatione debuit remanere. Potest dici; quòd glorificatio respicit creationem in corpore Christi, & etiam redemptionem. Et si ergo non quantum est ex primo respectu, tamen quantum est ex secundo debuerunt remanere cicatrices in glorificato, etiam ad maximum speciei corporis decorem, vnde dicitur: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine.*

Apoc. 19.

ARTICVLVS III.

An isthæc eadem argumenta fidem euacuarent quantum ad meritum.

Deinde quæritur, vtrùm illa argumenta euacuaueri̅t fidem quantum ad meritum? Ad quod sic Greg. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ergo si eis fecit Christus argumenta, quibus possent suam resurrectionem capere, etiam ad sensum humanum: videtur quòd in ipsis non haberet amplius fides resurrectionis meritum.

Gregor.

¶ Idem Gregorius: *Operatio diuina, quæ ratione comprehenditur, mirabilis non est.* Si ergo ad hoc fuerunt argumenta, vt facerent illam resurrectionem ratione comprehendi: videtur quòd non fuit mirabilis: Sed non est meritorium credere, nisi quod est mirabile: videtur ergo quòd nõ fuit illud meritorium credere.

Idem.

RESOLVTIO.

Si ipsis solis, nec fidei inhærebatur, meritum euacuabatur: at si vnà cum eis & fidei etiam inhærebatur, nequaquam meritum amittebatur.

¶ Responsio. Dicimus, quòd si accipiens innitatur argumentis, & rationibus, & non ipsi fidei: ibi proculdubio non habet fides meritum. Ex ea autem parte, qua ipsi fidei innititur: etiam si habeat rationes & argumenta ad idem; nihilominus tamen meritum habet fides ex ea parte, qua ipsi innititur. Vnde Ioan. 4. *Iam non propter tuam loquelam credimus.* Samaritani primò audierunt quædã, quibus quasi introduci à muliere potuerũt: sed postea audierunt ipsum Iesum tãquam de sursum, & tunc demum crediderunt, vnde dixerunt: *Iam non propter tuam loquelam, &c.* Similiter discipuli acceperunt illa argumenta tãquam introductiua, vt illuminati quodam modo hac illuminatione inferiori, faciliùs se subijcerent illi illuminationi, quæ de sursum est: secundùm cuius receptionem est fides.

Ioan. 14.

Ibidem.

¶ Ad aliud dicimus, quòd (sicut dicit Augustinus) illud dicitur comprehendi propriè, cuius termini totaliter circumspiciuntur. Operatio ergo resurrectionis mirabilis est, nec potest totaliter comprehendi: immò solùm à parte inferiori attingi potest, sed comprehendi nõ: quia gloriam resurrectionis, & virtutem videre non possumus ad plenum in præsenti; tamen à posteriori possumus eam intelligere, secundùm quod dicit Gregorius: *Ex ipsa rerum specie: quod rationales sumus; possumus intelligere resurrectionem.* Et similiter Augustinus: *Si cursum naturalem rerum videamus, certius erit nobis, resurrectionem futuram, quàm solem cras fore ortiturum. Hæ enim præsumptiones sunt, non causæ.*

August. in lib. de videndo Deo.

Gregor. August. in li. de quantitate animæ.

ARTICVLVS IIII.

Quæ, & quot numero fuerint isthæc argumenta: tum & sufficientia.

Consequenter quæritur, de numero, & sufficientia argumentorum. Ad quod sic. Patet enim ex his; quæ dicta sunt: quòd quædam ostendunt ipsum esse corpus, vt visio, & certius palpatio. Quædam autem, quod esset corpus motum à spiritu, sicut manducatio: quod enim non est motum à spiritu corpus, non posset manducare. Quod autem esset vnio corporis ad spiritum sicut ad formam, hoc non poterat ostendi per sensum, sed per rationem: vnde argumentum huius potuerunt habere, tum ex verbis quæ eis dixerat ante resurrectionem, vt Matth. 16. & 20. quãdo dicebat eis ante passionem se esse passurum, dicebat postmodum, & se esse resurrecturum: quibus etiam in Emaus, Luc. vltim. aperuit scripturas, vt ipsi intelligerent de eius resurrectione. Fuit ergo argumentum ex parte cognitionis verborum & scripturarum: vt ipsi cognoscerent & conferrent. Quòd si animatus fuerat, & habens spiritum sicut formam corporis; & non sicut motorem tantùm, quando dixit illis verba, & passus est: ita etiam nunc animatus esset habens spiritum sicut formam corporis. Quod autem esset illud corpus gloriosum, fuit argumẽtum per intrationem ianuis clausis factam: quamuis enim non possent videre oculis, potuerunt tamen perpendere ex ratione subtilitatem & glorificationem ipsius.

Matt. 16. & 20.

Luc. vlt.

(***)

RESOLVTIO.

Duplicia fuêre isthæc argumenta, quædam scilicet promouentia sensum, quædam excitantia intellectum. Quod est: quædam ostenderunt eum esse corpus: quædam corpus motum à spiritu, quædam motum à spiritu tanquam à forma: & quædam corpus glorificatum.

¶ SED QVÆRITVR hic: cùm sint quatuor dotes, quarum claritas est principalis (vnde secundùm illam dotem assignatur differentia glorificatorum 1. Cor. 15. *Alia est claritas, &c.*) quare secundùm apparitionē illius dotis, quæ est claritas, non fecit ipsis discipulis argumentum resurrectionis, sicut secundùm subtilitatem: secundùm hoc enim manifestauit se in transfiguratione, Matth. 17.

1. Cor 15. Matt. 17.

¶ SOLVTIO autem huius est, quòd ipsi non possent videre claritatem istam: si se secundùm claritatem manifestaret illis post resurrectionem. Vnde Augustinus: *Caro Christi glorificata resurrexit: sed noluit in illa claritate discipulis suis apparere: quia non possent oculis mortalibus claritatem talem conspicere.* Si enim eum in transfiguratione discipuli videre non potuerunt, quantò magis in resurrectione? Quod intelligendum est secundùm propriam virtutem: possent tamen secundùm virtutem diuinam roborantem ipsam sensitiuam. Aliam verò rationem habes suprà in præcedēti Quæstione de Transfiguratione.

Aug. ad Orosium

¶ SIMILITER autem si quæratur: quare non manifestauit se per manifestationem aliarum dotium, sicut impassibilitatis, & agilitatis? Dicunt quòd nō potuit esse. Impassibile enim vniuersalitatem dicit, vniuersale autem nō potest ad plenum manifestari nisi per partes. Si ergo ostēdisset se impassibilem ab hoc: non propter hoc ostenderet se impassibilem respectu aliorum, quæ non erant ibi. Similiter autem est de agilitate. Si enim ostendisset se agilem respectu huius loci, non propter hoc ostendisset in alijs: vnde hæc non poterant ita citò comprehendi, nisi à ratione recta per gratiam: & ita per solam dotem subtilitatis voluit illis facere argumentum suæ resurrectionis. Sed melius dicendum videtur, quòd ad subtilitatē sequebantur impassibilitas & agilitas: subtilitas enim corporis gloriosi ponit potentiam actiuam, cui non posset obsistere quæuis resistentia alterius corporis: ex quo sequitur ꝙ impassibile. Item subtilitas ponit subtractionem omnis grossitiei & grauedinis corporeitatis, ad quod sequitur dispositio agilitatis.

MEMBRVM II.

De eisdem argumentis in speciali.

CONSEQVENTER quæritur de argumentis apparitionis in speciali. Et quæruntur tria. Primò de argumento quantum ad visum. Secundò quantum ad tactum. Tertiò quantum ad gustum ipsius Christi.

ARTICVLVS I.

Quid est, quod Marcus Euangelista cap. vltimo sui Euangelij dicit, Dominum Iesum Christum ostensum esse in alia effigie duobus illis in villam euntibus?

Marc. vlt. CIRCA primum autem quæritur sic: Marci vlt. dicitur quòd Dominus apparuit in alia effigie: aut ergo apparuit in effigie corporis glorificati visui non glorificato: & tunc cùm improportionalis sit natura corporis glorificati visui glorificato; secundùm priorem autoritatem August. ad Orosium supradictam; non potuit videri à visu non glorificato. Si in specie corporis non glorificati, aut ergo illa species erat in illo corpore Christi: & sic duæ species erant in eodem, scilicet species glorificata & non glorificata: aut erat illa species in aëre circumfuso: & sic non erat ibi veritas, sed phantasma.

Aug. ad Orosium

Luc. vlt. ¶ PRÆTEREA, si visus euntium in Emaus immutatus est, cùm motiuum visus non glorificati propriè sit coloratum: videtur; quòd in corpore Christi esset color. Quòd si conceditur, contrarium est: quoniam natura coloris non saluatur in natura corporis glorificati: dicitur enim color extremitas perspicui in corpore terminato: sed non est huiusmodi natura in corporibus glorificatis, immò totaliter peruia creduntur esse. Item, si corpus stellarum non videtur sub colore, qui sit ipsarum, immò si videntur sub colore, ille est color alienus: multo magis corpora glorificata, quæ lucidiora sunt stellis; non habebunt colorem in se.

¶ PRÆTEREA, si corpus glorificatum longè excedit non glorificatum; & passio similiter excedit passionem: & similiter ratio videndi longè erit alia in his, & in illis. Si ergo ratio videndi corpus non glorificatum, est color: ratio videndi glorificatum non erit color, sed longè aliud: ergo non viderunt ipsum sub colore; neque alio modo possent videre, nisi sub colore: ergo penitus nō viderunt eum.

¶ PRÆTEREA, cū improportionata sint corpus glorificatū, & oculus nō glorificatus: aut ad hoc ꝙ proportionarētur ad inuicē, deposuit suam dispositionē: aut eleuauit visum eorū: aut ipsum corpus habebat: ꝙ quādo volebat, poterat videri, & ostendere se talem: & quando volebat talem. Si primo modo, hoc non videtur: quoniam cōstat, quòd dos, quæ est dispositio, perpetua est: sed quod amouetur aliquando, non est perpetuum: ergo non deposuit dispositionem suam. Si secundo modo: aut tantùm sublimauit visum eorum, vt glorificaretur, aut non. Si remansit non glorificatus; quantumcunque eleuaretur, nondum habuit proportionem ad corpus glorificatum: non ergo viderunt ipsum adhuc. Si dicatur, quod fuit glorificatus: hoc non videtur verum; constat enim quod is est ordo, vt ab incompletione viæ veniatur ad perfectionem patriæ: nunquam econuersò. Si ergo glorificatus fuisset eorum visus, nunquam postmodum fuissent sub differentia opposita: fuit autem istud: constat ergo quod non fuit glorificatus. Si dicatur tertio modo, tunc objicitur sicut prius: quoniam nihil poterat ostendere (nisi vellet decipere) nisi quod erat in se. Erat ergo vtrumque in ipso: ergo corpus illud & erat gloriosum, & non gloriosum: quod est inconueniens.

¶ ITEM, similiter potest objici de illa specie peregrina, in qua Dominus apparuit. Si enim erat in ipso, cùm hæc non esset gloriosa; erant ibi duæ species. Si autem non erat in ipso, ergo tantùm erat ludificatio: hoc autem falsum est.

¶ PRÆTEREA, *Tenebantur oculi eorum, ne ipsum agnoscerent.* Quæritur ergo, aut tenebantur respectu speciei gloriosæ, aut respectu non gloriosæ. Non respectu gloriosæ, quia constat quod eam videre non poterant, ad quid ergo impedirentur ab eo, vel dicerentur impediri. Si respectu non gloriosæ, quomodo tenebantur, cùm illam capere valerent. Luc. vlt.

RESOLVTIO.

Effigies illa altera, qua Dominus totus duobus illis in villa euntibus osten'us est id est non glorificata; non talis fuit ex parte Christi ostendentis; quippè qui omninò gloriosus erat; sed ex parte videntium, claritatem sui ferre non potentium.

¶ CIRCA solutionem huius quæstionis, nota primò opinionem probabilem Præpositiui: dicit enim quòd corpus glorificatū naturaliter potest videri, & à corpore glorificato, & non glorificato; similiter & palpari. Sed in hoc est differentia, quòd corpus nō glorificatum tangitur, detinetur, & videtur, velit nolit: sed corpus glorificatū, quādo vult, præbet se visibile: quando non vult, præbet se nō visibile, sicut super illud: *Apparuit Angelus, &c.* dicit Ambr. de angelis: quòd in potestate illorum est apparere, & videri, quando volunt: & non videri, quando non volunt. Luc. 1. Ambros.

¶ SECVNDÒ nota opinionem Altisiodorensis, quæ est: quòd corpus glorificatum videtur à nō glorificato: & hoc per mutationem factam à parte vidētis. & aliquo modo per virtutem glorificationis. Vnde dicit, ꝙ in corpore Domini nō fuit nisi vna forma, scilicet glorificata: sed inde quando placebat ei, mutabat visum intuentium; ac si esset non glorificata: sicut Cameleon auis, quæ viuit ex aëre, non habet nisi vnum colorem: sed ex oppositione multorum colorum in aliis corporibus, diuersorum Altisiod.

colorum

colorum videtur esse, sicut est in Cameleone, & Topatius: vnde idem color non semper eodem modo immutat. Similiter vnicum colorem habuit Dominus: sed siue per miraculum, siue per potentiam corporis glorificati, nó eodem modo semper immutat. Clarum ergo fuit corpus Domini per naturam: sed per potentiam ostendebatur vt obscurum, quantum ad effectum, seu secundùm modum immutandi, & ista non sunt contraria: sicut sunt contraria in Cameleone, & Topatio. Dicit ergo, quòd forma illa, seu ille modus immutandi in corpore Domini erat; non propter hoc tamen contraria erant in eodem.

¶ Sed opinionibus istis obijcitur per rationes prædictas.

¶ Propterea dicendum tenendo mediam inter prædictas opiniones: quòd in Christo tantùm fuit species vna, & gloriosa in se: veruntamen quia receptum non est in recipiente nisi secundùm modum recipientis; ideo licèt esset gloriosa, ipsis tamen videbatur non vt gloriosa; non à parte ostendentis, sed à parte illorum, qui non aliter poterant capere. Exemplum autem est de sole, qui & si propter luciditatem suam improportionabilis sit visui, videtur tamen: quia secundùm descensum solis ad proportionem contingit ipsum videri ab oculo. Descendit enim sol in radio, & radius iterum descendit ad nubem, vel aliud huiusmodi: & in illa via dicimus nos videre solem, etiam aliquo modo sub colore: quamuis nullum colorem habeat de se: immò color iste est eius, ad quod ipse sol descendendo, proportionatus est oculis nostris: dicimus ergo, quod videmus solem, non tamen videmus eum in sua luciditate: nec dicimus eum habere duas species. Similiter autem dicimus quod descendit natura ista glorificata, quæ lucidior est sole, vsque ad transparentia media, in quibus aliquo modo visibilis facta est, non tamen vt gloriosa: nec ideo tamen dicenda est alia species, sed vna & eadem: quæ non potest à nobis videri, prout est, propter debilitatem nostram. Præter hoc autem dicimus, quod natura humana, quantumcunque glorificetur; cùm nihil perdat de veritate humanitatis, semper seruat naturam elementarem: ex qua verissimè fuit, & est: quamuis sit occultata propter dominium naturæ cœlestis, quæ est lux. Quia ergo ibi est natura elementaris; & si non dominans: color autem sequitur naturam elementarem: ideo non euacuatur penitus natura coloris à corpore glorificato: vnde erit ibi aliquid de natura coloris, quamuis per dominium sit lux. Quia ergo corpore glorificato potest vti anima secundùm quamlibet naturam ipsius corporis, non est incóueniens vt oculis glorificatis ostendat se secundùm naturam, quam capere possunt, lucis: nó glorificatis autem, qui naturam lucis accipere non possunt, ostendat se secúdùm illud, quod habet proportionem cum illis: Et ita nó erit sicut de sole qui videtur sub colore alieno solum: quia illud corpus est naturæ elementaris, & si occultatæ & subiacentis naturę cœlestis dominantis. Nec tamen erunt ibi duæ species: immò cùm species dicat completionem, vna autem sit completio, erit vna species: tamen ibi sunt plures naturæ, secundùm quas ostendit se vnicuiq; secundùm illud, quod est in ipsa, proportionabile videnti. Credimus tamen quod iste color non erit eiusdem rationis cum colore, qui nunc est: immò longè alterius.

¶ His ergo visis facilè est respondere ad obiecta. Non enim sequitur, si non videbatur sub specie gloriosa, ergo non erat gloriosum; quoniam ratio huius speciei non erat ex parte visi, sed ex parte videntium: & ideo non glorificatio plus debet argui ex parte videntium, quàm in viso.

¶ Quod autem quæritur: vtrùm sit ibi color. Iam patet responsio per prædicta: non enim erit ibi sicut in complemento, sicut est hic: nec sub eadem ratione.

¶ Quod obijcit de stellis, quæ non videntur sub proprio colore. Iam visum est, quod non est simile, cùm nihil sit in eis de natura elementari.

¶ Quod obijcit similiter: quòd si corpus glorificatum excedit non glorificatú: ergo & ratio videndi ibi rationé videndi hic: ergo si hic est ratio videndi color, ibi nó erit. Potest dici, quod nó sequitur: ergo non erit ibi color: sed sic, si est color, non erit eiusdem rationis, cuius & nunc.

¶ Similiter quod quæritur: quid prædictorú fuerit in illa visione: Dicimus, quod quando voluit manifestauit hoc, quádo voluit illud. Si enim angeli hoc possunt facere de corporibus non glorificatis, multo magis potest fieri de corpore glorificato.

¶ Sed si obijciatur: quod similiter se habet non glorificatum ad non videri, & glorificatum ad videri: si nó potuit facere anima quantumcunque potens, vt non glorificatum nó videretur: neque potuit facere vt gloriosum videretur. Hæc obiectio non rectè arguit, immò si tantá est imperfectio in corpore non glorificato, ex hoc debet argui magna perfectio in corpore glorificato. Sed maior est perfectio, & maior designatio potentiæ si corpus glorificatum potest & manifestari sicut vult, & occultari, quàm si posset occultari tantùm: immò hoc vltimum videretur quasi imperfectionis esse & impotentiæ: & ideo vtrumq; potest, quamuis de imperfectione non glorificati sit, vt nó possit occultari.

¶ Ad aliud, quod quæritur de illa specie peregrini, dicendum, quod (sicut dicit Gloss. ibi) proportionabatur visus exterior interiori, vnde Gregorius super illum locú: *Hoc egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud illos agebatur in oculis cordis: apud semetipsos intus amabant, & dubitabant. & Dominus præsens eis aderat propter hoc quod amabant: sed aberat propter illud quod dubitabant.* Et ibidem Gregorius: *Talem se exhibuit eis exterius in corpore, qualis erat eis in méte.* Hoc etiam possumus nos videre frequenter, quod dubitatio interior animæ facit etiam exteriorem dubitationem: vnde cùm dicitur de hoc homine, quod alibi sit, si aliquo casu videretur, hic ratione interioris dubitationis crederetur non esse, sic cùm dicitur: Tu solus peregrinus, intelligitur peregrinus, id est extraneus, secundùm quod eis videbatur propter dubitationem interiorem. Vnde secundùm hoc dicit Beda: *Non veritate fallente, &c.*

Greg homil. 23 in Euangel. Lucæ vlt.

Idem ibidem.

Beda.

¶ Ad aliud, quod quæritur, ratione cuius tenebantur oculi, vtrùm respectu speciei gloriosæ; vel non gloriosæ? Dicimus, quòd non respectu huius, nec illius: sed tenebantur oculi eorum, quò ad hoc, ne ex visu eius, quem intuebantur exterius, possent interius perpendere eum esse Iesum Christum. Luc. vlt.

¶ Si quæratur, quare potiùs cognitus est in hospitio, quàm in itinere? Dicendum, quòd hoc fuit propter modum suum frangendi panem, quem viderunt in domo. Vel secundùm Gregorium, ad significandum, quòd melius cognoscitur veritas opere, quàm prædicatione. Vnde Gloss. *Quem in expositione scripturæ non cognouerunt, in fractione panis cognouerunt: quia non auditores legis, sed factores iustificantur.* Et, *Veritas melius operando, quàm audiendo intelligitur.* Vnde, *A mandatis tuis*, agendis scilicet, *intellexi.*

Dubitatio. Gregor. Gloss. Lucæ vlt. Rom. 2. Psal. 118.

¶ Item, si quæratur: quare plus in fractione panis eum cognouerunt, quàm in alio actu. Dicunt quòd hoc fuit propter quendam specialem modum frangendi ex virtute manus Christi: quia sua fractio erat velut cultelli incisio. Dubitatio.

ARTICVLVS II.

De argumento quantum ad tactum.

SEQVITVR inquirere de argumento, quod fuit sumptum ex cicatricum ostensione, & ex palpatione: *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet.* Et primò de eo, quod ex palpatione. Secundò de eo, quod ex cicatricum ostensione. Luc. vlt.

An corpus Christi palpatum sit, palpabileq; fuerit post resurrectionem à discipulis. §. 1.

¶ Ad Primvm sic: dictum est priùs, quòd in palpatione ostendebatur corporis figura vel forma, quæ sunt sensibilia communia. Sed ostenditur quod percipiebatur in palpatione sensibile proprium, hoc modo. Sensibile diuiditur in sensibile per se: & sensibile per accidens. Per accidens autem sensibile nunquam sentitur sine sensu per se. Iterum autem per se diuiditur in sensibile per se & primò, & per se & non primò. Per se & primo sensibile est proprium: per se & non primò est commune.

Ex quo

Ex quo relinquitur, quòd quantumcunque esset sensibile commune in aliquo, nunquam comprehenderetur sensu particulari illud, nisi in eodẽ subiecto esset sensibile proprium respectu eiusdem sensus: quamuis enim aër sit quātus, nunquam * potest videri quantitas aëris, & hoc quia non est color in aëre, quo viso videatur magnitudo vel quantitas vel figura ipsius aëris. Ex quo iterum relinquitur, quod non percipitur sensibile commune nec à tactu, neque ab alio sensu, quin percipiatur aliquod proprium. Si ergo propria sensibilia, secundùm quæ immutatur tactus non glorificatus, sunt calidum & frigidum, durum & molle, & huiusmodi: hæ autem sunt qualitates corporum non glorificatorum: ergo corpus Christi in isto tactu erat molle & durum: & ita vt videtur corpus non glorificatum, ergo si fuit glorificatum, non fuit palpabile ab illis.

al. tamē potest.

¶ ITEM: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere*: ibi Glos. *Igitur post resurrectionem Dominus in corpore suo duo contraria ostendit, scilicet corpus palpabile, & eiusdem naturæ, vt informet ad fidem: & incorruptibile alterius, gloriæ vt inuitet ad præmium.* Si ergo hæc ostendit: aut verè in ipso erant, aut non: si non, videtur fuisse deceptio, scilicet, ostensio eius quod non est: si sic, ergo fuerunt vera contraria in eodem.

Luc. vlt. Glos. ibi.

¶ ITEM, palpabile & incorruptibile sunt contraria. Ad palpabile enim sequitur corruptio, vt dicit Gregorius: Omne, quod palpatur, necesse est corrumpi; & ita omne palpabile est passibile, ergo verè sunt contraria in eodem.

Greg. homil. 36. Paschæ in Euangel.

¶ QVÆRITVR etiam ex alia parte: quomodo sint contraria incorruptibile seu glorificatum, & palpabile. Hoc etiam non videtur: quoniam Lucæ vltimo super dictum locum dicit Beda, de corpore cuiusque resurgentis loquens: *Post resurrectionem est corpus nostrum subtile per effectum spiritualis potentiæ, & palpabile per veritatem naturæ.* Sed q; est de veritate naturæ, nō tolletur in gloriosa resurrectione, ergo etiam quodlibet corpus glorificatum erit palpabile. Non ergo videntur contraria, nec in Christo, nec in alio; corpus glorificatum & palpabile: quid est ergo, quod dicit Gregorius.

Beda.

RESOLVTIO.

Corpus Christi tametsi glorificatum à discipulis nondum glorificatis post resurrectionem palpari potuit, & palpatum est: idq; ex veritate suæ naturæ, & ex natura suæ glorificationis.

¶ CIRCA hanc quæstionem nota diuersas opiniones. Generalis solutio est: quòd corpus glorificatum non est palpabile naturaliter à manibus non glorificatis, sicut nec visibile ab oculis non glorificatis: sed palpabile est à manibus glorificatis. Conceditur ergo, quòd palpatum fuit corpus à manibus discipulorum post resurrectionem, sed miraculosè. Et palpabile & incorruptibile non sunt contraria simpliciter, sed secundùm rationem naturalem sunt contraria: ratio enim negotians circa corpora, quæ inuenit palpabilia, ponit esse corruptibilia; quia non consueuit palpare nisi corpora corruptibilia: quia ergo contraria sunt secundùm rationem naturalem, ideo ponit Gregorius illa esse contraria: licèt simpliciter non sint contraria. Et sic patet solutio ad primum obiectum. Aliud soluitur per hoc, quod non valet hæc argumentatio: corpus Christi palpabile est à manibus discipulorum, ergo corruptibile: deberet enim addi, est palpabile per naturam, vel naturaliter, & hoc non est falsum: sicut non valet hæc argumentatio, hæc est virgo, ergo non peperit: sed sequitur, hæc est virgo, ergo non peperit naturaliter.

Aliorum sententia

Gregor.

¶ SED contra hanc solutionem multipliciter obijcitur: quia corpus Christi glorificatum aut est naturaliter palpabile à manibus non glorificatis, aut non: si sic, habeo propositum: si non, sed ante passionem erat naturaliter palpabile à manibus non glorificatis, ergo variata est natura: ergo corpus Christi glorificatum non est eiusdem naturæ, cuius erat ante passionem: & Gregorius dicit, quod eiusdem naturæ. Item, si eiusdem naturæ est, cuius & ante; sed manente causa, manet effectus: ergo cùm ante passionem palpabile esset ex natura, quam habebat, à manibus non glorificatis; & modò ex eadem natura est palpabile à manibus non glorificatis. Item, corpus Christi glorificatum, aut potest palpari à manibus non glorificatis, aut non potest: si non potest; contra, palpatum fuit à manibus discipulorum; ergo poterat palpari: si verò potest palpari à manibus non glorificatis; ergo naturaliter palpari potest à manibus non glorificatis; dicitur enim, quòd cæcus naturaliter, non potest videre, quia non potest videre naturaliter.

Greg. homil. 26. in Euangel.

¶ SVSTINENTES hanc opinionem, respondent dicentes vel distinguentes triplicem naturam. Vnam, quæ datur ad esse rei, scilicet naturales potētiæ: aliam, quæ datur ad benè esse, videlicet habitus naturales, per quos idonei sumus ad opera: tertia, quæ datur ad benè esse quātum ad nunc, scilicet vt fiant opera generationis, & corruptionis: vnde datur * interim homini grossities, secundùm quam est palpabilis, quæ remouebitur à resurrectione. Dicunt ergo, quòd non valet hæc argumentatio: hoc corpus glorificatum naturaliter non potest palpari à non glorificato, & prius poterat palpari naturaliter: ergo non est eiusdem naturæ, cuius prius: remanet enim palpabilitas naturalis: grossities ergo, quæ remota est, non est proprietas tangibilis; sed est medium, quo in præsenti fit palpatio: sicut medium in visu non est visibilis proprietas, sed lux, vel color. Tangibiles enim proprietates sunt calidum & frigidum, humidum siccum, asperum lene, molle durum, ponderosum leue: quorum nullum est grossities.

al. in præsenti.

¶ SECVNDVM autem Præpositiuum (sicut dictum est prius) diceretur, quòd corpus glorificatum secundùm nutum voluntatis est palpabile, & impalbabile per naturam. & huic consonant prædictæ autoritates. Et ad illud, quod primò obijciebatur, dicendum: quod impalbabile & incorruptibile non sunt contraria nisi secundùm naturalem rationem: naturalis enim ratio non consueuit inuenire palpabilia nisi corruptibilia. Ad secundum obiectum patet solutio, quod non valet secundùm istam opinionem: hoc est palpabile naturaliter, ergo corruptibile.

¶ SED contra vtramque opinionem sic obijcitur. Dicitur in Euangelio: *Fulgebunt iusti sicut sol.* Si ergo sol ex necessitate est visibilis naturæ: vnde videtur, si obijciebatur visui: eodem modo corpus glorificatum ex luce sua vel colore ex necessitate naturaliter visibile debet esse oculo non glorificato: & non ex voluntate sua videri, vel non videri: imò videtur, velit nolit; dummodò obiectum sit visui. Item, nihil est palpabile sine resistentia (hæc propositio est quasi per se nota) sed corpus glorificatum non resistit corpori non glorificato; est enim subtile & penetratiuum: vnde Dominus sine miraculo post resurrectionem intrauit ad discipulos ianuis clausis. Si ergo corporis glorificati ad non glorificatum non sit resistentia: glorificatum non est palpabile à non glorificato: subtile enim resistit subtili, & gloriosum glorioso: sed grossum non resistit subtili. Item, quando corpus glorificatum palpatur à non glorificato, aut sumit aliquam proprietatem, quam priùs nō habebat: aut nullam. Si nullam, ergo qua ratione modò est palpabile; & priùs: ergo si modò palpatur à corpore non glorificato, & priùs palpabatur; cùm æquè propinquè essent. Si aliquam proprietatem assumpsit; non nisi grossitiem; ergo cùm palpatur, est grossum, ergo non est subtile; ergo nec glorificatum.

Matt. 13.

¶ SOLVTIO. Secundùm vltimam opinionem, quæ nobis magis placet, dicendum est: quòd sicut lignum putridum, & quidam vermes duas habent proprietates, scilicet luciditatem, quæ de nocte videtur: & proprium colorem, qui de die videtur. Similiter corpus glorificatum duas habet proprietates: est enim palpabile per veritatem naturæ, & subtile per effectum spiritualis potentiæ: vnde cùm vtitur palpabilitate, potest palpari à corpore non glorifi-

glorificato: cùm verò vtitur subtilitate, non potest palpari à non glorificato. Sed quod luciditas ligni putridi vel vermis aliquando videatur, & aliquando non: non est de natura ligni putridi, sed ab extrinseco. At corpus glorificatum de natura suæ glorificationis habet, quod videatur, si vult; & si non vult, non palpetur. Vnde quod habuit Beatus Bartholomæus à miraculo non glorificatus: scilicet, quod videbatur, quando voluit: & non videbatur, quando non voluit: habet corpus glorificatum de natura suæ glorificationis.

¶ SECVNDVM hoc ergo facile est respondere ad obiecta. Ad primò ergo obiectum dicimus: quod non est simile de sole: quia corpus glorificatum dignioris potentiæ est, quàm sol: est enim corpus spirituale, vt dicit Apostolus, *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*: vnde in potestate sua habet videri & non videri: sol autem non habet potestatem spiritualem. Ad secundò obiectum dicimus: quod hæc est falsa: corpus glorificatum non resistit corpori non glorificato: immò quando vult, resistit: & sic præbet se palpabile: abscondit enim, quando vult, subtilitatem suam, per quam est penetratiuum: & vtitur palpabilitate naturali, sicut dicit Augustinus, quod Dominus quando apparuit discipulis suis, & præbuit se visibilem eis; abscondit lucem suam. Ad tertio obiectum dicimus: quod cum corpus glorificatum palpatur à non glorificato, non assumit aliquam nouam proprietatem: sed vtitur quadam proprietate, qua priùs non vtebatur, non videlicet palpabilitate: proprium enim est spiritualium apparere, quando volunt: sicut dicitur de angelis super *Luc.* 1. Et patet responsio ad omnia.

1. Cor. 15.

Aug in li. de ciuit. Dei.

Luc. 1.

¶ ALITER potest dici: quod reuera in ista palpatione fuit sed tactus: & non solummodo respectu sensibilis communis, sensus respectu proprij. Cùm enim naturæ impotentis in corporibus sit cedere, potentis verò sit resistere: corpus autem glorificatum nobilius & potentius sit non glorificato: multo magis potest resistere glorificatum non glorificato, quam econtra: quando vult ille, qui habet corpus glorificatum. Fuit ergò in palpatione Christi non solum sensus quantitatis vel figuræ: immò etiam ibi fuit sensus resistentiæ: & etiam secundùm magis & minus potuit percipi illa resistentia: dicit enim. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem*, &c. Vnde non solum oportuit vt resisteret quod palpabatur: immò etiam oportuit, vt differenti modo resistendi cognoscerent carnem & ossa: vt percipiendo quod hoc magis resisteret, illud minus, perciperent differentiam, quod hæc est caro, illud autem os. Fuit ergo resistentia ibi quasi proprium sensibile: sed in hoc est differentia à resistentia corporis non glorificati: quoniam resistentia in corpore non glorificato est secundùm dispositionem materiæ condensatæ: resistentia verò in corpore glorificato non est secundùm conditionem materiæ: immò magis ex parte virtutis, quàm materiæ.

Luc. 24.

¶ ET per hoc patet responsio ad primum. Ad secundùm autem notandum est: quod cùm in corpore glorificato sit natura duplex, sc. cælestis, & elementaris, habet aliã rationẽ palpãdi ratione naturæ cælestis, & aliã ratione elementaris. Quia ergò receptũ nõ fit in recipiente, nisi secundùm modum recipientis, intelligendum est, ꝙ licet ratio palpandi à corpore glorificato potuit esse ratione naturæ cælestis: ratio tamen palpandi à non glorificato fuit magis secundùm naturam elementarem, quod esset reuera corruptibile: si in eo dominaretur natura elementaris. Quia ergo apprehendebatur propter impotentiam accipientium magis secundùm naturam elementarem, quam secundùm cælestem: vt corruptibile apprehendebatur, quamuis non est corruptibile. Et propter hoc benè dicit Gregorius: quod Dominus ostendit duo contraria in corpore suo: non quod sibi essent contraria in se, sed quia modus, in quo ostenditur, erat contrarius qualitati ostensæ: tamen non ex parte ostendentis, sed ex parte eius, cuius ostendebatur.

Gregor.

¶ AD alia autem, quæ quæruntur, dicimus: quod duplex est palpatio. Est enim vna, quæ sequitur naturam corporis: secundùm quod corpus omne solidum esse dicitur, eò quòd corpus est: & hoc benè est in corporibus glorificatis; nec ponit corruptile de se: & de hac loquitur Beda. Est autem alia palpatio, quæ addit rationem quasi materiæ, vel materialitatis & grossiciei: secundùm quod distinguimus superiora ab his inferioribus, quod hæc sunt corpora materialia, illa autem non. Et hoc modo dicitur, quod sola palpabilia sunt grossa: quæ sunt densa, vel condensabilia secundùm rationem suæ materiæ: & hoc modo benè ponit palpatio corruptibilitatem. Et secundùm hoc loquitur Gregorius, cùm dicit: quod omne, quod palpatur, necesse est corrumpi.

Beda.

Gregor.

An B. Thomas Didymus Christi cicatrices tetigerit etiam, vel viderit tantùm?

§. 2.

¶ POSTEA quæritur, de cicatricibus, quæ in carne Christi apparuerunt: vtrum eas tangeret Thomas? Dicunt enim quidam, quod non tetigit illas: sed suffecit ei, quod Dominus ostendit sibi illas, & obtulit palpandas. Et ad hoc etiam inducunt, quod non dicitur. *Quia tetigisti me Thoma, credidisti*: sed: *Quia vidisti me*, &c. Vnde videtur, quod viderit tantum, & non tetigerit.

Ioan. 20.

¶ SED contra. Leo Papa. *Quis dubitet à mortuis redijsse Saluatorem? cuius præsentiam agnouit oculus, attrectauit manus, digitus perscrutatus est?* Ex quo videtur, quod tetigerit: & si hoc, redit quæstio; quare dicitur, *quia vidisti*, non *quia tetigisti?*

Leo Pa. 1.

RESOLVTIO.

Et vidit & tetigit: vidit sibi, tetigit nobis.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod Thomas & vidit & tetigit: sed ad suam fidem suffecit ei videre: quam cito enim vidit, credidit: vnde de ipso dicitur. Quia vidisti, &c. quia in visu fuit primum & sufficiens motiuum ad credendum. Quia autem nos possemus de eo dubitare, quod crediderat in visu tantum; ideò tetigit, vt nos crederemus. Sibi ergo vidit solum cicatrices; nobis autem non solùm vidit, sed & tetigit: vt nullatenus dubitemus. Vnde Leo Papa. *Thomas cùm esset sanctus & fidelis, non dubitauit: sed vt omnem suspitionem incredulitatis à nobis excluderet, suffecit ad fidem propriam vidisse, quod viderat: sed nobis operatus est, vt tangeret quem videbat.*

LeoPapa.

¶ ITEM quæritur, vtrum cicatrices, quas Christus seruauit, quando ostendit eas discipulis suis, manserunt in ipso tantum ad tempus: vel mansuræ sint semper, & in perpetuum. Dicit enim Damas. quod tantum secundùm dispensationem fuerunt in ipso: sed quod est secundùm dispensationem, est temporale.

Dam. lib. 4. cap. 19.

¶ ITEM obiicitur similiter: quod semper est, attestatur ei, quod secundùm naturam est: quod enim naturale est, semper debet manere: ergò quod non est naturale, non semper manebit: sed huiusmodi cicatrices naturales non sunt: non ergò semper illæ manebunt.

¶ ITEM, *Ostendit eis manus & pedes.* Gloss. Bedæ. *Cicatrices tunc seruauit, & in iuditio seruaturus est, primò ad fidem resurrectionis astruendam: deinde vt pro nobis patri supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat: tertiò, vt sua morte redempti, quam misericorditer sint adiuti, proposita eiusdem mortis insinuauit indicijs: postremò, vt in iuditio quam iustè damnan rentur impij, denuntiet, ostensa, quam ab illis accepit, cicatrice.* Si ergò omnes istæ causæ, quare cicatrices seruet Dominus, temporales sunt; & non extenditur effectus vltra causam: videtur quod non in perpetuum, sed temporaliter seruet solum Dominus illas cicatrices.

Luc. vlti. Glo. Bedę cap. 97. & vlt. in Lu.

¶ SED contra, Beda in fine eiusdem Gloss. *Non ex impotentia creandi cicatrices seruauit: sed vt in perpetuum victoriæ suæ circunferat triumphum.*

Idem.

¶ RESPONSIO. De hoc neutrum diffinimus: sed tamen de hoc dicit Augustinus, quod si ad decentiam sunt martyrij indicia, remanebunt semper ad decentiam, & ostendenda signa victoriæ semper. Vnde & si aliæ causæ, quæ determinantur in illa Gloss. Bedæ temporales sint: ista tamen est perpetua, scil. vltima.

Augus. de ciu. Dei. li. 22. c. 20

¶ Qvod ergò dicit Damas. quod secundùm dispensationem fuerunt in ipso. Dicimus quod si adhuc ita est; dispensatio tamen ista non opponitur veritati naturę & perpetuitati: sed dicitur dispensatio respectu aliorum hominum: in quibus non est ita conueniens seruari cicatrices, sicut in ipso ad circunferendum perpetuum victoriæ triumphum, & redemptionis titulum, qua nos per ista vulnera redemit: quod nullus aliorum sanctorum fecit.

¶ Ad hoc quod obiicitur, quod cicatrices istæ non sunt naturales: & ita non debuerunt manere in gloria. Dicere possumus, sicut dictum est supra: quod glorificatio in Christo non solum respicit creationis rationem, sed etiam rationem redemptionis, & ideò dicimus, quod remanebunt vel remanere poterunt in gloria.

ARTICVLVS III.

An Christus post resurrectionem verè manducauerit: & quare? tum quid de cibo illo fiebat.

Luc. vlt. Glossa. Gregor. Consequenter quæritur de argumento sumpto ex parte gustus. Quia super illud, *Cùm manducasset*, dicit gloss. Gregor. *Ad insinuandam veritatem resurrectionis non solum tangi, sed etiam comesci voluit.* Sed corpus glorificatum nullo cibo indiget (manducatio enim est propter cibi indigentiam) magis ergo apparuit ex illo eius resurrectio non esse gloriosa.

¶ Ad quod dicimus: quod est manducatio ex indigentia deperditionis: & hæc non est in corporibus glorificatis: & de hac procedit obiectio priùs facta. Est etiam manducatio potestatis, non indigentiæ: & quia magis potentia sunt corpora glorificata, quam non glorificata; ideò non amiserunt potestatem illam: & hac manducatione manducauit Christus post Resurrectionem: & hoc est, quod dicit Gloss. ibidem consequenter. Non quod vel ipse, vel nos post Resurrectionem cibo debeamus indigere: sed vt corpus, non spiritum esse manifestaret: manducauit potestate non necessitate. Aliter enim absorbet aquam terra sitiens: aliter radius solis calens: illa indigentia, iste potestate. Voluit ergò comesci ad insinuandam veritatem Resurrectionis; quod scilicet corpus suum erat corpus verum & non phantasticum: Phantasmata enim & si soleant aliquando corporaliter oculis apparere, non tamen solent comedere corpora Phantastica: ipse autem comedit.

¶ Qværitvr postea, quid fiebat de cibo, quem assumpsit Christus, postquam habuit corpus glorificatum? Aut enim conuertebatur in eius naturam: aut desinebat simpliciter esse: Quod autem conuerteretur in eius naturam, Aug in li. 6. quæst. videtur velle August. *Futura resurrectionis corpus imperfectæ beatitudinis esset, si cibos capere non potuisset.* Ex quo videtur, quòd cibos possit capere verè corpus glorificatum. Si ergo vera ciborum captio est in conuersione in naturam propriam, videtur quod ibi fuit conuersio in naturam illam.

Idem in eodem. ¶ Item Augustin. dicit: quod sicut Angeli leguntur frequenter manducasse; ita verum fuit: ergo si Angeli multominus habebant naturam corporis, quam Christus; manducauit ergo & Christus verè.

Idem. ¶ Item August. loquens de istis manducationibus dicit. *Non vt statim in stomachum & intestina transeant: sed cùm videretur digessisse, in spiritualem naturam conuertantur.*

¶ Contra, cùm ibi nulla sit deperditio, si adderetur & conuerteretur, ergò esset augmentum: si ergo non est possibilis additio ad perfectum, adhuc corpus glorificatum non esset perfectum: cùm ei esset possibilis additio fieri.

¶ Præterea, si idem in substantia est, quod nutrit & quod auget: & nutrimentum est priùs augmento, vbi non est possibile nutrimentum, nec augmentum: si ergo ibi non fuit possibile nutrimentum: ergo neque augmentum:

RESOLVTIO.

Christus quò ad masticationem & traiectionem cibi in partem interiorem verè manducauit post resurrectionem: vt videlicet huiusce suæ resurrectionis veritatem astrueret. Sed minimè quò ad conuersionem in corpus eius: quare & cibus ille euaporabat.

¶ Solvtio. Dicimus, quòd in comestione Christi & etiam Angelorum (sicut dicit Augustinus.) fuit veritas: August. sed hæc veritas comestionis solum consistit in masticatione cibi, & traiectione eius in partem interiorem; & non in conuersione in corpus ibi apponebatur. Tamen verior est manducatio Christi: quam Angeli: quia Christus homo habet vim determinatam ad manducationem per naturam suæ animæ: Angelus verò non. Vnde nullo modo (sicut dicit August.) licet manducaret Christus, conuerteretur cibus in corpus eius.

¶ Ad illam authoritatem Augustinus, quæ dicit: *quòd in spiritualem naturam conuertebatur.* Idem. Dicendum, quòd non est intelligendum in spiritualem naturam, quæ sit corporis glorificati: sed intelligitur in spiritualem naturam respectu materialitatis, quàm habebat priùs cibus assumptus. Vnde quemadmodum radius solis agens in aquam, quæ grossæ naturæ est, conuertit illam, non in naturam sui, sed in vaporem, cuius scilic. est natura subtilis respectu naturæ aquæ: ita potest intelligi ex parte ista.

QVÆSTIO XXIII.

De Ascensione Christi.

In septem Membra, & quatuor Articulos diuisa.

Post inquisitionem de Dominica Resurrectione, inquirendum est de Ascensione Domini, secundùm D. Th. 3. par. q. 57. quod in Symbolo continetur. *Ascendit ad cælos: sedet ad* Symbol. Apost. *dexteram Patris.* Quærendum igitur primò de Ascensione eius ad cælos: deinde de Sessione ad dexteram Dei Patris.

¶ De Ascensione autem quæruntur hæc. Primò; an sit. Secundò, quid sit. Tertiò, quomodo sit. Quartò, secundùm quid sit. Quintò, quando sit. Sextò, ad quid sit. Septimò, propter quid sit: vt propter quem finem, vel effectum.

MEMBRVM I.

An Christi in cælum Ascensio possibilis fuerit?

Ad primum sic obiicitur per rationes communes ad quodlibet corpus glorificatum. Omnis motus est actus imperfectus, seu propter indigentiam: sed corporis glorificati nullus est actus imperfectus, nec vlla indigentia: ergo nec motus: ergo cum ascensio sit motus, corporis glorificati non est ascensio: ergo nec Corporis Domini post glorificationem potest esse ascensio. Minor patet, quod corporis glorificati nulla sit indigentia: quia hoc non conuenit beatitudini; nam anima non diceretur beata, vel glorificata, si aliquo indigeret extra, vel intra: ergo nec similiter corpus: cùm similis sit ratio batitudinis corporis & animæ. Si ergo corpus glorificatum indigeret aliquo sicut loco, non esset summè beatum: non igitur conuenit moueri ei ad locum: ergo non ascensio.

¶ Item, Augustinus loquens de statu beatitudinis animarum in corporibus glorificatis, dicit. *Ibi erit, quicquid voles, non erit, quicquid noles.* August. Ergo anima glorificata in suo corpore glorificato habebit quicquid volet: ergo omne suum volitum erit ei præsens: ergo non quærit aliquid extra se. Sed cùm voluntas mouet, quærit aliquid extra

se:

se: ergo non mouebit corpus anima post glorificationem ipsius.

Idem. ¶ Item, Augustinus, *Anima stabilita in Deo stabiliret consequenter corpus suum.* Si ergo anima totaliter in Deo stabilietur: ergo corpus glorificatum totaliter stabilietur in ipsa anima: ergo nullo modo erit motus ipsius, cum totaliter stabilitum sit.

¶ Item, corpora glorificata nec mouentur per naturam, nec per voluntatem: ergo nec mouentur. Quod non per naturam, patet: motus enim cæli causa est omnium motuum naturalium: sed cessante causa, cessat effectus: si ergo post glorificationem corporum cessabit motus cæli: ergo & motus corporum naturalis cessabit. Similiter nec per voluntatem: quia voluntas mouet propter aliquid: cùm ergo illud esset aliud à Deo, sequeretur quod diuerteretur intentio voluntatis in aliud, quam Deum: quod est contra animæ beatitudinem: ergò non mouebitur per naturam, nec per voluntatem, nec per violentiam, constat, ergo, &c.

¶ Item, omne moueri est imperfectionis: quia nullum mobile, inquantum mouetur, habet conformitatem cum primo perfectò, scilicet cum Deo, cui nullo modo conuenit moueri: ergò omnis motus inquantum huiusmodi deficit à beatitudine. Si ergo beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus: non potest simul stare motus & beatitudo. Si ergo corpus Christi fuit beatum post glorificationem: constat, quod nullo modo potuit moueri.

Rom. 8. ¶ Item, corporibus nostris glorificatis, corpora cælestia immutabuntur in melius, & erunt inquiete, sicut dicit Gloss. super illud, *Omnis creatura ingemiscit*, &c. Quiescent, nobis assumptis, &c. ergo melius est eis esse inquiete & perfectius, quam esse in motu. Si ergo corpora glorificata habebunt quidquid perfectionis erit & bonitatis in ipsis: constat quod habebunt omninò quietem, & nullo modo motum. Sed consimilis fuit ratio de corpore Christi post glorificationem, sicut de alijs: ergò, & cæt.

¶ Ad oppositum: cum natura corporis determinata sit ad vnum locum tantum; si corpus glorificatum immobilitaretur in illo omninò, iam non posset anima illud transferre ab illo loco: deficeret igitur à virtute supra corpus suum: ergò & à beatitudine: poterit igitur corpus mouere.

¶ Item, cum locus maximè conueniens corpori glorificato, in quo prædominatur natura cælestis, scilicet lucis, sit cælum: omne autem corpus mobile ad locum sibi conuenien̄s: & anima beata suo corpori eliget locum magis conuenientem. Si ergò corpus Christi fuit in terris, per naturam mobilis & motoris mouebitur ad cælum: ergò ascendit ad cælos.

Rom. 10. Gloss. ¶ Item, ad hoc sunt authoritates: *Ne dixeris in corde tuo, nemo ascendit in cælum.* Gloss. *Ne cogites in corde tuo, quis ascendet in cælum? quia qui hoc cogitat, negat Christum ascendisse:* Christus ergò ascendit: ergò ascensio est.

Psal. 103. ¶ Item, *Ponis nubem ascensum tuum*: & loquitur de Christo: ergò Christus ascendit.

Actuu. 1. ¶ Item, *Videntibus illis eleuatus est*: ergò, &c.

RESOLVTIO.

Cùm Christus habuerit principium motus intra se, scilicet beatam suam animam; naturamq; sui corporis glorificatam, eidem animæ obtemperantem, & simul vtrang; diuinitati obedientem: facilè ipsum in cælum ascendisse, iure diximus.

¶ Solutio. Corpus omne præter primum cælum est locale, & per naturam corporis determinatum & coarctatum ad vnum locum solum. Hæc autem determinatio ad vnum locum solum, non est perfectionis in eo, sed imperfectionis: quia dicit conclusionem substantiæ, virtutis, & operationis. Vnde causa prima, quæ perfectissima est, ad nullum locum determinatur: similiter substantiæ spirituales, quæ perfectiores sunt corporalibus, minus determinantur ad locum, quam corporales. Ex quo patet, quod immorari in loco solo, est imperfectionis ipsi corpori. Si ergo detur ei virtus, qua possit moueri de loco ad locum; istud erit perfectionis in ipso: hoc autem est in illis, quæ mouentur à principio, quod est intra se. Indicium ergo virtutis est moueri à principio intra se: vnde in animatis, quia ipsi habent causam motus in seipsis; est moueri perfectionis respectu inanimatorum: & hæc est distinctio motus per comparationem ad mouens. Similiter per comparationem ad finem distinguendum est: quod est motus propter supplementum indigentiæ: & est motus propter explicationem virtutis. Motus primus ponit imperfectionem in mobili: sed secundus ponit perfectionem: quia si defectus virtutis est immobilitari in loco, virtutis perfectæ erit moueri de loco ad locum. Ascensio ergò Christi non fuit motus habens principiū extra se, nec fuit ad supplementum indigentiæ: sed habuit principium in se; scilicet suam beatam animam, & naturam sui corporis glorificatam obedientem animæ, & vtranque obedientem Deitati. Et non fuit motus in ipso propter supplementum indigentiæ: sed propter declarationem virtutis. Hoc autem modo est motus in corporibus glorificatis. Rationes ergò primæ procedunt de motu alio modo.

¶ Ad primum ergo patet solutio. Tamen dicendum est, quod beatitudo substantialis, & accidentalis. Substantialis beatitudo postquam est, non recipit magis nec minus: accidentalis autem aliquo modo recipit. Verbi gratia, substantialis beatitudo animæ in gloria est ex cognitione, & amore & fruitione Dei perpetua; quæ postquam est, non augetur, nec minuitur: accidens autem beatitudinis determinatur respectu exterioris; sicut gaudium illud, quod habet de societate sua, in qua est: & illud augetur & minuitur. Sic dico de beatitudine substantiali corporis, quæ est, cùm habet corpus omne, quod necessarium est suæ perfectioni: accidentalis autem est, quicquid est conueniens suæ potentiæ, vt locus conuenientissimus. Vnde Augustinus distinguit, quod est absoluta perfectio, & comparata: primam habuit ante Ascensione: secundam scilicet comparatam habuit in Ascensione, scilicet quia per Ascensionem fuit in suo conuenientissimo vbi. Augus.

¶ Ad aliud: quod anima glorificata habebit, quicquid volet, &c. ergo non poterit moueri. Dicendum: quod si iste motus esset propter supplementum indigentiæ, benè sequeretur: sed quia de alio, propterea non sequitur.

¶ Ad aliud dicendum: quod corpus glorificatum quantumcunque moueatur, semper stabilietur in sua beatitudine totaliter substantiali, quam habet ab anima: & ita semper stabilietur in sua perfectione. Non tamen sequitur, quod totaliter stabiliatur in loco secundùm immobilitatem: ita quod non habeat virtutem mouendi se de vno loco ad alium locum.

¶ Ad aliud dicendum: quod non mouentur corpora per diuersionem intentionis, & voluntatis à Deo, diuertendo se per intentionem & voluntatem à Deo: sed per intentionem in Deum: sicut videtur sentire Augustinus secundùm Philosophos de Angelis. Cùm enim Angeli mouent cælos, non potest diuerti intentio eorum à Deo: sed magis in faciendo hoc, fertur in Deum: quia mouent cælos, vt suo creatori assimilentur secundùm operationem. Ita dicendum est, quod anima mouendo corpus glorificatum, si moueret, nō diuerteret intentionem suam à Deo, sed magis ferretur in Deum, vt per hoc assimilaretur Deo. Idem.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod moueri est imperfectionis. Dicendum: quod aliter est in re, quæ nullo modo determinatur ad locum, & quæ determinatur: quia in prima nullo modo conuenit moueri localiter. Sed quando est determinatio in loco, aut ponitur ibi quies, aut motus: quies ibi est imperfectionis: sed motus ibi est perfe-

perfectionis: & hoc ratione determinationis in loco. Licet ergò moueri non sit simpliciter perfectionis, tamen moueri respectu determinationis in loco, perfectionis est: quia quando res mouetur de loco ad locum minus est determinata ad locum: & maior est tunc conformitas eius cum Deo, qui non determinatur in loco. Cùm igitur corpus glorificatum, quantumcunque beatificatum sit, tamen determinetur in loco: patet, quod cùm beatitudine eius potest stare motus sine imperfectione.

¶ Ad vltimum patet responsio: quia moueri à principio, quod est in se, propter declarationem virtutis, est perfectionis.

MEMBRVM II.

An Christi in cælum Ascensio naturalis, vel violenta fuerit?

Consequenter quæritur, quid sit Ascensio? Et cum sit motus, quæritur: vtrum sit motus naturalis, vel violentus. Ad quod sic: omne vectum de loco ad locum, est violenter motum: sed corpus Christi in Ascensione ad cælos fuit vectum de loco ad locum: ergò violenter motum. Maior patet, quia quatuor sunt species motus violenti, scilicet tractus, pulsus, vectio, vertigo. Minor patet. Leo Papa, exponens illud verbum. *Videntibus illis, eleuatus est*: dicit. *Cùm audis eleuatum, agnosce militiæ cælestis obsequium: in eo, qui eleuat diuinam potentiam: in eo, qui eleuatur humanam agnosce naturam.* Ergò fuit eleuatus: & ita vectus. Item, *Angelis suis Deus mandauit de te.* Gloss. *Manibus Angelorum sublatus est Christus in cælum.* Ergò latus per alium.

Leo Papa in serm. de Ascen. Actuum 1. Leo. Psal. 95. Glossa.

¶ Item, motus naturalis cuiuslibet corporis est ad vbi conueniens suæ naturæ: sed corpus humanum, siue sit glorificatum, siue non; habet vbi conueniens suæ naturæ citra cælum; scilicet in parte mundi elementari, & non in cælo: ergò nullo modo naturaliter mouetur ad cælum. sed ad partem elementatem citra cælum. Minor patet: corpus enim humanum, siue sit glorificatum, siue non; elementatum est, seu elementare: cælum autem empyreum non est elementare: ergò non habet conuenientem naturam cum cælo empyreo: ergò cælum empyreum non potest esse locus eius naturalis: cum sit proportio loci ad locatum. Si ergò ad ipsum moueatur corpus humanum, siue glorificatum, siue nõ; mouetur violenter: ergò ascensio Dominici corporis, in qua fuit huiusmodi motus, fuit violenta.

¶ Item, locus debetur rei à parte materiæ: vnde determinatur locus rei secundùm determinationem suæ quantitatis: quantitas autem est à parte materiæ. Sed materia corporis humani non est cælum empyreum, sed elementatum: ergò per naturam erit in loco, quod est elementatum vel complexionatum ex elementis, & non in cælo empyreo: ergò contra naturam & violenter mouetur ad cælum empyreum.

Matt 25. Gregor.

¶ Item, Gregor. dicit super illud verbum. *Homo quidam peregrè proficiscens, &c. Carnis locus propriè terra est: quæ quasi ad peregrinandum ducitur, dum per Redemptorem in cælo collocatur.* Peregrinus ergò locus humanæ naturæ est cælum empyreum; proprius autem terra: ergò per violentiam mouebatur corpus Christi in Ascensione ad cælum.

Esa. 44.

Michæ. 2.

¶ Ad oppositum, *Quis est iste, qui venit de Edom, &c. gradiens in multitudine virtutis suæ.* Hoc dixerunt Angeli de Christo, quando Ascendit cælos. Ex quo patet, quod mouebatur virtute propria: ergò non ferebatur.

¶ Item, *Ascendit, pandens iter ante eos.* Ergò propria virtute ascendit.

RESOLVTIO.

Quia Christus Resurrexit abstracta omni corpulentia atque mole; naturaliter & propria vi absque aliquo sustentante cælum conscendisse affirmandus est.

¶ Solutio. Dicendum, quod ferri dicitur dupliciter. Vno modo necessitate sustentationis, scilicet cum virtus corporis non est sufficiens ad [illegible] motum. Alio modo dicitur aliquid ferri obsequio venerationis: sicut Rex fertur à suis militibus: & Papa ab Episcopis suis. Cùm ergò dicitur corpus Christi fuisse latum per Angelos in Ascensione: hoc fuit solùm obsequio venerationis, & non necessitate sustentationis. Et hoc est, quod dicit Leo Papa. *Cùm audis eleuatum, agnosce militiæ cælestis obsequium.* Et similiter super illud: *In manibus portabunt te.* Gloss. *portabunt te, id est, Angeli, qui obsequebantur Regi.* Et sic ad demonstrationem honoris Regalis fuit istud. Et hoc sensu intelligitur illud, *Currus Dei decem millia, multiplex millia lætantium,* & cæt. Leo Papa Psal. 99. Glossa. Psal. 67.

¶ Et per hoc soluitur secunda ratio: quia si esset vectus primo modo, benè obiiceret.

¶ Ad aliud dicendum: quod duplex est status corporis: & secundùm hoc duplex vita: scilicet animalis, & spiritualis: sicut distinguit Apostolus, vbi dicit: *Prius est, quod animale est; deinde quod spirituale.* Secundùm quod est vita animalis, est natura corporis animalis, & est vbi conueniens vitæ animali: secundùm autem quod est vita spiritualis, & natura spiritualis, & est locus, vel vbi conueniens vitæ spirituali. Vbi autem vel locus conueniens vitæ animali, est elementum, vel corpus ex elementis complexionatum: vbi autem conueniens vitæ spirituali est cælum empyreum. Nec habet corpus secundùm vitam illam tantam conuenientiam cum vllo corpore, quantam habet cum cælo empyreo: corpus enim glorificatum coaptabitur, vt sit conueniens per omnia animæ Deum contemplandi: sed esse in cælo empyreo plus est conueniens diuini contemplationi, quam esse alibi: & propter hoc conuenientior locus empyreum cælum secundùm vitam spiritualem est, quam elementum. Quia ergò resurget tunc corpus spirituale, scilicet, quando glorificabitur, id est, abstracta corpulentia & mole, quæ impedit motum animæ, & obumbrat eius contemplationem: propter hoc cælum empyreum est, vbi conuenientissimum corpori glorificato, & non corpus elementare. Ratio autem procedit secundùm primam viam. 1. Cor. 15.

¶ Ad aliud dicendum: quod materia corporis humani non solum est elementum, immò etiam quinta essentia: vt nobis (sine præiudicio melioris sententiæ) videtur, scilicet natura lucis cæli empyrei. Quod patet: corpus enim animatum compositum est ex contrariis: sed impossibile est, quod contraria conueniant & faciant armoniam, nisi per naturam conciliantem: hæc autem non potest esse natura elementaris, quia habet contrarietatem: ergo hæc debet esse natura illa, quæ conciliat naturas elementares contrarias; & quæ habet proportionem ad omnes: hæc autem est natura lucis. Ad hoc ergò, quod corpora sint debita modo & in debita armonia composita ad susceptionem animæ, necesse est naturam lucis in ipsis corporibus esse. Sed corpora ita se habent ad suas perfectiones, quod respectu nobilioris perfectionis nobilior est dispositio. Si ergò ad susceptionem animæ vegetabilis est dispositio ex parte corporis, concilians partes contrarias corporis, ipsa lux visibilis, quæ est lux firmamenti: cum anima sensibilis sit nobilior perfectio, necesse est, quod lux nobilior disponat & concilict corpus ad susceptionem ipsius; hæc autem est lux cristallina, quæ est lux cæli cristallini, & cum vlteriùs nobilior sit perfectio inter ista anima rationalis, necesse est, quod lux nobilior disponat ad illam: hæc autem lux est cæli empyrei: necesse est ergo, quod lux cæli empyrei per influentiam infusam substernet corpus humanum ad susceptionem animæ rationalis. Et istud apparet, quia homo aliter non posset appellari minor mundus: nisi aliquid de cælo empyreo influeret corpus humanum: hæc autem est influentia lucis suæ. Sed in vita spirituali, quando erit corpus glorificatum; tunc natura lucis dominabitur in corpore, & manifestabitur: natura autem elementaris latebit & occultabitur: sed modò fit econtrariò: & ideò conueniet locus corpori glorificato secundùm naturam lucis, & non secundùm elementatem: hic autem locus erit cælum empyreum: quia

natura lucis est cæli empyrei: & ita naturalis locus erit corpori glorificato.

¶ Ad aliud, Dicendum: quod est natura informata in vita animali, quæ indiget alimento & de hac dicit Gregorius, quòd propriè locus carnis terra est. Sed hoc non est verum de natura instituta in vita spirituali: sicut erit natura corporis glorificati. immò propriè locus erit cœlum empyreum. *Gregor.*

MEMBRVM III.

An Christi in cælum Ascensio successiua fuerit, & commensurata spacio.

POSTEA quæritur, quomodo sit Ascensio? Quæritur enim, vtrum Ascensio sit motus descriptus secundùm spacium: & vtrum Ascensio sit motus successiuus in tempore.

¶ Ad quod sic. Augustinus loquens de corporibus glorificatis, dicit. *Vbicunque spiritus voluerit, illic erit corpus*: ergò motus corporis glorificati est secundùm motum voluntatis mouentis: sed motus voluntatis mouentis est ab vno in aliud in puncto, & non describendo spacium: ergò & motus corporis glorificati. Si ergò similis ratio motus fuit corporis Domini post Resurrectionem scilicet in Ascensione; constat quod Ascensio non fuit motus descriptus per spacium: nec successiuus in tempore. *August. lib. 21. de Ciu. Dei, cap. vlt. non longè à prin. Tom. 5.*

¶ Item, secundùm Philosophum, tria sunt, quæ faciunt ad agilitatem motus, scilicet, virtus mouentis, figura ipsius mobilis: & spacium, per quod est motus. Quantò enim spacium minus resistit corpori mobili, tantò citiùs mouetur: sicut patet, quod citius mouetur lapis in aëre, quàm in aqua propter minorem resistentiam. Similiter ad hoc facit figura, quia disponit ad motum: vnde figuram circularem sequitur motus circularis; & rectam rectus. Similiter & virtus mouentis: quia tanta virtus mouet in tanto tempore: & dupla virtus in minori tempore in duplo: & quantò maior est virtus: tantò mouet in minori tempore: ergò infinita virtus mouet in nullo tempore. Si ergò in corpore Christi post Resurrectionem erat virtus infinita ad mouendum: mouebat corpus eius in non tempore; ergò motus eius in Ascensione non fuit successiuus in tempore, nec spacium descriptus. *Philos. ex 4. phy. 71. &c.* *Ex phy. 11. & ind. & ex 7. phy. 35. & deinceps.*

¶ Item, posito vacuo, corpus motum per vacuum non describit spaciũ: nec mouetur successiuè, siue in tempore, sed in instanti: quia vna ratio, quare non mouetur corpus in instanti, est propter resistentiam partium spacij: sed corpus glorificatum se habet ad corpus non glorificatum, per quod mouetur, sicut corpus motum per vacuum: ergò non mouetur in tempore, nec describendo spacium. Minor patet, quia in nullo partes corporis non glorificati potest retardare motum corporis glorificati, nec prohibere: sicut nec vacuum motum corporis, quod fieret per ipsum: & hoc est propter subtilitatem corporis glorificati, per quam etiam mouetur per ipsum & per partes eius: ergò, &c.

¶ Item, Augustinus dicit: quod tales sunt motus corporum glorificatorum, sicut motus radij solis. Vnde ipse dicit: quod corpus glorificatum vtraque interualla pari celeritate contingit: vt radius solis, qui non citiùs peruenit ad propinquiora spacia opposita, quam ad remotiora. Si ergò non citius, ergò nec describitur mutatio eius per spacium: ergò nec motus corporis Domini in Ascensione. *August in quæst. de Resur.*

¶ Respondetvr ad istud, quod motus corporis glorificati est descriptus spacio, & in successione: sed hoc non est ex parte resistentiæ spacij, sed ex parte dimensione corporis glorificati moti, quam habet; licet sit glorificatum: non potest autem intelligi dimensio sine parte post partem: & ita intelligitur diuisio partium; & ideò non potest esse simul eius motus.

Obiectio ¶ Sed contra istud obiicitur sic: & quæritur: posito corpore glorificato in tanto spacio, potest ne esse in minori spacio quam sit modò quantum ad locum? patet quod sic, quoniam maioris potestatis est posse esse in maiori & minori loco, quam determinari ad alterum tantum. Si ergò quicquid est potestatis corporalis conuenit corpori glorificato: ergò in eius potestate est esse in maiori vel minori loco. Non igitur secundùm suam dimensionem non impedit, quum eius motus sit totus simul: ergò, &c.

¶ Item, corpus glorificatum motum non potest prohiberi per partes spacij; nec etiam vna pars corporis glorificati potest prohibere aliam eius partem: cum plus conueniant inuicem eius partes, quæ cum partibus loci; & econuersò quam partes loci cum ipsis. Cùm ergò nec secundùm dimensionem, nec secundùm spacium, nec per partes prohibeatur, quin totum simul moueatur: patet, quod nihil prohibet motum eius: quin possit esse totum simul & in instanti, quin & ipsum corpus totum simul possit ferri ad locum.

¶ Ad oppositum. Omne corpus diuisibile est, & habens partem post partem: si ergò mouetur, parti succedit pars, ergò successiuè: sed corpus glorificatum retinet naturam & rationem corporis: ergò, &c. ergò Ascensio Domini fuit successiua & commensurata spacio.

¶ Item, si Ascensio Domini non describeret spacium: ergò motus esset subitò ad cœlum: ergò non posset percipi, nec describi per visum in motu suo. Si ergò videntibus Apostolis eleuatus est. Actuum 1. constat, quod motus eius describebat spacium, & erat in successione. *Actuu. 1.*

RESOLVTIO.

Christi in cælum Ascensionem successiuam quidem & commetitam spacio arbitrantur nonnulli; at non ex necessitate, sed ex voluntate. Alij autem temporaneam illam admittunt, sed imperceptibiliter, sine tempore imperceptibili.

¶ Solvtio. Notandum quod circa quæstionem istam diuersæ sunt opiniones. Quidam enim ponunt absolutè, quod corpus glorificatum motum non describitur per spacium: sicut nec voluntas suo motu describit spacium: & dicunt, quod quando ipsa mouetur à volito in volitum; ipsa non mouetur per spacium: ita etiam dicunt quod non mouetur corpus glorificatum per spacium.

¶ Sed ipsi deficiunt: quia cum voluntas seu anima mouetur à volito in volitum, ipsa non mouetur extra seipsam: sed cùm mouetur corpus de loco ad locum, mouetur extra seipsum: vnde non est simile. Item, patet quod non benè dicunt: quoniam natura corporalis nunquam potest pertingere ad subtilitatem naturæ spiritualis: ergò nec operatio naturæ corporalis ad subtilitatem operationis naturæ spiritualis. Vnde licèt glorificatum corpus simplex sit in genere corporeitatis; nunquam tamen peruenit ad simplicitatem animæ: ergò nunquam simplicitas motus corporis potest esse tanta, quanta est simplicitas motus animæ. Ipsi tamen dicunt hoc propter prædictas authoritates.

¶ Alii dicunt, quod corpus glorificatum in suo motu describit spacium, & mouetur in tempore: sed illud tempus est imperceptibile: & illa descriptio est imperceptibilis propter subtilitatem corporum. Vnde sicut radius, si esset corpus, moueretur imperceptibiliter in maiori vel minori spacio: ita dicunt de corporibus glorificatis. Tamen successiuè mouentur (vt dicunt) quia in ipsis est pars post partem, & mouetur vna post aliam: sicut dictum est.

¶ Alii dicunt medio modo: quod sicut se habet res ad circumscriptionem in loco: ita se habet ad moueri in loco. est ergò res, quæ, nullo modo circumscribitur in loco, nec replet locum, nec commetitur se loco: sicut ipse Deus, qui vbique est incircunscriptus: nec tamen sicut materia, quæ replet locum mole sua: nec commensurat se loco: immò est

est supra omnia & extra omnia non exclusus, & intus omnia non inclusus. Est alia res, quæ circumscribunt loco: sed non replet locum, non commetitur se loco; sicut Angelus circumscribitur in loco vbi est, & habet suam circumscriptionem terminum suæ virtutis: vnde ibi est, vbi operatur: non tamen sua substantia replet locum, nec commetitur se loco; quia sua circumscriptio non commetitur se circumscriptione loci. Est alia res, quæ circumscribitur in loco, & commetitur se loco: sed non replet locum: corpus enim purè luminosum non habet naturam repletiuam loci, sicut radius solis (secundùm illos, qui ponunt ipsum corpus) quia si sit sol in aëre, non propter hoc est aër spissior: tamen circumscriberetur in illo loco, & commetiretur ei. Est alia res, quæ circumscribitur, & commetitur se loco, & replet locum: sicut corpus elementare non glorificatum: & inde est, quod talia duo corpora non possunt esse in eodem loco sensibili, quia replent locum. Dicunt ergo, quod quantum ad conditionem corporis glorificati potest se deferre & moueri successiuè: sed quantum est de potestate gloriæ potest se non commetiri & non circumscribi sensibiliter: quia quadam potestate gloriæ est quasi infinitum quò ad nos respectu possibilitatis corporis non glorificati. Et hoc est, quod vult dicere Augustinus: quod vtraque interualla pari celeritate contingit, & id est, si voluntas sit animæ, potest illud corpus ferre in perceptibiliter per spacium longum & breue: & hoc est de potestate gloriæ, non corporis, quia corpus. Et sic procedunt primæ rationes.

¶ Ad primum in contrarium dicendum: quod est considerare partes corporis glorificati secundùm ordinem, quem habent in corpore: vel secundùm ordinem, quem habet ad locum. Primò modo est distantia & successio partium describtibilis in illo: ita quòd pars sit post partem. Sed secundò modo de potestate gloriæ omnes partes vno modo & simul quantum ad descriptionem perceptibilem possunt se habere ad vnum locum.

¶ Ad aliud dicendum, & concedendum est benè; quod corpus Domini in Ascensione mouebatur describendo se in spacio, & successiuè: sed hoc fuit ex voluntate, & non ex necessitate sicut in alijs corporibus. Et per hoc soluuntur obiecta.

MEMBRVM IV.

An Christus secundùm eandem naturam, puta humanam, vel diuinam ascenderit, descenderitq;?

QVARTÒ quæritur: secundùm quid sit Ascensio in Christo. Et quæritur, an secundùm eadem naturam Ascendit Christus; & descendit?

Ephes. 4. Glossa. ¶ Ad quod obicitur sic. *Quod ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terra?* Gloss. *constat quod secundùm humanitatem Christus descendit & ascendit, &c.* sed secundùm Deitatem, quæ vbique est, nec ascendit loco, nec descendit. Et ita secundùm idem, scil. secundùm humanitatem ascendit & descendit.

Damas. lib. 4. de Orth. fid. cap. 2. ¶ Item, Damas. *Ascendere & descendere sunt proprietates corporu circumscripti.* Ergò diuinæ naturæ non conuenit ascendere.

¶ Item, secundam diuinam naturam est vbique: sed hoc est contra rationem descensus: quia ascensus vel descensus ponit motum ab vno loco in alium.

Ioan. 3. Glossa. ¶ Contra. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Gloss. *Ascendit secundùm quod homo: descendit secundùm quod Deus.* Non ergò secundùm idem.

August. de Ascen. Do[...] serm. 3. & est 176. ¶ Item, August. *De nostro fuit, quod apprehendit: de suo quod ascendit.* Secundùm ergò humanitam pependit in cruce: & secundum diuinitatem Ascendit in cœlum.

RESOLVTIO.

Si Ascensus descensusq; propriè dicatur: vtrq; secundùm eandem naturam. sc. humanam Christus ascendit (tametsi non absq; virtute diuinæ naturæ) & descendit. Si verò impropriè dicantur, secundùm alteram (videlicet) diuinam descendit, secundum alteram, id est, humanam Ascendit.

¶ Solutio. Dicendum, quod descensus dicitur dupliciter: propriè scilicet, & impropriè. Impropriè dicitur descensus de Christo secundùm diuinitatem, scilicet ipsa exinanitio Deitatis, *quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* & hæc est ipsa apparitio in carne: quando se vniuit paruitati nostræ: hæc descensio non ponit motum, sed terminum vnionis, *Descendit in inferiores partes terræ.* Gloss. *Descendit quidem diuinitas, non localiter, sed per exinanitionem.* Descensus autem propriè est proprietas substantiæ diffinibilis in loco; secundùm quod dicit Damas. quod ascendere & descendere sunt proprietates rei circumscriptæ: & hoc modo descendit secundum humanitatem Christus ad inferos, & descendet ad iudicium. Vnde gloss. super illud, *Quod ascendit, quid est, &c. Dum secundùm animam ad inferos descendit, secundùm corpus & animam ad cælos ascendit.*

Philip. 2. Ephes. 4. Glossa. Ephes. 4. Glossa.

¶ Item, Ascensio similiter dicitur dupliciter: scilicet propriè, & impropriè. Impropriè dicitur Ascensio de Christo ipsa exaltatio humanitatis Christi in resurrectione, quia manifestata est potestas & celsitudo Deitatis. Alio modo dicitur ascensio propriè, scilicet motus localis, qui est ab inferiori loco ad superiorem locum. Sumendo igitur ascensum & descensum propriè: sic secundùm idem ascendit & descendit: quia descensus eius propriè fuit ad inferos, & hic fuit secundùm animam; ascensus propriè secundùm animam & corpus: vnde secundùm humanitatem fuit vtrunque.

¶ Quod autem quæritur: secundùm quod conueniat Ascensio Christo? Dicendum, quod hæc præpositio *secundùm* aliquando notat conditionem naturæ: aliquando notat causam: aliquando vnitatem propriæ personæ. Conditionem naturæ notat, cùm dicitur, Christus secundùm quod homo passibilis, secundùm quod Deus impassibilis. Causam notat, cùm dicitur, Christus secundùm quod Deus resurrexit: quia virtus diuina fuit causa Resurrectionis. Vnitatem personæ notat, cùm dicitur, Christus secundùm quod homo creauit mundum, id est, Christus secundùm quod est persona illa, quæ habet humanitatem, creauit mundum. Si ergò *secundùm* in præsenti notet conditionem naturæ: hoc modo Christus secundùm humanitatem Ascendit. Si notet causam, sic ei conuenit ascensio secundùm diuinam naturam: quia virtus diuina fuit causa suæ Ascensionis. Et hoc vult dicere Augustinus, cùm dicit. *De suo est quod Ascendit; loquens causaliter, id est, virtute sua Deitatis fuit hoc, quod Ascendit. Si notet vnitatem personæ: sic secũdùm, quod Deus ascendit, & secundùm quod homo similiter Ascendit: quia secundùm quod Deus est illa persona, quæ est homo: & hoc modo homo Ascendit.* Et sic patet responsio ad prædicta argumenta. Et sic intelligitur illud: *Nemo Ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo; filius hominis, qui est in cælo* (quantum ad vnitatem personæ loquitur. August. Ioan. 3.

MEMBRVM V.

Ascensio hæc Christi in cœlum quando fuerit?

DEINDE quæritur: quando fuit Ascensio Christi? Ad quod sic. Philip. 2. Factus est obediens vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Ex quo etiam & secundùm beatum Augustinum videtur, quod Christus per passionem suam meruit exaltationem: non solum quantum ad gloriam Resurrectionis, sed etiam quantum ad locum exaltationis, vt scilicet ascenderet: ergò statim post passionem debuit ascendere.

¶ Iuxta hoc quæritur: quare non tertia die Ascendit post Resurrectionem: sicut tertia die resurrexit post passionem: cùm per tres dies probari possit veritas resurrectionis, sicut per tres dies veritas passionis?

RESOLVTIO.

Quadragesimo die post Resurrectionem: vt sic longè lateq; veritas Resurrectionis eius probaretur.

¶ Solutio. Dicendum secundùm Lucam, qui dicit *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei:* &c. Actuu. 1. quod dilata fuit Ascensio eius per 40. dies post Resurrectionem;

Leo Papa in serm. de Ascen Domini. ctionem, & hoc dicit Leo Papa, *Quadragenarius expletus est numerus, sacratissimo ordine dispositus vt dum à Domino hoc spacio mora corporalis extenderetur, fides Resurrectionis documentis necessarijs monstraretur.* Dicendum ergò, quod dispensatio fuit, quod natus fuit Christus, & quod fuit mortuus, & Resurrexit, & quod Ascendit: & sicut propter dispensationem dilata fuit Resurrectio eius, quousque probaretur veritas passionis eius: ita per dispensationem necessarium fuit differre Ascensionem eius, quousque veritas suæ Resurrectionis probaretur. Et hoc est, quod dicit Leo Papa. Per omne tempus, quod inter Resurrectionem Domini & Ascensionem eius exactum est; hoc prouidentia Dei curauit, hoc decuit; vt Dominus Iesus Christus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, passus, & mortuus.

¶ SED quæritur: quare plus fuit dilata Ascensio post Resurrectionem, quam per tres dies? Dicendum quod difficilius erat probare veritatem Resurrectionis, quam Passionis: quia à tertia die vsque ad tertiam poterat verè probari passio: sed ad veram Resurrectionem probandam plures dies requirebantur: & ideò maius tempus requirebatur inter Ascensionem & Resurrectionem, quam inter passionem & Resurrectionem. Item alia ratio est, quoniam consolationes diuinæ semper superabundant tribulationibus: sed tempus illud passionis ante Resurrectionem fuit tempus tribulationis Apostolorum: tempus autem, quod fuit inter Resurrectionem & Ascensionem, fuit tempus consolationis eorum: si ergò diuina bonitas semper debet extendere & augere tempus consolationis super tempus tribulationis Sanctorum: ideò magis dilatum fuit tempus inter Ascensionem & Resurrectionem, quam inter passionem & Resurrectionem.

¶ SED tunc sequitur quæstio: quare dilatum fuit per quadraginta dies, & non per plures, nec pauciores. Dicendum, quod dies consolationis diuinæ comparantur ad horam tribulationis, sicut annus ad diem: & ita consuetum est in scriptura. Et hoc est de misericordia Dei, ad quam pertinet, quod magis extendatur tempus consolationis, quam tribulationis. Vnde Esa. 61.
Esa. 61. *Ad annunciandum misit me*, &c. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro. Vnde pro die reddit annum, & diem pro hora. Cùm ergò 40. fuerint horæ passionis & tribulationis Apostolorum: constat quod debuerunt esse 40. dies consolationis. Et
Glossa. Actuu. 1. hoc est, quod dicit Gloss. *Quadraginta horis mortuus fuerat: propter hoc 40. diebus se viuere confirmat.* Et hoc fuit, vt status desolationis esset sicut hora: consolationis sicut dies. & sic patet propter quid. 40. die Ascendit: & quod fuerunt. 40. horæ suæ passionis: & ita tribulationis Apostolorum. Istud patet, quia prima die fuit ibi per tres horas mortuus, per vnum diem & per duas noctes fuit in sepulchro: & hoc in quolibet per 12. horas: & ita. 36. horis: & addantur tres primæ, & erunt. 39. & hora. 40. surrexit, scilicet mane diluculo tertia die: & ita quadragesima die Ascendit.

MEMBRVM VI.

De termino Ascensionis Christi: quod est, vsque quò Christus Ascenderit?

POSTEA quæritur de termino Ascensionis Christi ad cœlos: qui notatur per hanc Propositionem *ad* cùm
Symbol. Apost. dicitur: *Ascendit ad cœlos.* Et primò quæritur de termino Ascensus respectu corporalium: vtrum ascendit super omne corporeum. Secundò respectu spiritualium, vtrum ascenderit super omnes spiritus.

ARTICVLVS I.

An Christus super omne corporeum ascenderit?

Psalm. 8. AD primum obiicitur sic. *Eleuata est magnificentia tua super omnes cœlos* (in Ascensione scilicet) ergò super cœlum empyreum Ascendit, scilicet ipsum vltimum corporeum: ergo vltra omnes cœlos, & vltra omne corporeum: sed vltra non est, nisi cœlum Trinitatis: ergò Ascendit vsque ad cœlum Trinitatis.

¶ ITEM, locus determinatur non solùm secundùm conditionem naturæ, vel ordinem vniuersitatis: immò etiam secundùm meritú determinatur locus. Ergò vbi est improportio meriti ad meritum secundùm excellentiam, est improportio loci ad locum. Sed meritum Christi quantum ad excellentiam non habet proportionem cum meritis aliorum: ergò secundùm hoc debet ei dari locus omninò differens à locis omnium creaturarum, & Angelorum, & etiam excelsior locis earum: ergo locus, in quo est sua gloria, debet esse supra locum Angelorum, quod est cœlum empyreum. Sed vltra non est nisi cœlum Trinitatis: ergò ascendit supra omne corporeum, & vsque ad cœlum Trinitatis.

¶ ITEM, *Excelsior cœlis factus.* Gloss. *id est, omni rationali creatura.* Ergò Angelis est excelsior: ergò ascendit vltra locum Angelorum, & vsque ad cœlum Trinitatis: quia non est aliud vltra. Hebr. 7. Glossa.

¶ ITEM, *A summo cœlo egressio eius.* Gloss. *id est, ab æqualitate Patris: & occursus eius.* Gloss. *occurrit ipse homo plenitudine diuinitatis vsque ad æqualitatem Patris.* Occursus Christo conuenit secundùm hominem: dum ad sedem Patris ascendens, occurrit: igitur vsque ad cœlum Trinitatis, & super omnes cœlos ascendit. Psal. 18. Glossa.

¶ ITEM, *Ascendens in altum.* Gloss. *Dignitate & loco.* Et postea subdit Textus. *Super omnes cœlos.* Ex quo patet, quod super omnes cœlos ascendit, non solùm dignitate, sed etiam loco: & vsque ad cœlum Trinitatis. Ephes. 4. Glossa. Ibidem.

¶ AD oppositum. *Dominus in cœlo sedes eius.* Ergò terminus suæ Ascensionis est cœlum. Psal. 10.

¶ SI dicatur, quod hoc intelligitur de cœlo Trinitatis, quod est sedes eius: & sic supra alios. Contra. *Cœlum Trinitatis non aliud est, quam celsitudo Trinitatis:* sicut habetur in 2. Senten. sed impossibile est, quod creatura vllo modo sublimetur vsq; ad celsitudinem Trinitatis; quia sic creatura in aliquo æquaretur creatori quod est impossibile: vnde etiam Christus secundùm quod homo, quia est creatura, non potest ei æquari: ergò non potest ascendere vsque ad celsitudinem Trinitatis; quod est cœlum Trinitatis. Quod ergò dicitur. Dominus in cœlo, &c. intelligitur de cœlo empyreo: ergò ibi est terminus suæ Ascensionis: & ita non est supra omne corporeum. 2. senten.

RESOLVTIO.

Christus super corporeum ascendit: super corporeum locale loco, super corporeum non locale dignitate & potestate.

¶ SOLVTIO. Dicendum sicut habetur Hebr. 2. vbi introducitur authoritas Psalm. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: & omnia subiecisti sub pedibus eius.* Gloss. *scilicet potestate & dominio: vt adorent illum & vereantur.* Secundùm hoc ergò dicendum, quod quando dicitur Christus constitutus super omnes: hæc Præpositio *super* potest dicere eminentiam dignitatis & potestatis, vel eminentiam loci. Si primò modo, sic ascendit super omnia; quia potestati & dominio eius subiiciuntur, vnde etiam ab angelis honoratur humanitas sua beata. Et hoc dicit Glossa. *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* Glo. *id est, super digniora opera, Angelos, & homines.* Et iterum, *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Gloss. *Dicens, in excelsis, non in loco concludit Deum: sed ostendit Christum omnibus altiorem, & omnibus eminentiorem.* Et hoc etiam dicit Textus. Si autem hæc *super*, dicat ordinem loci: distinguendum, quia sunt localia, & sunt non localia: vltimum continens scil. cœlum empyreum, locale non est. Super igitur omnia localia est loco: & non super non localia est loco: super omnia verò dignitate & potestate. Hebr. 2. Psalm. 8. Glossa. Hebr. 2. Glossa. Hebr. 1. Glossa.

¶ AD rationes, quæ ostendunt, quod supra cœlum empyreum sit loco. Dicendum ad primam: quod si intelligatur istud, super cœlos, scilicet potestate & dignitate: sic benè dico, quod eleuata est sua potestas supra omne cœlum. Vnde data est ei potestas in cœlo & in terra: & nomen super omne nomen, &c. Si au-

tem istud intelligatur localiter, non est verum: quia super non locale ponere ordinem loci, nihil est dictu, neque possibile. Quia ergò corpus illud, si licet cœlum empyreum est non locale, quia vltimum: ideò dicere, quod sit super ipsum loco Christus, hoc est nihil dictu.

¶ Ad aliud dicendum: quod meritum Christi est meritum hominis, & etiam hominis Dei. Secundùm, quod homo est, secundùm hoc meritum eius benè potest esse proportionale. Sed secundùm quod homo Deus; non: sed magis respicit meritum, quod homo est; quam quod homo Deus, quia Dei non est mereri. Et ita secundùm hoc cum Ascensio conueniat ei propriè secundùm quod homo, conuenienter terminatur sua ascensio ad locum Angelorum. Item, si locus esset de substantialibus beatitudini, benè procederet obiectio: sed ita non est, immò de accidentibus: æquè enim potest beatificari Christus in loco corporali, sicut in alio loco: & ideò non sequitur, quod si meritum sit improportionale, quod locus improportionalis: quia illud non tenet, nisi in illis, quæ sunt de substantia beatitudinis: sicut sunt visio, dilectio, & etiam dotes corporis agilitas, claritas, subtilitas: qui enim plus meruerit, & plus habebit de beatitudine, & plus videbit, & plus amabit, &c. Vnde Iesus Christus plus habebit ista secundùm quod homo, quam creatura alia, & improportionabiliter: sicut meritum improportionale.

¶ Ad aliud patet solutio secundùm distinctionem factam: vel ly excelsior dicat talem ordinem, vel talem, & cæt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Gloss. quod occursus eius vsque ad sedem Patris, conuenit Christo secundùm hominem. Dicendum, quod *secundùm* aliquando dicit conditionem naturæ: aliquando vnitatem personæ. Si dicat conditionem naturæ, tunc hæc distinguenda est: Christo secundùm hominem conuenit occursus, vsque ad sedem Patris: quia *vsque* potest teneri exclusiuè, vel inclusiuè. Si exclusiuè, tunc est vera: quia ponit tunc, quod non pertigerit ad sedem Patris: tamen perfectè, occurrit nihilominus circa ipsum, & tamen vsque ad ipsum: sicut ille dicitur currere vsque ad ciuitatem, qui peruenit vsque ad portam: & tamen non intra, sed manet extra: & tunc *vsque* exclusiue tenetur: si autem intret, tunc tenetur inclusiuè. Si autem hic ly vsquam teneatur inclusiuè: & ly secundùm dicat conditionem naturæ: sic est falsa, quia ponit tunc, quod perfectè attigerit, & participet celsitudinem Patris: & ponit æqualitatem ipsius ad Patrem secundùm quod ipse est illa persona, quæ est homo: occurrit vsque ad sedem Patris: hoc benè verum est, & est æqualis Patri.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod loco & dignitate Ascendit super omnes cœlos. Dicendum, quod super omnes locos locabiles Ascendit loco & dignitate: super omnes autem dignitate, sed non loco.

ARTICVLVS II.

An Christus super omnes spiritus Angelicos, animasque beatas ascenderit?

Postea quæritur de termino Ascensionis respectu spirituum: verum Ascendit super omnes spiritus: sicut super Angelos, & animas beatas? Ad quod sic: substantijs spiritualibus debetur locus spiritualis, & corporalibus corporalis: locus igitur Angelorum est spiritualis, & locus cuiuslibet corporis corporalis: & ita locus corporis Christi non est tantæ dignitatis, quantæ spiritualis: ergò locus corporis Christi non est tantæ dignitatis, quantæ locus Angelorum: ergò non est super eum, sed citra. Non ergò super spirituales substantias beatas ascendit.

¶ Item, Angelica natura sublimatur ad contemplationem diuinam; ad hoc autem non potest sublimari natura corporea, etiam in Christo: quia hoc est contra naturam corporis. Sed secundùm sublimationem naturæ sublimatur eius locus: ergò locus Angelorum & beatarum animarum sublimior est, quam locus corporis Christi, non igitur super Angelos Ascendit.

¶ Contra, corpus Christi est dignius omni corporali creatura: si ergò debet determinari locus secundum dignitatem naturæ: oportuit quod eius sit in supremo corporali.

¶ Item, corpus Christi est vnitum Deitati: sed vnio cum diuinitate est excellentissima, qua nulla maior cogitari potest in creatura: ergò secundùm hoc excellit omnem creaturam: ergò si secundùm dignitatem detur locus super Angelos dabitur locus eius.

RESOLVTIO.

Vtique, dignitate, & potestate.

¶ Solutio. Dicendum, quod simpliciter Christus ascendit, & est supra omne corporale, & spirituale: sed tamen differenter. Quia supra omne locabile est loco: simpliciter autem super omne, quod est creatum, tam locale, quàm non locale, est dignitate & potestate: & sic super angelos. Vnde, ad Ephes. 1. *Constituens ad dexteram suam in cælestibus super omnem principatum, & potestatem, virtutem, & dominationem, &c.* Ephes. 1.

¶ Ad primam rationē in contrarium dicendum: quod locus spiritualis Angeli dicitur tripliciter. Vno modo ipsum corpus, in quod operatur: secundùm quod dicitur Angelus esse, vbi operatur: & dicitur iste locus spiritualis: quia ad quod Angelus sit, vbi operatur; hoc intelligitur, & non percipitur sensu. Alio modo dicitur locus spiritualis terminatio suæ virtutis & essentiæ. Tertiò modo dicitur metaphoricè, prout dicitur Deus locus communis Angelorum, & animarum beatarum. Si quidem loquamur de loco spirituali Angeli primo modo, quod dicitur spirituale ratione contenti: quia intelligibiliter est in eo: sic superior est locus Christi secundùm corpus, quam locus spiritualis Angeli: quia Angelus in cœlo empyreo est: & ibi operatur opere, quod est ornatus siue ornare: & vltra quam Angelus ornet, est ipse Christus. Et hic etiam locus spiritualis non est dignior loco corporali Christi: cum hic locus spiritualis corporalis sit secundùm veritatem: & dicatur spiritualis ratione contenti, quod est spiritualiter in illo. Et iterum contentum corporale, quod est Christus, dignius est illo contento spirituali, ratione vnionis ad diuinitatem. Si verò loquamur de loco spirituali Angeli secundò modo: sic nulla est comparatio neque proportio; quia terminus corporalis & terminus substantiæ spiritualis non se habet vniuocè, sed æquiuocè. Si tertiò modo: adhuc superius est corpus Christi quantum ad illum locum, quam Angelus: quia plus est saluari in Deum per vnionem & vnitatem personæ, quam solum per amorem & contemplationem: quod vltimo modo saluatur, vel vnitur Angelus Deo: corpus autem Christi primo modo.

¶ Ad aliud, quod ostendit: quod locus Christi sit inferior Angelorum loco. Dicendum, quod licet corporea natura in Christo non sublimetur ad contemplationem; tamen sublimatur ad vnionem cum diuinitate: & hæc sublimatio superior est, quam sublimatio Angeli: quia hæc est in vnitate personæ cum Deo, illa non, & ratione huius debetur ei locus sublimior in cœlo empyreo.

MEMBRVM VII.

Ascensionis Christi quis fructus.

Consequenter quæritur, propter quod sit Ascensio, scilicet, quis fuit fructus Ascensionis? Et primò quæritur, quis fuit fructus Ascensionis quantum ad ipsum. Secundò, quis fuit fructus quantum ad nos.

ARTICVLVS I.

An aliquod nouum gaudium accreuerit Christo ex sua in cœlum Ascensione.

AD primam quæritur : vtrum aliqua noua iocunditas ei accreuit ex sua Ascensione : Ad quod sic. *Delectationes in dextera tua vsq; in finem* Gloss. *Delectatio & lætitia erit mihi in consessu tuo, humanis obtutibus subtracto.* Sed iste consessus fuit in die Ascensionis : ergò delectatio & lætitia fuit in die Ascensionis : accreuit ei igitur aliquod nouum gaudium. Psal.15. Glossa.

¶ Ad oppositum : Christus ante Ascensionem erat perfectè beatus : sed beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus: ergò cùm esset in illo statu, non erat possibile, quod accresceret ei aliquod nouum gaudium ex Ascensione.

RESOLVTIO.

Non nouum gaudium, sed nouus modus gaudendi.

¶ Solvtio. Dicendum, quod nouum gaudium potest duci quò ad nouam speciem gaudij, & quò ad numerum gaudiorum : aut potest dici nouum gaudium solùm, quia est nouus modus gaudendi vel gaudij. Primò modo non accreuit ei nouum gaudium ; quia de nullo gauisus est in Ascensione, de quo priùs non gauderet. Vnde sicut modo gaudet de hoc, quod sedet ad dexteram Patri, id est, loco competentiori fruitioni potiorum bonorum Patris: ita prius gaudebat de hoc, quod sciebat se sessurum ad dexteram Patris. Sed modus gaudij differt : vnde ei accreuit nouus modus solùm. Vnde sicut dicimus, quod cùm sit descensus à Theorica practicæ ad practicam experientiæ, non fit descensus à noto ad ignotum, sed ad notum alio modo : sic de nullo habuit delectationem post Ascensionē, quando ante de illo habuerit, & quantum etiam ad numerum gaudiorum : tamen nouus modus ipsi humanitati accreuit: cum per experientiam sciuit, & vidit militiam Angelorum sibi subiectam.

ARTICVLVS II.

Quis fructus Ascensionis Christi quò ad nos.

CONSEQVENTER quæritur iuxta hoc de fructu Ascensionis quò ad nos. Et primò, quò ad mortuos. Secundò, quò ad viuos.

An Christi in cœlum Ascensio, in paradisumq; introitio causa sit nostræ illuc Ascensionis, & introductionis? §. 1.

¶ Ad primum obiicitur, & quæritur. Vtrum Ascensio Christi sit causa nostræ Ascensionis. Et videtur: quod sic: quia sua resurrectio est causa nostræ Resurrectionis: ergò similiter, &c.

August. in sermone de Ascensione Domini. ¶ Item, Augustinus: *Mors Christi viuificauit nos Resurrectio erexit, Ascensio vexit.* Ergò sua Ascensio est causa nostræ subuectionis, seu Ascensionis.

¶ Contra. Per passionem Christi amotum fuit omne impedimentum, quod erat ex parte nostra, ascendendi in cœlum. Similiter ex parte Sanctorum erat meritum, vt ascenderent, & glorificarentur in cœlis : ergò de iustitia Dei ipsi ascenderent, etsi Christus non ascendisset : ergò sua Ascensio non est causa nostræ ascensionis.

¶ Ivxta hoc quæritur: vtrum Ascensio Christi aperuit ianuam paradisi. Ad quod sic: *Habentes Pontificem, qui penetrauit cœlos.* Gloss. *Penetrauit, id est, penitus intrauit, vt nos sequi possimus.* Ergò Ascensio Christi aperuit ianuam cœli. Hebr.4. Glossa.

Marc.15. Glossa. ¶ Contra, *Hora sexta tenebræ,* &c. Gloss. *Diuina pietatis ordo poscebat: vt eodem temporis articulo quo Adæ præuaricanti obcluserat: latroni pœnitenti ianuam referaret paradisi.* Sed hoc fuit in sua passione : ergò passio Christi ianuam aperuit: non ergò ascensio.

¶ Item, *Baptizato Iesu & orante,* &c. Gloss. *Dum aquas Iordanis subijt nobis, ianuam cœli pandit : & dum caro noxia aquis frigentibus tingitur : opposita noxijs quondam rumphæa ignea extinguitur.* Ergò baptismus eius aperuit nobis ianuam paradisi: non est igitur hic effectus Ascensionis. Propter quod quæritur: si Ascensio aperuit, & passio, & baptismus; quomodo differenter?

RESOLVTIO.

Stante peccato, necessum fuit ex ordine dispensationis specialis, vt Christus cœlum conscenderet, in paradisumq; introiret, si nos illo eodem & conscendere, introire debebamus.

¶ Solvtio. Duplex est ordo: vnus est ordo iustitiæ generalis: alius est ordo dispensationis specialis. Ordo iustitiæ generalis attenditur ante peccatum & post : & considerando iustum ordinem, secundùm ipsum debent reddi bonis bona, & malis mala : & finaliter malis supplicium æternum. Sed vlterius est ordo, qui respicit dispensationem specialem : quæ fuit etiam in Incarnatione, & passione, & resurrectione, & Domini Ascensione: quia hæc omnia fuerunt ex dispensatione diuina propter nostram redemptionem. Primo modo si non fuisset peccatum, sufficeret primus ordo ad aperiendum ianuam cœli; quia non fieret nisi bonum, & redderetur bonum pro bono : & hoc modo non dicitur Ascensio Domini causa nostræ ascensionis. Sed quantum ad alium ordinem est causa: quia ex dispensatione & resurrectio, & alia Sacramenta ordinantur ad nostram redemptionem.

¶ Et si obiiciatur. Nonne iustitia generalis sufficeret ad nostram ascensionem sine alijs dispensationibus specialibus? Dicendum, quod sic ante peccatum, sed non post peccatum : immò semper post peccatum secundùm illum nobis redderetur malum, & nunquam bonum: quia non fuit bonum, nisi per comparationem, vel aspectum ad Incarnationem : & habendo fidem de ipsa, & de alijs Sacramentis: sicut dictum est, & probatum superiùs.

¶ Et si quæratur, an aliæ sint causæ nostræ redemptionis, & apertionis ianuæ. Dicendum est, quod sic : quoniam est causa secundùm meritum, & secundùm effectum. Secundùm meritum causa nostra ascensionis & reserationis ianuæ fuit ipsa passio Christi: quia per suam passionem nobis hoc meruit. Causa autem secundùm effectum dicitur perceptio beatitudinis. Determinatur autem beatitudo quantum ad gloriam in contemplatione Deitatis, & quantum ad visionem assumptæ humanitatis: & quantum ad societatem confruentium Deo: vnd secundùm hoc debet determinari effectus istius causalitatis. Descensus igitur ad inferos fuit effectus gloriæ, quantum ad contemplationem Deitatis : vnde tunc *habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis : sicut habetur.* Esa.9. Quia autem humanitas Christi non erat glorificata ante Resurrectionem : dicimus, quod Resurrectio Christi fuit causa gloriæ, quæ est in contemplatione & fruitione ipsius humanitatis, & hæc fuit gloria in lacte, sicut prima in melle, secundùm promissionem factam, Exod.3. Ascensio autem causa fuit gloriæ, quæ est in Societate confruentium: & in hoc est magna gloria, & maximè in illo loco, qui plus participat de operatione Dei & gratia : vbi congregatæ sunt beatæ animæ cum Angelis, & simul vident Deum: hanc enim gloriam adduxit Ascensio. Et sic patet, quod Ascensio est causa nostræ beatitudinis, siue Ascensionis, & aliæ: sed differenter. Esa.9. Exod.3.

¶ Ad aliud, quod obiicitur de Baptismo. Dicendum quod passio aperit cœlum secundùm meritum, Baptismus sicut causa disponens (quia baptismus per gratiam, quam confert disponit animam, vt sit digna illa beatitudine) ipsa Ascensio vt causa introducens : & hoc est, quod dicitur in illis auctoritatibus. *Pandens iter ante eos. Et penetrauit,* id est, penitus intrauit, &c. Mich.2. Hebr.4.

Ad quid præcipuè Christi in cœlum Ascensio viuis bonis profuit? §. 2.

¶ Postea quæritur de fructu Ascensionis quò ad viuentes: & obiicitur sic. Si omnis actio Christi fuit propter nostram salutem : sed præsentia Domini magis esset ad nostram salutem, quam eius absentia : ergo non debuit ascendere, sed morari nobiscum hic.

Con-

Patris: ergo secundùm quod sedet in æqualitate Patris.

Psalm. 18. ¶ ITEM, *A summo cælo egressio eius.* Glossa. *Ab æqualitate Patris egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius.*
Glossa. Ibidem. Glossa. *id est, in æqualitate Patris.* Vnde dicit ipsa Glossa.
Eadem. *Occurrit ipse homo plenitudine diuinitatis vsque ad æqualitatem Patris.*

¶ AD oppositum. Impossibile est, quod creatura in aliquo æquetur Creatori: quia omnis creatura finita, Creator autem infinitus: ergo impossibile est creaturam sedere in æqualitate Patris. Sed Christus in quantum homo est creatura: ergo non sedet in æqualitate Patris: ergo ei non conuenit sedere ad dexteram Patris secundùm vltimam expositionem.

RESOLVTIO.

Vtique ratione vnionis: minimè autem ratione æqualitatis, siue naturæ conditione.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod consessus in dextera Patris potest intelligi: vel secundùm rationem æqualitatis: vel secundùm rationem vnionis ad illum, qui est æqualis Patri. Si secundùm rationem æqualitatis: sic Christo non conuenit iste consessus secundùm humanam naturam: vt *secundùm* dicat conditionem naturæ. Si autem intelligatur hic ratione vnionis ad illum, qui est æqualis Patri: sic iste consessus conuenit Christo secundùm quod homo siue humanitati. Et dicit ibi *secundùm* vnitatē personæ: conuenit enim humanitati Christi vniri in vna persona Filij Dei, qui est æqualis Patri. Et hoc modo dicit
Damasc. Damasc. *Adoratur vna hypostasis cum carne ab omni creatura.*
Leo Papa Et sic loquitur & intelligit Leo Papa concessum istum in
Psalm. 18. prædicta authoritate. Et sic etiam loquitur de isto consessu Glossa super illud. *Et occursus eius,* &c. quia dicit Glossa. *Occurrit plenitudine diuinitatis ad æqualitatem Patris.* Hæc enim plenitudo est per vnionem ad diuinitatem: vnde per hoc signat, quod hoc conuenit ei secundùm vnionem illam ad illum, qui est æqualis Patri scil. Filio Dei secundùm diuinam naturam.

MEMBRVM III.

An sedere ad dexteram Patris conueniat Spiritui sancto.

CONSEQVENTER quæritur. An Spiritui sancto conueniat sedere ad dexteram Patris. Ad quod sic obiicitur: & accipitur *sedere* secundùm secundam expositionem, quæ est, sedere ad æqualitatem Patris. In Lib.
Lib. de Regulis fidei. de Regulis fidei dicitur. *In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritui sancto vtriusque connexio.* Ergo soli Filio conuenit sedere ad æqualitatem Patris, & non Spiritui sancto.

¶ ITEM, dextera manu nos operamur sed Filio conuenit hoc quod dico, *per ipsum omnia fieri.* Vnde Ioann. 1.
Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt,* &c. *Ex ipso, & per ipsum, & in*
Rom. 11. *ipso sunt omnia:* ex ipso dicitur propter Patrem: in ipso propter Spiritum sanctum: per ipsum propter Filium. Ergo ipse est, cui conuenit, quod per ipsum sunt omnia: & non Spiritui sancto: ergo Filius debet dici ad dexteram: quia ex parte illa, qua operatur Deus omnia, & non Spiritus sanctus.

¶ AD oppositum, sedere ad dexteram Patris importat distinctionem personarum, & æqualitatem personæ, ad personam in gloria & honore: sed sic se habet Spiritus sanctus ad Patrem: ergo ei conuenit sedere ad dexteram Patris.

RESOLVTIO.

Et quidem propriè, sed non appropriatè.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod est loqui de æqualitate propriè, vel per appropriationem. Secundùm quod sumitur propriè, non dicit aliud æqualitas in diuinis: nisi diui-
* Alias, &. nam essentiam * vt virtutem, quæ non est maior ex personis in vna, quàm in alia: sed vna eadem, in qua coæquantur personæ: hoc modo est vna æqualitas: in diuinis personis, sicut vna essentia: vnde æqualitas est ipsa diuina essentia. Aliquo modo sumitur æqualitas in diuinis secundùm appropriationem: vt dicatur æqualitas conformitas in notione siue habitudine: & hoc modo appropriatur Filio: æqualitas enim ponit dualitatem. In ordine enim primò diuinarum personarum, Pater est principium, Filius intelligitur proximus ab illo: & ideò in Filio prima dualitas, quę coæquatur principio Patri in essentia, in virtute, & etiam in notione: quia sicut Pater est persona, à qua alia est per spirationem: sic Filius est persona, à qua est alia persona per eandem spirationem, & hoc modo comparatur. Æqualitas primò dicit conformitatem in essentia diuina, & virtute; quod conuenit cuilibet personæ: & hoc modo sedere ad æqualitatem Patris conuenit Spiritui sancto. Sed si sedere ad æqualitatem dicitur secundùm appropriationem, secundùm quod æqualitas dicitur secundùm appropriationem, quæ est conformitas in notione: sic soli Filio, & non Spiritui sancto conuenit sedere ad dexteram Patris.

MEMBRVM IV.

Ad dexteram Patris in æqualitate sedere secundùm diuinam naturam, quomodo Filio conueniat?

CONSEQVENTER quæritur: quomodo conuenit Filio secundùm diuinam naturam sedere ad æqualitatem Patris? & loquamur de æqualitate secundùm notionem. Et videtur quod non conuenit, hoc modo: Pater est persona non ab alio, à quo alius: & ex hoc attribuitur ei ratio authoritatis, & authoritas primi principij: sed Filius est ab alio, licet ab ipso alius: ergo non est plena conformitas in notione Filij ad Patrem. Cùm ergo æqualitas notionalis importet plenā conformitatē notionalem: ergo non conuenit Filio sedere ad æqualitatem Patris, quæ est in notione: & ita nec ad dexteram hoc modo.

¶ ITEM, Hilar. in lib. de Synodis ponit verbum Concilij. *Non exequamus, vel comparamus Filium Patri; sed subiectum intelligimus,* (& loquitur de Filio secundùm diuinam naturam). ergo Filio secundùm diuinam naturam non conuenit sedere ad æqualitatem Patris: ergo nec ad dexteram: cum secundùm æqualitatem dicamus sedere ad dexteram Patris. Hilar. in lib. de Synodis.

RESOLVTIO.

Absolutè, propriè, & per appropriationem.

¶ SOLVTIO. Dicendum: absolutè, propriè, & per appropriationem conuenit æqualitas Filio, & sedere ad dexteram Patris.

¶ AD illud verò, quod obiicitur, dicendum: quod est differentia inter æquare, & exæquare: hæc enim est simpliciter neganda: non æquamus filium Patri: hæc autem exponenda est, non exæquamus. Æquare enim dicit conformitatem in natura & virtute; & hæc est inter Patrem & Filium: sed hæc præpositio, *ex*, dicit habitudinem ad aliud vt ad principium: & hæc habitudo conuenit Filio, & non Patri; ratione cuius dicitur, non exæquamus Filium Patri, id est, non exæquamus in *ex*, hoc est in habitudine importata per hanc Præpositionem *ex*, quia Pater non est ex alio sicut Filius: nam Pater est principium sine principio, Filius est principium de principio; sed subiectum intelligimus, quia Filius à Patre. Vnde ratione originis dicitur illud verbum, & non ratione virtutis & essentiæ: non enim possumus dicere, quod Filius sit ens non ex alio, sicut Pater: & propter hoc non exequamus. Vnde statim accipit Concilium illud verbum. *Pluit Dominus,* &c. *à Domino,* &c. & dicit: *non enim pluit Filius à seipso, sed à Domino authore.* Gene. 19. Concil.

QVÆSTIO XXV.

De aduentu Christi ad iudicium.

In quinque Membra, & septem Articulos diuisa.

D.Tho.3. par.q.59. Actu.1. INQVISITO de Ascensione Saluatoris ad cælos: consequenter inquirendum est de Aduentu eius ad iudicium, Nam discipulis dictum est ab Angelis, *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem:* &c. Matt.25. *Videbitis filium hominis venientem in virtute multa, & maiestate.* 1.Cor.4. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus: qui illuminabit abscondita tenebrarum: & manifestabit consilia cordium.*

¶ ET quantum est ad præsentem intentionem quæruntur hæc. Primò de signis præcedentibus aduentum ad iudicium. Secundò de loco & tempore iudicij. Tertiò de persona venturi iudicis. Quartò de apparitione iudicis. Quintò de assistentibus ipsi iudici.

MEMBRVM I.

De signis proximis & coniunctis iudicij.

Matt.24. QVANTVM ad primum nota, quod secundùm Matth. à Saluatore ponuntur multa genera signorum præambula aduentum iudicis. Quædam remota, vt diuersis generibus tribulationum. *Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum,* &c. *Oportet enim hæc fieri, sed nondum statim finis.* Quædam verò propinqua: vt aduentus Antichristi & suorum: vnde ibi dicitur. Ibidem. *Cùm ergò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto,* &c. & sequitur. *Statim autem post tribulationem,* &c. Quædam verò proxima, vt immutatio superiorum. *Sol obscurabitur,* &c. & sequitur. *Videbunt Filium hominis venientem.* Quædam verò coniuncta, vbi dicitur. *Mittet Angelos suos cum tuba,* &c. Omissis igitur signis remotis & propinquis, de quibus tractabitur, cùm agetur de Iudicio generali: in præsenti quæremus de signis proximis & coniunctis.

¶ QVÆRITVR igitur de illis tribus signis, quæ ponuntur Matth. 24. Matt.24. Quorum vnum est immutatio corporum cælestium. Aliud commotio virtutum cælorum. Tertium apparitio signi Redemptionis hominum. Vnde ibi dicitur: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen, & stellæ cadent de cælo:* ecce primum. Ibidem. *Et virtutes cælorum mouebuntur:* ecce secundum. *Et tunc apparebit signum Filij hominis,* ecce tertium. Quartum verò signum ponitur conflagratio mundi: Psal.96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quintò, de signis coniunctis.

ARTICVLVS I.

An adueniente Christo ad iudicium immutabuntur corpora cælestia.

Apoc.7. AD primum introducuntur authoritates: *Et quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: ita vt obscuraretur tertia pars eorum.* Esa.13. *Quoniã stellæ cæli, & splendor earum non expandent lumen suũ: obtenebratus est Sol in ortu suo: & luna non splendebit in lumine suo.* Apoc.6. Apocal.6. *Et sol factus est niger tanquàm saccus cilicinus: & luna tota facta est sanguis: stellæ de cælo ceciderunt,* &c.

¶ CONTRA: Constat, quod corpora cælestia inalterabilia sunt: ergo non obscurabuntur.

¶ ITEM, quomodo intelligitur hæc obscuratio: aut per mutationem factam in ipsis corporibus: aut quantum ad apparitionem dicuntur transmutari.

¶ ITEM, cùm constet, quòd secundùm substantiam & fixionem sint perpetua & immutabilia: quomodo dicuntur cadere de cælo?

RESOLVTIO.

Immutabuntur quidem in lumine & situ; non profectò illorum priuatione, sed apparitione, vel magis absconsione: idque propter superuenientem corporis Christi claritatem maiorem.

¶ RESPONSIO. Quòd obscuratio intelligi, vel immutatio; sicut fuit in morte Christi, ita & in consummatione mundi, & exaltatione Christi. Vel absconsio, quemadmodum minor lux sub maiori: & ita adueniente maxima luminositate corporis Christi, obscuratur per absconsionem sol, luna, & stellæ cæli. Vnde Hieronym. Hieron. *Sydera in die iudicij videbuntur obscurari, non diminutione sua lucis accedente; sed claritate veri luminis superueniente:* vnde, Esa.24. *Erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnauerit Dominus exercituum.* Cæterùm peracto iudicij die, fiet: quia idem propheta dicit alibi: Esa.30. *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux 7. dierum.*

¶ AD illud, quod quæritur, quomodo dicuntur cadere stellæ de cælo: Dicendum, quod hoc intelligitur dupliciter. Primò quantum ad mutationem luminositatis in obscuritatem, sicut dicit Rabban. Rabban. Quod de stellis dictum est. Matt.24. *Et stellæ cadent de cælo;* hoc ita scriptum est. Luc.21. *Et stellæ cæli erunt decidentes:* Matt.13. hoc est suo lumine priuabuntur, vt vicinum Domini indicent aduentũ. Secundò potest intelligi quantum ad ad apparitionem: sicut videtur nunc vapor ascendens inflammatus cadere ad modum stellæ, vt venientem præcedant signa inflammationis mundi. Psal.96. *Ignis ante ipsum præcedet,* &c. Eleuatis vaporibus & inflamatis apparet casus stellarum.

ARTICVLVS II.

Quid est dictu. Virtutes cælorum mouebuntur?

Psal.102. CIRCA secundùm signum quæritur: quid intelligatur per virtutes cælorum? Et cùm dicatur, *Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Ibidem. Et sequitur per expositionem. *Benedicite Domino omnes Angeli:* per virtutes cæli, angeli intelliguntur.

¶ IDEM, Beda & Remigius. Beda & Remig. *Quid mirum tremere homines: cum aspectu iudicis tremant Angelicæ potestates?* Vnde: Iob 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Gregor. Gregor. *Quid ergò facient tabulæ, quando tremet columna? quid virgula deserti quatitur, quando cedrus paradisi concutitur.*

¶ CONTRA, cùm Angeli sint beati: beatitudo verò excludat omnem miseriam & mutabilitatem: nullo modo verè possent dici timore affici vel moueri.

¶ ITEM, quare non dicuntur Angeli hic, sicut dicuntur Virtutes.

RESOLVTIO.

Id est Angeli affectu reuerentiæ & timoris resilient in propriam paruitatem ex contemplatione maiestatis Christi.

¶ RESPON. Ad primum. Moueri dicuntur Angeli effectu ex contemplatione maiestatis Christi, resilientes in propriam paruitatem: & hic affectus dicitur reuerentiæ siue timoris. Alio modo quantùm ad effectum exequendo ministerium consummationis mundi, & innouationis, & humanæ surrectionis.

¶ AD aliud Dicendum: quod Angeli dicuntur ante iudicium: *quia in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiũt salutis,* Heb.1. Virtutes verò in iudicio dicuntur propter excellentiam operum motus in innouatione mundi, & resurrectione corporum.

ARTICVLVS III.

Quod est signum illud Filij hominis, quod tunc in cælo apparebit?

QVò ad tertium signum quæritur: quid dicatur signũ Filij hominis, cùm dicitur. Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo. Nam signum illud potest intelligi multipliciter.

RESOLVTIO.

Aut crux Christi: aut signa passionis in carne Christi: aut ipsa crux in frontibus fidelium impressa.

¶ Et Ad Hoc respondetur: quod potest dici aut signum crucis; vnde Chrysostomus: *Crux apparebit sole lucentior existens: & non est necessitas excusationis, cùm viderint crucem.* Aut signa passionis in carne Christi. Vnde Chrysostomus: *Quidam putant crucem Christi ostendendam esse in cœlo: veriùs autem ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis, id est vulnerum, lanceæ, & clauorum: vt impleatur illud: Videbunt in quem transfixerunt.* Et, *Ecce venit in nubibus cœli, & videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt.* Aut signum crucis impressum frontibus fidelium: quod figuratur in Ezechiel. 9. in Tau, super frontes virorum gementium & dolentium. Apoc. 7. *Nolite nocere terræ & mari neq; arboribus, quousq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* [Chrysost. / Idem. / Zach. 12. / Apoc. 12. / Ezech. 9. / Apoc. 7.]

¶ Sed Tunc quæritur: si apparebit cum cruce, vtrùm hoc erit cum cruce facta gloriosa; vel non. Et videtur, quod erit gloriosa: quoniam dicit Chrysost. *Quòd tunc crux multò solaribus radijs lucentior erit:* ergo apparebit in maiori luminositate, quàm habeat sol & radij eius: sed hoc non potest esse, nisi glorificetur: quia per sui glorificationem ita luminosa apparebit, non per naturam, ergo apparebit cum cruce facta gloriosa. [Chrysost. hom. 76. super Matth.]

¶ Sed posito, quæritur: vtrùm ipsa crux in hac immutatione vel luminositate permanebit? Et videtur quòd non: *Quia* (quia sicut dicit Augustinus) *omnia, quæ propter hominum necessitatem creata sunt, desinent esse, & cessabunt: quoniam ipsa necessitas hominis cessabit.* Sed vegetabilia, & corpora minoralia, & animalia bruta, & huiusmodi terræ nascentia tantùm ad hominis necessitatem ordinata sunt; elemēta autem & huiusmodi non solùm creata sunt propter hominis necessitatem, immò etiam propter vniuersitatis decorem: & ista manebunt quantum ad hoc, quòd sunt ad decorem vniuersitatis: euacuabuntur autem quantum ad hoc, quòd sunt ad hominis necessitatem. Ergo cùm crux sit de numero vegetabilium, & ita propter hominis necessitatem creata; non permanebit: immò desinet esse, postquam apparuerit in hac claritate, ergo non erit glorificata, cùm omne glorificatum sit perpetuum. [August.]

¶ Responsio. Dicendum, quòd nihil hic debet temerè diffiniri: cùm Sancti ponant diuersa. Nam secundùm quosdam, si corpora immutabuntur: vt elementa, quæ corruptibilia sunt, & corpora cœlestia: multò fortiùs videtur, quòd illud, quod fuit instrumentum nostræ redemptionis, quod profectò fuit crux. Vnde per hoc datur intelligi, quòd ipsa crux in illa luce apparebit, de qua dicit Chrysostomus, quod lucentior erit solaribus radijs: & q̃ etiam in illa remanebit, sicut alia corpora, & elementa, quæ corruptibilia sunt de sui natura; cùm istud corpus fuerit nostræ redemptionis instrumentum. Vnde per hoc habet quandam dignitatem, ex qua videtur habere congruentiam ad permanendum, sicut illa. Posset dici tamen: quòd sicut Christus in transfiguratione ostendit quandam claritatem, manente adhuc corpore suo mortali; ita posset ibi ostendere claritatem in cruce manente tali corpore corruptibili: & sic post talem ostensionem non oporteret, quod remaneret: non tamen est diffinita sententia à Sanctis: ideo nec hic nos diffinire volumus sententiam. [Chrysost.]

ARTICVLVS IIII.

An ignis conflagratio præcedet, vel sequetur iudicium.

PRo quarto quæritur de conflagratione, quæ fiet per ignem: vtrùm præcedet iudicium, aut sequetur? *Ignis ante ipsum præcedet.* Et super illud: *In igne veniet.* Gloss. *qui purgabit electos.* Item, *Vniuscuiusque, quale sit opus, ignis probabit.* Item: *Ipse sedebit conflans.* Et post sequitur: *Et purgabit filios Leui.* Et post: *Accedam ad vos, &c.* Ex his omnibus arguitur, q̃d priùs erit conflagratio, quàm iudicium. [Psal. 96. / Esai. vlt. / Glossa. / 1. Cor. 3. / Malac. 3. / Ibidem. / Iterum.]

¶ Contra, Arguitur ex ordine iudicij determinato ab Augustino: *In illo iudicio has res dicimus esse venturas: Heliam Thesbitem, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum & malorum diremptionem, mundi conflagrationem, eiusdemq; renouationem.* Et pòst: *Existimo tamen eo, quo à me commemorata sunt ordine omnia esse ventura.* [Aug. 20. de Ciuit. Dei, c. vl. / Idem.]

¶ Item, videtur quòd hæc omnia debeant esse simul, scilicet conflagratio, iudicium, cōdemnatio, & huiusmodi. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Ergo pari ratione omnia simul recreabit. [Eccl. . 8]

RESOLVTIO.

Diuerso effectu & præcedet, & sequetur.

Respon. Potest dici, quòd ille ignis diuersos habebit effectus. Purgabit enim, & secundùm hoc præcedet iudicium: non enim accedent electi ad iudicium, nisi priùs purgati. Item per ipsum ignem fiet innouatio vniuersi, & hoc post condemnationē malorum: & secundùm hoc sequetur. Et ita hoc modo concordandæ sunt autoritates, q̃ videntur contrariæ.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quòd omnia reparabuntur simul. Dicendum, quòd non est simile de opere creationis & reparationis finalis: nam creationis actus solùm recipit causam creatricem: reparatio verò finalis & consummatio respicit causam & creaturam rationalem: ratione cuius dispensatur non simul, sed secundùm exigentiam ipsius. Ideo primus effectus est purgationis bonorum: secundus erit iudicium bonorum & malorum: tertiò succedet malorum condemnatio, & beatificatio bonorum. Posset tamen dici, quòd sicut in opere primæ conditionis triplicatur actus, vt sit opus creationis, opus distinctionis, & opus ornatus: ita in opere vltimæ consummationis triplicatur actus: vt sit actus vel opus purgationis, & opus discretionis iudicij, & opus retributionis: & tamen simul omnes purgabuntur purgandi, simul omnes iudicabuntur, simul præmiabuntur: quamuis non simul sit purgatio, iudicium, & retributio.

ARTICVLVS V.

An quod ab Apostolo dictum est: In iussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei, requiretur ad iudicium.

COnseqventer quæritur de signis coniunctis, de quibus 1. Thessal. 4. *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, &c.* Quia nō videtur ibi necessitas istorum: quia sicut solo verbo creauit Deus omnia, ita solo verbo potest omnia suscitare: ergo non requiruntur ista. [1. Thess. 4]

¶ Præterea, quæ est differentia inter tubam, & vocem? Quoniam per tubam videtur designari vox: vnde super illud Matth. 24. *Mittet angelos suos cum tuba:* dicit Augustinus, quòd tuba est potestas suscitandi mortuos: vox magna, vt nullus remaneat non suscitatus, & vt omnes sint in iudicio. Et super illud allegatum 1. Thessal. 4. *In iussu, &c.* dicit Gloss. quòd tuba erit vox magna angelorum. In quo ergo differt à voce. [Matt. 24. / August. / 1. Thess. 4 / Glossa.]

RESOLVTIO.

Haud quidem de necessitate, sed de congruentia.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd in ipso iudicio benè sufficeret iussus Dei, sicut & in creando. Tamen ad notandum congruentiam apponuntur illa tria. Nam (sicut dictum est) ipse, vel tota Trinitas iudicabit potestate autoritatis: filius Dei inquantum homo, iudicabit potestate excellentiæ: ipsi autem angeli, licèt non iudicent, habebunt tamen ministerium antecedens iudicium: ipsi enim congregabunt electos à quatuor ventis terræ, sicut habetur Matth. 24. Ex conuenientia ergo in iussu notatur, quòd ex parte Dei in illo iudicio est: in voce Archangeli notatur, quòd ex parte Christi: in tuba notatur, quòd est ex par- [Matt. 24.]

ex parte angeli, scilicet potestas ministerij Christi collata
Matt. 24. ad congregandum ad iudicium. Vnde Matth. 24. habetur planè, quòd mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabuntur, &c. vnde tuba ad angelos refertur: &
Psal 67. si est vox, potest dici vox angelorum, Psalm. 67. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*: istud patet ibi ex Gloss. Solus ergo iustus sufficeret ad iudicium, tamen ex congruentia notantur illa: quia cõgruebat quod aliquid notaretur in illo iudicio ex parte Dei, aliquid ex parte Christi hominis, aliquid ex parte angelorũ propter suum ministerium, quod antecedit iudicium.

MEMBRVM II.

An iudicij locus vallis Iosaphat erit. Et num illius diem, horamve neq; Christus sciat?

POSTEA quæritur de loco, & tempore iudicij. Et primò de loco: quia videtur, quòd locus eius debeat esse
Ioelis 3. in valle Iosaphat, secundùm quod habetur Ioëlis 3. *Congregabo omnes gentes in valle Iosaphat: ibiq; disceptabo cum illis*. (& loquitur de congregatione ad iudicium) ergo, &c.

Psal 102. Glossa. ¶ SED contra, Psal. 102. *In cœlo parauit sedem suam*, Glos. *De bonis & malis iudicabit in cœlo existens*.

1. Thess. 4. ¶ CONTRA 1. Thessal. 1. vbi loquitur de aduentu ad iudicium, dicit Apostolus: *In reuelatione Domini nostri Iesu Christi de cœlo cum angelis venientis*. Ergo Dominus ad iudicandum veniet de cœlo: non ergo in cœlo iudicabit.

SOLVTIO. Dicendum, quòd nõ erit iudicium in valle Iosaphat: immò determinat Glos. super illum locum, vbi erit. Vnde secundùm Glos. nihil aliud intelligitur ibi
Glos. ibi. per vallem Iosaphat, nisi vallis iudicij: vnde non determinatur ibi locus, dicit enim sic. Quidam pueriliter intelligunt, quòd in valle, quæ est in latere montis Oliueti descensurus sit Dominus ad iudicium, quod friuolum est, quia nõ in terra, sed in spatio huius aëris sedebit circa locum montis Oliueti, ex quo ascendit. Et sumitur ex hoc,
2. Thess. 4. Chrys. quod dicit 2. Thessal. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra*. Et (sicut Ioannes Chrysostomus ait) angeli deferent ante eum signum crucis. Iosaphat interpretatur iudicium Domini: ad iudicium ergo Domini congregabuntur non solùm Iudæi, qui credere noluerunt: sed omnes impij, qui ab initio fuerunt. Iusti verò nõ descendent in vallem iudicij, id est damnationis: sed in nubibus eleuabuntur obuiam Christo.

¶ AD illud verò, quod obijcitur: Iudicabit in cœlo existens, vult dicere, quòd Christus per ascensum eius in cœlo ad dexteram patris, siue in potioribus bonis patris accepit iudiciariam potestatem. Et ideo dicit Psalm. 102.
Psal. 102. *Dominus in cœlo parauit, &c.* id est, ex hoc habet potestatem iudiciariam, quod sedet in potissimis bonis patris. Vnde sensus illius Glossæ non est talis; quòd Dominus iudicabit in cœlo: sed quòd ipse, qui modò est existens in cœlo parauit sedem suam: id est per hoc quod in cœlo est ad dexteram patris, parata est ipsi Christo homini potestas iudiciaria.

¶ DEINDE QVÆRITVR de tempore iudicij. Et primò de die: secundò de hora, propter illud, quod dicitur Mat-
Matt. 24. thæi 24. *quòd de die illa & hora nemo scit, neq; etiam angeli cœlorum, neque etiam filius*, (sicut quædam litera dicit) *sed solus pater*.

¶ CONTRA: Notitia est nomen essentiale in Trinitate, ergo omnia quæcunq; nouit pater, nouit filius: ergo habet notitiam de illo die, sicut pater.

¶ ITEM, filius est sapientia patris: ergo quæcunq; sunt nota patri, nota sunt filio.

Matt. 11. ¶ ITEM, Matth. 11. *Et nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*. Ex his patet, quòd indiuisa est notitia patris & filij: ergo de omnibus notitiam habet filius de quibus & pater: ergo & de illo die.

(*.*)

RESOLVTIO.

Non vallis Iosaphat iudicij locus erit: sed spatium aëris circa locum montis Oliueti, ex quo ad patrem ascendit. Scit enim Christus huiusce iudicij diem atq; horam pro se, nescit autem pro ecclesia; nec ex generali natura humanitatis, sed ex virtute diuinitatis.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod filius habuit, & habet notitiam illius diei. Cùm ergo dicitur, *neque filius*, istud intelligitur de filio pro corpore suo, quod est Ecclesia, vnde cùm dicitur, *nisi solus pater*, non excluditur filius, neque spiritus sanctus: quia in notitia patris est notitia filij & spiritus sancti, ideo non potest excludi: sed fit exclusio ipsius corporis ecclesiæ, scilicet angelorum, & hominum, cuius est caput, cùm dicitur, *neq; filius*. Et hoc est quod dicit Augustinus, cùm dixit, *pater scit, ideo hoc dixit; quia in patre & filio scit: nescit tamen filius, id est corpus eius in terra positum, quod est Ecclesia*. Item dicit August. *Pater solus scire dicitur, quia solus facit filium scire*. Et est simile illud Deuter. 13. *Tentat vos Deus vt sciat* (id est scire faciat) *si diligitis eum*. August. in lib. de verbis Domini. Idem Deut. 13.

¶ SED TVNC quæritur: Christus homo nunquid nouit illam diem? Quia videtur quod sic: quoniam Coloss. 2. habetur: quòd in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Quid est ergo, quod dicit, nemo. Coloss. 2.

¶ DICENDVM est ad hoc secundùm beatum Gregorium, qui dicit: *Nouit vnigenitus horam iudicij*: sed non ex natura humanitatis; quia tunc alij homines scirent: sed ex virtute diuinitatis influente super illum hominem. Cùm ergo dicit: *Nemo nouit, &c.* per hoc nõ excluditur Christus homo à notitia illius diei: sed p hoc excluditur, quòd non ex virtute humanitatis ipsam habet, sed ex virtute diuinitatis. Gregor. Matt. 11.

¶ ITEM QVÆRITVR de hora iudicij: propter hoc quod dicitur Matth. 25. *Media autem nocte clamor factus est, &c.* igitur erit nocte media. Matt. 25.

¶ CONTRA Ro. 2. *In die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei*. Rom. 2.

¶ RESPON. Media nocte dicitur venturus (vt dicit August.) non pro hora temporis: sed quia tunc veniet, cũ non speratur. Media ergo nocte, scil. cùm valdè obscurũ erit, id est occultum, veniet: dies. n. Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Potest tamen non incongruè intelligi, mediæ noctis tempore venturus: quia (vt ait Cassiodorus) hoc tẽpore primogenita Ægypti percussa sunt. Aduentus verò Christi dicitur dies Domini non pro qualitate temporis, sed rerum: quia tunc cogitationes & consilia singulorum patebunt. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quousque Dominus venerit, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. August. Cassiod. 1. Cor. 4.

MEMBRVM III.

An soli filio iudicium hoc conueniat, & secundùm quam naturam?

CONSEQVENTER quæritur de persona iudicis: an soli filio conueniat, & an secundùm humanã naturam iudicabit?

¶ AD primum sic: habemus peccata appropriata contra personas: sed iudicium respicit peccatum, quoniam de peccatis est iudicium: secũdùm ergo appropriationes peccatorum, sunt appropriationes iudiciorum. Sicut ergo habemus peccatum in patrem, in filium, & in spiritum sanctum: ita videtur quòd pater de peccato quod est contra ipsum: & filius de peccato, quod est contra ipsum: & spiritus sanctus de peccato, quod est contra ipsum, iudicabit: & ita cuiuslibet personæ est iudicare.

¶ ITEM, indiuisa sunt opera Trinitatis: ergo iudicat tota Trinitas, non ergo solus filius.

¶ PRÆTEREA, videtur quòd pater iudicat, quoniã Dan. 7. habetur, quòd antiquus dierum sedit: & per antiquum dierũ signatur pater: & loquitur de sessione iudicij, Dan. 7.

vel in

vel in iudicio, vnde subditur: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt* (& loquitur de iudicio extremo examinis) ergo ipsius patris est iudicare.

Ioan. 5. ¶ Ad oppositum, Ioan. 5. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*. Ergo patris nō est iudicare, nec spiritus sancti, sed solius filij; quoniam omne iudicium dedit filio.

Psalm 71. Glossa. ¶ Item, ad idem facit, quod dicit Psalm. 71. *Deus iudicium tuum regi da*, id est Christo, dicit Glos. & ita videtur, q̄ solius filij sit iudicium.

RESOLVTIO.

Iudicium exterius, quod est foris apparere, causam proponere, & sententiam ferre, solum filium contingit, & secundùm vtramq; naturam. At verò iudicium interius etiam patrem atq; filium decet.

Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sacramētis, part. 17. c. 17. ¶ Solvtio. secundùm Hugo. Ita dictum est, quòd pater nō iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: ac si diceretur, patrem nemo videbit in iudicio viuorum & mortuorum: sed omnes filium, quia filius hominis est, vt possit & ab impijs videri: cùm & illi videbunt, in quem pupugerunt. Omne igitur iudicium dedit filio; quia iudex in forma filij hominis apparebit: quæ forma non est patris, sed filij: nec in ea filij, in qua æqualis est patri, sed in qua minor est patre: vt sit in iudicio conspicuus bonis & malis. Sic ergo patet, quòd illud intelligitur de iudicio exteriori: nihilominus pater & tota Trinitas iudicabit in iudicio interiori, seu intelligibili; quia indiuisa sunt opera Trinitatis. Vnde erit iudicium totius Trinitatis: tamen exterius apparebit esse solius filij, quia solus apparebit, & proferet sententiam extra, & causam proponet. Si enim non esset ibi illa prolatio sententiæ, & propositio causæ: nihilominus animæ iudicarentur, quędam ad pœnā, quędam ad præmium: & haberet quælibet, quod habere deberet. Et hoc dicimus iudicium interius, seu intelligibile: & illud est, quo tota Trinitas iudicat. Filius autem faciet illud, quod ibi apparebit exterius; sine quo nihilominus esset iudicium. Sic ergo patet, quomodo tota Trinitas iudicabit: & qualiter solus filius.

¶ Qvod aūt dicitur in Daniel. quòd antiquus dierum sedit: Dicimus, quòd hoc dicitur propter hoc qđ filius habet à patre, quod iudicet: vndè dicitur illud ad denotādum, quòd persona filij habet à patre quod iudicet: & q̄ pater non habet ab alio quod iudicet, quia ipse est principium non de principio.

¶ Ad illud, quod obijcitur: Est peccatum in patrem, &c. Dicimus, quòd peccatum in patrem dicitur, quando homo peccat ex infirmitate: non quòd offendatur pater, & non filius, sed quia ex hoc disconuenit à patre, cuius est summa potētia. Similiter peccatum ex ignorantia dicitur peccatum in filium; quia per illud disconuenit homo à filio, qui est Dei sapientia. Peccatum autem in spiritum sanctum dicitur peccatum ex malitia, quia per illud discōuenit homo à spiritu sancto, qui est summa bonitas. Licet ergo dicatur peccatum in patrem, & tamen cōmunis est offensa in his trium personarum: vnde reatus & offensa communiter respiciunt totam Trinitatem: & ideo iudicium illorum, cùm sit ad pœnam, est totius Trinitatis.

Ioan. 5. ¶ Qværitvr Postea: cùm pater omne iudiciū dederit filio, sicut dicitur Ioan. 5. vtrùm hoc intelligatur de persona filij, ratione humanæ naturæ tantùm, vel diuinæ tantùm, vel ratione vtriusque.

Chrysost. ¶ Ioan. Chrysost. *Dare iudicium filio, nihil aliud est nisi iudicem gignere, sed iudicem gigni, est filij in diuina natura*: ergo iudicare est filij tantùm in diuina natura.

Ioan. 5. ¶ Qvod autem in humana, patet. quoniam Ioan. 5. dicitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quam filius hominis est*. Ergo iudicare attribuitur filio ratione humanę naturę, non diuinæ.

Hebr. 1. Chrysost. ¶ Item Hebr. 1. *Tanto melior effectus est angelis*. Chrysost. vult quòd hoc intelligatur de Christo ratione humanę naturæ: quia *effectus* dicitur ex tempore, vnde non conuenit æterno: sed *datum* similiter dicitur ex tempore, vel cum tempore: ergo non conuenit æterno. Ergo quod dicitur, *pater omne iudicium dedit filio*, hoc dicitur ratione humanæ naturæ in Christo, quam habet ex tempore, vel cum tempore: & non ratione diuinæ; quia hoc quod est *dare* connotat tempus; ergo si detur filio, quod iudicet, hoc erit ex tempore, vel cum tempore. Iudicare ergo ipsi attribuitur in humana natura.

¶ Respondendvm, quòd iudicare conuenit ipsi filio in vtraque natura, scil. diuina, & humana. Dicendum ergo, quòd sicut cùm dicitur, filius missus est à patre: ibi est principale signatum: in hoc quod est *missus*, scil. processio quæ est ęterna: & ibi est connotatum temporale. Similiter dico; Dedit ei iudicium facere, ipsum *dare* duo importat, scil. vnum, quod est æternum; alterum, quod est temporale: & illud est connotatum, ratione principalis significati, quod est, æternum: sensus est illius autoritatis. *Potestatem dedit ei iudicium facere, &c.* id est filius habet à patre quod iudicet: & ratione huius dicit Chrysost. *Non propterea suscepit iudicium, quoniam homo est; quia quid prohibet omnes homines esse iudices? sed quia ineffabilis illius substantia est filius. propterea & iudex*. Vnde secundum hunc modum dicendum, quòd attribuitur ipsi filio esse iudicem ratione diuinæ naturæ: secundùm quam habet parilitatem ad patrem, sicut dicit Chrysost. Item, hoc quod est *dare*, connotat temporale: vnde secundùm hoc sensus est: dedit ei iudicium facere, hoc est, quòd filius causam opponat exterius, dicens: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.* & sententiam proferat. Itē, Venite, &c. Vnde ratione illius connotati dicitur illud: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est*. Vnde hanc clausulam, *quoniam filius hominis est*, vult ipse legere coniungendo consequenti, dicens. Ita legendum est. *Deus pater dedit ei iudicium facere*: & non mireris propter hoc, quod filius hominis est, id est, nō est mirandum, si ille, qui est filius Dei, habet potestatem iudicandi à patre: licet acceperit humanam naturam. Alio modo lege sic: *Quoniam filius hominis est*: id est, dedit ei causam proponere, & sententiam proferre. Ioan. 5. Chrysost. hom. 38. in Ioan. Idem. Matt. 25.

MEMBRVM IV.

An in forma diuinitatis, vel humanitatis Christus iudex in iudicio reprobis apparebit.

Consequenter quæritur de apparitione iudicis, in qua (scilicet) forma veniet & apparebit reprobis? scilicet, vtrùm eis apparebit secundùm vtranque formam; diuinitatis scilicet, & humanitatis? Et loquimur de apparitione intelligibili, non de sensibili.

¶ Qvod per formam diuinitatis, videtur: habent enim in præsenti mali aliquam cognitionem ipsius diuinitatis, seu iustitiæ, aut per acquisitionem, aut per fidem: ex qua cognitione augmentatur & aggrauatur in ipsis contemptus: secundùm quod dicitur Luc. 12. *Seruus, qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis*. Augmento igitur culpę in iudicio respondebit augmentum pœnæ: ergo malis ad augmentum suæ pœnæ apparebit Dominus in iudicio secundùm formam diuinitatis: secundùm etiam quod dicitur de dæmonibus, Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Luc. 12. Iacob. 2.

¶ Contra, Isido. *In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est, videbunt vt doleant, diuinitatem verò eius non videbunt, ne gaudeant: quibus enim demonstratur, ad gaudium demonstratur*. Et in hac sententia concordat August. & omnes sancti, & Hugo de S. Victore. Isidor. in lib. de summo bono

¶ Item, Matth. 5. promittitur ista visio munditię beatitudini: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, nō ergo mali in mundo. Matt. 5.

¶ Postea quæritur, vtrùm reprobi videbunt humanitatem, secundùm quod glorificata est & gloriosa? Et videtur, quòd non, quia ad talem visionem sequitur delectatio, sicut dictum est de diuinitate, ergo, &c.

¶ Item, sicut post resurrectionem apparuit discipulis dubitantibus in specie peregrini, Lucæ vigesimoquarto. ita poterit tunc malis apparere in forma non glorificata. Luc. 24.

August. ¶ ITEM, Augustinus dicit: quòd oculus interior reficietur in contemplatione diuinitatis, exterior in aspectu humanitatis: ergo ex aspectu corporis gloriosi sequetur delectatio.

¶ AD hoc respondent, quoniam excellens distantia ipsius Christi ad peccatores priuat delectationem, quæ est in vnione delectabilis cum delectabili: quia tamen peccatores erunt tunc incorruptibiles, ipsum Christum videbunt; sed non ad delectationem, quia in aspectu corporis glorificati non potest delectari corpus non glorificatum.

Luc. 16. Glossa. ¶ ITEM, Luc. 16. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &c.* ibi habetur ex Gloss. quòd mali ante vltimam sententiam cognoscent aliquid, quod erit de gloria electorũ: & hoc cedet eis in præmium: sicut contigit de diuite Epulone, qui vidit Lazarum in sinu Abrahæ. Sic igitur absque delectatione poterunt videre humanitatem Christi in forma gloriosa, ad quam ordinati erant ex creatione, & hoc cedet eis in pœnam. Ibidem.

Apocal. 1. ¶ QVÆRITVR etiam, vtrùm ostēdet reprobis cicatrices vulnerum? Quod sic: videtur Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Isidor. ¶ ITEM quæritur, vtrùm apparebit vniformiter reprobis & electis? Et videtur quòd non. Isidor. *Apparebit terribilis reprobis, & blandus bonis.*

Ierem. 25 Glossa Gregor. ¶ ITEM, Hierem. 25. *A facie iræ columbæ.* Gloss. Gregor. *In extremo iudicio incommutabilis in se ipso manet; sed nequaquam sub specie immutabilis apparebit, quia tranquillus iustis, & iniustis apparebit iratus.* Vnde erit hæc difformitas, nunquid à parte ipsius iudicis, cùm sit vnus & idē in se incōmutabilis? Si dicatur quod hæc difformitas erit secundùm merita & demerita electorum & reproborum. Contra. In hoc non determinatur nisi causæ diuersitas, nec propter hoc mutabitur dispositio in iudice.

Ioelis 2. Glossa. ¶ ITEM, Ioelis 2. *Terribilis apparebit.* Interlin. *etiam bonis.* Quid ergo dicit Isidorus, & Gregorius, quòd eis, scilicet iustis blandus apparebit.

RESOLVTIO.

Cùm diuinitatem non nisi mundi corde videre queant, haud quidam reprobi Christum iudicem in forma diuinitatis videre poterunt: sed benè humanitatis, & profectò glorificata, non tamen delectabiliter propter eorum indispositionem ad videndum.

Hugo de S. Victor. ¶ RESPONSIO. Ad primum secundùm Hugonem. Cùm boni & mali visuri sint iudicē viuorum & mortuorum; proculdubio eum mali videre non poterunt, nisi secundùm formam, qua est filius hominis: sed tamen in claritate, in qua iudicabit, non in humilitate, in qua iudicatus est: non enim in cruce Christus iterum videndus est. Cæterùm illam Dei formam, in qua æqualis est patri; proculdubio impij non videbunt: non enim sunt mundi corde, beati enim qui sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Alioquin si filius Dei iudex in forma, in qua æqualis est patri, etiam impijs, cùm iudicaturus est, apparebit: quid est ergo, quod pro magno dilectori suo pollicetur, dicens: Ego diligam eum, & ostendam meipsum illi? Est autem alia visio, quæ non est facie ad faciem, immò est obscura: quia est cognitio specularis. Vnde sicut dicitur, quòd dæmones credunt & contremiscunt: vnde habent quandam cognitionem obscuram de diuinitate per effectum diuinæ potentiæ; & etiam per illud quod datum fuit eis: ita mali habebunt huiusmodi cognitionem obscuram per fidem, & hæc est cognitio specularis: & hæc erit ipsis ad pœnam. Hac enim cognitione cognoscent ipsum Deum vt beneficum: & cognoscent ipsum per creaturas, quas in beneficium contulit homini: & quia ingrati sunt, cedet illis ista cognitio ad tristitiam, & ita ad pœnam: & ideo istam habebunt ad maiorem sui damnationem.

¶ SED tunc obijcitur: Nunquid potest visio dari rationali creaturæ, non existente gaudio concupiscibilis? quoniam istæ sunt diuersæ vires animæ: ergo potest ab ipsis videri diuinitas sine gaudio. Dicendum, quòd visio, quæ dicitur esse merces Dei; non tantùm est secundùm intellectum speculatiuum, imò etiam secundùm practicum: & ideo visio illa est cum affectione: & ideo non potest esse in rationali sine gaudio concupiscibilis: cùm obiectum sit afferens summam delectationem intellectui: ideo mali illam non habebunt. Electi autem videbunt ipsam diuinitatem facie ad faciem, & ipsam humanitatem glorificatam.

¶ AD secundum, quod quæritur: vtrùm mali videbūt humanitatem glorificatam Christi. Dicendum, quod sic, secundùm auctoritates sanctorum iam dictas.

¶ QVOD ergo obijcitur quòd hæc visio humanitatis glorificatæ non potest esse sine gaudio, sicut nec visio diuinitatis. Dicendum, quòd non est verum: sensus enim delectatur in * medio sibi conuenienti. Vnde ad habendum delectationem in visu, non solùm oportet offerri luminosum visui, sed luminosum proportionale. Licèt autem sit proportionale quantum ad visionem propter oculi immortalitatem, non tamen quantum ad delectationē habendam in illo visu: oportet enim esse coniunctionem immortalis glorificati cum immortali glorificato: quia delectatio est proportionalis conuenientis cum proportionali conuenienti. Ideo igitur visio ista cedet bonis ad gaudium, & delectationem: quia ipsi habebunt oculum dispositum ad videndum, & ad delectandum: habebunt enim oculum incorruptibilem & glorificatum. Malis autem cedet ad pœnam: & hoc erit propter indispositionem oculi: quia non habebunt oculum dispositum, vt eius visionem sustineant sine pœna, sicut nec oculus noster visionem solis sustinet sine pœna propter suam indispositionem. *al. in mouente.

¶ QVOD ergo obijcitur; quòd in visione humanitatis reficitur sensus exterior. Dicendum quòd verum est de oculo benè disposito: sed non de indisposito, cuiusmodi sunt oculi malorum.

¶ SED tunc quæritur, nunquid potest cedere visio diuinitatis ad pœnam oculo indisposito, sicut visio humanitatis? Constat quod sic: sicut enim mali videbunt ipsam humanitatem ad sui pœnam, ita & ipsam diuinitatem: cùm nihil ibi debeat deesse, quod eis cedat ad pœnam.

¶ RESPON. Dicendum, quòd non solummodò habebunt oculum intellectus non dispositum ad delectandum in ipsa diuinitate, immò etiam indispositionem habebunt ad vitandum ipsam: non enim incorruptibilitas, vel perpetuitas intellectus est dispositio ad videndum diuinitatem: sicut ex parte alia dictum est. Nam si sic esset, tunc anima in præsenti videre posset diuinitatem facie ad faciem: quòd cùm non habeant dispositionem ad eius visionem, manifestum est quòd non poterunt ipsam videre ad sui pœnalitatem.

¶ PRÆTEREA, posito quòd ipsam possent videre, non tamen posset esse eis hæc visio in pœnam, immò non posset sine magno gaudio eis esse: quoniam ista visio est ita coniuncta summæ delectationi, quòd nihil in ipsa potest videri, quod non sit ad summam delectationem: cùm ipsa sit finis omnium visionum. Et ideo visio ista nō potest alicui conuenire, nisi ad summam delectationem, & nullo modo ad pœnam.

¶ AD illud, quod quæritur: vtrùm mali videbunt cicatrices vulnerum Christi? Dicendum, quod sic: & cedet eis ad magnam pœnam: quia ex hac visione Christi percipient se esse omnino ingratos. Videbunt enim quę & quāta passus est Dei filius pro ipsis: vnde videbunt beneficium eius: & hoc cedet eis ad magnum dolorem & tristitiam. Et hoc est, quod dicit Ioannes Chrysostomus super Matthæum: *Iustitiam maximam habens, scilicet crucem: ita adueniet in illud iudicium Christus, non vulnera solùm, sed & mortem exprobrabilissimam ostendens.* Eius autem gratia hoc signum apparet, vt superabundantia multa aperiat Iudæorum inuerecundiam: & præter hoc illorum perfidorum, pro quibus passus est. Et accipitur hoc ex illo verbo Matt. 24. *Tunc apparebit filij hominis signum:* hoc est lignum crucis. Chrysost. sup Matthæum, hom. 76. Matt. 24.

Hæc

Sapien. 2. Hæc est illa mors exprobrabilissima, de qua dicitur Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.*

¶ Ad illud, quod quæritur: vtrùm vniformiter, vel difformiter apparebit Christi humanitas bonis & malis? Dicendum, quod difformiter: quoniam electis apparebit blādus, & reprobis terribilis. Vnde licèt sit vna forma apparens, tamen difformiter recipient: & hoc est quod dicitur super illud Hierem. 15. *A facie iræ columbæ.* Glos. Gregor. dicit, quòd eorum mentes æquè vnum respicient: sed non æqualiter * modificabuntur: quia & istis cum benignum ostēdit anteacta iustitia, illis terribilem culpa. Vnde quia diuersimodè dispositi sunt ad ipsum videndum, boni & mali: ideo illis indifferenter apparebit secundùm differentias dispositionū in ipsis. Et habetur exemplum huiusmodi de discipulis euntibus in Emaus, quibus Dominus post resurrectionem suam apparuit sub specie peregrini, non sub specie corporis glorificati: quoniam (sicut vult Greg.) talis apparuit eis extra, qualem ipsum habebant intra. Vnde quia habebant ipsum vt peregrinum intus in mente: ideo & ipsis vt peregrinus apparuit: & sic secundùm dispositionem recipientium ipsum, ipsis apparuit. Ita dicimus hic, quòd secundùm dispositionem recipiētium bonis & malis apparebit. Et hoc habetur super illud Iob 40. *Disperge superbos in feruore tuo, &c.* vbi dicit Gloss. *Ipse quidem in iudicio secundum conscientiam vniuscuiusque modificabitur, iratus, vel placitus.*

(Margin: Ierem. 15. Glossa Gregor. * al. meditabuntur; Iob 40. Gregor.)

¶ Ad illud, quod obijcitur: quòd etiam terribilis apparebit bonis: & ita apparebit vniformiter bonis & malis. Notanda est intelligentia illius verbi: dicendum enim quòd ipse iudex Christus dicitur terribilis duobus modis. Terribilis enim potest dici in accessu ad iudicium: vel terribilis in remunerando. Vtroque ergo modo erit terribilis ipsis reprobis in iudicio: quoniam in accessu eius ad iudicium, & in remuneratione incutiet eis timorem damnationis æternę. Primo autem modo, scilicet in accessu ad iudicium erit terribilis ipsis reprobis: sed blandus erit bonis, facto iudicio, siue in remuneratione. E propter hoc non dicitur ipse terribilis iustis: sed dies eius in qua accedet ad iudicium: ipse tamen erit blandus & benignus in remunerando. quia supra condignum remunerabit ipsis. Dicitur autem terribilis ipsis bonis in accessu eius ad iudicium propter hoc, quod incutiet eis timorem quendam reuerentiæ, non terrorem damnationis & mali. Vnde Iob penultim. dicitur: quòd *timebunt angeli, & territi purgabuntur.* Vnde dicit Gloss. quòd angeli vocabuntur prædicatores seu nuncij, qui nunciauerunt fidem Domini per bona opera: & iste pauor erit ipsis ad purgationem, si quid sit purgabile in ipsis. vnde dicit: Immenso terrore concussi, etiam supernæ patriæ nuncij contremiscent: & quia in eis hoc pauore exequitur, si qua in eis potuit esse leuium rubigo vitiorum, apertè subdit: & territi purgabuntur. Non tamen erit timor in ipsis de pœna vel damnatione æterna.

(Margin: Iob 41. Glossa.)

MEMBRVM V.

De assistentibus Christo iudici.

Postremo loco quæritur de assistentibus iudici. Et primò quidem quęritur: vtrùm angeli iudicabunt. Secundò verò, vtrùm Apostoli ipsi iudicabunt?

ARTICVLVS I.

An angeli iudicabunt in postremo œcumenico iudicio?

2. Thes. 4. Ad primum sic obijcitur 2. Thessal. 1. vbi loquitur de iudicio: *In reuelatione Domini nostri Iesu Christi de cælo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam his, qui non nouerunt Deum* Ex quo videtur, quòd ipsi angeli veniēt cum Christo iudicaturi.

Matt. 19. ¶ Item, Matth. 19. habetur, quòd ipsi Apostoli iudicabunt, vnde dicit: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Et Psal. 121. *Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David.* Glo. id est ibi... Et pòst dicit: *Hi sedebunt cum Christo super sedes duodecim vt iudicent domum David, id est familiam Christi, cui dederunt cibum in tempore, iudicabunt autem illi qui omnia reliquerunt, Christum sequentes.* Ex his patet, quod omnes iudicabunt in illo iudicio.

(Margin: Psal. 121. Glossa.)

Psalm 1. Glossa. ¶ Item super illud Psal. 1. *Non resurgunt impij in iudicio*: ibi assignat Glos. quatuor ordines, dicens: *quòd alij erunt qui iudicabunt, & non iudicabuntur; vt Apostoli, & alij perfectissimi.* Si ergo homines iudicabunt, multò fortiùs angeli. Et hoc tali ratione patet: quoniam angeli videntur magis accedere ad rationem iudicis, quàm ipsi Apostoli: quoniam boni angeli nihil habuerunt de iudicando: sed Apostoli boni aliquid habuerunt de iudicādo, ad minus originale peccatum, & aliqua actualia aliquando: ipsi aut. ma... boni non: ergo angeli plus accedunt ad rationem iudicis, quàm Apostoli. Si ergo est dicere, quòd Apostoli iudicabunt; multò magis est illud dicere de angelis.

Matt. 24 ¶ Item, Matth. 24. habetur: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, &c.* & loquitur ibi de iudicio: & loquitur de angelis, non de Apostolis: videtur quod angeli erunt iudices, & non Apostoli, sed potiùs erunt de iudicandis, de quibus ibi dicit: Statuet oues à dextris, &c.

RESOLVTIO.

Angeli in postremo œcumenico iudicio non iudices, sed iudicij ministri erunt.

¶ Respondeo. Dicimus, quòd angeli iudices non erunt: tamē habebunt multiplex ministerium. Habebunt enim ministerium congregandi ad iudicium, & suscitandi mortuos, & ideo dicit Apostolus: *Quod ipse Dominus veniet in iussu, & in voce archangeli, &c.* venient ergo angeli ad illud officium. Et de isto officio vel ministerio habetur Matth. 13. vbi dicit Dominus: quòd messores sunt angeli, scilicet congregantes ad iudicium & suscitantes. Et istud erit ante separationem: vnde ipsi conuocabunt ad iudicium & cōgregabunt. Item habent ministerium separādi, secundùm quod habetur 24. quòd angeli venient cum eo: quod dicitur ratione huius ministerij, vnde sequitur post: *Et separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hœdis, &c.* & istud fiet ministerio angelorum. Et Matth. 13. *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala: & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent in caminum ignis.* Similiter testificatio erit ministerium eorum, quia testes erunt: sicut dicit Remigius. Similiter post iudicium habebunt ministerium mittendi ad pœnas: sicut habetur Matth. 13. quòd mittent eos in caminum. Sic igitur multiplex habebunt ministerium circa iudicium, antecedens, vel sequens ipsum: sed nec ipsi iudicabunt, nec discutient, neque diffinient: sed filius hominis Christus discutiet & diffiniet: vnde non intelligitur quòd ipsi angeli habeant ministeriū iudicandi.

(Margin: 1 Thes. 4.; Matt. 13.; Ibid. 24.; Matt. 13.; Remigi. Matth 13.)

¶ Avtoritates ergo, quæ dicunt: quòd ipsi venient ad iudicium; non intendunt dicere quòd ipsi debeant iudicare: sed dicunt hoc propter diuersa ministeria, quæ habebunt circa iudicium.

¶ Ad aliud dicendum, quòd non est simile de angelis, & Apostolis: quoniam ipsi Apostoli annunciauerunt fidē Iesu Christi ipsis gentibus & Iudæis: & ideo venient ad iudicium, iudicantes sicut testes. (Est enim iudicium auctoritatis: & istud pertinet ad totam Trinitatem: & est iudicium excellentiæ, & istud pertinet ad filium in humana natura) Apostoli ergo sicut assessores, & veritatis testes iudicabunt, quia annunciauerunt fidem Christi, & fuerunt testes ipsius in hac vita: & sicut hic testes eius fuerunt, ita erunt testes ipsius in iudicio contra reprobos. Vnde erunt iudices sicut assessores: non quod proferant sententiam: vel quod causam discutiant: sed assidebunt ibi vt testes, & socij: sicut dicetur. Item est iudicium comparationis: hoc etiam modo ipsi iudicabunt; quia comparatione ipsorum iudicabuntur alij, sicut infra patebit. De hoc iudicio Matth. 12. dicitur: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio* Matt. 12.

Matt. 12. *in generatione hac, & condemnabunt eam, &c.* Et post dicit: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & cōdemnabit eam: quia venit à finibus terra audire sapientiam Salomonis.*

¶ QVOD ergo obiicitur, quòd angeli magis accedunt ad rationem iudicis: Dicendum, quòd non: quia non dicitur, quòd ipsi angeli annunciauerunt fidem Christi ipsis Iudæis & gentibus, sicut Apostoli. Item secuti sunt ipsum Christum: & ideo dicitur eis Matth. 19. quod iudicabunt: (Matt. 19.) & ideo magis accedūt Apostoli, vt sint iudices, quàm angeli: iudices (inquam) comparatione, vel assessoriè.

ARTICVLVS II.

An & Apostoli cæteriq́ Sancti iudicabunt.

POSTEA quæritur de ipsis Apostolis: vtrùm ipsi iudicabunt? Quod sic, videtur Matth. 12. *Sedebitis & vos iudicantes, &c.* Et Matth. 12. *Ipsi iudices vestri erunt:* (de Apostolis loquitur). (Matt. 19. Matt. 12.)

¶ CONTRA, Apostoli non habent consimilem rationem iudicandi, quam habet ipsa gloriosa Trinitas, & Christus homo: nā Trinitas iudicat auctoritate, Christus homo iudicat exteriùs potestate sua exequendo: secundùm quam ergo rationem dicuntur Apostoli iudicare? Si dicatur quod sint iudices comparatione: hoc certè cōuenit alijs quàm Apostolis. Vnde Matth. 12. habetur, *quòd viri Niniuitæ consurgent in iudicio cum generatione ista, &c.* & loquitur de iudicio comparationis: & similiter de Regina Austri. Sicut ergo ipsi dicuntur iudicare, ita & illi: quæro ergo, quæ est ratio specialis, quare dictū est eis: Sedebitis super sedes duodecim. (Matt. 12.)

¶ PRÆTEREA quæritur de hoc, quod dicit: *Sedebitis super sedes duodecim.* Secundùm hoc videtur, quòd alij non iudicabūt, nisi duodecim Apostoli; sed hoc est falsum; quoniam ipse Paulus iudicabit; & alij sancti viri: quoniam Sapient. 3. dicitur: *Iudicabunt sancti nationes, & dominabuntur populis.* (Matt. 19. Sapien. 3. Matt. 19.)

¶ PRÆTEREA obiicitur de hoc, quod dicitur: *Iudicantes duodecim tribus Israël:* quoniam ex hoc videtur, quod alij non iudicentur. Contra quod Ioël. 3. habetur: *Congregabo omnes gentes in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis,* (& loquitur de disceptatione iudicij. Quare ergo specialiter dicit, *iudicantes duodecim tribus Israël?* Quæritur ergo, secundùm quā rationem Apostoli dicuntur iudicare, & quare? (Ioel. 3.)

RESOLVTIO.

In generali iudicio Sancti quiq́, sed præeminenter Apostoli iudicabunt: non quidem iudicio retributionis; sed comparationis, associationis, & attestationis.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd secundùm triplicem rationem dicuntur Apostoli iudices. Iudicabunt enim cōparatione: item iudicabunt vt socij: item iudicabūt vt testes, vel assessores. Comparatione, sicut dicitur de Regina Austri, & viris Niniuitis, id est comparatione peccatorum iudicabunt tribus Israël: nam eisdem legibus erant educati Iudæi, & isti: quia (sicut dicit Chrysost.) ipsis credētibus, alij credere noluerunt. Item ipsi Apostoli iudicabunt per associationem: quia scilicet socij sunt Christi in hoc, quod ipsum imitati sunt, vt sicut associati erant Christo in imitatione passionis & tribulatione: ita erunt associati potestate: & secundùm hoc dicitur, quod iudicabunt in potestate: in Glos. 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam angelos iudicabimus:* vnde dicit Chrysost. *Nomen throni aliquod magnum significat: manifestum est, quod conregnabunt & communicabunt ipsi, scilicet Christo: si enim sustinuerimus, & conregnabimus.* Item, ipsi dicuntur iudices, quia testes vel assessores: quia per imitationem Christi testificabūtur ipsum iudicem. Vnde dicit Dominus ipse discipulis suis, Act. 1. *Vos eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Vnde & super illud Matth. 12. *ipsi iudices vestri erunt:* dicit Glos. *Ipsi testes mei iudicij iudicabunt duodecim tribus Israël.* (Matt. 12. Chrysost. 1. Cor. 6. Chrysost. Act. 1. Matt. 12. Glossa 1. Cor. 6.)

¶ SED obiicitur 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo.* Glos. *Iudicabunt auctoritate & potestate.* Contra hoc autem habetur Matth. 12. *Ipsi iudices vestri erunt.* Glos. nō potestate, sed comparatione. Ad hoc dicendum, quòd ipsi iudicabunt comparatione; sicut & dicit Glos. 1. Cor. 6. *Sancti iudicabunt meliorū facti comparatione: quia exemplo illorum perfidia huius mundi damnabitur.* Et post sequitur: *Iudicabunt etiā auctoritate & potestate.* (Glossa. Matt. 12. Glos. ibi. Glossa 1. Cor. 6. Ibidem.)

¶ CIRCA quod notandum: quòd potestas iudiciaria est multipliciter. Est enim potestas auctoritatis, & hæc est potestas Trinitatis in iudicio: quia Trinitas iudicabit auctoritate. Item est potestas excellentiæ: & hæc est Christi hominis in illo iudicio. Item, est potestas comparationis: qua scilicet fit comparatio ad iudicandos: auctoritas antē est sententia digna imitatione. Ipsa igitur Trinitas iudicabit, quia dabit potestatem Christo homini, vt iudicet; & similiter ipsis Apostolis: quia ipsi sentient idē in iudicio, quod Trinitas. Vnde ipsa Trinitas sentit ita esse iudicandum, & Christus: & ipsi Apostoli imitabuntur Trinitatem.

¶ AD aliud ergo, quod quæritur: vtrùm soli Apostoli iudicabunt, vel etiam alij viri sancti: Dicendum, secundùm quod dicit Rabanus: Nemo putet tātùm duodecim Apostolos iudicaturos: nec tantùm duodecim tribus iudicandas: tunc enim Leuitica tribus non esset iudicanda: & Paulus non iudicans, cùm dicat: *Nescitis, quia angelos iudicabimus.* Tamen per quandam præeminentiam dicitur illud de Apostolis Matth. 19. *Sedebitis, &c.* licet etiam de alijs intelligatur. (Rabanus. 1. Cor. 6. Matt. 19.)

QVÆSTIO XXVI.

De Lege Æterna.

In nouem Membra, & decem Articulos diuisa.

SVMMA Theologicæ disciplinæ in duobus consistit, in fide, & moribus. Expeditis inquisitionibus pertinētibus ad fidem, vt de Redemptore, cum adiutorio Iesu Christi, procedendum est ad inquisitiones pertinentes ad mores. Ad informationem autem morum concurrunt necessariò præcepta & leges, gratia & virtutes, dona, fructus & beatitudines. Leges & præcepta, vt ostendentia debitum boni faciendi, & mali vitandi: gratia & virtutes, &c. vt præstantia facultatem faciendi & vitandi. Prima igitur pars inquisitionis moralis erit de legibus & præceptis. Secunda de gratia & virtutibus. Tertia de donis, fructibus, & beatitudinibus. (D. Tho. 2. q. 91.)

¶ SED quia omnes leges (prout dicit Augustinus) & præcepta ab æterna lege deriuata sunt: ideo ab ipsa lege æterna inchoanda est, quærendo: Primò, an sit lex æterna. Secundò, an notio eius impressa sit menti rationali. Tertiò, quid sit. Quartò, de intentione legis æternæ secundùm quod in Deo. Quintò, de eius immutabilitate. Sextò de eius vnitate. Septimò de deriuatione legum temporalium ab ipsa. Octauò de subiectis legis æternæ. Nonò de effectu legis æternæ. (August.)

MEMBRVM I.

An sit lex Aeterna.

AD primum Isidorus: *Si ratione lex constat, lex erit omne, quod ratione constiterit.* Si ergo prouidentia Dei constat ratione: ergo prouidentia Dei est lex: sed non nisi æterna. Cùm ergo prouidentia diuina sit, constat legem æternam esse. Minor patet. Nam sicut dicit Boëtius: *Prouidentia est diuina ratio à summo Principe constituta; quæ cuncta disponit.* (Isid. in 2. Etymol. Boet. lib. 4. de consol. prosa 6.)

¶ AMPLIVS, August. *Videtur lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atq; impunita relinquere: quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.* Et intendit ibi Augustinus istam propositionem assumere: quòd nullum malum debet esse impunitum: & quod similiter omne malum punitur secundùm aliquam legem. Si ergo est aliquod malum, quod non punitur per legem temporalem, & nō relinquitur impunitum: ergo punietur per legem æternam. Ergo ipsa est. (Aug. de lib. arbit. lib. 1. c. 5.)

Idem de eodem li. 1. c. 6.

¶ Idem, Aug. *Duæ leges ita sibi videntur contrariæ: vt vna earum honorem dandi populo tribuat potestatem: alia non; vt nullo modo in vna ciuitate esse possint simul. Nunquid dicemus aliquam illarum iniustam esse, & ferri minimè debuisse? quasi dicat non? Et ita vtraq; est iusta.* Ex hoc obiicitur: Impossibile est leges contrarias temporales conciliari in ratione iustitiæ; nisi per legem non habentem contrarium conciliantem illas: quam legem æternam appellamus.

¶ Item, in partem oppositam arguitur. Lex habet statum in dispositione latoris: & sic non meretur nomen legis: quia quamdiu est in dispositione, adhuc non obligat. Item, habet esse in promulgatione: & tunc meret nomen legis; quia tunc ligat. Lex ergo non potest dici ex dispositione, sed ex promulgatione. Si ergo promulgatio aliquorum faciendorum vel vitandorum non potest esse æterna; quia promulgatio sit creaturæ; constat quod non potest Lex esse æterna.

¶ Item, si Lex non esset impressa creaturæ rationali, non ligaret eam: cuius signum est, quod non ligat creaturas irrationales, quibus non est impressa. Non est igitur Lex ex impressione, nisi ad rationem: seu quod imprimitur rationi: sed hæc impressio est temporalis, & non æterna: ergo intentio legis est temporalis, & non æterna.

RESOLVTIO.

Cum mens nostra iudicatrix mutabilitatem erroris patiatur; statuenda est supra eam Lex veritatis immutabilis, quam æternam legem dicimus.

Aug. in li. de vera religione c. 30.

¶ Solvt. Dicendum secundum quod dicit Aug. *Menti nostræ concessum est videre legem veritatis immutabilem.* Mens enim nostra iudicat de veritate immutabili, vt iudicat istã propositionem. Iustum est, vt omnia sint ordinatissima. Cum ergo ipsa sc. mens humana mutabilitatem pati possit erroris, apparet supra mentẽ nostram esse legem, quæ veritas dicitur: hæc autem est Lex æterna: quod enim est supra mentem nostram, est æternum.

Isid lib. 2. Etymol.

¶ Ad primum obiectum dicendũ, sicut dicit Isid. Lex vno modo dicitur à legendo: alio modo à ligando. Secundum quod dicitur à legendo, extenso nomine lectionis non solum ad lectionem temporalem, sed ad lectionem secundum quod legitur in mente; sic Lex est in dispositione. Lex autem prout est in promulgatione, dicitur à ligando. Primo ergo modo est æterna: secundo autem non. Tamen potest distingui, cum dicitur, Lex ligat: quia ligare potest sumi actiuè vel passiuè. Si actiuè, sic Lex æterna in Deo dicitur à ligando. Secundum quod accipitur passiuè dicitur respectu creaturæ. Sed adhuc distinguendum de lege ligante in Deo, sicut de dominio in Deo. Dominium enim est potestas coërcendi subditos, & sic dicitur secundùm habitum: vel potest dici secundum actum, & sic dominium est actus coërcendi subditos: & vtrobiq; connotatur respectus ad creaturam: sed primo modo in habitu, secundo in actu. Sicut ergo dominium in habitu de Deo dicitur ab æterno, dominium in actu ex tempore: ita Lex si importet habitum ligandi, sic ab æterno est in dispositione ad ligandum, & hoc modo dicitur Lex æterna: sed si importet actum ligandi, non.

¶ Et per hoc patet responsio ad secundum.

¶ Ad tertium patet solutio: nam licet impressio ab æterno non sit in effectu; tamen est in ratione. Vnde Lex ab æterno est in dispositione: & ad hoc, vt animæ rationali imprimatur; licet ab æterno non imprimatur in effectu.

MEMBRVM II.

An notio legis æternæ cuilibet à natura impressa sit?

Aug. in li. de vera religione c. 31.

SECVNDÒ quæritur: An notio legis diuinæ sit impressa cuilibet rationali animæ in creatione. Ad qd' sic: Aug. *Est Lex, secundùm quam Deus iudicat omnia: de qua nullus iudicare potest.* Sed hæc est Lex æterna: ergo nullus potest iudicare de lege æterna. Si ergo iudicare est noscere; patet quod eius notio nulli impressa est.

Idem in lib. 3. Cõfess. c. 7.

¶ Item, Aug. *Ignorabam, & non noueram iustitiam veram interiorem ex iustissima lege Dei omnipotentis, qua formarentur regionum mores, cum ipsa vbiq; esset.* Hæc autem est Lex æterna: ergo Aug. eam ignorabat: ergo non est nota cuilibet animæ.

Idem in lib. de vera religione c. 30.

¶ Ad oppositum: *Menti nostræ talem legem videre concessum est.* Ergo ipsa est nota animæ rationali: & eius notio ei impressa.

Idem in lib. de libero arbitrio.

¶ Item, Aug. *Æternæ legis notio nobis impressa est: ea enim est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima.* Quæratur n. à quolibet, vtrùm impressum sit animæ suæ, & notum: quòd iustum est, vt omnia sint ordinatissima? dicet vtique, quòd sic.

RESOLVTIO.

Legis æternæ notio cuilibet mundo animo innata est; at non eius iudicium.

Aug. in li. de vera religione c. 31.

¶ Solvt. Secundum B. Aug. Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non est fas. Hoc autem interest inter nosse & iudicare: quod ad cognoscendum satis est vt videamus aliquid ita esse, vel non esse: ad iudicandum verò aliquid addimus, vt iudicemus ita posse esse vel aliter: velut cum dicimus, ita debebit esse, vel debuit: vt in suis operibus artifices faciunt. Iudicare ergo de lege æterna nullus potest; quia iudicans semper est superior iudicato: sed videre seu cognoscere eam, cuilibet animæ impressum est. Et sic notio eius animæ impressa est, sed non eius iudicium.

¶ Et per hoc soluitur primò obiectum.

Dam. in lib. 1. c. 1 & 3.

Psalm. 13

¶ Ad secundum dicendum secundùm Dam. quod cognitio existendi Deum nobis naturaliter inserta est: sed tamen intantum inualuit perniciosa hominum malitia, & deduxit in baratrum; vt dicerent non esse Deum: sicut. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Sicut ergo habitus cognoscendi Deum, impressus est animæ naturaliter; tamen anima actu potest Deum ignorare: cum ipsa auertit se ab habitu illo ad exteriora per suam malitiam: sic Lex æterna in est omni animæ secundùm habitum; tamen per malitiam nostram quandoq; ab ipsa auertimur ad exteriora mala: ita quod ipsam ignoramus secundum actum. Et hoc vult dicere Aug. cum dicit: *Ignorabam*, &c. Nam quicunq; conuerteret se ad illum habitum cognitionis legis æternæ,

August.

semper eam cognosceret, & quod eam aliquando ignoret, hoc est per auersionem ab illa.

MEMBRVM III.

Quid sit Lex æterna?

Aug. de libero arbitrio lib. 1. c. 6.

TERTIÒ quæritur: Quid est Lex æterna. Et assignantur plures eius diffinitiones. Aug. Vnam assignat, dicens: *Vt breuiter legis æternæ nomen explicem: ea est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima.*

¶ Contra istam diffinitionem obiicitur: Non est iustum, vt omnia sint optima, etiam bonitate, quam nata sunt habere: ergo non est iustum, vt omnia sint ordinatissima. Et quòd sequatur, patet: quia similis est ratio boni & ordinati: nam sicut malum & inordinatum ex vna parte cadunt: ita bonum & ordinatum ex vna parte: optimum & ordinatissimum ex vna. Quòd autem non sit iustum, vt omnia sint optima; patet: quoniam si hoc esset iustum; omnia essent optima bonitate, etiam quam nata sunt habere: hoc autem est falsum: ergo non est iustum, vt omnia sint ordinatissima.

August in lib de vera religione ca 31.

¶ Item, alia diffinitio legis æternæ assignatur ab Aug. *Apparet supra mentem nostram legem esse, quæ veritas dicitur: hæc est incommutabilis veritas, quæ est Lex omnium artium, & Lex omnipotentis artificis.*

Idem 8 de Ciu. Dei. c. 9.

¶ Contra hanc diffinitionem obiicitur: Et primò contra hoc, quod dicitur: *omnium artium*, nam (sicut dicit Aug.) inueniuntur artes magicæ & malitiosæ: si ergo Lex æterna nullius mali est; Lex ergo æterna non est Lex malarum artium: ergo malè dicitur quod sit Lex omnium artium: immò deberet addi, quod est Lex bonarum artium.

Ansel. in lib. Cur De⁹ homo.

¶ Similiter obiicitur contra hoc, quod dicitur: *Lex omnipotentis artificis*, quia hæc est libertas Dei, vt nulli legi subiaceat, nullius iudicio: vt dicit Ansel. ergo malè dicitur Lex omnipotentis artificis.

Augusti. in lib. de libero arbitrio c. 6. ¶ TERTIA diffinitio legis æternæ ponitur ab Aug. *Lex æterna est summa ratio, cui semper obtemperandum est: per quam mali miseram, boni bonam vitam merentur: per quam illa, quæ temporalis est, recte fertur, recteq; mutatur.*

¶ CONTRA istam diffinitionem obiicitur: & primò contra illud membrum, *cui semper obtemperandum est*: quoniam Lex ista æterna est idem, quod Dei voluntas: summa enim ratio est voluntas Dei. Idem. Sed dicit Aug. quod bonus filius bona voluntate vult patrem viuere, quem Deus vult mori: quod pater moriatur, hoc est secundùm legem æternam, seu secundùm Dei voluntatem, ergo bonus filius benè potest velle contrarium legi æternæ: ergo non est ei semper obtemperandum.

*Aliàs, miseriã. ¶ CONTRA illud membrum *per quam mali* miseram, boni bonam vitam merentur*, obiicitur sic: quoniam in voluntate nostra consistit meritum & demeritum in lege autem præmium vel supplicium: ergo per illam non meremur vel demeremur.

¶ PRÆTEREA, quæritur: an istę rationes notificent legem æternam secundùm æqualem comparationem ad rem: aut vna vniuersalior sit alia: & quomodo ei conueniunt.

RESOLVTIO.

Lex æterna ea est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima. Vel, Lex æterna est Lex omnium artium, & Lex omnipotentis artificis. Et iterum, Lex æterna est summa ratio, cui semper obtemperandum est: per quam mali miseram, boni bonam vitam, &c. Hæc B. Augustinus.

¶ SOLVT. Dicendum, quod notio legis diuinæ considerari potest tripliciter: sicut & Lex æterna. Nam Lex æterna potest considerari secundùm respectum ad bona vel mala: vel secundùm quod respicit bona tantùm. Et hoc dupliciter: quia potest considerari, secundùm q respicit bona generaliter, vel bona specialiter: quæ sunt bona rationalis creaturæ tantùm. Quantum ergo ad primam rationem conuenit ei hæc ratio. *Lex æterna est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima.* Lex enim æterna, secundùm q est ius ordinandi, respicit bona & mala: quia Deus bona facit & ordinat: malum autem non facit, sed ordinat: vnde ordinare est actus communis ipsius legis respectu bonorum & malorum: & ita hæc est notio ipsius, prout respicit bona & mala. Secundùm autem quod respicit bona generaliter, siue sint bona rationalis creaturæ, siue irrationalis: conuenit ei ista ratio: *Lex æterna est Lex omnium artium, & Lex omnipotentis artificis.* In quantum enim est ars omnipotentis artificis, respicit causam diuinam, quæ est ars & causa omnium bonorum. Secundùm autē quod respicit bona rationalis creaturæ tantùm conuenit ei ista diffinitio. *Lex æterna est summa ratio, cui semper obtemperãdum est,* &c. Rationalis enim creatura ordinãda est per leges: vnde Lex temporalis fertur ab homine, & super homines: & ita cum ei conueniat ferre leges temporales, vt dicitur in diffinitione; constat quod hoc est respectu rationalis creaturæ. Similiter quod dicit: *cui semper obtemperandum est,* conuenit ei respectu creaturæ rationalis: quia solum rationali creaturæ conuenit ille actus, qui est obtemperare.

Gen. 1. August. lib. 3. super Gen. ad literã c. 24. ¶ AD obiectum contra primam diffinitionem dicendum est secundùm Aug. qui dicit in Gen. super illud: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant,* &c. Quòd de singulis est dictum, quod erant bona: de vniuersis autem, quod erant valde bona: quia quodlibet in se est bonum, sed in vniuerso est valde bonum. Distinguendum ergo, quod possumus intelligere in singulari; & hoc modo dicitur quod omnia erant bona. Vel in vniuersitate: & hoc dupliciter: vel in respiciendo ordinem vt nunc: vel respiciendo ordinem simpliciter; secundùm quod comprehendit totam seriem ordinis præsentium, præteritorum, & futurorum: quia res, quæ præsens est: adhuc habet ordinem ad rem præteritã, & ad aliam rem futuram. Si ergo dicatur ordo vniuersi, & accipiatur pro ordine vt nunc: adhuc non est dicere, quod omnia sint valde bona in vniuerso; quoniam possunt esse meliora. Sed comprehendendo totam seriem ordinis præsentium, præteritorum, & futurorum: sic omnia sunt valde bona in vniuerso: ita quod non possunt esse meliora. Sicut ergo bonum est, quod omnia sint optima: non in singulari, sed in ordine vniuersi, prout dictum est: eodem modo dicendum, quod iustum est, vt omnia sint ordinatissima: & hoc modo intelligitur illa diffinitio. Vel potest dici, quod omnia in genere ordinatissima sunt in vniuerso, secundùm quod habetur ab Aug. dicentem: *Voluntas diuina subiicit sibi primitus omnia: deinde creaturam corporalem spirituali: deinde irrationalem rationali, terrestrem cœlesti.* Aug. 8. super Gē. Possemus tamen dicere, quod in illa ratione est fallacia figuræ dictionis: quia in illa diffinitione ly omnia, non habet actualem suppositionem: vnde non supponit res ipsas in actu; immò ab æterno posset dici istud. Sed cum dicitur post, non est iustum vt omnia sint optima: ly omnia, habet ibi suppositionem actualem: & supponit ibi pro ipsis rebus actualiter existentibus, & vt nunc.

¶ AD obiectum primò contra secundam diffinitionem dicendum: quod sicut propriè non est Lex, quæ mala est, seu quæ sonat malum: ita propriè non est ars, quæ mala est: ars enim virtus, & Lex cadunt sub ratione boni: similiter malum, vitium, & inertia cadunt sub vna ratione scil. mali. Propter hoc dicendum: q[d] artes magicæ, inquantum est ibi veritas, sunt à lege æterna: inquantum autem est ibi falsitas & malitia, non; nec sunt propriè artes: & sic Lex æterna non est Lex earum: illusio enim dæmonum principium est artium magicarum: & quantum ad hoc est ibi falsitas, & malitia, & inordinatio: & sic propriè non sunt artes.

¶ AD secũdũ dicendũ secũdùm Aug. q dicit: *Lex tua Domine Lex legum: & Lex tua tu, & tu ipsa Lex.* Aug. in li. Confess. Illud ergo debet intelligi intransitiuè, & non transitiuè scil. Lex omnipotentis artificis: vnde dicit Aug. quod ipsa est summa veritas: & Idem. constat quod summa veritas est Deus. Ratio autem procedit, ac si illud transitiuè, & per diuersitatem diceretur. Definitur ergo ibi Lex æterna per comparationem ad omnia bona generaliter: quæ deriuantur ab arte prima æterna, quæ est causa. Sed quædam bona sunt ab ipsa immediatè; sicut illa, quæ fiunt ab operatione diuina: quædam autem mediatè; sicut alia, quæ sunt ab operatione humana. Dicitur ergo Lex esse omnium artium; vt intelligatur esse regula operationum bonarum à rationali creatura. Dicitur autem Lex omnipotentis artificis; secundùm quod est regula illorum bonorum, quæ immediatè sunt à creatore.

¶ AD obiectum primò contra tertiam diffinitionem, dicendum: quod hæc diffinitio conuenit legi æternæ per comparationem ad creaturam rationalem: secundùm quod ipsa Lex est principium ordinis rationalis creaturæ: sicut dictum est. Sed rationalis creatura triplicem habet ordinem, ad Deum, ad se, & ad proximum. Inquantum Lex æterna est principium ordinis rationalis creaturæ ad Deum, cui ordinatur per subiectionem & obedientiam; dicitur: *cui obtemperandum est.* Inquantum autem ipsa est principium ordinis rationalis creaturæ ad se, dicitur: *per quam mali miseram, boni,* &c. Quia homo sibi meretur vel demeretur pœnam vel gloriam. Inquantum tandem est principium ordinis ipsius ad proximum, dicitur: *per quam illa, quæ temporalis est, rectè fertur,* &c. Vt ergo ostendat, quod ipsa est principium vniuersale ordinis rationalis creaturæ; tot ponuntur membra in diffinitione illa.

¶ QVOD ergo obiicitur, quod non est ei obtemperandum. Dicendum, quod rectitudo voluntatis nostræ non semper attenditur in conformatione eius ad diuinam voluntatem respectu voliti, sed respectu volentis. Motus enim voluntatis comparatur ad volentem & ad volitum: conformatio ergo voluntatis meæ ad diuinam semper debet esse quantum ad volentem: sed non semper ad volitum. Vnde debeo me sic conformare ei, vt ego velim, quod Deus vult me velle, non vt velim quod vult, semp. Vnde sup illud: *Rectos decet collaudatio:* dicit gl. *Conuenit,* Psalm 32. Glossa.

vt quod-

vt quodcunq; vult Deus te velle, velis & tu. Non dicit, vt velis, quodcunq; vult Deus. Et sic bonus filius volens patrem viuere, quem Deus vult mori, conformat voluntatem suam, & obtemperat diuinæ: quia ipse vult, quod Deus vult ipsum velle scil. patrem viuere. Et hoc dicit Aug. *vult quòd ipse filius velit patrem viuere ex naturali pietate, quem vult mori ex suo iudicio.*

Aug. in Enchirid.

¶ Ad secundùm dicendum, quod meritum appellatur vno modo actus dignus beatitudine vel miseria; hic est bonus, vel malus. Alio modo dicitur meritum ordo actus ad præmium, seu sit beatitudo, seu sit pœna. Actus ergo est à lib. arbitrio: sed ordo actus illius ad præmium est à lege æterna. Vnde quantum ad primum modum verum est, quod dicitur: quod in voluntate nostra consistit meritum & demeritum: sed non secundo modo: quia ordinare actum bonum vel malum ad beatitudinem vel supplicium, non est lib. arbitrij. Vnde Aug. intendit, quod Lex æterna ordinet bonum actum ad beatitudinem; malum autem ad supplicium, dicens. Hoc Lex æterna incommutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritum, in beatitudine & miseria præmium. Et sic patet, quod ordo ad præmium est ex ipsa.

MEMBRVM IV.

An diuinæ essentiæ, vel personæ Lex æterna approprietur.

QVARTÒ quæritur de intentione legis æternæ: secundùm quam intentionē sit in Deo: an scil. approprietur personæ, vel essentiæ. Et quod essentiæ, patet per Aug. Apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur: nec ambigendum est illam esse incommutabilem naturam. Et ita est in Deo secundùm rationem essentiæ: & istud verum est: illa enim natura incommunicabilis est diuina essentia.

¶ Sed tunc est quæstio? vtrùm alicui personæ approprietur? Et ostenditur quod secundùm intentionē potestatis: & sic appropriatur personæ patris. Aug. *Deus naturas creat bonitate, voluntates ordinat potestate: vt nec sit natura, quæ ab eo non sit: nec voluntas bona, cui non præsit: nec mala qua bene vti non possit.* Potestas ergo in Deo est principium ordinis: si ergo Lex æterna est principium ordinis: ergo est in Deo secundùm intentionem vel rationem potestatis: ergo appropriatur personæ patris.

August. super Genes.

¶ Consequenter ostenditur, quod sit secundùm intentionem veritatis: & ita approprietur filio: quia Lex æterna dicitur veritas. Vnde Aug. *Lex æterna est incommutabilis veritas.* Et vult ostendere, quod Lex approprietur filio, sicut iudicium filio, in illo libro, & dicit: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: & spiritualis à nemine iudicatur.* id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege, secundùm quam iudicat omnia: & ideo verissimè dictum est, oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Si ergo omne iudicium datum est filio, quoniam veritatis seu sapientiæ est iudicare: & iudicium secundùm legem est, vt dicit: ergo Lex est in Deo secundùm rationem veritatis appropriatæ filio.

Idem in lib. de vera religione.

¶ Consequenter ostenditur, quod secundùm rationem bonitatis: & sic appropriatur spirituisancto. *Non est, qui se abscondat à calore eius.* Gloss. *id est, à spiritusancto: qui spiritussanctus est Lex & testimonium*, &c. ipsi ergo appropriatur: & ita est secundùm rationem bonitatis.

Psalm. 18. Glossa.

¶ Item, *Lex spiritus vitæ.* Gloss. *id est, spiritussan. qui docet, quid agendum sit.* Vult ergo quod spiritussanctus est Lex: & ita Lex æterna habet esse secūdùm rationem bonitatis: quia spirituisancto attribuitur bonitas. Secundùm quam ergo intentionem sit in eo, quæritur & cui approprietur personæ.

Ad Rom. 8. Glossa.

RESOLVTIO.

Persona, & quadam ratione omnibus tribus personis appropriatur.

¶ Solvt. Dicendum, quod ad quamlibet legem concurrunt tria, scil. authoritas, veritas, & bonitas, & hoc secundùm tria, quæ cōcurrunt ad hoc quod sit Lex sc. principium legis, forma legis, & finis. Ratione principij debetur ei authoritas; quia non potest esse principium legis nisi habens authoritatem: ratione verò formæ debetur ei veritas; quia Lex nunquam fertur sine recta ratione: itē ratione finis debetur ei bonitas; quia Lex non est nisi ad bonū. Vnde sicut habetur ex alia scientia. Lex est sanctio sancta, iubens honestum, prohibensq; contrarium. Si ergo respiciamus in lege æterna authoritatem: dicitur in Deo secūdùm rationē vel intentionem potestatis: & sic appropriatur personæ patris. Si autem respiciamus veritatem, secundùm rationem formalem: sic appropriatur sapientiæ, & ita personæ filij. Respiciendo aūt bonitatem, quæ debetur ei ratione finis: sic appropriatur spirituisancto. Ex hoc patet, qualiter isti effectus deriuantur à lege æterna; sc. imperare, vetare, &c. Nam isti actus, imperare, & vetare, sunt ipsius legis ratione authoritatis: isti aūt duo actus, consulere, & permittere, sunt ipsius ratione veritatis: isti autem duo punire, præmium tribuere, sunt ipsius ratione bonitatis: & propter hoc dictum est à sapientibus, quod hæc est virtus legis. Et sic oportet, quod in lege inueniatur ratio vel intentio potentiæ, vt præcipiat, vel prohibeat: item & ratio veritatis vel sapientiæ, vt possit permittere vel consulere: & ratio bonitatis vt puniat malefacta, & præmiet bene facta: hoc enim pertinet ad bonitatem. Et sic secundùm diuersas rationes comprehendit Lex potentiam, sapientiā, & bonitatem: & secundùm hoc diuersos habet actus. Patet etiam ex hoc, quod prædicti actus legis respiciunt vires animæ: nam consulere & permittere, respiciunt rationalem; sunt enim actus legis ratione veritatis vel sapientiæ, & hoc pertinet ad vim rationalem: imperare autem, & vetare pertinent ad irascibilem: sed punire & præmium tribuere pertinent ad concupiscibilem. Et sic cuilibet personæ appropriatur Lex, secundùm tamen diuersas intentiones & diuersos actus.

MEMBRVM V.

An mutabilis vel immutabilis sit Lex æterna?

QVINTÒ quæritur de immutabilitate legis æternæ? Vtrùm sit immutabilis, vel mutabilis. Ad quòd sic: Omnis Lex præcipiens contraria; est variabilis, siue mutabilis: Lex æterna est huiusmodi: ergo est mutabilis. Maior patet, quoniam secundùm præcepta variatur Lex. Minor patet per Aug. vbi dicit: *Domine si modò imperas, quòd aliquādo vetasti, quis dubitat, hoc esse faciendum?* Ex quo perpenditur, q̄ Deus præcipit, quod ante vetuit: sed præcipit & vetat secundùm legem æternam, Lex igitur æterna præcipit contraria.

August. in lib. Confess.

¶ Secvnda ratio, præcipit Deus aliquando plures habere vxores, modo autem vetat, ergo aliquando præcepit, quod modo vetat. Vnde Aug. *Aliqua licuerunt in antiquo sæculo iustis, quòd modo non licent, quia illis præcepit Dominus istud, istis aliud pro temporalibus causis.* Ergo Lex præceptionis diuinæ est mutabilis, si ergo virtus legis consistit in præceptis, constat legem æternam esse mutabilem.

Idem in in iisdem.

¶ Tertia ratio: nam istud patet ex Propheti à comminationis & promissionis. *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum: si pœnitentiam egerit gens illa*, &c. Hæc est prophetia comminationis. Sed sententia prophetiæ comminationis est mutabilis; quia primò dicit: *aduersus gentem* post dicit, *si pœnitentiam egerit*, &c. *Agam & ego pœnitentiam:* similiter est de prophetia promissionis, sicut patet ibi, & alibi. Si ergo sententia Dei quando comminatur vel promittit per prophetas, procedit à lege æterna: & hæc sententia est mutabilis: ergo & Lex æterna est mutabilis.

Ierem. 18.

Ibidem.

¶ Qvarta ratio. Omnis sententia, quæ fertur sub conditione & non absolutè, mutabilis est: & maximè illa, quæ dependet cum hoc à libero arbitrio. Sed sententia legis æternæ fertur sub conditione, & non absolutè, & maximè dependet à libero arbitrio: ergo sententia legis æternæ est mutabilis: ergo Lex æterna est mutabilis. Minor patet, quoniam Lex æterna nunquam iudicauit, vel dicet absolutè, iste damnabitur: sed semper sub conditione hac, si fuerit malus finaliter: similiter non dicet absolutè, iste saluabitur: sed sub hac condi-

tione, si fuerit finaliter bonus: vnde semper hoc dicet sub conditione malitiæ vel bonitatis finalis. Sed hæc conditio, quæ est: *si fuerit bonus vel malus finaliter*, dependet à libero arbitrio: ex quo maximè sequitur, quod sit mutabilis.

August. in lib. 3. Confess.

¶ Ad oppositum Aug. *Ignorabam iustitiam veram interiorem; non ex consuetudine iudicantem, sed ex iustissima lege Dei omnipotentis, qua formarentur regionum mores: cum ipsa vbiq; & semper, non alibi alia, non aliàs aliter.* Et omne tale simpliciter est immutabile: ergo Lex æterna simpliciter est immutabilis.

August. in lib. de vera religione.

¶ Secvnda ratio. Aug. *Cum secundùm legem quadratura iudicetur, & forum quadratum, & lapis quadratus, & huiusmodi. Rursus secundùm totam æqualitatis legem iudicentur conuenire motus pedum currentis formicæ, & gradientis elephantis: quis dubitat eam, id est, istam legem, interuallis locorum & temporum nec maiorem esse, nec minorem; cum potentia superat omnia: hæc est Lex omnium artium, cum sit omninò immutabilis.*

RESOLVTIO.

Æterna Lex & mutabilis & immutabilis dici potest: immutabilis ratione consilij, mutabilis ratione sententiæ. Quòd est, immutabilis simpliciter: mutabilis in effectu.

¶ Solvt. Dicendum, quod sicut dicitur voluntas Dei dupliciter scil. voluntas, quæ est essentia Dei, & hæc est voluntas beneplaciti, & hæc est immutabilis: & voluntas signi; & hæc est mutabilis. Sic loquendo de lege diuina, dupliciter possumus dicere: quod vno modo est mutabilis, alio modo est immutabilis: secundùm quod dicit: Gregor. *Deus non mutat consilium, sed sententiam.* Et appellatur ibi consilium ratio diuina, secundùm quam diiudicat, & disponit omnia: sententia autem appellatur ipse temporalis effectus, qui sequitur; & iste mutabilis est. Si ergo loquamur de lege secundùm rationem consilij: sic ipsa immutabilis est. Si secundùm rationem sententiæ; sic mutabilis: quia ipse temporalis effectus sequens ex ipsa, mutatur quotidie: sed ipsa ratio, secundùm quam diiudicat, & disponit, & deriuatur ab ipsa effectus, manet immutabilis. Sed secundùm primum modum dicetur Lex æterna scil. secundùm quod accipitur pro consilio vel ratione: sed secundùm quod accipitur pro sententia, non dicitur æterna; sed temporalis. Tamen absolutè Lex dicitur ipsa ratio præcipiendi, vetandi, &c. Effectus autem eius sunt, præceptio, prohibitio, &c. Si ergo ipsa ratio immutabilis, patet quòd Lex æterna simpliciter est immutabilis: effectus autem eius mutabiles sunt.

Gregor.

¶ Ad primam rationem in contrarium, dicendũ: quod hæc est falsa. *Omnis Lex præcipiens contraria, est mutabilis*: nisi addatur hoc *secundùm rationes contrarias*, vt dicatur: *Omnis Lex præcipiens contraria, & secundùm rationes contrarias*, &c. Lex autem æterna nunquam præcipit secundùm rationes contrarias: immò secundùm rationem vnam, & immutabilem.

¶ Ad secundam dicendum: quod soluitur ibi per hoc, quod dicitur in auctoritate illa *ex temporalibus causis* vnde est ibi mutatio ratione alicuius temporalis, quod subiacet legi æternæ, & eius præceptis. Et hoc est, quòd dicit Aug. Vt ars rei medicinæ cum eadem maneat, nec vllo pacto mutetur; mutat tamen præcepta languentibus; quia mutabilis est nostra valetudo. Ita diuina prouidentia, cum sit omninò incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subuenit pro diuersitate morborum; aliis alia iubet, aut vetat. Vnde varietas est in effectu temporali.

Aug. in lib. de vera religione.

¶ Ad tertium: si dicatur sententia legis æternæ pœna temporalis, quæ debetur ex merito; sic ipsa mutatur. Si autem dicatur sententia ipsa ratio, hæc est æterna & immutabilis.

¶ Et quod obiicitur, quod ipsa respicit lib. arb. Dicendum quod actus istius sententiæ mutabilis est: vnde quod iste puniatur, hoc est mutabile: sed ratio sententiæ, quæ dicit, quod si permaneat aliquis in malitia finaliter punietur; immutabilis est: licet ipsa sententia seu actus sententiæ sit mutabilis. Ratio autem illius sententiæ à lib. arb. non dependet: licet esse bonum finaliter, dependeat ab ipso. Vnde Aug. ponit exemplum de contrariis legibus: quarum vna tribuit populo potestatem dandi honorem, alia aufert: & dicit, quod ratio harum immutabilis est, & tracta ex æternitate: & verba sunt hæc. *Si populus quodam tempore iniustè honores dedit, quodam rursus iustè non dedit: hæc est vicissitudo temporalis; vt esset iusta, ex illa æternitate tracta est; hoc est ex ratione æterna, qua semper iustum est grauem populum honores dare, leuem non dare.* Et similiter ratio æterna immutabilis, quæ dicit, quod si permaneas in malo finaliter, punieris: dicit etiam, quod si permaneas in bono finaliter, præmiaberis: hæc autem ratio immutabilis est, & absoluta, non dependens à lib. arb. sicut sententia. Sed Lex æterna dicitur ipsa ratio sententiæ. Vnde August. *Lex illa, qua summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est: per quam mali miseriam, boni beatam vitam merentur; per quam deniq; illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, recteq; mutatur; potest ne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaq; videri?* q. d. non. Ex quo habeo legem æternam, quæ est summa ratio esse incommutabilem: licet affectus eius sint mutabiles: quia temporales sunt.

Aug. de libero arbitrio lib. 1. c. 6.

Ibi.

Idem vbi suprà.

MEMBRVM VI.

An Lex æterna vna, vel plures sit?

Sexto quæritur de vnitate legis æternæ: & quæritur? An sit vna, vel plures. Ad quòd sic: Aug. vbi loquitur de rationibus, quibus conditæ sunt creaturæ, dicit: *quòd alia est ratio, qua creatus est homo: alia, qua creatus est equus*, &c. Sed sicut se habent istæ rationes ad creaturas, ita Lex æterna ad alias leges scil. temporales: quia ipsa est ratio legum temporalium (vnde eisdem Aug. *Lex æterna summa ratio nuncupatur.*) Si ergo alia & alia ratio istius creaturæ, & illius: & similiter Lex æterna, cum sit ratio legum temporalium; non est vna, sed plures.

Aug. in lib. 83. qq. q. 46.

Idem.

¶ Secvnda ratio. Aug. *Nouit Deus ordinare deserentes se animas: & ex earum iusta miseria, inferiores partes creaturæ conuenientissimis æquè congruentissimis legibus adiuuandæ dispensationis ordinare. Omnes ergo iustissimis Dei legibus damnati sunt:* sed leges illæ non sunt aliud, quàm Lex æterna: ergo sunt plures leges æternæ.

Aug. in lib. de Catechizandis rudibus.

¶ Ad oppositum: sicut dicit Aug. *Lex æterna est ars artium, & Lex omnipotentis artificis.* Et etiam (sicut ipse isdem dicit: *Sicut ars medicina vna est, & tamen habet differentiam præceptorum: ita Lex æterna: quia ita se habet Lex æterna ad leges temporales, sicut ars medicina ad sua præcepta.* Ex his ergo auctoritatibus videtur: quod Lex æterna sit vna: & quòd non recipiat pluralitatem.

Idem.

Idem in lib. Confess.

¶ Secvnda ratio. Non ponimus pluralitatem in diuinis propter diuersitatem respectuum: nam si hoc esset; cum hoc nomen *creator* dictum de Deo habeat plures respectus; sequeretur, quod possent dici plures creatores: quia habet respectum ad hanc creaturam, & ad illam, &c. Ergo similiter ratio diuersitatis respectu legis æternæ ad temporales leges non ponet pluralitatem in lege æterna. Licèt ergo plures sint leges temporales; non propter hoc plures æternæ.

RESOLVTIO.

Vt ars vna est: vt ratio plures.

¶ Solvtio. Dicimus exemplarem causam diuinam esse vt artem; prout dicimus ipsam operari ad vnum finem: ars enim finem vnum respicit; quia ars est collectio principiorum ad vnum finem tendentium: & ideo non possunt in diuinis dici artes multæ. Ratio autem dicit diuinam causam, connotando respectum ad creaturam: prout ipsa habet esse in ordine: ordo autem ad finem est. Sed est ordo rerum dupliciter scilicet ordo rerum ad suum finem vltimum increatum: & est ordo rerum ad se inuicem; sicut ordinantur corporalia ad locum, vel sicut ordinatur res ad suam vtilitatem: & sic ordinantur ratione suæ dignitatis. Iste ordo ad fines particulares habetur ex ordine rerum adinuicem. Secundùm ergo quod ratio respicit ordinem istum creaturarum inter se, seu ad finem

crea-

creatum: dicimus quod sunt plures rationes ratione connotati: vna tamen semper est ratione principalis significati: vnde in omnibus his est vnitas ratione significati principalis. Secundùm autem quod respicit ordinem rerũ ad finem vltimum increatum; sic est vna sola ratio; & hanc rationem connotat ars; quia huius finis est vna ratio. Secundùm hoc dicendum, quod Lex æterna potest dici vt ars, & vt ratio. (Est enim Lex æterna ars æterna boni, & veri: item Lex æterna secundùm Aug. summa ratio nuncupatur.) Si dicimus eam vt artem: sic est vna. Si autem dicamus eam vt rationem, prout ratio accipitur à fine particulari; sic plures est ratione connotati: sicut sunt plures fines particulares. Verbi gratia: Lex quædam temporalis est, quod populus det honores: contraria autem Lex assignatur in alio tempore. Ratio vnius legis est leuitas & inordinatio populi: ratio alterius legis est grauitas & honestas populi. Et sic duæ rationes particulares istarum legũ: & hoc attendendo, ponunt fines particulares, & ordinem rerum secundùm illos. Sed attendendo artem, vna est ratio illarum; quia illa eadem ratio, quæ dicet iustum est, vt populus grauis det honores; dicet, quod iustum est, vt leuis & inordinatus non det honores. Et per hoc patet solutio. *Auguſt.*

¶ Ad rationem, qua obiicitur: quod non dicuntur plures creatores. Dicendum, quod in nominibus diuinis essentialibus, quæ significant concretè; numquam debet recipi multitudo vel pluralitas, quicunq; connotetur respectus: vnde non debent dici plures Domini, nec plures creatores. Sed solùm in nominibus dictis per abstractionem: sicut idea, & ratio, & huiusmodi: quia sunt nomina formatum, potest aliquando pluralitas dici ratione connotati. Tamen distinguendum: quod attendendo principale significatum, semper est in istis vnitas. Si autem attendamus connotatum; aut respectus ille connotatus est secundùm differentiam: aut secundùm vnitatem & indifferentiam. Si secundo modo: sic non potest dici pluralitas in illo nomine: vnde non dicuntur propriè plura exemplaria, vel artes. Si autem primo modo: tunc est vnitas in illo nomine ratione principalis significati, & multitudo ratione connotati.

MEMBRVM VII.

De deriuatione legum à lege æterna.

Septimò quæritur de deriuatione legum à lege æterna. Et circa hanc quæstionem plura quæruntur. Primum est, vtrùm leges iniquæ deriuentur à lege æterna. Secundum est, vtrùm Lex fomitis, seu Lex carnis deriuetur ab ipsa. Tertium est, vtrùm leges humanæ deriuentur ab ipsa. Quartò, vtrùm Lex naturalis deriuetur ab ipsa. Quintò an & Moysis: sed illud differtur inquirendum, cum tractabitur de lege Moysi. *Inferius qu. 28. membr. 1. Art. 5.*

ARTICVLVS I.

An leges iniquæ deriuentur à lege æterna.

Qværitvr ergo primò. An leges iniquæ (de quibus habetur: *Væ qui condunt leges iniquas*) deriuentur à lege æterna. *Esa. 10.*

¶ Ad quòd sic: Voluntas Dei non potest esse principium vel causa malæ voluntatis; quia Deus non est auctor malorum: ergo nec Lex æterna legum iniquarum.

¶ Ad oppositum: Legis æternæ est permittere, sicut præcipere: sed leges iustæ feruntur iussu legis æternæ: leges iniquæ feruntur eius permissione: ergo sicut leges iustæ feruntur ab ipsa, ita leges iniquæ deriuantur & feruntur ab ipsa.

¶ Secvnda ratio. *Lex æterna est, qua omnia sunt ordinatissima*; vt dicit Aug. ergo ab ipsa ordinantur leges iniquæ & æquè: sed omnia ordinata à lege æterna deriuantur, & feruntur ab ipsa, ergo leges iniquæ, deriuantur ab ipsa. *Auguſt.*

RESOLVTIO.

Neutiquam, inquantùm iniquæ.

¶ Solvtio. Dicendum, quod Lex iniqua inquantùm iniqua est; non est à lege æterna. Vnde mali inquantùm mali efficiens causa si quæritur, non inuenitur: non enim habet causam efficientem, sed deficientem: sicut ipse actus malus ex defectu est, sicut dicit Aug. *Idem.*

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendũ: quod est voluntas Dei præcipiens, & permittens. Voluntas Dei præcipiens dicitur, vel ponitur in aliquid: sed cum dicitur voluntas Dei permittens; non ponitur in aliquid. Ipsa autem Lex permittens non dicitur in aliquid: sed hoc modo, cum scil. quod dicitur in aliquid, non est in ratione causæ vel originis: & ideo non dicimus eam esse principium vel originem legis iniquæ: cum solùm comparetur ad eam sicut permittens.

¶ Ad secundùm dicendum: quod malum in eo quod malum non est ordinatum. Sed dicendo malũ: dico naturam deficientem à bono: cum dico naturam, dico rẽ bonam bonitate naturæ: sed dicendo ipsam malitiam, dico defectum à debito ordine: & ideo malitia est inordinatio: & ideo malum inquantum malum, hoc est, ratione malitiæ non est ordinatum. Sed qđ dicatur ordinatum, hoc est ratione subsistentis: quia ipsa ordinatur ad supplicium æternum per legem diuinam: ex quo noluit ordinari ad gloriam. Vel potest dici, quod hoc argumentum non valet: est ordinatum à lege æterna, ergo est deriuatum ab ea: non enim est deriuatum ab ea, nisi quatenus est ordinatum, seu in ordine: vnde non ipsum est à lege æterna, sed eius ordo potius.

ARTICVLVS II.

An Lex fomitis, siue carnis à lege æterna deriuetur.

Secvndò quæritur: an Lex fomitis seu Lex carnis (quod idem est) deriuetur à lege æterna. Ad quòd sic: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me.* Gloss. *Duæ leges bonæ sunt: Lex spiritus, qua peccatum tollit: Lex Moysi, qua peccatum ostendit: Lex peccati mala, quæ reos facit.* Si ergo Lex peccati facit reum, & est mala: & nullum malum à lege æterna: ergo Lex peccati seu Lex fomitis (quod idem est) non est à lege æterna. *Rom. 8. Glossa.*

¶ Secvnda ratio. *Video legem in membris meis captiuantem me in lege peccati.* Gloss. *Hæc est Lex mala, qua quisq; carnali consuetudine implicatus astringitur.* *Rom. 7. Glossa.*

¶ Tertia ratio. *Iam ego non operor illud: sed quod habitat in me, peccatum.* Gloss. *id est, Lex carnis, ad quem Diabolus vt ad suã legem accedit.* Si ergo Lex carnis est Diaboli vt sua: ergo Diabolus est causa eius: ergo deriuatur à lege Diaboli, & non à lege Dei æterna. *Rom. 7. Glossa.*

¶ Qvarta ratio. Aug. *Non est ordinatissimum, vt impotentia potentioribus imperarent: quasi necesse arbitror esse, vt plus possit mẽs, quam cupiditas.* Si ergo ex lege carnis est, quod impotentior potentiori imperet scil. caro spiritui; istud est contra rectum ordinem: sed quod est ab æterna lege, est ordinatissimum: ergo Lex carnis non deriuatur ab æterna lege Dei. *Aug. in lib. de libero arbitrio.*

¶ Qvinta ratio. *Nullo modo rectus ordo est appellandus, nisi meliora subiiciuntur deterioribus.* Sed per legem carnis subiicitur melius deteriori sc. spiritus carni, ratio sensualitati: ergo non est recto ordine. Si ergo nihil est ab æterna lege, nisi sit recto ordine: ergo, &c. *Aug. in lib. 1. de libero arbitrio.*

¶ Sexta ratio. Aug. *Cùm mens irrationales animi motus regit; id dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus.* Si ergo quando mens dominatur supra sensualitatem, id dominatur, cui debetur dominium secundùm legem æternam: ergo à contrario: quando mẽs subditur illi, dominatur illud, cui non debetur dominiũ secundùm legem æternam. Sed istud dominium est secundùm legem carnis, vel fomitis: ergo ipsa Lex carnis nõ deriuatur à legẽ æterna: immò omnino est ei repugnans. *In eodẽ.*

¶ Ad oppositũ: *Scio, quòd non habitat in me, hoc est in carne mea, bonũ.* Gl. *Manet corruptio in corpore, robur tenens diuinæ sententiæ data in Adã.* Et post dicit: *Hæc est Lex carnis.* Lex igitur carnis tenet robur diuinæ sententiæ: & ita legis æternæ. *Rom. 8 Glossa. Ibidem.*

¶ Secvnda ratio. *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Gl. *Fomes peccati rectè dicitur Lex; quia legitimè factum est: vt qui non obediuit suo superiori: ei non seruiat suum inferius scil. caro.* Sed à lege æterna est omnis Lex legitima: si ergo Lex fomitis rectè & legitimè dicitur Lex; constat ipsam esse à lege æterna. *Rom. 7. Glossa.*

Quæstio lateralis. ¶ Gratia huius quæritur? cum Lex fomitis appelletur ab Apostolo Lex peccati; Lex membrorum, cùm planum sit, quòd inquantum Lex est peccati, non est à lege æterna: quæritur tamẽ, secundùm quod ipsa est Lex membrorum, an sit à lege æterna.

RESOLVTIO.

Lex fomitis si dicatur Lex passibilitatis & afflictionis, à lege æterna vtiq; est: sin verò Lex fœditatis & maculæ; à Diabolo, vel peccato.

¶ Solvt. Dicendum quòd fomes importat quandam inordinationem & defectum in nobis ex peccato Adæ: quæ inordinatio & defectus est ex eo, quòd non obedit inferius suo superiori: vt caro spiritui. Fomes igitur in nobis pœna est. Sed est pœna duplex scil. fœditatis, & passibilitatis. Inquantum fomes est pœna fæditatis; sic non est à Deo: quia actus suus est deformis: quia actus fædationis non potest esse à Deo vt à principio, sed à Diabolo. Secundum verò quod ipsa est pœna passibilitatis & afflictionis; eo scil. quòd affligit animam, sic ipsa est à Deo: afflictio enim ista dicit bonum, & ordinem ad diuinam iustitiam. Afflictio enim ista temporalis est, & ad bonum: vt homo coactus redeat, & conuertatur ad Deum: ex hoc enim quòd anima videt se ita deiectam, & tantæ vilitati & corruptioni subiectam; citius conuertitur ad Deum. Et sic fomes inquantum est pœna passibilitatis, à Deo est; & ordinat ad Deum: est enim à diuina iustitia. Lex ergo fomitis vno modo potest appellari Lex passibilitatis: alio modo Lex fœditatis. Primò modo est vt affligens; & hoc modo appellat eam Apostolus legem membrorum: hoc
Rom. 7. modo ipsa est, & deriuatur ab æterna lege: ipsa enim dicitur Lex passibilitatis, id est, secundùm quod homo per eam habet legem, vt affligatur ex illa, & conuertatur ad Deum: hoc enim modo respicit ordinem diuinæ iustitiæ. Secundum autem quòd Lex fomitis dicitur Lex fœditatis: sic ipsa appellatur ab Apostolo Lex peccati: & sic Lex ista non est à lege æterna, sed à Diabolo, vel peccato: quia
Rom. 7. Glossa. Lex ista mala est. Vnde super illud: *Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.* Dicit Gloss. quòd eius consortio anima maculatur peccato. Dicitur autem mala hoc modo quadruplici ratione: primò quia facit reum: secundò quia maculat animam: tertiò quia per eam quisq; carnali consuetudine implicatus astringitur: quartò, quia ad eam accedit Diabolus vt ad suam. Nam fomes aut peccatum duos primos actus habet scil. animam maculare, & ream facere: & remouentur isti actus per baptismum. Sed dicitur maculare, inquantum deformat animam seu imaginem Dei: ream verò facit animam, obligando ipsam ad pœnam: hæc enim duo facit peccatum siue fomes: & ita Lex fomitis siue peccati. Vel dicitur peccatum, seu fomes macula: quia facit animam indignam gloriam: dicitur autem reatus, quia facit eam dignam pœna. Alia autem duo facit post peccatum: nam fomes post baptismum duplicem habet in nobis effectum scil. difficultatem ad bonum, & pronitatem ad malum. Primò dicitur mala, quia implicat hominem ad concupiscentiam carnalem: secundò dicitur mala scil. ratione pronitatis ad malum: quia ad eam Diabolus vt ad suam accedit. Vnde post hæc
Glossa ibi. dicit: Gloss. *Vt hominem suggestionibus malis decipiat, ne faciat homo, quæ Lex præcipit.* Quantum autem ad primum actum
Eadem. ante baptismum, qui est maculare; dicitur in Gloss. *cuius consortio anima maculatur.* Quantum ad secundum, qui est reum facere dicitur mala. Et sic Gloss. illa supradicta loquitur, cũ dicit: *Lex peccati mala: quia reos facit.* His quatuor modis Lex fomitis est Lex peccati, dicens inordinationẽ, & mala simpliciter: & sic nullo modo est à lege æterna: sed primo modo non dicit inordinationem sc. secundùm qđ est Lex passibilitatis: & sic est ab ipsa. Quantum ad hoc enim dicit Gloss. prædicta: quòd tenet robur diuinæ sententiæ, scil. in hoc, quòd affligit & punit animam propter peccatum: quantum ad hoc etiam dicitur Lex fomitis legitima, quia legitimè factum est (vt dicit Gloss.) vt qui non obediuit suo superiori; ei non seruiat suum inferius.

¶ Ad primam auctoritatẽ Aug. dicendum: quòd sicut videmus, quod iustè per peccatum subiiciebatur homo Diabolo ante passionem Christi; & tamen Diabolus iniustè tenebat eum: ita hic iustum est, vt subiiciatur carni: & tamen caro iniustè dominatur spiritui: quia legitimum est, vt qui non obediuit suo superiori, ei non obediat suũ inferius. Et loquimur quantum ad pœnam passibilitatis de lege ista.

¶ Ad secundam dicendum: quòd est melius quantum ad esse naturæ: & est melius quantum ad esse ordinis. Rationalis creatura melior est natura, quàm aliquod corporeum, seu quam caro: sed cum ipsa efficitur peccatrix, peior est quantum ad esse ordinis, quam caro, & quam aliqua creatura corporea. Si ergo respiciamus naturam, sic ipsa subiicitur deteriori; cùm subiicitur carni: sed si respiciamus ordinem, sic subiicitur meliori: quia ipsa caro magis seruat ordinem suum, quam ratio, vel anima peccatrix.

¶ Ad tertiam dicendum: qđ ex lege æterna est ordo naturæ, & est ordo iustitiæ. Ordine naturæ concedendũ, quòd ipsa mens ex lege æterna dominatur irrationalibus animi motibus, seu ipsi sensualitati: sed postquàm ipsa peccatrix efficitur, ordine iustitiæ subiicitur motibus illis ipsa mens & ipsi sensualitati ex lege æterna. Et loquamur de illa subiectione, inquantum inducit passibilitatem seu afflictionem in anima seu in ratione: & non inquantum pœnam fœditatis, sicut dictum est.

ARTICVLVS III.

An leges humanæ à lege æterna deriuentur.

Tertiò quæritur de legibus humanis, an deriuentur à lege æterna.

¶ Ad quòd sic: Aug. *In temporali lege nihil est iustum atq; legitimum, quòd non ex æterna homines sibi deriuauerint.* Si ergo in illis est aliquid iustum & legitimum: ergo, &c. **August. in lib. 1. de libero arbitrio. c. 5.**

¶ Secvnda ratio, si omnes bonitates deriuantur à prima bonitate, & omnes veritates à veritate prima: ergo similiter omnes leges à prima lege æterna.

¶ Ad oppositum, iuxta Aug. Lex humana relinquit impunita, quæ iustum est puniri: sed secundùm legem diuinã nihil tale debet impunitum relinqui: ergo, &c. Maior patet per Aug. *Lex illa, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedit, atq; impunita relinquit; quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.* **August. in codẽ.**

¶ Secvnda ratio. Lex humana iudicat liberos à pœna, quos æterna iudicat reos ad pœnam: ergo non est ab illa. Maior patet per Aug. qui ponit exemplum de illis, qui occidunt ne occidantur, vel ne amittant res temporales: **Idem.** quos Lex humana iudicat esse liberos à pœna, Lex æterna reos. Vnde dicit: *Non Lex iusta est, quæ dat potestatem vel viatori, vt latronem, ne ab eo occidatur, occidat: vel cuipiam viro aut fœminæ, vt violentum sibi stupratorem irruentem, aut illatum stuprum, si possit, interimat.* **Idem ibi suprà.** Et ponit rationem huius post: *Quomodo enim apud eam* (scil. legem æternam) *sunt isti peccato liberi; qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cædi polluti sunt.* **Idem.**

¶ Tertia ratio. Lex humana concedit aliqua mala fieri, vt ne occidaris, occidas: sed occidere hominẽ *istud non potest fieri sine libidine: ergo concedit aliqua fieri ex libidine; & quæ non possunt fieri sine libidine, hoc est sine improba & inordinata voluntate: sed hoc prohibet Lex æterna: ergo, &c. Et quòd homicidium non potest fieri sine libidine. Aug. probat: *Quomodo possum arbitrari istos carere libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt inuiti amittere: aut si non possunt, quid opus est pro his rebus vsq; ad hominis necem progredi.* Hoc dicit propter castitatem, quam nullus potest amittere inuitus: cum castitas sit virtus ipsius animæ vel mentis. ***Aliàs, ità.** **Ibidem.**

RESOLVTIO.

Si quid iustum, legitimumq; est in legibus humanis: id omne à lege æterna tractum esse; nemo ambigat.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd omnis Lex humana, & omnes leges quantum ad id, quòd habent iustum & legitimum in se; tractæ sunt à lege æterna: sicut omne id,

quòd

quod bonum est in creatura, tractum est ex bonitate prima: & quod verum, ex veritate prima.

¶ Ad primum, quod obiicitur in contrarium: quod illa dimittit impunita, quæ per diuinam, &c. Dicendum secundùm August. *Videtur mihi legem istam, quæ populo regendo scribitur, rectè ista permittere, & per diuinam prouidentiam vindicari: ea enim vindicanda sibi assumit, quæ satis sint concilianda paci hominibus imperitis.* Et vult dicere, quod Lex temporalis non habet punire, nisi mala, quæ sunt contraria suo fini; qui est conciliatio pacis inter homines: vnde non assumit sibi vindicanda mala contraria paci hominum ad Deum, sicut fornicationem, & huiusmodi: sed Lex æterna hoc vindicat. Et propter hoc non sequitur ratio illa: Lex temporalis dimittit impunita, quæ tamen vindicantur per diuinam: nisi cum hoc addatur; & ipsa posita est ad vindicandum mala illa.

Idem ibidem.

¶ Ad secundam, qua obiicitur, quod iudicat liberos, quos æterna reos. Dicendum, quòd ex hoc non sequitur, quod sit contraria legi æternæ: sed quod sit imperfecta respectu ipsius: quia solum de illis iudicat Lex temporalis, quæ sunt ad suum finem, vel contra ipsum. Liberos ergo iudicat, quos non inuenit contrarios paci inter homines, quæ pax est finis ipsius: sed Lex æterna non solum respicit pacem istam, sed etiam pacem hominum ad Deum: & propter hoc iudicat reos, quos temporalis liberos; sicut fornicatores, & huiusmodi: & punit eos: & ita imperfecta est respectu legis æternæ, & non contraria. Vnde August. dicit: *Laudo, & probo istam scil. legem temporalem, quamuis inchoatam minusque perfectam, videtur multa relinquere impunita, quæ per diuinam tamen prouidentiam vindicantur, & rectè.*

Idem ibidem.

¶ Ad tertiam dicendum per interemptionem: quòd Lex temporalis nunquam dicit, nec iubet, quòd aliquid fiat ex libidine: vnde dicit August. quòd Lex non habet culpam in hoc. Et ostendit quomodo: quia ponatur, quòd aliquis vim vi repellat: aut ille est ordinatus ad hoc, & iustè facit, & ordinatè, vt causa ciuium tuendorum; sicut miles, vel iudex, qui est minister legis: aut non. Si sic, obtemperandum est illi legi sine libidine; quæ hoc præcipit. Si non est ordinatus ad hoc, nunquam ei Lex præcipit hoc; sed relinquit in sua potestate. Et hoc est, quod ipse dicit: Potest ergo illi legi, quæ tuendorum ciuium causa vim hostilem eadem vi repelli iubet, sine libidine obtemperari: & de omnibus ministris, qui iure atque ordine potestatibus quibuscunque subiecti sunt, illud dici potest. Sed illi homines, lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video: non enim eos Lex cogit occidere: sed relinquit in potestate. Liberum itaq; est eis neminem necare pro his rebus, quas inuiti possunt amittere. Et sic Lex non est culpabilis, licèt concedat aliqua fieri, quæ non fiunt sine libidine: immò illi, qui faciunt, quod non præcepit Lex, quod faciant illa: sed dimittit eorum arbitrio.

Idem. Idem lib. de libero arbitrio. c. 5.

ARTICVLVS IV.

An Lex naturalis à lege æterna deriuetur.

QVARTÒ quæritur? An Lex naturalis deriuetur vniuersaliter à lege æterna. Ad quòd sic: Deriuatio legum à lege æterna est per rationem apprehendentem legem æternam. Sed soli rationali creaturæ concessum est videre legem æternam & consulere: sicut dicit Aug. Ergo Lex naturalis solum, prout est in creatura rationali, deriuatur à lege æterna. Cùm ergo sit Lex naturalis in creatura rationali, vel irrationali; sicut dicit Isidor. quod Lex naturalis est, quam natura docuit omnia animalia: ergo non deriuatur vniuersaliter à lege æterna. Maior propositio patet per Aug. *Nihil est iustum atq; legitimum, nisi quòd homines sibi ex æterna lege deriuauerunt.* Sed hæc deriuatio est per apprehensionem.

August. in lib. de vera religione. Isidor. August. in lib. 1. de libero arbitrio c. 3.

¶ SECVNDA ratio. Non est deriuatio à lege, nisi secundùm actum & virtutem legis: sed actus seu virtus legis (vt dictum est, & vt habetur in Canone,) sunt, imperare, vetare, permittere, consulere, punire, præmium tribuere. Sed omnes isti actus solum respiciunt rationalem creaturam; quia non fit præceptio nec prohibitio per legem nisi rationali creaturæ, &c. nec præmiatio, nec consultus: ergo solum Lex, prout est in creatura rationali, deriuatur ab æterna lege.

¶ ALIQVIS diceret ad hoc: quod ista sunt proprij actus legis: nec secundùm eos fit deriuatio legis, immo est communis actus ipsius scil. arctare: secundùm quem fit deriuatio: & hoc conuenit legi æternæ respectu rationalis & irrationalis creaturæ: quia arctat inquantum determinat potentiam, quæ est indeterminata in rationali creatura & irrationali. Et sic secundùm rationem arctationis est deriuatio. Vnde Aug. *Omnis natura vsitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas; secundùm quas spiritus vitæ, qui creatus est, habet quosdam actus suos determinatos, quos ista mala voluntas non potest excedere.* Et similiter de elementis dicit ipse *Et elementa huiusmodi corporea habent definitam vim, & qualitates proprias; quid vnū quodq; valeat, quid non valeat.* Ex quo patet, quod arctatio illa respicit omnem creaturam. Sed contra hoc obiicitur: quia creatura irrationalis arctatur ex necessitate, rationalis non, cum sit arbitrio libera: ergo æquiuocè est arctatio in illis, & non secundùm aliquam rationem communem: ex quo sequitur illud, quod priùs.

Idem per C... Idem.

¶ Ad oppositum: Omnis bonitas est vniuersaliter à bonitate æterna: ergo omnis Lex naturalis, cum sit bona; est vniuersaliter à lege æterna: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Lex omnis naturalis à lege æterna est, secundùm tamen propinquiùs & remotiùs.

¶ SOLVT. Dicendum, quod omnis Lex naturalis est à lege æterna: tamen secundùm propinquiùs & remotiùs: secundùm quod naturæ, in quibus est; se habent secundùm propinquiùs & remotiùs ad Deum. Est enim Lex naturalis triplex: quædam, quæ respicit ordinem rationalis creaturæ, de qua habetur: *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et etiam dicit ibi Gloss. *Lex naturæ, qua intelligit vnusquisq;, & sibi conscius est, quid sit bonum & quid malum.* Item est Lex naturalis respiciens ordinem creaturæ irrationalis sensibilis; de qua dicit Isidor. *Lex naturalis est, quæ natura docuit omnia animalia, vt masculus cum fœmina.* Item est Lex naturalis respiciens ordinem omnis alterius creaturæ scil. irrationalis, & insensibilis: de qua dicit Aug. *Deus cuius legibus rotantur poli: & cursus suos sydera peragunt.* Secundùm has differentias vniuersaliter est Lex naturalis à lege æterna: prima tamen propinquiùs, quam secunda, & tertia: & secunda quam tertia; secũdum quod rationalem creaturam constat esse propinquiorem Deo quam sensibilem, & sensibilem quam insensibilem & irrationalem.

Rom. 2. Glossa. Isidor. August in lib. Soliloquiorum.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendū: quod duplex est notio legis æternæ, secundùm Aug. Vna est Lex æterna, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima. Alia est Lex æterna, quæ est summa ratio, cui obtemperandum est: qua mali miseram, boni bonam vitam sequuntur. Ex quibus patet, quod Lex æterna dicit artem diuinam & sapientiam, inquantum ordinat creaturam & motum creaturæ: & ita ordo secundùm legem in omni creatura est ab ea, & Lex similiter. Sed ordo duplex: quædam enim creatura est domina sui actus, sicut rationalis: quædam non, sicut irrationalis creatura. Ordinat ergo Lex æterna ordine necessario actum irrationalis creaturæ: actum autē rationalis non ordinat ordine necessario, sed relinquit eum in arbitrio. Quòd ergo obiicitur, quod deriuatio à lege æterna est secundùm apprehensionem. Dicendum, quod hoc dicitur respectu legis temporalis: & non respectu legis naturalis. Vnde Aug. loquitur de lege temporali, cum dicit: *Nihil iustum atq; legitimum*, &c. Et ratio huius est: quia Lex naturalis est in nobis sine nostra cooperatione, sed ex Dei inditione & impressione: imprimit enim vim ordinis naturalem ipse Deus in rationali & in irrationali creatura: sed in lege temporali nos cooperamur ad hoc quod sit in nobis: hæc autem cooperatio est per rationem apprehendentem: & ideo de illa intelligitur.

Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6. Idem.

¶ Ad secundùm dicendum, quod sicut *calefacere* dicit actum per se & principalem ignis *indurare* actum conse-

q[illegible] & non principalem: ita actuatio dicit effectum consequentem legem. Sed actus principalis currens in omnes, & secundum quem fit deriuatio, est ordinare: quia Lex æterna est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima: & iste actus deriuatur & in præceptione, & in prohibitione, & in aliis actibus legis: & vlterius respectu creaturæ irrationalis & eius actus: quia ordo currit per omnem actionem. Vnde Aug. *Voluntas diuina subiicit sibi primitus omnia, deinde creaturam corporalem spirituali, deinde irrationalem rationali, terrestrem cælesti: & sic ordo decurrit per omnia.* Posset etiam dici, quod extenso nomine præcepti, sicut nomine obedientiæ, currit illa deriuatio secundum rationem præcepti. Extendimus enim nomen obedientiæ ad rationalē & irrationalem creaturam: secundum quod dicimus, omnia obediunt Deo: & hæc est naturalis subiectio. Vnde: *Mandauit & creata sunt: præceptum posuit, & non præteribit.* Gl. *Præceptum, id est, legem & conditionem.* Et similiter Ansel. *Vnaquæq; creatura cum sibi præceptum ordinem naturaliter aut rationaliter seruat; Deo obedire dicitur: maximè rationalis, cui datum est intelligere quid debeat.* Et sic extendendo præceptum, posset dici, quòd currit illa deriuatio secundum rationem præcepti.

August. 8 super Gen. — Psal. 148. Gloss. — Ansel. lib. 1. Cur Deus homo.

MEMBRVM VIII.

De subiectis legi æternæ.

CONSEQVENTER est quæstio de subiectis legis æternæ. Circa quam plura inquiruntur. Primum est, an voluntas diuina sit subiecta legi æternæ. Secundum est, an filius Dei sit subiectus legi æternæ. Tertium est, an irrationabilia sint subiecta legi æternæ. Quartum est, an rationabilia, sicut mali homines, sint ei subiecti. Quintum est, an iusti sint ei subiecti. Sextum est, an beati subiiciuntur legi æternæ.

ARTICVLVS I.

An voluntas diuina subiecta sit legi æternæ?

AD primum sic obiicitur sic: Voluntas Dei consequitur rationem iustitiæ; vnde est ad bona tantùm & ordinata, licet sua scientia sit bonorum & malorum. Sed quicquid sequitur rationem iustitiæ, est sub lege æterna; quia Lex æterna summa ratio nuncupatur; & est ipsa ratio iustitiæ: ergo voluntas Dei est sub lege æterna: ergo subiicitur ei.

Ansel. lib. 1. Cur Deus homo. ¶ SECVNDA ratio. Ansel. Licet in illis, quæ Deum velle est conueniens, sequatur: si Deus vult hoc, est iustum: tamen in eis, quæ Deum velle est inconueniens, non sequitur, si Deus vult mentiri, quòd iustum sit mentiri: immò potius, quod ipse non sit Deus: sed generaliter sequitur econuersò, si hoc est iustum, Deus vult hoc. Ergo plus sequitur voluntas Dei iustitiam, quam econuersò: ergo est subiecta legi æternæ.

August. 10 lib. de Trinit. ¶ AD oppositum: Aug. *Voluntas Dei est prima ratio omnium, sanitatis & ægritudinis, præmiorum & pœnarum.* Sed primæ rationis non est ratio: ergo cum Lex æterna sit ratio; constat quod voluntatis diuinæ non est Lex æterna: ergo non subiicitur ei voluntas Dei.

Eiusdem in lib. 83. qq. ¶ SECVNDA ratio. Aug. *Qui quærit causam voluntatis diuinæ, quærit maius voluntate diuina.* Sed hoc est impossibile inuenire: ergo ipsius non est aliqua causa, nec ratio: ergo cum Lex sit ratio eius, quod est ei subiectum; non est Lex: ergo non subiicitur legi æternæ.

Ansel. in lib. Cur Deus homo. ¶ TERTIA ratio. Ansel. *Cum Deus liber sit, nullæ legi, nullius que iudicio subiacet: vt nihil decens, nihil rectum sit, nisi quòd vult.*

RESOLVTIO.

Voluntas Dei æterna legi subiecta non est; cum sit ipsamet æterna Lex.

August. ¶ SOLVTIO. Dicendum quod voluntas diuina non est subiecta legi, immo est ipsa Lex æterna. Vnde dicit Augu[illegible]. *Tantum differt in ratione intelligentiæ, cum dicitur Lex, & cum dicitur [illegible] quia dicitur voluntas respectu boni, in quantum acceptat quod bonum est: [illegible] eadem voluntas dicitur Lex, in quantum ordinat quod bonum est.*

¶ AD [illegible] ergo, quæ obiicitur: quod voluntas Dei subsequatur rationem. Dicendū, quod [illegible] rationem intelligentiæ verum est, quod voluntas Dei est cum ratione (vnde bene sequitur, Deus vult hoc [illegible] habet rationem) sed ratio illa nihil aliud est [illegible], quam ipsa voluntas.

¶ AD secundum dicendum: quod aliquando determinatur respectu diminuentis: aliquando respectu non diminuentis. Quando ergo voluntas Dei determinatur respectu diminuentis, sicut est mentiri: non sequitur iustitia ad ipsam: immò ex hoc sequitur, quod non sit diuina voluntas. Sed quando determinatur respectu non diminuentis; sicut est pluere, & huiusmodi actus; cum quibus stat: tunc ad ipsam sequitur iustitia. Per hoc soluitur prima ratio.

ARTICVLVS II.

An filius Dei legi æternæ subiiciatur?

SECVNDO quæritur: an filius Dei subiiciatur legi æternæ. Ad quòd sic: Vbicunq; inuenitur ratio subiectionis, ibi est dicere subiectionem secundum legem aliquā: quia omnis subiectio est secundum legem aliquam. Si ergo in filio Dei inuenitur ratio subiectionis ad patrem: ergo in eo est subiectio secundum legem aliquam: sed nō nisi secundum legem æternam: ergo ipse secundum naturam diuinam est subiectus legi æternæ. Minor patet, quoniam Hilar. in lib. de Synodis ponit verbum Concilij, dicens. Non exæquamus vel comparamus filium patri: sed subiectum intelligimus secundum diuinam naturam. Est ergo subiectus secundum ius legis æternæ.

¶ SECVNDA ratio habetur in eodem. Si quis vnū Deum dicens, Christū autem ante omnia sæcula filium Dei obsecutum patri in creatione omnium non confitetur, anathema sit (& loquitur secūdùm diuinitatem de filio Dei.) Sed verbum obsequij est verbum subiectionis: hæc autem subiectio fit secundum ius legis æternæ: ergo, &c.

¶ AD oppositum Aug. in lib. de Vera religione. Vt nos de inferioribus rebus iudicamus: sic de nobis sola veritas iudicat. De ipsa autem nec pater: nec enim minus est quam ipse: & ideo quæ pater iudicat, per ipsam iudicat: & secundùm hoc dicitur, quòd pater omne iudicium dedit filio. Si ergo filius est ipsa veritas: ergo non est minor patre: nec de ipso pater iudicat: ergo non subiicitur patri, ergo nec legi æternæ. Cap. 31. ante medium.

RESOLVTIO.

Quinimmò est Lex ipsa æterna.

¶ SOLVT. Dicendum secundùm B. Hilar. semper intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: vnde illæ auctoritates debent exponi, non extendi. Nomen enim subiectionis dicitur multipliciter: aliquando enim sonat in indignius respectu eius, cuius dicitur subiectum: quomodo dicimus materiam subiectam formæ, & passiua actiuis, & inferiora superioribus. Aliquando enim sonat indignius; quomodo dicimus substantiam subiectam accidenti: substantia enim in eo quod dicitur subiectum, dignior est accidente: quia dicitur subiectum in eo, quod facit accidens subsistere. Aliquando autem sonat in æquale; quomodo dicimus naturæ virtutem esse subiectam naturæ: & virtus naturæ est æqualis naturæ, cuius est. Primò modo importat subiectio habitudinem secundum inferioritatem, sicut habitudinem subiecti respectu eius, quod est super illud. Secundò modo importat habitudinem respectu eius, quod est in subiecto. Tertiò modo importat habitudinem, quæ attenditur in hoc quod dico *esse ab alio* sicut virtus est a natura: & hæc est habitudo originis. Hoc ergo modo habitudo subiectionis filij ad patrem importat habitudinem originis, & non indignitatis, vel inferioritatis; sed æqualitatis.

¶ VNDE exponendum est quod dicitur: *Non exæquamus*, &c. id est, non dicimus filium æqualem patri: ita quòd dicamus filium esse non ex alio sicut patrem; quia filius est à patre. Vnde post illam authoritatem habetur: *neque enim sunt ex [illegible], sed a Domino*, scil. [illegible].

¶ [illegible] modo intelligendum est [illegible] tur, filium esse obsecutum patri [illegible] ne [illegible]

obſequendi nó notat ibi minoritatem vel diminutionem potentiæ in filio; ſed notat in patre primam authoritatem. Vnde ſicut in imperante eſt authoritas prima, in exequente eſt authoritas ab illo: ſic filius habet authoritatem à patre; & in patre eſt prima authoritas creandi res. Et quantum ad hoc intelligitur illud: ſicut etiam patet in illo lib. Ex his ergo non ſequitur, quod filius ſecundùm diuinam naturam ſit ſubiectus legi æternæ: ſed magis ſequitur, quod ipſe ſit Lex æterna; quia Lex dicit ius, & ex aliqua prima authoritate: ipſe autem filius eſt ius ipſum, & ratio, quæ eſt ex patre.

ARTICVLVS III.

An irrationalia æternæ legi ſubiecta ſint?

TERTIÒ quæritur? An irrationabilia ſubiiciantur legi æternæ.

¶ AD quòd ſic: Dam. Actus inuoluntarij nec præcio nec pœna digni habentur. Sed actus irrationabilium ſunt inuoluntarij: ergo, &c. Si ergo legis æternæ eſt præmium tribuere, & punire ſecundùm meritum (quia Lex æterna eſt, qua mali miſeram, boni bonam vitam merentur) ergo nec irrationabilia, nec actus eorum cadunt ſub lege æterna: ergo non ſubiiciuntur ei.

¶ AD oppoſitum: Aug. 19. de Ciu. Dei. Nullo modo aliquid legibus ſummi creatoris ordinatoriſq; ſubtrahitur, à quo pax vniuerſitatis adminiſtratur. Quicquid ergo eſt in rerum vniuerſitate, cadit ſub ordine legis æternæ: ergo & irrationabilia.

RESOLVTIO.

Adhuc, & irrationalia æternæ legi ſubiecta ſunt, ſed ſubiectione naturali & ſine iudicio.

¶ SOLVT. Dicendum ſecundùm B. Anſelm. quod irrationabilia ſubiiciuntur legi æternæ. Sed eſt ſubiectio legis æternæ naturalis & ſine iudicio: & hoc modo irrationabilia ſubiiciuntur legi æternæ. Alia eſt cum iudicio: & hoc modo rationabilia ſubiiciuntur: omnis autem creatura ei ſubiicitur prima ſubiectione. Vnde Anſelmus: *Cur Deus homo.* Vnaquæq; creatura, cum ſibi præceptum ordinem naturaliter aut rationaliter ſeruat; Deo obedire dicitur: maximè rationalis, cui datum eſt intelligere, quid debeat. Et ita quælibet creatura obedit, & ſubiicitur legi æternæ.

ARTICVLVS IV.

An mali, & reprobi eidem æternæ legi ſubiiciantur?

QVARTÒ quæritur de rationabilibus. Et primò, an mali & reprobi ſubiiciuntur legi æternæ. Ad quòd ſic Rom. 8. Sapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta. Gloſſ. Vnus homo eſt, eademque; natura à bono Deo condita bona: quæ heri ſapiebat ſecundùm carnem, hodie ſecundùm ſpiritum ſcilicet quædum vitium habet, non poteſt ſubiici legi Dei: ſicut claudicatio non poteſt ſubiici rectæ ambulationi. Si ergo impoſſibile eſt, quòd claudicatio ſubiiciatur rectæ ambulationi: ergo impoſſibile eſt, quod natura habens vitium ſubiiciatur legi æternæ. Sed homines reprobi ſunt huius naturæ: ergo, &c.

¶ SECVNDA ratio. Aug. in lib. de lib. arb. Cùm manifeſtum ſit alios homines eſſe amatores rerum æternarum, alios rerum temporalium: cum ſic duas leges eſſe conuenerit, vnam æternam, aliam temporalem: quos iſtorum iudicas æternæ legi eſſe ſubdendos? Reſpondet, beatos illos ſub æterna lege agere: miſeris verò temporalis Lex imponitur. Ergo miſeri reprobi, qui ſunt amatores rerum temporalium, ſubiiciuntur legi temporali: ſicut boni legi æternæ: qui ſunt amatores æternorum: cum ita ſe habeant ad illa, ſicut iſti ad iſtam: non ergo ſubiiciuntur æternæ.

¶ AD oppoſitum: Aug. *Nouit Deus ordinare deſerentes ſe animas: & ex earum iuſta miſeria partes inferiores creaturæ ſuæ conuenientiſſimis & congruentiſſimis legibus admirandæ diſpenſationis ornare.* Ergo animæ reproborum, quæ ſunt deſerentes Deum, ordinantur ordine diuino. Sed ordo diuinus (Auguſt. in lib. de Catechizandis rudibus.) eſt Lex æterna; quia iuſtum eſt, vt omnia ordinatiſſima ſint: ergo ſubiiciuntur ordini legis diuinæ vel æternæ.

RESOLVTIO.

Minimè quò ad præceptionem, ſed benè quò ad punitionem.

¶ SOLVT. Dicendum ſecundùm Aug. quòd ſubiici legi æternæ, eſt dupliciter: vel eius præceptioni: vel eius punitioni. Mali ergo ſubiiciuntur legi æternæ quantum ad punitionem: ſed non ſuæ præceptioni. Vnde Aug. *Domine, qui dimittit te: quò it, aut quò fugit: niſi à te placitudo ad te iratum? Nam ibi inuenit legem tuam in pœna ſua & Lex tua veritas eſt, & veritas tu.* (Aug. in 3. Conf. c. — Idem ibidem.)

¶ AD primam rationem in contrarium. Dicendum ſecundùm Anſel. vbi facit talem comparationem. *Sicut ea, quæ cæli ambitu continentur; non eſſe ſub cælo, aut elongari à cælo nullatenus poſſunt: nec fugere cælum, niſi appropinquando. Ita quamuis homo vel Angelus diuinæ voluntati & ordinationi ſubiacere nolit: tamen eam fugere non valet: quia ſi vult fugere de voluntate præcipiente, fugit ſub voluntatem punientem.* Et hoc etiam dicit Boëtius: *Ordo cuncta complectitur: vt ſi quis ab aſſignato ordine receſſerit, in alium ordinem relabatur. Ipſa enim Lex æterna ſicut circulus eſt, qui enim fugit vnam partem, appropinquat alteri. Et ita licèt mali ab ea receſſerint quantum ad præceptionem: ſunt tamen ſub ea quantum ad punitionem.* (Anſel. in lib. 1. Cur Deus homo. — Boet. lib. 4. de Cõſol. proſa 6.)

¶ AD ſecundum dicendum, quod non ſequitur: quòd ſi mali ſubiecti ſunt legi temporali, quod propter hoc non ſint ſubiecti legi æternæ: immò quod ſubiectum eſt legi temporali; eſt ſubiectum legi æternæ: & non econuerſò: quia complectitur eam, & circuit omnes leges. Vnde Auguſt. *Illud inconcuſſum teneas, quod apertiſſimè iam ratio demonſtrauit; eos, qui temporali legi ſeruiunt, non eſſe poſſe ab æterna liberos.* (Auguſt. in lib. de libero arbitrio.)

ARTICVLVS V.

An & iuſti æternæ legi ſubijciantur.

QVINTÒ quæritur? an iuſti ſubiiciantur legi æternæ. Ad quòd ſic: *Iuſto non eſt Lex poſita, ſed iniuſtis & non ſubditis.* Gloſſa. *Poſita, id eſt, impoſita, vt ſuprà illum ſit, & ei dominetur: in illa enim potius eſt, & cum ipſa, quam ſub ipſa: quia amicus iuſtitiæ eſt.* Ex quo patet, quam iuſtus cum ſit amator iuſtitiæ, non eſt ſine lege æterna, ſed cum ipſa. (1. Tim. 1. Gloſſa.)

¶ AD oppoſitum: Auguſt. *Iuſtos ſub æterna lege agere exiſtimo.* (Auguſt. in lib. de libero arbitrio.)

RESOLVTIO.

Subiiciuntur quidem & ipſi ſed voluntate & obedientia; non coactione & neceſſitate, vt iniqui.

¶ SOLVT. Dicendum, quod iſtud quod dico *eſſe ſub lege* poteſt dupliciter accipi: vel prout dicit neceſſitatem coactionis: vel voluntatem obediendi. Sicut dicimus, quod aliter eſt filius ſub patre, & ſeruus: quia ſeruus ſub patre eſt neceſſitate timoris coactus: filius autem voluntate obediendi. Iuſti ergo ſunt ſub lege voluntariè, & non neceſſitate coactionis. Vnde: *In lege Domini voluntas eius.* Gloſſ. *Aliud eſt in lege eſſe, aliud ſub lege: qui in lege eſt, ſecundùm legem agit, voluntariè obediens legi: qui autem ſub lege eſt, ſecundùm legem agit, neceſſitatis timore coactus.* Et hoc modo non eſt iuſtus ſub lege: ſed primo modo: vt dictum eſt. Vnde primo ſenſu dicitur: *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege* ſcil. voluntariè, & non neceſſitatis coactione. (Pſalm. 1. Gloſſa. — Ad Galat. 4.)

ARTICVLVS VI.

An beati ſubijciantur legi æternæ.

SEXTÒ quæritur? an beati ſubiiciantur legi æternæ. Ad quòd ſic: Auguſt. *In ea certè ciuitate vera iuſtitia eſt: de qua ſcriptura dicit: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Et vocat ciuitatem illam beatitudinem: ergo in ea eſt vera iuſtitia: ergo & ordo iuris: & ita Lex. Ergo beati ſunt ſub lege. (Auguſt. 2. de Ciu. Dei. Pſal. 86.)

¶ SECVNDA ratio. *Cuſtodiam legem tuam ſemper*, &c. Caſſiodorus dicit, & diſtinguit legem præſentem à lege, quæ erit poſt. *Sed alia erit Lex Domini, quam ſe promittit cuſtodire populus ſanctiſſimus. Scit enim per hanc vmbram legis ad* (Pſal. 118. Caſſiod.)

ministerium legis æternæ ascendi: Nouit etiam consuetudinem Angelorum & potestatum, Dominum sine fide laudare. Scit summa beatitudinis esse solennitatem, Dominum iugiter contueri. Scit deniq; fidelium ibi esse leges, quas se professus est sine fine seruare. Si ergo in æterna beatitudine sunt leges: ergo beati sunt sub lege.

August. in lib. de libero arbitrio. ¶ AD oppositum: Aug. *Lex æterna est, qua mali miseram, boni bonam vitam merentur.* Per legem ergo est mereri: sed in beatitudine non est tempus merendi: ergo nec ordinandi sub lege.

RESOLVTIO.

Adhuc & beatos, legi æternæ subiunctos dicimus: sed in hoc solùm, quod voluntatem suam voluntati diuinæ conformant.

Idem in eodem c. 6. ¶ SOLVT. Dicendum secundùm Aug. *Lex æterna est, cui semper obtemperandum est: & per quam mali miseram*, &c. Quantum ergo ad hoc quod dicitur. Per quam mali miseram, &c. Non manet Lex in patria: quia ibi non est mereri. Sed quantum ad hoc quod dicitur: *cui semper est obtemperandum*, manet ipsa Lex in patria: & quantum ad hoc sunt boni sub lege: scil. conformando voluntatem suam voluntati diuinæ: hoc enim modo obtemperandum est legi æternæ: & quantum ad hoc loquitur Cassiodorus.

MEMBRVM IX.

Actus, effectusve æternæ legis qui, & quot numero?

NONO quæritur principaliter de effectibus legis æternæ respectu rationalis creaturæ: Et primò quæritur de numero ipsorum effectuum in generali. Secundò quæritur de ipsis effectibus in speciali. Et sic ista quæstio partitur ita: quoniam principiò quæritur de effectu præceptionis & prohibitionis. Secundò quæritur de effectu promissionis & consilij. Tertiò de effectu punitionis & præmiationis. Sed hæ quæstiones tractatæ sunt. Primo libro Quæstione de Voluntate.

Quæstio: Isidor. ¶ QVANTVM ad primum obiicitur sic: Isidorus. *Omnis Lex, aut punit, aut vetat, aut præcipit.* Ergo in omni effectu legis est punire, vel vetare, vel præcipere: ergo non sunt nisi isti tres effectus legis æternæ.

¶ AD oppositum: quæcunque sunt eadem secundùm essentiam, habent eandem virtutem & eandem differentiam effectuum: sed voluntas Dei & Lex æterna sunt eadem secundùm essentiam. Cùm ergo effectus vel signa voluntatis diuinæ sint quinque, & non tria tantùm scil. præceptum, prohibitio, consilium, permissio, & impletio, seu operatio: ergo erunt quinq; effectus legis æternæ, & non tres tantùm.

Idem & Legisconsultus. ¶ SECVNDA ratio, quia sicut dicit Isidor. & Legisconsultus: *virtus legis temporalis consistit in istis differentiis effectuum: qui sunt, præcipere, vetare, consulere, permittere, punire, præmiare.* Ergo cum Lex temporalis trahatur à lege æterna, sicut visum est: patet, quod isti sex effectus sunt legis æternæ, & non tres tantùm.

¶ TERTIA ratio: Lex æterna respicit actum rationalis creaturæ. Aut ergo respicit actum, qui factus est, aut qui faciendus est. Si actum qui factus est: aut ille est bonus aut malus: si bonus, sic retribuit: si malus, sic punit: ergo sunt duo effectus ipsius ex parte actus rationalis creaturæ facti. Si autem respiciat actum fiendum: aut ille actus est absolutus, aut comparatus: Vel sic, aut respicit ipsum absolutè, aut comparatiuè. Si absolutè: aut ille est actus bonus, aut malus: si bonus, sic præcipit: si malus, sic prohibet. Si comparatiuè: aut ille est bonus, aut malus: si bonus, sic respectu eius est consilium: quia consilium est respectu melioris boni: si malus, sic permissio; quæ est respectu mali, vel propter hoc quod non fiat peius, aut propter hoc quod fiat bonum melius. Habet ergo quatuor differentias effectuum ex parte actus rationalis creaturæ fiendi: & duos ex parte facti. Et sic sunt sex differentiæ effectuum legis æternæ respectu rationalis creaturæ, & non plures.

¶ SED adhuc videtur, quod debet esse septimus: quoniam omnis actus rationalis creaturæ est ordinatus à lege. Si ergo est aliquis actus, qui non est imperatus à lege æterna, nec prohibitus, nec permissus, nec consultus, &c. Ergo erit aliqua differentia effectus legis æternæ præter prædictas respectu illius actus ordinandi. Minor patet: quia quidam sunt actus rationalis creaturæ indifferentes; qui nec sunt imperati, nec vetiti, &c. Per legem æternam: eos autem oportet ordinari per eam: ergo, &c. Et sic deficit vnus in prædictâ assignatione.

RESOLVTIO.

Sex scil. præcipere, vetare, consulere, permittere, punire, præmiare.

¶ SOLVT. Dicendum: quod omnes actus æternæ legis respectu rationalis creaturæ comprehenduntur in istis sex: sicut patet, per rationem, quæ dicta est, in qua assignatur numerus eorum.

¶ AD rationem primam, qua obiicitur: quod non sunt nisi tres secundùm Isidor. Dicẽdum quod Isidor. loquitur de lege humana: & non de lege diuina. Lex aũt humana respicit malũ per se, vt ipsum coërceat, bonum verò per accidens. Lex verò æterna econuersò: sc. bonum per se respicit, malum per accidens. Intelligitur ergo illud verbũm Isid. de lege humana, quæ imposita est ad hoc vt malũ coërceat. Vnde dicit ipse Isid. *Factæ sunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia: tutaq; sit inter reprobos innocentia: & in ipsis, formidato supplicio, refrenetur audacia, nocendi facultas.* Ex quo patet, quod Lex humana respicit per se malum, vt ipsum coërceat: & secundùm hoc per se habet prædictos effectus tres, per accidens alios, qui respiciũt bonum. Posuit verò in illâ assignatione actus per se nam cum Lex temporalis respiciat malum; aut respicit ipsum absolutè, aut comparatè. Si absolutè, hoc dupliciter; quia aut vt faciendum, & sic prohibet ipsum: aut vt factum, & sic punit pro ipso. Si in comparatione, vt scil. non fiat peius, hoc modo permittit ipsum: nam permittit illicita, ne fiant grauiora: sicut dicit Isidorus. Isidor.

¶ Ad aliam quæstionem, quæ est de voluntate æterna & lege. Dicendum, quod plures sunt actus legis æternæ quam tres, sicut voluntatis: sed tamen differunt. Licet enim voluntas diuina & lex æterna sint eadem secundum essentiam; differunt tamen secundum rationem intelligentiæ: quia voluntas respicit actum, lex verò ordinem actus: & ideo erit accipere signa voluntatis secundùm differentiam actus: & effectus legis secundùm differentiam ordinis actus. Actus verò dupliciter respicitur à voluntate: quia voluntas respicit actum, aut dum fit, aut dum faciendus est. Si dum fit, aut ille actus est bonus, aut malus: si bonus, sic signum diuinæ voluntatis dicitur impletio, seu operatio: si malus, sic permissio. (Vnde Augustinus: *Omne, quod fit, aut fit voluntate Dei permittente, aut operante.*) Si autẽ respicit actum, vt fiendum: aut respicit ipsum vt absolutè vitandum: aut vt absolutè faciendum: aut in comparatione vitãdum, vel in comparatione faciendum. Primo modo prohibet, secundo præcipit: tertio modo cõsulit: quia consilium nõ solùm est respectu melioris boni faciendi, immò etiam respectu minoris mali vitandi, sicut respectu culpæ venialis. Vnde Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas non eas.*) Sed lex æterna respicit ordinem actus: respicit enim actum vt factum. Aug. in Enchirid. Ecclesiastici 18.

¶ ORDO autem actus est duplex: scilicet ordo retributionis, & ordo executionis. Si respicit ordinem retributionis, sic habet duos effectus, scilicet punire, & præmiare: sed punire est respectu mali, præmiare respectu boni. Si autem respicit ordinem actus in executione: aut ille ordo est absolutus, aut comparatus. Si comparatus: aut respectu boni, aut respectu mali: si respectu boni, sic est consilium: si respectu mali, est permissio. Si absolutus & respectu boni: sic est præceptum: si absolutus & respectu mali: sic est prohibitio.

¶ AD vltimam rationem, qua obijcitur de actibus indifferentibus rationalis creaturæ. Dicendum, quòd ordinationum actuum est per effectũ legis, qui est permissio. Sed permittere est dupliciter, sicut habetur in Decretis dist. 3. *Officium secularium siue ecclesiasticarum legum est præcipere, aut*

necesse est fieri: an prohibere quod malum est fieri: permittere vel licita. vt praemium tribuere: vel quaedam illicita, vt dare libellum repudij ne fiant grauiora: & sic est permissio licitorum & illicitorum, ne grauiora fiant.. Primo ergo modo loquendo de permissione ordinantur per ipsam actus indifferentes: quia si sic coarctaretur lib. arb. quod omnia ei praeciperentur vel prohiberentur; esset ei periculum praeuaricationis: & ideo factum est, quod quidam actus sunt ei in permissione; sicut ea, quae licita sunt: per hoc enim quod talis est permissio, ordinatur ad salutem.

QVAESTIO XXVIII.

De lege naturali.

In quatuor Membra, & decem. Articulos diuisa.

D.Tho.1. q.94. ADIVVANTE diuina gratia: consequenter inquirendum est de legibus deriuatis à lege aeterna ad ordinandam rationalem creaturam. Harum autem quaedam est rationali creaturae indita, vt Lex naturalis: quaedam verò imposita, seu addita: vt Lex Moysi, Lex Euangelij, & Humana. Prior ergo inquisitio erit de lege naturali: consequenter verò de legibus additis: quantum pertinet ad theologicam inquisitionem.

¶ DE lege autem naturali inquisitio est talis. Primò, an sit. Secundò, quid sit. Tertiò, quomodo sit. Quartò, quorum sit.

MEMBRVM I.

An sit Lex naturalis.

CVM autem quaeritur? an sit Lex naturalis. Primò absolutè quaeritur, an talis Lex sit, quae sit rationali creaturae indita. Secundò, dato quod sit, an creata, vel increata sit.

ARTICVLVS I.

An Lex naturalis creaturae rationali indita sit?

Rom. 2. Glossa. AD primum ergo arguitur sic: *Cùm enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Gl. *Et si non habent legem scriptam, habent naturalem tamen, qua quisque intelligit & sibi conscius est, quid bonum & quid malum.* Ex quo patet, quod Lex naturalis est.

Ibidem ad Rom. 2. Glossa. ¶ SECVNDA ratio. ibidem dicitur: *Opus legis scriptum in cordibus suis.* Gloss. *id est, firmiter impressum rationi eorum: dum illa opera laudant, quae Lex iubet; illa damnat, quae Lex prohibet.* Ergo cum hoc sit naturale cuilibet homini, patet quod Lex naturalis est.

Ecclesiastici 14. Glossa. ¶ TERTIA ratio. *Addidit illis disciplinam, & legem vitae.* Gloss. *Naturalem, qua ei dedit bonum, vt subijceretur suo creatori: & bonorum operum in se honorificentiam custodiret.* Ergo Lex naturalis est.

Hier. 31. ¶ QVARTA ratio. Est Lex naturalis in irrationali creatura insensibili, qua dirigitur in finem. Vnde: *Si defecerint leges istae,* scil. solis, & lunae, & stellarum coeli. Ex quo patet, quod sunt leges coeli & terrae. Similiter est Lex innata irrationali creaturae sensibili: secundum quod dicit Isidor. quod Lex naturalis est, quam natura docuit omnia animantia: perfectior autem est creatura rationalis omnibus istis: ergo necesse est ponere, quod habeat legem naturaliter sibi inditam: qua dirigatur & reguletur in suum finem. Ergo Lex naturalis viriliter habet esse.

¶ QVINTA ratio: naturalis creatura est debitrix voluntariè faciendi bonum, & vitandi malum. Si ergo non potest facere bonum, & vitare malum voluntariè, nisi priùs cognouerit: ergo naturaliter habet notionem faciendi bonum & vitandi malum: hanc autem legem naturalem dicimus, per quam hoc cognoscit.

¶ SEXTA ratio. Quoniam sicut anima nata est ad cognoscendum verum: ita nata est ad operandum bonum. Si ergo principia cognoscendi verum, sunt innata naturae cuiuslibet discentis, & principia faciendi bonum. Cùm ergo sit anima debitrix faciendi bonum & fugiendi malum: ergo habet principia innata, per quae reguletur in faciendo bonum & fugiendo malum: de quibus est Lex, quae naturalis dicitur.

¶ SEPTIMA ratio. *Qui habentes oculos non videtis.* Gloss. *Dat intelligere, quod absque praecepto naturaliter debemus intelligere, quae recta sunt.* Ergo habemus legem naturalem ad hoc nobis inditam. Hiere. 5. Glossa.

¶ AD oppositum: Tria sunt principia, Deus, voluntas, & natura. Voluntas est supra naturam: Deus aût supra vtrumque: ergo voluntas est supra naturalia ex conditione sua: ergo & supra omnem legem naturae: ergo nulla est Lex naturę, quae praesit lib. arb. seu voluntati: ergo liberum arbitrium non habet eam: & sicut nec ipsam, ita nec alia: ergo Lex naturalis non est indita, &c. Et ita non est.

¶ SECVNDA ratio. Aug. est. *Lex aeterna est nobis naturaliter impressa:* ergo ipsa habet legem aeternam sibi impressam, qua iudicat omnia interiora: exterius autem habet legem scriptam, qua iudicat exteriora: sicut legem Moysi, & Euangelicam: ergo cum ista duo sufficiant, vanum est ponere aliam legem sibi inditam, quam naturalem dicamus. Maior patet per Aug. qui dicit: *Vt breuiter legis aeternae, quae nobis impressa est, notionem explicem: haec est, qua iustum est, vt omnia sint ordinatissima.* Augúst.

¶ TERTIA ratio. *Deus ab initio constituit hominem: & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata & praecepta sua.* Supposito autem, quod nō adderentur, nihil esset ei peccatum, quod faceret: si ergo liberior esset rationalis creatura, amoto peccato, quam posito; quia posse peccare non est libertatis; & in summa sua libertate creatum est liberū arbitrium: ergo nunquam concreatum est cum illo, nec ei inditum mandatum, nec praeceptum: & ita nec Lex; cum eius sit praecipere: ergo nec habet legem naturalem. Aug. in 1. lib. de libero arbitrio c. 6. Ecclesiastici 15.

¶ QVARTA ratio: liberum arbitrium absolutum est ab omni necessitate: sed Lex naturalis ligat necessitate: ergo absolutum est ab ea. Minor patet per Aug. *Omnis naturae visitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas spiritus vitae, qui creatus est, habet quosdam appetitus determinatos: quos etiam mala voluntas non potest excedere.* Sed Lex, quę non potest excedi à voluntate, est Lex necessitatis: ergo Lex naturalis est Lex necessitatis. August. super Gē. ad literam.

¶ QVINTA ratio. Ex parte sensus non est forma aliqua innata ad hoc, sicut regula, vt natura sensibilis perueniat ad suum finem: ergo nec ex parte naturae intellectualis: cū sit perfectior quam sensibilis. Sed tale quid ponitur esse Lex naturalis sc. vt sit regula naturalis; qua anima cognoscat quid faciendum sit, & quid non: ergo non est in creatura rationali, nec similiter in aliis: ergo non est.

RESOLVTIO.

Naturalem legem rationali creaturae inditam esse, hinc facilè deprehenditur: vt sicut cognitiua principia veri sibi innata habet; ita & motiua regulam habet innatam, per quam in bonum regulatur.

¶ SOLVT. Dicendum, quod Lex naturalis est, sicut dicit Apostolus: & in creatura rationali. Nam sicut cognitiua habet principia veri sibi innata, & notionem illorum; sicut hoc. Omne totum est maius sua parte. Et de quolibet affirmatio vel negatio: ita & motiua regulam habet sibi innatam, per quam regulatur in bonum: hanc autem legem appellamus naturalem.

¶ AD primam rationem in contrarium, qua obijcitur: quod lib. arb. est supra legem naturalem. Dicendū, quòd est Lex naturalis infra liberum arbitrium, & supra liberū arbitrium, & praeter liberum arbitrium, & cum libero arbitrio, & extra liberum arbitrium. Infrà lib. arb. est, secundum quod dicit Dam. quòd quaedam vires sunt, quae recipiunt & obediunt lib. arb. sicut est vis generatiua: quae lib. arb. subijcitur: quia si vult homo, generat: & si non vult, non: vnde est in sua potestate non generare: Lex ergo naturalis, quae regulat motum naturae obedientis siue subiectae lib. arb. scilicet huiusmodi virium, ipsa est. Infrà lib. arb. sicut Lex generationis: & hoc sensu dicitur esse voluntas supra naturam, scilicet subiectam: hoc est, secundum illam partem, qua natura ei subijcitur: & de hac lege naturali dicitur quod ipsa est, quam natura docuit Damasc.

omnia animantia, sicut est Lex generationis. Item, est Lex naturalis præter liberum arbitrium: sicut illa, quæ regulat motum vitium, quæ non obediunt, neque subiiciuntur lib. arb. sicut vult Dam. sicut est vis digestiua, retentiua, & huiusmodi vires naturales: hoc modo Lex naturalis non solùm se extendit ad naturam inferiorem; sed ad omnem naturam habentem appetitum determinatum: secundùm hanc enim est appetitus determinatus in vnoquoque: & secundum hoc est naturalis appetitus felicitatis: & in hoc sensu dicit August. quod sunt leges, secundum quas spiritus vitæ habet appetitus determinatos: quos etiam mala voluntas non potest excedere. Item, est Lex naturalis cum ipso libero arbitrio: hoc modo Lex naturalis est, qua quisque intelligit, & sibi conscius est, quid bonum, & quid malum. Item est Lex naturalis supra liberum arbitrium: & sic Lex naturalis est Lex increata, quę est Lex summæ illius naturæ increatæ: & sic loquitur Gl. super illud: *Tu autem contra naturam insertus es in bonam oliuam*: dicens. *Contra illam summam naturæ legem à notitia remotam, seu impiorum, seu infirmorum: tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* Et hoc modo dicit Aug. *Cum mens humana mutabilitatem pati possit erroris, apparet supra mentem naturam esse legem, quæ veritas dicitur.* Item, est Lex naturalis extra lib. arb. & sic dicitur in Decr. dist. 1. quod Lex naturalis est, quæ in lege & in Euangelio continetur: & hoc est, quia ipsa à lege naturali extrahitur: vt præcepta moralia, & iudicia, & huiusmodi. Sic ergo lib. arb. vno modo habet legem naturalem, quæ sibi concreata est tanquam regula: quæ tamen supra ipsum est, inquantum est regula ipsius.

Idem.

August. super Gē.

Ad Rom. 11. Glossa.

Aug. in li. de vera religione.

Decretal. dist. 1.

¶ Ad secundum dicendum, quod cum dicitur. Lex æterna nobis naturaliter impressa est, hoc est notio eius: sicut patet ex verbis August. Notio autem illa legis æternæ impressa animæ, nihil aliud est, quã ipsa Lex naturalis in anima: quæ quidem est similitudo & imago ipsius diuinæ legis, & diuinæ bonitatis in anima. Vnde Lex naturalis est notio legis æternæ impressa animæ: sicut imago, quæ est in sigillo imprimens est: imago autem, quæ est in cera, est impressa: & est similitudo & imago illius, quæ est in sigillo. Ita est hic, quia Lex æterna est imprimens: Lex naturalis est impressa animæ.

¶ Ad tertiam, quã obiicitur: quod lib. arb. esset liberius, si esset absolutum à lege & à mandatis. Dicendum qđ non: Lex enim naturalis non detrahit libertati eius: sed est regula libertatis suæ. Ansel. autem dicit, quod libertas non est dicenda ad id, quod non expedit, nec quod non decet. Ponatur autem quod non esset Lex vel mandatum inditum animæ, adhuc indecens esset, quod anima se subiiceret vilibus & inferioribus: sicut peccato & sensualitati. Regulatur autem per legem sibi inditam: quod ita non subiicitur: & ideo Lex gubernat & dirigit eius libertatem.

Anselm.

¶ Ad quartam dicendum: quod est quidam appetitus rationalis creaturæ determinatus: sicut qui est ex parte finis, scilicet appetitus beatitudinis, & odium miseriæ: Lex ergo naturalis regulans istum appetitum est Lex necessitatis. Est etiam appetitus ipsius non determinatus, scil. arbitrium, quod potest appetere vel non appetere, potest mouere vel non mouere: & huiusmodi appetitus & actuum talium lib. arb. regula est Lex naturalis; quæ non est Lex necessitatis: quæ etiam rectè dicitur Lex naturalis, eo quod cum ipsa natura nobis indita est.

¶ Ad quintam rationem dicendum: quod non est simile de sensu & intellectu: quoniam finis sensibilis naturæ (finis dico intentionis) non determinatur supra ipsam; sed in se: vnde ipsa est sibi finis. Sed rationalis natura habet finem determinatum supra se ipsam; quemadmodum suum principium (finem dico, quem habet de sua intentione) illũ.n. non habet nec in se, nec de se, sicut sensibilis. Vnde: *Fecit Deus hominem ad imaginem suam: & iterum conuertit illum in ipsum.* Vnde quod est ei principium, est ei finis: & ita supra se habet finem: quod enim est ad imaginem, nunquam terminatur ad se; sed ad illud, cuius est imago: & ideo necesse est, quod habeat aliquid sibi impressum tanquam regulam perueniendi ad finem. Illud autem appellamus naturalem legem regulantem ipsum in operatione boni.

Ecclesiastici 17.

ARTICVLVS II.

An Lex naturalis creata vel increata sit?

SECVNDÒ quæritur? Vtrùm Lex naturalis sit creata, vel increata. Ad quod sic: Lex naturalis est, secundùm quã animæ rationales de istis inferioribus rectè iudicant. Sed Lex æterna est huiusmodi: ergo Lex naturalis est Lex æterna: ergo increata. Maior patet per Aug. *Lex æterna est prima veritas, & Lex omnium artium, & Lex omnipotentis artificis: vt enim nos & omnes rationales animæ secundum veritatem de inferioribus rectè iudicamus: sic de nobis quando eidem inhæremus sola veritas iudicat*: & hanc veritatem appellat legem æternam: & sic per eam rectè iudicamus de inferioribus.

Aug in li. de vera religione.

¶ SECVNDA ratio. Aug. *Menti nostræ concessum est, videre legem talem.* Sed hoc non visione corporali, istud planum est: similiter nec imaginaria: ergo visione intellectuali. Sed dicit Aug. quod visione intellectuali videntur res, quæ videntur re, non similitudine: seu quæ non videntur imagine, sed reipsa: ergo non est similitudo aliqua vel imago legis æternæ in immò Lex anima, ipsa æterna est in anima. Sed Lex naturalis creata est imago illius: ergo ipsa non est in anima: ergo si est aliqua Lex in anima, hęc est solum Lex naturalis increata.

Aug in li. de vera religione. Idem.

¶ Ad oppositum: Lex naturalis obscuratur, & obtenebratur per peccatum: sicut habetur, in Gloss. Rom. 2. Sed Lex increata non: ergo Lex naturalis non est increata.

¶ SECVNDA ratio. *Addidit ei disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos.* Gloss. *Vel legem literæ ad correctionem legis naturalis scribi voluit.* Lex ergo naturalis est corrigibilis: sed Lex increata, non; quoniam in lege æterna seu increata non cadit mutabilitas: ergo Lex naturalis non est increata, sed creata.

Ecclesiastici 17. Glossa.

RESOLVTIO.

Et increata, & concreata: vt regula exemplaris prima increata: vt regula secunda concreata.

¶ SOLVT. Dicendum, quod Lex naturalis vno modo dicitur regula exemplaris prima: & sic ipsa est prima veritas: & sic Lex naturalis idem est, quod Lex æterna & increata. Alio modo dicitur Lex naturalis secunda: quæ est exemplum, indita animæ ad cognoscendum, quid faciendum, & quid non; & hoc modo creata est & concreata animæ: & de hac procedit quæstio: & sic patet, quod ipsa est creata.

¶ Ad primam rationē in contrarium dicendum: quod cum dicitur, secundum legem æternam rectè iudicamus de istis inferioribus: hic notatur causa formalis exemplaris. Cùm autem dicitur, secundum legem naturalem iudicamus de inferioribus: hic notatur causa formalis exemplata: & ita differenter dicitur de ipsis illud.

¶ Ad secundam dicendum: quod cum dicitur, quod illud, quod videtur visione intellectuali, videtur re ipsa, & nō similitudine. Hoc verum est de visione intellectuali, quæ est tertium cœlum. Nam triplex est visio: Vna corporalis, quæ fit per sensum: alia autem imaginatiua, quæ fit in somnis: tertia intellectualis. Et est hæc triplex, secundū tres cœlos: nam est visio intellectualis, quæ fit per similitudinem abstractã à sensu; & hæc visio intellectualis corporalis dicitur suo modo: alia est visio intellectualis, quæ dicitur imaginaria; quæ scil. fit per similitudinem abstractam ab imaginatione: tertia est, quã cognoscit anima rem non per similitudinem abstractam à sensu vel imaginatione: sed quã cognoscit rem vt est: & hoc est tertium cœlum. Et de hac dicitur Paulus esse raptus vsq; ad tertium cœlum: & hæc fuit visio per reuelationem. 2. Cor. 12.

¶ De hac aũt visione vera est illa autoritas Aug. nō de aliis. Nisi distinguatur duplex similitudo, sc. corporalis & spiritualis. Quæ ergo vidētur visione hac, nō vidētur similitudine corporali, sed spirituali: Vidētur quædã hac visione.

Nam

Nam quædam videt anima hac visione, quæ no videt, nec similitudine corporali, nec spirituali: sicut quando videt se, & suas affectiones, & actiones, & suam iustitiam. Quædam autem videt hac visione per similitudinem spiritualem, sicut Angelum: & sicut cognoscit iustitiam alterius. Et propter hoc ista propositio indefinitè dicitur: quòd quę videntur visione intellectuali, videntur re, & non similitudine: vt intelligatur de illis, quæ videt anima per se, & per præsentiam, seu per reuelationem. Verum est tamen simpliciter, quòd non videntur similitudine corporali aliqua hac visione: sed tamen quædam sic, similitudine spirituali: & sic lex æterna in anima videtur per visionem intellectualem.

MEMBRVM II.

Quid sit lex naturalis?

CONSEQVENTER quæritur, quid sit lex naturalis: Et quæruntur tria: Primò, quid sit in genere, an potentia, vel passio, vel habitus. Secundò, supposito quòd sit habitus: an sit habitus cognitiuus, vel motiuus. Tertiò, supposito quod motiuus: an sit idem quod conscientia & synteresis.

ARTICVLVS I.

An lex naturalis potentia, vel passio, vel habitus sit?

Philosop

AD primum sic dicit Philosophus: *Omne, quod est in anima, aut est potentia, aut passio, aut habitus*. Sed lex naturalis existens in anima, non est potentia, quoniam potentia est indeterminata, & ad opposita. Item non est passio: cùm passio (vt dicit Damascenus) sit motus ex alio in aliud, lex non: ergo ipsa est habitus.

Damasc.

Philos. in Prædicamen. c. de Qualitate. & in Postprædicam. c. de Oppositis.

¶ SECVNDA ratio, vt dicit Philosophus: *Habitus est dispositio difficilè mobilis*: sed lex naturalis est in anima vt dispositio difficilè mobilis: ergo ipsa est habitus.

August.

¶ AD oppositum. Augustinus dicit, quòd habitus est, quo aliquid agitur, cùm opus est: sed lex naturalis non est huiusmodi, ergo nō est ipsa habitus. Minor patet, quoniā in paruulis non habitat lex naturalis ad agendum; nec per eam posset agi in eis. Similiter nec in damnatis potest agi aliquid lege naturali, & tamen est in eis.

¶ CVM autem à quibusdam dicatur, quòd lex naturalis actus sit rationis, & habitus voluntatis. Quæritur, an illud sit verum. Et ostenditur primò, quod non sit actus rationis: quia nullus actus rationis est innatus; immò ratio, cùm innascitur, sopita est quantum ad suum actum. Cùm igitur lex naturalis sit innata ei, cuius est: patet quod non potest esse actus rationis.

Ex 1 Phy. 27. & 30.

¶ SECVNDA ratio: sicut videmus, quòd nihil, quod sit accidens alicuius, potest esse substantia alterius: ita est in alijs generibus distinctio; quòd nihil, quod sit qualitas alicuius, potest esse actio alterius. Si ergo lex naturalis est habitus voluntatis, & ita qualitas: ergo non est actus rationis.

Philos 2. de anima 2.

¶ SI dicatur secūdùm Philosophum, quòd duplex est actus, scilicet primus, vt scientia: & secundus, vt considerare. Primus est actus in habitu: secūdus in effectu. Verum est ergo, quòd lex naturalis non est actus rationis in effectu, sed est eius actus in habitu. Contra, primus enim actus idem est quod habitus, sicut patet de scientia: esset igitur lex naturalis habitus rationis, sicut voluntatis: & ita non magis vnius, quàm alterius.

¶ SECVNDA ratio: in libero arbitrio sunt tria, secundùm quæ in ipso intelligitur imago Trinitatis, scil. facultas, ratio, voluntas: secundùm autem facultatem intelligimus imaginem summæ potentiæ; secundùm rationem imaginem sapientiæ; secundùm voluntatem imaginem bonitatis.

¶ VIRTVS autem habitus est voluntatis: ars autem, cùm sit idem, quod scientia; habitus est rationis sicut scientia (licet differant in hoc, quod scientia dicitur absolutè; ars in comparatione ad opus,) lex autem naturalis habitus est facultatis: ergo non ipsius voluntatis. Quod sit habitus facultatis, patet: quia lex dicitur, quia ligat & arctat. Sed non propriè dicitur arctari ratio seu iudicium: immò iudicium est de bono & malo. Similiter arctatio non est ipsius voluntatis: ergo solùm dicitur arctatio in libero arbitrio respectu facultatis. Lex ergo per se est habitus facultatis, non voluntatis, nec rationis.

RESOLVTIO.

Lex naturalis habitus est facultatis per se & principaliter: si quorum autem aliorum, non nisi per consequens.

¶ SOLVTIO. Quidam posuerunt, quòd lex naturalis actus sit rationis, & habitus voluntatis. Et confirmant opinionem suam ex hoc, quod dicitur in Gloss. ad Roman. 2. quòd lex naturalis est, qua quisque intelligit, & sibi conscius est, quid bonum, & quid malum. Cùm enim intelligere sit actus rationis, ex hoc quod dicitur: qua quisque intelligit, dicunt quod ipsa est actus rationis. Ex hoc verò quod dicitur; & sibi conscius est, quia conscium importat habitum, dicunt quod est habitus voluntatis. Et quod dicitur actus rationis, intelligitur actus, id est quædam operatio, secundùm quod dicit Ioannes Damascenus, quòd operatio est vniuscuiusque substantiæ innatus motus, sicut lucere in sole: lucere enim est actus innatus substantiæ solis: illuminare autem ex operatione in alio. Sic lux naturalis est quoddam lucere in ratione: est autem in voluntate sicut quędam habilitas ad benè operandum: & intelligitur actus sicut lucere, non sicut illuminare in sole.

Glos. ad Rom. 2.

Damasc.

¶ DICENDVM tamen, quòd aduertēdo illud, quod dicitur in Gloss. illa Rom. 2. hoc dicitur de lege naturali, quantum ad effectum consequentem, & nō quantum ad effectum principalem, & primum scilicet, quòd *lex naturalis est, qua quisque intelligit, &c.* Et propter hoc dicimus, q̄d per se & principaliter lex naturalis est habitus ipsius facultatis: si autem aliorum, hoc est per consequens. Libertas enim primò & per se non dicitur esse in voluntate, nec in ratione; sed in facultate: quia ipsi debetur auctoritas & possibilitas: & à parte eius est flexibilitas. Et ideo lex naturalis, cùm se teneat à parte auctoritatis seu * potestatis, & ita à parte flexibilitatis seu auctoritatis; dicitur esse primò & per se in facultate, tanquam regula facultatis. Nam sicut grauitas seu ponderositas in grauibus regulat totum motum grauis, & diceretur esse lex ipsius motus: ita lex naturalis regulat motum rationalis creaturæ principaliter in eo, quod faciendum est. Et ideo à parte eius, cuius primò est libertas & imperium, se tenet, & est flexibilitas ad opus.

Glos. ad Rom. 2.

* al. possibilitatis.

¶ VTRVM autem debeat dici habitus facultatis? Dicendum, quòd duplex est intentio habitus: vna secūdùm quod dicitur habitus dispositio difficilè mobilis: & sic ipsa est habitus. Alia est intentio habitus, secundùm quam dicitur denominare habentem, sicut scientia scientem. Et secundùm hanc viam non intelligimus ipsam legem naturalem posse dici habitum: quia secundùm ipsam non est denominatio habentis.

¶ AD primam rationem soluendam: eo quod videtur posse ostēdere, quod sit habitus secundùm quamlibet intentionem. Est dicendum, quòd illa propositio Philosophi intelligenda est secundùm illam viam, qua fiunt res in anima, & est motus rerum ad animam: Quia cùm fiunt res in anima per abstractionem, est ponere aliquid in quo fiunt, & sic ponitur potentia: & iterum res illa infert passionem & immutationē ei, in quo fit; & sic est passio: item habilitat ipsam potentiam; & sic est habitus. Hoc autem modo non est lex naturalis in anima, sicut res illæ: & ideo non habet hic locum illa propositio: nec etiam quādo est motus; immò multa sunt in anima sicut* etiam suæ actiones, quæ non sunt aliquod prædictorum.

* al. &.

ARTICVLVS II.

An lex naturalis cognitiua, vel motiua habitus sit?

HIC consequenter quæritur: Vtrùm lex naturalis sit habitus cognitiuus, vel motiuus. Ad quod sic Rom.

Rom. 3. 3. *Per legem fit cognitio peccati*. Effectus ergo legis per se est cognitio,(& dicitur hoc de lege scripta) ergo cùm in intentione legis conueniant lex scripta, & lex naturalis: ipsa lex naturalis est habitus cognitiuus, cùm eius effectus sit cognitio; sicut & scriptæ.

Glossa ad Rom. 2. ¶ SECVNDA ratio. Gloss. Rom. 2. *Lex naturalis est, qua quisque intelligit, &c.* ergo eius effectus est intelligere: ergo eius habitus est cognitiuus.

Rom. 2. Glossa. ¶ TERTIA ratio, Rom. 2. *Opus legis scriptum*. Gloss. *id est firmiter infixũ rationi*. Sed habitus infixus rationi est cognitiuus: ergo, &c.

¶ AD oppositum. Nullus habitus cognitiuus ligat arbitrium ad faciendum, vel non faciendum; quia cognitio non ligat: sed lex dicitur, eo quòd liget ad faciendum, vel non: ergo ipsa est habitus motiuus vel operatiuus, & non cognitiuus.

RESOLVTIO.

Vtriusque & cognitiui scilicet, & motiui naturam participat.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd cùm liberum arbitrium sit facultas voluntatis & rationis: patet quòd in intentione liberi arbitrij concurrunt tria, facultas, ratio, & voluntas: ad quæ comparatur lex naturalis. Et secundùm illas operationes habet triplicem actum. Primus est ligare, quem habet per comparationem ad facultatem: & hoc est, quia facultas de se habet liberam inflexionem: & ideo comparatione illius est ligare. Secundus autem actus eius est, quem habet comparatione ad rationem: & hoc secundùm intentionem, qua lex dicitur, eo quòd in ea legatur, Isidor. 4. Etymol. sicut dicit Isidorus, lex à legendo dicitur. Tertius eius actus est, instigare, seu monere ad bonum faciendum, & malum vitandum: quem habet comparatione ad volun- Idem ibidem. tatem, secundùm quod dicit Isidorus: Ius naturale commune omnium est: eo quòd vbique ex instinctu naturæ, non aliqua constitutione habetur. Dicitur ergo lex naturalis respectu facultatis, sicut ligans & arctans: respectu autem rationis sicut illuminans rationem: respectu verò voluntatis sicut ad bonum instigans. Et sic participat naturam vtriusq; habitus, scilicet & cognitiui & motiui: & secundùm diuersos eius actus procedunt rationes.

ARTICVLVS III.

An lex naturalis idem sit, quod conscientia & synteresis?

POSTEA quæritur: vtrùm lex naturalis sit idem, quod conscientia & synteresis? Et primò quæritur de conscientia. Conscientia autem distinguitur duobus modis: Vno modo conscientia dicitur opinio de agendis & vitãdis, id est opinio de eo, quod debet vitari vel fieri: & de 1. Cor. 8. hac 1. Corint. 8. *Quidam autem cum conscientia Idoli vsq; nunc quasi Idolaticum manducant: & conscientia eorum cùm sit infirma, polluitur.* Alio modo dicitur conscientia (sicut Basilius Basilius. dicit) secundùm quod est quoddam iudicatorium naturale, Rom. 2. *Testimonium reddente illis cõscientia eorum.* Quæ- Rom. 2. ritur ergo, vtrùm conscientia hoc secundo modo dicta idem sit, quod lex naturalis.

Damasc. ¶ AD quod sic. Damasc. *Conscientia est lex intellectus nostri opposita peccato.* Sed lex naturalis est huiusmodi: ergo idem sunt.

Gloss. super Ro. 2. ¶ SECVNDA ratio, Rom. 2. Gloss. *Naturalis lex est qua quisq; intelligit, & sibi conscius est, quid bonum, & quid malum.* Sed conscientia est huiusmodi, ergo, &c.

¶ AD oppositum: conscientiæ est errare: legis naturalis nullo modo est errare: ergo ipsa non est conscientia.

¶ SECVNDA ratio: conscientia respicit intellectum; quia dicit scientiam: lex verò magis affectum: ergo non sunt idem.

¶ TERTIA ratio: Conscientia non est eadem apud omnes: lex naturalis est eadem apud omnes: ergo non idem sunt.

¶ POST hoc quæritur: vtrùm idem sit quod synteresis? Ad quod sic: synderesis consistit circa dictamen operandorum in generali (dictat enim in ratione generali, & non in ratione propria ea, quæ facienda sunt) sed tamen est lex naturalis: idem igitur est effectus essentialis ipsarum, ergo sunt idem.

¶ SECVNDA ratio: synderesis habet instinctum quò ad bonum: similiter (sicut dicit Isidorus.) lex naturalis ad bonum instigat: ergo habent eundem effectum essentialem, ergo, &c.

¶ AD oppositum. Hieron. super Ezechiel. vbi loquitur de illis faciebus, dicit: quòd per tres facies inferiores Hierony. super Ezechiel. significantur tres vires, scilicet concupiscibilis, irascibilis, rationalis: quarta autem est (supple) quam Græci synteresim vocant. Synderesis ergo est potentia animæ: ergo lex Συντήρησιν. naturalis non est potentia animæ, sed magis habitus potentiæ, ergo ipsa non est synderesis.

¶ SECVNDA ratio: Lex naturalis dirigit potentiam, ergo non est potentia, ergo nec synderesis.

¶ ITEM, cùm lex naturalis dicatur regula, & conscientia regula, & synteresis regula; quæritur, quæ sit differentia.

RESOLVTIO.

Lex naturalis conuenit quodammodò cum conscientia ac synteresi: sed neutra earum est.

¶ SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd lex naturalis non est conscientia, nec synderesis: licèt extendendo conueniant in hoc, quod est, regulare: differunt tamen, quoniam lex propriè est regula facultatis, & primò & per se: mediante autem conscientia est regula rationis; quoniam conscientia ex lege formatur: mediante verò synderesi, quæ est scintilla conscientiæ; est regula ipsius voluntatis. Lex enim primo modo arctando facultatem, dictat in faciente, quid faciendum, & quid non: quoniam in faciente est flexibilitas ad bonum vel malum. Lex autem dictat ei bonum faciendum, & malum vitandum, post hoc sequitur iudicium in ratione, & sic formatur conscientia: vlteriùs facto iudicio, quod sic debet esse, deinde sequitur synderesis, quæ est scintilla conscientiæ, quæ stimulat voluntatem ad bonum faciendum. Et ideo lex per se regulat facultatem: mediante autem conscientia; hoc est secundùm quod ratio accipit iudicium legis, regulat rationem, (Legis enim ratio est in ipsa) & tunc formatur conscientia: mediante verò scintilla conscientiæ, id est synderesi, regulat voluntatem. Et sic differunt specialiter in hoc, quod est, regulare: quia conscientia est propriè regula in ratione: synteresis in voluntate, instigando ipsam, & stimulando ad bonum.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur: quòd conscientia est lex intellectus nostri, &c. Dicendum est, quòd conscientia dupliciter accipitur, scilicet materialiter, vel formaliter. Conscientia formaliter est acceptio debitæ scientiæ legis cum debito faciendi, vel vitandi: & hoc modo conscientia non est lex, sed formatur à lege, quia est ipsum iudicium rationis cõcipientis legem. Si accipiatur materialiter, sic conscientia est ipsum conscitum: mediante quo anima regulatur, & dirigit in operatione boni: & hoc modo conscientia est lex intellectus.

¶ AD secundam rationem dicendum, quòd Gloss. illa loquitur quantum ad effectum legis: non enim vult dicere, quòd lex sit conscientia, sed quod facit cõscientiam, sine est causa conscientiæ, ex qua formatur. Cùm enim ratio legis sit in regula facultatis, quæ est lex; intelligit ibi debitum faciendi bonum, & vitandi malum: & tunc sibi conscientia est.

¶ AD id quod obijcitur de synderesi: dicendum, quòd lex propriè dictat vt regula: synteresis propriè dictat vt natura: & hoc est, quia stimulat ad bonum tantùm.

¶ AD secundam rationem dicendum, quòd lex propriè mouet secundùm instinctum, sicut vult Isidor. cõscientia verò mouet secundùm iudicium: synderesis autem secundùm appetitum naturalem veri boni. Vel (sicut dictum est) quòd instinctus legis refertur ad voluntatem, consci-

conſcientiæ ad rationem, ſyndereſis autem ad voluntate. Ex his colligitur, quòd lex naturalis eſt indita regula facultatis faciendorum cum directione rationis, & inſtinctu voluntatis.

MEMBRVM III.

De qualitate legis naturalis.

VISO, quòd ſit lex naturalis, & quid ſit. Conſequenter inquirendum eſt, quomodo ſit. Et primò quæritur, quomodo ſit quantum ad eſſentiam: vtrùm ſcilicet ſit delebilis, aut non. Secundò quantum ad mandata: vtrùm ſit mutabilis, aut non.

ARTICVLVS I.

An lex naturalis delebilis vel indelebilis ſit?

Rom. 2. Gloſſa. AD primum ſic obijcitur Rom. 2. *Cùm gentes, &c.* Glo. *non quod per natura nomen* (vt dictum eſt) *negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata ſit natura: qua gratia interiori homine innouato lex iuſtitia ſcribitur, quam deleuerat culpa* (& vocat hic naturā, legem naturalem.) Ipſa ergo deleta eſt per culpam, ergo eſt delebilis.

Malac. 2. Gloſſa. ¶ SECVNDA ratio: Malach. 2. *Cuſtodite ſpiritum veſtrū: & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.* Gloſ. *Vxorem, id eſt naturalem legem in corde ſcriptam: quæ etiam incredulos compellit dicere, Deus iudicet; Deus videat: & ipſi cuncta inter me & te dijudicanda permitto.* Hæc vxor reſiduum eſt ſpiritus noſtri: quia noſtro ſpiritui ſemper copulatur, q̃ ſi recedit à nobis, ſtatim offendimus Deum: Ipſa ergo recedit, & ita delebilis eſt ab anima.

¶ TERTIA ratio, quòd poteſt in id, quod maius eſt; poteſt in id, quod minus eſt. Si ergo culpa poteſt delere legem gratiæ, quæ plus eſt, quàm lex naturæ: ergo poteſt delere legem naturæ, & ita delebilis eſt.

Aug. lib. 2. cōfeſſ. ¶ AD oppoſitum Auguſt. *Furtum Domine punit lex tua, & lex ſcripta in cordibus hominum: quam nec vlla quidem deleuit iniquitas: quis enim fur æquo animo alium patitur furem?* Ex quo patet, quod non eſt delebilis: quoniam ſi delebilis eſſet, hoc eſſet propter iniquitatem aliquam.

RESOLVTIO.

Tum delebilis, tum indelebilis: delebilis quantum ad effectum, indelebilis quantum ad eſſentiam.

SOLVTIO. Dicendum, quòd aliquid dicitur deleri dupliciter, vel quantum ad eſſentiam, vel quantum ad effectum: ſicut patet in eclipſi ſolis. Lux enim ſolis ibi non deficit quantum ad eſſentiam, ſed quantum ad effectum, quem habet in nobis, qui eſt illuminare: lucet autem ſemper in ſe. Eodem modo eſt in hac parte: quia lex naturalis, quæ eſt ſicut ſol in anima, quantum ad eſſentiam nunquā deletur ab ea, ſed ſemper ibi lucet in ſe: deletur tamen aliquādo quantum ad effectum, ſcil. quia non ſemper ipſam animā illuminat: ſicut cùm anima auertitur à Deo, & obtenebratur per peccatum. Vnde tenebra peccati interpoſita inter animam & Deum, prohibet iſtum effectum legis. Vnde Rom. 2. *Cùm gentes, &c.* Gloſſa. *Non ergo vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea lineamenta remanſerint: non omnino deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearetur, ingreſſum eſt.* Vnde ſemper manet ſcriptura legis naturalis in anima: nam per imaginem impreſſa eſt ipſa lex, & propter hoc ſi deletur quantum ad lectionem propter terrenum affectum, non tamen quantum ad eſſentiam. Et ex hoc poteſt haberi ratio ex Gloſs. prædicta Malachiæ 2. quia dicit ibi: quòd lex naturalis ſemper ſpiritui noſtro copulatur: ergo nō eſt delebilis ab eo. Et hoc intelligendum eſt, quantum ad eſſentiam legis naturalis.

Rom. 2. Gloſſa. Gloſſa. Malac. 2.

¶ AD primam ergo rationem, quæ oſtendit, quòd ſimpliciter ſit delebilis. Dicendum, quòd eſt ſcriptio legis quantum ad eſſentiam: & eſt ſcriptio legis quantum ad manifeſtationem. Quod ergo dicitur, quòd lex iuſtitiæ naturalis inſcribitur: hoc non eſt quantum ad eſſentiam, ſeu quantum ad manifeſtationem: vt ſcilicet luceat, quod obtenebratum erat per peccatum.

¶ AD ſecundum dicendum: quòd lex naturalis dicitur recedere quantum ad officium vel effectū: non tamen quantum ad eſſentiam. Sicut dicitur dominus receſſiſſe: quando non habet imperium in domo.

¶ AD tertium dicendum, quod non ſequitur, quòd ſi gratia poteſt deleri, quod maius eſt; quod poſſit deleri id, quod minus eſt: quia non ſequitur, gratia delet peccatum mortale, quod maius eſt; ergo delet peccatum veniale, quod minus eſt. Similiter non ſequitur: Culpa delet legem gratiæ, quæ maior eſt: ergo & legem naturæ, quæ minor eſt. Culpa enim naturaliter opponitur legi gratiæ, & non legi naturæ: & ideo ipſam delet, & non iſtā: niſi quantum ad effectum. Et iterum licet lex gratiæ plus ſit quantum ad virtutem, quàm lex naturæ; non tamen quantum ad diuturnitatem in ſubiecto: quia naturaliter eſt indita animæ illa ratio: & ita non eſt delebilis per culpam, ſicut illa.

ARTICVLVS II.

An lex naturalis mutabilis ſit quantum ad præcepta iuris naturalis?

SECVNDÒ quæritur de modo eſſendi legem naturalem quantum ad mandatum. Et quæritur: Vtrùm ſit mutabilis quantum ad præcepta iuris naturalis? Ad quod ſic: in Decretis habetur diſtinct. 6. Quod naturale ius ab exordio rationalis creaturæ incipiens, manet immobile, &c. per hoc volens aſſignare differentiam eius ad legem ſcriptam: ergo ius naturale quantum ad ſua præcepta immobile eſt.

¶ SECVNDA ratio: in eodem, diſtin. 5. *Naturale ius capit ab exordio rationalis creaturæ: nam nec variatur tempore, ſed immutabile manet.*

¶ TERTIA ratio: Lex poſita ab aliquo, manente voluntate poſitoris, & illo cui impoſita eſt, ſemper dicitur manere. Ergo cùm maneat voluntas ponētis legem naturalem: & maneat rationalis creatura cui impoſita eſt: & ipſa lex naturalis manet immutabilis.

¶ AD oppoſitum. Iſidorus: *Ius naturale commune eſt omni nationi: hoc iure communis eſt omnis poſſeſſio, & omnium vna libertas.* Si ergo ſanctio iſta mutata eſt, ita vt meo iure ſit aliquid proprium; patet quòd mutabilis eſt lex naturę quantum ad ſuas ſanctiones, & mandata. Iſidor. li. 5. Etymolog. c. 4.

¶ SECVNDA ratio Hierem. 3. *Sed quomodo ſi contemnat mulier.* Gloſs. *Videns eam ſeruire libidini ſuæ: & in ſe mutatam legem naturæ, per quam quondam viro ſuo ſubiecta fuerat.* Si mutata eſt lex naturæ, ergo eſt mutabilis. Ierem. 3 Gloſſa.

¶ TERTIA ratio, Eccleſ. 17. *Addidit eis diſciplinam & legem vitæ.* Gloſs. *Legem literæ quantum ad correctionem legis naturalis ſcribi voluit.* Lex ergo naturalis corrigibilis eſt: ergo & mutabilis: quia omne corrigibile mutabile eſt. Eccleſ. 17 Gloſſa.

¶ QVARTA ratio: Tempore Lamech qui primus habuit plures vxores, fuit peccatum habere plures vxores: vnde dicit Gloſ. ibi, quod contra legem & naturam adulterium commiſit. Poſt verò non fuit illud peccatum, vnde Iacob plures habuit vxores ſine peccato: vnde dicit Auguſtinus, quòd peccatum non erat, quando mos erat, & hoc ſecundùm ius naturale: ergo præcepta iuris naturalis mutata ſunt. Gloſſa. Auguſt.

¶ ITEM, in Decretis diſtinct. 8. Differt ius naturale à conſuetudine, nam iure naturali omnia ſunt communia omnibus: iure verò conſuetudinis, & conſtitutionis, hoc meum eſt, illud verò alterius. Si primum mutatum eſt: ergo, &c.

¶ SEXTA ratio. In Decretis diſtin. 1. Ius naturale eſt, quod in lege, & in Euangelio continetur. Si ergo in lege continentur multa iura mutabilia: ius naturale eſt mutabile.

(*,*)

RESO-

RESOLVTIO.

Naturalis lex immutabilis quidem est quò ad rationem praeceptorum: mutabilis autem quò ad obseruantiam eorundem.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd opinio quorundam est, quòd in lege naturali quædam sunt sicut præcepta & prohibitiones: vt fac alijs, quę tibi vis fieri: & non facias alijs, quod tibi non vis fieri. Quædam autem sicut demonstrationes, vt omnia esse communia omnibus. Et differt demonstratio legis naturalis à præceptis: sicut consilium à præceptis: vnde demonstratio ibi accipitur loco consilij. Dicunt ergo, quòd quantum ad præcepta & prohibitiones immutabilis est lex naturalis: sed quantum ad demõstrationes est mutabilis: quia demonstrationes non sunt præcepta, nec prohibitiones legis naturalis: sed solum demonstrationes, ad quas anima non tenetur, sicut nec ad consilium, nisi tempore necessitatis.

Augus. in lib. cõfes. ¶ Aliter autem est dicẽdum secundùm beatum Augustinum, quòd sicut videmus, quod medicina est ars immutabilis; tamen medicus aliquando mutat pręcepta languentibus: & tamen ratio artis præcepti in se est immutabilis: nec venit mutatio ista ex parte artis, sed ex parte alia, scil. eius, cui ministratur ex arte. Ita lex naturalis immutabilis est quantum ad rationem suorum præceptorum & sanctionum: non tamen quantum ad obseruantiam omnium sanctionum, sicut medicina.

¶ Ad primam ergo rationem, quæ ostendit, quod sit mutabilis in se: dicendum, quòd iure naturali essent omnia communia, & omnium vna libertas, hoc fuit ante peccatum, & post peccatum quædam sunt quibusdã propria: & hæc duo sunt per legem naturalem. Sicut enim ars medicinę dictat vinum esse sanum, & eadem ars negat vinum ægro, ita eadem lex naturalis dicit, quòd sanæ naturæ omnia sunt communia, & quod ita debet esse: & tamen eandem dabit naturæ ægræ proprietatem, nec mutatur propter hoc quantum ad rationem sanctionis: immò eadem ratio, quæ dictat omnia esse communia in natura benè instituta; dictat aliqua esse propria in natura destituta per peccatum. Et sic solùm est mutatio quantum ad obseruãtiam sanctionum & effectuum: & non quantum ad rationes ipsorum.

¶ Ad secundam rationem dicendum, quòd non intẽdit dicere Glos. illam legem mutari simpliciter, sed solùm in vxore illa quantum ad effectum, quem habet in illa: & hoc propter interpositionẽ culpę inter animam & Deum; sicut sol dicitur mutari in nobis, vel quò ad nos: quando non habet effectum in nobis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd correctio quædam ponit vitium, quædam verò supplementum. Non dicitur ergo lex naturalis correcta per legem literæ, quantum ad aliquod vitium; quia hæc correctio ponit mutabilitatem: sed solùm quantum ad supplementum: & hoc non ponit mutabilitatem. Lex enim naturalis dictabat in generali, sicut patet, cùm dicit: Non facias alijs, &c. sub hac enim generalitate comprehenduntur multa particularia: vt, nõ occidas, non falsum testimonium dices, &c. Lex autem literæ explicat ista particularia: vnde scripta est ad correctionem supplementi, & non vitij.

¶ Ad quartam de bigamo: Dicendum, quòd si effectus mutatur, non tamen ratio legis. Lex enim naturalis respicit illum, cui fit: & ex hoc venit mutatio ista, quia communia fiunt propria. Item respicit ipsum Deum, cuius autoritate fertur: & secundùm hoc dictat in mandato inferioris semper: quòd ipse, qui supra legem est, scilicet Deus, possit mutare, scilicet legem: vnde nunquam autoritas superioris excipitur. Et propter hoc nunquam dictauit lex naturalis, quòd solùm esset vna vnius: quin exciperetur ab hoc dictamine superioris authoritas. Quod ergo Iacob plures habuit, hoc fuit autoritate & voluntate Dei: & ideo non fuit contra dictamen legis.

¶ Ex dictis patet solutio quintæ rationis.

Gratian. in decretis. ¶ Ad sextam rationem respondet Gratianus, dicens: quòd in lege quædam sunt moralia, quædam autem mystica: moralia, quantum ad literam, ad ius naturale reducũtur. Quod ergo dicitur, quòd in lege mutatio est facta: hoc est verum quantum ad cęrimonialia, & non quantum ad moralia, quantum ad literam: nec quantum ad mystica, hoc est quantum ad sensum spiritualem.

MEMBRVM IV.

Quorum sit lex naturalis.

QVæsitvm est de lege naturali, si est, & quid est, & quomodo est. Consequenter inquirendum est de ipsa, quorum est. Primum de differenti assignatione eorũ, quæ ponuntur esse legis naturalis. Secundũ est, an habeat præcepta ordinantia rationalem creaturã ad Deum. Tertium est, per quæ in lege naturali ordinatur homo rationalis ad proximum rationalem.

ARTICVLVS I.

De differenti assignatione eorum, quæ ponuntur esse iuris naturalis: tum de comparatione eius ad Ius positiuum?

AD primum duo quæruntur: vt magis pateat, quorum est lex naturalis. Primum est de differenti assignatione eorum, quæ ponuntur esse iuris naturalis à diuersis. Secundum est de comparatione iuris naturalis ad positiuum.

An Augustinus, Hugo, Isidorus, Tullius, Iurisq; periti rectè assignarint, quæ iuris naturalis esse dicuntur?

¶ Qvantvm Ad Primvm: sic proceditur secundùm Augustinum, & Hugon. de S. Victore. assignantur duo præcepta iuris naturalis: vnum affirmatiuum, & aliud negatiuum. Negatiuum: Non facias alijs, quod tibi non vis fieri. Affirmatiuum: Fac alijs, quod tibi vis fieri. Et sumitur secundùm hoc quod dicitur Matth. 7. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Habemus ergo, quòd ius naturale secundùm istos assignatur quantum ad ad duo præcepta. — Augus. & Hugo de S. Victor. — Matth. 7.

¶ Vlterivs secundùm Isidorum habetur, quòd ius naturale est commune omnium nationum: vt viri & fœminæ coniunctio, liberorum successio & educatio, cõmunis omnium possessio; & omnium vna libertas: acquisitio omnium, quæ cœlo, & terra, marique capiuntur, depositæ rei, vel * commẽdatæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. In hac assignatione plura ponuntur, quàm in assignatione Augustini & Hugonis, & tamen nõ potest fieri reductio istorum ad illa: quia Isidorus assignat ea, quæ debẽt esse iuris naturalis; secundùm quod ipsum ius naturale ordinat naturam vniuersalem, quæ est species, & naturam singularem. Quod patet; quoniam ad ordinem naturæ vniuersalis pertinet hoc quod dicit, *maris & fœminæ coniunctio, & liberorum educatio, & successio*; ad ordinationem autem singularis pertinent alia, quæ ponuntur in illa assignatione. Sed prædicta duo præcepta solùm pertinent ad ordinem vnius naturæ singularis ad aliam naturam singularem: & hoc dupliciter, scilicet secundùm innocentiam, & secundùm beneficentiam: ergo vna istarum assignationum est superflua; vel alia diminuta. — Isidor. 5. Etymologiarum, c. 4. & 19. — * al. commodatæ. — Isidor. — Idem.

¶ Item, Tullius aliter assignat ius naturale, dicens: *Ius naturæ est, quod non opinio, sed quædam innata vis inseruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.* Si ergo ius naturæ consistit in his differẽtijs; per differentias autem hic assignatas non solùm est ordinatio creaturæ rationalis ad proximum; immò etiam ad Deum: quia religio ad Deum ordinat, sicut patet per eius diffinitionem; *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinã vocant, curam cærimoniamq; affert*: secundùm autem prædictam assignationẽ Isidori non est ordo per legem ad Deũ: ergo adhuc videtur assignatio Isidori insufficiens. Propter hoc breuiter quæritur de differẽtia istarum omnium assignationum inter se. — Tullius in fine Rhetoricæ.

RESO-

RESOLVTIO.

Iuxta multiplicem acceptionem iuris naturalis simul omnes rectè ea enumerarunt.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd lex naturalis est principium ad omne ius morale, secundum quod vita hominis debeat ordinari. Est autem ius naturale triplex, scilicet natiuum, humanum, diuinum. Ius natiuum dicitur communiter; quia est illud debitum, quod innascitur, & est cómune non solùm ratione naturæ singularis, sed etiam ratione salutis speciei: & secundùm hoc ius naturæ se extendit ad omnia animantia: sicut dicit Isid. quòd *lex naturæ est, quod natura docuit omnia animantia*. Ius autem humanum solùm respicit ordinationem naturæ singularis: vnde hoc modo appellatur ius humanum, secundùm quod dicitur ius gentium: *quia* (sicut habetur ff. de iustitia & iure.) *ius gẽtium est, quo gentes humanæ vtuntur*: sed hoc solùm pertinet ad rationalem creaturam. Ius autem diuinum dicitur, quo ordinatur rationalis creatura ad gratiam: & secúdùm hoc moralia legis Moysi emanant à lege naturali.

Isidor.

¶ SECVNDVM ergo quod lex naturalis respicit ius naturæ primo modo, est assignatio ipsius ab Isidoro: quia ius naturale primo modo aut ordinat naturam ratione speciei: aut ratione singularis. Si ratione speciei, secundùm hoc sumuntur istæ sanctiones: *maris & fœminæ coniunctio, liberorum educatio, & successio*. Si ordinat naturam ratione singularis: sic sunt quædam sanctiones eius respectu naturæ institutæ, quædam autem respectu status naturæ lapsæ: respectu quidem naturæ benè institutæ sunt duæ, scilicet *communis omnium possessio, & omnium vna libertas*: sed vna est respectu rerum, scilicet ista, *communis omnium possessio*: alia autem est respectu personarum, scilicet, *omnium vna libertas*: respectu autem status naturæ lapsæ habet alias sanctiones: cùm enim natura lapsa fuit, tunc cecidit in defectum & passionem, seu passibilitatem, scilicet quod poterat pati persona: defectus autem ille fuit defectus respectu rerum: & secundùm hoc sunt duæ sanctiones, scilicet acquisitio, & restitutio: sed differunt, quoniam vna est in acquirendo proprium, hęc scilicet, *acquisitio omnium, quæ cælo, terra, mariq; capiuntur*: quę quidem nullius sunt dominij; vnde respectu talium est hæc acquisitio: alia autem est in restituendo alienum, vnde est respectu eorum, quæ sunt proximi: & secundùm hoc sumitur hæc sanctio, *depositæ rei, vel * commendatæ restitutio*: respectu autem passibilitatis personæ sumitur alia sanctio, quæ est *violentiæ per vim repulsio*: illud enim est ad remouendum passionem illatam in personam.

Isidor. — * al. commodatæ.

¶ SECVNDVM autem quod lex naturalis respicit ius humanum, sumitur assignatio Tullij: quia hoc modo solùm pertinet ad ordinationem naturæ singularis. In hac autem assignatione nihil dicitur respectu naturæ speciei. Natura autem singularis per ius humanum dupliciter ordinatur, scilicet ad Deum, & ad proximum. Ad Deum autem ordinatur per religionem: quia religio est (vt ipse dicit) quæ superioris cuiusdam naturæ (quam diuinam vocant) cultum cærimoniamque affert. Si autem ordinetur quantum ad proximum, tripliciter attenditur ille ordo: aut quantum ad vim rationalem, aut irascibilem, aut concupiscibilem. Si quãtum ad rationalem: hoc modo ius naturale dictat veritatem: & hæc est veritas assertoria, vel pmissoria: ex qua nascũtur pacta vel promissa: vnde definitur hæc veritas à Tullio: *Veritas est, per quã immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur*. Si autem attenditur ordo naturæ quantum ad irascibilem, sic ordinatur per obseruantiam & vindicationem: & hæc obseruantia quædam reuerentia est. Sed differenter: quoniam ad vim irascibilẽ pertinet reuerentia, cùm scil. humiliatur: & vindicatio, scil. cùm audet: & sic debitum humilitatis est reuerentia seu obseruantia, quod idem est: vnde definit obseruantiam, dicens: *Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignantur*. Vindicatio aũt sumitur secundũ quod audet, scil. insurgendo ad iniuriam: vnde definit eam, dicens: *Vindicatio est per quam vis & iniuria*

Cicero. — Tullius — Idem. — Idem.

& omnino id quod sibi obfuturum est, defendendo, aut vlciscẽdo propulsatur. Si autem ordinetur natura quantum ad concupiscibilem, sic ordinatur per gratiam & pietatem. Sed differenter, quoniam ipsa concupiscibilis ordinatur per naturam, vel mouetur ad propinquum cognatione, vel patriam, item ordinatur ad beneficium. Primo modo ordinatur p pietatem: vnde Pietas est, per quam sanguine coniunctis, patriæque beneuolis * officium & diligens tribuitur cultus. Secundo autem modo ordinatur per gratiam, q̃ gratia est, quã dicitur homo gratus: vnde dicit, quòd gratia est, * qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur. Secundùm autem quod ordinatur lex naturalis ad ius diuinum, sic ordinat ad gratiam: & sic loquitur de lege naturali.

* al. effectus. — * al. in qua.

¶ ALITER verò distinguunt Iurisperiti, secundùm qđ respicit ius humanum: ordinat autem nos ad gratiam dupliciter: vel ordinãdo nos ad Deum, vel ad proximum. Si ad Deum, sic sanctio eius est subiectio creaturæ rationalis suo creatori: vnde Eccles. 17. *Addidit illis disciplinam, &c.* dicit Gloss. *Disciplinam naturalem, quam dedit homini, vt subijceretur suo creatori*. Si autem ordinet nos ad proximum, hoc est dupliciter: aut secundùm innocentiam, & sic sanctio eius est: *Non facias alijs, &c.* Tob. 4. aut secundùm beneficentiam: & sic sumitur alia sanctio, seu aliud mandatum, scil. *Quodcunque vultis, vt faciant vobis homines, &c.* Matth. 7. Et secundùm hanc rationem determinãtur legalia Moysis, secundùm aliam leges positiuæ. Ex his patet differentia assignationum legis naturalis.

Eccle. 17. — Glossa. — Tob. 4. — Matth. 7.

An quidquam liceat secundùm ius naturale, quod non liceat secundùm ius positiuum, & econuersò. §. 2.

¶ SECVNDÒ quæritur de comparatione legis naturalis ad ius positiuum. Et quæritur: vtrùm aliquid sit licitum secundùm ius naturale, quod non sit licitum secundùm ius positiuum, & econuersò?

¶ AD quod sic: Isidorus appellat fas ius naturale: ius autem appropriat iuri positiuo, dicit ergo sic: Transire per alienum agrum fas est, quia est licitum (fas enim est, quod est licitum,) sed non est ius, scilicet ius positiuum, immò vitium est in iure positiuo: ergo ius positiuum facit illicitum, quod est licitum secundùm ius naturæ: ergo sanctiones eorum sunt contrariæ.

Isidor.

¶ SECVNDA ratio, aliqua sunt illicita secúdùm ius naturale: sicut quæ sunt contraria sanctionibus legis naturalis; vt aliqua esse propria & non communia: istud tamẽ licitum est secúdùm ius positiuum. Item secundùm ius naturale non est licitum aliquem dominari alij, & aliquẽ esse seruum alterius: tamẽ secundùm ius positiuum istud est licitum, scil. seruitus & dominium. Ergo ius positiuum de illicito iure naturali facit licitum: ergo mutat sanctiones eius, & supra ipsum est: hoc autem est falsum; ergo nó potest mutare sanctiones eius, nec de illicito facere licitum, & econuersò. Propter hoc quæritur, quæ sunt illa licita vel illicita in iure naturali, quæ potest mutare ius positiuum?

¶ ITEM, reperitur ius naturale, & mos, & honestas: quæritur ergo differentia horum. Quia obijcitur: ius naturale est regula omnis iuris consequentis: ergo omne, quod est ius fieri, habebit regulam in lege naturali: ergo quod fit secundùm honestatem, & secundùm morem, habet regulam in lege naturali. Maior patet: quoniam lex naturalis est à prima iustitia, & ideo regula iuris sequentis.

RESOLVTIO.

Et quidem quod ex concessione est: sed minimè quod ex præceptione, aut prohibitione.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd lex naturalis quædam sancit, & dictat vt debita: quædam vt vtilia, quædam vt expedientia in alijs. Quæ dictat vt debita, non potest ius positiuum de licito facere illicitum, vel econuersò: quia non habet aliquid in illis. Vnde Hugo dicit:

Hugo in lib. de sacramentis.

Quod

Quòd in lege naturali tria sunt; præceptio, prohibitio, & concessio. Præceptum ergo & prohibitum in lege naturali, hic dicimus debitum fieri, vel non fieri. Quæ ergo sic præcepta vel prohibita dictat vt debita, in his nihil potest mutare ius positiuum, faciendo de non præcepto præceptum, & de non prohibito prohibitum; quin peccet. Vnde in duobus intelligitur debitum. *Quod tibi non vis fieri, &c. Quacunque vultis, &c.* (Matth. 7.) In tertio autem, scilicet in concessione intelligitur vtile & expediens. Sunt enim quædam in dictatione eius in ratione vtilis, vt quod confert ad finem: & hoc modo dictat in natura bene instituta omnia esse communia, vel libertatem, &c. hæc enim in natura benè instituta conferrēt ad finem. Quædam autem dictat vt expedientia: & sic dictat post peccatū aliquod esse proprium: quia aliter accideret incommodum propter concupiscentiam hominum in societate humana: similiter dictat seruitutem & subiectionem: quia irruerent homines, nisi haberent quid coërceret eos: & tamen eadem est regula vel ratio, secundùm quam dictat in ratione vtilis in natura benè instituta, omnia esse communia: & secundùm quam dictat in ratione expedientis in natura lapsa, aliqua esse propria. Vnde Augustinus ponit exemplum de medico: qui secundùm eandem rationem vel artem qua dictat vinum esse bonum sano, dictat ipsum esse malum ægro. (August.)

¶ Qvod ergo obijcitur: quòd transire per agrum alienum, licitum est secundùm ius naturale, &c. Dicendum, quòd hoc non est de præcepto vel prohibitione iuris naturalis, immò de concessione, & ideo non procedit. Similiter dicendum ad alia.

¶ Ad vltimvm de differentia illorum trium. Dicendum, quòd ius propriè respicit debitum: vnde iustum propriè respicit debitum fieri, vel non fieri. Honestum verò non respicit debitum: sed dignum, vel decens fieri, vel non fieri: vnde propriè honestum respicit approbandum simpliciter. Mos autem vlteriùs respicit approbandum ex causa, vel ex circunstantia: & non approbandum simpliciter, sicut honestum. Vnde quòd vna sit vnius, istud honestum est: quòd autem vna diuidat carnem suam, istud indecens est simpliciter: quòd autem tempore Abrahæ plures essent vnius, istud non fuit simpliciter approbandum; sed ex causa & circunstantia: quia diuino instinctu hoc faciebant, & propter multiplicationem prolis. Ex hoc accidit, quòd mutatur mos: honestum autem semper manet: quia quod est approbandum simpliciter, nunquam mutatur: sed mos respicit approbandum ex causa, vel ex circunstantia. Ex causa sicut aliquando habere plures, causa fuit multiplicatio fidelium ad cultum Dei; quia tunc abundabat idololatria: approbandum etiam fuit ex circunstantia, quia fuit hoc ex dispensatione diuina. Vnde Lamech arguitur ab Augustino, quòd habuit plures contra naturam, & contra mores: quia non fuit causa; (Idem.) quia non fecit hoc causa multiplicationis prolis; sed causa libidinis: & sic contra naturam, quia natura intendit siue respicit multiplicationem prolis: similiter non fuit circunstantia, seu dispensatio diuina: similiter fecit contra morem; quia tunc non erat consuetudo habere plures: mos autem respicit approbandum ex consuetudine ob causam, & tunc non fuit causa, nec consuetudo.

ARTICVLVS II.

Si lex naturalis habeat præcepta ordinatiua ad Deum?

Consequenter quæritur de lege naturali specialiter: an habeat præcepta ordinatiua ad Deum? Et quæruntur tria. Primum est, vtrùm contineat mandatum ordinans ad Deum? Secundò, vtrùm habeat, vnde ordinetur per fidem ad Deum? Tertiò, vtrùm habeat, vnde ordinetur etiam per charitatem in Deum.

An in lege naturali mandatum præceptum vt sit, quo homo ordinetur ad Deum? §. 1.

¶ Qvantvm ad primvm sic. Eccles. 17. *Addidit illis disciplinam, &c.* Glos. *Disciplinam & legem naturalem, quam dedit homini, vt subijceretur suo creatori & bonorum operū in se honorificentiam custodiret.* (Eccle. 17. Glossa.) Ergo in lege naturali est, quod homo subijciatur suo creatori, & quod ad ipsum ordinetur per obedientiam.

¶ Secvnda ratio: Tullius in fine Rhetoricæ dicit, quòd *ius naturale est, quod non opinio genuit: sed quædam innata vis inseruit, vt religionem, pietatem, &c.* Et dicit, *quod religio est, superioris cuiusdam naturæ (quam diuinam vocat) quæ cultum cærimoniamq; affert.* (Tull. in fine Rhetoricæ.) Religio ergo consistit in cultu diuinæ naturę, si ergo religio est pars iuris naturalis, ergo ius naturale ordinat ad Deum, & ad cultum eius.

¶ Ad oppositum Hugo: *In lege naturali tantùm duo præcepta fuerunt, scilicet: Quod tibi non vis fieri, alij non facias.* Tob. 4: &; *Quecunque vultis, vt faciant vobis, &c.* Matth. 7. (Hugo de S. Victor. Tob. 4. & Matth. 7.) Sed per hęc præcepta ordinatur solùm rationalis creatura ad proximū & non ad Deum: ergo aut insufficienter diuidit Hugo, aut lex non ordinat ad Deum.

¶ Secvnda ratio, Rom. 7. *Cùm gentes, &c.* Gloss. *Lex naturalis est, iniuriam nemini inferre, nec alienum præripere, à fraude & periurio abstinere, & huiusmodi:* & (vt breuiter dicatur) nolle alij facere, quod tibi non vis fieri: quod Euāgelicæ concordat doctrinæ, Matth. 7. (Rom. 2. Glossa. Matth. 7.) Ex quo patet, quod pcepta legis naturalis reducuntur ad istud: *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, &c.* (Ibidem.) Si ergo illud ordinat ad proximum, & non ad Deum: patet, quòd non habet lex naturalis præcepta ordinantia ad Deum.

RESOLVTIO.

Et quidem, in eo quid homo ad imaginem & similitudinem Dei est.

¶ Solvtio. Dicendum, secundùm quod habetur Rom. 2. *Cùm gentes, &c.* (Rom. 2.) ibi dicit Gloss. quòd ex hoc quod homo est ad imaginem & similitudinem Dei; habet legem, qua intelligit, & sibi conscius est, quid bonum, & quid malum. In eo enim quod homo est ad imaginem, habet cognitionem primæ veritatis, quæ Deus est: quia, secundùm Augustinum, imago attenditur in potentia cognoscendi. (August.) Ex hoc verò quod est ad similitudinem, est in potentia & debito diligendi summam bonitatem; quia similitudo attenditur in potentia diligendi, vt dicit Aug. (Idem.) & propter hoc in lege est, quòd per ipsam ordinetur homo ad Deum, & ita ad proximum.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendum: quòd in illis mādatis intelligitur ordo hominis ad Deum. Nam sicut in dilectione & mandatis de dilectione proximi intelligitur dilectio sui: quod patet, cùm dicit: *Non furtum facies. &c.* istud reducitur ad istud mandatum: *Non facias alij. &c.* & istud ad illud: *Fac alij quod tibi vis fieri*, id est fac alij bonum, quod tibi vis fieri bonum: (Tob. 4. & Matth. 7.) hic enim intelligitur dilectio sui. Sic ex parte ista est resoluere mandata legis naturalis ad dilectionem sui, resoluendo ipsam, & in ipsa intelligitur: hoc autem, *Quæcunque vultis, &c.* resoluitur ad dilectionem sui, sicut visum est: (Ibidem.) & sic mandatum de dilectione sui est illud, in quo fundantur mandata iuris naturalis. Sed in hoc quod est, diligere se; prout homo diligit se ordinatè & ad finem bonum; intelligitur dilectio Dei, & dilectio proximi: si enim diligo me, & meum esse, diligo per naturam principium mei esse, & conseruationis eius, hoc autem est Deus: & sic in hoc naturaliter fundatur dilectio Dei.

¶ Item, vnumquodque per naturam diligit sibi simile in specie; quia natura appetit suum simile: & sic in hoc intelligitur dilectio proximi: diligendo enim me, diligo naturaliter meam speciem, & mihi similem in specie. Alio tamen modo dicitur dilectio sui fundamentum ciuitatis diaboli, scilicet prout nō est ordinata ad finem debitum: sed sic nō loquimur hic de ipsa. Et sic præcepta naturæ inquantum naturæ sunt, fundantur supra illud, diligere se. Et sic patet; quomodo ordinant ad Deum, & ad proximū: quia in dilectione sui, intelligitur dilectio Dei & proximi: & ex hoc sequitur, fac alijs quod tibi vis fieri. Lex autem gratiæ eleuat naturam: quia ponit omnium fundamenta dilectionem Dei. Et sic patet responsio

An lex naturalis dictet fidem vnius Dei, Trinitatis, Redemptoris, & huiusmodi?

¶ CONSEQVENTER quæritur: si in lege naturali est, quod per ipsam ordinetur rationalis creatura per fidem ad Deum: scil. Vtrum lex naturalis dictet fidem vnius Dei, & Redemptoris, & Trinitatis, & huiusmodi. Ad quod sic. in Deut. 6. Deuter. dicitur. *Audi Israel, Deus tuus vnus est*: hoc est præceptum de fide vnius Dei: & post ibi sequitur aliud mandatum de dilectione Dei, cùm dicit. *Diliges Dominum Deum* Ibidem. *tuum ex toto corde tuo*, &c. Si ergò secundùm mandatum, quod est de dilectione Dei, est in lege naturali; quia lex & ratio naturalis dictat cuilibet hoc: ergò & fides de vno Deo similiter est ibi scripta: ergò est de lege naturali.

¶ SIMILITER ostenditur, quod fides Redemptoris siue Ioan 4. Redemptionis nostræ sit de lege naturali. *Da mihi bibere.* Glossa. Gloss. *Petit à natura potum rationis, in qua conditor & Redemptor inuestigatur.* Sed non petit à natura, nisi quod debet, & potest natura. Cùm ergò petat, quod inuestiget conditorem & Redemptorem: ergò nobis dictat fidem Redemptoris.

¶ Si dicatur quod implicitè: & non specialiter, vel explicitè. Si ergò fides implicita nostræ redemptionis est in lege naturali; quia lex naturalis dictat, quod post lapsum humana natura debeat reparari. Si ergò hæc fides implicata habeat omnia credenda de nostra redemptione: ergò lex naturalis nobis dictat omnia, quæ ad Redemptionem pertinent: ergò nobis dictat nostrum Redemptorem, seu illum, per quem debet fieri Redemptio.

¶ TERTIA ratio est quasi confirmatio præcedentis ra- Hugo. tionis: quoniam dicit Hugo. *Omnes, qui futuram redemptionem crediderunt, in quo fieret, crediderunt.* Ergò in fide redemptionis est implicitum, in quo fiat redemptio: sed lex naturalis dictat, quod redimendum est genus humanum post lapsum; ergò dictat, in quo fiat redemptio.

¶ QVARTA ratio, qua ostenditur, quod fides incarnationis seu humanitatis Christi sit ibi: & ita modus redemptionis implicitè: supposita hac propositione, quod ratio naturalis animaduertit, quod tota beatitudo rationalis creaturæ sit in Deo, & non in alio. Sed beatitudo rationalis creaturæ consistit in contemplatione & delectatione bonitatis diuinæ: creatura aut rationalis duplicem habet contemplationem, scilicet intellectiuam, & sensitiuam: ergò ad hoc quod tota in Deo beatificetur, oportet quod vtramque habeat delectationem in Deo. Sed delectationem nec contemplationem sensitiuam potest habere in Deo quantum ad diuinitatem, sed solum quantum ad intellectiuam: ergò ad hoc quod totus homo beatificatur, oportet vt vniatur Deus alicui creaturæ sensibili: ita quod sit Deus illa creatura, & econuersò. Si ergò lex naturalis vel rationalis ei dictat vtramque delectationem & contemplationem, propter integram beatitudinem: ergò ex dictatione naturalis rationis est fides diuinitatis & humanitatis, vel creaturæ sensibilis ei vnitæ, vt beatificetur secundùm intellectum & sensum.

¶ QVINTA ratio: duplex est notio in animo, innata & acquisita. Innata est ex hoc, quod anima est ad imaginem & imitationem primæ veritatis. Acquisita verò est experimento, & sensu, & disciplina; ex eo, scilicet, quod anima est similitudo veritatis creatæ: vnde anima noscit hoc modo per rerum similitudines: si ergò veritas innata est vniuersalis ad omnes; veritas autem acquisita non: ergò vniuersalior est notio innata quam acquisita. Si ergò notio acquisita, quæ est per sensum & disciplinam, ducit ad fidé Incarnationis, & Passionis, & Resurrectionis, Ascensionis; & omnium eorum, quæ credenda sunt: ergò multomagis notio innata ducit ad omnia ista. Sed hoc est secundùm legem naturalem: ergò secundùm legem naturalem habemus fidem Incarnationis, & Redemptionis, & huiusmodi. Quòd autem notio per sensum & disciplinam ducat ad perdictam fidem, patet: nam fides est ex auditu: & sic notio per sensum ducit ad fidem. Sed dicit August: August. 22. de ciu Dei. ca. 5 *Tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt: incredibile est, Christum Resurrexisse in carne, & in cælum ascendisse cum carne: incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse: & incredibile est, homines ignobiles infirmos, paucissimos imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum volunt isti, cum quibus agimus, credere: secundũ coguntur & cernere; quod nõ inueniũt, vnde sit factum, si non credunt tertium*, Si ergò experimento habetur, quod mundus credidit rem tam incredibilem: & ita tantum incredibile factum est credibile: ergò cognitio per sensum & experientiam ducit in fidem Passionis, & Ascẽsionis, & huiusmodi.

¶ AD oppositum: *Quod notum est Dei, manifestum est illis.* Rom 1. Gloss. *Multa sunt, quæ de Deo per naturam sciri non possunt: vt de* Glossa. *mysterio Incarnationis, & Redemptionis.* Ergò lex naturalis nõ dictat fidem istorum.

¶ POST hoc quæritur, vtrum fides Trinitatis sit de dictatione legis naturalis. Ad quod sic: *Inuisibilia Dei per ea,* Rom. 1. *quæ facta sunt*, &c. Glos. *Per inuisibilia intelligatur Pater per vir-* Glossa. *tutem Filius, per diuinitatem Spiritus sanctus.* Sed Philosophi naturaliter cognouerunt sempiternam virtutem & Deitatem: ergò per naturalem legem potuerũt similiter cognoscere Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ergò & habere fidem Trinitatis naturalis.

¶ Si autem dicas, quod cognouerunt per appropriata, scilicet potentiam, sapientiam, & voluntatem: non per propria, hoc est, secundùm distinctionem personarum. Tunc obiicitur. Augustin. dicit, quod Magi cognouerunt August. in gl. Ordin. Ro. 1. & Exo. 7. Τὸ ἀγα-θὸν, καὶ νοῦν. duas personas *togaton & noym*: hoc est Patrem & genitum: in tertio signo defecerunt; quia in cognitione tertiæ personæ per proprietatem non peruenerunt. Nunquid cognouerunt duas personas per propria, vel solùm per appropriata? Si per appropriata solùm: ergò non defecerunt in tertio signo: quia etiam appropriatum Spiritus sancti naturaliter cognouerunt, scilic. bonitatem: ergò cùm dicat, quod in tertio signo defecerunt; constat quod cognouerunt duas personas, adminus per propria: hoc est secundùm distinctionem personarum: ergò habuerunt cognitionem de duabus personis, scilicet dé Patre & Filio.

¶ POSTEA quæritur incidenter cùm sit fides de Deo, quod sit Creator vnus, & quod fuit Incarnatus, & quod sit trinus & vnus: vtrum si eadem fides: Quod non videtur: quia ratio naturalis attingit fidem huius, quod Deus sit & quod Deus sit vnus: sed ad fidem Incarnationis & Redemptionis non attingit natura, immò ad illam eleuat gratia, prima ergò est à principio naturæ, hæc autem est à principio gratiæ, ergò est alia fides & alia.

¶ ITEM, secunda fides est eorum, quæ excedunt naturam: prima autem non. Vnde Rom. 1. *Quod notum est Dei.* Rom. 1. Gloss. *ignotum Dei est ratio substantiæ vel naturæ; quæ omnem latet creaturam.* Similiter & mysterium liberationis humanæ: ergò alia est & alia prima fides & secunda.

¶ ITEM, natura secundùm potentiam & secundùm actum attingit seu peruenit ad hoc quod Deus sit: & quod sit omnipotens, & vnus Creator. Quod autem Incarnatus sit; attingit quantum ad potentiam, & non quantum ad actum. Quod enim possit se vnire, & quod possit incarnari dictat natura, sed non quod sit secundùm actum: quod verò sit Deus trinus & vnus; ad illud non peruenit natura, nec quantum ad potentiam, nec quantum ad actum: quia non dictat, quod sit sic, nec quod possit: hic enim gradus est eleuatissimus: vnde hic eleuatur natura supra id, quod est de actu & potentia. Primæ ergò fides colligitur ex natura secundùm actum & potentiam: secunda ex natura secundùm potentiam solùm: tertia nec secundùm actum, nec secundùm potentiam colligitur ex natura. Ergò non est eadem fides prima cum secunda: nec tertia cum prima & secunda: & ita alia fide creditur Deus esse, & esse omnipotens Creator, & esse Incarnatus, & trinus & vnus.

RESOLVTIO.

Lex naturalis dictat quidem Articulos fidei nostræ in vniuersali & implicitè non autem in particulari & explicitè.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod fides dicitur dupliciter. Est enim fides, quæ colligitur ex rationibus: & est fides, qua homo assentit veritati propter se ex gratia, & non propter rationem: Et hæc secunda fides non est naturæ, seu ex natura, immò principium eius est gratia. Prima ergò fides est naturæ: assentit enim natura benè veritati propter rationem, vel propter testimonium: vnde istud assentire est in lege naturali: & ista fides collecta ex rationibus vel testimonijs, non est virtus. Item intelligendum, quod est fides implicita, & explicita. Et dicit Hugo: *quod fides nunquam minus habere potuit, quam credere vnum Deum, omnium Dominum, rectorem vniuersorum, collatorem omnium bonorum, & eorum, qui in malis sunt, & eum quærunt, & exspectant Redemptorem.* Vnde Dicendum: quod in ratione particulari non potest legi fides articulorum in lege naturali, sed in ratione vniuersali. Lex ergò naturalis habet vnde possit dictare animę omnia necessaria ad salutem in vniuersali, & implicitè: faciendo credere, & assentire testimonio rationis. (Hugo.)

¶ AD secundam rationem, quæ obijcitur: quod non dictet fidem redemptionis. Dicendum, quod immò implicitè, sicut dictum est.

¶ ET quod obijcit, quod multa sunt, quæ per naturam de Deo scire non possunt. Dicendum, quod facienda est vis in hoc quod dicit, *mysterium incarnationis & liberationis.* Ante enim determinationem factam Abrahæ erat fides conditoris & redemptoris: vnde Augustinus dicit, quod nullus potuit saluari sine fide mediatoris: non tamen erat explicita: sed post fuit magis explicita Abrahæ: cum dixit ei Deus. *In semine tuo benedicentur,* &c. fuit hic explicitus modus, sed non plenè quia nesciebatur adhuc, an ab homine puro, qui esset de semine Abrahæ fieret redemptio: an ab homine, qui esset Deus, qui esset de semine Abrahę. Sed istud postea fuit expressum, scilicet quando aduenit lex & legales hostiæ, quæ passionē Christi determinabant & figurabant: maximè fuit hoc expressum tempore Isaiæ, qui dixit. *Ecce Virgo concipiet & pariet.* &c. Quantum ad articulum descensus ad inferos videtur indeterminata fuisse fides tempore Ioan. Baptistæ: qui legitur misisse discipulos ad quærendū. *Tu es, qui venturus es,* &c. Ad mysterium ergò non potest lex naturalis, vt dictet, quod sic; vel sic debet fieri redemptio: quia non potest dictare modum redemptionis: licet per rationem dictet redemptionem. Ad modum ergò redemptionis, & non ad redemptionē vniuersalem pertinet illud, quod dicitur, *mysterium incarnationis,* & cæt. (August. — Gen. 22. — Isa. 7. — Math. 11.)

¶ AD aliud quod quæritur de fide Trinitatis. Responsum est in Primo Lib. Quæstio. 2. de Cognitione Dei, in partem negatiuam. Tamen in partem affirmatiuam potest dici secundùm Richard. quod ad omnia, quæ necesse est esse, non desint rationes necessariæ. Vnde credendum, quod habet anima naturales rationes ad cognoscēdum sibi necessaria ad salutem: tamen adiuta per gratiam magis cognoscit. Ratio enim obtenebrata non potest illas producere, nisi adiuta per gratiam: & sic habet fidem, quæ assentit veritati isti; quod est Deus vnus & trinus, per rationem aliquam ex lege naturali. (Richard. de S. Vict.)

¶ AD aliud ergò, quod obiicitur ibi. Dicendum, quod Philosophi non habuerunt cognitionem naturalem de Trinitate per propria: habuerunt tamen vniuersalem naturalem, qua possent peruenire ad generantem, genitum, & procedentem: non tamen habuerunt, quod assentirent veritati propter se sine gratia. Vel dicendum, quod cognouerunt per appropriata: & dicuntur defecisse in tertio signo, non quantum ad simplicem cognitionem bonitatis: sed quantum ad moralem, quia hanc non habuerunt.

¶ AD vltimum dicendum: quod est alia fides, qua creditur per rationem naturalem Deum esse vnum: & qua Incarnatum, trinum, per rationem & testimonium: & fides, qua creduntur assentiendo veritati propter se: quia vna est acquisita per rationem, alia est infusa per gratiam. Credere tamen Deum vnum Incarnatū trinum, assentiendo veritati propter se, istud est de lege gratiæ, & sic non est alia & alia fides: quæ ista creduntur de Deo, eo modo quo credere est assentire veritati primæ propter se: licet enim articuli quidam magis remoti sint ab vniuersali cognitione: quidam minus: non tamen est alia & alia fides qua illis assentitur propter ipsam veritatem.

¶ ITEM, lex naturalis non venit ad fidem Incarnationis nisi in vniuersali; vt visum est: licet ad hoc Deum esse vnum magis in speciali veniat: quia non est ita remotum à ratione naturali, sicut istud, Deum esse Incarnatum, & esse trinum. Ex his patet responsio.

An diligere Deum supra se, & supra omnia expressè sit de lege naturali.

¶ POSTEA quæritur, si lex naturalis dictet nobis, quod diligamus Deum super omnia. Ad quod sic, *Addidit illis disciplinam,* &c. Gloss. *Hæc naturalis lex & literalis insinuat; vt Deum toto corde, tota anima, tota virtute diligamus: & mandata eius in Dei & proximi dilectione custodiamus.* Ergò in lege naturali possumus legere charitatem, & Deum esse diligendum super omnia: quia hoc est diligere toto corde. (Eccl. 17. Glossa.)

¶ SECVNDA ratio: vnusquisque per naturam super omnia diligit suum esse: sed diligendo suum esse, diligit principium sui esse per naturam: sed dilectio, qua diligit principium sui esse, æqualis est illi, qua diligit se, vel maior etiam: si ergò principium optimum esse humanæ creaturæ est Deus; ergò diligit ipsum super omnia per naturam: cùm non differat hæc dilectio ab illa, qua diligit se.

¶ TERTIA ratio: diligere est velle alij bonum: sed ex lege naturali diligo Deum: ergò ex lege naturali volo ei suum bonum. Ergò cum suum bonum sit summum, volo ei per naturā summum bonum: sed diligendo me non volo mihi summum bonum; quia meum bonum non est summum: ergò per naturam maius bonum volo Deo quā mihi: ergò ex lege naturali habeo, quod diligam Deum super me, & super omnia alia.

¶ AD oppositum. Impossibile est, quod intelligens intelligat aliquid plus se, per naturam: sed dilectio non extendit se vltra intelligentiam: quia non diligitur bonum, nisi cognitum: ergò impossibile est, quod aliquid diligat aliud plus se per naturam; ergò ex lege naturali non potest creatura rationalis Deum diligere ex charitate: hoc est supra se & supra omnia. Maior patet, quia quædam res intelliguntur per suas similitudines in anima: quædam autem per seipsas entes apud animam: sicut res, quæ per præsentiam sunt in anima: & hoc modo anima se intelligit, & suam iustitiam, & suas affectiones: quia sibi præsens est: & illa similiter. Si ergò hęc cognitio maior est, quam illa, quę est per similitudines; cùm nulla res sit præsentior animæ seipsa, impossibile est, quod plus cognoscat aliquid aliud, quam se: nec etiam Deum: cùm non sit ei ita præsens, sicut ipsa sibi: quia intelligit ipsum per similitudines & per speculum in ænigmate.

¶ SECVNDA ratio: ad hoc quod intellectus intelligat Deum sicut est; oportet quod spoliet se sua forma: quia dato quod vtatur se; iam adhuc videt Deum similitudine, & ita non sicut est: ergò oportet quod exeat extra se, vel supra se, ad hoc quod ipsum intelligat affectus plus se, oportet quod extra se exeat: si ergò non potest per naturam exire extra se, nec legere supra se: ergò nec per naturam Deum supra se diligere: & ita non ex charitate per naturam potest ipsum diligere.

RESOLVTIO.

Et quidem, tanquam in insinuante & in signante, sed non tanquam in efficiente, vel producente.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod diligere Deum, & supra omnia, & supra se, & propter se; est in lege naturali tanquā in insinuante & instigante: sed non tanquam in efficiente vel producente. Lex enim naturalis eò quòd lex, ostendit animæ & insinuat, quod debet Deum sic diligere: eò quòd

natu-

naturalis, se habet ad animam vt instigans ad hoc. Et ideò dicit gl. *Hoc naturalis lex insinuat, vt Deum toto corde diligamus:* Vnde dicit: quod ad hoc innuat & instigat; sed non perducit ad hoc. & ideò necessaria est lex gratiæ, quæ ad istud perducat. Verum etiam est, quod cum hoc peccatum necessaria est lex Moysi.

¶ Ad primam rationem dicendum: quod non dicit gl. quòd faciat lex diligere, sed quod insinuat: vnde loquitur secundùm insinuationem; & non secundum peruentionem.

¶ Ad aliam quæ obiicitur: quod vnumquodque diligit suum esse, & principium suum per naturam. Dicendum, quod dilectio principij est dupliciter: quia est diligere principium, eò quòd principium: aut est diligere principium absolute, non eo quòd principium: vt possum diligere Deum, quia Deus in se; vel eò quòd principium. In lege ergò naturali non est diligere principium in se, & absolutè super omnia; sed diligere ipsum in ratione qua est principium; istud benè est ibi. Sed tunc eadem est dilectio sui & principij: quia principium in quantum principium non diligit anima, nisi quia reflectit ipsum in suum esse, ꝙ diligit: & non econuersò. Et sic Deum naturaliter non potest diligere plus se: quia natura non se extendit supra se.

¶ Ad tertium dicendum, quod non valet hæc ratio: volo Deo summum bonum: mihi non: ergò plus diligo Deum, quam me. Sed benè sequitur: ergò maius bonum volo ei, quam mihi, quia est ibi velle, & est ibi bonum: Potest ergò istud aduerbium *magis* determinare ipsum velle, vel ipsum quod dico, bonum. Si feratur ad bonum, sic nō sequitur ratio. Si ad hoc quod est *velle* sic sequitur: quia intentio dilectionis venit ex parte voluntatis, non ex parte ipsius boni, quod est volitum: per naturam autem magis volo mihi Deum bonū: quod minus est; quam Deo suum bonum, quod est maius: sicut miles magis vult sibi suam terram paruulam, quam Regi suum regnum magnum.

¶ Ad rationes in contrarium dicendum: quod non est in potestate nostra tanquam efficiente diligere Deum super nos, & super omnia: est tamen istud in potestate nostra tanquam præparante; faciendo quod in se est: similiter non est in potestate nostra, quod intellectus & affectus expoliet se effectiuè, tamen præparatiuè.

ARTICVLVS III.

De ordinatione legis naturalis ad proximum.

CONSEQVENTER quæritur de his, per quæ ordinat lex naturalis ad proximum. Et quantum ad præsens quæritur de tribus, quæ ponuntur esse Iuris naturalis, secundùm Isidor. Primò de matrimonio, quod est coniunctio maris & fœminæ. Secundò de cōmuni omnium possessione. Tertiò de vna omnium libertate. Isidor.

¶ Qvantvm ad primum quæruntur hæc. Primò vtrū Matrimonium sit de lege naturali. Secūdò de legitimitate personarum. Tertiò vtrum de lege naturali sit quod vna vnius. Quartò vtrum inseperabilitas, quæ est in Matrimonio sit de lege naturali.

An Matrimonium de lege naturæ sit? §. 1.

¶ Qvantvm ad primum sic obiicitur. Nihil, quod fit ex institutione, de lege naturali est: Matrimonium est huiusmodi: ergò, &c. Maior patet. Isidorus dicit, quod Ius naturale vbique instinctu naturæ, nec aliqua constitutione habetur. Minor patet per Hugo. qui dicit, *coniugium est societas, quam Deus ab initio inter masculum & fœminam constituit; quando mulierem de latere viri formatam eidem sociauit.* Idem. Hugo de Sacram.

¶ Secvnda ratio: quæcunque sunt de lege naturæ, sunt eadem apud omnes: sed Matrimonium non est huiusmodi: ergò non est de lege naturali. Minor patet, quia Matrimonium infidelium est dissolubile vel separabile; fidelium autem non: sed hoc facit differentiam essentialem; cum forma Matrimonij sit coniunctio; coniunctioni autem opponitur separatio: & ita non est idem essentialiter apud omnes

¶ Ad oppositum. ff. de iustitia & Iure. Ex lege naturali descendit maris & fœminæ coniunctio, quam nos Matrimonium appellamus.

RESOLVTIO.

Matrimonium quantùm ad rem & similitudinem de iure naturæ est: quantum autem ad significationem vel satisfactionem minime.

¶ Solvtio. Dicendum, quod Matrimonium potest dupliciter considerari: inquantum est res, vel inquantum est signum. Considerando ergò rem Matrimonij, quæ est coniunctio maris & fœminæ; sic est de lege naturali. Inquantum verò est signum; est ab institutione diuina, & non est de lege naturali. Nec est inconueniens, quod ab alio & ab alio sit Matrimonium res & signum: sicut circulus ab alio homine potest habere, quod sit circulus: & ab alio, quod sit signum: signum enim ordinem dicit. Coniunctio quidem maris & fœminæ naturalis est: sed quòd illa coniunctio significet, scilicet inseparabilitatem vel coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, & animæ sanctæ ad Deum; hoc habet à diuina institutione. Vel dicendum, quod in omni Sacramento sunt tria, scilicet similitudo, significatio, & sanctificatio. Similitudinem ergò habet Matrimonium ex prima conditione, significationem ex informatione, sanctificationem verò ex Redemptione. Ex quo enim creatus est homo & fœmina: fuit naturale quod coniungerentur: sed quod per hoc significaretur coniunctio animæ ad Deum vel Christi ad Ecclesiam, vel humanitatis & diuinitatis in Christo, istud fuit ab institutione diuina. Quod autem sit sanctificatio, hoc est gratia in Matrimonio, seu in coniunctis per Matrimonium: hoc est per passionem Christi, quæ sanctificat omnia Sacramenta, & per ipsum habent omnia Sacramēta virtutem ad sanctificandum. Matrimonium ergò quantum ad similitudinem, dico, quod est ex lege naturali, & eius dictamine: nec hoc modo est ex institutione. Quantum verò ad significationem non; quia sic est ex institutione: nec quantum ad sanctificationem.

¶ Per hoc patet responsio ad primam rationem.

¶ Ad secundam dicendū, quod Matrimonium quantum ad rem & similitudinem est idem apud omnes: quia coniunctio maris & fœminæ eadem est apud omnes, sed non quantum ad signum vel significationem. Aliud enim significat apud fideles & infideles: quia apud fideles significat inseparabilem vnionem, quæ est Dei ad humanam naturam, & Christi ad Ecclesiam. Et quia hæc vnio est inseparabilis; propter hoc Matrimonium fidelium est inseparabile. Sed apud infideles non significat copulam inseparabilem, quia tunc non esset separabile.

An exceptio patris, & matris, & fratris, & sororis, à Matrimonio de dictamine legis naturæ sit: §. 2.

¶ Secvndo quæritur de legitimitate personarum, vtrum sit de dictatione legis naturalis, scilicet, quod excipiatur à Matrimonio pater & mater, & huiusmodi, quæ excipiuntur.

¶ Ad quod sic, dicit Adam. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* A prima ergò conditione excluditur à Matrimonio pater & mater: sed illud quod habet esse à prima conditione, habet esse per naturam: ergò per naturam excluditur pater & mater: cum lex ab origine ponatur in personis. Genes. 2.

¶ Ad oppositum. Lex naturalis est eadem apud omnes: si ergò apud barbaros non excluditur pater & mater, nec aliqua persona: ergò ex lege naturali non est exclusio, seu legitimitas personarum.

¶ Secvnda ratio in ff. Videtur inter cætera animalia istius Iuris peritia censeri. Sed cætera animalia nō discernunt inter personas, quin masculus coëat cum matre: ergò de lege naturali non est, ꝙ excipiatur pater & mater.

¶ Similiter quæritur, vtrum de lege naturali sit, quod excipiatur frater & soror: Ad quod sic: omne, quod est cōtra legem naturalem; semper est, & fuit culpabile. Sed non

ſemper fuit culpabilis coitus fratris cum ſorore, ſicut in principio: ergò non eſt ex lege naturali, quod excipiatur frater & ſoror.

August de adult coniugiis ¶ Ad oppoſitum Auguſt. *Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur ab inceſtu.* Ergò maius malum eſt inceſtus, quam fornicatio, vel adulterium: ſi ergò adulterium eſt contra legem naturalem: ergò multo magis inceſtus: ſed inceſtus eſt, cum eſt coitus perſonæ cognatę cum cognata, vel fratris cum ſorore: quoniam (vt ait Auguſt.) inceſtus eſt lubricum carnis contra votum, vel conſanguinitatem, vel affinitatem commiſſum: ergò contra legem naturalem eſt coitus fratris cum ſorore: ergò ſecundùm legem naturalem excluduntur frater & ſoror à Matrimonio.

RESOLVTIO.

Et quidem: ſed primam tanquam debitum, ſecundam tanquam decens & honeſtum.

Hugo. ¶ Solvtio. Dicendum, ſicut dicit Hugo. Duas perſonas inſtitutio excepit, ſcil. patrem & matrem: venit poſtea inſtitutio ſecunda, quæ per legem facta eſt, & excepit quaſdam perſonas alias ſiue ad decorem naturæ, ſiue ad pudicitiæ augmentum: tunc cepit ex prohibitione eſſe prohibitum, quod ex natura fuerat conceſſum. Secundùm hoc dicendum, quod lex naturalis quoddam dictat, quia debitum: quoddam verò, quia decens & honeſtum. Lex ergò naturalis à matrimonio excepit fratrem & ſororem, non quia debitum, ſed quia honeſtum, & decens; maximè in natura multiplicata. Quia lex etiam, licet hoc in ſtatu naturæ non multiplicatæ concederet: non tamen in ſtatu naturæ multiplicatæ. Excipit autem patrem & matrẽ tanquam debitum: & hoc eſt, quia in generatione eſt duplex habitudo, ſcil. principij generationis ad illud, quod eſt de illo; & hic eſt ordo prioris ad poſterius: item eſt ibi ordo in latere inter marem & fœminam, qui ſunt comites generationis. Nam cum dico patrem & matrem, dico comites generationis. Si ergò coniungerentur pater & filia in generatione, eſſet comes generationis, qui erat principium generationis: & ita confunderetur ordo generationis: tam enim comes generationis fieret principium generationis, & econuerſo: & ita cõfunderetur ordo generationis. Quia ergò lex naturalis dictat, quod omnia ordinate fiant; dictat quod debet ſeruari iſte ordo; ideò dictat natura, quod debet excipi pater & mater à generatione: & ita à Matrimonio. Sed ſi frater coeat cum ſorore, non eſt ita, immò comes generationis eſt cum comite; nec confunditur ordo: & ideò non excipit illud lex naturalis tanquam debitum, ſed ſolum ſicut decens & honeſtum: & patrem & matrem tanquam debitum; quia vſus generationis debet conformari ipſi ordini.

¶ Ad primam ergò rationem, qua obiicitur de barbaris, qui non excipiunt perſonas aliquas, nec patrem nec matrem. Dicendum, quod non eſt hoc apud eos ex natura, quod non excipiant: ſed ex concupiſcentia libidinoſa: & ſimiliter in alijs.

Gen. 2. ¶ Qvod autem dicitur. *Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea.* Per hoc intelligitur virtus actiua, & paſſiua, quæ concurrunt in generatione. In oſſe enim eſt robur, per quod ſignificatur virtus actiua: in carne, quę infirmior eſt, virtus paſſiua. Vnde datur intelligi, quod à generatione fortiori contrahatur os: ab infirmiori, ſcil. à muliere caro. Per hoc autem quod ſequitur, *& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna,* intelligitur duplex vnio, vel copula, quæ eſt in Matrimonio, ſcilicet vnio, quæ eſt per cõſenſum animorum; quæ intelligitur per hoc, *& adhærebit vxori ſuæ,* & vnio, quæ eſt per copulam carnalem: quæ intelligitur per hoc quod dicitur, *& erunt duo in carne vna,* in qua eſt coniunctio ad vnam carnem producendam.

Ibidem.

Ibidem

An de dictamine legis naturæ eſt, quòd vna ſit vnius.

¶ Tertio quæritur. Vtrum de dictamine legis naturæ, quod vna ſit vnius. Quòd ſic videtur, Gen. 4. dicit Gloſſa de Lamech. *Primus contra naturam & morem duas vxores accepit.* Ergo habere plures vxores, eſt contra naturam, ergo de dictamine naturæ eſt, quod ſit vna vnius.

Gloſſa. Genes. 4.

Num.
Cluſa Ibidem ¶ Secvnda ratio. *Cum gentes,* & dicit gloſ. *Lex naturalis eſt, nolle alij facere, quod ſibi non vult fieri.* Sed conſtat quod vir nollet, quod mulier diuideret carnem ſuam cum pluribus: ergò vir tenetur ex lege non diuidere ſuam: ergo non habere plures vxores.

Geneſ. 29. Auguſt. ¶ Ad oppoſitum Gen. 29. de Iacob habetur, quod habuit plures: dicit Auguſt. ibi, quod non contra naturam, nec contra legem, nec contra morem fecit: & cõſtat quod habuit plures: ergò quod vna ſit tantum vnius, non eſt de dictamine naturæ.

¶ Secvnda ratio: natura dictat, quod multiplicanda eſt ſpecies, ſed multiplicatio ſpeciei melius fit per plures, quam per vnam: ergò non erit de dictamine naturæ, quod vna tantum ſit vnius.

¶ Ivxta hoc quæritur, quare aliquando non licuit, quod vna mulier haberet plures viros: ſicut vnus vir plures mulieres.

RESOLVTIO.

Vtique prout maximè ratio mouet vt ratio.

¶ Solvtio. Dicendum, quod triplex eſt dictamen naturæ, ſecundum quod natura tribus modis mouetur. In natura enim rationali aliquando mouetur natura, vt natura: aliquando natura, vt ratio, aliquando ratio, & ratio. ſecundùm hoc diuerſificatur dictamen naturæ: quia ſecundùm, quod natura mouetur, vt natura, dictat maſculum cõiungi fœminæ ad multiplicationem ſpeciei. Secundum autem quod natura mouet, vt ratio, dictat vt vnus cum vna coniungi debet: vel ſecundùm congruentiam ſtatus, & temporis oportunitatem vnus cum pluribus: eo diſpenſante, qui eſt ſupra naturam: quia natura, vt ratio confert & legit, quod non eſt faciendum alteri, quod ſibi non vult fieri: vnde natura vt ratio dictat vnum debere coniungi cum vna ſimpliciter vel cum pluribus, exigente ſtatu & tempore; eo diſpenſante, qui eſt ſupra naturam. Secundum autem quod ratio mouet, vt ratio, vlterius confert & dictat natura, quod vnus debet coniungi cum vna inſeparabiliter coniuncta. Et ſic patet quomodo habere plures, eſt contra dictamen naturę, & quomodo non: quia ſecundùm quod natura mouet, vt natura, non eſt contra dictamen naturæ habere plures: nec ſecundùm quod natura mouet, vt ratio, eo modo quo dictum eſt: alio modo ſic.

¶ Ad primam rationem de Iacob, qua obiicitur: quod hoc non ſit de dictaminæ naturæ. Dicendum, quod ideò dicitur Iacob non feciſſe contra naturam; quia quod fecit, fecit cauſa prolis: & ſic non fecit contra naturam, ſecundùm quod natura mouet, vt natura. Contra verò præceptum ideò dicitur, quod non fecit: quia ex diſpenſatione fecit: quia diſpenſatum fuit cum illo ab illo; qui eſt ſupra naturam: quod autem fit authoritate ſuperioris, non fit contra præceptum: quia in præcepto intelligitur excludi authoritas ſuperioris. Contra mores dicitur non feciſſe, quia non fecit contra conſuetudinem; quæ non eſſet approbanda: pluribus enim rationibus approbandum erat quod fecit. Primò quia fecit ex diſpenſatione: ſecundò ex cauſa honeſta, quia ſcil. vt multiplicaretur proles, & numerus fidelium ad cultum Dei: tertiò quia moderatè vtebantur pluribus: quartò approbanda erat cõſuetudo propter Sacramentum, quia omnia contingebant illis in figuram. Vnde in pluribus vxoribus Abrahæ, figurabatur differentia ſeruientium Deo: alij enim ſeruiunt pro mercede, qui ſignificantur per filios Agar: alij pro hæreditate, iſti ſunt filij Saræ. Similiter in duabus vxoribus Iacob liberis ſignificatur duplex vita, actiua in Lia, contemplatiua in Rachele: & in qualibet ſunt quidam mercenarij, & quidam liberi. Patet ergò, quare dicitur Iacob non feciſſe cõtra naturam, nec contra mores. Et de hoc etiam dicit Aug. *Alia ſunt peccata contra naturã, alia contra mores, alia contra præcepta: ſed Iacob hoc non fecit contra naturam: quia non laſciuiendi, ſed gignendi cauſa mulieribus vtebatur: nec contra mores, quia in illo tempore in illis terris factitabatur: nec contra præcepta, quia nulla lege prohibebatur.* Auguſt. ſup. Gen.

¶ Ad ſecundam dicendum: quod natura dictat, quod ſpecies multiplicetur, ſed debito modo: ſus enim natur...

in ho-

in homine debet regulari ratione: ratio autem dicta, quod vna vnius.

¶ Ad tertiam dicendum: quod nunquam dispensatum fuit cum muliere. Prima ratio est, quia non potest fœcundari à pluribus: sed vnus benè potest fœcundare plures: & ideò non esset vtile ad multiplicationem. Item, melius potest seruari pax, si vnus dominetur pluribus: quam si plures dominarentur vni. Item, vir est caput mulieris: ideò magis est dispensatum cum eo. Alia ratio est Sacramentum, quia scilic. vnus est sponsus Christus, licet plures sint Ecclesiæ.

An inseparabilitas in matrimonio de iure naturæ sit? §. 4.

¶ Qvartò quæritur de inseparabilitate Matrimonij. Tria enim sunt bona Matrimonij, scil. fides, proles, & Sacramentum: primum & secundum est de dictamine naturæ: sed tertium non videtur esse de dictamine naturę: quia habet esse ex institutione: Sacramentum enim habet esse ex institutione. Secunda ratio: nullus actus naturalis est peccatum: sed coniunctio maris cum fœmina est naturalis: ergò non est peccatum; dummodo sit soluta: quia tunc non est contra legem naturalem.

¶ Tertia ratio: actus comedendi non est peccatum, quando fit pro salute indiuidui: ergò eadem ratione actus generatiuæ non erit peccatum, dummodo sit ad multiplicationem speciei, seu salutem.

¶ Qvarta ratio: mulier potest se dare ad omne tempus ergò multò fortius potest se dare ad aliquod tempus solùm.

¶ Ad oppositum: secundùm legem naturæ debes alij facere, quod tibi vis fieri: sed nullus ratione ordinatè vult, quod affectus vxoris separaretur à se: ergò tenetur secundùm illud præceptum ad hærendum vxori suæ inseparabiliter secundùm affectum: sicut vult se diligi inseparabiliter, non ad tempus.

RESOLVTIO.

Et quidem vt vtriusq; affectus vtriq; inseparabiliter adhæreat.

¶ Solvtio. Dicendum, quod ex lege naturali est ordo ad Deum, & ad proximū. Lex enim naturalis dictat, quòd honorificetur Deus & semper: semper autem non potest, nisi in prole; vnde lex naturalis dictat multiplicationem prolis ad cultum Dei: & hoc seruato ordine generationis; vt principium generationis non fiat comes in generatione; quod esset, si pater contraheret cum filia: & ita excludit patrem ex debito. Post naturam autem multiplicatam excludit alias personas propter honestatem. Secundùm autem quòd ordinat ad proximum, dictat non facere alij, quod non vult homo fieri sibi: & per hoc dictat, quod vna sit vnius: quia nullus vult, quod vxor diuidat se pluribus. Item dictat etiam facere alij quod sibi vult fieri: & inde venit, quòd dictat inseparabilitatem: vult enim vir, quòd affectus vxoris inseparabiliter adhæreat sibi; propter quod debet idem vxori.

¶ Ad primam rationem, qua ostenditur, quod inseparabilitas est ex institutione. Dicēdum, quod inseparabilitas, secundùm quòd est ex dictamine legis naturalis; non est signum, nisi in potentia, quia ipsa res habet naturaliter ex similitudine ordinem & possibilitatem ad significandum: sed quod significet actu, non habet, nisi ex institutione. Ex natura ergò res habet, vt possit significare inseparabilem vnionem Christi & Ecclesiæ, & diuinæ & humanæ naturæ in Christo: sed quod significet hoc, habet ex institutione.

¶ Ad secundam dicendum, quod est natura generis, & est natura speciei: & secundùm hoc est lex naturæ generalis, & specialis. Ex prima lege venit, quod masculus cum fœmina: ex alia, quæ est speciei, vt hominis, vt est homo & rationalis; venit quod vnus cum vna. Contra primum est peccatum Sodomiticum: contra secundùm est habere plures simul, seu bigamia.

¶ Ad tertium dicendum: quod comedere ad sustentationem singulis potest esse peccatum, si non seruatur modus, neque tempus, neque materia conueniens. Ita ex ista parte in actu generatiuæ requiritur debita materia, vt cum sua: sicut comedens non debet comedere furtiuum.

¶ Ad quartam dicendum, quod non potest se dare ad tempus ordinatè, quia istud est contra Ius naturæ dictantis; quòd faciendum est alteri, quod sibi vult fieri.

¶ Hoc habito quæritur propter illud, quod dicitur in diffinitione Isidor. *Communis omnium possessio.* Vtrum de lege naturali sint omnia communia. Et videtur, quod non: quia vbicunque est acquisitio & restitutio alienorum, est proprietarium. sed (sicut habetur in diffinitione Isido.) de lege naturali est acquisitio eorum, quæ cœlo, & terra, marique capiuntur, & restitutio depositorum: ergò de lege naturali est Ius proprietatium, ergò non dictat omnia esse communia. — Quæstio incidentalis. Isidor.

¶ Secvnda ratio: contra legem naturalem est furtum quod est contractatio rei alienæ inuito Domino: ergò de lege naturali est habere proprium.

¶ Ad oppositum August. *Iure humano hæc villa mea est, hic seruus meus est: tolle iura Imperatorū, quis audet dicere, hæc villa mea est, meus est iste seruus, mea est ista domus.* Ergò quod aliquis posset dicere, hoc est meum, hoc est de Iure Imperatoris: ergò habere proprium est solùm de Iure positiuo. — August. sup. Io. n.

¶ Secvnda ratio: appropriare sibi alienum, est contra Ius naturale: ergò appropriare sibi, quod est commune, est contra Ius naturale: ergò est peccatum.

¶ Solvtio. Dicendum, quod lex naturalis circa communionem & proprietatem dictat differenter. Dictat enim aliquid quia debitum, & aliquid quia bonum, aliquid quia æquum. Quia debitum dictat, quod in statu necessitatis sint omnia communia: in statu enim isto sunt omnia communicanda: & hoc modo in præcepto est communicatio: hoc est dictamen respectu rerum ad sustentationem personarum: & inde sumitur. *Omnia, quæ vultis, vt faciant vobis homines,* &c. respectu verò personarum quantum ad multiplicationem prolis dictat, quod vxor sit propria, & secundùm omne tempus: iuxta illud principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Aliter dictat circa communionem & proprietatem aliquid quia bonum: quia in statu naturæ benè institutæ dictabat omnia esse communia: in statu verò naturæ corruptæ dictabat, quod bonum est esse aliqua propria: alioquin boni egerent, & non staret societas humana, quia mali raperent omnia: & in secundùm diuersos status dictat bonum esse, quod omnia sint communia, & quod aliqua sint propria. Dictat etiam circa proprietatem & communionem aliquid, quia æquū, & secundùm dictamen æquitatis dictat, quæd in esse in appropriabilia, vt aërem, mare, littora: dictat etiam, quod ea, quæ sunt appropriabilia; si in nullius sint bonis, occupanti concedantur: quod enim sub nullius dominio est, occupanti conceditur. Et hinc est acquisito eorum, quæ cœlo, terra, marique capiuntur: vt captio auium, & piscium: sicut dicunt leges humanæ. — Matth. 7. Ibidem. Matth. 7. & Tob. 4.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod qui appropriat sibi commune, peccat. Dicendum quod commune dupliciter dicitur. Vno modo dicitur commune, quod in nullius bonis est: & tale si est appropriabile, occupanti conceditur: vt sunt aues, pisces, & lapides preciosi in littore maris. Alio modo dicitur commune: quod est alicuius vniuersitatis: vt platea aliqua, vel campus communitatis, in talibus non licèt appropriare sibi: quia hic fieret iniuria communitati: in primo autem nulli fit iniuria. Et per hoc patet solutio.

¶ Hoc habito, quia dicitur in prima diffinitione Isido. quod lex naturalis est, qua omnium est vna libertas: quæritur de dominio & seruitute: vtrum sit de dictamine legis naturalis: Quod non, videtur per illud Isidor. 5. Etymolo. *Ius naturale est commune omnium nationum.* Et subditur: *communis omnium possessio, & omnium vna libertas.* Ergò si secundùm naturam libertas est omnium: ergò seruitus & dominium erit contra naturam: ergò non erit de lege naturæ. — Quæstio incidentalis. Isidor. 5. Etymol. cap. 4.

¶ Secvnda ratio August. *Rationalem hominem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori.* Ergò contra naturam est, quod homo dominetur homini. — Augu. 19 de ciuit. Dei. c. 15.

¶ Tertia ratio. Greg. *Omnes homines natura æquales genuit: sed pro varijs meritis Dei dispēsatio iusta, sed occulta proposuit.* — Gregor.

Ergò prælatio & subiectio habent esse ex dispensatione: sed quod est solùm ex dispensatione, nō est de naturali lege: ergò dominium & seruitus non sunt de lege naturali.

¶ QVARTA ratio, in lib. Institutionum, de iure naturali, gentium, & ciuili: *Vsu exigente & humanis necessitatibus, gentes humana quædam constituerunt sibi: bella enim exorta sunt, & captiuitates subsecuta & seruitutes: quæ sunt iuri naturali contrariæ.* Ergò constat, quod seruitus non est de lege naturali.

¶ QVINTA ratio, in eodem. *Iure naturali ab initio omnes homines de iure libere nascebantur: ex hoc iure gentium omnes penè contractus introducti sunt, vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas depositum mutuum, & alij innumerabiles.*

Rom. 13. ¶ AD oppositum. *Non solùm propter iram, sed propter conscientiam* (& loquitur de subiectione exhibenda) ergò subiectio hominis ad hominem est de iure naturali: quia conscientia dictat.

August. 19 de ciu. Dei, c. 15. AdTit. 2. ¶ SECVNDA ratio. August. *Pœnalis seruitus ea lege ordinatur quæ naturalem iubet ordinem seruari, perturbari vetat.* Quia si contra eam legem non esset factum, nihil esse pœnali seruitute coërcendum: ideoque Apostolus seruos monet esse subditos dominis suis.

¶ TERTIA ratio in eodem. Iustum est, quòd malis hominibus sit vtilis seruitus: cum, scilicet, improbis aufertur iniuriarum licentia: & domiti meliùs se habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt. Ex his manifestè ostenditur, quod seruitus iusta sit, & de lege naturali.

August. 19 de ciu. Dei. ¶ SOLVTIO. Dicendum, q. est loqui de natura secundùm statum ante peccatum, & post peccatum. Ante peccatum non fuit seruitus: vt dicit August. *Nullus in natura, in qua priùs Deus hominem condidit, seruus est hominis, aut peccati: per peccatum autem introducta est seruitus sicut pœna peccati: & ideò subijcitur homo homini, quia fecit se seruum peccati.* Lex ergò naturalis dictat communem libertatem omnium secundùm statum naturæ institutæ. Sed secundùm statum naturæ corruptæ dictat, quod necessaria est seruitus & dominium ad coërcendum malum, sicut dicit Augu. quod sicut Deus homini, & animus corpori; ita ratio debet dominari & imperare libini. Dictat enim ratio, iustum esse, vt rationabiliter vincentes dominentur his, qui carnaliter viuunt. Vnde super illud. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum:* dicit Gloss. *Videns eum seruire libidini suæ, & in se mutatam legem: per quam quondam viro subiecta fuerat.*

August in lib. de ciui. Dei.

Hiere. 4. Glossa.

¶ AD illud Greg. quod dicit: quod dispensatio diuina istud ordinauit. Dicendum, quod dispensatio aliquando dicitur iuris relaxatio: vt quod Iacob haberet plures vxores: hoc modo quod est ex dispensatione, non est ex lege. Alio modo dicitur dispensatio iuris restitutio: sicut hic, vbi propter peccatum libertas aliquibus subtracta est: quod iustum est, & secundùm dictamen rationis: dictat enim lex naturalis, quod subtrahenda est malis libertas, vt arceatur eorum malitia.

¶ AD illud, quod obijcitur de authoritate iuris, quę videtur dicere, seruitutes esse contrarias legi naturali. Dicendum, quod duplex est seruitus. Vna; quæ procedit ex vi dominantis; quando quis vsurpat per potentiam sibi dominium: & talis est contra legem: & de hac loquitur ibi. Alia est, quæ procedit ex merito peccantis: & istam dictat lex naturalis; sicut dictum est ex authoritate August. *Pœnalis seruitus ea lege ordinatur*, &c.

August. de ciuit. Dei.

Rom. 13. ¶ AD illud, quod obijcitur de Apostolo ad oppositum. *Non solùm propter iram, sed propter conscientiam.* Notandum, quod duplex est seruitus. Vna est necessitatis, quæ secuta est peccatum: alia est reuerentiæ & honoris erga superiores: & de hac intelligit Apostolus, cùm dicit. *Sed propter conscientiam,* hoc enim dictat cōscientia semper, quod reuerentia maioribus exhibenda est. Vnde vllius ponit de lege naturali obseruantiam: per (quam sicut idem dicit) homines dignitate antecedentes, cultu quodam & honore digni habeantur. Et per hoc patet solutio.

Ibidem.

QVÆSTIO XXVIII.

De lege Moysis in generali.

In quinque Membra, & quindecim Articulos diuisa.

CONSEQVENTER est (adiuuante Dei gratia) inquirere de lege Moysi. Et primò generaliter quantùm ad legis conditiones. Secundò in speciali, quantùm ad legis præcepta & sanctiones. D. Cho. 1. 2. quæst. 98.

¶ CIRCA conditiones autem legis Mosaycę inquirenda sunt hæc. Primò, de latione legis. Secundò, de continentia legis. Tertiò, de impletione per Christum. Quartò, de onere obseruantiæ legalis. Quintò, de iustificatione legis.

MEMBRVM. I.

De latione legis Mosaicæ.

PRIMÒ autem ad legis lationem inquirenda sunt hæc. Primò, de vtilitate. Secundò, de necessitate lationis. Tertiò, de tempore lationis. Quartò, de personis, quibus lata est. Quinto de ipso latore ut legis.

ARTICVLVS I.

An lex Moysi ferenda fuit?

AD primum sic proceditur. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum* Gloss. *Naturale iustitiæ ingenium nisi habeat, quod respiciat & veneretur, non facilè proficit, sed ægrotat: & superuenientibus cedit peccatis.* Et appellat istud ingenium idem, quod legem naturalem, seu viuacitatem discernendi, quæ venit ex lege naturali: & vult dicere, quod nisi homo habeat principium, quo respiciat in summum bonum & mercedem, non proficit, sed ęgrotat. Sed per legem Moysi respicit homo Deum tanquam actorem: & veneratur tanquam retributorem; quia ad hoc ei data est: ergò lex Moysi fuit danda homini, & ferenda. Rom. 5. Glossa.

¶ SECVNDA ratio. *Scimus, quia lex bona est, si quis ea legitimè vtatur,* scil. vt per eam cognoscat morbum, & quærat medicum. Supposito ergò, quod natura humana ægra est, obijcitur sic. Omni ægrotanti necessaria seu vtilis est cognitio morbi sui, & quæsitio medici: Sed lex Moysi hoc facit, quia facit cognoscere morbum, sc. peccatum, & quærere medicum, sc. Deum (Vnde gl. super illud: *Lex subintrauit*, &c. *Ad hoc data est lex, vt homo deficiens in præceptis, & factus præuaricator; liberatorem Saluatoremq; requireret*) ergò necessaria seu vtilis est lex Moysi humanæ naturæ, quæ ægra est: lex igitur fuit ferenda. 1. Tim. 1. Rom. 5. Glossa.

¶ AD oppositum: *Virtus peccati lex.* Gloss. *Lex prohibendo, auget peccati cupiditatem.* Sed nihil, ad quod sequitur augmentum peccati, est vtile saluti; sed ad legem consequitur augmentum peccati: ergò non fuit lex Moysi vtilis saluti: ergò non fuit ferenda. 1. Cor. 15. Glossa.

¶ SI dicatur, quod lex non auget peccatum, nisi per occasionem solùm, & non per causam. Contra hoc opponitur. Magis expedit animæ saluti, quod tollatur causa, & occasio peccati; quam quod solùm tollatur causa & occasio remaneat: cùm ergò lex sit occasio peccati & augmentum eius: salubre esset animæ, quod tolleretur lex; neque daretur: non igitur ferenda erat.

¶ TERTIA ratio. *Occasione accepta, per mandatum peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Gloss. *ducta est concupiscentia ex prohibitione legis.* Ergò lex inflammauit concupiscentiam: ergò noxia fuit, & non expediens ad salutem: ergò non debuit dari. Rom. 7. Glossa.

¶ QVARTA ratio. Nullum bonum ordinatè datur, quod noceat illi, cui datur: sicut vinum, licet sit bonum, tamen non datur ordinatè febricitanti, quia nocet illi. Si ergò lex nocuit illis, quibus dabatur: sicut patet per prędictas auctoritates, & per multas alias; remanet q. non ordinatè dabatur: sed non erat danda, nisi ordinatè: ergò nō debuit dari. Quod autem lex noceret illi, cui dabatur; patet ex auctoritate Apostoli. *Peccatum per mandatum operatum* Rom. 7.

est

est in mortem, vt fiat supra modum peccatum peccatum.

¶ Qvinta ratio. Omne obtenebrans animam plus nocet animæ, quam prosit: sed lex obtenebrat animam: ergò plus nocet animæ, quam prosit: ergò non erat ferenda. Minor patet per illud Matth. 4. *Populus, qui sedebat in tenebris,* &c. ibi dicit Chrys. *Tenebræ erant maximæ secundùm legem:*
Chrysost. *quæ non ad manifestandam Dei iustitiam data fuerat, sed ad puniendam duritiam cordis eorum: sicut ait Dominus. Propter duritiam cordis vestri Moyses ista mandauit: & non ad saluandos eos, sed excæcandos.*

August. contra Faustum. ¶ Sexta ratio. August. *Lex improbos præuaricationis reatu ligat, cùm iubet, quod non possunt implere.* Sed præuaricationis reatus maximè nocet: ergò cùm lex liget, relinquitur quod lex maximè nocet: plus igitur nocet saluti animæ, quam prosit: ergò nunc erat ferenda.

Idem in lib. de natura & gratia. ¶ Septima ratio. August. *Natura, qua homo ex Adam nascitur, indiget medico.* Sed lex non facit ad medicinam & curationem morbi: ibi ad ipsam sequitur morbus & infirmitas: nocet ergò saluti animæ: ergò non erat ferenda.

Galat. 3. Glossa ¶ Octava ratio. *Lex propter transgressores posita est.* Glos. *id est, vt homo superbè de suis viribus fidens, acciperet præcepta; in quibus deficiens & factus præuaricator, liberatorem saluatoremq; requireret.* Data est ergò lex, vt superborum ceruix, quos faceret transgredi, humiliaretur, vt medicus optaretur. De intentione ergò legis erat: vt homo post ægritudinem medicum requireret; & quod homo prius deficeret. Sed constat quod iste non est optimus modus adducendi ad medicum, qui est: scilicet per ægritudinem: ergò si optimi est optima adducere; non est autem adductio optimi, cùm fit malum, vt veniat bonum: ergò non fuit latio legis bona, vt scil. factus homo præuaricator, quæreret bonum.

RESOLVTIO.

Vtile ad modum, & perfectè necessarium fuit, legem Moysi ferri in adiutorium legis naturæ, & ad coërtionem legis peccati siue fomitis; & ad figurationem ac directionem in legem Euangelij vel gratiæ.

¶ Solvtio. Dicendum, quod necessitas fuit dandi legem Moysi, & vtilitas propter tres leges, quas distinguit Apostolus: quæ sunt, lex naturæ, lex concupiscentiæ seu lex fomitis, & lex Euangelij seu gratiæ. Et secundùm hoc lex Moysi decurrit secundùm tres rationes diuinæ dispensationis. Datur enim in adiutorium legis naturæ; & secundùm hoc decurrit secundùm misericordiam: datur etiam in correctionem legis peccati vel fomitis; & secundùm hoc decurrit secundùm rationem institiæ: item datur in signum & significationem legis gratiæ & directionem ad ipsam; & secundùm hoc decurrit secundùm rationem sapientiæ. De primo habetur super illud: *Lex subintrauit,*
Rom. 5. Glossa. dicit gloss. *Data erat lex in adiutorium humanæ naturæ: vt quia ipsi naturæ quodammodo inserta sunt iustitiæ semina; adderetur lex, cuius auctoritate & magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum iustitiæ faciendum:* & hęc est prima vtilitas lationis legis. Secunda autem eius vtilitas est ad coërtionem legis
Galat. 3. Glossa. peccati vel fomitis: & de hac habetur: *Lex propter transgressores,* &c. Gloss. *Lex posita est propter transgressionem cohibendam, id est, vt saltem timore cessarent homines transgredi, vt quandoq; idem facerent voluntate.* Data est ergò, vt populum Dei erudiret sub timore Dei: vt dignus fieret accipere promissionem, quæ est Christus. Tertia vtilitas fuit ad figurandam legem gratiæ vel Euangelij, & directionem ad ipsam:
Psalm. 18. Glossa. vnde Psal. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Glo. *conuertens animas, id est, sua districtione corrigens, & ad Christi gratiam mittens.* Et sic patet, quod est ad coërcenda peccata. & ad directionem & figurationem legis gratiæ. Secun-
Rom. 5. Glossa. dùm hoc dicitur: Rom. 5. *Lex subintrauit.* Gloss. *Erant in illo populo tria genera hominum, scilic. duri, incipientes, & perfecti: his omnibus data est lex: sed duris datur in flagellum, incipientibus in*
Galat. 3. Glossa. *pædagogum, data est iustis in signum, sc. futura gratia per Christum.* Et Gal. 3. *Propter transgressores.* Gloss. *data est lex in signum futurorum, vt futura figuris attestarentur.* Et secundùm hoc tria erant in lege, scilicet moralia, quæ erant ad dilucidandam legem naturæ: & quantum hoc erat ad instruendum incipientes. Item habuit lex iudicialia, ad coërcendum legem concupiscentiæ vel fomitis: & quantum ad hoc erat duris in flagellum. Item habuit figuralia seu cæremonialia ad figurandam legem gratiæ; quia figuræ erant figuræ futurorum: & quantum ad hoc fuit iustis in signum. Secundùm hoc ergò patet intentio & vtilitas legis ferendæ.

¶ Ad primam rationem ergò in contrarium dicendum quod illud intelligitur non per causam, sed per occasionem. Vnde Rom. 4. *Lex iram operatur.* Glo. *Ad hoc data est lex,* Rom. 4. Glossa. *vt reos faceret delinquentes: non efficienti causa, sed non adiuuante gratia:* vnde verbum illud dicitur per abnegationem: quia videlicet lex nō dat gratiam, sed facit ostensionē peccati. Rom. 7. Et, *Peccatū accepta occasione per mandatum operatū est in me,* &c.

¶ Ad secundam, quæ obiicitur: quod magis expedit, vt tollatur causa & occasio, &c. Dicendum, quod quædam est occasio nullius boni inductiua: alia est, quæ est alicuius boni inductiua. In primis occasionibus peccati verum est, quod tollenda est occasio, & expedit eam non dare: occasio autem quæ est alicuius boni inductiua; si sit circa rem indifferentem; adhuc benè concedo, quod tollenda est, & vitanda. Si autem sit circa rem necessariam ad salutem, dico quod non expedit, quod tollatur: vnde si aliquis det alij occasionem scandali propter veritatem vitæ vel doctrinæ; quia, scilic. prædicat veritatem vitæ & iustitiæ: non propter hoc debet dimittere suam prædicationem: sed si de aliquo indifferenti daret alijs occasionem peccati & scandali; expediret, quod dimitteret. Lex autem talis occasio est inductiua boni: quod nullo modo dimittendum est, sc. necessarij ad salutem: vt patet. Dicimus etiā, quod lex semper quantum est de se, factiua est boni: vnde: *Lex* Rom. 7. Glossa. *sancta & bona, & mandatum sanctum, & iustum, & bonū.* Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? absit: & dicit gloss. *Lex est ad vitam, & iubet bona, & mala prohibet; & facit peccatum cognoscere: vnde dicitur sancta, id est, sanè docens: mandatum iustum, id est, iustificans peccatorem: & bonum, id est, vtilem vitam acquirens.* Sed quod non sequatur bonum, sed peccatum ex lege, hoc non est ex lege, sed ex faciente: vnde dicit eadem gloss. post. *Non est ex ipsa lege mors, sed ex vitio hominū: quia non* Eadem. *lex, sed fomes est efficiens causa mortis.*

¶ Ad tertiam patet solutio per prædicta: & maximè per literam, supra quam glossa ponitur. Et hoc est, quod dicit glo. super illud. *Itaq; lex sancta,* &c. Sicut medicina non est Rom. 7. causa mortis, sed ostendit venena mortificata; licet his mali homines abutantur ad mortem suam vel aliorum: sic lex, quæ venena peccatorum demonstrat, & hominem libertate sua abutentem quasi freno cohibet, & composito gressu incedere docet: non est causa efficiens peccati, sed potius vitium hominis, id est, fomes.

¶ Ad quartam rationem dicendum: quod lex de se nulli nocuit: quia iustis non obest; immò est eis in signum: similiter insipientibus non obest; sed est eis in pædagogum: similiter malis non nocet, quod patet per glos. super illud. *Iusto non est lex posita.* Ideò data est lex, vt vel reum puniret, 1. Tim. 1. vel peccare volentem coërceret. Sic ergò valet malis, quia coërcet eos, ne peccent: & reos punit. Et hæc fuit intentio legis circa malos. Vnde patet, quod ordinatè datur: quia datur secundùm ordinem diuinæ iustitiæ: quia semper datur, vel vt peruersus puniatur, vel vt peccare volens coërceatur: & vtrunque est bonum: nam ipsa diuina iustitia punit malos in supplicijs.

¶ Ad quintam rationem dicendum, sicut dicit gl. prædicta. Data est lex ad domandum superbum, & ad flagellandum durum, & ad instruendum insipientem: ad manifestationem & testimonium futuræ gratiæ iustis. Loquitur ergò Chrysost. de ipsa lege per comparationem ad duros: vnde dicit. Ad puniendam duritiam cordis eorum, sicut ait Dominus: propter duritiam cordis vestri Moyses ista mandauit. Data enim fuit duris in flagellum: vt eos puniret in infligendo pœnas, vt subtrahendo delectabilia: & quantum ad hoc dedit lex libellum repudij, quod est in lege per permissionē: vt ipsos duros, sc. & peruersos à malo subtraheret: quia proni erant ad interficiendum vxores & vt eos flagellaret in hoc, quòd non licebat eis re habere vxorē, postquàm eis dederant libellum repudij. Similiter glutonibus infligebat pœnam prohibendo delectabilia gulæ: sicut hūc cibum, vel illum. Item superbis etiam

data sunt ad domandum superbiam eorum, qui ex arrogãtia & præsumptione dicebant. Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat: & istis data est multitudo cæremonialiũ, quæ impossibile erat implere: hoc enim erat onus, quod patres portare non potuerunt. Et sic fuerunt in lege quatuor; sc. moralia ad instruendum insipientes: sacramentalia ad significandum iustis gratiam futuram: iudicialia ad flagellandum malos: cærimonialia ad domandum superbos & persumptuosos: & sic habentur quatuor, vt sub figuralibus accipiantur duo, sc. cærimonialia, & sacramentalia.

¶ Ad alias rationes dicendum: quod sicut est duplex ordo diuinæ prouidentiæ: ita duplex est ordo legis. Est autem ordo prouidentiæ duplex, scili. principalis, in quo statuitur creatura: alius est non principalis, qui positus est ad hoc, vt si homo ab assignato ordine recesserit, in alium relabatur: vt si recedat homo ab ordine misericordiæ, statim est sub ordine iustitiæ. Et hoc est dicit Boet. quòd ordo cuncta complectitur: vt si quis ab assignato sibi ordine recesserit, statim in alium ordinem relabatur. Sic in lege fuit ordo principalis, qui fuit, vt homo ordinaretur ad Deum: & alius, quo ordinabat hominem ad pœnam; quando à prædicto ordine recedebat; vnde vt reprimeretur fomes peccati in homine, & reduceretur homo ad gratiam: & iste fuit ordo misericordiæ; quia instruebat insipientes, & coërcebat peccatores à suo malo. Ordo non principalis erat ordo iustitiæ, quo ordinabat hominem ad flagella & ægritudinem; vt per hoc ipsum ad priorem ordinem reuocaret, si ab ipso diuerteretur: vnde si contingeret aliquem peccare, reuocabat eum per flagella: & iste fuit optimus modus adducendi hominem ad salutem, vt scilic. malos flagellaret, ac per hoc reuocaret; & volentes peccare, à malo coerceret; & insipiẽtes instrueret. Lex ergò simpliciter erat in adiutorium, ad bonum instituendo, & coercendo à malo: non principaliter ad hoc, vt homo deficeret, & fieret præuaricator: sed vt morbo, præuaricatione crescente, medicus quæreretur: sicut dicit glo. super illud. Galat. 3. *Conclusit omnia sub peccato*, &c. Et sic patet responsio ad istam quæstionem: quæ magis infra declarabitur.

Boet.

Galat 3.

ARTICVLVS II.

An lex Moysi necessaria fuerit ad salutem.

¶ Secvndò quæritur: an lex sit necessaria ad salutem. Ad quod sic. Hugo, dicit: quòd in lege naturali fuerunt tria, sc. præceptio; & ista fuit de necessarijs: prohibitio; & ista fuit de noxijs: & concessio de indifferentibus. Sed nullum peccatum ita excæcat hominem, quin cognoscat per naturale iudicatorium legis naturalis, quid faciendum, & & quid vitandum: vnde August. *Quis nescit, quid bona vita conueniat? aut ignorat, quod sibi fieri non vult, alij non debeat fieri?* Ergò sine lege Moysi poterat homo cognoscere, quod sibi necessarium esset ad salutem: non igitur necessaria erat saluti.

Hugo. de S Victore in lib. de Sacrament.

August. quæstio. Noui & Veteris Testam.

¶ Secvnda ratio. In nobis est ipsa virtus diiudicatiua eorum, quæ sunt necessaria ad salutem, sc. synteresis: similiter in nobis est ipsa virtus appetitiua salutis: ergò sine lege poterat homo videre seu cognoscere & desiderare, quod sibi erat necessarium ad salutem: ergò lex non fuit ei necessaria.

¶ Tertia ratio. August. *Ignorantia neminem sic excusat, vt homo sempiterno igne non ardeat.* Et intelligitur istud de ignorantia eorum, quæ sunt necessaria ad salutem. Sed ignorantia legis Moysi in hominem excusat, vt non ardeat æterno igne: sicut patet de beato Iob, & alijs sanctis; qui ignorauerunt legem tempore legis; nec erant de Iudæis: ergò ipsa lex Moysi non est necessaria ad salutem.

August.

¶ Ad oppositum. Ad salutem necessaria est cognitio credendorum, & operatio agendorum: sed lex Moysi quantum ad figuralia facit cognitionem credendorum, & ad ipsam pertinet: quantum verò ad præcepta moralia pertinet ad operationem agendorum, etiam in eorum cognitionem: ergò est necessaria ad salutem.

RESOLVTIO.

Quam maxime: etiam non Iudæis.

¶ Solvtio. Dicendum, quod lex Moysi includit legem naturalem per explicationem in moralibus: legem verò gratiæ per significationem in cæremonialibus. Et ideo debet dici necessaria saluti, quantum ad moralia, quæ sunt legis naturalis: vtilis verò saluti, quantum ad cærimonialia & figuralia ante lationem ijs, qui non erant de gente Iudæorum. Necessaria verò post lationem his, qui de gente Iudæorum erant, quibus data est lex.

¶ Et ex hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS III.

An congruo tempore Lex Moysis lata sit?

Tertiò quæritur de tempore lationis legis. Et primò quæritur: vtrum ante peccatum debuit dari lex. Ad quod sic. Summus medicus dat medicinam non solùm curatiuam, sed etiam præseruatiuam. Si ergò lex est medicina ad peccandum; debuit eam dare summus medicus, qui est Deus, ante peccatum, vt præseruaret hominem à peccato.

¶ Secvndò quæritur: an statim debuit dari post peccatum. Ad quod sic. *Quamdiu est morbus tempus est medicinæ*: sicut dicit Hugo. Sed statim post peccatum fuit morbus: ergò statim debuit adhiberi medicina: sed lex est medicina peccati: ergò statim debuit dari post peccatum. Quod sit medicina, patet: quia in vulneribus hominis sauciati infunditur vinum & oleum: sicut habetur de Samaritano, qui misericordia motus super eum infudit vinum & oleum in vulneribus eius, & sanauit eum. Luc. 10. & appellatur ibi medicina per vinum: medicina per legem.

Hugo de S. Victore in Sent.

Lucæ 10.

¶ Secvnda ratio. *Per legem est cognitio peccati.* ergò statim debuit dari lex, postquàm fuit peccatum factum: quoniam homini tali est necessaria sui peccati cognitio: & maximè quia tunc fuit hominis ratio obtenebrata; vnde indiguit adiutorio ad suum peccatum cognoscendum.

Rom 4.

Tertiò quæritur. Vtrum ante diluuium debuit dari lex. Ad quod sic. Lex data fuit ad coercionem malitiæ & peccati: sicut habetur. Gal. 3. Lex propter transgressionem posita est. Glo. cohibendã. Sed ante diluuium fuit maxima inclinatio & maximus fluxus ad peccatum: ergò tunc fuit maximè necessaria coërtio peccati: & ita tunc fuit maximè necessarium dedisse legem. Minor patet, scil. quod maximus esset fluxus tunc ad peccatum, per Genes. 6. vbi dicitur; quod *omnis caro corruperat viam suam*: & tantum malum fecerant, quod Deus faceret diluuium ad puniendum eos.

Galat. 4.

Genes. 6.

¶ Secvnda ratio. August. dicit. *Data est lex, vt quæ nesciebantur, authoritatem haberent in faciendo* (supple) *& vitando: & quæ latere cœperant, manifestarentur.* Lex ergò Moysi dat authoritatem faciendorum & vitandorum: sed illud fuit semper necessarium etiam ab initio ante peccatum: ergò debuit dari lex ante diluuium.

August in quæst. Veteris ac Noui Testam.

¶ Tertia ratio. Ante peccatum vixit homo sub aliqua lege, sicut habetur: *Addidit illis legem vitæ*, &c. sed post peccatum fuit maxima legis necessitas, & maior quam ante; vt sciret homo, quomodo deberet viuere: ergò post peccatum ante diluuium debuit dari lex Moysi, quæ ad hoc datur.

Eccle. 17.

¶ Qvartò quæritur, an post diluuium ante tempus Abrahæ debuit dari lex. Ad quod sic Isid. *Datæ sunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia.* Sed tunc fuit maxima audacia & inordinata: quia tunc voluerunt filij Noe ædificare turrim, cuius cacumen pertingeret vsque ad cœlum: sicut habetur Gen. 11. ergò tunc maximè debuit dari lex.

Isidor.

Genes. 11.

¶ Qvintò quæritur: an in tempore Abrahæ debuit dari lex. Ad quod sic. Tunc fuit maxima necessitas legis ergò tunc fuit maxima conuenientia, vt daretur lex: ergò tunc debuit dari. Maior patet. Lex enim datur ad reuocandum ab Idololatria: sed tunc erat totus mundus repletus Idololatria: ergò tunc fuit maxima necessitas legis. Minor patet per quandam glossam super Genes. quæ dicit: quod

Glos. sup. Gen.

per

per sex dies significantur sex ætates: & tertia dies, qua separatur terra ab aquis, significat separationem seu diuisionem, quæ facta fuit tempore Abrahæ populi Dei fidelis ab idolatris: quorum error vanus & instabilis, quæ separatim facta est per Abraham.

¶ Item, videtur quod tunc fuit maxima conuenientia dandi legem: quia tunc populus, qui erat ad colendum Deum, erat discretus & diuisus ab alijs: & in hoc acceperant signum seu pactum circumcisionis, quod illis danda erat lex.

¶ Item, iam erat Abrahæ facta reuelatio de promissione illius, qui significatus erat per legem scilic. de Christo,
Gen 22. quando promisit Dominus Abrahæ. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, ergò maximè tunc erat conueniens dari legem, vt mitteret ad Christum.

RESOLVTIO.

Ita congruo tempore legem Moysis latam dicimus: vt nec ante peccatum, nec immediatè post peccatum, nec ante diluuium, nec illico post diluuium, nec etiam tempore Abrahæ ferendam censeamus.

¶ Solvtio. Dicendum, quod non debuit lex Moysi dari ante peccatum, nec vlla vtilitas esset: quia tunc erat non necessaria figura ad significandum, cùm esset homo spirituali mente præditus: nec prohibitio ad coercendum concupiscentiam, quæ inordinata non erat. Dico tamen quod nunquam vixit homo sine aliqua lege: vnde etiam Adæ fuit addicta lex aliqua, sc. lex disciplinæ, quando di-
Genes. 2. xit ei. *De ligno scientiæ boni & mali non comedes.* Vnde August.
Aug. in quæstio. Noui & Veteris Testam. *Primùm lex formata in litteris dari non debuit, quia in natura ipsa inserta quodammodo est ipsa Creatoris notitia. Nam quis nescit, quid bonæ vitæ conueniat? aut ignorat: quia quod sibi fieri non vult, alij non debeat fieri?* Vnde priùs oportuit, vt homo vteretur lege naturali; & cum illa ei deficeret; sicut fecit Adæ & lex similiter disciplinæ, quando peccauit, adderetur ei lex. Galat. 3. super illud. *Quid igitur lex*, Gloss. *Nota quod non ait,*
Galat. 3. Glossa. *data, sed ordinata, quasi ordinabiliter data: scilicet inter tempus naturalis legis, de qua conuicti sunt, quod iuuare non poterat: & tempus gratiæ, ante quam gratiam conuincendi erant de lege.*

¶ Similiter nec post peccatum debuit statim dari: immò addita fuit lex legi naturæ ad ipsam ordinandam secundùm diuersas ætates: secundùm quod tuplex est inordinatio naturæ: quia est inordinatio ipsius concupiscibilis, ipsius irascibilis, ipsius rationalis. Primò enim ante diluuium viguit inordinatio concupiscibilis maximè: & ad hanc restringendam, & ordinandam fuit addita lex quædam, in qua vixit homo ante diluuium. Gen. 3. *Sub te*
Genes. 3. *erit appetitus tuus*, scilicet ratione. Hac autem lege rupta, post diluuium fuit magna inordinatio irascibilis, scilicet quando filij Noe voluerunt ædificare turrim vsque ad cælos: propter quod data est lex ad ordinandam irascibilem erga proximum; quæ fuit. *Carnem cum sanguine non comedetis*. Et ratio fuit ad horrorem sanguinis & detestationem
Genes. 9. homicidij; vt horreret homo fundere sanguinem humanum. Postea verò secuta est inordinatio rationalis tempore Abrahæ; quia omnes erant Idololatræ: contra hanc inordinationem data fuit Abrahæ lex circumcisionis in signum reuocationis ipsius populi ad Deum adorandum, & in signum fœderis inter populum fidelem, & Deum. Genes. 17. *Vt sit signum inter me & vos.* Prima inordinatio
Gen. 17. erat hominis ad se: secunda hominis ad proximum: tertia hominis ad Deum: quia propter Idola cultum dimittebant diuinum. Sic ergò fuit aliqua lex addita homini ante diluuium, & post, in tempore Abrahæ. Sed lex Moysi non debuit adhuc dari, immò cùm ipsa sit Ius hominum viuentium sub vno iure; priùs necesse fuit, quod esset populus vnitus, quam daretur lex. A tempore autem circumcisionis cepit esse populi vnitas & discretio: vnde di-
Hugo. cit Hugo; quod extunc cœpit vnitas populi Dei, & vnitas conuersationis fidelis; quæ primum figurata est per Sacramentum circumcisionis, postea significatur per Sacramentum baptismatis: & ideò ante non debuit dari lex: immò lex circumcisionis fuit signum gratiæ futuræ: & ideò debuit præcedere. Præterea, priùs oportuit, quod esset fundamentum legis, quam daretur lex. Erant autem fundamentum ista quatuor: scilicet fides vnius Dei, & fides Incarnationis, probatio fidei, & fidei firmitas. Priùs enim quàm daretur, oportuit esse attestationem fidei vnius Dei: & hæc præcessit in signo circumcisionis, quæ posita est in signum fœderis inter Deum & populum. Attestatio autem fidei Incarnationis facta est, quando facta est promissio. Abrahæ de Christo. *In semine tuo*, &c. Sed quia Gen. 22.
non sufficit testimonium in ore vnius, immò in ore duorum vel trium stat omne verbum; ideò priùs facta est ista promissio etiam Isaac & Iacob: vt repetita cuilibet. *In semine tuo*, &c. quam daretur lex. Sed nec statim debuit dari, Ibidem.
immò priùs oportuit, quod esset fides probata: probata autem fuit in Ægypto per aduersitates: vt scilicet nulla aduersitas posset eos auertere à fide, quibus danda erat lex ducens in Deum, etiam Incarnatum: oportuit etiam, quod esset firmata ne posset populus seduci aliqua fallacia: firmata autem fuit in multis signis & mirabilibus: quæ ei Dominus fecit, & ostendit in exitu de Ægypto, & per desertum. His autem factis & impletis debuit dari ipsa lex Moysi, quæ ducit in Christum: hoc autem fuit completum in quarta ætate.

ARTICVLVS IV.

An solis Iudæis dari debuit lex Moysi.

Qvartò quæritur: quibus debuit dari lex? Ad quod Actu. 10.
sic Act. 10. *Non est personarum acceptor Deus.* Si ergò Iudæi leguntur non solùm Deo accepti, sed multi alij: sicut multi gentiles: vt patet de sancto Iob: ergò ita debuit illi dari lex, sicut Iudæis. Sap. 6.

¶ Secvnda ratio. Sapien. 6. *Æqualis est ei cura de omnibus.* Cura autem Dei duplex est: scilicet generalis, qua prouidet omnibus: & cura specialis, quæ est directio hominis per legem & disciplinam. Ergò si æqualis est ei cura generalis de omnibus, eadē ratione debet esse ei æqualis cura specialis de omnibus hominibus: neque debet esse differentia quò ad homines; sicut nec in prima cura quò ad creaturas omnes: ergò debet dari lex æqualiter omnibus hominibus. Matth. 5.

¶ Tertia ratio. Matth. 5. *Solem suum facit oriri super bonos & malos.* Magis autem est Deo cura animarum, quam corporum: ergò si lucem corporalem solis ministrat æqualiter omnibus: quæ est lex animarum: hæc autem est lex. Prouer. 6.
Vnde Prouerb. 6. *Mandatum lucerna est*, &c. Rom. 5.

¶ Qvarta ratio. Rom. 5. *Subintrauit.* Gloss. ponit duplicem rationem, quare illis debuit dari, & non alijs. Vna Glossa.
est, quia ille populus solus (scilicet Iudæorum) vnum Deum colens dignus erat, cui eloquia Dei crederentur. Alia ratio est, quia de illo populo erat Filius Dei nasciturus. Contra primam rationem obijcitur. Quia in gentilibus erant aliqui non colentes Idola, sed vnum Deum, sicut in Iudæis; vt beatus Iob, & alij multi: ergò per istam rationem debuit dari illis lex. Contra secundam rationem, quia de patribus Abrahæ nasciturus esset Dei Filius; sicut de Seth & alijs prædecessoribus: per hanc rationem debuit dari illis lex. Quare ergò huic populo data fuit, & non alijs? Eccle. 17.

¶ Item, dicitur in Ecclesi. 17. Quod in vnamquamq; gentem præposuit Deus rectorem, scilicet Angelum: quia de ipsis hoc intelligitur. Sicut ergò Angelus, qui erat rector gentis Hebraicæ ministrauit eis legem, ita videtur, quod Angeli, qui erant rectores aliarum gentium, deberent ministrare legem: aut videtur culpa esse ipsis: eò quòd non Dan. 9.
ministrauerunt.

¶ Item, in Daniel. habetur, quod Michael Archangelus princeps est gentis Hebræorum: vnde Danieli, qui erat Hebræus, dicitur ibi, *Michael princeps vester.* Similiter legitur ibi, quod alius erat Angelus, qui erat princeps Persarum, alius gentis Græcorum, &c. Sicut ergò Michael ministrauit legem Hebræis: sic debuerunt alij Angeli facere alijs populis; vel quare non.

RESOLVTIO.

Soli Iudæi, nec alij ferre debuit Lex Moysis: quippe cum soli vnum Deum colerent, digni erant, quibus eloquia Dei crederentur. Additur his, quia de eis Christus Mesiam nasciturus erat.

¶ Solvtio. dicendum, sicut dictum est de gloss. Ro. 5. quod duplici de causa data est Iudæis lex, & non alijs. Vna est, quia ille populus solum vnum Deum colens, dignus erat, cui eloquia Dei crederentur, cæteris idola colentibus: vnde solus ille populus præparabat se ad susceptionem legis: & ex hoc erat dignitas in eo ad hoc, secundùm quod dicitur Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; margaritas proijcere ante porcos:* & per *sanctum* intelliguntur ibi legis eloquium per *margaritas* scientiæ Prophetarum. Alia ratio est, vt discerneretur ille populus, de quo erat Filius Dei nasciturus: vnde Hugo in Sent. *Circumcisionis Sacramentum semini Abrahæ sanctificando & significando pariter datum est Sanctificando, vt iustificaretur: significando, vt à cæteris gentibus discerneretur: quatenus singularis & discreta generatio maneret, de qua Christus nasceretur.* Quamuis ergò essent in alijs populis aliquæ personæ Deo acceptæ, tamen nullus populus præter istum erat Deo acceptus. Lex autem non datur personæ, sed populo congregato & vnito, viuenti sub vna consuetudine. Vnde hæc est ratio, quare nec Abrahæ, nec Isaac, nec Iacob, nec etiam tempore Patriarcharum data est lex: imò solum postquã multiplicati sunt. Et generaliter data est illi populo lex, non alteri: quia nó erat alius, qui Deum coleret, vel se præpararet. Et propter hoc patet, quod non fuit Dominus accep or personarum in datione legis: quia lex non debet dari personæ, sed populo vnito: imò viuenti & præparanti se ad diuinam obeditionem.

Matth. 7

Hugo. de S. Vict. in Sent.

¶ Ad secundam rationem dicendum, quod æqualis fuit cura Deo de omnibus in dando legem, quantum fuit ex parte ipsius; & æqualiter illam dedit, quantum erat de se: non tamen ex parte suscipientium fuit æqualitas: quia non omnes fiebant digni, præparando se: sed solus populus Iudaicus. Sicut enim est de gratia, quod Deus non vult de necessitate dare gratiam suam, non volentibus eam habere; vnde non vult homines de necessitate esse beatos: ita non vult homines de necessitate dirigi in salutem, sed voluntariè: & quia datur lex ad directionem in salutem, ideò non debuit dari, nisi volentibus dirigi: hi autem fuerunt soli, qui se præparabant. Ex hoc patet, quod nulli populo conueniebat dari, nisi istis: sic tamen dedit eis legem, vt alij de gentibus possent ad eam transire, si vellent: vnde sic data fuit huic populo, vt & cuilibet alij, qui vellet esse sub lege. Et hoc est, quod dicit August. Vnde postquam lex naturalis euanuit, oppressa consuetudine delinquendi; tunc oportuit manifestari, vt in Iudæis omnes audirent. Et sic lex respiciebat omnes quantum ad hoc, quod omnes poterant audire in Iudæis, & transire ad legem, si vellent. Vnde in Exod. 20. dicitur, quod ante lationem legis quærebatur à Iudæis, an vellent, & consentirent viuere sub lege.

August. in quæst. Vet. Test.

Exod. 20.

¶ Ad tertiam dicendum, quod sicut lux corporalis nõ licet oculo, nisi disposito: ita lux spiritualis, quæ est lex, nõ datur, nisi disposito: dispositus autẽ est homo ad ipsam voluntatem, vt velit homo sub lege viuere.

¶ Ad rationem autem, quæ est contra primam rationem gloss. patet solutio ex dictis.

¶ Ad rationem, quæ est contra secundam: Dicendum, quod lex quantum ad figurabilia erat ducẽs in Christum: & propter hoc antequam fieret reuelatio de Christo, non debuit dari. Non fuit autem facta Seth, nec Noe, nec alijs patribus Abrahæ: sed fuit facta primò Abrahæ, cùm dixit Dominus illi. In semine tuo, &c. & deinde illud idem dixit Isaac: post Iacob: vt haberentur tres testes de fide Incarnationis. Sed tunc etiam non debuit dari: imò postquam populus esset multiplicatus & vnitus: vt discretus esset populus, cui dabatur, & de quo erat Christus nasciturus.

¶ Ad aliud, quod ostenditur: quod culpa fuit Angelorum, quod non ministrauerunt legem his, quibus præerãt. Dicendum secundùm Dionys. quod istud non fuit culpa Angelorum: imò fuit culpa gentium, quibus dominabantur Angeli: qui non præparauerunt se ad [illegible] gis: nec volebant se præparare: vnde non [illegible] illuminationem per legem: & quia non datur, nisi v[illegible] tibus eam, ideò non fuit eis lata. Nec de [illegible] Angelos, quia bene ministrassent: si eis se præparassent [illegible] propter hoc fuit culpa gentium, non Angelorum [illegible] enim arbitrio liberè recipere, quod per Angelos [illegible] tur. Et hoc est, quod dicit Dionys. Si autem quis [illegible] quomodo Hebræorum populus reductus est solus ad diuinas illuminationes. Respondendum, quod non Angelorum rectas dominationes accusari oportet de alio[illegible] gentium errore: sed illos populos proprijs motibus ex recta reductione ad Dominum decidentes amore proprio & superbia: Neque coacta habemus vitam, neque per prouidentiæ potestatem diuina lumina reuelantur. Et intendit per hoc dicere, quòd illa, quæ sunt per potestatem prouidentiæ; sunt necessitatis: quæ autem propter ordinem, non. Diuina ergò illuminatio facta per legem; quia non est per potestatem prouidentiæ, sed per ordinem; non est necessitatis: & ideò non fuit lata, nec ministrata, nisi volentibus: Hæc ergò est sua ratio; quare alijs gentibus non ministrabant Angeli legem.

Dionys. in hierar. Angelic.

[illegible]dem

¶ Sed tunc posset quæri: quare istis per Angelum suum Michaelem rectorem fuit ministrata: non similiter alijs gentibus per suos Angelos? Et respondetur, quod alij populi habuerunt Angelos, & etiam sanctos homines rectores: sicut fuit Melchisedec: tamen illi populi non se præparauerunt ad legem suscipiendam. Soli autem Hebræi conuersi sunt ad Deum, & se præparauerunt: & ideò illis est ministrata. Et hoc est quod dicitur. *Non similiter Melchisedech Theosophi amicum Dei tantum; sed & sacerdotem Dei vocant: vt habentibus prudentiam apertè significent; quod non solum ad verè existentem Deum erat conuersus; sed etiam alijs sicut Hierarcha ducatum præbebat: & Pharaoni apud Ægyptios. & Babyloniorum principi. & gentibus illis, quibus Dei ministri Duces statuti sunt, formatarum & Angelicis visionum manifestationes, ancillis viris Daniel & Ioseph ex Deo per Angelos sunt reuelatæ, ipsa altissimi prouidentia omnes homines salutariè suscitatiuis manuductionibus distribuente, solo præter omnes Israel, ad veri luminis donationem & cognitionem conuerso: vnde* Theologia dicit Deum possedisse Israel.*

Dubitat.

Dionys. lib. de [illegible] Hierarch. a cap. [illegible] longe a[illegible] in ver[illegible] in noua translatione.

* Aliàs, Theologus.

ARTICVLVS V.

An lex Moysis à bono latore lata sit?

Consequenter est quærere de legislatore. Et primò contra Manichæos ostendendum est, quod lex Moysi sit lata à bono & à solo Deo. Secundò quæritur, vtrum sit lata ab eo per ministerium Angelorum.

¶ Contra Manichæos ergò, qui blasphemant legẽ, dicentes eam latam esse à [illegible] principe tenebrarũ: arguitur ex testimonijs Noui Testam. quod recipiunt. Sicut dicit Saluator. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestrã: Deus enim dicit, honora patrem tuũ, &c.*

Matt. 15

¶ Secvnda ratio: Iuueni quærenti, *quid faciendo, vitam æternam possidebo.* Respondit Dominus. *Mandata nosti: non occides, non mœchaberis, &c.* Lex igitur à bono Deo lata est.

Luc. 18

¶ Si dicatur, quod quantum ad cæremonialia sit à malo Deo: non quantum ad moralia. Contra. Dixit Dominus leproso. *Vade, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Sed constat, quod illud munus erat cæremoniale: ergò ex hoc quod præcepit offerri, approbauit cæremonialia: sed nullo modo approbaret, vt præciperet fieri, quod traditum esset à diabolo: ergò illa sunt à Deo.

Matth. 8

¶ Item, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda nouum testamentum; non secundùm testamentum, quod feci patribus eorum, &c.* ergò idem est lator legis & Euangelij, Noui & Vet. Test.

Hiere. [illegible]

¶ Item, adducit Apostolus illud. *Non alligabis os boui trituranti.* & dicit istud dictum esse in lege: & inducit ad ostendendum, quod licitum erat ei accipere sumptus.

Co[illegible]

¶ Item, *Vnus est legislator: qui potest perdere & viuificare.* [illegible] his pater legem esse datam à bono Deo.

¶ Item, *Lex sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum.* Ergò est à bono & sancto: ergò à lege æterna.

¶ Item,

¶ ITEM, Volenti mihi facere bonum, inuenio legem: quoniam bona est. Ergò à bono est, &c.

Timot. 1. ¶ ITEM, *Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.*

Matth. 5. ¶ ITEM, *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Sed nihil impletur à Deo nisi bonum.

¶ ITEM, Deus ex ore suo dixit eam legem Dei: Matth. 15. *Dimittis legem Dei propter traditiones vestras.* Matt. 15.

¶ AD oppositum sunt blasphemiæ impiorum Manichæorum sub specie ratiocinantium. Aug. *Iubet extra lex amorem auertere à temporalibus, & emundatum ad æterna conuertere.* Sed lex Moysi conuertit animum ad temporalia, & auertit ab æternis: ergò est contraria legi æternæ: ergò non deriuatur ab ea. Minor patet; nam lex Moysi conuertit animum ad sua promissa. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis:* vt terram, lac, & mel huiusmodi: non conuertit ergò animum ad æterna, sed ad temporalia. (Aug in li. de libero arbitrio. — Esai. 1.)

¶ SECVNDA ratio. A summa ratione non egreditur præceptum aliquod sine ratione: cùm ergò in lege Moysi sint multa præcepta, scilicet cerimonialia sine ratione: ergò non sunt à summa ratione, quæ est lex æterna. Sed constat, quod sunt ab aliquo principio & vno: ergò à malo principio; vt dicunt Manichęi. Quod autem sint ibi multa sine ratione, patet: quia quod dicitur, *Lana & lino non vestieris*: similiter. *Non coques hedum in lacte matris*, &c. ista nullam habent rationem. (Deut. 22. Ibidem. & 14.)

¶ TERTIA ratio. Omne opus rectum sicut in quo est intentio operatoris ordinata, est propter finem honorabilem vel vtilem: sed omne opus diuinæ legis est rectum; ergò eius finis est honorabilis & vtilis. Si ergò ponamus pręcepta cęremonialia esse ab ęterno & bono: ergò eorum esset finis honorabilis vel vtilis. Sed hoc est falsum: quia ex hoc. *Non coques hedum, & non arabis in boue & asino*: non acquiritur aliqua bona dispositio in anima, nec aliquod bonum in corpore secundùm literam, nec aliqua vtilitas: ergò, &c. Si dicatur, quod ratio est in cęrimonialibus: sicut in illis. *Non arabis in boue & asino: & non vestieris in lana & lino*, & in alijs, in quibus prohibêtur mixtiones; quia lex Moysi prohibet omnem cômixtionem vitandam & horrendam, quæ est in peccato contra naturam; ne homines, qui tunc erant proni ad malum, de similibus ad similia transirent: vt ne crederent, quod sicut fit cômixtio aliquorum fieret omnium. Sed nihilominus sunt adhuc multa alia cęrimonialia, quorum non est ratio: sicut, *Non coques hedum*, &c. & quare tot hirci (ad litteram) offeruntur, & non plures? & quare hoc modo? & quare aries, & nô aliud? & sic de alijs. Ergò adhuc idem quod priùs sequitur: quod non deriuetur lex Moysi per vniuersitatem ab æterna. (Deut. 22. — Ibidem. — Ibidem.)

Hebr. 7. ¶ ITEM, *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem* (& loquitur quantum ad cærimonialia) sed nihil infirmum & inutile est à lege æterna, immò secundùm quod conferens est & vtile: ergò, &c.

Rom. 7. ¶ ITEM, *Virtus peccati lex.* Ergò lex est effectiuum peccati: sed nullum tale est à lege æterna: ergò nec lex Moysi.

Ibidem. ¶ SEXTA ratio, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Ergò lex est augmentariuum peccati. Et hoc dicit gl. super illud: *Sed ei, qui ex fide est, Abrahæ.* Gloss. *Lex auget peccatum.* Sed nullum tale est à lege æterna: ergò, &c. (Rom. 4. Glossa.)

¶ ITEM, *Passiones peccatorum, quæ per legem erant.* Ergò lex Moysi est causa illarum passionum: ergò, &c.

¶ DICVNT autem quidam, quod hæc omnia intelligûtur per occasionem, & non per causam: scilicet, quod lex sit augmentariuum peccati, &c. Sed tunc obiicitur: quoniam si hoc esset verum: ergò idem esset, posita lege, & remota: sed hoc est falsum; quia lege aduenięte, peccatum factum est præuaricatio: quia *vbi nô est lex, neq; præuaricatio.* lex ergò dicit causam peccati aliquam: ergò occasio non priuat ibi omninò causalitatem. (Rom. 4.)

Rom. 7. ¶ ITEM, *Peccatum est operatum in me per mandatum omnem concupiscentiam*: & dicit post, *vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ex quo habetur, quod mandatum operatur ad peccatum: & quod per ipsum magis intenditur fomes: ergò lex est causa peccati aliquo modo: ergò non solùm occasio: ergò, &c.

¶ ITEM, sic se habet lex ad hominem post peccatum; sicut vinum ad febricitatē: quoniam sicut vinum bonum est in se, tamen malum est ægro vel febricitāti; quia est dispositus ad hoc, vt inflammetur à vino: ita lex in se sancta, & mandatū sanctum & bonum; vt habetur ad Rom. 7. Tamē homo post peccatum dispositus est ad malum: ad hoc (sc. i[illegible]nes irrētatur per legem: sed datio vini ægrotanti nô potest esse ad bonum, nec à bono medico; immò culpabilis esset: ergò similiter datio legis Moysi nô potest esse ad bonum, nec à bono principio: ergò, &c. Rom. 7.

¶ ITEM, Lex Moysi præcepit legem talionis, vt oculum pro oculo, dentē pro dente: lex æterna seu Euāgelica prohibet: ergò cùm contrarię sint, non sunt ex eodem: sed hęc est à bono principio, ergò illa à malo.

¶ ITEM, lex Moysi dicit, odi inimicum: lex Euangelica iubet contrarium, scilicet, diligite inimicos vestros: ergò si hæc est à bono, illa est à malo principio.

¶ ITEM, lex Moysis concessit libellum repudij, & iussit fieri ipsum: lex Euangelij prohibet ipsum: ergò, &c.

¶ ITEM, lex data ab optimo Deo dirigit per Spiritum; sed obseruantia legis excludit spiritum; sicut habetur: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*: ergò nô est data ab optimo. Galat. 5.

¶ ITEM, à bono non est ministratio damnationis & mortis: sed dicitur: *quod littera occidit*: & iterum dicitur ibi: *Si ministratio mortis fuit in gloria*, &c. & appellat legem ministrationem mortis: ergò lex non est à bono Deo. 2 Cor. 3.

¶ ITEM, Deus bonus non est auctor mendacij: sed actor legis est actor mendacij, sicut habetur: *Quis decipiet Achab?* & respondit vnus. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Et postea sequitur. *Egredere & fac.* Ergò iussit illi mentiri & decipere: sed præcipere est esse auctorem: auctor igitur legis est auctor mendacij: ergò non est Deus bonus. 3 Re. 22.

¶ ITEM auctor Vet. Testam. *non fuit fidelis & æquus in suis mandatis: quia iussit rapinam filijs Israel in egressu de AEgypto: præcepit etiam dolum*, id est, quod simularent mutuum, cùm non intenderent reddere. Auctor Vet. Test.

¶ ITEM, *Quæcunque sunt sub operibus legis: sub maledicto sunt*, sed opera maledicta non sunt ab optimo Deo: ergò, &c. Galat. 3.

¶ ITEM, *Audistis quia dictum est antiquis*, &c. Ex hoc videtur distinguere & dicere, quod ab alio data fuerunt illa: & ab alio dantur ista noua. Matth. 5.

¶ ITEM, ab eodem mandante non procedunt mandata contraria: sed contraria sunt, diligere inimicum, quod præcipitur à Deo: & odire inimicum, quod præcipitur ab auctore legis: ergò lex non est à bono Deo.

¶ ITEM, Deus non est sibi diffidens & contrarius. Exo. 4. auctor legis iurat se daturum terram promissionis: alibi iurat se non daturum: ergò diffidet sibiipsi, ergò non est bonus Deus. Exod. 4.

¶ ITEM, auctor Veteris Testamenti est auctor malorum: sicut habetur: *Est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus*, ergò, &c. Amos 3.

RESOLVTIO.

Quidquid blasphement Manichæi: lex Moysis ab optimo latore Deo est.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod lex Moysi data est à bono Deo.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendum secundùm August. Vnus est Deus, vnus Creator bonorum temporalium & ęternorum: ita vnus est Deus auctor duorum Testamentorum, scil. Veteris & Noui Testam. tamen in vno allicit propter æterna, scil. in Nouo: & in Veteri propter temporalia. Et ita cum Nouum Testamentum seu lex Euangelica sit à lege æterna; constat quod similiter & lex Mosaica, quæ dicitur Vetus Testamentum. Aug con aduersar. legis & Prophet.

¶ AD id tamen, quod obiicitur: quod lex Mosaica auertit animam ab æternis, & conuertit ad temporalia. Dicendum, quod est conuerti ad temporalia propter temporalia, vt ibi fiat status: & hoc modo lex Mosaica non conuertit ad temporalia. Item, est conuerti ad temporalia, non propter se, sed propter æterna: & hoc modo lex Moysi conuertit ad temporalia, scilicet, vt per hoc alliciatur homo ad

RESOLVTIO.

Soli Iudæi, nec alij ferri debuit Lex Moysi: quippe cum soli vnum Deum colerent, digni erant, quibus eloquia Dei crederentur. Additur hic, quia de eis Christus Messiam nasciturus erat.

¶ SOLVTIO. dicendum, sicut dictum est de gloss. Ro. 5. quod duplici de causa data est Iudæis lex, & non alijs. Vna est, quia ille populus solum vnum Deum colens, dignus erat, cui eloquia Dei crederentur, cæteris idola colentibus: vnde solus ille populus præparabat se ad susceptionem legis: & ex hoc erat dignitas in eo ad hoc, secundùm

Matth. 7 quod dicitur Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; margaritas proijcere ante porcos:* & per *sanctum* intelligitur ibi legis eloquium per *margaritas* scientiæ Prophetarum. Alia ratio est, vt discerneretur ille populus, de quo erat Filius Dei

Hugo. de S. Vict. in Sent. nasciturus: vnde Hugo in Sent. *Circumcisionis Sacramentum semini Abrahæ sanctificando & significando pariter datum est. Sanctificando, vt iustificaretur: significando, vt à cæteris gentibus discerneretur: quatenus singularis & discreta generatio maneret, de qua Christus nasceretur.* Quamuis ergò essent in alijs populis aliquæ personæ Deo acceptæ, tamen nullus populus præter istum erat Deo acceptus. Lex autem non datur personæ, sed populo congregato & vnito, viuenti sub vna consuetudine. Vnde hæc est ratio, quare nec Abrahæ, nec Isaac, nec Iacob, nec etiam tempore Patriarcharum data est lex: imo tantum postquã multiplicati sunt. Et generaliter data est illi populo lex, non alteri: quia nõ erat alius, qui Deum coleret, vel se præpararet. Et propter hoc patet, quod non fuit Dominus acceptor personarum in datione legis: quia lex non debet dari personæ, sed populo vnito: immò viuenti & præparanti se ad diuinam obeditionem.

¶ AD secundam rationem dicendum, quod æqualis fuit cura Deo de omnibus in dando legem, quantum fuit ex parte ipsius; & æqualiter illam dedit, quantum erat de se: non tamen ex parte suscipientium fuit æqualitas: quia non omnes fiebant digni, præparando se: sed solus populus Iudaicus. Sicut enim est de gratia, quod Deus non vult de necessitate dare gratiam suam, non volentibus eam habere; vnde non vult homines de necessitate esse beatos: ita non vult homines de necessitate dirigi in salutem, sed voluntariè: & quia datur lex ad directionem in salutem, ideò non debuit dari, nisi volentibus dirigi: hi autem fuerunt soli, qui se præparabant. Ex hoc patet, quod nulli populo conueniebat dari, nisi isti: hic tamen dedit eis legem, vt alij de gentibus possent ad eam transire, si vellent: vnde sic data fuit huic populo, vt & cuilibet alij, qui vellet esse sub lege. Et hoc est, quod dicit August. Vnde postquam lex naturalis euanuit, oppressa consuetudine delinquendi; tunc

Augest. in quæst. Vet. Test. oportuit manifestari, vt in Iudæis omnes audirent. Et sic lex respiciebat omnes quantum ad hoc, quod omnes poterant induci in Iudæis, & transire ad legem, si vellent.

Exod. 20 Vnde in Exod. 20. dicitur, quod ante lationem legis quærebatur à Iudæis, an vellent, & consentirent viuere sub lege.

¶ AD tertium dicendum, quod sicut lux corporalis nõ lucet oculo, nisi disposito: ita lux spiritualis, quæ est lex, nõ datur, nisi disposito: dispositus autē est homo ad ipsam voluntatem, vt velit homo sub lege viuere.

¶ AD rationem autem, quæ est contra primam rationem glossæ, patet solutio ex dictis.

¶ AD rationem, quæ est contra secundam: Dicendum, quod lex quantum ad figurabilia erat ducēs in Christum: & propter hoc antequam fieret reuelatio de Christo, non debuit dari. Non fuit autem facta Seth, nec Noe, nec alijs patribus Abrahæ: sed fuit facta primò Abrahæ, cùm dixit Dominus illi. In semine tuo, &c. & deinde illud idem dixit Isaac: post Iacob: vt haberentur tres testes de fide Incarnationis. Sed tunc etiam non debuit dari: imò postquam populus esset multiplicatus & vnitus: vt discretus esset populus, cui dabatur, & de quo erat Christus nasciturus.

¶ AD aliud, quod ostendunt: quod culpa fuit Angelorum, quod non ministrauerunt legem his, quibus præerãt.

Dionys. in hierar. Angelic. Dicendum secundum Dionys. quod istud non fuit culpa Angelorum, immò fuit culpa gentium, quibus dominantur Angeli: qui non præparauerunt se ad susceptionem legis: nec volebant se præparare: vnde nolebant recipere illuminationem per legem: & quia non datur, nisi volentibus eam, ideo non fuit eis lata. Nec de fuit hoc per Angelos, quia bene ministrassent, si illi se præparassent: & propter hoc fuit culpa gentium, non Angelorum: noluerunt enim arbitrio liberi recipere, quod per Angelos ministrabatur. Et hoc est, quod dicit Dionys. Si autem quis dicit, Idem quomodo Hebræorum populus reductus est solus ad diuinas illuminationes. Respondendum, quod non Angelorum rectas dominationes accusari oportet de aliorum gentium errore: sed illos populos proprijs motibus ex recta reductione ad Dominum decidentes amore proprio & superbia: Neque coacta habemus vitam, neque per prouidentiæ potestatem diuina lumina reuelantur. Et intendit per hoc dicere, quòd illa, quę sunt per potestatem prouidentiæ, sunt necessitatis: quæ autem propter ordinem, non. Diuina ergò illuminatio facta per legem; quia non est per potestatem prouidentiæ, sed per ordinem; non est necessitatis: & ideò non fuit lata, nec ministrata, nisi volentibus: Hæc ergò est sua ratio; quare alijs gentibus non ministrabant Angeli legem.

¶ SED tunc posset quæri: quare istis per Angelum suum Michaelem rectorem fuit ministrata: non similiter alijs gentibus per suos Angelos? Et respondetur, quod alij populi habuerunt Angelos, & etiam sanctos homines rectores: sicut fuit Melchisedec: tamen illi populi non se præparauerunt ad legem suscipiendam. Soli autem Hebræi conuersi sunt ad Deum, & se præparauerunt: & ideò illis est ministrata. Et hoc est quod dicitur. *Non similiter Melchisedech Theosophi amicum Dei tantum; sed & sacerdotem Dei vocant: vt habentibus prudentiam aperte significent; quod non solùm ad verè existentem Deum erat conuersus; sed etiam alijs sicut Hierarcha ducatum præbebat: & Pharaoni apud Ægyptios, & Babyloniorum princips, & gentibus illis, quibus Dei ministri Duces statuti sunt, formatarum & Angelis visionum manifestationes, auctoritru Danieli & Ioseph ex Deo per Angelos sunt reuelata, ipsa altissimi prouidentia omnes homines salutariè suscitatiuis manuductionibus distribuente, solo præter omnes Israel, ad veri luminis donationem & cognitionem conuerso: vnde* Theologia dicit Deum posse di ße Israel.*

Dubitat.

Dionys. lib. de cęlest. Hierarchia cap. 9. longè aliis verbis in noua translatione.

* Aliàs, Theologus.

ARTICVLVS V.

An lex Moysis à bono latore lata sit?

CONSEQVENTER est quærere de legislatore. Et primò contra Manichæos ostendendum est, quod lex Moysi sit lata à bono & à solo Deo. Secundò quæritur, vtrum sit lata ab eo per ministerium Angelorum.

¶ CONTRA Manichæos ergò, qui blasphemant legē, dicentes eam latam ore impijssimo à principe tenebrarũ: arguitur ex testimonijs Noui Testam. quod recipiunt Sicut dicit Saluator. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestrã: Deus enim dixit, honora patrem tuũ, &c.* Matt. 15

¶ SECVNDA ratio: Iuueni quærenti, *quid faciendo, vitam æternam possidebo.* Respondit Dominus. *Mandata nosti: non occides, non mœchaberis. &c.* Lex igitur à bono Deo lata est. Luc. 18.

¶ SI dicatur, quod quantum ad cærimonialia sit à malo Deo: non quantum ad moralia. Contra. Dixit Dominus leproso. *Vade, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Sed constat, quod illud munus erat cærimoniale: ergò ex hoc quod præcepit offerri, approbauit cærimonialia: sed nullo modo approbaret, vt præciperet fieri, quod traditum esset à diabolo: ergò illa sunt à Deo. Matth. 8.

¶ ITEM, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda nouum testamentum; non secundùm testamentum, quod feci patribus eorum. &c.* ergò idem est lator legis & Euangelij, Noui & Vet. Test. Hiere. 8.

¶ ITEM, adducit Apostolus illud. *Non alligabis os boui trituranti. &* dicit istud dictum esse in lege. & inducit ad ostendendum, quod licitum erat ei accipere sumptus. 1 Cor. 9. & Tim. 1

¶ ITEM, *Vnus est legislator: qui potest perdere & viuificare.* His patet legem esse datam à bono Deo. Iacob. 4

¶ ITEM, *Lex sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum.* Ergo est à bono & sancto: ergò à lege æterna. Rom.

¶ ITEM

¶ ITEM, Volenti mihi facere bonum, inuenio legem: quoniam bona est. Ergò à bono est, &c.

Timot. 1. ¶ ITEM, *Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.*

Matth. 5. ¶ ITEM, *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Sed nihil impletur à Deo nisi bonum.

¶ ITEM, Deus ex ore suo dixit eam legem Dei: Matth.

Matt. 15. 15. *Dimittu legem Dei propter traditiones vestras.*

Aug. in li. de libro arbitrio. ¶ AD oppositum sunt blasphemiæ impiorum Manichæorum sub specie ratiocinantium. Aug. *Iubet extra lex amorem auertere à temporalibus, & emundatum ad æterna conuertere.* Sed lex Moysi conuertit animum ad temporalia, & auertit ab æternis: ergò est contraria legi æternæ: ergò non deriuatur ab ea. Minor patet, nam lex Moysi conuertit a-

Esai. 1. nimum ad sua promissa. *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis:* vt terram, lac, & mel huiusmodi: non conuertit ergò animum ad æterna, sed ad temporalia.

¶ SECVNDA ratio. A summa ratione non ægreditur præceptum aliquod sine ratione: cùm ergò in lege Moysi sint multa præcepta, scilicet cerimonialia sine ratione: ergò non sunt à summa ratione, quæ est lex æterna. Sed constat, quod sunt ab aliquo principio & vno: ergò à malo principio; vt dicunt Manichęi. Quod autem sint ibi multa

Deut. 22. Ibidem. & 14. sine ratione, patet: quia quod dicitur, *Lana & lino non vestieris:* similiter. *Non coques hedum in lacte matris,* &c. ista nullam habent rationem.

¶ TERTIA ratio. Omne opus rectum sicut in quo est intentio operatoris ordinata, est propter finem honorabilem vel vtilem: sed omne opus diuinæ legis est rectum; ergò eius finis est honorabilis & vtilis. Si ergò ponamus pręcepta cęrimonialia esse ab ęterno & bono: ergò eorum esset finis honorabilis vel vtilis. Sed hoc est falsum: quia

Deut. 22. ex hoc. *Non coques hedum, & non arabis in boue & asino:* non acquiritur aliqua bona dispositio in anima, nec aliquod bonum in corpore secundùm literam, nec aliqua vtilitas: ergò, &c. Si dicatur, quod ratio est in cęrimonialibus: sicut

Ibidem. in illis. *Non arabis in boue & asino: & non vesties is in lana & lino,* & in alijs, in quibus prohibetur mixtiones; quia lex Moysi prohibet omnem cōmixtionem vitandam & horrendam, quæ est in peccato contra naturam; ne homines, qui tunc erant proni ad malum, de similibus ad similia transirent: vt ne crederent, quod sicut fit cōmixtio aliquorum fieret

Ibidem. omnium. Sed nihilominus sunt adhuc multa alia cęrimonialia, quorum non est ratio: sicut, *Non coques hedum,* &c. & quare tot hirci (ad litteram) offeruntur, & non plures? & quare hoc modo? & quare aries, & nō aliud? & sic de alijs. Ergò adhuc idem quod priùs sequitur: quod non deriuetur lex Moysi per vniuersitatem ab æterna.

Hebr 7. ¶ ITEM, *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem* (& loquitur quantum ad cærimonialia) sed nihil infirmum & inutile est à lege æterna, immò secundùm quod conferens est & vtile: ergò, &c.

Rom. 7. ¶ ITEM, *Virtus peccati lex.* Ergò lex est effectiuum peccati: sed nullum tale est à lege æterna: ergò nec lex Moysi.

Ibidem. ¶ SEXTA ratio, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Ergò lex est augmentatiuum peccati. Et hoc dicit gl. super il-

Rom. 4. Glossa. lud: *Soli ei, qui ex fide est, Abrahæ.* Gloss. *Lex auget peccatum.* Sed nullum tale est à lege æterna: ergò, &c.

¶ ITEM, *Passiones peccatorum, quæ per legem erant.* Ergò lex Moysi est causa illarum passionum: ergò, &c.

¶ DICVNT autem quidam, quod hæc omnia intelligūtur per occasionem, & non per causam: scilic. quod lex sit augmentatiuum peccati, &c. Sed tunc obiicitur: quoniam si hoc esset verum: ergò idem esset, posita lege, & remota: sed hoc est falsum; quia lege adueniēte, peccatum factum

Rom. 4. est præuaricatio: quia *vbi nō est lex, neq; præuaricatio.* lex ergò dicit causam peccati aliquam: ergò occasio non priuat ibi omninò causalitatem.

Rom. 7. ¶ ITEM, *Peccatum est operatum in me per mandatum omnem concupiscentiam:* & dicit post, *vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ex quo habetur, quod mandatum operatur ad peccatum: & quod per ipsum magis incenditur fomes: ergò lex est causa peccati aliquo modo: ergò non solùm occasio: ergò, &c.

¶ ITEM, sic se habet lex ad hominem post peccatum; sicut vinum ad febricitaté: quoniam sicut vinum bonum est in se, tamen malum est ægro vel febricitāti; quia est dispositus ad hoc, vt inflammetur à vino: ita lex in se sancta,

& mandatū sanctum & bonum; vt habetur ad Rom. 7. Tamē homo post peccatum dispositus est ad malum: ad hoc (sc.) quod homines intēdatur per legem: sed datio vini ægrotanti nō potest esse ad bonum, nec à bono medico; immò culpabilis esset: ergò similiter datio legis Moysi nō potest esse ad bonum, nec à bono principio: ergò, &c. Rom. 7.

¶ ITEM, Lex Moysi præcepit legem talionis, vt oculum pro oculo, dentē pro dente: lex æterna seu Euāgelica prohibet: ergò cùm contrarię sint, non sunt ex eodem: sed hęc est à bono principio, ergò illa à malo.

¶ ITEM, lex Moysi dicit, odi inimicum: lex Euangelica iubet contrarium, scilicet, diligite inimicos vestros: ergò si hæc est à bono, illa est à malo principio.

¶ ITEM, lex Moysis concessit libellum repudij, & iussit fieri ipsum: lex Euangelij prohibet ipsum: ergò, &c.

¶ ITEM, lex data ab optimo Deo dirigit per Spiritum; sed obseruantia legis excludit spiritum; sicut habetur: *Si* Galat. 5.

Spiritu ducimini, non estis sub lege: ergò nō est data ab optimo.

¶ ITEM, à bono non est ministratio damnationis & mortis: sed dicitur: *quod litera occidit:* & iterum dicitur ibi: *Si* 2. Cor. 3.

ministratio mortis fuit in gloria, &c. & appellat legem ministrationem mortis: ergò lex non est à bono Deo.

¶ ITEM, Deus bonus non est auctor mendacij: sed actor legis est actor mendacij, sicut habetur: *Quis decipiet Achab?* 3 Re. 22.

& respondit vnus. *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Et postea sequitur. *Egredere & fac.* Ergò iussit illi mentiri & decipere: sed præcipere est esse auctorem: auctor igitur legis est auctor mendacij: ergò non est Deus bonus.

¶ ITEM auctor Vet. Testam. *non fuit fidelis & æquus in suis* Auctor

mandatis: quia iussit rapinam filijs Israel in egressu de AEgypto: Vet. Test.

præcepit etiam dolum, id est, quod simularent mutuum, cùm non intenderent reddere.

¶ ITEM, *Quæcunque sunt sub operibus legis: sub maledicto sunt,* Galat. 3.

sed opera maledicta non sunt ab optimo Deo: ergò, &c.

¶ ITEM, *Audistis quia dictum est antiquis,* &c. Ex hoc videtur distinguere & dicere, quod ab alio data fuerunt illa: & ab alio dantur ista noua. Matth. 5.

¶ ITEM, ab eodem mandante non procedunt mandata contraria: sed contraria sunt, diligere inimicum, quod præcipitur à Deo: & odire inimicum, quod præcipitur ab auctore legis: ergò lex non est à bono Deo.

¶ ITEM, Deus non est sibi diffidens & contrarius. Exo. Exod. 4.

4. auctor legis iurat se daturum terram promissionis: alibi iurat se non daturum: ergò diffidet sibiipsi, ergò non est bonus Deus.

¶ ITEM, auctor Veteris Testamenti est auctor malorum: sicut habetur: *Est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus,* ergò, &c. Amos 3.

RESOLVTIO.

Quidquid blasphement Manichæi: lex Moysis ab optimo latore Deo est.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod lex Moysi data est à bono Deo.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendum secundùm August. Vnus est Deus, vnus Creator bonorum temporalium & ęternorum: ita vnus est Deus auctor duorum Testamentorum, scil. Veteris & Noui Testam. tamen in vno allicit propter æterna, scil. in Nouo: & in Veteri propter temporalia. Et ita cum Nouum Testamentum seu lex Euangelica sit à lege æterna; constat quod similiter & lex Mosaica, quæ dicitur Vetus Testamentum. Aug. con. aduersar. legis & Prophet.

¶ AD id tamen, quod obiicitur: quod lex Mosaica auertit animam ab æternis, & conuertit ad temporalia. Dicendum, quod est conuerti ad temporalia propter temporalia, vt ibi fiat status: & hoc modo lex Mosaica non conuertit ad temporalia. Item, est conuerti ad temporalia, non propter se, sed propter æterna: & hoc modo lex Moysi conuertit ad temporalia, scilicet, vt per hoc alliciatur homo ad

Deut. 1. mo ad æterna, scilicet vt ex dono moueat hominem, & alliciat ad amorem dantis, scilicet Dei. Vnde, *Possideas terram, quam iurauit tibi. Audi Israel, quid petit; vt timeas Dominum & ambules in vijs eius, & diligas eum.*

¶ Ad secundùm dicendum: quod in lege Moysi duplex est ratio præcepti, scilicet literalis & spi[illegible] In omnibus moralibus & iudicialibus est ratio literalis manifesta: in cerimonialibus autem est homini spirituali ratio spiritualis manifesta. Sed literalis ratio potest accipi in eis dupliciter: aut quantum ad generalitatem ipsorum: aut quantum ad singularitatem, sicut quãtum ad circumstantias. Primo modo potest in eis inueniri ratio literalis; sicut in præcepto de prohibitione commixtionũ, sicut dictum est. Sed secundo modo non potest inueniri: vt quare aries sacrificatur, non aliud? quare in tali numero, & non maiori, non minori? & tamen in his circumstantijs latet ratio literalis: licet nota sit aliqua spiritualis in vnaquaque circumstantia: quælibet enim circumstantia habet rationem
Matth. 5. spiritualem notam homini spirituali. Vnde, *Iota vnum, aut apex vnus non transiet à lege, quin omnia fiant.* Ex quo patet, quod in omnibus circumstantijs est ratio spiritualis. Tamen istud paulò infra plenius determinabitur de ratione cerimonialium præceptorum.

¶ Ad tertium dicendum: quod quorundam præce-
Deuter 5. ptorum vtilitas nobis nota est: sicut vtilitas horum. *Non occides, non fornicaberis,* &c. Quorum autem vtilitas non est nobis nota: sicut vtilitas prohibitionis esus ligni de nouo plantati. Et illa, quorum vtilitas scitur, vocat Rabbi Moyses Iudæus iudicia: alia vocat cerimonialia, generali nomine. Habemus tamen, quod omnia vocantur præcepta
Deut. 4. generali nomine. *Audi Israel præcepta & iudicia, quæ ego doceo te: vt facias ea, & viuas: & ingrediens terram, possideas eam.* Ecce
Deut. 32. eorum vtilitas. Et similiter: *Custodite & facite vniuersa, quæ non in cassum sunt præcepta vobis.* Ergò patet, quod ex ipsis habemus vtilitatem: sed hanc vel occultam, vel manifestam. Et per hoc soluitur ratio.

¶ Sed tamen vlteriùs potest addi, quod vtilitas præcepti potest esse vel ex præcepto, vel ex præcipiente, sc. ex obedientia ipsius obtemperantis. In multis ergò cerimonialibus non est necesse dicere, quod sit ibi vtilitas ex parte præcepti: tamen est ibi ex parte præcipientis: scilicet vtilitas obedientiæ. Vnde August. vbi loquitur de prohi-
August. 8. super Genes. bitione, quam Deus fecit Adæ, ad quid esset vtinsadicit. *Causa iussionis huius non longiùs differamus: sed hæc ipsa magna est hominis vtilitas, quod Deo seruit: in iubẽdo Deus vtiliter facit, quicquid iubere voluerit.* Habemus ergò in illis meritum & vtilitatem obedientiæ.

¶ Ad quartum dicendum: quia quod dicitur, sit reprobatio prioris mandati propter suam infirmitatem: hoc dicitur quantũ ad statum Euangelij, respectu cuius erat infirmitas illa in cerimonialibus: quia inutile esset ea esse cum Euangelio. Lex enim quantum ad illa erat vmbra & figura eorum, quæ in Euangelio implentur. Et sicut figura est inutilis, adueniente figurato, propter quod est: ita illa adueniente Euangelio. Et propter hoc illud dicitur re-
Hebr. 7. spectu Euangelij, non secundùm se. Vnde: *Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.*

¶ Ad alias auctoritates dicendum, quod est loqui de peccato seu de passionibus peccatorum, aut quantum ad sui notionem: aut quantum ad sui augmentum. Primo modo intelliguntur illæ auctoritates causaliter; quia lex
Rom 7. Glossa. ipsa fuit causa cognoscendi peccatum. Vnde: *Peccatum non cognoui nisi per legem.* Gloss. *per legem passiones peccatorum, id est, interiores concupiscentiæ fuerunt notæ.* Si autem loquamur de peccato quantum ad augmentum: sic omnes illæ auctoritates intelliguntur ab Apostolo per occasionem, non per
Rom. 7. causam: sicut dictum est. Vnde: *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me,* &c. & sic passiones peccatorum non sunt auctæ per legem tanquam per causam, sed per occasionem.

Quod ergò quæritur: qui dicit esse per occasionem, priuat ne causam? Dicendum, quod differt dicere aliquid esse ex causa per se, & ex causa per accidẽs: & ex casu & occasione. Dicendo enim causam per se & per accidens; dico principium absolutum: sed differt. Si enim dicam domificator ædificat, dico causam per se: dicendo autem musicus ædificat, dico causam per accidens. Sed dicendo casum & occasionem, dico principium corporatum. Nam casus & occasio sunt ex pluribus causis confluentibus, & præter intentionem. Sed differenter: quia casus ex causis cõfluentibus est, non contrarijs. Si dicam, iste inuenit Thesaurum, quem alius reposuit: dico ex casu: quia ibi sunt plures causæ, scil. quia iste reposuit, & quia ille fodit, ideò inuenit: & tamen quòd ille reposuit, & quod iste fodit, erat præter intentionem inueniendi Thesaurum. Sed occasio est ex causis contrarijs & contingentibus præter intentionem: vt si dicam, aqua superiecta igni magis facit feruere ignem duæ sunt hic causæ respectu feruoris, scil. calor, qui est causa per se feruoris: & aqua, quæ est frigida: quæ est causa cõtrarij; quia est ad frigere faciendum: & ita præter intentionem ad hoc quod sit maior feruor: tamen confluentibus his causis, quia calidum contrarium est frigido, & econuersò, adueniente frigido, comprimitur calor, nec euaporat: & compressus ita postea magis feruet: aqua enim per se erat ad comprimendum calorem: quod ergò ex illa cõpressione magis postea feruet; hoc erat præter intentionem, & ita occasionaliter. Similiter dicendum: quod lex erat ad bonum per se: sicut ad comprimendum fomitem & concupiscentias prauas, & ad prohibendum illas: quia tamen semper nitimur in vetitum; quia per fomitem proni sumus ad malum; ex hoc occasionaliter & præter intentionem legis accidebat intentio fomitis.

¶ Ad octauam rationem, solutum est per hoc.

¶ Ad nonam dicendum, quod non est simile: quia lex se habet ad ægrotum per peccatum per se, vt medicina: vinum autem non sic se habet ad febricitantem: & sic posset esse, quod medicina inueniens malam dispositionem, occideret; tamen hoc esset per occasionem & præter intentionem, cùm non ordinetur ad hoc. Sic est ex parte ista: lex enim erat ad bonum, scil. ad cognitionẽ & detestationem peccati: quod autem cognito peccato fomes incendatur, huius principium per se erat corruptio carnis, sicut calor feruoris ignis: & non lex, nisi per occasionem: sicut aqua istius feruoris non est principium: & sic lege subintrante, non crescit morbus, sicut per causam, sed occasionaliter. Quod autem illud vlterius ordinetur ad bonum, sc. quod homo per hoc humilietur, cognoscendo suam infirmitatem & vtilitatem: iste ordo ad bonum fuit à lege æterna; licet eius principium per se est malum.

¶ Ad decimam rationem, quia obiicitur de talione. Dicendum, quod quædam sunt in lege Mosaica secundùm præceptionem: quædam secundùm concessionem. Quæ sunt in ea secundùm præceptionem: bona sunt secundùm rem, vel secundùm significantiam. Quæ autem secundùm concessionem: dicendum, quod licet eorum iusta sit concessio: tamen id, quod conceditur, nõ semper licitum est. Vnde Augustinus dicit in Libro de Libero arbitrio: quod August. in lib. de Libero arbitrio.
lex temporalis iuste dat licentiam aliquorum, quæ æterna prohibet: vnde dicit sic. *Satis video contra huiusmodi accusationem legem esse munitam: quæ in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne maiora committerentur, licentiam dedit.* Secundùm hoc dicendum de lege talionis, secundùm quod ponit Augustinus ibi, dicens: *Multominus est eum, qui aliena vitæ insidiatur; quam eum, qui suam tuetur, occidi.* Vnde patet, quod Idem.
lex talionis non est contraria legi æternæ: quia non facit hoc per præceptionem, sed per concessionem: vt scil. maius malum vitetur, scil. ne vnus occidat alium. Sed ex hoc sequitur, quod ipsa lex sit imperfecta, secundùm quod dicit Apostolus: quod lex neminem ducit ad perfectum: qui scil. sequatur sensum literalem. Similiter est de libello repudij. Causa enim istius fuit prouitas hominum ad interficiendum vxores suas, cùm displicebant eis: vnde ad vitandum illud maius malum, concessit lex istud. Tamen ipsa præcepit & instituit, quod non licet repudiare quacunque ex causa, hoc est, nisi esset causa expressa. Vnde hoc instituit contra repudium: & sic concessit vel permisit ipsum: tamen magis præcepit contra ipsum, quam cum ipso, scilicet restringendo ipsum.

¶ Simi

¶ Similiter quod dicit lex: Diliges amicum tuum; hoc dixit secundùm præceptionem. Quod autem dicit: Odi inimicum, hoc dicit secundum concessionem, vel permissionem: quia propter pronitatẽ hominum ad malum permittebant eos odire, ne peius accideret. Tamen notandum, quòd est concedere per approbationem: & sic lex non concessit ista: maximè in eo, quod non erat iudex ordinatus. Et est concedere per non coërtionem: & hoc modo concessit, quia scilicet non coërcebat, nec cogebat ad contrarium, nec puniebat ex hoc: & tamen non præcipiebat odire, immò potiùs contrarium, scilicet diligere inimicum præcipiebat: vnde in Exod. præcipit, quòd (Exod. 21.) homo subleuet asinum inimici sui: ergo multo magis quod subleuet personam, cuius est asinus, & sic odium habetur ex permissione, & non præcepto: immò magis eius contrarium: & ideo non est lex Moysi contraria legi æternæ.

¶ Ad aliud dicendum, quòd lex noua & vetus datur, seu est data ab vno Deo, sicut dicit Iacobus: *Vnus est legislator*: (Iacob. 4.) ille enim qui locutus fuerat in prophetis, nouissimè locutus est in noua lege: quæ (sicut dicit Apostolus Galat. 3.) (Galat. 3.) ordinata est per angelos in manu mediatoris: vnde Rom. (Rom. 3.) 3. *Quid ergo amplius in Iudæo*? Respondet, *multum per omnem modum: primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.*

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: quòd lex excludit spiritum: Dicendum, quòd esse sub lege, est dupliciter, scilicet necessitatis timore, vel obedientiæ voluntate. Qui ergo ducitur à spiritu, nõ est sub lege primo modo, id est non implet ex timore: sed secundo modo verum est, quòd aliquis est sub lege, & ducitur spiritu: sicut & Dominus sub lege factus dicitur ab Apostolo.

¶ Ad aliud dicendum: quòd lex in se bona est: tamen (1. Cor. 7.) occasio est mortis, sicut dicit Apostolus 1. Corin. 7. quòd scientia inflat: quod non dicit, vt ostendat, quòd mala est scientia: sed illud dicit, quia scientia sine charitate occasio est superbiæ. Similiter lex dicitur ministratio damnationis, non vt ostendatur mala, sed vt ostendatur, cuius est occasio illi, qui non habet gratiam. Et hoc est, quod (Aug. contra Faustum.) dicit Augustinus: *Semper bona est lex: sicut sol semper bonus est, siue dolentibus oculis noceat, siue sanos mulceat.* Illud ergo non dicitur per efficientem causam, sed per occasionem.

¶ Ad aliud dicendum: quòd quædam attribuuntur Deo per operationem, quædam per permissionem, sicut (2. Thes. 2.) 2. Thessal. 2. dicitur: *Mittet illis operatorem erroris, vt credant mendacio.* Et constat, quòd illud intelligendum est secundùm permissionem: similiter illud; quòd dedit spiritum (Rom. 2.) mẽdacij. Similiter ad Rom. 2. *Quem vult indurat*: non dicitur illud per operationem, sed per permissionem.

¶ Ad quartum dicendùm, quòd in facto Israëlitarum pluribus rationibus potest intelligi fuisse æquitas. Primò, quia intelligitur fuisse donatio gratuita, ibi enim dicitur: (Exod. 11. & 12.) *Dedit Dominus populo suo gratiam coram Aegyptijs, &c.* Item certa scientia excludit dolum: quia sciebat eos recedere, & voluerunt dare. Alia ratio est, ius & potestas Domini ad dispensandum de rebus, sicut vult; vt transferat dominium, cùm voluerit. Item, secundùm legem talionis, quia tenebantur illis Ægyptij pro labore: non fuit iniquitas, sed recompensatio laboris illorum, in quo seruierunt illis.

¶ Ad aliud dicendum: quòd est maledictum pœnę: & hoc modo erant sub maledicto propter obseruantias grauantes. Et est maledictum culpæ: & hoc modo non erant sub maledicto, qui erant sub operibus legis, inquantum erant opera legis; sed quantum ad illos, qui de operibus præsumebant, de se confidentes, verum est; quia erant sub maledicto propter præsumptionem & superbiam: quia in operibus confidebant, & hoc non quia à lege.

¶ Ad aliud dicendum: quòd per illud verbum Matthæi non vult innuere alium esse auctorem illius legis & nouę: sed vult innuere, quod lex Moysi data est à Deo mediatè: noua verò immediatè.

¶ Ad aliud dicendum: quòd quædam erant in lege præcepta: vt illa quæ pertinebant ad salutem, & vitam. Quædam verò permissa: sicut quæ data erant propter cupiditiam eorum, vt erat de libello repudij. Similiter dicendum est de odio inimicorum: quod non erat præceptum, sed permissum.

¶ Ad aliud dicendum: quòd nõ promisit illis terram, nisi sub conditione, scilicet si seruarent mandata ipsius. Quod autem non seruauerunt mandata, non fuit ex parte illius, sed ex parte ipsorum.

¶ Ad aliud dicendum: quòd est malum culpæ, & malum pœnæ: mali pœnæ Deus est auctor operãdo, mali culpæ non, sed permittit illud.

¶ Si obijciatur de illo verbo Ioan. 10. *Quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones*: ergo Moyses fuit latro. (Ioan. 10.) Ad hoc Augustinus: *Omnes, qui ante Christum venerunt, fures fuerunt & latrones; qui missi non sunt: qui autem missi sunt, non ante ipsum, sed cum ipso venerunt.* (August.)

ARTICVLVS VI.

An à Deo immediatè, vel per Angelum medium lata sit lex Moysi?

Svpposito, quòd lex Moysi sit lata ab optimo Deo: quæritur, vtrùm sit ab ipso data vel lata immediatè, vel per ministerium angelorum?

¶ Ad quod sic Galat. 3. *Lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelum in manu mediatoris.* (Galat. 3.) Ex quo patet, quòd lex data sit ministerio angelorum.

¶ Item, Act. 7. *Accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.* (Act. 7.)

¶ Item, ibidem dicitur de Moyse: *Hic est, qui fuit in ecclesia & in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in mõte Sinai.* (Ibidem.) Recepit igitur legem à Deo per angelum.

¶ Item, Hebr. 2. habetur: *Si enim, qui per angelos dictus est, sermo, factus est firmus.* (Hebr. 2.) Gloss. *Sermo Dei, qui per angelos dictus est ad Moysen, & ad cæteros fratres, factus est firmus, id est verus, vt lex per miracula, &c.* (Glossa.) Ex quo vult dicere, quòd lex data sit Moysi per angelos.

¶ Item, sumitur ratio à Dionysio, quæ est hæc: *Omnium causa, & super omnia bonitatis proprium, ad communionem etiam ea, quæ sunt, vocare: & vnicuique eorum propria proportione diffinitur.* (Dionys. in hierarchia angelica.) Summa ergo bonitas ducit hominem ad se, & ad communionem suam secũdùm proportionem ipsius hominis propriam. Sed angelus est prior creatura, quàm homo, media inter Deum & hominem: ergo ducitur homo in summam bonitatem, mediante angelo. Si ergo lex data est ad istam ductionem, & directionem, relinquitur quod sit data homini per angelos.

¶ Item, Dionysius ibidem: *Supercœlestium substantiarum ornatus super ea, quæ tantùm sunt, & irrationabiliter viuentia; & ea, quæ secundùm nos sunt, rationabilia, in hierarchica traditionis participatione facta sunt.* (Idem ibidem.) Si ergo hierarchica participatio est, sicut dicit beatus Dionysius, vt secundæ substantiæ ordinentur per primas, quæ sunt angeli, & lex data est ad istam reductionem: relinquitur, quòd data fuit per angelos. Recepit igitur Moyses legem per angelos.

¶ Idem Dionysius ibidem: *Propterea vltra omnia cognominatione angelica digni facti sunt; eo quod primò in seipsis educit diuinam illuminationem, & per se in nos deferunt, quæ super nos sunt manifestationes.* (Idem ibidem.) Per eos igitur factæ sunt legis manifestationes in nobis.

¶ Rvrsvs: *Video quia & diuinum Christi humanitatis mysterium angeli docuerunt: sicut diuinissimus Gabriel Zachariam mysteria docuit, Mariamq́; quomodo in ipsa foret diuinæ formationis mysterium.* (Idem ibidem c. 4.) Sed dicit B. Bernardus, quod alicui de sanctis fuit concessum, Virgini gloriosæ nõ fuit negatum. Ergo quod fuit ei negatum, alijs non fuit concessum, qui erant inferiores quã ipsa. Si ergo docebatur Virgo per angelum mysterium diuinæ incarnationis: quod (scil.) Deus de ipsa nasceretur; & non per Deum immediatè: ergo & Moysi, qui fuit multum inferior quàm ipsa, data & nũciata fuit lex per angelos: & non à Deo immediatè.

Iterum cap. 13. *Ignis caliditas magis seipsum distribuit ad magis susceptiua: & ad similitudinem suam uenientia.* Ad contrarias verò substantias, aut nullum, aut obscurum suæ operationis vestigium manifestat: his, quæ non sunt cognata, per familiariter ad ipsum se habentia accedit. Iuxta hanc igitur naturalis ordinationis rationem supernaturalis omnis boni ornatus, & ordinatio congruæ dilucidationis claritatem primò apparentem copiosissimis effusionibus in excellentissimis substantijs manifestat: & per eas, quæ possunt, essentiæ diuinum participant radium. Sicut ergo ignis primò operatur in eo, quod est sibi conforme; & per illud accedit ad illud, quod non est sibi cognatum: sic claritas summi boni copiosissima effusione & primò manifestat se superexcellentissimis substantijs, scilicet angelis; & per eas aliæ magis remotæ diuinum diuinæ lucis participant radium: Rationalis ergo creatura, quæ est homo; diuinæ claritatis illuminationem per angelos participat. Si ergo lex data est ei ad eius illuminationem: ergo habet legem à Deo per ministerium Angelorum.

¶ Ad oppositum, mens nulla interposita natura à prima veritate formatur: sicut dicit August. sed ipsa formatur per mandata legis à Deo; quia per hoc cognoscit & diligit Deum: ergo nulla interposita natura habet hoc à Deo: nō ergo per Angelos.

Num.12. ¶ Item, Numer. 12. habetur, quod dicit Dominus de Moyse: *Ore ad os loquar, & palam, non per ænigmata & figuras.*
Deut.34. Et in fine Deuteronomij habetur: *Non surrexit vltra propheta in Israël sicut Moyses, quem Dominus nosset facie ad faciem in o-*
Exod.23. *mnibus signis atq; portentis, quæ misit per eum.* Et Exod. 23. habetur: quòd loquebatur Dominus cum Moyse facie ad faciem: sicut homo loqui solet ad amicum suum. Immediatè ergo percepit legem ab eo.

¶ Item, inter imaginem, & illud cuius est imago, nihil est medium; quia imago est similitudo expressa. Sed secundùm imaginem venit diuina illuminatio in anima rationali, quæ est imago Dei: ergo nullo medio illuminatur anima à Deo. Si ergo illuminatur per legem datam à Deo, cōstat quod ipsam habere debuit immediatè à Deo, & non mediante aliquo.

¶ Item, per totam legē legitur: quòd locutus sit Dominus ad Moysen, non per Angelum, sed per se: & maximè quando dedit ei legem, non legitur locutus fuisse ad Deum per Angelum, sed per se.

RESOLVTIO.

Testantur Sancti: tum maximè Dionys. legem Moysi per Angelos medios datam fuisse.

¶ Solutio. Dicendum, quòd lex data est à Deo per Angelos, id est per ministerium Angelorum, sicut patet
Dionys. Hierar. ... angel. ... per plures auctoritates. Vnde Dionysius: *Docet Theologia legem per Angelos ad nos peruenire, tanquam legali ordine illud legaliter ponente: & hoc est pro prima, secunda in Deum reduci: & non solùm in suppositis & subiectis animis, sed in æquipotentibus ipsa lex differtur: hoc est, vnamquamque hierarchiam, primas, & medias, & vltimas esse ordinationes, & virtutes. Sic per angelicam naturam rationalis humana debuit accipere legem, & ad Deum reduci.* Et hoc est, quod dicit ibidem paulo post: *Siquidem (vt Theologia ait) ante legem & post legem patres nostros Angeli ad Deum reducebant: & ad rectam veritatis viam ex errore & vita immunda reducentes: aut occultas visiones aut diuinas ante prædictiones prophetice reuelantes.*

¶ Ad primam rationem in contrarium: Dicendum, quòd ex hoc non sequitur, quòd aliquod sit medium in formatione mentis à Deo tanquam informans: sed solùm tanquam adminiculans. Et sic ad formationem mētis per legem requiritur Angelicum ministerium, non tanquam informans, sed solùm tanquam adminiculans: & hoc di-
1.Cor.3. cimus iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid: sed qui incrementum dat, Deus.* Quia sicut agricola non est ibi aliquid, quo fiat incrementum: sic neque angelus, quo fiat formatio vt informans: sicut tamen se habet doctor ad discipulum, ita Angelus ad illā formationem.

¶ Ad secundum dicendum: quod non per hoc negatur, quin per Angelum data sit lex: sed per hoc vult ostendere, quòd excellentior reuelatio sibi facta est. Nam triplex est visio, scilicet intellectualis, imaginaria, & corporalis. Visio autem intellectualis triplex est. Quædam est; quæ fit per speciem seu per similitudinem corporalem à sensibus acceptam; & hæc est Dei visio per ænigmata. Alia enim dicitur visio intellectualis, quæ fit per similitudinem imaginariam: & talis visio dicitur esse per figuras, quæ repræsentantur intra, vt in imaginatiua. Aliquando autem est visio intellectualis, quæ solùm fit per speciem intelligibilem: & hæc non est nec per ænigmata, nec per figuras: & hæc visio appellatur tertium cœ-
lum: de qua Paulus dicitur fuisse raptus vsque ad ter- 2.Cor.12.
tium cœlum.

¶ Prima visio seu reuelatio facta fuit Moysi in rubo: secunda visio facta fuit Danieli, quia fiebant ei reuelationes, non per similitudines repræsentatas sensui: sed reuelatio, seu visio tertia facta fuit Moysi in latione legis, cui ministrabantur species intelligibiles per Angelos, & ideo dicitur quòd nec per ænigmata, nec per figuras locutus est ei Dominus; non tamen per hoc negatur ministerium angelicum in ministrando ei species intelligibiles.

¶ Ad tertium dicendum, quòd (sicut videmus) in visu duplex esse medium: quia quoddam est ibi medium sicut lux: item dicimus speculum repræsentans imaginem, seu similitudines rerum esse medium ad videndum: & istud appellatur medium, quod est similitudo: quia repræsentat similitudines, per quas cognoscitur res per visum. Sic dicimus, quod Deus se habet ad animam vt medium intelligendi, quod est sicut lux: Angelus autem sicut speculum ministrans ei imaginem: vnde intellectus per lucem cognoscat, & accipiat aliquod. Inter animam igitur, quæ est Dei imago; & Deum nihil est medium per modum lucis: est tamen aliquod medium per modum similitudinis, vel speculi. Et hæ sunt murenulæ aureæ, sicut di-
cit Augustinus, dispensatiuæ similitudines, quæ ministrā- August.
tur per Angelos. Vnde Cant. 1. dicunt sponsæ: *Murenulas* Cant.1.
aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Vel aliter potest dicere immendo illud, & dicendo: quòd in lege Dominus fuerit locutus cum Moyse, & dederit ei legem per angelicum ministerium: vnde Exod. 23. habetur, quod dixit
Dominus ad Moysen: *Ecce ego mittam angelum meum, qui* Exod.23.
præcedet te, & custodiet in via & introducet ad locum quem præparaui: obserua eum, & audi vocem eius. Ex quo patet, quod per ministerium habetur expressè in lege à Domino Moysi legem esse datam. Et cap. 3. Exod. habetur, quòd *apparuit*
Moysi in flamma ignis de medio rubi. &c. Et vbi habetur ibi *Do-* Exod 3.
minus, in litera Septuaginta interpretum habetur *Angelus*,
vnde dicunt, apparuit ei Angelus. Et hoc beatus Grego- Greg. in
rius (concordans huic literæ) dicit ibidem in Glossa: *An-* Glossa.
gelus qui Moysi apparuisse describitur; modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus, quia exterius loquendo, seruit: Dominus, quia interiùs præsidens, efficaciam loquendi tribuit. Cum enim loquens ab interiore regitur; & per obsequium, Angelus; & per inspirationem, Dominus memoratur. Vult ergo Gregorius, quòd per obsequium Angeli exterius, per diuinam inspirationem interius data sit lex Moysi.

¶ Sed adhuc posset obijci contra hoc per auctorita-
tem Augustini in Soliloquijs, dicentis: quòd *sicut in sole* Aug in Soliloquijs.
tria aduertimus: quod est, quod fulget, quod illuminat. Sic in Deo tria aduertere debemus: quod est, quod intelligit, quod cætera intelligere facit. Si ergo Deus facit cætera intelligere, ergo ipse est, quo intellectus intelligit: igitur est immediatus apud intellectum, sicut lux apud visum: nihil ergo est medium inter ipsum & animam. Ergo si ab eo data est lex:
quæ quidem est ad illuminandum animam, (Vnde Pro- Prouer.6.
uerb. 6. *Mandatum lucerna, & lex lux*) ergo est data animæ immediatè: non fuit ergo data Moysi per angelicum ministerium.

¶ Ad hoc

¶ Ad hoc dicendum, quod in illuminatione siue in- [illegible]tione mentis a Deo per legem nihil est medium tan- [illegible] informans seu illuminans, sed solum sicut admini- [illegible]ns.& hoc modo Angelus est ibi medium, scilicet con- [illegible]endo & adiuuando ad illuminationem. Et hoc dupli- citer, scilicet auferendo impedimentum, sicut ille, qui a- perit fenestram, vt illuminetur domus, & dicitur talis il- luminare domum: quia scilicet remouet impediens illu- minationem: & etiam conferendo ad suscipiendum illumi- nationem: quia excitat & mouet ad suscipiendum; & præ- sentat similitudinem ad videndum: sicut speculum præ- sentat oculo rei imaginem: nihilominus tamen Deus erit immediatè se habens ad illuminationem mentis, sicut lux ad oculum.

MEMBRVM II.

De continentia legis Mosaicæ.

POSTQVAM inquisitum est de ratione legis Moysi: restat nunc inquirere de continentia legis Mosaicæ. Et circa hoc duæ sunt dubitationes. Primò, quantum ad genera contentorum. Secundò, quantum ad qualitatem contentorum.

ARTICVLVS I.

De continentia legis Moysi, quò ad genera contentorum.

PRIMÒ de generibus contentorum quæruntur plura. Primò, vtrùm omnia, quæ sunt in lege, contineantur in vno genere? Secundò, an in duplici genere tantùm? Tertiò, an in triplici genere tantùm: ita quòd non addatur quartum. Quartò, de testimonijs in lege, sub quo genere contineantur. Quintò, de iustificationibus, sub quo genere contineantur. Sextò, de permissis, & contentis, & * comminationibus, sub quo?

* al. comminatis.

¶ QVANTVM ad primum quæritur: vtrùm omnia, quæ sunt in lege, possunt reduci ad vnum genus moralium: ita quod omnia dicantur moralia?

¶ Ad quod sic: Omnis actus virtutis secundùm se est moralis: sed omnis actus præceptorum legis, seu moralium, seu cærimonialium, seu iudicialium est actus virtutis: ergo omnis actus omnis præcepti legis est moralis. Omnia ergo præcepta legis, quæcunque sint illa, sunt moralia. Minor probatur primò in iudicialibus: quia punire maleficium, est actus virtutis iustitiæ: sed iste est actus & intentio præcepti iudicialis: ergo actus præcepti iudicialis est moralis: iudicialia ergo sunt in genere moralium. Similiter illud patet de cærimonialibus: quia omne, quod est necessarium ad salutem, est in genere moralium: sed talia erant aliqua cærimonialia legis, scilicet sacramentalia quantum ad statum: ergo cærimonialia erant moralia. Minor patet per Augustinum, qui dicit: quòd *essent præuaricatores, nisi facerent*. Item, omnis actus latriæ est moralis: sed actus sacrificiorum erant latriæ, quia illis colebatur Deus, & honorabatur vt Deus: ergo erant actus moralis: igitur cærimonialia aliqua, scilicet sacrificia, [illegible] moralia. Simili etiam illud patet de omnibus cærimonialibus, sicut de istis: *Non arabis in boue & asino: Non coques hædum in lacte matris. Non vestieris in lana, & lino. &c.* quorum ratio non erat manifesta: quia (sicut dicunt Iudæi expositores legis ad literam) omnia præcepta, quorum non est ratio manifesta, dabantur Iudæis, vt reuocarentur ab idololatria: ergo erat intentio talium cærimonialium esse longè ab idololatria: sed longe esse ab idololatria, istud est morale: vt scil. homo Deum colat, & non alium: omnia igitur cærimonialia erant moralia.

Aug. contra Faustum.

Deut. 22.

¶ ITEM, Leuit. 17. *Homo quil[ibet] de domo Israël si occiderit bouem, aut ouem, seu capram in castris vel extra castra; & non obtulerit oblationem Domino ad ostium tabernaculi; sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.* Ideo offerre debent sacerdoti filij Israël hostias suas: & nequaquam vltra immolabunt hostias suas dæmonibus. Ergo erant ad cultum & honorem Dei.

Leuit. 17.

¶ ITEM, cærimonialia legis quantum ad [illegible] nocebant ab idololatria, quia ipsis colebatur & honorabatur Deus vt Deus.

¶ ITEM, quantum ad spiritualem sensum docebant [illegible] Christum: sed hoc est morale, scilicet colere Deum, & [illegible]cere in Christum: ergo cærimonialia erant in genere [illegible]ralium, & sic in vno genere.

¶ Ad oppositum, Deuter. 4. *Ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, vt faceretis. & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis: mihique mandauit in illo tempore, vt docerem [vos cæ]remonias & iudicia quæ facere deberetis.* [illegible] præcepti in lege, scilicet morale, quod pertinet [illegible] gum, quod significatur ibi per decem verba, [illegible] male, atque iudiciale. Non sunt ergo omnia, quæ continentur in lege, in genere moralium. Deut. 4.

¶ SECVNDA ratio: in lege sunt præcepta, quorum ratio describitur in lege naturali, sicut sunt præcepta [De]calogi. In lege etiam sunt præcepta, quorum ratio non [est] descripta in lege naturæ: sicut præcepta disciplinæ: & hæc sunt cærimonialia. Ergo in lege sunt præcepta naturæ & præcepta disciplinæ, siue præcepta moralia & cærimonialia ex opposito distincta: ergo non sunt omnia in genere moralium.

¶ SECVNDÒ QVÆRITVR: Vtrùm, quæ sunt in lege, contineantur in duplici genere tantùm? Ad quod sic Augustinus contra Faustum: Sunt præcepta vitæ agendæ: & sunt præcepta vitæ significandæ. Sed præcepta vitæ agendæ dicuntur moralia, quæ scilicet docent quid agendum: præcepta verò significandæ vitæ dicuntur cærimonialia, quæ sunt in signum: & non distinguit plura genera præceptorum. Sunt igitur præcepta legis omnia in duplici genere tantùm.

¶ ITEM, Psalm. 118. *A iudicijs tuis non declinaui.* Glossa, *id est ab his, quæ constituisti regulam viuendi.* Sunt ergo iudicia recté viuendi: sed moralia sunt huiusmodi: ergo idem sunt moralia legis, & iudicialia: omnia igitur in duplici genere continentur. Psal. 118. Glossa.

¶ ITEM, quidam expositor legis Hebræus dicit, quòd omne præceptum, cuius vtilitas nota est, dicitur iudicium: quorum verò vtilitas ignota est, dicuntur cærimoniæ. Sed tale est omne præceptum, quod eius vtilitas nota est, vel ignota: ergo omne præceptum vel est cærimoniale, vel iudiciale: sunt ergo omnia solùm in duplici genere tantùm.

¶ ITEM Deut. 5. *Audi Israël cærimonias atque iudicia.* Reducit ergo ibi omnia, quæ cõtinet lex, ad duo genera, scilicet ad cæremonias, & iudicia. Deut 5.

¶ ITEM Leuit. 18. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.* Ergo totum, quod est in lege, continetur sub iudicijs, vel præceptis: omnia igitur in duplici genere continentur. Deut 4.

¶ ITEM Deut. 5. *Scitis, quod docuerim vos præcepta atque iudicia.* Comprehendit ergo omnia, quæ continentur in lege, sub præceptis & iudicijs: & ita sub duplici genere. Deut. 5.

¶ Ad oppositum, Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, cærimoniæ, atque iudicia:* & constat, quod non poneret in tali numero, nisi hæc ab inuicem distinguerentur. Si ergo iudicia sunt puniendorum, cærimoniæ credendorum: constat quod præcepta solùm erunt faciendorum. Est igitur triplex genus eorum, quæ continentur in lege: non solùm ergo in duplici genere continentur. Leuit. 18.

¶ ITEM, Deut. 4. *Quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat cærimonias atque iudicia, & vniuersam legem?* Comprehenduntur ergo ea, quæ in lege sunt, sub triplici differentia: non solùm sub duplici. Deut 8.

¶ TERTIÒ QVÆRITVR, an omnia, quæ continet lex, solùm comprehendantur in triplici genere: ita quòd non sint plura genera mandatorum in lege, quàm tria. Ad quod sic Deut. 8. *Caue ne obliuiscaris Domini Dei tui: & negligas mandata eius, atque iudicia, & cærimonias.* Ergo totum, quod est in lege, comprehenditur sub hoc triplici genere.

¶ ITEM Leuit. 6. *Hæc sunt præcepta, atque iudicia, & leges, quas dedit Dominus inter se, & filios Israël.* Ex quo patet, quod Leuit 26.

[illegible] quæ [illegible] hum.

¶ [illegible] opportet ad lege [illegible] Deut. 11. *[illegible] Dominum Deum tuum* &c. *[illegible] ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore.* Per [illegible] omni genera, [illegible] Ergo per mandata tangi [illegible] quatuor genera.

¶ [illegible] cærimonialia, non facta [illegible] in lege cærimonialia [illegible] Exod. 21. *Hæc sunt iudicia, quæ propones eis.* Cærimonialia facta mandata erant, quæ continebant, ut circumcisio: cærimonialia non facta [illegible] Deut. 22. *Non coques hædum in lacte matris*, &c. Similiter [illegible] ergo cærimonialia erant sub duplici differentia: & [illegible] duo genera: ergo erant quatuor genera, ad quæ [illegible] præcepta continebantur in lege.

¶ POSSET autem dici, quod mandata non faciunt genus differens a præceptis. Sed ostenditur, quod immo: quod dicit Hieronymus, quòd in præceptis est iustitia, in [illegible] charitas, seu amor: ergo in alio & alio genere sunt mandata, & præcepta: faciunt ergo differentia genera.

¶ SI dicatur, quòd hoc non sequitur: quia mandata sunt pro præceptis dignioribus pertinentibus ad amorem, sicut sunt: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *Et diliges proximum tuum*, &c. Contra, præceptum est eius, qui iubet aliquid per se: mandatum eius, qui iubet aliquid per alium. Sed multo dignius est præcipere per se, quàm per alium: ergo dignius est præceptum, quàm mãdatum: igitur genus differens.

¶ PRÆTEREA, aliquando inuenimus legem condiuidentem contra alia, aliquando mandata, aliquando omnia [illegible] condiuidentia: quod non esset, nisi facerent differentiam seu diuersum genus: & quæritur etiã ratio [illegible].

¶ QVARTÒ QVÆRITVR de testimonijs, quomodo se habeant ad prædicta genera, vtrùm contineantur in illis, vel contineant illa: Deut. 6. *Custodi præcepta, testimonia, atq; cærimonias.* Quæritur ergo, vtrùm testimonia [illegible] genus cum illis, an differens?

¶ AD quod sic Hieronymus dicit, quòd in præceptis est iustitia, in mandatis charitas, in testimonijs fides. Igitur in testimonijs continentur credenda, & non in alijs: testimonia ergo faciunt genus differẽs: & sunt aliqua præter illa.

¶ SI dicatur, quod sunt reducibilia. Quęritur ad quę: nam Gloss. super illud Psalm. 18. *Testimonium Domini fidele, [illegible] Quia quod omnibus fidelibus promittit, implebitur.* Igitur testimonia sunt promissiones: sed promissiones non sunt [illegible] aliorum, sed faciunt genus differens ab illis: ergo & testimonia: non sunt ergo reducibilia ad aliquod illorum.

¶ ITEM, Psalm. 118. *Lex tua veritas.* Gloss. *Vera per omnia, quia per eã est cognitio peccati: & perhibet testimonia iustitiæ Dei.* Testimonia igitur sunt comminationes: sed comminationes continentur sub testimonijs, quia quod est ad perhibendum testimonium, continetur sub testimonio: sed comminationes sunt ad perhibendum testimonium iustitiæ Dei: ergo continentur sub testimonijs. Sed comminationes differunt ab alijs, nec in aliquo genere eorum continentur, nec ad aliquod reducuntur: ergo similiter nec testimonia: sed faciunt genus differens ab illis omnibus.

¶ AD oppositum Psalm. 44. *Testimonium posuit in Iacob.* Gloss. *Testimonium dicitur vetus lex: quia nouum Testamentum habet testimonium a lege, & prophetis.* Vnde & tabernaculum testimonij [illegible] illud, quod tot mystica figurabat. Testimonium ergo dicitur vetus testamentum, inquantum [illegible] lex inquantum iubet: idem ergo [illegible] omnium, sed alia & alia ratione: ita idē [illegible] per Iacob, & Israël, & populus Iudaicus. Ex [illegible] quod testimonium dicitur lex, eo quod figurat. [illegible] ipsa figuralia, nec faciant aliud genus [illegible].

¶ [illegible] Lucæ [illegible] dicitur [illegible] Christi [illegible] Moysi [illegible] prophetæ [illegible] omnia [illegible] scripta testimonia.

¶ [illegible] Augustinus [illegible] *illa tunc erat præceptum nunc testimonium* [illegible] de legalibus: ergo [illegible] sunt [illegible].

¶ ITEM, Psalm. 131. *Testimonia mea hæc, quæ docebo eos.* Gloss. *Testimonia præcepta vitæ.* Ergo testimonia sunt ipsa moralia, quia moralia sunt præcepta vitæ.

¶ QVINTÒ QVÆRITVR de iustificationibus legis, an contineant omnia prædicta, vel ad aliquid eorum reducantur: Ad quod sic Psalm. 118. *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas.* Gloss. *id est legem.* Ergo iustificationes omnia, sicut lex comprehendunt.

¶ ITEM Psalm. 26. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum.* Gloss. *Lex vnde fit mihi via iustificationum tuarum.* Reputat ergo iustificationes, & legem idem: ergo continet omnia, sicut lex.

¶ AD oppositum videtur, quòd iustificationes reducantur ad genus moralium, Psalm. 104. *Vt custodiant iustificationes eius.* Gloss. *Iustificationes sunt, vbi est euidens & absoluta præceptio: vt diliges Deum & proximum.* Ergo iustificationes sunt ipsa moralia, seu in genere moralium: & sic patet quod reducuntur ad moralia.

¶ SED contra videtur, quòd reducuntur ad iudicialia, Psalm. 118. *Vtinam dirigantur viæ meæ.* Gloss. *Iustificationes pristino populo fuerunt, vt famulus sex annis seruiret, & pater reuerenter haberetur, & filius disciplinaretur.* Sed istud est iudicialium: ergo iustificationes sunt in genere iudicialium.

¶ SED contra videtur, quòd iustificationes sunt cærimonialia, Psalm. 118. *Doce me iustificationes tuas.* Gloss. *id est, secundùm spiritualem intellectum figuratiuas obseruantias fac aduertere.* Iustificationes ergo sunt cærimonialia.

¶ SED contra omnia ista Psal. 118. *Iustificationes tuas doce me.* Gloss. *qui tu iustificationem facis, non homo.* Iustificationes ergo sunt opera hominis, quæ homini præcipiantur implere: ergo non reducuntur ad aliqua prædictorum.

¶ SEXTÒ QVÆRITVR, cùm in lege sint quædam consulta seu consilia, permissiones, vt repudium, & comminationes, an faciant differentia genera à prædictis, an sub aliquibus eorum comprehendantur. Consilia enim sunt, vt leges votorum, &c. hic autem actus sunt differentes à prædictis: ergo faciunt genera differentia ab illis.

¶ RESPONSIO. Ad prædictas quæstiones dicendũ: quòd lex dicitur multipliciter: dicitur enim lex generalissimè: dicitur generaliter: dicitur lex specialiter: dicitur particulariter.

¶ GENERALISSIME dicitur lex scriptura, seu doctrina totius veteris Testamenti, seu sit doctrina operãdorum, ad quam pertinent libri Moysi: seu sit doctrina credendorum, ad quam pertinent prophetiæ, in quibus continentur reuelationes credendorum, siue doctrina omnium, ad quam pertinet doctrina Psalmorum. Et hoc modo accipitur lex. Ioan. 10. *Nonne in lege vestra dictum est. Ego dixi dij estis:* constat enim quod istud dicitur in Psalm. 81. vult ergo dicere, quòd doctrina psalmorum continetur in lege. Sic ergo lex continet libros Moysi, & omnes Prophetas & Psalmos.

¶ SECVNDO modo dicitur lex generaliter, & sic solùm sumitur pro doctrina operandorum, & sic diuiditur contra Psalmos, & Prophetas: & ad hanc coarctatur lex, Luc. vlt. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum: quoniam oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ecce hic condiuidit legem contra Prophetas, & Psalmos. Sic lex [illegible] præceptorum ad quam pertinent libri Moysi: & doctrina exemplorum, ad quam pertinent libri [illegible] rum.

storiales,& doctrinam admonitionum, ad quam pertinēt libri Salomonis.

¶ Tertio modo dicitur lex specialiter:& sic sumitur pro doctrina præceptorum; & eorum, quæ pertinent ad obseruantiam: & sic solùm continent libros Moysi. Et
Ioan.5. hoc modo sumitur lex Ioan. 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.*

¶ Qvarto modo dicitur particulariter lex: & sic aliquādo sumitur pro præceptis decalogi: secundùm quod
Rom.13. habetur Roman. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Et
Matt.22. Matth. 22. *In his duobus mandatis tota lex pendet.* Aliquando autem sumitur pro præceptis cærimonialibus, & sic sumi-
Hebr.10. tur ab Hebr.10. *Vmbram habens lex futurorum.* Et 1.Timot.1.
1.Tim.1. *Iusto non est lex posita.* Aliquando item sumitur lex pro præceptis iudicialibus, & sic sumitur Rom.4. *Lex irā operatur.*
Rom.4. Gloss. Gloss. *id est pœnam.* Ad hoc enim data est, vt reos faceret tēporali pœna, oculum pro oculo, dentē pro dente,&c. Etiā potest dici, quòd sumitur aliquādo lex singulariter. Exod.
Exod.12. 12. *Hæc est lex phase.* Accipiendo ergo cōtinentiam legis generalissimè: sic continet doctrinam operandorum, & credendorum,& doctrinam orationum. Generaliter, sic continet doctrinā operandorum. Sed specialiter, sic continet doctrinam præceptorum.

¶ Sed adhuc distinguendū: quòd lex specialiter sumpta, quædam continet, quæ sunt ipsius: quædam, quæ sunt ad legem. Continentur ergo quædam in lege, quæ sunt ad legem: & sic cōtinet lex admonitiones, arguitiones, comminationes, & promissiones: hæc enim ad legem dicūtur esse; quia mouent ad obseruantiam legis. Si autem coarctatur lex ad id, quod est legis; distinguendum est: quia quędam sunt ipsius legis per se; & hæc sunt in triplici differentia: hæc enim sunt moralia legis, & iudicialia, & cærimonialia. Quædam autem cōtinet lex, quia sunt ipsius legis per accidens: & hoc modo continet consulta, & permissa: nam consultum respicit maius bonum vt fiat, vnde respicit melius fieri: permissum autem ne deterius fiat: & vt vitetur maius malum: lex autem principaliter respicit præceptum & prohibitionem. Sed quia circa ista contingit fieri melius & deterius; habet lex consulta ad melius vt fiat,& permissa ne peius fiat. Sic ergo principaliter continet illa tria genera præceptorum, scilicet moralia, cæri-
August. monialia, iudicialia. Nam (sicut dicit Augustinus) est præceptum vitæ significandæ, & ista sunt cærimonialia: & est præceptum vitæ agendæ, & illud est dupliciter; quia duplex est ratio agendi, scilicet honestum, quod sua dignitate trahit ad se,& allicit; & alia sunt moralia: alia ratio agendi est expediens, vt scil. remoueatur impediens obseruantiam legis;& talia sunt iudicialia.

¶ Ad rationes ergo, quibus ostenditur, quòd omnia continentur sub genere moralium. Dicendum, quod bonum tripliciter est, scilicet bonum secundùm se, bonum in genere, bonum ex circunstantia. Bonum ex circunstantia dicitur quodlibet indifferens, dummodò conformetur aliqua bona circunstantia: vt loqui, de se est indifferens; tamen loqui propter Deum, bonum est ratione circunstantiæ additæ. Bonum autem in genere dupliciter est scilicet, quia aut est in genere honesti, aut expedientis; bonum ergo in genere, quod est honestum, principaliter respicit morale: bonum expediens iudiciale, bonum verò ex circunstantia cærimoniale. Similiter morale tripliciter potest dici. Si ergo extendatur morale, secundùm quod extenditur bonum, vt dicatur morale ex circunstantia, sicut bonum: sic cærimonialia possunt dici moralia; & eorum institutio reuocatio ab idolatria ad cultum Dei: sunt enim in signum gratiæ. Si autem dicatur morale in genere boni expedientis; hoc modo iudicialia possunt dici moralia: propriè tamen morale respicit bonum in ratione honesti.

¶ Ad secundum, quādo quæritur: an omnia, quæ sunt legis, in duplici genere contineantur, scilicet cærimonialium,& iudicialium. Dicendum, quòd iudicium sumitur ex ratione discernendi. Est autem discretio multiplex; est discretio boni & mali: & discretio veri & falsi: & est discretio, quæ est in retributione pœnæ,& præmij. Vno ergo modo dicuntur iudicialia in discretione veri & falsi, & hoc modo sumitur iudicium in Gloss. super illud Psal. 118. Psal.118.
Iudica iudicium meum. Gloss. *id est discretionem fidei meæ*: sic ergo dicitur iudicium, quo discernimus veritatem credendorum ab errore. Secundo modo dicitur iudicium in electione boni & mali, seu discretione: & sic sumitur iudiciū Glossa.
in Psalm.17. *Iudicia eius in conspectu meo.* Gloss. *id est præmia iustorum, pœnas impiorum, flagella corrigendorum, tentationes probandorum, semper attendo, & perseueranti contemplatione considero.* Communissimè ergo iudicium acceptum se extendit ad credenda & operanda: & sic comprehendit & moralia & alia. Sed communiter dicitur, prout est in discretione, quæ est in electione boni & mali. & sic se extendit ad operanda: & hoc modo comprehendit in se moralia. Sed propriè & specialiter dicitur iudicium in discretione, quæ est in retributione pœnæ & præmij, & sic non continet moralia; & sic diuiduntur contra moralia & cærimonialia. Psalm.17. Glossa.

¶ Ad tertium quæsitum, vtrùm omnia, quæ sunt in lege, contineātur in triplici genere: vel oportet addere quartum genus, scil. mandata? Dicendum, quod patet solutio ex manifestatione, quomodo moralia & iudicialia secundùm continentiam se habent ad alia.

¶ Et quod objicitur, quòd oportet addere quartum genus, scil. mandata. Dicendum, quòd intentio mandati duplex est. Dicitur enim mandatum communiter: & sic comprehēdit omne, quod iubetur. Aliter propriè dicitur strictè secundùm intentionem nominis: vt dicatur mādatum, quod per alium iubetur, & quod non ex necessitate. Secundùm ergo hanc intentionem, *quod per alium iubetur,* stringitur mandatum ad iudicialia & cærimonialia, quę non iussit Dominus per se, sed per Moysen, per quē data sunt. Dominus enim per se promulgauit moralia: sed per Moysen cærimonialia & iudicialia. Secundùm ergo hanc intentionem, *non ex necessitate,* pertinet mandatum ad ea, quę pertinent ad amorem,& eis appropriatur: & sic vno modo diuiditur contra præceptum, secundùm scil. quod præceptū est ex timore,& importat necessitatem.

¶ Ad ea ergo, quæ objiciuntur: dicendum, quòd sicut in genere veri est verum primò notum,& secundò notum: sic in ratione boni operandi est primò notum, sicut dilectio seu mandatum de dilectione: & est ibi quod secundò est notum; sicut Decalogus, quod refertur & dependet à dilectione: & in hoc genere primò notum respicit mandatum. Et per hoc patet responsio, quia non ponitur aliud genus per mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum,& proximum.* Secundò verò notum respicit præceptum: & per hoc patet responsio: quia non ponitur aliud genus per mandatum & per præceptum: sed ponitur alia differētia in genere moris, scil. primò notum,& secundò notum. Deut.6.

¶ Ad aliud dicendum, quod cærimoniale dicitur cōmuniter: & hoc modo idem est, & tantum comprehendit quantum figurale; siue sit sacramentale, siue non sacramētale. Est enim figurale credendi, & illud est sacramentale: & est figurale faciendi, & illud est cærimoniale, strictè sumendo cærimoniale: & sic strictè acceptum diuiditur contra sacramentale: nam in sacramentalibus propriè figuratur vita cum remedio morbi: in cæremonialibus verò figuratur vita cum ipsa sanitate, vel virtute.

¶ Ad illud, quod quæritur quartò de testimonijs, quomodo se habent ad alia. Dicendum, quod testimonium dicitur quicquid fit in attestationem: dicitur autem testimonium sicut attestatio dicitur: nam dicitur testimonium veritatis seu sapientię: & istud est in credendis: & hoc modo sumit Hieronymus testimonia, cùm dicit: in testimonijs fides. Est iterum testimonium diuinę iustitiæ: & sic dicuntur testimonia comminationes. Item est testimonium diuinæ misericordiæ: & sic dicuntur testimonia promissiones. Item est testimonium maiestatis: & sic dicuntur testimonia esse pręcepta: vnde in præceptis est testimonium maiestatis. Sed hoc tripliciter, quia dicitur esse testimonium vt signum: & sic cærimonialia dicuntur testimonia. Item, dicitur esse testimonium vt signum per modum rei: Hierony.

& hoc dupliciter; quia quædam est res, quæ facit testimonium respectu sui ipsius, vt lux: & hoc modo præcepta moralia dicuntur testimonia, quia in seipsis habent testimonia, quod facienda sunt, vel dimittenda. Quædam autem est res, quæ facit testimonium respectu alterius: & sic iudicialia dicuntur testimonia: quia ex pœna illa, quàm infligebant, erat signum pœnæ futuræ malorum: vt scil. per illa sciretur, quòd Deus puniat malos: & ita veritas ista attestatur alteri veritati.

¶ Ad illud, quod quintò quæritur de iustificationibus: Dicendum, quòd iustificatio vno modo dicitur actus Dei: & hoc modo non est effectus legis, sed diuinæ gratiæ. Alio modo dicitur iustificatio actus hominis. Et hoc tripliciter: quia aut consideratur iustificatio secundùm esse iustitiæ; hoc est, per comparationem ad illud, in quo est iustitia: & sic iustificatio dicitur illud, in quo est iustitia: & sic moralia dicuntur iustificationes; quia per illa est conseruatio iustitiæ. Aut iustificatio dicitur executio iustitiæ: & sic iudicialia dicuntur iustificationes. Aut dicitur iustificatio vt signum iustitiæ: & sic cærimonialia dicuntur iustificationes: quia sunt signa iustitiæ seu gratiæ futuræ ante Christi incarnationem. Et ex his patet responsio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS II.

De continentia legis Moysi quantum ad qualitatem contentorum.

Rom. 7.

CONSEQVENTER quæritur de continentia legis Moysi, quantum ad qualitatem contentorum, propter illud verbum Apostoli Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Circa quod quæritur sic: Primò, vtrùm omne, quod continetur in lege, sit sanctum. Secundò, vtrùm omne, quod cõtinetur in lege, sit bonum. Tertiò, vtrùm omne, quod continetur in lege, sit iustum.

An omnia, quæ in lege Moysi continentur, sancta sint? § 1.

Aug. contra Faust.

¶ QVANTVM ad primum sic proceditur. Augustinus dicit: quod illicitum est, quod lege illa prohibetur; qua naturalis ordo seruatur. Sed repudium prohibetur lege, qua naturalis ordo seruatur: ergo repudium est illicitum: sed omne sanctum est licitum, non ergo omne, quod in lege continetur, sanctum est. Minor patet, scil. quòd repudiũ prohibetur illa lege, qua naturalis ordo seruatur; hoc est lege naturali, quoniam de lege naturali est matrimonium in indiuiduam vitæ consuetudinem retinens: cõtra quam est repudium, ergo prohibetur lege naturali.

¶ Si dicatur, quòd repudium erat solùm in lege sicut permissum, ne scilicet peius fieret, & ideo licitum. Cõtra, non debent fieri mala, ne veniant bona, ergo nec similiter mala debent permitti, ne veniant peiora: ergo nullo modo est licitum repudium, vt scilicet vitetur deterius malum, ergo nec sanctum: non ergo omne mandatum legis sanctum.

¶ ITEM, omne, quod est contrarium legi charitatis, est illicitum: sed habere odio inimicum, est cõtrarium legi charitatis: ergo est illicitum. Si ergo odio habere inimicũ, istud continetur in lege; sicut patet secundùm verbum Saluatoris in Euangelio: ergo aliquod mandatum illicitũ continetur in lege: & ita non sanctum. Minor patet, scilicet quod sit contrarium legi charitatis: vnde etiam in lege Euangelij, quæ est lex charitatis, præcipitur: *Diligite inimicos vestros. &c.*

2. Cor. 3. Glossa.

¶ ITEM, 2. Corin. 3. *Quòd si ministratio mortis literis deformata, fuit in gloria.* Glos. *Quia lex secundùm literam multa inhonesta præcipiebat.* Sed omne sanctum honestum: ergo multa mandata continebat lex non sancta.

Aug. lib. 22. cõtra Faustum cap. 27. Rom. 12.

¶ ITEM, Augustinus: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Sed talis est expetitio talionis, quia mihi vindictam, &c. Rom. 12. *Non vindicantes vos.* Ergo expetitio talionis est peccatũ, ergo non sancta: sed lex cõtinet expetitionem talionis: sicut patet oculum pro oculo, &c. Ergo continet aliqua non sancta.

Rom. 7.

¶ AD oppositum: Roman. 7. *Lex quidem sancta.* & in Psalm. 18. *Lex Domini immaculata &c.* Omnia igitur, quæ continet lex, sancta sunt & immaculata: quia aliter ipsa non posset dici sancta. Psalm. 18.

RESOLVTIO.

Bona quidem omnia sunt: at sancta, non nisi cærimonialia propriè.

¶ SOLVTIO. Ad hoc intelligendum iuxta Apostolum, quòd lex continet mandata sancta, iusta, & bona. Cũ enim sit triplex genus mandati in lege, scilicet cęrimoniale, morale, & iudiciale: & triplex qualitas respondens singulariter illis tribus, vt dicatur mandatum sanctum quantum ad cærimonialia; iustum quantum ad iudicialia; bonum quantum ad moralia. Vnde per hoc vult ipse Apostolus notare, quasi proprias dispositiones mandatorum secundùm sua genera. Ratio tamẽ boni currit per singula. Propriè tñ dicitur sanctũ respectu cærimonialium: ad hoc enim fuerunt cærimonialia, vt parati essent ad cultum diuinum: & hoc respicit sanctum. Iudicialia verò erãt ad puniendum malos: & hoc respicit iustum. Moralia verò conferebant bonitatem secundùm ramos charitatis: qui sunt dilectio Dei, & proximi. Et ideo propriè dicitur bonum respectu moralium: vnde manifestè continent moralia in se ipsis bonitatem.

¶ AD illud, quod obijcitur de libello repudij: Dicendum, quòd lege quædam sunt vt iussa: quædam vt permissa; quædam vt consulta. Repudium ergo continebatur in lege vt permissum, & non vt iussum: vnde lex ipsa nõ fuit propter repudium, sed propter libellum: quia præcepit dari libellum, sed non præcepit repudium; sed solum permisit. Nam ibi erant tria, vnum quod erat in præcepto, scil. ipse libellus: aliud quod erat in permissione, scil. repudiũ, ne scil. peius fieret: tertium erat ibi in pœna, scil. quod repudiatam postea non rehaberent, Deut. 22. Et sic præceptum legis non fuit repudium, sed libellus: præcepit enim libellum contra diuortium, vt scil. mora disciplinæ apponeretur quantum ad diuortium: ne scil. separarentur, sed retraherentur per scribentes libellum ab hoc malo desiderio; vt per illos disciplinarentur. Et hæc fuit intentio legis, quare præcipit priùs scribi libellũ, quàm repudiarent: quem non poterant scribere nisi Magistri, & Doctores. Et ex hoc apertè fuit iustitia: quia intendebat, quod recurrerent ad Magistros, & Doctores, vt illa facerẽt, ne repudiarent. Et ideo præcepit, quòd si appeterent diuortium, ꝙ non repudiarent, nisi priùs facto libello: & vt in illa mora ipsi ab illa mala voluntate cessarent. Et sic patet, propter quod fuit formatio libelli ante repudium. Et hoc est, ꝙ dicit Augustinus: Illud de vxore non dimittenda, quod Dominus præcepit, cùm antiquis dictum sit: *Quicunq; dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij*: si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Vtique nolebat vxorem dimitti à viro, qui hanc interposuit morã, vt in dissidium animus pceps, & libelli cõscriptione refractus, absisteret: sed quid mali esset, vxorem dimittere, cogitaret. Præsertim (quia vt perhibent) apud Hebręos scribere literas Hebræas, nulli fas erat, nisi solùm Scribis. Et dicit in eodem: *Libellum vir bonus prudensq; non scriberet, nisi in animo nimis aduerso atq; peruerso consilium concordiæ non valeret.* Sic ergo patet, quod permisit solùm repudium, ne fieret peius; & non præcepit: & sicut lex æterna non accusatur: nec dicitur iniusta, quia permittit mala fieri, vt eliciat de illis bonum, & ne fiant peiora; tamen mala non facit: sic & lex Moysi nõ erat iniusta, qa pmittebat mala fieri, vt vitarentur peiora, scil. homicidium: nec ideo potest dici, quòd faciat mala, vt veniant bona: quia nõ faciebat hoc, sed solùm permittebat. Licèt enim non possint fieri mala, vt veniant bona, vel vitentur peiora; tamen possint permitti.

Deut. 22.

Aug. contra Faust. lib. 19. c. 6

Deut. 24.

Idem.

¶ AD illud, quod obiicitur de odio inimicorũ. Dicendum, quòd de intentione legis nõ fuit, ꝙ haberetur odio inimicus: supple quantum ad suam personam, imò magis intendebat, quod diligeretur; & pręcipiebat. Vnde Exod. 23. præcipit lex: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis: sed cum eo subleuabis.* Ecce, si lex ista præcepit, Exod. 23.

de re

de . e inimici tui, quantomagis præcepit de inimico tuo, vt ei succurras in necessitate. Propter hoc dicendum, quòd in eo, qui est inimicus, duo sunt scil. natura & vitium. Naturam ergo inimici tui non debes habere odio; sed potius diligere: sed vitium in illo debes odire. Vnde Lex nō permisit odium inimici quò ad naturam: sed quò ad vitium vt scil. non odires illum, sed vitium in illo. Tamen propter prauum intellectum Iudæorum corrigit Dominus hoc mandatum in Euangelio: & non quia Lex in hoc malè intenderet. Et hoc est, quod dicit Aug. *Vnusquisq; iniquus homo inquantum iniquus, odio habendus est: inquantum autem homo est diligendus.* Audito igitur, & non intellecto, quòd antiquis dictum erat, odietis inimicum vestrum: ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse nisi vitium: hos corrigit Dominus, dicendo. *Diligite inimicos vestros.* Præcipiendo igitur vt diligamus inimicos, cogit nos intelligere, quomodo possemus vnum eundemq; hominem odisse propter culpam, & diligere propter naturam.

August. contra Faustum c. 24.

Matt. 24.

¶ Ad aliud, quòd ostendit, quòd Lex multa inhonesta præcipiebat. Dicendum, quòd inhonestum dicitur tripliciter sc. negatiuè, priuatiuè, contrariè. Lex ergo nihil præcipiebat inhonestum priuatiuè, nec contrariè: sed bene præcipiebat aliquod inhonestum negatiuè: quia pręcipiebat aliqua, quæ de se non erant honesta; sed ex circūstantia erant honesta: quia semper ex aliqua causa fiebant iusta & bona. Aut enim semper ad literam erat causa honesta: aut significatio honestatis.

¶ Ad quintum soluit Aug. dicens: Illud, quòd dictum est antiquis: dentem pro dente, oculum pro oculo, quomodo contrarium habet, quod ait Dominus. *Ego autem dico vobis, Non resistere malo: sed si quis te percusserit in maxillam,* &c. *Quis enim tandem facilè contentus est, tantum rependere vindictæ, quantum recepit iniuriæ? Huic igitur immoderatè ac per hoc iniustæ vltioni Lex iustum modum figens, pœnam talionis instituit: hoc est, vt qualem quisq; intulit iniuriam, tale supplicium pendat.* Et post dicit: *Cum peccet, qui per immoderationem iniuriæ vult vindicari: non peccat autem qui modum adhibens, iustè vindicari vult.* Remotior est à peccato iniustæ vindictæ, qui non vult omnino vindicari: peccat autem qui exigit debitum: non peccat autem qui exigit debitum. Istud tamen quia dubitabile videtur, relinquamus infra disputandum.

August. contra Faustum c. 25. Matth. 5 & Lucæ 6. August.

An omnia mandata in lege contenta bona sint? §. 2.

¶ Circa secundum proceditur. Et quæritur vtrùm omne mandatum legis sit bonum.

Ezech. 20 ¶ Ad quod sic: *Dedi eis præcepta non bona, & iustificationes non bonas, in quibus non viuent.*

¶ Item: Omne, quòd non est conferens, seu quod est carens vtilitate, caret ratione boni: sed mandata cerimonialia erant huiusmodi, quòd carebant vtilitate, nec conferebant aliquid: vnde Hebr. 7. Reprobatio fit prioris mandati propter suam inutilitatem (& loquitur de cerimonialibus.) Ergo cerimonialia sunt non bona. (Hebr. 7.)

¶ Item: Omne, quòd non confert aliquam commoditatem, est non bonum. Sed talia sunt aliqua cerimonialia: vt *Non coques hedum in lacte matris: Lana & lino non indueris; Non arabis in boue & asino.* Ergo ista mandata sunt non bona: non ergo bonum est omne mandatum legis. (Deut. 22.)

1. Tim. 1. ¶ Ad oppositum: *Bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur.* Sed non diceretur bona, nisi ea, quæ continet, essent bona.

Deut. 32. ¶ Item, *Non incassum præcepta sunt vobis* (& loquitur de vniuersis, quæ scripta sunt in lege) ergo omnia habent vtilitatem: ergo omnia sunt bona.

RESOLVTIO.

Omnia profectò, sed saltem ex circumstantia.

¶ Solut. Dicendum, quòd omne mandatum, quòd continetur in lege, est bonum. Sed distinguendū est, quia est bonum simpliciter: & istud est bonum ex genere, & ita de se. Et est bonum, quòd dicitur congruum: & istud est bonum ex circumstātia. Quando ergo dicitur: *Dedi eis præcepta non bona:* verū est, quòd prout dicitur non bona de se, siue ex genere, aliqua erant non bona: tamen ex circumstantia omnia erant bona. (Ezech. 20) Vnde omnia præcepta cerimoniarum dicuntur bona de congruo: hoc est, ex circūstantia scil. quantum ad rationem institutionis: quia semper ex aliqua bona causa instituebantur.

¶ Et hoc modo loquitur Apostolus, quòd bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur. Non tamen erāt omnia cerimonialia bona de se, siue ex genere. Et hoc modo intelligitur illud verbum Ezeche.

¶ Et hoc est, quòd dicit Aug. Populus enim ille, qui in corde suo lapideo multa præcepta magis congrua, quàm bona acceperat, quibus tamen figurarentur, & prophetarentur futura. (August. contra Faustum.)

¶ Ad secundum dicendū: quòd loquitur ibi Apostolus non simpliciter: sed quantum ad statum nouæ legis, siue Euangelij; quia illa præcepta erant in significationem nouæ gratiæ, siue legis Euangelij: quæ cū venerit, sunt illa reprobanda; non simpliciter, sed respectu istorum: quia figurabant ista, quę iam contigerāt. Nota tamen, quòd in illis præceptis duo attendenda sunt scil. significatio, & obseruantia. Vult ergo ꝙ adueniente lege Euangelij, illa essent reprobanda (supple) quantum ad obseruantiam; & nullius vtilitatis; nec deberent amplius obseruari: non tamen quantum ad significationē vult quod sint reprobanda, quantum. n. ad hoc sunt vtilia: sed quantum ad obseruantiam est inutilitas eorum respectu status Euangelij. Et hoc est, ꝙ dicit Aug. Cessationem sabbatorum quidem superuacuam ducimus ad obseruandum: ex quo spes reuelata est naturæ quietis æternæ. Non tamen ad legendum, & intelligendum sacrificia Ver. Test. figuræ naturæ fuerunt: & omnia talia multis & varijs modis vnum sacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, signauerunt: vnde isto reuelato & suo tempore ablato, illa de agendi celebritate sublata sunt: sed in significandi authoritate manserunt. (Idem cōtra eundem.)

¶ Ad tertium dicendum: quod omnia cerimonialia erant propter aliquam vtilitatem. Vnde illorū cerimonialium, quorum non erat ratio manifesta; erat etiam vtilitas, primò, scil. reuocatio ab idololatria: ipsi enim miseri Iudęi in veneratione idolorum habebant quosdam ritus, quos Dominus per cerimonialia pręcepta damnauit: sicut mixturas faciebant in venerationem elementorum, quæ miscentur: quæ quidem elementa ipsi adorabant: contra ꝙ datum est eis mandatum de mixturis, ne facerent eas. *Non vestieris lana & lino*, &c. (Deut. 22.) Similiter primos fructus arborum dabant idolis tanquam Dijs naturæ, &c. Contra quæ omnia vt ab ipsis reuocarentur ad cultum Dei, data sunt eis præcepta cerimonialia: vnde, *Nequaquam amplius offerent hostias suas dæmonijs.* (Leu. 17.) Alia fuit vtilitas ipsorum cerimonialium, quia erant in signum futuræ gratiæ quò ad perfectos. Et sic soluendum est ad illam rationem per interemptionem.

An omnia contenta in lege iusta sint? §. 3.

¶ Tertiò quæritur? an omne mandatum iustum sit: an contineat aliquod non iustum.

¶ Ad quod sic. Aug. *Bestialis natura non peccat, quia nihil facit contra legem æternam.* (August. contra Faustum.) Sed iniustum est, vt non peccans puniatur pro peccato: ergo iustum est, ꝙ animalia, quæ non peccauerunt, puniantur pro peccato hominum. Sed tales erant leges sacrificiorum, quod quædam animalia non peccantia puniebantur pro peccato hominum, & interficiebantur: ergo erant iniustæ. Et hoc etiam est illud, quod dictum fuit ab aliquibus.

Quid meruere boues: animal sine fraude dolisq;.

¶ Item, de iustitia est: vt qui peccat, puniatur: ergo cum solus homo peccet, & non animalia: de iustitia est, quòd solus homo puniatur & non animalia: & sic leges sacrificiorum erant iniustæ.

¶ Item, istud ostēditur de iudicialibus: quia iustitia est, vt pro mensura culpæ sit mensura pœnæ. Vndē: *Pro mēsura peccati erit & plagarum modus.* (Deut. 25.) Vbi igitur maior culpa, debet sequi maior pœna. Sed in lege non est inflictio pœnarū secundum quantitatē culparū: ergo & leges iudicialiū, quæ pœnas inferunt, sunt iniustæ. Minor patet, quia habetur: *Pro vno boue furato quinq; boues restituantur: & pro vna oue quatuor: pro furata verò pecunia, si inueniatur fur, duplum reddet.* (Exod. 22.)

Ita dicit Lex: plus ergo punitur fur bouis & ouis, quàm fur pecuniæ : & tamen est maior culpa in furto pecuniæ, quàm in furto bouis vel ouis: quia maioris posset esse vtilitatis pecunia possessori suo, quàm bos vel ouis: ergo non infligitur pœna secundùm quantitatem culpæ: non est igitur æquitas in pœna.

¶ ITEM, istud patet in lege talionis: quia de iustitia est, vt non solùm puniatur, sed etiam quod fiat restitutio læso. Sed in lege talionis non fiebat restitutio læso: vnde nō reddebatur ei oculus; sed solùm puniebatur peccans: vnde oculum pro oculo, &c. In lege verò furti fuit facta restitutio, & tamen maioris erat vtilitatis oculus, quàm aliqua res temporalis. Si ergo Lex non determinauit aliquā restitutionem ibi: relinquitur q fuit iniusta: non ergo iusta sunt omnia, quę continentur in lege, & maximè quantum ad legem talionis.

¶ ITEM, de iustitia est, vt maiori bono reddatur maius præmium. Vnde non est æquum iudicium, vt æquale præmium reddatur maiori & minori bono. Sed Lex facit hoc: ergo Lex non est iusta: non ergo omne, quòd est in lege,
Deut. 22. est iustum. Minor patet quoniam dicitur: *Si ambulaueris per viam, & inueneris nidum & matrem pullis de super incubantem. nō te nebis eam cum filijs: sed abire patieris.* Et post subditur promissio. *Vt* (scil.) *benè sit tibi, & longo viuas tempore.* Sed idem præ-
Exod. 20. mium promittitur honoranti patrē & matrem, Exod. 20. quod tamen quasi in infinitum maius est bonum : ergo mandatum istud non est iustum : non sunt ergo iusta omnia, quæ continentur in lege.

RESOLVTIO.

Iusta admodum, nec nullatenus iniusta.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd omnia contenta in lege sunt iusta: sicut dictum est: nec est aliquod iniustum contentum in lege.

¶ ET quod obiicitur de animalibus. Dicendum: quod non puniuntur pro peccato, sed patiuntur pro homine: & hoc propter vtilitatem hominis. Et multiplex causa est, qua re patiuntur: nam esse animalis, & suum viuere, & suum mori est pro homine. Vnde sicut pro vtilitate hominis & sustentatione quò ad corpus conueniens est, quòd interficiantur animalia: ita quantum est ad spiritualem vtilitatem ipsius animæ est, illud conueniens est. Hæc autē vtilitas fuit, vt per mortem animalium, quæ nihil commiserant; ostenderetur q peccans dignus erat morte æterna. Vnde ostēdit ei Dominus per mortem animalium, quantus erat reatus peccati in Deum: & per hoc peccans significaret se dignum morte æterna. Alia vtilitas fuit, vt imprimeretur in eis distinctio & rigor iustitiæ diuinæ, & ostenderetur eis. Nam maximus erat rigor iustitiæ: & videbatur, quòd Dominus volebat animalia non peccantia punire; vt in hoc legerent districtionem diuinæ iustitiæ, & rigorem quantum ad ipsos, qui peccabant. Tertia vtilitas fuit reuocatio ab idololatria: quia ipsi faciebant sibi idola sub figuris animalium : & illa colebant & adorabant : & propter hoc vt reuocarentur à cultu idolorum ad cultum Dei: præcepit eis Dominus immolare animalia: & talia qualia ipsi non erant consueti adorare, vt esset alter ritus, & separarentur à pristino. Quarta vtilitas erat immolationis animalium propter significantiam hostiæ: quam obtulit Saluator pro peccatis omnium. Vnde dicit quædam
Glossa, super Leuit. Gloss. super Leu. in principio: quod omnes legales hostiæ Christi hostiam figurabant.

¶ AD secundum dicendum: q multis de causis infertur maior pœna. Aliquando. n. maioritas pœnæ infertur propter maioritatem damni: sicut patet, quòd Lex plus punit illum, qui furatur bouem, quàm qui furatur ouem : quia pro vno boue debēt quinq; restitui: pro vna oue quatuor: & hoc quia magis damnificatur homo in amissione bouis quam ouis, quia vtilior est bos. Similiter aliquando infert Lex maiorem pœnam ratione maioris inclinationis: & sic maiorem infert pœnam furanti bouem & ouem, quàm furanti pecuniam: quia ipsa in custodia recluditur: & ideo quia faciliùs committitur furtum ouis vel bouis, quàm pecuniæ : maior est inclinatio ad furandum bouem vel ouem, quàm pecuniam: & ideo plus punit, vt ab hac inclinatione retrahat & coērceat. Itē, infert aliquando maiorem pœnam ratione maioris facilitatis & consuetudinis: & ideo plus punit Lex furem, quàm raptorem: punit enim furem in duplo: sed raptorem in quinto solū. Vnde non oportet, quòd reddat nisi quintam partem eius, quòd rapuit, & illud quod rapuit: fur autem reddet ad minus duplam partem supra illud, quòd rapuit. Vnde: *Anima, quæ* Leuit. 6.
peccauerit, & contempto Domino, negauerit depositum proximo suo; vel vi aliquid extorserit; reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra: & quintam in super partem addet Domino, cui damnum intulerat. Ratio autem huius est maior consuetudo & facilitas: maior enim coērctio magis est necessaria, vbi est maior consuetudo: maior est autem consuetudo & pronitas ad furandum quam ad rapiendum: quia fur locum habet furandi in ciuitate & extra: vnde in omni loco furatur; raptor non: immò solum extra portam ciuitatis; & ideo maior est coērctio per pœnam ad declinandum à furto, quàm à rapina. Et hæc est intentio legis: hoc autem iustum est simpliciter.

¶ AD quartum dicendum: q pœna legis aliquando est secundum æquitatem: aliquando secundum districtionē. In pœna talionis est æquitas, & non districtio: quia non punitur peccans in amplius quam commisit: vnde oculū pro oculo, dentem pro dente, &c. Et ratio est. In illis enim peccatis, quæ fiunt mouente concupiscentia, punit Lex secundum districtionem: in illis autem, quæ fiunt mouente ira, punit secundum æquitatem: & hoc est, quia motus concupiscentiæ pronior est & prior, quàm motus iræ. Vn-
de Dam. *Ira est audax vindex concupiscentiæ læsæ.* Propter quod Damasc.
patet, quòd motus concupiscentiæ præcedit motum iræ, & pronior est: vnde tota corruptio & totus fluxus malitiæ est ex parte concupiscentiæ. Et propter hoc peccata, quæ sunt mouente concupiscentia, punit secundum districtionem: & determinat in illis restitutionem: sicut patet in furto: sed non sic est de ira. Et propter hoc Lex talionis, quæ punit peccata talia, quæ fiunt mouente ira, punit secundum æquitatem, non secundum districtionem. Vnde nō determinat restitutionem aliquam: sed solum pœnam infert æqualem peccanti.

¶ AD quintum dicendum: quod præmium maius aliquando attenditur ratione maioris boni: aliquando ratione maioris mali vitandi. Ratio ergo præcepti de dimissione matris super pullos incubantis: fuit vitatio maximi mali, videlicet idololatriæ consuetudo: quia ipsi Iudæi idololatriæ faciebant coniecturationes suas & auguria in cantu talium auium siue garritu: & similiter in aliquibus membris, sicut in extis. Vt ergo dimitteretur consuetudo ista: & intenti essent ad cultum Dei, promittebatur æquale præmium pietatis, quæ erat in dimissione matris incubantis super pullos: & pietatis, quæ erat in honorando parentem: & ratio fuit ad maximum malum vitandum, sicut dictum est. Aliter dicendum sc. quod retributiones promissæ non semper fiebant secundum æquitatem correspondentem meritis obseruantiæ mandatorum: sed quandoq; secundum beneplacitum promittentis; considerata congruitate aliqua, tantum promittebatur minus merenti, quantum magis, siue idem. Vnde sicut complacuit diuinæ voluntati promittere longæuitatem liberis propter sustentationem eorum inesse, à quibus habebant esse: similiter complacuit diuinæ voluntati promittere longæuitatem permittentibus matrem pullorum viuere: vt ad hoc pullificaret, siue pullos multiplicaret ad sustentationem vitæ proximorum. Præterea, multa erant motiua ad honorandum parentes scil. natura siue inclinatio naturæ * debitum affectio pietatis, & huiusmodi: quorum * Aliàs, debita.
nullum erat motiuum ad promittendum matrem pullorum viuere: propter quod conueniebat, vt maioris fieret promissio ex ista parte, quàm ex illa: maioris (dico) habito respectu ad aliud mandatum.

)*(

MEM-

MEMBRVM III.

De impletione legis Moysi per Christum.

CONSEQVENTER quæritur de lege Moysi quantum ad impletionem per Christum: propter illud verbũ,
Matth. 5 quod dicitur: *Non veni soluere legem*, &c. Primò, an Christus legem impleuit, & quo modo impleuit. Secundò quæritur, an impleuit omnia.

ARTICVLVS I.

An Christus legem Moysis adimpleuerit?

AD primum sic obijcitur: Omnis agens contra ea, quæ legis sunt, est soluens legem: Christus est agens
Matth. 8. contra ea, quæ legis sunt: ergo est soluens legem. Minor patet, *quòd extendens manum, tetigit leprosum*: sed hoc erat prohibitum in lege: ergo fecit contra legem: & ita soluit eam. Sed nullus talis est implens legem: ergo Christus non impleuit legem.

¶ Si ad primam propositionem dicatur, quòd vera est de his, qui sunt subiecti legi: sed Christus non erat subiectus legi. Tunc obijcitur: Christus ante baptismum inuenitur legem impleuisse, & fecisse ea, quæ erant legis: sed post baptismum non fecit ea, quæ erant legis generaliter; immò aliqua sic, aliqua non: secundùm quod ei placebat: ergo post baptismum faciebat aliqua contra legem, ergo ipsam soluebat. Sed tamen tunc non erat legi subiectus: ergo non oportet ad hoc quod aliquis soluat legem; quòd sit legi subiectus.

Matth. 6. ¶ ITEM, *Vade, & ostende te sacerdotibus*: Gloss. Mittit ad sacerdotes, ne legem soluere videretur. Vult ergo dicere Gl. quòd nisi misisset ad sacerdotes, quòd soluisset legem. Sed mitti ad sacerdotes, hoc erat figurale: & soluisset legem, nisi hoc fecisset: ergo similiter soluit legem in tangendo leprosum: quia prohibitum erat in lege & figurale: sed nullus talis implet legem: ergo Christus non impleuit legem.

¶ ITEM, Dominus legis faciens contra legem dicitur soluere legem: aliter tamen quã subditus legi faciens contra eam: quia primus dicitur soluere irreprehensibiliter, alius autem repræhensibiliter. Sed Christus, qui est Dominus legis, inuenitur fecisse contra legem: ergo soluit legem: licèt tamen irrepræhensibiliter. Sed nullus soluens legem, siue repræhensibiliter, siue irrepræhensibiliter, implet legem: immò est contrarius legi: ergo Christus non impleuit legem.

¶ ITEM, dicitur in lege. Reddes Domino tuo iuramenta tua; hoc est præceptum morale iudiciale: sed Christus
Matth. 5. præcepit contrarium huius, cum dixit: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Ergo soluit legem quantum ad moralia, & non impleuit.

Hebr. 8. ¶ ITEM, *Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.* Sed translatum est sacerdotium per Christum: ergo legis translatio fit per Christum: sed vbi est legis translatio, est legis mutatio: & vbi est legis mutatio, non est legis impletio: ergo per Christum non est impleta Lex.

2. Cor. 3. ¶ ITEM. *Si quod euacuatur per gloriam, est, multo magis quod manet in gloria, est.* Et appellat illud, quod euacuatur, legẽ Moysi: illud, quod manet, legem Euangelij. Ex hoc sic obijcitur. Nihil, quod euacuatur, & non manet inquantum huiusmodi, impletum est. Sed Lex Moysi per Christum & gloriam eius euacuatur, & non manet, sicut habetur ibi: ergo per Christum non impletur.

Rom. 13. Glossa. ¶ ITEM, *Qui diligit proximum, legem impleuit, &c. Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur*: Gl. *id est continetur, & impletur.* Ex quo obijcitur sic: Nihil, quòd impletum est, indiget impletione: sed mandata legis habent mandatum de dilectione proximi, in quo implentur: ergo non indigent impletione illa: ergo non implentur per Christum.

1. ad Timoth. 1. Glossa. ¶ ITEM. *Finis præcepti charitas.* Gl. *Impletio & consummatio legis est charitas*: & hæc gemina est sc. Dei & proximi: totam n. magnitudinem & amplitudinem diuinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum proximumq; diligimus, quæ radix est omnium bonorum. Si ergo per mandatum de charitate impletur Lex: non ergo per Christum impletur Lex.

¶ AD oppositum: Omnis, qui addit rei, quòd ei deest; & figuræ exhibet, quòd figurat; implet rem, & ipsum signum, siue figuram. Sed in lege erant præcepta vitæ agendæ; sc. moralia, & præcepta vitæ significandæ, sc. figuralia: sicut dicit Aug. Et mandatis vitæ agendæ addidit, quòd deerat: sicut patet Mat. 5. Mandatis vitæ significandæ, scil. figuralibus exhibuit, quòd figurabant; vnde super illud: *Nolite putare, quòd veni soluere legem.* Gl. *Adimplet Christus, dum promissis ad inchoationem vitæ agendæ superaddidit plura ad perfectionem moralium præceptorum: & quæ figuris tegebantur, & futura figurabant; in se perfecit & in Ecclesia: sine quo figuræ vacuæ essent & sine effectu.* Generaliter ergo Christus legem impleuit. — August. contra Faustum. lib. 6. c. 2. & li. 19. c. 18. To. 6. — Matth. 5. Glossa.

RESOLVTIO.

Miro modo & iudicialia, & ceremonialia, & moralia legis præcepta vtcunq; Christus adimpleuit.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd Christus homo impleuit legem: sicut ipsemet testatur ex ore suo, cum dicit: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Differenter tamen eam adimpleuit: quia sicut in lege sunt tria scil. iudicialia, moralia, figuralia: sic fuit modus implendi generaliter legem à Christo. Figuralia enim impleuit tripliciter scil. per terminationem, per exhibitionem, per manifestationem: secundùm tria, quæ sunt consideranda in figuralibus, scilicet obseruantia, significantia, figura. Impleuit ergo figuralia per terminationem quantum ad obseruantiam: secundùm quod dicit Aug. De præceptis & sacramentis Vet. Test. sæpe ac multa iam diximus, vt intelligeretur aliud ibi fuisse, quòd per gratiam noui Testamenti faciendo donaretur implendum: aliud, quòd per veritatem patefactam remouendo, demonstraretur impletum. Item, impleuit figuralia per manifestationem, quantum ad significantiam: secundum quod dicit Aug. *Aliud erat, quo hoc oportebat per figuras ac prophetias prænunciari: & aliud est, quo hoc iam oportet per manifestam veritatem, redditamq; adimpleri.* Item, impleuit figuralia per exhibitionem quò ad figuram, scilicet exhibendo illud, quòd figurabant. Et hoc est, quòd dicit Aug. contra Faustum. Impletur Lex; vel cum fiunt, quæ ibi præcepta sunt: vel cum ibi exhibentur, quæ ibi prohibita sunt. — Matth. 5 — August. contra Faustum. — Idẽ contra eundem.

¶ ITEM alius est modus implendi, quò impleuit ipsa moralia; & iste est per perfectam boni operationem. Sed ad perfectam boni operationem tria requiruntur sc. boni cognitio, boni executio, & post casum releuatio. Et sic impleuit moralia quantum ad perfectam boni cognitionem, quantùm ad executionem, & quantùm ad releuationem post casum. Quantùm autem ad perfectam boni cognitionem tripliciter impleuit: quia ad hoc quod sit perfecta boni cognitio, oportet quod sit mali cognitio perfectè, & quod sit boni cognitio perfectè, item oportet quod sit melioris cognitio. Et secundùm hoc est perfectio moralium in Euangelio: implet enim ea quantum ad perfectam mali cognitionem: cum dicit. Dictum est antiquis, *Non occides: Et ego dico vobis, Non irasceris*: & sic de alijs prohibitionibus mali, quas addit prohibitionibus legis. Similiter & quantum ad perfectam boni cognitionem; cùm dicit. *Diligite inimicos vestros.* Item implet ea quantum ad cognitionem melioris: sicut cum ipse addit consilia, vt *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus* Sic ergo impleuit ea quantum ad cognitionem. Et hunc modum implendi tangit Aug. quia non intelligebant Iudæi homicidium nisi per peremptionem corporis humani, per quam vita priuaretur; aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari. Vnde & Ioan. dicit. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et quoniam putabant tantum modo corporalem cum fœmina illicita commixtionem vocari mœchiam; demonstrauit Magister Christus etiam talem mentalem concupiscentiã nihil aliud esse. Fuit ergo iste modus implendi in hoc, quòd Dominus manifestauit, — Exod. 20. Matth. 5. — Matth. 5. — Matth 19. August. contra Faustum. — 1. Ioan. 3.

quid

quid [illegible], & quid malum, & quid melius, super Matth. [illegible] Chrys. *Mandatum Christi non est contrarium legi sed tamen in se continens legem: qui non irascitur, non occidit sed non econuerso licentia irascendi causa est homicidij tollere iram, & non fit homicidium.* Secundus modus implendi moralia fuit in dando gratiam ad perfectam boni executionem: quod non datur per legem. Et hoc tangit Aug. *Lex prauaricationis reatu superbos deuinxit augendo peccatum, cum iubet, quod adimplere non possunt: ipsius legis impletur iustitia per gratiam spiritus in eis. qui discunt a Christo mites esse atq; humiles corde.* Tertius modus implendi moralia fuit in releuando post casum, quod non faciebat Lex. & hunc modum ponit August. dicens: *Quia sub gratia positis in hac mortali vita difficile est* * *omninò implere, quòd in lege scriptum est. Non concupisces ille per carnis suæ sacrificium Sacerdos effectus impetrat nobis indulgentiam, etiam hic adimplens legem: vt per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionem recuperetur, cuius capitis membra effecti sumus.* Vnde vult, quòd nobis ipse impetret indulgentiam post casum, vt releuemur, postquam in ingressi sumus: quod non poterat Lex facere; immo damnabat tales.

Chrysost. super Math. 5

August. contra Faustum

August. contra Faustum

*Alias, omni modo.

¶ Vlterius ipse impleuit iudicialia: vt scilicet facerent declinare à malo: non tamen perfectè hoc faciebant: quia triplex est malum scilicet malum secundum se: & hoc est malum quò ad omnes; & tale fuit repudium, siue illicita separatio maris & fœminæ contra ordinem matrimonij. Est etiam malum ex concomitantia: & hoc est malum quò ad plures, & frequenter: & tale fuit talio: licet enim possit aliquando accipi iustè aliqua vindicta, vel talio: est tamen malum pluribus, & frequenter: quia vix potest fieri sine libidine vindictæ. Est etiam malum ex occasione. & hoc est malum rarò & in paucioribus: tale fuit iurare: iurare enim licet in se bonum sit, & non simpliciter malum: tamen aliquando præbebat occasionem mali, scilicet periurij. scilicet cum fiebat frequenter: tamen erat ad declinandum malum: vnde. *Omnis controuersiæ finis est iuramentum.* Sed non perfectè declinabant ista iudicialia à malo: facta autem est perfecta declinatio per Christum: vnde contra iudiciale de iuramento dicit: *Non iurabis omnino* contra repudium dixit? *Quicunque dimiserit vxorem sine causa, facit eam mœchari:* contra talionem dixit. *Dico vobis non resistere malo:* & hoc fecit, vt perfectè nos faceret declinare à malo. Et hoc est, quòd dicit Aug. Quia peierare graue peccatum est: iurare autem, sicut verum iurare, nullum peccatum est: sed longiùs remotus est à falso iurando, qui nec iurare consueuit; quàm qui verum iurare. Nam quia iurare procliuè est ad periurium; maluit Dominus nos non iurantes non recedere à vero, quàm verum iurantes propinquare periurio. Similiter dicit de talione. Sicut in iurando etiam, qui verum iurat, propinquat periurio: vnde etiam longè abest, qui omnino non iurat: & quamuis non peccet, qui verum iurat; remotior tamen à peccato est, qui non iurat: vnde admonitio non iurandi conseruatio est à peccato periurij: ita cum peccet qui per immoderationem iniustè vult vindicari: non peccet autem, qui moderatione adhibita iustè vindicari vult, remotior tamen est à peccato iniustæ vindictæ, qui non vult omnino vindicari. Et sic cum Lex istud concederet propter declinationem à malo; Christus implet per perfectam declinationem; cum iubet omnino non iurare, nec resistere malo. Similiter de repudio dicit Aug. Illud de vxore non dimittenda, quod Dominus præcepit. *Cùm antiquis dictum sit. Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij*, &c. Si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Vtique nolebat vxorem dimitti à viro: qui hanc interposuit moram: vt in dissidium animus præceps, & libelli conscriptione refractus, absisteret; & quod malè [illegible] vxorem dimittere, cogitaret: præsertim vt perhibetur apud Hebræos scribere litteras hæbreas nulli [illegible], non solum scribis, cum excellentiorem profiterentur [illegible] & si [illegible] essent æquitate ac pietate [illegible] tantum profitarentur, immo etiam secta[illegible] prudentes esse legis [illegible], Lex iubere voluit [illegible] libellum repudij dare, si dimisisset v-

Hebræ. 7.

August. contra Faustum.

August. Math. 5.

xorem. Hoc [illegible] omnino non dimitteret.

¶ Ad rationes [illegible] in contrarium, & [illegible] ad primum dicendum, quod [illegible] duplex vel quantum ad [illegible] vel quantum ad veritatem figurae. Quantum ergo ad [illegible] [illegible] contrarium figuræ: sed non quantum ad [illegible] figuræ veritatem. Et hoc est, [illegible] Glos. super illud: *Nolite putare, quia veni legem soluere, sed adimplere.* Christus legem impleuit, quia exteriores legis figuras soluens, impleuit veritatem interiorem. Et sic patet; [illegible] soluit & impleuit figuralia: quia impleuit [illegible] veritatem interiorem, exhibendo eam.

Math. 5

¶ Ad illud, quod obiicit de iurare, quod est [illegible] morale & iudiciale; quod Dominus fecit contrarium. Dicendum, sicut dictum est: reddere iuramentum in lege erat ad declinationem mali. sed illud, quod Dominus addidit fuit ad maiorem declinationem mali scilicet. Omnino non iurare: qui enim non iurat, longius est à periurio, quàm si etiam verum iuret. Et propter hoc maluit Dominus nos non iurantes recedere à vero, quàm verum iurantes appropinquare periurio. Et sic eadem fuit intentio Christi & legis: cum dicit, *Reddes Domino iuramenta tua*, scil. longè fieri à periurio.

¶ Ad illud, quòd obiicit: translato sacerdotio, &c. Dicendum, quòd per sacerdotium Christi non est mutatio moralium, sed completio. Sed de figuralibus loquendum est dupliciter: vel quantum ad obseruantiam, vel quantum ad authoritatem significandi. Quantum ad obseruantiam est mutatio eorum, translato sacerdotio: sed non quantum ad authoritatem significandi: immò adhuc habent eam: vt possit adhuc homo legere in ipsis: sed quod prius significabant vt futurum, modò significant vt præteritum: & sic remanet significantia non mutata. Et hoc est, quod dicit Augustinus: Cessationem sabbatorum superuacuam ducimus ad obseruandum, ex quo species reuelata est nostræ quietis æternæ: non tamen ad legendum & intelligendum sacrificia Veter. Testam. figuræ nostræ fuerunt: & omnia talia multis & variis modis vnum sacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, figurauerunt: vnde isto reuelato & suo tempore oblato, illa de agendi celebritate sublata sunt, sed in significandi authoritate manserunt.

Ibidem.

August. contra Faustum.

¶ Ad septimum patet solutio: quoniã euacuatur quantum ad obseruantiam, sed non quantum ad authoritatem significandi.

¶ Ad octauam & nonam rationem dicendum: quod aliter erat præceptum de dilectione Dei & proximi in lege & in Euangelio. Quia secundum formam legis præceptum charitatis erat cum promissione boni temporalis incitantis ad amorem Christi & proximi, & promouentis: & ideo erat ibi mandatum de dilectione imperfecta, scilicet tracta per bonum temporale: & ideo indigebat adhuc impleri. Sed illud; quod additum est à Christo, impleuit hoc: vnde in Euangelio in præcepto de dilectione Dei non allicitur homo ad charitatem per bona temporalia: sed allicitur solùm æternis; vnde præcepto isti addidit Dominus in Euangelio *totis viribus.* Tunc enim totis viribus diligitur Deus, quando est plena abdicatio boni temporalis; & remanet sola spes boni æterni, & hæc est perfecta dilectio. Et sic solùm bonis æternis trahitur homo ad amorem Dei in Euangelio: & ideo est ibi præceptum de dilectione perfecta. Et in hac est perfecta instauratio aliorum; non secundum quod datum est secundum formam legis. Et sic per Christum est impletum mandatum de charitate, quòd datum erat secundum formam legis. Et hoc est, quod dicit Augustinus. *Temporalium rerum promissiones Testamento Veteri contineri; & ideo Testamentum vetus appellari, nemo vestrum ambigit; quòd æterna vita promissio regnum cœlorum ad Nou. Testam. pertinet.*

Lucæ 10.

August. contra Faustum.

¶ Ad secundũ, quòd quæritur de modo implendi, dicendum, quòd omnes isti modi possunt ibi [illegible]. Quædam n. per executionem implentur, sed non omnia, [illegible]

expedientia: quædam per additionem, vt moralia: per exhibitionem quantum ad figuralia; quò ad veritatem interiorem exhibendo eam: per terminationem quantum ad obseruantiam eorum: per declarationem quantùm ad omnia.

Artic. seq. ¶ Rationes in contrarium, quarum non patet solutio; soluentur inferiùs: maximè quantum ad istud, quod obiicit de circumcisione, & de non concupiscere; quod etiam prohibetur in lege, sicut in Euangelio Christi.

ARTICVLVS II.

An Christus vniuersæ legis præcepta adimpleuerit.

CONSEQVENTER quæritur? quorum est impletio facta per Christum: an generaliter omnium, vel non.

Matth. 5. Glossa. ¶ Ad quod sic: *Non veni soluere legem*, &c. Gloss. *Significantia per impletionem consummuntur.* Ex quo patet, qđ consummata sunt ibi omnia, quæ legis sunt. Et similiter: Matth. 7. Glossa. *Cùm consummasset Iesus sermones hos.* Gloss. *Nihil imperfectionis habet hic sermo.* Ergo in sermone de monte consummauit Iesus omnia, quæ erant in lege.

¶ Ad oppositum: non fecit ibi mentionem de cerimonialibus: ergo non impleuit illa: ergo non omnia ibi consummantur.

¶ Item, cerimonialia transeunt quantum ad obseruantiam: ergo ibi non implentur.

¶ Similiter de iudicialibus constat, quòd non impleuit ibi omnia: quia de multis iudicialibus non fit ibi mentio, sed solum de tribus scil. de talione, & repudio, & de iuramento, prout est iudiciale, prout scil. est ad terminandum causas & controuersias. Similiter de moralibus patet: quod non implentur ibi vniuersaliter à Domino: quia præcepta primæ tabulæ non ponuntur ibi: sed illa erant præcipua præcepta; quia ordinabant ad Deum; præcepta secundæ ad proximum: ergo dimisit præcipua ad implendum.

¶ Similiter istud videtur de præceptis secundæ tabulæ: quia ibi nunquam fit mentio de isto mandato. Exod. 20. *Honora patrem*: quod est secundæ tabulæ: ergo non impletur ibi: non ergo vniuersaliter implentur ibi moralia.

¶ Item, quantum ad mandatum de concupiscentia istud patet: quia in lege dicitur. *Non concupisces*: nec plus addit Euangelium: ergo non impletur ibi.

Deut. 5. ¶ Si dicatur, quod in lege loquitur solum de concupiscentia progressiua in actum exteriorem: Euangelium aút cum prohibet concupiscentiam interiorem. Contra: Rom. 7. Glossa. *Cõcupiscentiam nesciebam esse peccatum; nisi Lex diceret, Non concupisces*: sed falsum videretur, qđ dicit Apostolus, nisi Lex prohiberet concupiscentiam interiorem: quia loquitur de interiori.

¶ Item, in lege prohibetur concupiscentia mulieris & rerum: in sermone autem Domini solum concupiscentia mulieris.

¶ Item, super illud: *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret*, &c. Gloss. *Bona est Lex, quæ dum hoc prohibet, omnia mala prohibet.* Ergo in lege prohibitionis concupiscentiæ omnia mala prohibentur: ergo nihil addidit Euangelium.

¶ Item, ibi dicit Gloss. qđ ex concupiscentia omnia mala veniunt: ergo prohibendo concupiscentiam, prohibet Lex causam omnium malorum: ergo prohibentur & absciduntur in lege omnia mala in sua causa: ergo Lex est in sua plenitudine. Non ergo implentur moralia per Euangelium Christi: maximè quantum ad hoc mandatum, Deut. 5. *Non concupisces*: Christus ergo non impleuit omnia.

RESOLVTIO.

Christus cum sit legis & prophetarum virtus, per quam omnia implentur, vniuersæ legis mandata impleuisse dicendus est: idq; in Sermone in monte.

Aug. cõtra Faustum. ¶ Solvt. Dicendum, secundùm qđ dicit Aug. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Et sumptum est ex. Io. 1. Secundum hoc ergo dicendum, qđ Lex impletur dupliciter à Christo: per modum gratiæ, & per modum veritatis. Vnde dicit: De præceptis & sacram. Idem. Vet. Testam. *Sæpè ac multa iam diximus, vt intelligeretur aliquid ibi fuisse, quod per gratiam noui Testamenti faciendo donaretur implendum: aliud, quod per veritatem patefactam remouendo, demonstraretur impletum. Per modum autem gratiæ, dupliciter: vno modo eò quòd datur gratia executionis: alio modo eò quòd datur gratia reuelationis post casum.* Hæc enim duplex gratia necessaria est operanti ad hoc, quod exequatur opus suum: & maximè secunda, eò quòd contingit cadere propter infirmitatem. Christus verò implet legem quia præcipit & dat gratiam exequendi siue implendi: Lex autem solum præcipit, sed non dat gratiam ad implendum. Vnde Aug. *Lex superbos præuaricationis reatu deuinxit, augendo peccatum, cum iubet quod adimplere non possunt: ipsius legis impletur iustitia per gratiam spiritus in eis, qui discunt à Christo mites esse atq; humiles corde.* Idem cõtra eundem. Alio modo impleuit, conferendo gratiam reuelantem: & sic dicit ibi Aug. Quia sub gratia positi in hac mortali vita difficilè est * omni modo implere, quod in lege scriptum est. *Non concupisces*: ille per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus, nobis impetret indulgentiam, hic adimplens legem: vt quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionem recuperetur. *Aliàs, omnino. Deut. 5.

¶ Per modum autem veritatis est impletio multipliciter (vt repetamus breuiter prædicta: quia valde vtilis est materia) scilicet quantùm ad figuralia, moralia, & iudicialia. Quantum ad figuralia est triplex modus, qui dictus est scilicet per terminationem quantum ad obseruātiam; & ex hoc dicitur impletio, quod cessat ista, & succedit alia melior obseruantia: implentur etiam per manifestationem quò ad significantia: per exhibitionem quò ad figuram. Similiter impletio moralium tripliciter, vt visum est pleniùs: maximè quò ad cognitionem triplicem: *Aliàs, figuralia. quia in perfecta boni operatione oportet, quod concurrat perfecta notitia mali: hoc non dedit Lex; immò quando dixit: *Non occides*, solùm de actu exteriori dedit notitiam: sed Christus dicendo. *Non irasceris*, addidit notitiam Exod. 20. mali actus interioris. Similiter datur in Euangelio perfecta notitia, boni cum dicitur: *Diligite inimicos vestros*: & Matth. 5. non in lege. Vlteriùs est consummatio scil. perfecta notitia melioris, quod est consilium. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, &c. Matth. 19. Similiter (vt dictum est) quantum ad moralia, quæ erant in declinatione mali; est triplex impletio.

¶ Qvod ergo quæritur? vtrùm omnia implentur per Christum? Dicendum, sicut dicit Gloss. super illud: *Non veni legem soluere*, &c. Matth. 5. Christus est legis & prophetarum virtus: per quam omnia implentur. Ergo omnia implentur per Christum: & in Sermone generali de Monte.

¶ Ad illud ergo, ꝙ obiicitur in contrarium. Dicendum, quod sunt moralia primæ tabulæ, & secundæ. Moralia primæ tabulæ ordinant animam ad Deum: moralia autem secundæ tabulæ ad proximum. Secundum hoc ergo dicendum: qđ omnia cerimonialia dependebant à mandatis primæ tabulæ: quia omnia erant data ad diuinum cultum: & vt homo reuocaretur ab Idololatria, sicut dictum est: & ideo ordinabant ad Deum: & reducebantur ad moralia primæ tabulæ: & ideo implentur cerimonialia in illis sicut in eam. Iudicialia verò, quia erant ad conseruandam pacem ad proximum, dependebāt à moralibus secundæ tabulæ, quæ erant ad proximum: & ideo implentur in illis. Et ita non oportuit fieri mentionem cerimonialium & iudicialiũ per illum modum, quo dabantur per legem in impletionem legis Matth. 5. quia impletio illorum fuit in causa: & sic patet vbi illa impleta sunt.

¶ Ad illud, qđ obiicitur: quod non fit mentio de mandatis primæ tabulæ: Dicendum, ꝙ anima habet in se partē, qua ordinatur ad superiora, sicut ad Deum: & qua ordinatur ad inferiora, sicut ad proximum: & secundū hunc duplicem ordinem duplex tabula est. Et dicuntur mandata primæ tabulæ; quæ pertinēt ad ordinem animæ ad Deum: mandata secundæ tabulæ, quæ pertinent ad ordinem animæ ad proximum. Et secundùm hoc habet anima duplicem impletionem, & est impletio istorum mandatorum. In illa ergo parte, Attendite, ne iustitiam vestram

facia-

faciatis coram hominibus,&c. Est impletio omnium,quæ pertinent ad ordinem animæ ad Deum: & sic est ibi impletio moralium primæ tabulæ.

¶1 Et quod obiicitur: quòd non fit ibi mentio de illis. Dicendum,quod conuersio animæ in Deum, est dupliciter: scil. sicut in suum principium, & sicut in suum finem: & hæc secunda est conuersio perfecta. Intentio ergo legis quantum ad mandata primæ tabulæ erat, vt conuerteretur anima in Deum tanquam in suum principium: vnde intendebat Lex, vt per exhibitum beneficium recogitaret anima creatorem suum, & adoraret. Sed vlterius per legem Christi est conuersio animæ ad Deum tanquam in suum finem: & hæc est conuersio perfectà. Hæc est,qua non reuertitur in ipsum vt in principium propter beneficium acceptum: immò tota intentio fertur in ipsum sicut in finem. Et sic mandata primæ tabulæ implentur per Euangelium: quia per ipsum fit perfecta animæ in Deũ conuersio: per illa autem non. Quare autem non fit ibi mentio de ipsis, patet: quia mandatis primæ tabulæ per Euangelium non fit per aliqua additio formaliter,quæ quidem sit sicut formæ ad materiam: sed est additio sicut finis; hoc est ex parte ordinis ad finem: sed non fit illis additio sicut ad materiam: vnde illis nihil additur: finis enim extra est, & non intra: & propter hoc non est necesse fieri mentionem de ipsis propter istam additionem. Sed mandatis secundæ tabulæ, de quibus fit ibi mentio; est additio sicut formæ ad materiam: quando scilicet, quod est *non occides* addit *non irasci*. Affectus enim est sicut forma ad actum. Et ideo oportet de illis fieri mentionem ad sui completionem; non autem de istis.

¶ Ad aliud dicendum, quòd mandata secundæ tabulæ ibi implentur: per illa enim est ordo ad proximum. Sed hoc dupliciter scil. secundùm beneficentiam, cum dicitur. *Honora patrem*: & secundum innocentiam cum dicitur: Exod. 20. *Non occides*. Secundum autem beneficentiam erat ordo imperfectus in lege, quia erat solùm in parte scil. ad proximum: quia non præcipiebat honorem, nisi patri: sed per Euangelium est ordo iste perfectus; quia præcipit beneficentiam non solùm patri, sed etiam fratri, & amico, & etiam inimico: vnde dicit Lex Euangelij. Qui petit à te, da sibi: & etiam dicit; Orate pro persequentibus vos. Similiter ordo secundùm innocentiam ad proximum per legem erat imperfectus: quia ibi erat solum prohibitus actus nocendi in verbo, in opere, in voluntate. In opere, cum dicit, non occides: quia verò vlteriùs est actus nocendi in affectu, prohibet Christus illum, cum dicit: *Non irasceris*, &c. Et sic implet quantum ad hoc, quod erat diminutum. Item, Lex prohibet actum nocendi in verbo, cum dicit: Ibidem. *Non falsum testimonium dices*; quantum ad hoc Christus implet, cum dicit. Sit sermo vester, est est, non non. Similiter in expetitione vindictæ, quæ est in talione, addit. Non resistere malo. Similiter Lex prohibet actum nocendi in voluntate, cum dicit: *Non concupisces rem proximi tui*: Christus autem implet vlterius, cum docet hominem erogare sua: non enim concupiscit aliena, qui erogat sua.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod bona est Lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, &c. Dicendum, quod verum est quodam modo in causa. Sed notandum quod aliud est de virtute legis, & forma legis: attendendo enim virtutem legis, Lex prohibet concupiscentiam, non solum exteriorem, sed & interiorem, quia puniendo exteriorem, reprobabat interiorem. Sed attendendo formam legis, secundum quod punit pœna temporali. Dicendum ꝙ non: non enim punit concupiscentiam interiorem. Et ratio huius est: quia Lex Moysi nunquam punit nisi sub testimonio, & maximè plurium. Vnde dicitur: *Homicida sub testibus punietur: ad vnius testimonium nullus condemnabitur*. Num. 35. Nullus autem potest ferre testimonium de concupiscentia interiori: & ideo secundum formam legis, qua punit, non prohibebat eam; sed solum exteriorem progressiuam: prohibebat enim manum, non animum: quia puniebat manum, non animum. Si ergo consideretur illud, quod cadebat in forma legis; non prohibetur interior motus, sed solùm exteriùs progrediens.

)·(

MEMBRVM IV.

De obseruantia legis quantum ad onus.

CONSEQVENTER inquirendum est de obseruantia legis quantum ad onus. Et hoc est quærere; quid magis oneret an Lex, an Euangelium. Et primò ex parte oneris: secundò ex parte ferentis. Quantum ad primum duo quæruntur. Primò, an obseruantia legis magis oneret* quantum ad difficultatem præceptorum. Secundò, an magis oneret quantum ad numerum præceptorum. * Aliàs, difficultate.

ARTICVLVS I.

An legis, vel Euangelij obseruantia onerosior sit.

AD primum quæritur? An obseruantia legis magis oneret, quantùm ad difficultatem præceptorũ, quàm obseruantia Euangelij: vel econuersò.

¶ Ad quod sic: omnis obseruantia, quæ est difficilior ad exequendum, magis onerat. Sed obseruantia præceptorum Euangelij difficilior est ad implẽdum, quàm obseruantia præceptorum legis: ergo onus Euangelij maius est, & grauius quantum ad difficultatem præceptorum, quam onus legis. Minor patet Ioan. Chrys. super illud: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, dicit: *Mandata Moysi in actu quidem facilia sunt; & ideo in remuneratione modica sunt: in transgressione verò magna*. Mandata aũt Christi in actu quidẽ difficilia sunt; & ideo in remuneratione magna: in trãsgressione verò parua sunt. Sunt ergo difficiliora mandata Christi siue Euangelij, quam mandata legis. Matth. 5. Chrys.

¶ Item: *In hoc cognouimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animam ponere*. Hoc autem difficillimum est. Sed ad hoc non tenemur ex lege, sed ex Euangelio: ergo magis onerat Euangelium quantum ad difficultatem præceptorum, quam Lex. 1. Ioan. 3.

¶ Item, quantum ad animam pœnitentem hoc patet: quia in lege animæ pœnitenti determinatur vnum, quod est commune cum anima pœnitente tempore gratiæ, scil. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. Vltra hoc pro satisfactione determinatur in lege satisfactio in carne aliena, scilicet in carne animalis, quod eam sacrificet Domino: sicut patet per totum Leui. Sed in Euangelio determinatur satisfactio in carne propria, vt propriam carnem mortificet, & sacrificet Domino, & non alienam: sed hoc est grauius, & difficilius, quã mortificare carnem alienã: ergo difficilior est obseruantia legis Euangelij, quam legis: & ita onus grauius. Quòd autem præcipiatur ita secundum Euangelium, patet: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*: Et, *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, &c. Psalm. 50. Rom. 6. Rom. 12.

¶ Item, talis est comparatio existentium tempore legis ad existẽtes tempore gratiæ vel Euangelij: qualis est comparatio paruulorum ad adultos. *Cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes*, &c. Sed paruulis non sunt onera grauia imponenda, immò adultis: ergo summa sapientia, quæ omnia cũ discretione facit, non imposuit grauius onus, immò leuius existentibus sub lege, quam existentibus sub Euangelio. Ergo difficilius est onus Euangelij, quam legis. Galat. 3.

¶ Ad oppositum: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Et loquitur de onere Euangelij per comparationem ad legem. Ergo vult dicere Saluator in Euangelio, quod leuius sit onus Euangelij & suauius, quam onus legis. Matth. 11.

¶ Item cap. eodem dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis*, scil. per legem: quia ibi loquitur per comparationem Euangelij ad legem. Ibidem.

¶ Item, dicit: *Qui tentatis imponere iugum super ceruicem discipulorum: quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus*. Ergo ita difficile est onus legis, quòd nullus potest portare; nec potuit: ergo difficilius est, quàm onus Euangelij. Actuum 15.

)*:*(

RESOLVTIO.

Tametsi Euangelij præcepta simpliciter [illegible] sint, maioriq; oneris præceptis Mosaicæ legis, non tamen eorum obseruantia magis onerat illorum obseruantia [illegible], quinimmo alleuiante onerent.

¶ SOLVT. Dicendum, quod [illegible] differt [illegible] quantum ad [illegible] & quantum ad affectum. Quantum ad actum duobus modis est difficultas oneris: quia vel respectu multitudinis præceptorum, vel respectu perfectionis præceptorum. Primo modo simpliciter difficilior & onerosior est obseruantia legis, quam Euangelij. Vnde quantum ad hoc dicit B. Petrus: *Quod hoc iugum neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus.* Secundo modo maior est difficultas & onerositas in actu in Euangelio, quam in lege: secundum quod habetur: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam:* hoc est secundum Euangelium: & dicit, *arcta* respectu legis: quia magis habet de difficultate in perfectione mandatorum, quam Lex: sicut patet de istis: Relinquere omnia propter Christum, mortificare carnem, &c. quæ non præcipiuntur secundum legem: ista perfectiora sunt, quam aliquod, quod sit in lege. Si autem loquamur de difficultate quantum ad affectum, dicimus quod duplex est affectus: scilicet timentis, & amantis. *Testimonium suscitauit in Iacob.* Gloss. *Initium est vetus Testamentum*, quia ibi est timor, qui est initium sapientiæ: finis verò est nouum Testamentum; quia hic est Christus, qui est finis ad iustitiam omni credenti: qui dat spiritum, quo charitas diffunditur in cordibus nostris. Et, *Secundum iustitiam, quæ in lege est.* Gloss. *Quæ timore, non amore seruire facit.* Secundum hoc ergo dicendum, quod in lege est affectus timentis: in Euangelio autem est affectus amantis. Et hoc patet de ratione & forma vtriusq; legis: quia dispositio generata ex comprehensione veteris legis, est generatiua timoris: illa verò, quæ generatur ex comprehensione nouæ legis, generatiua amoris. Affectus autem timoris habet difficultatem in operando: non autem affectus amantis: immò nihil grauat ipsum. Propter hoc loquendo de difficultate oneris quantum ad affectum, maior est difficultas & onus in obseruantia legis, quam Euangelij.

¶ SED si quæratur quid simpliciter magis oneret: Dicendum, quòd duplex est onus scilicet onus onerans, & onus adminiculans, siue adiuuans portantem. Primum onus est obseruantia legis, secundum est obseruantia Euangelij: quia est onus leuans portantem: & hoc per gratiam, quam conferunt sacramenta Euangelij: & mandata, quæ dantur, vt fiant ex amore: & sic habent vnde adiuuent portantem: quod tamen non est in moralibus legis: quia ex timore implentur: neque conferunt gratiam adiuuantem inquantum huiusmodi. Et ponit B. Bernard. in quadam Epistola sua, loquendo de hoc, exemplum de quadriga, dicens: *Quadriga, ad mota iumento, sarcinam, quæ ab ipso moueri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit: onus oneri additur, & minus onerat. Sic & oneri grauißimo legis accedens quadriga Euangelij, auxit perfectionem, difficultatem diminuit.* Volens per hoc dicere, quod sicut est de quadriga addita iumento, cum qua melius & maius onus portatur; & tamen onus additur oneri. sic est de Euangelio: quia licet maius sit onus addito Euangelio; quia onus additur oneri [illegible] simpliciter minus onerat: vnde augmentum perfectionis, quod est in Euangelio facit ad diminutionem oneris. Et sic patet solutio ad illud, quod quærebatur de onere quantum ad difficultatem præceptorum. Licet enim * difficiliora sint * simpliciter præcepta Euangelij, & maius onus Euangelij in se, quàm legis simpliciter: tamen minus onerat.

ARTICVLVS II.

An Lex, vel Euangelium magis oneret quò ad multiplicitatem præceptorum.

CONSEQVENTER quæritur: An plus oneret Euangelium, quam Lex quantum ad multiplicitatem præceptorum.

¶ An quod [illegible] *nos, neq; patres nostri portare potuimus.* [illegible] Legis [illegible]

¶ ITEM, [illegible] Sed [illegible] legis quam Euangelij, quantum [illegible] præceptorum.

¶ AD oppositum: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Gloss. *Adimplet Christus, dum præcepto ad moralitatem addit plura ad perfectionem.* Ergo plura sunt mandata Christi quam legis: ergo plus onerat Euangelium quantum ad multitudinem præceptorum.

RESOLVTIO.

Quò ad cerimonialia Lex, quo ad moralia Euangelium magis onerat, nec tamen onere onerante, sed alleuiante.

¶ SOLVT. Dicendum, quod quantum ad [illegible] talia & cerimonialia legis maior est numerus [illegible] rum in lege: nec ista habent [illegible] portantem: sicut habent ea, quæ sunt in Euangelio, sed grauandi & onerandi. Sed quantum ad [illegible] dico, quod maior est numerus in Euangelio quam [illegible] præcepta. Et quantum ad hoc dicit Gloss. Matth. quod superaddit plura ad præceptionem: non tamen propter hoc sequitur, quod magis oneret Euangelium, quàm Lex, licet sit maius onus quò ad moralia; quia præstat adiutorium portanti.

¶ QVOD ergo obiicitur: quod sit maior multitudo præceptorum in lege. Dicendum, quod illa authoritas Actuum loquitur quantùm ad cerimonialia: quantum autem ad moralia, & si sit maior multitudo præceptorum in Euangelio, non tamen tantum onerat, [illegible]. Est enim onus ad comprimendum, sicut est [illegible] timorem; & tale est onus legis. Et est onus ad [illegible], sicut quod fertur, & sustinetur ex amore, sicut [illegible] de pennis auium, quod addunt onus & tamen [illegible] in suo volatu. Sic est onus Euangelij [illegible] hoc [illegible] ponit B. Bernardus: *Occurrit mihi de pennis auium, quod [illegible] trumque ceaptem, quodam singulari modo corpori [illegible] dunt substantiam, & agiliorem [illegible] natura.* [illegible] cessit materia, inde substantia [illegible] & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. Sic ergo est de præceptis additis per Euangelium [illegible] numerus; tamen alleuiant: vnde quantum crescit in obseruantiis moralibus, tantum decrescit in pondere.

ARTICVLVS III.

An legem, vel Euangelium ferens magis grauatur.

CONSEQVENTER quæritur de onere legis ex parte ferentis, quis scilicet magis oneretur, an ferens legem, an Euangelium. Et ostenditur, quod [illegible] magis oneratur vnus, quam alius: imò quod [illegible] vt excedentia & excessa. Quia dicunt Aug. & Origen. quod in nouo Testamento sunt pertinentes ad vetus, & e conuersò: quia in veteri lege quicunque seruabant legem ex amore, erant pertinentes ad nouum: qui autem in noua lege seruant Euangelium, non ex amore, sed ex coactione & timore, sunt pertinentes ad vetus. Et hoc obiicitur quando debilior est sustinens, plus oneratur a parte onere, quàm fortis à magno: similiter quando facit homo illud, quod facit ex timore & coactione, magis oneratur, quàm qui facit ex amore. Ergo cum in lege sint quidam fortes, quidam debiles, & similiter in Euangelio: similiter cum vtrobique sint sustinentes pondus ex amore & timore: ergo sunt quidam in lege, quos non grauat pondus legis. & quidam, quos grauat. Similiter quidam sunt in Euangelio, quos grauat pondus Euangelij; quidam quos non

Ergo non magis grauatur ferens legem, quàm ferens Euangelium: nec econuersò: immò se habent vt excedentia & excessa: quia vtrobique quidam grauantur, quædam non.

¶ ITEM, in lege erant quædam cerimoniæ, quæ pertinent ad cultum diuinum: sicut sacramentalia. quædam de abstinentia ciborum, &c. De primis cerimonialibus fuit opinio quorundam Iudæorum, quod hæc erant perfectiora, quàm mandatum de dilectione: propter hoc quærunt Iudæi à Domino: *Magister, quod est mandatum magnum in lege.* Alij autem dicebant, quod mandata de dilectione erant maiora & perfectiora illis. Ratio autem primorum fuit: quia qui seruit in effectu, plus exhibet, quàm qui solum seruit in affectu. Ergo maior est obseruantia & difficilior eorum cerimonialium, quàm mandati de dilectione. Sed Dominus illud determinat ibidem. Sed ponatur quod aliquis exhibeat obseruantiam illorum cerimonialium, sed non ex amore, sed ex timore, & coactus: constat quod illi est graue & onerosum: alij autem, qui exhiberet ex amore, non esset onerosa illa obseruantia, nec difficilis. Ergo similiter in lege & in Euangelio illis, qui obseruant ea ex timore, difficile & onerosum: illis autem, qui obseruant ex amore, non est onerosum: ergo se habent ferens Euangelium & legem vt excedentia & excessa: quia ferenti Euangelium ex timore, grauius onus imponitur, quam ferenti legem ex amore, & econuerso.

Matt. 22

¶ ITEM, dicit Apostolus: *Iusto non est lex posita.* Et hoc dicitur quia spontaneè implet & ex amore, quæ sunt legis, non ex timore: sed propter hoc iniustis est posita Lex: quia ex necessitate implent legem, & ex coactione: primis non erat difficile onus legis, secundis erat difficile. Similiter in Euangelio ita est, quod quidam implent Euangelium ex charitate & amore; & illis non est onus Euangelij difficile: quidam ex necessitate, & timore, seu coactione; & illis est difficile. Ergo se habent Lex & Euangelium vt excedentia & excessa quantum ad ferentem onus vtriusque.

1. ad Timoth. 1.

¶ ITEM, duplex est homo, interior, & exterior: sed quantum ad hominem exteriorem grauior est obseruantia legis, quantum ad hominem interiorem grauior est obseruantia Euangelij: ergo vnum non excedit alterum quantum ad ferentes, sed se habent vt excedentia & excessa. Minor patet, quoniam vita hominis exterioris sustentatur per cibos: videmus autem in lege esse plura cerimonialia de subtractione ciborum & abstinentia ab illis: in Euangelio autem nihil tali subtractum est: nec aliqua abstinentia imposita à cibo. Ergo quantum ad exteriorem hominem grauior est Lex, quàm Euangelium. Similiter quantum ad hominem interiorem grauior est obseruantia Euangelij: quia Euangelium cohibet voluntatem seu animum: Lex autem non, sed manum. Ergo Euangelium plus cohibet hominem interiorem, quàm Lex: quia Lex non aufert voluntatem mali principaliter, sed facultatem: Euangelium econuersò; quia omnino aufert voluntatem: ergo grauius est Euangelium quantum ad istum: grauior est Lex quantum ad illum. Non ergo plus est simpliciter de onere in lege, quàm in Euangelio, nec econuerso quò ad ferentes: immò se habent vt excedentia & excessa.

RESOLVTIO.

Simpliciter, etiam omnibus paribus, magis onerat ferentem onus legis, quàm onus Euangelij.

¶ SOLVT. Ad hoc dicendum est, quòd simpliciter magis oneratur ferens legem & stans sub lege; quàm ferens Euangelium, omnibus paribus in ipsis. Vnde & si pares haberent charitates, magis tamen oneraretur adhuc ferens legem: quia onus Euangelij de se præstat dispositionem ad portandum ipsum; quia totum quod est in Euangelio, est admonitio pœnæ & flammæ: quia totum est in inflammationem amoris, & calefactionem amoris, & ideo de se sublevat portantem. Sic non est de onere legis: quia non dat gratiam, nec tantam dispositionem ad supportantem ipsum; immò ipsum est onus comprimens portantem, & non leuans. Et hoc est, quod dicit B. Bernardus: *Libet admirari, quam leue sit onus veritatis: nam vere leue est, quod portantem non grauat, sed leuat: quid leuius onere, quod non solum non onerat, sed portat illum, cui portandum imponitur? Hoc onus vterum potuit grauidare, virginem grauare non potuit: hoc onus quibus se prebuit sustentandum, manus Simeonis brachia sustentabat. Ipsa enim virgo spe & amore concepit illum: & ideo vterum suum grauidauit, & non grauauit: similiter Simeon ipsum amoris brachio sustentabat; & ideo ipsum non onerabat.*

Bernar.

¶ AD illud, quod primò obijcitur, dicendum: quod licet in lege essent aliqui pertinentes ad Nou. Testam. sicut dictum est; tamen erant magis onerati, quam ferentes Euangelium: vt patet ex rationibus tactis. Et hoc etiam patet ex verbo Aug. *Alia sunt instituta, virtute magna, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et sic non se habent vt excedentia & excessa, quantum ad ferentes: immò de se simpliciter plus onerat ferentem onus legis: quam onus Euangelij.* Et per hoc soluuntur rationes.

August. contra Faustum

MEMBRVM V.

De fructu obseruantiæ legis.

CONSEQVENTER quæritur de fructu obseruantiæ legis. Circa quod quæruntur duo. Primò generaliter? an Lex iustificet. Secundò specialiter, quomodo scilicet moralia, iudicialia, cerimonialia & sacramentalia iustificent.

ARTICVLVS I.

An Lex iustificabat.

CIRCA primum sic arguo. *Si vis ad vitam ingredi.* Gloss. Bedæ: *Iustitia legis suo tempore custodita, non solum conferebat bona temporalia; sed æterna.* Sed iustitia conferens bona æterna, est, per quam est iustificatio vera: ergo Lex iustificabat verè.

Matt. 19. Glossa.

¶ ITEM, *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis: quæ faciens homo, viuet in eis.* Sed vita vera non est nisi per gratiam: ergo per præcepta legis & iudicia est iustificatio per gratiam.

Ezech. 20.

¶ ITEM, in Canone Missæ dicitur: Placeat tibi Domine hoc sacrificium, sicut tibi placuit sacrificium Abel. Sed hoc petitur ad iustificationem; vt per sacrificium iustificemur: ergo sacrificium Abel iustificabat.

Canon. Missæ.

¶ CONTRA, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Gloss. *Opera legis dicuntur, quæ cum lege instituta & terminata sunt, vt erant cerimonialia, & figuratiua: quæ nunquam valuerunt conscientiam mundare: etiam si cum charitate & deuotione fierent.*

Ad Rom. 3. Glossa.

¶ ITEM, quæritur ibidem in Gloss. *Nunquid Moyses, & Dauid, & alij boni in lege non fuerint iustificati ex lege?* Et est ibi responsio: quod fuerunt quidam iusti, sed non ex operibus legis: imò sicut nos fide saluamur modò per spem Christi; & sic & illi saluabantur. Et quare non ex operibus legis? quia Lex non venit peccata tollere: sed ostendere, & punire.

Eadem.

¶ ITEM, ibidem in Gloss. *Lex non iustificat apud Deum, sed fides:* de lege autem loquimur secundum cerimonialia, non secundum moralia: quæ vtique iustificant, & in Euangelio consummantur.

Eadem ibidem.

¶ CONTRA. Iustificari est de non iusto iustum fieri: sed hoc ex nullo alio fit, quàm ex gratia Dei: gratia autem Dei non est ex præcedentibus meritis, siue aliquibus operibus. (*Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non esset gratia:*) ergo nec quantum ad moralia, nec quantum ad cerimonialia iustificat Lex.

Rom. 11.

¶ ITEM: *Iustitia, quæ ex lege est.* Gloss. *Qui operibus legis iustificatur, temporalem habet mercedem, non autem apud Deum.*

Ibidem. Glossa.

¶ ITEM Aug. Exponens illud Apostoli: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, ait quit. Non itaque iustificat per legem, nec iustificat per propriam voluntatem. sed iustificati gratis per gratiam ipsius.*

Aug. de Spiritu & litera.

Ad Rom. 3.

¶ ITEM, Apostolus in eodem: *Nunc autem sine lege iustitia...*

Ad Rom.

Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autem Dei est per fidem Iesu Christi: ex quo relinquitur, quòd Lex non iustificat.

RESOLVTIO.

Lex si quomodo iustificabat, hoc solum erat, vel iustitiam significando, vel ad iustitiam ducendo: non autem iustam faciendo personam, aut iustum opus eliciendo.

Aliorum sententia. ¶ Ad hoc est communis responsio: quòd opus dicitur aliquando, quod est operatum: aliquando ipsa operatio. Dicunt ergo, quòd operata non iustificabant: sed ipsa operatio iustificabat: dummodo fieret ex obedientia charitatis: & ita intelligitur illa Gloss. (Glossa. Rom. 3.) quòd non iustificabant, etiam si cum charitate & deuotione fierent.

¶ Item, distinguunt iustificari quò ad plenam iustitiam, vel non plenam: Quò ad plenam iustitiam non iustificabant: quia non euolarent ad gloriam per illa, impediente reatu originalis. Sed tamen quò ad non plenam iustitiam iustificabant: quia obseruata in charitate, faciebant dignum vita æterna; non statim; sed de futuro, soluto, reatu originalis per Christum. Et hoc modo intelligũt authoritatem Bedæ, quòd iustitia legis conferebat æterna. Vnde Gloss. (Ibidem. Eadem.) super illud: *Iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Omnia erant ei dimissa per fidem & pœnitentiam, sed omnimodè remissionis effectum consecuti non fuerant*. Est enim duplex remissionis effectus, scilicet carere pœna, & frui gloria. Alterum habuerunt ante Christi mortem: quia pœnã actualem non sentiebant. Alterum verò non: quia Dominum non videbant: sed per Christi mortem data est eis gloria dominicæ visionis.

¶ Ad illud verò Ezechiel, respondent. Quia præcepta & iudicia legis aut sunt intellecta & obseruata carnaliter, aut spiritualiter. Si spiritualiter: vita spiritualis est in illis, quæ est in gratia. Si carnaliter: tunc non est vita spiritualis in illis, sed temporalis: & ideo non dicit simpliciter (Ezech. 3.) *viuet* sed *viuet in illis*. Vnde super illud: (Ad Galat. 3.) *Sed qui fecerit ea, viuet*. Gloss. (Glossa.) *Non apud Deum habebit inde præmium: habebit tamen mercedem, ne morte moriatur.*

¶ Ad illud verò Canonis, dicunt: quòd intelligendum est de operatione Abel, & de operatione sacerdotis nouæ legis, inquantum est de deuotione charitatis: & fit comparatio quò ad genus. *placeat* fiat acceptum, sicut placuit; non tamen quòd plus placeat.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de moralibus, iam patebit.

Confutatio superiorum. ¶ Sed ad hoc obiicitur? nam dicitur. Si data esset Lex, quæ posset viuificare, esset ex lege iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ex hoc relinquitur, quod non est ex lege iustificatio. Item Aug. (August. de spiritu, & litera c. 9. Rom. 3.) Assumens illud: *Nunc autem sine lege manifestata est iustitia Dei, Non dicit iustitia hominis, sed iustitia Dei: non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem: cum iustificat impium. Lex iubendo, & minando, & neminem iustificando, indicat in dono Dei iustificari hominem per adiutorium spiritus.* Item ibidem: (Idem ibidem.) *Quid est aliud iustificari, quàm iustum fieri ab illo, qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus.* Si ergo de impio facere pium, solius Dei est: non erit ex lege, vel ex legis obseruantia.

¶ Item, si distinguatur: quòd est iustificatio, quàm Deus facit, infundendo gratiam, qua fiat de impio pius. (Psal. 118. Glossa.) *Iustificationes tuas doce me*: Gloss. *quibus tu iustos facis, non homo.* Et est iustificatio, quàm homo facit exercitio virtutum & obseruatione præceptorum. (Psal. 104.) *Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Primo modo nec Lex nec legis obseruantia iustificat: sed secundo modo. Obiicitur: Si iustificatio est iustitiæ seu gratiæ infusio: qua ratione Lex non iustificat, eadem nec Euangelium iustificabit. Nam (sicut dicit August. (August.) iuxta Apostolum, ad Roman.) *iniustus per gratiam iustificatur gratis.* id est, nullis suis præcedentibus meritis: alioquin gratia non est gratia. Cùm ergo ex operibus Euangelij non fit iustificatio, qua fit de impio pius: ergo non debet dici iustificare, sicut nec Lex.

¶ Item si iustificatio dicitur obseruatio præceptorum iustitiæ, seu exercitium virtutum. Contra dicitur: (Ad Rom. 2.) *Non auditores legis iustificabuntur, sed factores*: constans est, quòd de iustificatione, quæ est infusio iustitiæ seu gratiæ non potest intelligi: vt dicit August. (August. de Spiritu & litera.) Quia iustificationem opera non præcedunt. Vnde sic intelligendum est: factores legis iustificabuntur, vt sciamus non aliter eos esse factores legis, nisi iustificentur: non vt iustificatio factoribus accedat, sed vt iustificatio factores præcedat. Sic ergo dictum est, *iustificabuntur* ac si diceret, iusti habebuntur, vel iusti deputabuntur: sicut de quodam dictum est, *ille volens se iustificare.* id est, quòd iustus haberetur, vel deputaretur. Ergo iustificatio, quæ ex lege est; non est aliud quam iustitiæ deputatio. Aut ergo secundum falsam opinionem; & tunc nulla erit: aut secundùm veritatem; & tunc nulla alia iustificatio erit in Euangelio, quàm in lege.

¶ Item, si diceretur: quòd Lex non dicitur iustificare sicut Euangelium, propter hoc quod dicit August. (Aug. de Spiritu & litera.) exponens illud Apostoli: (Ad Galat. 3.) *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, cõclusi in eandem fidẽ, quæ postea reuelanda erat. Lex data est, vt gratia quæreretur: gratia data est, vt Lex impleretur: vitio prudentiæ carnis non implebatur Lex: quòd vitium per legem erat demonstrandum, per gratiam sanandum.* (August.) Quia ergo Lex vitium demonstrat, non sanat: ideo non iustificat. Sed simili ratione Euangelij præcepta vitium demonstrant, non sanant: cum prohibetur irasci, & videre mulierem ad concupiscendum eam.

Sententia propria. ¶ Solutio. Iustificatio dicitur quatuor modis. Primò modo dicitur iustificatio, gratiæ iustum facientis infusio: & hoc modo dicitur: (Rom. 3.) *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Secundò modo dicitur iustificatio iustitiæ, seu præceptorum debita executio. (Iob 27.) *Iustificationem meam, quàm cœpi, non deseram.* Et his duobus modis negat Apostolus simpliciter ex lege secundum se esse iustificationem: vnde August. (Aug. de Spiritu & litera.) *Sine spiritu gratia doctrina legis est litera occidens: quia reos potius præuaricationis tenet, quàm iustificet impios.* Et item idem in eodem: (Idem de eodem c. 10.) *Gratia datur, non quia legem implemus; sed vt legem implere possimus.* Tertiò iustificatio dicitur significatio iustitiæ. (Psal. 118.) *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, &c.* Gloss. (Glossa.) *id est, legem.* Et hoc modo Lex iustificat, id est, gratiam, qua per Christum iustificamur, demonstrat. Vnde August. (Aug. de Spiritu & litera.) *Nunc autem sine lege iustitia Dei, manifestata & testata est à lege.* Rom. 3. (Rom. 3.) *Iustitia Dei non sine lege manifestata.* Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata? Sed iustitia Dei sine lege est, quàm Deus per spiritum gratiæ credenti confert sine adiutorio legis. Quartò modo iustificatio dicitur ductio ad iustitiam. (Psal. 118. Glossa.) *Viam iustificationum tuarum.* Gloss. *Lex eunti sit mihi via iustificationum.* Aug. (1. Tim. 1. August. de Spiritu & litera c. 10.) Exponens illud Apostoli. *Bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur*: dicit. *Iniustus, vt iustus fiat, legitimè lege vti debet: quò tanquam pædagogo ducatur ad Christum.* Lex ergo iustificat significando iustitiam, quantum ad intellectum: ducendo ad iustitiam, quantum ad effectum. Non autem iustificat faciendo iustam personam, quæ iniusta est, vel eliciendo opus iustum, quòd gratiæ est: hoc est non facit ex se iustum hominem, vel iustum opus hominis.

¶ Et per hoc patet responsio ad tria primò obiecta.

¶ Ad alia verò, quæ obiiciuntur: quòd obseruantia Euangelij non debet dici potiùs iustificare, quàm Lex. Dicendum, quòd Euangelium habet præcepta & sacramenta. In sacramentis habet significationem gratiæ & causalitatem; quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurãt: sacramenta veteris legis solum habent significantiam: & ideo Euangelium iustificare dicitur, non Lex: quia habet obseruantiam, qua homo iustus fiat de iniusto. Item, in præceptis habet disponendo, quamuis non causando, ordinare animam ad executionem iusti operis: & hoc illuminando rationalem intellectum, & ordinando affectũ, moderando irascibilem, alliciendo concupiscibilem: in quibus omnibus deficit Lex. (August. lib. de spiritu & litera c. 17.) Lex ergo euangelica illuminat intellectum ad cognitionem gratiæ. Vnde exponens illud: (2. Cor. 3. August.) *Adhuc velamen in electione veteris Testamenti manet*: dicit. *Donec transeatur ad Christum, & auferatur velamen, id est,* trans-

transferatur ad gratiam: & intelligatur ab ipso nobis esse iustificationem: qua faciamus quod iubet. Et iterum Aug.

Idem in eodem.

Hæc gratia in Vet. Testam. velata latitabat: quæ in Christi Euangelio reuelata est, dispensatione temporum ordinatissima: sicut nouit Deus cuncta disponere. Item, vt intimat affectum: vnde Aug. Exponens illud:

Idem in eodem c. 17. 1. Cor. 3.

Epistola estis Christi ministrata à nobis, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui. Ecce quemadmodum ostendit, quia illud, quod est legis, extra hominem scribuntur, vt eum extrinsecus terrificet: hoc in ipso homine, vt eum interius viuificet. Et in eodem:

Idem in eodem

Cum adest viuificans spiritus hoc ipsum facit intus diligi, quod foris Lex faciebat timeri.

Idem cōtra Adamātum

Differentia legis & Euangelij (vt dicit idem Aug.) timor & amor. Item, moderatur irascibilem, vt non confidat in virtute sua, sed in Dei gratia. Nam (sicut dicit

Idem de spiritu & lit. cap 13.

Augúst.) *Lege operum fac quod iubeo, lege fidei da quod iubes.* Item idem in eodem: *Quod operum Lex mandando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: Non concupisces; ista dicit: Cum scirem, quod nemo posset esse continens nisi Deus det: & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum.*

Idem in eodem

Sap 8.

Item, in eodem: *Per legem factorum dicit Deus, non concupisces: per legem fidei, sine me nihil potestis facere.*

Aug. de Spiritu & litera.

Item, alliciendo concupiscibilem per promissionem: ordinat institutum Lex noua non vetus. Vnde Aug. assumens illud:

Idem in eodem c. 24

Post dies illos dabo leges meas in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eas: non docebit vnusquisque fratrem suum, &c. quia cognoscent à maiore vsque ad minorem.

Ierem. 31

Sicut Lex scripta in tabulis lapideis, mercesque eius terra illa promissionis, quam carnalis domus Israël ab Ægypto liberata accepit, pertinet ad testamentum vetus: ita Lex fidei scripta in cordibus, mercesque eius species contemplationis, quam spiritualis domus Israël ab hoc mundo liberata percipiet; pertinet ad Testamentum nouum. Ex his igitur patet, quare Lex non dicitur iustificare, sed Euangelium.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo moralia, iudicialia, ceremonialia, sacramentaliaque veteris legis præcepta iustificabant.

CONSEQVENTER quæritur in speciali de præceptis legis: & primò de moralibus vtrum iustificent? Et cum iustificatio dicatur duobus modis: vno modo est infusio iustitiæ, vt de non iusto homo fiat iustus, secundum quod

Rom. 3.

dicitur: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro:* & in hoc sensu planum est, quòd moralia legis non iustificant. Alio modo dicitur iustificatio obseruantia iustitiæ sicut dici-

Psal. 104

tur: *Vt custodiant iustificationes eius:* & in hoc sensu est quæstio: vtrum moralia iustificent: hoc est dicere, vtrum conferant ad obseruantiam iustitiæ: ex qua meritum vitæ æternæ acquiritur.

Matth 19 Ibidem.

¶ AD quod: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & exponit de moralibus: *non homicidium facies, non adulterabis,* &c. Ergo secundum hoc moralia iustificant: prout dicitur iustitia in exercitio virtutum.

2. Cor. 3 August. in lib. de spiritu & litera c. 14.

¶ CONTRA. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Et dicit August. quòd non aliam vult Apostolus intelligi literam, quàm Decalogum in illis duabus tabulis scriptum. Si ergo Decalogus est litera occidens: ergo non iustificat.

Idem c. 11 & 14. Ad Rom. 7.

¶ ITEM, si dicatur: quòd illud Apostoli intelligatur de figuralibus præceptis *litera occidit.* Improbat istud August. per illud: *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum: nisi Lex diceret. Non concupisces:* & post ait. *Occasione accepta, peccatum per mandatum seduxit me:* & per illud *occidit,* Ecce, quòd hæc litera occidit: nam nihil figuratè dicitur, cum dicitur: *Non concupisces:* sed secundum literam solum. Et constat, quòd istud est inter mandata decalogi, maximè pertinens ad mores: *Non concupisces:* ergo de moralibus intelligitur *litera occidit:* non ergo iustificat.

Idem de Spiritu & litera

* Alias, viuifi. at

¶ ITEM, si dicatur, quemadmodum dicit August. de spiritu & litera: quòd litera decalogi prohibens peccatum, non * iustificat hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam, & iniquitatem præuaricatione cumulando, nisi liberet gratia, quæ est in Christum, cum diffunditur charitas in cordibus nostris: ex quo videtur dici illa ratione, Decalogus occidit: quia sine gratia occasio est mortis peccati. Obijcitur: ergo præcepta Euangelica moralia simili ratione dicentur occidere, quia possunt fieri sine gratia: eo enim modo, quo præcepta legis homini non habenti gratiam sunt occasio mortis: sic & illa.

¶ ITEM secundò, quæritur de iudicialibus: quomodo se habent ad iustificationem. Nam dicitur: *Si quis sine timore est, non poterit iustificari.* Ergo cum iudicialia essent ad hoc, vt coërcerent homines per timorem à malo; necessaria erant ad iustificationem. Ecclesiastici 1.

¶ ITEM, August. Exponens illud Apost. *Bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur. Quis legitimè vtitur lege, nisi iustus: at ei non est Lex posita, sed iniusto: An & iniustus vt iustificetur, id est, vt iustus fiat, legitimè lege vti debet: quæ tanquam pædagogo perducatur ad gratiam.* Et hoc concedit Aug. Si ergo iudicialia ad hoc sunt, vt iniustus compellatur ad iustitiam obseruandam: ergo sunt velut pædagogus, quo perducatur ad gratiam: necessaria igitur erant iustificationi, qua homo fit de iniusto iustus. August. de Spiritu & litera c 9 1. Tim. 1. August.

¶ CONTRA. Aug. Exponens illud: *Si ministratio damnationis in gloria est: multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. Ministrationem damnationis dicit legem, maximè quantum ad iudicialia; quæ inferebant mortem iniustis. Ministrationem verò iustitiæ dicit nouam Testam. cum per donum spiritus operamur iustitiam.* Ex hoc ergo relinquitur, quòd cum iudicialia sint ministratio mortis; quod non iustificant eo modo, quo dicitur iustitia in exercitio virtutum. Idem in eodem super 2. Cor. 3. August.

¶ ITEM, August. in eodem. *In Vet. Testam. Lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrerentur. In nouo verò intrinsecus data est, qua iustificarentur.* Si ergo in iudicialibus legis maximè terror est legis: terrent, non iustificant. Idem in eodem.

¶ ITEM tertiò, quæritur de ceremonialibus: quomodo se habeant ad iustificationem: secundùm quod iustificatio dicitur in exercitio virtutum. Ad quod sic: quòd magis est meritorium, magis iustificat: sed quòd magis est ex obedientia, magis est meritorium: magis autem ex obedientia est, cum præcipitur aliquid fieri, & fit; & nullam habet rationem, quare debeat fieri, nisi solam imperantis voluntatem; quam cum præcipitur aliquid, & fit & habet in se rationem, quare debebat fieri. Cùm ergo præcepta ceremonialia sint huiusmodi: maximè iustificabunt: quia magis ex obedientia, & magis meritoria. *Non indueris enim veste, lino, lanaque contexta. Non arabis in boue & asino:* nullam habent de se rationem, quare debebant fieri. Deut. 22.

¶ ITEM, simili modo obijcitur de sacramentalibus: quia dicit Hugo. *Sacramenta veteris legis habent eundem effectum, quem sacramenta noua legis.* Si ergo sacramenta nouæ legis iustificant, & * sacramentalia veteris legis iustificabant: etiam iustificatione, qua de iniusto fit homo iustus. Hugo de S. Victore. * Alias, sacramēta.

¶ CONTRA. August. super illud: *Munera & hostiæ, quæ offeruntur,* &c. *Opera legis, quæ in lege instituta sunt, & termenta; nunquam valebant conscientiam mundare: licèt cum charitate fierent.* Ergo non iustificabant. August super ad Hebr 9.

¶ IDEM Augustinus: *Circumcisio, & sabbatum & aliæ dierum obseruationes, & quarundam escarum cerimoniæ, & multiplex sacrificiorum sacrorumque ritus vetustati carnalique iugoque seruili congruebant.* Ergo non iustificabant. August. Idem de Spiritu & litera.

¶ ITEM, quæritur generaliter: quomodo se habeant ad iustificationem moralis legis, ceremonialia, & iudicialia?

RESOLVTIO.

Veteris legis præcepta omnia tam scilicet moralia quàm iudicialia, ceremonialia, atque etiam sacramentalia ita iustificabant, quod ad iustificationem tantum ordinabant: singula tamen singulis propriis rationibus.

¶ SOLVTIO. Dicendum: sicut dictum est: quòd cum iustificatio dicatur duobus modis. Vno modo infusio iustitiæ; qua de iniusto fit iustus: alio modo obseruantia iustitiæ; ex qua est meritum vitæ æternæ. Moralia legis ordinant ad iustificationem, quæ est in obseruantia iustitiæ & hoc per cognitionem eius, quòd faciendum est, &

viræ

randum: Non tamen simpliciter est: quia & si ostendant, quòd faciendum est; non ob id ostendunt gratiam, sine qua adiuuante non potest rectè fieri, quòd faciendum est: & in hoc deficit à moralibus Euangelij. Vnde dicit Aug. Quòd Lex mandatum bonum habet in litera demonstrante, non in spiritu adiuuante. Nam (sicut idem dicit) in lege dicit Dominus. *Fac quod iubeo*: in Euangelio autem dicitur. *Da quod iubes.*

Aug. de spiritu & litera cap. 11.

¶ IVDICIALIA verò ordinant ad iustificationem, quæ est infusio iustitiæ: quemadmodum timor seruilis ordinat ad infusionem gratiæ & charitatis. Non tamen simpliciter: quia adueniente charitate, expellitur: sed ipsa charitas, ad quam ordinat Euangelium, manet. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Illud euacuatur, hoc manet: quoniam terrens pædagogus aufertur, cum timori successerit charitas: vbi enim spiritus Domini, ibi libertas.*

Idem in eodem.

¶ CERIMONIALIA verò ordinant ad iustificationem, quæ est in obseruantia: & hoc per significationem siue per figurationem: quia illa cerimonialia, quæ non sunt sacramentalia, figuræ erant faciendorum: vt abstinentia à carne suilla, significabat continentiam ab omni immunditia, & huiusmodi. Vnde dicit Augustinus: quod sub figura adumbratæ significationis data sunt.

Idem.

¶ SACRAMENTALIA verò ordinant ad iustificationem, quæ est infusio iustitiæ: & hoc per præfigurationem gratiæ Christi: ex qua est nobis iustificatio. Vnde quò ad hoc dicit August. *Gratia in veteri Testamento velata latitabat, quæ in Christi Euangelio reuelata est.* Item August. de iustificatione ad quam ordinat cerimonialia in eodem. *Velamen positum est in lectione Veteris Testamenti: donec ad Christum transeatur, & auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam: & intelligatur nobis ab ipso esse iustificationem, qua faciamus quod iubet.* Ex his ergo manifestum est quomodo se habeant ad iustificationem legis legalia, siue in iudicialibus, siue in moralibus, siue in sacramentalibus.

Idem.

Idem in eodem.

¶ AD illud ergo, quod primò quæritur de moralibus: & quod dicitur, quòd occidunt. Dicendum, sicut suprà Quæstione de latione legis: quod illud dicitur non per causam, sed per occasionem: nec ratione præcepti, sed illius, cui datur præceptum. Vnde Aug. *Apparet litera vetustatem potius reos facere cognitione peccati, quàm liberare à peccato.* Vnde alibi scriptum est: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem: non quia Lex ipsa mala est, sed quia mandatum bonum habet in litera demonstrante, non in spiritu adiuuante.* Quòd mãdatum si fit timore pœnæ, non amore iustitiæ; seruiliter fit, non liberaliter: & ideo nec fit: non enim est fructus bonus, qui de charitate non surgit.

Quæst. 28. Membr. 1. Idem de spiritu & litera c. 14.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de præcepto Euangelico. Dicendum, quòd non est simile. Nam sic datur ad sciendum, quid faciendum est; vt significetur gratia petenda ad exequendum, quod faciendum est. Vnde post præcepta data. Math. 5. 6. & 7. dicitur: *Petite, pulsate, quærite.*

Math. 7.

¶ AD illud verò, quod quæritur de iudicialibus: iam patet responsio. Nam sicut timor seruilis, quo timetur pœna, se habet ad iustificationem: sic iudicialia, quæ principaliter sunt ad arcendum timore.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de cerimonialibus. Dicendum, quod quantum ad illos, qui ex obedientia implebant, iustificabant; prout dicitur iustificatio in exercitio virtutis: sed non ratione operati, quod de se est inutile: sed ratione voluntatis operantis ex obedientia: & ita ipsa obedientia iustificabat, non ipsum operatum.

¶ QVOD tamen obiicit, quòd magis iustificant; quia magis ex obedientia fiunt, quàm moralia: quia non est ratio, quare fiant, nisi voluntas operantis. Dicendum, quòd ex obedientia magis fit meritoriè, quod fit ex obedientia cum amore maiori: ex amore autem magis habent fieri moralia; quia in se habent incentiuum amoris, scil. rationem boni: quod non habent cerimonialia. Patet ergo, quòd ex obedientia non astruit iustificationem, nisi sit cum amore obedientia.

¶ AD illud, quod obiicit de sacramentalibus. Dicendũ, quòd eundem effectum intelliguntur habere sacramenta nouæ legis & veteris, quantum ad significationem gratiæ: sed non quantum ad causalitatem gratiæ: quia sacramenta veteris legis significant gratiam, non causant: sicut patebit cum de Sacramentis agetur.

¶ AD obiecta in contrarium patet responsio ex prædictis. Parte 4

QVÆSTIO XXIX.

De Decalogo in generali.

In duo Membra, & nouem Articulos diuisa.

EXPEDITA inquisitione de lege Moysi quantum ad eius conditiones: consequenter cum adiutorio Christi inquisitio versabitur circa legis præcepta, & sanctiones. Sicut declaratum est suprà. *Quæstione de continentia legis*, secundum B. Aug. contra Faustum, prima distinctio mandatorum est talis: quia est præceptum vitæ agendæ, & præceptum vitæ significandæ: præceptum vitæ significandæ est præceptum cerimoniale & sacramentale: præceptum verò vitæ agendæ duplex est: quia aut est de honesto, aut de expedienti: de honesto & immutabiliter bono est præceptum morale: de expedienti & bono secundum statum concupiscentiæ frenandæ iudiciale.

Sco... A. g. li. 6. & 10 c. 2. & lib. 19 c. 18.

¶ TRIPARTITA igitur erit inquisitio de præceptis legis Moysi. Prima de moralibus. Secunda de iudicialibus. Tertia de cerimonialibus.

¶ CIRCA moralia præcepta erit inquisitio duplex. In generali de radice siue origine præceptorum. In speciali de distinctione & numero præceptorum.

MEMBRVM I.

De radice & origine præceptorum moralium legis Moysi.

CIRCA originem siue radicem, quæritur primò. An radix, vel origo moralium præceptorum sit natura, vel disciplina, vel gratia. Secundò, an in cognitione, vel affectione. Tertiò, si in affectione: an sit in affectione timoris, vel amoris. Quartò, an sit eadem radix moralium præceptorum, quæ est virtutum?

ARTICVLVS I.

An moralia legis Moysi in lege naturæ radicentur?

AD primum obiicitur sic: Omne, quòd est inscriptum naturaliter in corde hominis; radicatur in lege naturali. Sed præcepta moralia legis sunt huiusmodi: ergo radicantur immediatè in lege naturali. Minor patet: *Cum gentes*, &c. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Sed opus legis est præceptum legis: ergo præcepta legis moralia naturaliter scripta sunt in corde hominis. Rom. 2.

¶ ITEM, super illud: *Opus legis scriptum*, &c. Gloss. *id est, firmiter impressum rationi eorum: dum illa opera laudant, quæ Lex iubet: illa damnant, quæ Lex prohibet.* Ergo habent naturaliter scripta præcepta legis moralia, siue affirmatiua, siue negatiua in cordibus suis: & ita radicantur immediatè in lege naturali.

Ibi. Glossa.

¶ ITEM, *Suscitauit testimonium in Iacob.* Gloss. *id est, legem, in Adam quasi mortuam & sepultam, in populo Iudæorum: in formando scriptis, quòd mentibus abolitum erat excæcatis.* Sed Lex mortua & consopita in Adam fuit Lex naturalis: si ergo Lex Moysi data non facit nisi dictare eam, & rescribere in corde hominis: ergo præcepta legis moralia sunt in lege naturali.

Psal. 77. Glossa.

¶ SI dicatur, quòd hoc potest esse verum de moralibus operandorum: sed non de moralibus credendorum: ad hoc enim non attingit natura de se. Contra: *Cùm gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt, faciunt*, &c. Gloss. *Scilicet credere in Deum, & in Christum: & quamuis huiusmodi habeant legem scriptam; ipsi sibi sunt Lex.* Ergo sine lege scripta naturaliter habet homo dictamen & cognitionem credendorum, sicut & operandorum: cum credere in Christum illud maximè ad credenda pertineat.

Rom. 2. Glossa.

¶ AD oppositum: Nihil additum animæ per discipli-

nam vel acquisitionem, est naturaliter inscriptum in corde hominis. Sed moralia legis sunt huiusmodi: ergo non sunt naturaliter scripta in corde: ergo non radicantur in lege naturali immediatè. Minor patet: *Addidit illis disciplinam & legem vitæ*. &c. Gloss. *id est, legem literæ quàm ad correctionem legis naturalis scribi voluit*. Lex autem literæ hæc est Lex Moysi: ergo Lex Moysi est addita ad correctionem legis naturalis: maximè quantum ad moralia: ergo moralia legis Moysi radicantur immediatè in aliquo habitu disciplinæ, vel gratiæ addito: & non in ipsa natura, siue in lege naturæ.

Ecclesiastici 17. Glossa.

Rom. 5. ¶ Item, *Peccatum non imputabatur, cum Lex non esset*. Ergo habenti legem aliquid addebatur, quòd prius non habebat: ex quo ei imputabatur peccatum, quod non prius: ergo non radicantur immediatè in lege naturali, immò in aliquo habitu addito animæ.

Rom. 4. Glossa. ¶ Item, *Vbi non est Lex, nec præuaricatio*. Gloss. *Nota quòd non ait, vbi non est Lex, non est iniquitas: sed ait, non est præuaricatio: omnis enim legem prætereuns, est iniquus, sed non omnis iniquus legem præterit: qui legem non acceperunt, iniqui dici possunt; præuaricatores dici non possunt*. Ex quo patet, quòd præuaricator non est, nisi qui facit contra legem scriptam vel additam. Sed præuaricator dicitur, qui facit contra legem Moysi, vt dicit: ergo Lex Moysi se habet per additionem ipsi legi naturæ.

¶ Item, in anima, eò quòd imago est summi veri, & summi boni; indita est naturaliter & impressa forma veri & forma boni. Forma autē veri sic est ei indita; quod potest indicare de omni vero generaliter, & quod nata est ad id. Ad hoc quòd indicet de verò in speciali, oportet, quòd adueniat ei, & addatur forma veri in particulari: sicut habitus aliquis scientiæ: vt scientia geometriæ, per quam indicet de quantitate continua: & vt scientia arithmeticæ, per quā indicet de vero particulari, sicut de quantitate discreta; quæ est numerus: & sic de aliis. Ergo similiter ex parte boni non est ei indita nisi forma boni in vniuersali: & ad hoc quòd indicet de particulari bono; oportet quod hoc sit per formam vel habitum particularem boni sibi additum. Si ergo per legem naturalem est cognitio boni in vniuersali: per legem autē Moysi & per eius moralia est cognitio boni in particulari: ergo Lex Moysi se habet per additionem ad legem naturæ.

RESOLVTIO.

Moralia legis Mosis in lege naturæ radicantur, sed non immediatè.

¶ Solvt. Dicendum, quòd morale tripliciter est sc. secundum legem triplicem. Est enim morale secundum legem naturæ: est morale secundum legem humanā, quæ est Lex rationis: & est morale secundum legem diuinam. Morale secundum legem naturæ est, quod inditum est ipsi animæ rationali à sua creatione. Morale secundum humanam est secundum dictamen rationis inditum animæ: quia hæc est Lex rationis, vt dicit Isido. loquens de lege humana: quod Lex erit quicquid ratione constiterit. Morale aūt secundū legem diuinam ponit vltra hoc dictamen alicuius gratiæ, & etiam diuinæ. Secundum hoc ergo Lex Moysi, quæ est diuina; non dicit solum morale secundum naturam: nec morale secundum legem humanā, vel dictamen rationis, immò vltra dicit morale diuinum. Propter hoc ergo cùm quæritur: an moralia legis Moysi radicātur in lege naturę: Dicendum, quòd non immediatè. Cùm. n. sit bonum in genere, bonum ex circūstantia, bonum gratuitum: In lege naturæ est dictamen boni in genere: vnde dictat, quòd bonū faciendum est. Sed in lege humana est dictamen ex circūstantia. In lege aūt Moysi est dictamen boni gratuiti: & generaliter in lege diuina, siue sit Lex Moysi, siue sit Lex Euangelij: quia hæc & illa confirmantur ex medijs supra naturam: quia vtraq; signis & miraculis supra naturam confirmatur: vt patet in Exod. de lege Moysi. & Matth. 8. de lege Euangelij. Vnde: *Sermonem confirmante sequentibus signis*.

Isidor.

¶ Notandvm ergo, quòd morale legis naturalis dicit faciendum, quoniam bonum morale legis humanæ dicit, quomodo sit faciendum; & ecce additio aliqua: sed morale legis diuinæ dictat, cuius intuitu est faciendum: sed hoc dupliciter: quoniam morale legis Moysi dictat, cuius reuerentia faciendum sit bonum; quoniam reuerentia Dei: morale autem legis Euangelij; cuius amore sit faciendū. Et sic Lex naturalis & humana non dictant illud, quòd dictat Lex Moysi: & sic per additionem se habet ad illas. Vnde: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*. Gloss. *Data erat Lex in adiutorium humanæ naturæ: vt quia ipsi naturæ quodammodo inserta sunt iustitiæ semina, adderetur Lex, cuius authoritate & magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum obedientiæ faciendum: sicut enim natiuitas interit, nisi nutrimenta habeat, quibus fota adolescat: ita & naturale iustitiæ ingenium, nisi habeat aliquod, quod respiciat & reneretur; non facile proficit, sed ægrotat: & superuenientibus cedit peccatis*. Lex ergo data est, non vt solum habeat homo dictamen, quid faciendum, & quomodo: sed vt vlterius cuius intuitu & reuerentia sit faciendum. Vnde quando præcipitur aliquid in moralibus, dicit prius. *Ego Dominus*. q.d. respice in me: vt intuitu mei & reuerentia facias: quia ego Dominus.

Rom. 5. Glossa.

¶ Ad rationes ergo; quæ ostendunt, quòd immediatè radicentur in lege naturali, soluendum. Et primo ad primā est dicendum: quod scribi dupliciter est: vel in suo vniuersali; vel in ratione propria. Descriptio ergo moralium legis est in lege naturæ sicut in ratione vniuersali, & non in ratione propria: in ratione autem propria describuntur in lege Moysi. Vnde sicut conclusiones describuntur in primis principijs in ratione vniuersali solum, & non in ratione propria: sic ista in lege naturali: & propter hoc addunt quantum ad rationem propriam, qua dicuntur moralia legis. Et per hoc patet responsio ad secundam & tertiam.

¶ Ad illud, quòd obijcitur de credendis. Dicendum, quòd sicut cognitio operandorum necessariorum ad salutem est in lege naturæ in vniuersali ratione, & non in particulari: sic cognitio credendorum per insinuationem in vniuersali est in lege naturæ; sed non in ratione propria. Vnde sicut potest lege naturali venire ratio naturalis ad cognoscendum, quòd creator vnus est, & quòd ipse remunerator est: sic etiam quod reparator est naturæ humanæ lapsæ per peccatū: & sicut ipsa insinuat de fide reparatoris humanæ naturæ, sic vltra insinuat modum reparatoris, tamen in vniuersali. Vnde Gloss. illa non vult dicere, quòd intimet Christum vel verbum carnem factum tanquam reparatorem; nisi quasi sub ratione vniuersali, & non propria.

ARTICVLVS II.

An in cognitione, vel in affectione sit radix moralium præceptorum legis.

Consequenter quæritur: an radix moralium præceptorum sit in cognitione, an in affectione. Ad quòd sic: Omne, quòd generat cognitionem in anima; est in parte animæ cognitiua. Sed moralia legis generant cognitionē in parte animæ cognitiua; quoniam faciunt cognitionem de faciendis vel vitandis: ergo sunt in parte animæ cognitiua: & sic radicantur in anima secundum dispositionem cognitionis. Minor patet. *Per legem cognitio peccati*. Gloss. *Per legem cognita sunt peccata, quæ ignorabantur esse peccata: & quædam grauiora per legem cognita sunt, quàm ante putarentur: & communiter omnia non impune futura apud Deum, per legem cognita sunt*. Ergo Lex facit cognitionem de vitandis, & per contrarium de faciendis. Rom. 3. Glossa.

¶ Item, *Peccatum non cognoui nisi per legem*. Gloss. *Ostendit legem non esse peccatum; sed iudicem peccati: non vt peccatum ea crearetur, vel extirparetur: sed tantum vt demonstraretur*. Rom. 7. Glossa.

¶ Ad oppositum: Lex non solum disponit animam, vt cognoscat, quid sit faciendum; sed vt etiam afficiatur circa faciendum: & hoc maximè per moralia. Vnde: *Lex propter transgressionem posita est*. Gloss. *Vt saltem timore cessarent homines transgredi*. Ergo Lex disponebat animam, vt non solum in ea esset cognitio de faciendo; immo etiam affectio timoris circa ipsum bonum faciendum, & malum vitandum. Ad Galat. 3. Glossa.

¶ Item. *Litera occidit, spiritus viuificat*. Gloss. *Cùm ad* 2 Cor. 3. Glossa.

vivificans spiritus, hoc ipsum intus scriptum facit diligi; quod foris scriptum lex faciebat timeri. Ergo lex radicatur in parte animæ secundùm dispositionem affectionis, quę est timor: & non secundùm cognitionem tantùm.

¶ ITEM, duplex est cognitio de re. Est enim cognitio de re, quia est; & est cognitio de re, quia bona est, vel honesta, vel debita. Prima est solùm discretiua, secunda electiua. Prima non generat affectionem; secunda autē propriè respicit affectionem, & generat; quia ipsa est de re cum sua vtilitate, vel actu: quo cognito, statim anima afficitur circa rem vel per timorem, vel per amorem. Sed cognitio, quæ est per legem, & per eius moralia, non solùm est discretiua; siue de re, quia est: immò etiam est & electiua, & de re cum suo actu. Vnde Augustinus: *Lex à* lectione dicta est, vt de multis quid eligas, scias.*

Aug. in quæst. noui & veteris Testamenti. * al. electione.

R E S O L V T I O.

Et in hac, & in illa: diuersa consideratione.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd in præceptis moralibus legis est discretio boni, quod faciendum est: & est etiam ibi executio faciendi. Vnde est ibi regula dictans faciendum: & est etiam ibi debitum executionis. Et secundùm hoc habemus duas etymologias huius nominis. Lex enim dicitur à legendo, quia in ipsa est dictamen faciendi. Dicitur etiam lex à ligando, quia in ipsa est debitum ad executionem: sicut supra dictum est. Respiciendo ergo dictamen, dicendum: quòd radicantur moralia legis in anima, secundùm dispositionem cognitionis: & cùm sit cognitio scilicet discretiua, & electiua; dictamen illud non solùm attenditur secundùm puram discretionem faciendorum, sed etiam secundùm electionem faciendorum: vnde dictat, quid eligendum sit ad faciendum: sicut patet per auctoritatem Augustini supradictam. Quantum autem ad debitum executionis faciendorum, radicantur moralia legis in anima secundùm dispositionem affectionis: quia executio siue opus respicit affectionem.

¶ ALITER etiam potest dici ad istam quæstionem: quòd in lege est tria considerare, quæ sunt electio, lectio, ligatio: & correspondent ista tria tribus, quæ sunt in libero arbitrio, scilicet facultas, voluntas, ratio. Ex parte facultatis est in libero arbitrio libertas & flexibilitas: & ideo ex ista parte est arctatio siue ligatio per legem: vnde ligat ipsam facultatē: quia ex illa parte debet esse arctatio, ex qua est libertas & flexibilitas. Secundùm quod dicitur à lectione respicit rationem, cuius est legere. Secundùm verò electionem respicit voluntatem; quia voluntas eligit: & sic lex respicit totum liberū arbitrium. Per hoc patet, quod non solùm radicatur in cognitione: sed etiam in affectione.

¶ AD primam rationem in contrarium, dicendum: quòd moralia generant cognitionem in anima, quia instruunt quid faciendum est: & etiam cum hoc generant affectionem. Et quod obijcitur in secunda ratione, quod per legem fit tantùm demonstratio. Dicendum, quòd per hoc quod est *tantùm*, non excluditur affectio, sed gratia. Vnde vult dicere Gloss. quòd in lege fit cognitio boni faciendi, & mali vitandi sine adiutorio gratiæ ad exequendum ex amore.

Glossa.

ARTICVLVS III.

An & in affectione timoris, vel amoris moralia legis præcepta radicentur?

CONSEQVENTER quæritur: An radix moralium præceptorum sit in affectione timoris, vel amoris?

¶ AD quod sic, Philip. 3. *Iustitia, quæ est ex lege.* Glos. *Quæ timore, non amore seruire facit.* Ergo lex de se mouet affectionem secundùm dispositionem timoris, & non amoris. Et sic moralia legis radicantur in affectione timoris, & non amoris.

Philip. 3. Glossa.

¶ ITEM Augustinus: *Breuis legis & Euangelij differentia, timor & amor.* Ergo radicatur lex & eius mandata in timore, & non amore.

Aug. cōtra Adamantum.

¶ AD oppositum, super illud Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* dicit Gregorius: *Quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* Ergo omnes actus pręcepti moralis radicantur in anima secundùm affectionem amoris, seu charitatis, & non timoris.

Greg. in hom. super Io. 15.

¶ ITEM, ibidem dicit Gregorius: Quòd *præcepta Dominica multa sunt, & vnum: multa, per diuersitatem operis: vnum, in radice charitatis:* ergo ipsa charitas radix est omnium pręceptorum. Moralia ergo radicantur in anima secundùm dispositionem affectionis amoris, seu charitatis.

Idem

¶ ITEM, Matt. 22. *Diliges Dominum Deum, &c. In his duobus mandatis tota lex pendet.* Ergo omnia præcepta legis radicantur in dilectione, siue in charitate.

Matt. 22.

R E S O L V T I O.

In vtriusque affectione: quò ad inchoationem in affectione timoris: quò ad consummationem in affectione amoris.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd duobus modis est ponere radicem in præceptis moralibus legis scil. quò ad inchoationem, & quò ad consummationem. Ponendo radicem eorum quò ad inchoationem, secundùm hoc radix eorum in anima est secundùm affectionem timoris, sicut habetur Eccles. 1. *Initium sapientiæ est timor Domini.* Et pòst dicitur: *Radix sapientiæ timere Deum: timor Domini expellit peccatum.* Si autem ponatur radicatio eorum quò ad consummationem; tunc respicit executionem: & sic est radicatio eorum in anima secundùm dispositionem amoris, qui est charitas. Vnde Augustinus, exponens illud verbum Ezechielis: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum,* dicit: *Auferam eis cor lapideum, & dabo eis carneum: quia in comparatione lapidis, qui sine sensu est, caro sentit: per lapidis insensualitatem signatum est cor non intelligens, & per carnis sensualitatem signatum est cor intelligens: tantùm noli esse sub lege, vt illam timore impleas: sed sub gratia, vt sit plenitudo legis charitas.* Quātum ergo ad impletionem & consummationem est radicatio moralium penes amorem. Et per hoc patet verificatio rationum.

Eccles. 1. Ibidem.

August. contra Faustum. Ezech. 36 August.

ARTICVLVS IIII.

De diuersitate radicum, præceptorum & virtutum, ac ordine eorundem.

CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm sit eadē radix virtutum & præceptorum moralium? Et iuxta hoc secūdò quæretur de ordine horum ad inuicem.

An vna eademq́; sit & virtutum, & moralium præceptorum radix? §. 1.

¶ QVANTVM ad primum obijcitur sic. Augustinus definit virtutem, dicens: *Virtus est ordo amoris.* Et similiter in Ecclesiasticis dogmatibus, diffinit omnes virtutes per amorem: & sumit ibi amorem generaliter, conuenientem cuilibet vi animæ, respectu sui obiecti, sicut bonum generaliter. Radix ergo omnium virtutum est amor rectus, qui est charitas. Sed iste est radix omnium præceptorum: quia quicquid præcipitur, in sola charitate radicatur, vt dicit Gregorius, ergo eadem est radix omnium virtutū, & præceptorum moralium.

Aug. in lib. de ciuit. Dei.

Gregor.

¶ ITEM, præcepta moralia non sunt, nisi de actibus virtutum: sicut prohibitiones de contrarijs actuum virtutum. Sed actus virtutū radicantur in ipsis habitibus virtutum: ergo & præcepta radicantur in ipsis habitibus: & huiusmodi habitus sunt virtutes seu habitus virtutum; in eodem ergo radicantur virtutes & præcepta.

¶ ITEM, vna est radix omnium vitiorum, quæ opponuntur virtutibus, seu actibus virtutum, & præceptis: ergo similiter vna radix virtutum & præceptorum; quia aliter ex opposita parte non posset stare eadem radix.

Minor patet, quoniam libido concupiscentiæ est radix omnium malorum & vitiorum,
Rom. 7. Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces.*
Glossa. Gloss. *Hoc elegit Apostolus, quod est generale peccatorum, scilicet cõcupiscentiam, vnde omnia mala venerunt*: bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia mala prohibet.

¶ ITEM, omnis actus debitus inquantum huiusmodi est actus iustitiæ: sed omne præceptum morale est de actu debito: ergo omnis actus pręcepti inquantum huiusmodi est opus iustitiæ: ergo omnia præcepta exeunt à radice iustitiæ. Sed eadem est radix virtutis & iustitiæ: quia iustitia est virtus: ergo eadem est radix virtutum & præceptorum.

¶ ITEM, omnis actus debitus ex imperio, est actus obedientiæ: sed omne præceptum est actus debitus ex imperio: præcepta ergo non sunt aliud, quàm sit virtus, ergo, &c.

¶ AD oppositum: Non est eadem differentia præceptorum moralium, quę est differentia virtutum: nec secundùm eam; quia præcepta moralia distinguuntur in decalogo. Hæc autem distinctio, & hic ordo non procedit secundùm ordinem & distinctionem virtutum. Principium ergo distinctionis & ordinis est differens vtrobique: & sic non est radix eadem.

¶ ITEM, virtutes & præcepta directiua sunt: sed directio facta per virtutes, soluitur & amittitur, quando fit cõtrarium virtuti: directio autem præceptorum nõ soluitur, nec corrumpitur, licèt fiant contraria (directio enim per virtutes refertur ad voluntatem siue actum voluntatis: directio autem per præcepta respicit rationem seu actum rationis) ergo hoc separabile, & istud inseparabile: non est ergo eadem radix istorum.

¶ ITEM, actus præceptorum semper respicit tentionẽ: virtute autem posita, vel amota, non magis vel minus manet hæc tentio, immò præcedit virtutes: est ergo alia radix præceptorum, & virtutum.

¶ ITEM, aliquid fit quia debitum: aliquid verò quia voluntarium. Actus virtutis inquantum huiusmodi volũtarius est: quia virtus est habitus voluntarius, voluntas autem respicit bonum in ratione boni. Virtus ergo radicatur in ratione boni, quia bonum: præceptum autem est actus debitus; quia præceptum sub debito est: & ita respicit bonum inquantum huiusmodi: ergo præcepta radicantur in ratione boni, quia debitum: ergo non est eadem radix.

¶ SI dicatur, quòd virtus respicit debitum actus, sicut præceptum, vt iustitia: vnde debitum actus mouet virtutẽ iustitiæ: & sic illud non facit differentiam radicis. Contra: aliud est debitum actus, aliud executio debiti actus: debitum actus semper est ex lege; & hoc semper ponit præceptum: virtus autem de se non ponit debitum actus, sed executionem siue habilitatem ad executionem debiti actus. Sicut ergo dicimus ex alio & alio debitum actus, & executionẽ debiti actus: ita ex alia & alia radice dicemus procedere præcepta & virtutem iustitiæ.

¶ ITEM, videbitur alicui, cùm liberum arbitrium sit facultas rationis & voluntatis: ex illa parte, qua est facultas voluntatis; ponitur ordo virtutis: quia virtus est habitus voluntarius; vnde ordo ille est ordo voluntatis: sed ex illa parte; qua est facultas rationis, ex qua venit iudicium; ponitur ordo secundùm legem & præcepta: quia lex dicitur, eo quod facit legere quid faciendum sit; quod propriè pertinet ad rationem. Est ergo ponere radicem præceptorum in anima, seu in libero arbitrio ex illa parte, qua est facultas rationis: & radicem virtutum ex illa parte, qua est facultas voluntatis: vt dicatur lex & præcepta directiua rationis, virtus autem voluntatis: ergo alia & alia radix.

¶ ITEM, voluntas est libera & absoluta: sed ratio non est ita; immò benè alicui necessitati subdita. Si ergo lex indicit quandam necessitatem: ergo non potest esse directiua ex parte voluntatis, in qua est omnino libertas: est ergo solum directiua rationis. Sed virtus est directiua voluntatis, vt dictum est; quia est habitus voluntarius, non imponens necessitatem: ergo non est eadem radix horum.

RESOLVTIO.

Alia profectò atque alia est moralium legis, & virtutum radix: siquidem illorum radix est secundùm formam boni vt debiti, harum secundum formam boni vt boni.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd non est eadem radix virtutum, & pręceptorum. Radicatio enim virtutum semper est secundùm formam boni vt boni: radicatio autem præceptorum secundùm formam boni vt debiti. Et inde differens est ordo istorum, & differens radicatio.

¶ AD quod notandum est, quod est appetitus vel voluntas omnino absoluta quantum ad necessitatem debiti, & quantum ad necessitatem actus; & hæc est diuina voluntas: vnde nulli debet, sicut dicit Anselm. nec est ei ne- Anselm.
cessitas ad actum. Item est appetitus coarctatus necessitate debiti & actus: & iste appetitus est irrationalis, qui est in creaturis irrationabilibus, sicut in igne, & elementis alijs: quia in qualibet creatura est quoddam debitum, qđ debet de sui natura; quia à Deo creata: similiter in ipsa est necessitas ad actum; quia non est domina sui actus: sed necessitate facit. Item, est appetitus, vel voluntas coarctata necessitate debiti, sed non necessitate actus: & hæc est voluntas creaturæ rationalis. Absoluta enim est à necessitate actus; quia in sua libertate est facere, vel non facere: sed non absoluitur à necessitate debiti; immò tenetur ex debito: eo quod est subdita à Deo ad conformandam voluntatem suam voluntati diuinæ. In prima voluntate benè ponitur virtus, sed non lex: vnde voluntas diuina nulli legi est subdita: plena est autem omni thesauro virtutum. In appetitu verò irrationali est lex, sed non virtus: cùm totum ibi sit debitum. In voluntate autem vel appetitu rationali lex est, & virtus: ita quod ex parte illa, qua est absoluta, habet regulam directiuam sui, ne erret; & hæc est virtus: ex illa verò parte, qua est sub necessitate debiti; sub lege est, quæ ipsam dirigit instruendo & dictando, quid debet, seu ad quid tenetur. Secundùm hoc ponitur iustitia generaliter triplex, scilicet iustitia voluntaria omnino, & non debita: & hæc est in voluntate diuina. Ponitur etiam iustitia debita, & non voluntaria: & hęc est in appetitu irrationali. Et est iustitia debita & voluntaria: & hæc est in appetitu seu voluntate rationali: & ex illa parte, qua erit iustitia debita, erit lex: ex illa verò parte qua est iustitia voluntaria, est virtus. & loquor de iustitia generali ad legem & virtutes. Et sic patet quòd non ex eadem parte erit sumere radicem virtutum, & moralium legis.

¶ AD primam ergo rationem in contrarium dicendũ: quòd licet eiusdem boni sit virtus & præceptum: alia tamen est forma considerationis, & inde diuersitas radicis. Alia enim est forma boni vt boni, & boni vt debiti: ex illa parte, qua est forma seu ratio boni vt boni, sumitur radicatio virtutis: ex illa autem, qua boni vt debiti, sumitur radicatio præceptorũ legis. Et sicut rectus amor, qui est boni vt boni, & boni vt debiti, sub alia est & alia ratione, & forma boni: sic alia & alia radix.

¶ AD secundam rationem, solutum est per hoc.

¶ AD tertiam rationem dicendum: quòd differenter est directio actus per virtutes, & pręcepta: quia directio actus ex debito, est ipsorum præceptorum: directio autem actus ex rectitudine voluntatis, est per virtutes. Et sic sub alia & alia ratione sunt directiua illorum actuum præcepta & virtutes.

¶ AD quartam rationem dicendum, quod non sequitur: videmus enim quod idem opponitur gratiæ & naturæ, scilicet peccatum: spoliando scilicet gratuita, & naturalia vulnerando: & tamen alia est rectitudo huius, & illius: vnum enim malum sufficit ad destruẽdum plura bona coordinata: non tamen vna est illorum perfectio, nec potest esse, seu rectitudo.

¶ AD quintum dicendum: quòd actus debitus aliter est præceptorum, & virtutis iustitiæ: iustitia enim in qua virtus est, non respicit nisi executionem debiti actus: præceptum verò facit debitum actus: vnde hoc quod

* al. secundum est & etiam lex in anima.

est * secundum essentiam in anima, non est nisi debitum actus faciendi. Executio ergo debiti actus est a iustitia, inquantum virtus est: debitum verò actus à lege. Et sicut ab alio & alio est, quod sit debitum, & quod sit executio debiti actus; vt visum est: sic ab alia radice præcepta, & iustitia virtus.

¶ Ad sextum, quod obijcitur de obedientia, similiter dicendum: quòd obedientia vno modo est lex siue ipsius legis: alio modo est virtus. Debitum enim obedientiæ est lex: ipsa verò habilitas ad bonum exequendum per obedientiá, virtus est. Vnde secundùm quod est legis respicit debitum, & sic ab eadé radice: secundùm autem quod virtus, respicit executionem debiti: & ideo ab alia radice.

¶ Sed obijcitur: penes voluntatem est imperium ad omnes actus: penes verò rationem est cósilium ad omnes actus. Sed lex est principium directiuum in actum per imperium: ergo directio legis radicatur ex illa parte, qua & imperium; non ex qua consilium. Lex igitur est ex parte voluntatis, & non rationis: ergo ex eadem parte radicantur lex, & virtus. Ad istud dicendum, sicut solutum est: quòd lex respicit voluntatem, & non solùm rationem; & similiter virtus: tamen aliter & aliter: quia lex eam respicit quãtum ad hoc, quod tenetur vel coarctatur ad debitum actus: virtus verò inquantum à debito est absoluta: quę ad hoc est, vt dirigat animam in actum exequédum: ad cuius executionem non coarctatur, si non vult.

¶ Similiter ad alias rationes, quę ostédunt, quòd lex respicit rationem, virtus autem voluntatem. Licèt concludant verum, dico tamé; quòd penes hoc non est distinctio radicis in istis: immò quia lex primò, & per se respicit facultatem, deinde verò rationem & voluntatem; ex illa parte, qua est tentio debiti, radicatur, virtus autem non, vt dictum est.

An præcepta priora sint virtutibus, vel econuersò? §. 2.

¶ Iuxta hoc secundò quæritur de ordine pręceptorum, & virtutum: quod horum est prius. Nam communes actus sunt virtutum, & præceptorum: aut ergo quia sunt virtutũ, sunt præceptorum, aut econuersò. Sed constat, quod quia sunt virtutum, sunt præceptorum: cóstat enim quod moralia, seu actus moralium non sunt in præcepto, nisi quia bona: ergo quia virtuosa: quia virtus respicit bonum sub ratione boni. Illi autem actus boni sunt: & quia boni, sunt in præcepto: ergo virtus naturaliter prius, quã præceptum.

¶ Ad oppositum: ante virtutes est debitum virtutis, & tentio ad ipsum: sed debitum actus & tentio ad ipsum sunt per præcepta: ergo ante virtutes naturaliter sunt præcepta.

RESOLVTIO.

Naturá præcepta priora sunt virtutibus.

¶ Solutio. Dicendum: quòd lex, seu præcepta legis naturaliter sunt priora virtutibus; & hoc patet sic: Bonum enim summum mouet vt principium & vt finis; inquantum enim bonum est principium seu conditio principij, est diffusiuum suiipsius: & ex hac parte venit debitum in creatura, scilicet quod ipsa tenetur ad bonũ: quia enim creatura à bono, idem debet bonum, vt conformetur suo principio, sicut dictum est: & ex hac parte venit lex, tanquam directiua creaturæ: & dictans ei bonum debitum. Ex illa autem parte, qua bonum mouet vt finis; & quid creatura est ad ipsum vt ad finẽ, prouenit virtus tanquam directiua ipsius animæ: quia virtus dirigit in finem. Quia ergo prior est cóparatio animæ ad bonum in ratione, qua est ipsius principium; quàm vt finis naturaliter; ideo prior est ordo præceptorum, siue præcepta in anima; quàm ordo secundùm virtutes.

¶ Ad rationem in contrarium dicendum: quòd inquantum sunt bona debita, sunt ipsorum præceptorum: inquantum verò bona voluntaria, sunt ipsarum virtutum. Sed prior est naturaliter conditio boni debiti, quàm boni voluntarij: quia priùs accipit creatura naturaliter, vnde ipsa est debitrix Deo tanquam principio; quàm ipsa moueatur voluntariè in ipsum vt in finem.

MEMBRVM II.

De distinctione & numero præceptorum Decalogi?

Viso de radice moralium Decalogi: consequenter inquirendum est de distinctione præceptorum Decalogi. Et circa hoc plura incidunt dubitabilia. Primum est, an distinctio mandatorum Decalogi fuerit in natura benè instituta; quod fuerint ibi illa decem verba. Secundum est, secundùm quam rationem accipitur distinctio Decalogi. Tertium est, de sufficiétia numeri; an plura debent esse, vel pauciora. Quartum de distinctione Decalogi quantum ad ordinem. Quintum de distinctione quantum ad modum tradendi.

ARTICVLVS I.

An secundùm naturam tantùm destitutam, vel etiam secundùm institutam fuerit distinctio mandatorum Decalogi?

Primò ergo quęritur: an distinctio mandatorum decalogi fuit in natura benè instituta, vel solùm sit secundùm naturam corruptam? Ad quod sic. Ad quodcunque faciendum vel vitandum in bonis & malis, secundùm se tenetur homo peccator; etiam tenebatur antè peccatum: quia in natura benè instituta erat in maiori debito boni faciendi, & mali vitandi; quàm in natura corrupta. Si ergo omnia præcepta decalogi sunt vel ad bonum faciendum, quod est bonum de se: vel ad malum vitandum, quod est malum de se: ergo ante peccatum tenebatur homo ad omnia facienda, quæ in decalogo præcipiuntur: & ad omnia vitanda, quæ ibi prohibentur. Ergo in natura benè instituta erat distinctio decalogi, quæ & modò.

¶ Item, homo in statu innocentiæ suæ naturæ benè institutæ tenebatur maximè vitare, quodlibet malum: nam ipse erat spirituali mente prædítus, vt dicunt Sancti: vnde tunc habebat maiorem cognitionem de bono faciendo, & malo vitando, quã in statu naturæ corruptę. Si ergo maior erat cognitio, & eadem tentio maior; eo quòd plus cognoscebat: præceptio autem nihil aliud dicit, nisi cognitionem boni faciendi, & mali vitandi, & tentionem ad illa: ergo magis erat distinctio decalogi in natura benè instituta, quàm corrupta.

¶ Contra: Ante peccatum non tenebatur homo refrænare concupiscentiam, quia non erat; sed postquam natura corrupta est, tenetur: quia tunc regnauit concupiscentia, vnde Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus.* Ergo tunc non erat istud præceptum, *Non concupisces*: aut si esset aliquo modo, aliter tamen quàm modò: ergo non fuit hęc distinctio mandatorum secundùm naturam benè institutam. Genes. 4.

¶ Item, secundùm statum illum omnia erunt cómunia; nec erat aliqua inclinatio ad appropriationé: ergo vana esset tunc & cassa prohibitio furti: quia furtum est contractatio rei alienæ, siue alij appropriatæ.

¶ Item, virtutes in via sunt ad dirigendos actus, in quibus consistit perfectio vitæ actiuæ: quia verò in patria cessabunt illi actus, ideo cessabunt virtutes inquãtum regulæ ad illos actus. Sed in statu ante peccatum non erant huiusmodi actus mali, quorum est prohibitio in decalogo; nec inclinationes ad malum: ergo similiter nec regulę, seu præcepta ad illos actus, & inclinationes cauendas: ergo non erant ista præcepta decalogi secundùm statum naturæ ante peccatum, *Non occides, non concupisces, &c.* Non ergo tunc erat distinctio mandatorum decalogi. Deut. 5.

¶ Iuxta hoc quæritur: quæ sunt, & quæ potuerunt regere vel conseruare vitam hominis ante peccatum.

¶ Item, sicut homo post peccatum est in debito quò ad Deum; sic etiã est in debito, quò ad proximum: & secũdùm hoc distinguuntur duæ tabulæ: similiter ante peccatum erat in hoc duplici debito. Quæritur ergo, an essent tunc mandata particularia quò ad Deum, quàm modò,

modò: an plura quo ad proximum: an pauciora quàm modo ordinantia ad proximum secundum debitum: an plura vtrobique, an pauciora. Plura enim vt videtur ex dictis) videntur modò esse ordinantia ad proximum, quàm tunc.

¶ Si dicatur, quòd distinctio mandatorum non est secundùm naturam ante peccatum, sed secundum naturam corruptam. Illud non videtur esse verum, scilicet, quòd sit secūdum naturā corruptam: quoniā natura corrupta prona est in malum, vnde Genes. 8. *Proni sunt sensus hominu, & cogitatio in malum ab adolescentia sua*. Si ergo distinctio præceptorum decalogi respicit naturam corruptam: ergo debet esse distinctio ipsorum per distinctionē vitiorum. Sed non est ita: quia si acciperetur distinctio vitiorum, sicut accipitur 1. Ioan. 2. scilicet per illa tria: Omne, quod est in mundo, &c. ergo decalogus non haberet nisi tria mandata: aut si acciperetur secundùm capitalia vitia; illa nō sunt nisi septem, vt dicit Gregorius, ergo nō essent nisi septem mandata in decalogo: quorum vtrumque est falsum: ergo non est ipsorum distinctio secundùm naturam corruptam.

Genes. 8.

RESOLVTIO.

Præcepta primæ tabulæ eadem fuerunt in natura benè instituta, quæ & in natura corrupta. Secundæ verò tabulæ præcepta non eadem, sed mutata secundùm numerum, iuxta exigentiam status lapsi.

Eccles. 18. ¶ Solvtio. Dicendum, secundùm quod habetur Eccles. 18. *Deus creauit hominem de terra, &c.* addidit illis disciplinam & legem vitæ: iustitiam suam, & iudicia ostendit illis: & magnalia honoris eius vidit oculus eorum: & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: attendite ab omni iniquo: & mandauit vnicuique de proximo.

¶ Nota igitur tria, per quæ ostenduntur & designantur tria præcepta ordinantia ad Deum, quæ sunt in prima tabula. In hoc quod dicit: *Magnalia honoris eius vidit oculus eorum*, tangitur & ostenditur magnificentia maiestatis: ad quod est primum præceptum, quod est de adoratione & magnificentia diuinæ maiestatis; Exod. 20. *Non habebis deos alienos, &c.* In hoc autem quod dicit: *Et honorem vocis audierunt aures illorum*: ostenditur honorificentia ipsius veritatis, seu sapientiæ filij: vxor enim Dei est ipsa sapientia Dei: & sic istud pertinet ad notitiam & reuerentiam sapientiæ & veritatis: ad quod datum est secundum mandatum ordinans ad Deum, scilicet: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. In hoc quod dicitur: *attendite ab omni iniquo*, ostēditur detestatio malitiæ & iniquitatis; vt ipsi essent fixi in amore bonitatis, & reuerentia: ad quod est tertium mandatum primæ tabulæ de sanctificatione sabbati: quia mādatum illud specialiter datum est ad honorem diuinæ bonitatis: vt homo vacet Deo, & quiescat in ipso. Et sic dedit Deus homini post creationem ante peccatum tria mādata sibi indita ex conditione ordinantia ad Deum: vnū autem dedit ad proximum, scilicet mādatum de dilectione proximi: quod intelligitur per hoc quod dicitur: *Vnicuiq; mandauit de proximo suo*. Secundùm hoc ergo dicendum, quod lex quantum ad præcepta ordinantia in Deum in primo statu, & in isto non mutatur quantum ad primam rationē mandatorum vel præceptorum: immò illa tria erant, quæ modo sunt: sed mutātur quantū ad ordine ad proximum, quia modo sunt plura mādata ordinantia ad proximū, tūc autem vnum solum. Et ratio huius est: quoniam ex parte Dei non est facta mutatio, immo cum ipse sit bonum immutabile, si aliquid debetur ei ante peccatum, eadem ratione & post nec debet mutari, sicut nec ipse illud debitum. & ideo non est mutatio quò ad ordinantia ad Deum in ratione prima debiti. Sed cum proximus sit mutatus per peccatum: quia factus est pronus ad malum: ideo mutata sunt mandata ad proximum: ita quod tunc erat vnum solum, modo sunt plura: hoc est, quia proximus est ante peccatum non erat indigens: vnde non indigebat pater filio, nec econuerso, nec etiam erat pronus ad malum; erat etiā [illegible] quodammodo immortalis: erāt etiam omnia communia: vnde non mandauit, quod vnus succurreret illi, vt filius patri, nec quod securet eum ab occisione: sed solum quod esset dilectio ad proximum. Modò autem propter istas pronitates ad malū, & corruptiones per peccatum, mandantur plura ordinantia ad proximum, scilicet prohibitio furti: quia modo est appropriatio, & nō ante peccatum: & prohibitio occisionis, quia modo est mortalis: & modò est inordinatio voluntatis & inclinatio ad malum per peccatum; quod ante non erat: & ideo plura mandantur ad proximum.

Exod. 20.

Ibidem.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod debet esse eadem distinctio quo ad proximum: quia ad quæcunque tenetur homo post peccatum, & ante (in bonis dico faciendis, & malis vitandis.) Dicendum, quòd decalogus (vt dictum est suprà) est secundùm legem naturæ & de dictamine ipsius naturæ: sed quiddam dictatur ibi absolutè, quiddam autem sub conditione. Natura enim boni dictat absolutè, quòd vnus non noceat alteri; & propter hoc dicit: *Vnicuique mandauit de proximo suo*: sed non hoc modo, vel illo erat mandare. Similiter natura dictat absolutè omnia esse cōmunia, alia verò esse propria: istud dictat sub conditione, scilicet status naturæ corruptæ, vnde dictat; quòd natura corrupta sit appropriatio: & super hoc dictamen fundantur ista præcepta, *Non furtum facies*: & alia, quæ sunt ad servandam ordinationē circa hoc. Quia ergo variatur dictamē naturæ in natura benè instituta, & in natura corrupta; ideo variatur præceptum. Vera est ergo illa propositio: *Ad quæcunq., &c.* sub conditione scil. naturæ corruptæ. Per hoc idem patet solutio ad secundam rationem ad idem. Exod. 20.

¶ Ad illud, quod post quæritur: an sint plura vel pauciora quò ad Deum, & proximū. Dicendum, quòd ex parte proximi pluraficatur decalogus, & mutatur: & hoc propter pronitatem naturæ ad malum post peccatum, & propter miseriā, & indigentiam nostrā: ex parte Dei non sunt plura; nec pauciora; cùm ipse sit immutabilis; & debitum ordinationis hominis ad ipsum immutabile.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quòd distinctio mandatorum debet esse secundùm distinctionem vitiorum. Dicēdum, quod non: immò alia & alia ratione multiplicantur præcepta & vitia. Peccatum enim accipit multiplicationē ex causis, quibus est auersio à Deo, & cōuersio ad bonum commutabile: & secundùm hoc est illa distinctio trium radicum peccati 1. Ioan. 2. per quas anima auertitur à Deo, 1. Ioan. 2.
& conuertitur ad bonum commutabile. Et secundùm triplex bonum commutabile est illa distinctio: anima enim auersa à Deo, & conuersa ad bonum cōmutabile, aut conuertitur ad bonum commutabile exterius; & hoc est bonum temporale: & iuxta hoc sumitur cōcupiscentia oculorum. Aut cōuertitur ad bonum commutabile inferius, quod est delectatio carnis: & iuxta hoc sumitur concupiscentia carnis. Aut conuertitur ad bonum commutabile interius, quod est amor propriæ excellentiæ & elationis: & ab hoc sumitur tertia radix, quæ est superbia vitæ. Similiter distinctio capitalium vitiorum sumitur penes auersionem animæ à Deo, & conuersionem ad bonum commutabile. Et hoc vel per inordinationem factam in vi vegetabili, & secundùm hoc sumuntur duo vitia capitalia, scilicet gula & luxuria: sed differenter, quia gula sumitur secundùm inordinationem vis nutritiuæ: luxuria verò secundùm inordinationem generatiuæ. Secundùm autem inordinationem factam in sensitiua, per huius auersionē & conuersionem sumuntur alia duo, scilicet ira, & auaritia. Secundùm autem inordinationem factam in rationali sumūtur tria alia, scilicet superbia, inuidia, accidia: quorum distinctio alibi patuit. Distinctio autem præceptorū decalogi non decurrit penes has vias: immo penes rationem boni vt debiti, vt videbitur: & ideo non est distinctio præceptorum secundùm distinctionem vitiorum, seu radicalium, seu capitalium. Part. 2. quæst. 135 Atque sequent.

ARTICVLVS II.

Penes quid sumatur distinctio præceptorum decalogi?

POSTEA quęritur, secundùm quam rationem accipitur distinctio pręceptorū decalogi: Et circa hoc primo-

inet sunt dubitabilia. Vtrum accipiatur secundùm fidem, an secundùm charitatem, an secundùm timorē, an secundùm beneficentiam & innocentiam, an secundùm affirmationem & negationem, an secundùm iustitiam.

¶ PRIMÒ quaeritur, vtrùm accipiatur secundùm fidem distinctio decalogi? Ad quod sic 1. ad Timoth. 1. *Finis praecepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ergo consummatio charitatis in praeceptis est ex fide: ergo ex fide est ratio distinctionis in praeceptis decalogi. 1.Tim 1.

¶ ITEM, ex hoc quod homo credit, quod Deus est Trinitas, debet honorem Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sed per hoc distinguuntur praecepta primae tabulae: quoniam primum per ordinationem ad patrem, cui vnitas: secundum per ordinationem ad filium: tertium ordinat ad spiritum sanctum: & hoc secundùm honorificentiam & reuerentiam.

¶ ITEM, ex hoc quod credo, quod creauit hominem ad similitudinem & imaginem suam; debeo proximo meo honorem, & teneor ei in illis, quae praecipiuntur in secunda tabula; quae ordinat ad proximum. Ergo ex fide, seu penes fidem sumitur ratio distinctionis decalogi; maximè in prima tabula; quia fides distinguit inter personas. Similiter etiam ex fide sumitur ratio debendi: quae obligat in praeceptis ad proximum. Ex hoc enim quod proximus est ad imaginē, debeo ipsum honorare: debeo etiam ei benefacere, & non nocere.

Tullius lib 2. de Inuent. ¶ AD oppositum: Tullius dicit in Rhetorica quòd *religio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam diuinam vocant, cultum caerimoniamq; affert.* Ex religione ergo est distinctio in praeceptis de cultu diuino. Sed religio est de iure naturali, sicut patet ibidem: ergo ex iure naturali est distinctio in praeceptis decalogi, quae sunt ad cultum Dei: non ergo ex fide.

¶ ITEM, si penes fidem sumeretur haec distinctio: ergo tria praecepta primae tabulae, quibus praecipitur honor exhibendus Trinitati; essent vnum praeceptum: hoc autē est falsum: ergo cùm sint tria, penes fidem non accipitur horū distinctio. Maior patet, quoniam fides dictat, quod idem honor attribuendus sit patri, filio, & spiritui sancto: Ioan. 5. & ideo dicitur Ioan. 5. *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem.* Ergo est honor cōmunis dictatus per fidem toti Trinitati: ergo non est horum distinctio per fidem: cùm idem honor ipsis personis per fidem praecipiatur. Distinctio autem est honor & appropriatus in illis tribus praeceptis: ergo, &c.

¶ SECVNDÒ quaeritur: an secundùm charitatem debeat accipi distinctio mandatorum decalogi. Ad quod sic August. & Isidor. Glossa super Exodum 22 dicit Augustinus, & Isid. quòd in dilectione Dei & proximi pendet tota lex. Vnde super Exod. 22. dicit Glossa Isid. *Dat Dominus Moysi legem innocentiae nostrae, & agnitionis suae: quae in decem verbis consistit, scripta in tabulis lapideis digito Dei: tria pertinent ad cognitionem & dilectionem Trinitatis, septem ad dilectionem proximi, quibus humana societas non laeditur;* ergo *distinguuntur duae tabulae decalogi: secundùm quod duplex distinguitur dilectio Dei, scilicet, & proximi.* Et vult etiam, quòd prima tabula distinguatur secundùm amorem & reuerentiam Trinitatis; ergo penes charitatem sumitur hęc distinctio.

¶ AD oppositum obijcitur sic: Si penes charitatem vel dilectionem sumitur haec distinctio: cùm non sit nisi duplex dilectio, & duplex mandatum de dilectione: ergo nō essent nisi duo mandata decalogi.

Aug. in li. 8. de Trinit. ¶ ITEM Augustinus: *Qui proximum diligit, consequens est, vt Deum praecipue diligat.* Et hoc dixit, quia proximus est imago Dei: vnde ratio diligendi proximum, prouenit ex Deo: eadem ergo est ratio diligendi Deum & proximum: ergo mandatum de dilectione Dei, & mandatum de dilectione proximi vnum mandatum sunt. Si ergo penes ista esset distinctio decalogi: ergo totus decalogus esset vnum mandatum.

¶ ITEM, cùm vna sit dilectio Dei & proximi, ergo vnum mandatum.

¶ TERTIÒ quaeritur: an secundùm timorem debeat accipi distinctio mandatorum: Ad quod sic Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, &c.* volens per hoc distinguere inter legem & Euangelium penes timorem & amorem: quia in lege erat timor, in Euangelio amor. Timor ergo mouebat in lege: ergo secundùm motus, qui sunt ex timore, accipitur distinctio mandatorum decalogi. Rom. 8.

¶ AD oppositum sic: Timor non cohibet nisi manum, & nō animum seu voluntatem: ergo etiam hic decalogus non prohibet nisi manum, & volūtatem: ergo secundùm hoc illud praeceptum; *Non concupisces.* non esset praeceptum decalogi. Deut. 5.

¶ PRAETEREA, timor non mouet nisi ad declinationem à malo: ergo in decalogo non essent praecepta faciendi bonum.

¶ QVARTÒ quaeritur: vtrùm secundùm beneficentiam & innocentiam sumatur distinctio praeceptorum decalogi? Ad quod sic: hoc praeceptum; *Honora patrem.* Ibidem. est praeceptum beneficentiae: alia autem ad innocentiam pertinent, maximè de illis, quae erant ad proximum: ergo penes beneficentiam & innocentiam sumitur distinctio horum.

¶ AD oppositum: eadem est virtus oppositorum, vnius sicut faciendi, alterius sicut vitandi: ergo & eadem lex: ergo illo praecepto quo prohibetur moechia; praecipitur castimonia: & illo, quo praecipitur honor & beneficentia patris; prohibetur ibi inhonoratio & maleficentia erga ipsum. Eodem ergo mandato praecipitur beneficentia & innocentia: non est ergo penes haec distinctio.

¶ QVINTÒ quaeritur: vtrùm secundùm affirmationem & negationem, hoc est iussionem & prohibitionem sumatur haec distinctio. Ad quod sic: Cuilibet affirmationi opponitur sua negatio; & econuersò: ergo cuilibet praecepto affirmatiuo erit prohibitio opposita, & econuersò. Si ergo hoc facit distinctionem, erunt viginti mandata in decalogo: & non solùm decem: quod falsum est.

¶ SEXTÒ quaeritur: vtrùm accipiatur haec distinctio penes iustitiam? Ad quod sic: Iustitia mouet ad debitum, (vnde debitum est de intentione iustitiae) praecepta autem penes debitum distinguuntur: si ergo ex iustitia venit; ex iustitia venit distinctio mandatorum.

¶ CONTRA. Si intentio iustitiae reperta in praeceptis, scilicet: quia facit debitum, facit distinctionem praeceptorum: ergo similiter cùm intentio prudentiae reperiatur in mandatis, scilicet electio; & sit in intentione praeceptorum decalogi: ergo penes prudentiam sumetur distinctio decalogi: & si non; ergo nec secundùm iustitiam. Minor patet, scilicet quòd electio sit de intentione legis. August. in quaestionibus veteris & noui testamenti. Quoniam Augustinus dicit; *Lex à lectione dicta est, vt de multis quid eligas, sciat.*

¶ ITEM, haec iustitia aut dicetur iustitia generalis; aut specialis. Si iustitia generalis, & eius actus est declinare à malo, & facere bonum: ergo sic esset distinctio decalogi, quòd quędam mandata facerent solùm declinare à malo; quaedam solùm ordinarent ad bonum; quod falsum est; immò vtrumque faciunt praecepta decalogi: ergo non secundùm iustitiam generalem sumitur distinctio. Ideo nec nec secundùm iustitiam specialem, quoniam iustitia specialis seu particularis solùm ordinat ad proximū: ergo nec secundùm eam accipitur distinctio decalogi.

RESOLVTIO.

Distinctio praeceptorum decalogi penes formam boni vt debiti secundùm animam accipitur.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd secundùm formam boni vt debiti penes animam: secundùm scilicet quod ipsa est debitrix boni, venit lex & praecepta moralia: quia lex nihil aliud dicit, nisi debitum boni actus. Secundùm verò formam boni vt boni penes animam, est radix virtutum: vnde ex virtute est actus bonus: ex lege autem fit debitus. Et sic secundùm intentionem boni vt debiti, est accipe-

[illegible]

¶ [illegible] quod [illegible] Deo: & est debitū [illegible] Deo [illegible] quod [illegible] Deum [illegible] Deum [illegible] ad Deum [illegible] Deum. Hæc [illegible] debitum [illegible] quod est [illegible] debet [illegible] suæ [illegible]. Creatura vero, quæ Deus est, in triplici habitudine [illegible] ipsum [illegible] causa efficiente [illegible] formalis exemplaris, item se habet [illegible] causa finalis. Efficiens causa est quia Deus [illegible] potentia: causa formalis seu exemplaris ratione veritatis: causa vero finalis in ratione [illegible]. Est ergo [illegible] debitum quo debet se creatura Deo [illegible] principio vel causæ efficienti: & debitum, quo debet [illegible] causæ formali vel exemplari: & debitum quo debet se Deo [illegible] causa finalis. Et secundum [illegible] debita [illegible] mandata primæ tabulæ [illegible] Deum. Primum [illegible] debitum Deo sicut [illegible] efficienti: quia illud mandatum est de [illegible] maiestatis, & virtutis & [illegible] & hoc est illud mandatum. *Non habebis Deos alienos*. [illegible] debitum, quo debet se homo Deo [illegible] exemplari, [illegible] secundum [illegible] *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: nomen [illegible] veritas, quam non debemus asserere [illegible] nostræ locutionis sine [illegible] ostenditur debitum Deo sicut [illegible] quantum ad appetitum & [illegible] hoc est præceptum de sabbato: [illegible] ad ipsam bonitatem [illegible]. Sic igitur quia est triplex ratio debiti [illegible] ad Deum, ideo tria sunt mandata ordinantia ad Deum.

¶ [illegible] distinguendi ista mandata ordinantia ad Deum: quia conuersio animæ in Deum est triplex, scilicet corde, ore, & opere. In primo ergo mandato ostenditur honor, & reuerentia secundum actum cordis, cum [illegible] *Non habebis deos alienos, &c.* in secundo, secundum [illegible] in tertio ostenditur honor & reuerentia in actu exterioris operis, cum determinatur quies in sabbato, [illegible] Deo [illegible] enim est intentio sabbati.

¶ Item secundum appropriationem [illegible] alia distinctio [illegible] per primum mandatum ostenditur vnitas [illegible] appropriatur patri: per secundum ostenditur [illegible] appropriatur filio: per tertium bonitas, quæ appropriatur spiritui sancto: quia tertium præceptum est quietis sabbati, quies autem [illegible] est in ipsa summa bonitate.

¶ Item, alia distinctio [illegible] respiciendo diuinam [illegible] & hæc [illegible] secundum allegoriam sumitur ab Hugone. Deus enim est reuerendus tripliciter: [illegible] reuerendus [illegible] natura est etiam reuerendus in humana natura: & [illegible] in propria conscientia. [illegible] quod est de adoratione, respicit quòd [illegible] Deus [illegible] natura. Secundum mandatum [illegible] in humana natura [illegible] secundum Glos. *Non assumes nomen Dei tui* [illegible] Christus [illegible] hominem [illegible] in propria conscientia [illegible] & ad [illegible] de Sabbato. Et hoc est quod [illegible] *Deus tuus [illegible]* doctrinam Quasi dicat. obedien[illegible] ipsum [illegible] hoc pertinet [illegible] hoc per [illegible] *Deum adorare, est totam mētem ad deuotionem [illegible] & ipsum principium & finem omnia [illegible] credere.* [illegible] quod primum [illegible] Deus [illegible] humana [illegible] *Non assumes nomen Dei tui in vanum* [illegible] nomen Dei, [illegible] Dei [illegible] & per [illegible] Quod [illegible] præceptum [illegible] Sabbatum in homine, quod [illegible] spiritus sanctus [illegible] conscientiam a seruitute peccati quietes, in gaudio spiritus sancti [illegible].

¶ Secvndvm avtem rationem debiti ad proximum sumitur distinctio mandatorum ordinantium ad proximum. Nota igitur, quod in natura hominis [illegible] proximi, qui factus est ad Dei imaginem, [illegible] secundum duo, in quibus est [illegible] in homine. Quia sicut in diuino [illegible] natura & ordo naturæ: natura est ipsa diuina essentia, ordo naturæ [illegible] secundum quod vna persona oritur ab alia: [illegible] natura, & ordo naturæ; secundum quem vnus homo oritur ab alio: (sed in angelis non est [illegible] vnus ab alio oritur:) & sic in homine diuinum esse [illegible] & quantum ad esse essentiale vel naturale, & quantum ad esse personale.

¶ Est igitur debitum ad proximum duplex: vnum ratione originis, vel principij; & quantum ad hoc debitor est filius patri, quia scilicet ab ipso oritur: & penes hoc debitum sumitur primum mandatum ordinans ad proximum, quod est, *Honora patrem*; ex hoc enim quod filius a patre, debet patri: & non pater filio. Et hoc dicit magister Hugo: *Primum præceptum secundæ tabulæ ad patrem pertinet hominem: sicut primum primæ ad patrem Deum: vtrobique pater nobis proponitur, vtrobiq; principij dignitas honoratur.* Est aliud debitum ratione naturæ ad proximum: & penes istud multiplicationem sumuntur alia mandata. Debitum autem istud est duplex: quia debitum istud vel est ex parte debentis, vel ex parte eius cui debetur. Ex parte debitoris respicitur actus triplex, scilicet actus interior, qui est actus cordis: vel actus medius: & hic est actus oris, scilicet loqui: quia loqui consistit ex interiori intentione, & exteriori prolatione: loqui enim est cum intentione proferre. Propter hoc est debitum triplex ex parte debentis: quia est debitum ex parte actus cordis: & ex parte istius debiti sumuntur duo mandata, scilicet, *Non concupisces vxorem proximi tui, &c. Non desiderabis domum eius.* Est etiam debitum ex parte oris, quod est loqui: & penes illud sumitur vnum mandatum, scilicet: *Non falsum testimonium dices.* Est etiam debitum ex parte actus exterioris: & penes illud sumuntur alia [illegible] *Non occides, non furtum facies, non mœchaberis* [illegible] debemus. Debitum enim ex parte naturæ, cui debemus, sic procedit. Quia circa naturam est [illegible] est coniunctio animæ cum corpore: contra hoc est mors & occisio: & quantum ad hoc debet homo proximo conseruationem esse: & penes istud debitum sumitur hoc mandatum *Non occides*, quod [illegible] prohibet mortem, vel occisionem, seu destructionem naturæ in proximo: & sic in illo præcepto est expressio debiti quantum ad esse naturæ, vt [illegible] proximo. Secundum autem quod debetur [illegible] bene esse naturæ in proximo, sunt alia duo: nam bene esse duo respicit, scilicet multiplicationem, & sustentationem. [illegible] multiplicatio naturæ est per ordinatam & [illegible] coniunctionem viri & mulieris: sustentatio vero [illegible] Penes ergo debitum quantum ad bene esse, quod respicit multiplicationem naturæ per debitam & ordinatam coniunctionem viri & mulieris, sumitur illud præceptum *Non mœchaberis*: quia hoc præceptum prohibet inordinationem, quæ est contra huiusmodi [illegible] debitum quantum ad bene esse quo ad [illegible] naturæ sumitur illud præceptum [illegible] quod prohibet contractionem [illegible] Non [illegible] natura misera per peccatum [illegible]

¶ [illegible]

mortis,sc.& defectus seu indigentiæ: quia cecidit in miseriam mortis,ex hoc habet,quod non potest saluari in ipsa; sed requirit in alio saluari per coniunctionem viri & mulieris:quia verò cecidit in defectum &indigentiam,ex hac parte venit appropriatio temporalium, quibus ipsa indiger ad sustentationem sui,alioquin ipsa deficeret: & inordinationem contra huiusmodi appropriationem prohibet in hoc mandato,*non furtum facies*. Quia ergò in genere non est accipere debitum,nisi aut ad Deum, aut ad proximum: & ad Deum tribus modis: ad proximum,aut ratione originis,aut ratione naturæ: & hoc aut quantum ad esse, aut quantum ad benè esse, ex parte debitoris, vel cui debet: ideò tot sunt præcepta in vniuerso. Et se habent istæ distinctiones ex parte debitoris, & ex parte eius, cui debet: ita quod vna includit aliam, & est sicut causa alterius: & ideò vna accipitur per subdiuisionem vnius membri alterius. Quia verò natura post lapsum in duplicem cecidit miseriam, scilicet corruptionis, & vitæ: ideò habet pronitatem in nobis, vt saluet se in alio: & ad hoc est motus cõcupiscentiæ, nec sumus Domini istius motus:&quia cecidit in miseriam vitæ,oportuit quod haberet domum,& terras,& alia temporalia,per quę sustentaretur. Et quia in has duas miserias cecidit homo: ideò mirabilis est inclinatio ipsius concupiscentiæ, vt se saluet in alio,& ad habenda temporalia,per quæ sustentetur: & ideò geminatur mandatum contra appetitum vis generatiuæ; per quam saluet se in alio: & contra appetitum temporalium: ita quod prohibetur voluntas, & actus in vtroque,sc.*non concupisces vxorem proximi tui*, hic voluntas, *non mœchaberis*, hic actus generatiuæ, *non desiderabis domum*,&c. hic prohibetur voluntas vel appetitus temporalium in voluntate solùm, *non furtum facies*, hic prohibetur actus illius, pronitas, scilicet rapacitas, vt dicit Gloss. in Exod.20.

Exod.20.

Exod.20.

¶ Ad illud ergò, quo quæritur:an penes fidem accipitur distinctio mandatorum? Dicendum, quod nec penes fidem,nec penes alia accipitur: sed solum penes rationem debiti,vt visum est. Nec secundùm aliquam differentiam, vel rationem virtutis accipitur: quia ex alia ratione est intentio & differentia virtutum & præceptorum.

¶ Ad rationes,verò,quibus ostenditur:quod penes fidem accipiatur hæc distinctio. Dicendum,quod in præceptis duo attendenda sunt, scilicet distinctio, & executio. Distinctio consequitur differentiam debiti actus Deo,vel proximo:& ideò penes rationem debiti accipitur. Ad executionem autem ipsorum requiritur fides, prudentia, timor,charitas,iustitia. Sed differenter, quia fides & prudentia mouent ad executionem ipsorum ex parte cognitiuæ practicæ:aliter tamē & aliter,quia fides mouet ad impletionem præceptorum ratione finis, scilic.ostendendo finem:prudentia verò, quæ est virtus politica, respicit ducentia ad illum finem,scilicet circumstantias actuum. Ex parte autem affectiuæ mouent alia: sed differenter,quoniam timor mouet inchoatione. Sap.1. *Initium sapientiæ est timor Domini*,&c.iustitia verò mouet sicut in progressu,vel executione: charitas verò mouet in cõsummatione. Quia ista tria attenduntur in impletione mandatorum, scilicet inchoatio,progressus vel executio,consummatio:& sic ex istis non pendent mandata quantum ad distinctionem; sed quantum ad impletionem, scilicet quantùm inchoationem, progressum, & consummationem: & sic virtus non efficit distinctionem mandatorum,sed impletionem. Quod ergò obiicitur: quod ex fide est distinctio personarum & honoris Trinitatis. Dicendum,quod cum hoc est ratio debiti,quæ huiusmodi distinctionem facit, & non fides:nisi ex consequenti. Vnde ratio honoris vt debiti respectu maiestatis in patre, veritatis in filio, bonitatis in Spiritu sancto,facit huiusmodi distinctionem per se.

Sap.1.

¶ Ad illud, quod obiicitur de charitate. Dicendum, quod charitas mouet ad præcepta quantum ad consummationem,non quantum ad distinctionem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non sit nisi vnum præceptum charitatis: quia vna dilectio est ratio alterius. Dicendum quod virtus respicit formam boni vt boni: & quia forma boni eadem est in dilectione Dei & proximi; ideò vna est virtus charitas, quæ respicit dilectionem Dei & proximi: non tamen vnum præceptum; quia præceptum respicit rationem debiti: debitum autem vnum non est,sed duplex: quia aliò est amor debitus Deo,& proximo debitus: & licet vnus sit ratio alterius; tamen ex alia ratione debet homo amorem Deo, & proximo: quia Deo debet amorem sicut causæ, proximo verò sicut effectui facto ad imaginem: quia ergò debitum duplex,ideò præceptum duplex.

¶ Ad illud quod obiicitur de timore. Dicendum,quod timor non mouet ad præcepta,nisi quantum ad impletionem:& hoc inchoatione.

¶ Ad illud, quod quæritur:an penes beneficentiam & innocentiam sumatur? Dicendum quod non inquantum huiusmodi:sed inquantum beneficentia & innocentia cadunt sub debito vel contrario.

¶ Ad quod obiicitur:quod illo,quo præcipitur honor & beneficentia patris, prohibetur inhonoratio & beneficentia erga ipsum. Dicendum,quod hoc verum est: sed ex hoc non sequitur, quod non distinguuntur præcepta secundùm innocentiam & beneficentiam: quia præcepta beneficentiæ & innocentiæ non dantur respectu eiusdem. Præceptum enim de innocentia, quæ est in prohibitione furti; non est respectu eius præcisè, respectu cuius est præceptum de beneficentia honoris parentum.

¶ Ad illud,quod quæritur,an penes iustitiam sumitur hæc distinctio. Dicendum, quod iustitia & est lex, & est virtus: nec est eadem ratio ipsius secundùm quod est lex, & secundùm quod virtus. Iustitia enim secundùm quod lex, dicit debitum actus: iustitia autem secundùm quod virtus dicit executionem debiti actus. Et sic debitum non consequitur iustitiam virtutem; sed secundùm quod est lex: & ideò non penes iustitiam virtutem sumitur distinctio præceptorum. Et propter hoc non valet vlteriùs oppositio,quod penes prudentiam debuit accipi; quia fundatur super hoc, quòd distinctio horum accipiatur penes iustitiam & veritatem. Et sic patet solutio.

ARTICVLVS III.

An sufficiens sit numerus præceptorum Decalogi?

CONSEQVENTER quæritur de sufficientia numeri Decalogi. An scilic.in pluribus,vel paucioribus, debeat poni. Ad quod sic. *Omne, quod est in mundo: aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Sicut ergò contingit peccare duabus primis concupiscentijs,ita & tertia:sicut ergò in præceptis Decalogi prohibetur concupiscentia carnis,cùm dicitur, *Non concupisces vxorem proximi tui*: & concupiscentia oculorum, cùm dicitur, *Non desiderabis domum proximi tui*: & sicut penes ista sumuntur duo mandata;sic penes tertia, scilicet superbiam vitæ debet accipi aliquod mandatū, in quo prohiberetur concupiscentia honoris vel excellentiæ, quæ est superbia vitæ:& sic deberent esse plura,quam sunt.

1.Ioan.2.

Deuter.5.

Ibidem.

¶ Si dicatur,quod debet prohiberi concupiscentia sequens infectionem originalis culpæ: vnde ratione infectionis est,quod prohibetur concupiscentia. Tunc obiicitur:infectio non est(sicut dicunt)nisi in parte vegetabili, secundùm quam transfunditur peccatum originale: vnde solùm est infectio secundùm concupiscentiam generatiuæ: hæc ergò sola sequitur illam infectionem,& nō concupiscentia domus,vel possessionis alicuius: ipsa ergò sola debet prohiberi: quod est falsum: ergò non valet illa ratio.

¶ Item, sicut ex parte ipsius vis concupiscibilis est peccare secundùm actum & affectum, ita ex parte irascibilis est occidere, & iste prohibetur:affectus autem est ira: ergò in Decalago debet ita prohiberi: si ergò non prohibetur,ergò est in sufficientia in Decalogo?

¶ Item, circa occasionem est factum, & intentio facti. factum autem benè potest fieri, scilicet quando sit intentione iustitiæ: sicut est in iudice: malè autem sic ab eo, qui occidit intentione vindictæ: sicut est homicida: & sic

sic actus occisionis bene potest fieri, & malè: & circa ipsum contingit peccare. Circa vero intentionem semper est peccatum: vnde occisio intentionis siue affectus semper est peccatum: quia cùm dico intentionem occidendi, pono quod intentio solum terminetur ad occidere: hoc autem solum est in illo, qui occidit ex libidine. Si ergò actus potest esse bonus & malus, intentio verò semper est mala: ergò magis debet prohiberi affectus, vel intentio occisionis, quam actus: & quia non prohibetur, ergò est insufficientia præceptorum.

¶ ITEM, lex facit differentiam inter voluntarium homicidium, & inuoluntarium: quia inuoluntario conceditur remedium, scilicet ciuitates refugij: sicut patet Numer. 35. & tamen vtrobique erat actus occidendi: ergò magis æstimatur secundùm legem affectus occidendi, quam actus: ergò magis debet prohiberi voluntas, quam actus: aut est insufficientia, &c. (Num. 35)

¶ ITEM, sicut circa mœchiam contingit peccare actu & affectu: sic etiam circa quodlibet mandatum ergò circa quodlibet mandatum debet esse prohibitio de actu & de affectu, sicut circa hoc.

¶ ITEM, sicut contingit peccare per inordinationem ad Deum, & per inordinationem ad proximum; ita etiam per inordinationem ad seipsum: sicut quando aliquis peccat per molestiam carnis, ille deturpat seipsum. Sed decalogus tantum duas prohibet primas inordinationes: non ergò est sufficiens, cum & tertia deberet prohiberi.

¶ ITEM, detrahere proximo, graue peccatum est: & tamen non prohibetur in aliquo mandato: quia detrahere non est occidere, non est mentiri: vnde non prohibetur in istis: ergò debet esse aliquod mandatum de prohibitione huius: vel erit insufficientia in Decalogo.

¶ ITEM, quidam actus est malus de se, vel secundùm se: quidam solùm malus ex radice, quæ est intentio; sicut est ieiunium hypocritarum. quoquo modò sit actus malus, semper est radix peior actu: hæc autem radix est affectus, siue intentio: ergò debet prohiberi circa quemlibet actum.

¶ AD oppositum, ostenditur, quod deberent esse pauciora. In actu enim continetur voluntas. Actus enim non est bonus, vel malus, nisi quia voluntarius: vnde dicit Damas. quod actus inuoluntarij non sunt digni remuneratione, nec supplicio: vnde nec laudabiles, nec vituperabiles: si ergò præceptum, & prohibitio non sunt de actu, nisi quia voluntarius: prohibendo actum, prohibet voluntatem: ergò superflua prohibitio voluntatis, siue affectionis in Decalogo: & sic *non concupisces* non debet esse mandatum Decalogi. (Deuter. 5.)

¶ ITEM, voluntas causa est actus; quia actus ex voluntate procedit: sed prohibita causa, prohibetur effectus: ergò prohibita voluntate, prohibetur actus: ergò superfluunt mandata, quæ sunt de prohibitione actuum.

¶ ITEM, Matth. 5. *Si videris mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus es in corde tuo.* Nunquid similiter, qui videt equum ad concupiscendum eum, furatus est eum? constat enim quod non. Ergò videmus, quod quædam concupiscentia facit actum, quædam non: sicut vel mœchari facit mœchiam: prohibita ergò concupiscentia mœchandi, cùm dicitur *non concupisces vxorem*, &c. superfluit prohibitio de actu mœchandi: & ita *non mœchaberis* non debet esse mandatum decalogi. (Matth. 5. — Deuter. 5.)

¶ ITEM, *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret. Non concupisces.* Gloss. *Bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet; omnia mala prohibet.* Ergò prohibita concupiscentia generali, prohibentur omnia mala: dicendo ergò, Non concupisces: prohibentur omnes mali actus: ita superfluunt omnia mandata alia. (Rom. 7. Glossa. — Deuter. 5.)

RESOLVTIO.

Ita numero sufficientia affirmamus præcepta Decalogi, vt nec plura, nec pauciora esse posse dicere audeamus: quod ex lege naturæ respiciente statum naturæ corruptæ facile deprehendere est.

¶ SOLVTIO. Ad euidentiam maiorem huius quæstionis, intelligendum est: quod lex Decalogi triplicem habet comparationem ad triplicem legem, scilicet ad legem naturæ, ad legem gratiæ, & ad legem fomitis. Ad legem naturæ comparatur, sicut habes, Rom. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ipsi sibi sunt lex; quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ecce comparatio ad legem naturæ, quæ est scripta in corde hominis. (Rom. 2.) Quod similiter comparatur ad legem gratiæ, habetur per Gloss. super illud Psalm. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Gloss. *Sua distinctione corrigens, & ad Christi gratiam mittens.* Ecce, quod habet comparationem ad legem gratiæ: aliter enim ad gratiam non mitteret. (Psalm. 18. Glossa.) Ad legem fomitis reprimendam comparatur, secundùm quod habetur, *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Gl. *Non dicitur litera occidens, eò quòd lex mala sit: sed quia prohibet peccatum, non iustificat hominem.* Et prohibenda peccatum, non iustificat hominem. Et sic prohibenda peccatum, comparatur ad legem fomitis. Et, *Vbi abundauit delictum.* Gloss. *Frænatus est concupiscentiæ fluxus.* (2 Cor. 3. Glossa. — Rom. 5. Glossa.)

¶ SED nota differentiam harum comparationum: quia comparatur ad legem naturæ manifestandam, vt scil. quæ erant occulta per tenebras peccati, manifestarentur. Vnde August. *Data est lex, vt quæ sciebantur, auctoritatem haberent: & quæ latere cœperant, manifestarentur.* Ad legem autem gratiæ comparatur testificando: quia est in signum gratiæ. (August. in quæst. Veteris & Noui Testamenti) Ad legem autem fomitis, vel peccati comparatur coërcendo. Et iuxta istas tres comparationes sumuntur tria, quæ attenduntur in Decalogo, scilicet numerus, ordo, modus. Secundùm primam comparationem sumitur numerus, secundùm secundam ordo, secundùm etiam tertiam modus tradendi. Numerus ergò Decalogi est ex lege naturę respiciente statum naturæ corruptæ. Et secundùm hoc duplex est dictamen legis naturalis, vt dictum est: dictat enim duplex debitum, ad Deum, scilicet & ad proximum, qui est imago Dei. Dictamen naturæ debiti ad Deum, necessarium est triplici ratione: quia comparatur creatura ad Deum tanquam ad suum principium seu causam efficientem, formalem, & finalem. Et ideò cum quilibet effectus debeat se suæ causæ; est primum debitum creaturæ ad Deum ratione causæ efficientis: secundùm ratione causæ formalis exemplaris: tertium ratione finalis. Primum est ratione vnitatis principij: secundùm ratione veritatis: tertiū ratione bonitatis. Et secūdùm hoc triplex dictamen naturæ accipitur triplex mandatum ordinans ad Deum. Primum, quod est de cultu, & adoratione, respicit vnitatem principij: quia debitum cultus, vel honoris respicit ipsam vnitatem, seu principium. Secundùm de reuerentia veritatis: quia debitum reuerentiæ respicit veritatē. Debitum aūt vacationis, vel sanctificationis respicit bonitatē: & penes illud sumitur tertiū mandatū de Sabbato: vt dictum est priùs. Dictat etiā natura debitum ad ipsam imaginem Dei, quæ est proximus: imago autem non habet debitum, nisi ab exemplari: aut ergò in imagine, quæ est proximus, erit debitum ratione vnitatis seu principij, vel ratione bonitatis, vel veritati, cuius est imago; quia homo imago est trinitatis: & iuxta ista debita sumuntur mandata ordinantia ad proximum. Debitum ratione principij est debitum honoris: & penes illud sumitur primum mandatum ordinans ad proximum, scilic. *Honora patrem,* &c. pater enim est principium filij: & ideò patri est istud debitum honoris principij. (Exod. 20.) Penes verò debitum, quod debetur proximo ratione veritatis, sumitur ratio illius mandati. Non falsum testimonium dices: seruanda enim est veritas quantum ad proximum; cùm sit imago veritatis, quæ est filius. Penes verò debitum sanctificationis, & amoris bonitatis sumuntur alia tria

man-

Ibidem. mandata, scilicet *non occides* debitum enim ratione bonitatis obligat non solùm ad sanctificandum, & ad amandum bonitatem in exemplari, immò etiam in imagine. Et illud debitum bonitatis quantum ad proximum triplex est: quia est bonum, quod respicit personam: & bonum, quod respicit speciem: & bonum, quod respicit sustentationem. Bonum, quod respicit personam; est vita proximi: & penes debitum illius boni sumitur illud mandatum, Ibidem. *Non occides*. Bonum, quod respicit speciem; est bonum multiplicationis speciei: & ad hoc concurrit ordinata coniunctio viri, & mulieris: & ratione debiti ordinis illius boni, quod est in propagatione speciei, sumitur hoc Deuter. 5. mandatum, *Non mœchaberis*. Bonum verò sustentationis, quod venit ex defectu naturæ; respicit approbationem: vnde ratio huius est appropriatio rerum necessariarum ad sustentandum naturam: & penes debitum illius boni Exod. 20. seruandi sumitur hoc mandatum, *Non furtum facies*. Vnde sicut debitum Deo est ratio principij veritatis bonitatis: sic triplex istud debitum imagini: & circa hoc sumuntur ista mandata.

¶ Qvia verò natura corrupta facta est prona ad malum: sunt autem quædam mala, quæ videntur licita ratione alicuius necessitatis: quædam secundùm se sunt mala, & prona ad vtraque: ideò lex respiciens naturam corruptam non solùm manifestauit mala secundùm se, sed etiam mala occulta, quæ videntur licita: quæ quidem sunt decipientia sub specie necessitatis: & ideò expressit de illis, & prohibuit ea. Hæc autem sunt concupiscentia vxoris alienæ, & concupiscentia possessionis alienæ. Mirabiliter enim fit concupiscentia prona ad istas concupiscentias propter duplicem miseriam, in quam cecidit per peccatũ, scil. propter miseriam, & propter corruptionem siue mortem. Quia enim cecidit in corruptionem, valdè appetit saluari in alio per generationem: quia verò cecidit in defectum vitæ & languoris: ideò appetit valdè, vt sustentet se: & ideò fit duplex prohibitio voluntatis, scil. circa appetitum multiplicationis speciei, qui est appetitus generatiuæ: & circa appetitum rei alienæ propter sustentationem. actus autem istarum concupiscentiarum prohibentur tanquam mala secundùm se: & manifesta in duobus præceptis. Et sic ex lege naturæ respiciente naturam corruptã, est sufficientia numeri in Decalogo.

¶ Ad rationes ergò dicendum: quod tot sufficiunt secundùm naturæ dictamen: nec est aliquod genus debiti, quod non contineatur hic.

¶ Sed quod obiicit, quod hic debet prohiberi concupiscentia honoris vel excellentiæ, seu superbia vitæ. Dicẽdum, quod in omni actu prohibetur, vel præcipitur sua voluntas. De illis tamen concupiscentijs erat necessaria prohibitio expressa, quæ poterant decipere sub specie necessitatis: hæ autem erant duæ, scilicet concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum: sed non ita est de superbia vitæ: & ideò non fuit necesse, quod expresè prohiberetur.

¶ Ad illud, quod obiicitur de ira. Dicendum, sicut dicit, Damas. Damas. *Ira est audax vindex læsæ concupiscentiæ*: & sic ira est motus sequens concupiscentiam. Quia si probetur homo à concupiscentia, statim irascitur: & ideò in concupiscentia prohibetur ira: quia ratio irascendi est à concupiscentia: quia ergò hic prohibetur concupiscentia, ideò & ira in hoc prohibetur & insinuatur. Ratio verò prohibitionis expresse cõcupiscentiæ est, occultatio mali sub specie necessitatis.

¶ Ad aliud de occisione. Dicendum, quod in ipso actu Exod. 20. occidendi prohibetur ipsa intentio, vel voluntas. Vnde cùm dicitur, *Non occides*, non solùm prohibetur iniustè occidere, sed etiam voluntas iniustè occidendi, quæ semper est mala. Vnde propriè non potest dici, quod iudex habet intentionem occidendi: immò intentionem conseruandi iustitiam, & conseruandi rempublicam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quare non prohibetur inordinatio hominis ad seipsum. Dicendum quod in ordine hominis ad Deum & ad proximũ, intelligitur ad seipsum. Vnde mandatum ordinans ad se hominem, colligitur ex his quæ ordinant hominem, ad Deum, & ad proximum. Vnde ille, qui polluit seipsum; facit contra mandatum sanctificationis secundùm ordinẽ ad Deum: & contra illud. *non mœchaberis*, quod est ad proximum: quia opere carnis non debet aliquis vti non sua: vnde si aliter facit, præuaricator est præcepti, *Non mœchaberis*. Similiter, ille, qui mentitur contra se, facit contra debitũ veritatis ad Deum, & ad proximum. Et sic in istis intelligitur ordo ad se. Vnde sicut non est aliquod mandatum de dilectione sui; quia in dilectione Dei & proximi intelligitur dilectio sui: sic non debet esse hic. Ibidem.

¶ Ad aliud dicendum, quod prohibitio de detractione habetur in prohibitione furti: præceptum enim illud. *Non furtum facies*, est de adiunctis ad esse personæ: & ab hoc habet rationem illud prẹceptum: quia (sicut dicitur. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*. Fama autem est de adiunctis ad esse personæ ideò prohibitio infamiæ vel detractionis ad illud præceptum reducitur. Ibidem. Prou. 20

¶ Ad illud, quod obiicitur de malo ex radice, quare non prohibetur ibi. Dicendum, quod prohibitio mali ex radice, sicut est ieiunium hypocritarum; quantum ad rationem præcepti reducitur ad præceptum de Sabbato: quod quidem est, ad hoc, vt anima cõuertatur ad bonum superius, id est Deum, & non ad inferiora propter se: & ideò per illud, quod habetur quantum ad rationem præcepti, habetur prohibitio huiusmodi. Forma autem seu expressio præcepti Euangelio reseruatur: & hoc, quia malum illud est solùm malum interius: secundùm autem formam legis non debet esse expressio talis mali: sed eius expressio Euangelio reseruatur, præter quam de duabus concupiscentijs, quæ dictæ sunt: & hoc propter dictam causam. Et per ista patet solutio ad omnia argumenta.

¶ Consequenter quæritur de differentia assignationis numeri Decalogi: quia à diuersis diuersimodè assignatur. Ad quod sic, *Decem mulieres in vno clibano coquent panes*. Esicius dicit in Gloss. *Decem mandatorum literam custodire & impleri, dignum est*. Ex quo obiicitur sic. Si illud dignũ est, hoc etiam dictat natura: sed mandatum de Sabbato non debet impleri secundùm literam: ergò non est de decem mandatis Decalogi. Et hoc est etiam, quod subdit in glos. *Nec mandatum Sabbati cõtrarium est: quamuis enim decem mandatu misterium sit; non tamen ex illo est: quomodo ergò sunt decem mandata?* Et dicit. *Si autem speciale mandatum ponimus. Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra AEgypti*, &c. perfectum decem mandatorum numerum inueniemus. Hoc ergò est vnum mandatum secundùm Esichium: & non mandatum de obseruatione Sabbati. Quæst. collateralis. Leuit. 26 Glossa. Esich. hic. Idem. Exod. 20.

¶ Item, Hieron. *Propter duas iniquitates*. Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi præcepta, in quibus dicitur. *Ego sum Dominus Deus tuus: & Non erunt alij tibi dij præter me*: ergò ista sunt duo mandata Decalogi. Hieron. sup. Ose 10.

¶ Ad oppositum August. *Quæritur, quomodo decem præcepta legis sunt diuidenda: verum sunt quatuor vsque ad præceptum de Sabbato, quæ ad Deum pertinent: sex autem reliqua, quorum primum est. Honora patrem tuam & matrem, quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sunt, & ista septem? Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, Non erunt tibi dij alij præter me*: vt aliud præceptum sit, *Non facies tibi idolum*, &c. *vbi figmenta colenda prohibentur*, &c. *Et respondet: mihi autem conuenientius videtur accipi illa tria, & ista septẽ: quia & Trinitatẽ videntur illa, quæ ad Dñi pertinent, insinuare; & quod dictũ est, Non erũt tibi alij dij præter me; hoc ipsum perfectius explicatur, cùm prohibentur figmenta colenda*. Augu. ergò ponit primum esse mandatum, *Non habebis deos alios*: & illud, *Non facies tibi sculptile, neq; adorabis vllam similitudinem*: ponit totũ vnum esse mandatum: ergò non sunt duo mandata, sicut posuit Hieron. Nec illud *ego sum*, &c. est primum mandatum, sicut posuit Esichius. August. sup. Exo. Exod. 20.

¶ Sed contra huius dicit Origenes. Exod. 22. in Gloss. primum mandatum, *Non erunt tibi dij alieni præter me*. Et sequitur, *Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem*, &c. Hæc omnia simul putant quidam vnum esse mandatum: quod si ita computetur non complebitur numerus decem Origen. Exod. 22. in Glossa

mandatorum. Et ergo primum mandatum, *Non erunt tibi dij alieni, præter me:* secundùm. *Non facies tibi idolum, nec vllam similitudinem*, &c. Ergò secundum ipsum erunt, vel sunt quatuor mandata in prima tabula: & sex in alia: secundùm verò Augu. solùm tria, quæ Trinitatem videntur minuere.

Augus. in quæst. Veteris & Noui Testamenti.

¶ ITEM, August. videtur esse contrarius sibiipsi, quia dicit, *in duabus tabulis decem sensus sunt:* deinde dicit, *Non sint tibi dij alieni, præter me:* primum verbum hoc est, Et subiecit, *Non facies tibi vllam similitudinem in cælo sursum, & in terra deorsum: neque in aqua, quæ est sub terra.* Deinde adiecit tertiò, *Non assumes nomen Dei tui in vanum: hoc est, non in mendacio nomen Dei tui assumas, vt peieres per illud:* Deinde quartò loco dicit: *Sabbatum Domini Dei tui seruabis: & non facies in illo vllum opus seruile.* Hæc quatuor verba ad Deum propriè pertinent, & in prima tabula continentur. Secundùm hoc ergò contrariatur sibi quantum ad mandata primæ tabulæ: quia dixit in auctoritate prima, quod tantum sunt tria. Similiter dicit illa esse vnum mandatum, *Non habebis deos alienos: & non facies tibi sculptile*, &c. hic autem dicit illa esse duo.

Exod. 20.

Ibidem.

¶ SIMILITER quantum ad mandata secundæ tabulæ videtur sibi contrarius: quia in auctoritate præcedenti posuit duo mandata esse: *Non concupisces vxorem proximi tui*, Et, *Non desiderabis domum illius.* Contrarium dicit in Quæstionibus noui, & veteris Testamenti, in hac auctoritate: quia dicit consequenter. Reliqua hæc sunt: primum verbum est, *Honora patrem & matrem:* secundum, *Non occides:* tertium, *Non fornicaberis:* quartum, *Non furaberis:* quintum, *Non falsum testimonium dices:* sextum, *Non concupisces quicquam proximi tui.* Ergò contrariatur sibi quantum ad numerum, & quantum ad distinctionem mandatorum secundæ tabulæ.

Idem August. in iisdem.

¶ ITEM, secundùm Origenem, qui ponit quatuor mandata in prima tabula; sunt vnum mandatū. *Non concupisces vxorem:* Et, *Non desiderabis domum.* Secundùm autem August. in Gloss. super Exod. 20. sunt duo alioquin non essent septem in secunda. Vnde dicit. *Decreuisse vid. ss. concupiscentiam vxoris alienæ à concupiscentia rei alienæ, quando vtrunque sic cœpit. Non concupisces vxorem proximi tui:* Et, *Non concupisces domum proximi tui: & huic adiunxit cætera. Non autem cùm dixisset: Non concupisces vxorem proximi tui. huic annexit alia dicens, domum eius neque agrum eius*, &c. sed omnia apparent hæc esse coniuncta, quasi vno præcepto contenta; & discreta ab illo, quo vxor nominata est.

Origen.

August. sup. Exo.

¶ QVÆRITVR ergò quis verius dixit: vtrum Origenes, an Augustinus. Ad quod sic: præcepta non distinguuntur, nisi aut secundùm materiam, aut secundùm formam. Penes quod ergò assignauit August. differentiam: & penes quid Origenes? Si dicatur, quid Origenes facit differentiam secundùm materiam; quod patet; quia ponit duo esse præcepta. *Non habebis deos alienos.* Et, *Non facies tibi sculptile:* & hæc non est differentia nisi secundùm materiam: hic enim prohibetur duplex idololatria: vna, qua adoratur creatura vt Dominus, sicut quidam adorant solem, & lunam, &c. alia, quæ non habet creaturam vt Deum, sed habet figmentum & imaginem Dei, & istam adorat: & hæc non est differentia nisi penes materiam. Sed si sic, cùm ergò hoc quod dico, *Non concupisces vxorem proximi tui*, & hoc quod est, *Non desiderabis domum illius*, &c. differant secundùm materiam: ergò debent esse duo mandata secundùm Origenem: ergò malè posuit illa esse vnum mandatum. Similiter si dicatur, quod Augustinus diuidit præcepta penes formam: & hoc patet per hoc, quod ponit ista esse vnum mandatum, *Non habebis deos alienos.* Et, *Non facies tibi sculptile*, &c. propter quod eadem est ratio formalis vtrobique. Cùm ergò eadem sit ratio formalis in istis, *Non concupisces vxorem*, Et, *Non desiderabis domum*, ergò secundùm ipsum: August. deberet esse vnum mandatum: ergò malè ponit illa esse duo, vt visum est.

Deuter. 5.

Exod. 20.

Deuter. 5

Exod. 20.

¶ ITEM, videtur quod Origenes dicit verum, ponendo duo esse mandata. *Non habebis deos alienos.* Et, *Non facies sculptile* & August. falsum, dicendo contrarium. Quia duplex est idololatria: vna, quæ habet creaturam vt Deum: alia, quæ habet figmentum vel imaginem Dei, quam adorat. Si ergò ratio differens est, qua creatura vt Deus adoratur, & qua figuratur Deus: & non solùm secundùm materiam differens, immò etiam penes formam: ergò ista sunt duo mandata formaliter: cùm in primo prohibeatur prima idololatria, in secundo secunda.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod multipliciter contingit assignare distinctionem & numerum Decalogi. Vno modo respiciendo distinctionem inscriptione, hoc est, sicut scripta fuerunt in tabulis lapideis. Alio modo potest esse distinctio respiciendo formam præcepti. Tertiò modo quantum ad rationem præcepti. Et hoc dupliciter: vel quantum ad rationem materialem: vel quantum ad formalem. Illi ergò, qui respiciebant distinctionem primò modo; dixerunt, quod quinque erant in vna tabula, quinque in alia. Et probant istud per illud, quod dicit Apostol. vbi annumerantur solùm quinque; quæ sunt vnius tabulæ: cùm dicit. *Qui diligit proximum, legem impleuit:* nam, *Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces*, &c. Et sic respexit Iosephus distinctionem mandatorum Decalogi: qui dicit: quinque erant in vna tabula, quinque in alia. Rom. 13.

¶ ESICHIVS autem respexit distinctionem mandatorum secundùm formam præceptorum: vnde quia vidit, quod Sabbatum habet significantiam, & figurale est, & cum determinatione temporis: & vidit alia præcepta Decalogi stare, & perpetua esse, & seruanda secundùm omne tempus: ideò dixit, quod præceptum de Sabbato non erat de illis: solùm respiciens formam mandati prædictam. Sed distinguit tria præcepta in prima tabula ordinantia ad Deum; & remouet Sabbatum sic, secundùm triplicem actum latriæ. Quia colimus Deum corde: & secundùm hoc sumitur primum mandatum scilicet hoc. *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. *Non habebis deos alienos:* item colimus Deum per reuerentiam in opere: & secundùm hoc sumitur illud secundùm mandatum, *Non facies tibi sculptile:* item colimus in ore: & sic sumitur tertium mandatum, quod est, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Deuter. 5.

¶ ORIGENES verò respicit rationem materialem præceptorum. Sed est materia triplex: scilicet materia naturæ, & materia artis: & materia rationis. Secundùm materiam naturæ & artis distinxit primum, *Non habebis deos alienos*, à secundo, quod est, *Non facies tibi sculptile*, Et hoc quod dicit. *Ego sum Dominus Deus tuus*, non est præceptum, sed ratio præcepti quare Deus debet adorari. Differunt enim prædicta duo illo modo: quia duplex est idololatria: vna, qua adoratur creatura vt Deus; & hoc prohibetur in primo mandato, *Non habebis deos alienos*, alia, qua adoratur figmentum, sicut est in sculptili; & hoc prohibetur in illo, *Non facies tibi*, &c. Vnde idololatria est in materia naturæ; & hæc prohibetur in primo: idololatria in materia artis, sicut in figmento vel imagine, prohibetur in secundo. Secundùm verò materiam rationis respicit & distinguit in secunda tabula: sicut diximus; quòd genus est materia speciei. Et quia est eadem materia rationis in duobus præceptis de concupiscentijs, quia scilicet vtrobique vnum genus: ideò dixit illa esse vnum mandatum. Et secundùm assignationem Origenis quatuor sunt mandata in prima tabula: vnam est de reuerentia veritatis essentiæ: hoc scil. *Non habebis deos alienos.* secundum est de reuerentia maiestatis, quæ appropiatur Patri, scil. hoc, *Non facies*, &c. Tertium est de reuerentia veritatis qua appropriatur Filio scilicet hoc, *Non assumes*, &c. Quartum, quod est de sanctificatione Sabbati: est de reuerentia & sanctificatione bonitatis, quæ appropriatur Spiritui sancto. Et sic secundùm ipsum patet distinctio. Ibidem

¶ AVGVSTI. autem respexit rationem formalem præceptorum. Et quia secundùm triplex debitum se habet creatura ad Deum: ideò in prima tabula tria sunt mandata secundùm ipsum: & dicit vnum mandatum esse. *Non habebis deos alienos:* Et, *Non facies tibi sculptile:* formaliter enim non differunt: vnde dixit in Gloss. super illud. Exod. 20. vbi dictum est. *Non erunt tibi dij alieni præter me.* Patet huius rei diligentem executionem esse in his, quæ subiecta sunt: Deuter. 5. Exod. 20

quò

quòd enim pertinet, *Non facies tibi idolum*, nec vllam similitudinem, &c. nisi ad id, quod dictum est, *Non erunt tibi dij alieni præter me*? Similiter præcepta secundæ tabulæ considerat secundùm rationem formalem. Non concupiscere autem vxorem, & non cõcupiscere possessionem; non solùm differunt materialiter, sed etiam formaliter: quia ad vim aliam pertinet concupiscentia carnis, quæ est concupiscentia vxoris: & concupiscentia oculorum, quæ est cõcupiscentia possessionis alienæ. Prima enim pertinet ad vim generatiuam: secunda ad vim sensitiuam: & ideò ponit duo mandata de illis concupiscentijs. Et propter hoc patet solutio cuiusdam rationis, quæ ostendit: quod secundùm August. non debent hic poni duo esse mandata. Et per hoc etiam habetur intellectus rationum, & contrarietatum apparentium.

August. in quæst. Veteris & Noui Testamenti. ¶ Sed quod obiicitur: quod August. contrariatur sibi, per hoc quod dicit: Dicendum, quod August. aliquando loquitur secundùm opinionem propriam: & sic loquitur in gloss. super Exod. 20. vbi dicit, quod tria primæ tabulæ Trinitatem videntur insinuare. Aliquando verò loquitur secundùm opinionem alienam: & sic loquitur in Quæst. veter. & nou. Testament. vnde multotiens loquitur secundùm opiniones aliorum, narrando quod alijs dixerũt.

Idem.

ARTICVLVS IV.

An recto ordine ordinata sint Decalogi præcepta?

HOc habito, quæritur de distinctione Decalogi quãtum ad ordinem. Ad quod sic obiicitur quærendo: cùm sint quædam præcepta ex parte cordis, quædam verò ex parte operis: vt dictum est: quæritur, quæ sint priora naturaliter? Si dicatur; ea, quę cordis, naturaliter priora sunt: ergò inconueniens est ordo in secunda tabula: quia ibi ordinantur vltimò mandata ex parte cordis, sci. quæ sunt de concupiscentijs, primò autem operis mandata. Si dicatur, quod priora sunt naturaliter ea, quæ operis sunt: ergo inconueniens est ordo in prima tabula: quia primò ponuntur mandata ex parte cordis, & oris: vltimò mandata ex parte operis: ex quo videtur, quod nullus sit ordo in Decalogo.

¶ Item, vniuersaliora sunt præcepta negatiua, quam affirmatiua: quia negatiua obligant semper & ad semper, affirmatiua verò semper, sed non ad semper. Ergò priùs debent poni prohibitiones, quæ negatiuæ sunt; quam præcepta affirmatiua, ergò malè ordinatur in secunda tabula præceptum de honore patris ante alia, quæ negatiua sunt.

Exod. 22. ¶ Item, Exod. 22. sic ordinat mandata de concupiscẽtijs: quod priùs ordinatur prohibitio concupiscentię domus vel possessionis proximi, deinde prohibitio concupiscentiæ vxoris proximi. In Deuteronomio verò facit econuersò: ergò vel hic vel ibi malè ordinat.

¶ Item, concupiscentiæ, quæ sunt de rebus eiusdem naturæ, debent simul ordinari: quæ autem sunt rerum diuersæ naturæ, debent inuicem distingui, & non commisceri: ergò prohibitio concupiscentiæ possessionum debet

Exod. 20. simul ordinari: ergò malè interponit. Exod. 20. concupiscentiam vxoris, quæ est rei alterius naturæ, inter concupiscentiam domus, & concupiscentiam agri, serui, ancillæ, bouis, & asini: cum domus, bos, & asinus, &c. ad possessionem pertineant; vxor autem non.

¶ Ivxta hoc quæritur: vtrum ordo præceptorum, qui est in prima tabula; sit ratio ordinis præceptorum in secunda? Et ostenditur quod sic: quoniam præcepta primæ tabulæ pertinent ad Deum, vel ordinant: præcepta autem secundæ ordinant ad imaginem Dei, quæ est proximus. Sed non est ordo in imagine, nisi sicut educitur ab exemplari: ergò est ordo in præceptis secundæ tabulæ, quæ ordinant imaginem Dei, secundùm ordinem seu rationem ordinis, qui est in prima tabula.

¶ Item, ratio diligendi proximum est à dilectione Dei (Non enim diligitur proximus, nisi quia imago Dei) debita pertinentia ad dilectionem proximi, quæ sunt secundæ tabulæ; debent ordinari secundùm debita pertinentia ad dilectionem Dei, quæ sunt primæ tabulæ. Ordo igitur, qui est in prima tabula; est ratio ordinis, qui est in secunda tabula.

RESOLVTIO.

Si ordo Decalogi sumatur per comparationem ad legem gratiæ, ad quam quidem manifestandam ordinatur, recto ordine ordinata esse illius mandata comperietur.

¶ Solutio. Dicendum, quod ordo Decalogi sumitur per comparationem ad legem gratiæ, ad quam manifestandum ordinatur Decalogus: ideò secundùm hãc comparationem dicitur Testimonium: vnde secundùm quod magis manifestat & testificatur illam; ordinantur eius mandata. Lex gratiæ est lex fidei, de qua habetur, Rom. 3. Rom 3.
Vbi ergò est glorificatio tua? exclusa est. per quam legem? factorum: non, sed per legem fidei. Lex autem fidei respicit fidem Trinitatis in Deo & fidem assumptæ humanitatis à Deo. Ordo in prima tabula est secundùm ordinem fidei trium in se; sic. Pater enim est principium Filij, & vterque est principium Spiritus sancti, qui ab vtroque procedit: Pater ergò est principium ad alias personas. Primum ergò mandatum quod est de adoratione est de honore Patris ratione principij: secundùm verò est de honore, qui debet exhiberi ipsi sapientiæ vel veritati: quæ appropriatur Filio: tertium respicit conformationem ad scilicet, vnde respicit honorem sanctificationis Spiritus sancti: quod significatur per Sabbati sanctificationem. In secunda verò tabula est ordo secundùm ordinem Trinitatis, comparando ad imaginem: quia debitum est ad proximum ratione huius, quod est imago Trinitatis: & cùm hoc est ille ordo cum fide humanitatis assumptæ. Ratio ergò paterni honoris imaginata, quæ est ratione principij, est ratio ad primum præceptum secundæ tabulæ, quod est de honore Patris. Penes autem rationem filialis honoris, qui est honor veritatis, cum fide humanitatis assumptæ sumuntur alia quatuor præcepta. Ratio verò imaginata honoris Spiritus sancti & sanctificationis eiusdem, est ratio ad duo vltima mandata, quæ sunt de concupiscentijs. De primo istud planum est, quod Pater habet in se rationem principij: & ideò honorandus à Filio: ideò ratio paterni honoris imaginata, quæ erat in primo: est ratio ad illud mandatum, qui honor erat ratione principij: ideò primò ordinatur istud præceptum. Ratio autem filialis honoris est ratio ad alia quatuor, hoc modo: quia Filius Dei Deus est homo: quia verò Filius Dei Deus est, veritas est, & impenditur ei honor ratione veritatis ad proximum, qui est imago Filij Dei, qui veritas est: & penes illud debitum sumitur istud mandatum. *Non falsum testimonium dices.* Ratione autem huius, quod Filius Dei homo est, coassumpta humanitate; & ratione fidei illius sumuntur tria: ratione enim humanitatis assumptæ efficitur proximus conformis ipsi Filio Dei in natura assumpta: & ratione huius conformitatis teneor ei & debeo seruare ipsam naturam, & ea quæ faciunt ad multiplicationem istius speciei vel naturæ: sicut est ordinata viri coniunctio cum muliere, quæ est in Matrimonio: & conseruare etiam ipsa adiuncta proximo ad sui sustentationem: & sic secundùm triplex debitum se habet homo ad proximũ ratione humanitatis assumptæ à Christo. Penes primum debitum sumitur illud mandatum, *Non occides*: penes secundùm sumitur illud, *Non mœchaberis*; quia mœchia est contra ordinatam coniunctionem viri & mulieris: penes verò tertium debitum sumitur illud mandatum, *Non furtum facies*, quia furtum est contrectatio rei alienæ. Ratio autem honoris & sanctificationis Spiritus sancti est ratio ad duo vltima mandata de concupiscentia; quia concupiscentię istę maximè vexant animam, & auferunt quietem: & ideò ratio prohibitionis istarum concupiscentiarum est à ratione mandati de Sabbato: quia mandatum illud est de quiete animæ in Spiritu sancto. Non ordinantur ergò præcepta secundùm has differentias, *affirmatiuum & negatiuum*, sed secundùm quod ducunt ad gratiam. Et quia humanitas priùs ducit in gratiam & manifestationem gratiæ,

Exod.

quam diuinitas; quia per humanitatem venimus in cognitionem diuinitatis; ideò illa tria præcepta, in quibus est ratio debiti à ratione debiti filialis honoris ratione humanitatis assumptæ, præcedunt istud, *Non falsum testimonium dices.* Similiter in illorum trium inuicem per iam dicta planus est ordo. Ibidem.

¶ Ad illud, quod obiicitur de contrarietate ordinis in Deut. & Exod. Dicendum, quod concupiscentia rerum seu opulentiarum aliquando mouet ad concupiscentiam mulieris; aliquando est econuersò: aliquando verò mixtæ sunt illæ concupiscentiæ. Cùm ergò lex nihil relinquat, quod pertineat ad salutem: vt significet, quod opulentia aliquando mouet ad voluptatem, vel concupiscentiam carnis, priùs ponit in Exod. mandatum de prohibitione concupiscentiæ rerum, sicut domus: deinde de concupiscentia mulierum. Quia verò Deut. est resolutorium legis, ideò facit econuersò. Et vt etiam ostendat, quod aliquando voluntas mouet ad rerum concupiscentiam: similiter etiam vt significet, quod sunt aliquando mixtæ istæ concupiscentiæ, interponit in medio concupiscentiæ rerum in Exod. mandatum de prohibitione cócupiscentiæ mulieris. Et per dicta soluuntur omnia obiecta.

ARTICVLVS V.

An ritè tradita sint Decalogi præcepta? puta quædam affirmatiuè, quædam negatiuè? alia indicatiuè, alia imperatiuè, & huiusmodi.

POST hæc quæritur de distinctione Decalogi quantum ad modum trahendi. Quæritur ergò primò: vnde hoc, quod quædam sunt præcepta affirmatiua, quædam negatiua; quare non omnia negatiua, vel omnia affirmatiua.

Exod. 20 ¶ ITEM, primo præcepto primæ tabulæ tria adduntur, scilicet, ratio, comminatio, promissio. Ratio cùm dicit, *qui eduxit te.* comminatio, per hoc quod dicit, *visitans iniquitatem patrum in filios.* promissio, per hoc quod dicit, *faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me,* &c. Sed nó inuenitur quòd hæc tria addantur alijs: quæritur ergò vnde hoc?

¶ ITEM, secundo præcepto additur comminatio: quare non similiter, ratio, vel promissio? Dicitur enim, *Non habebit insontem, qui assumpserit nomen eius frustra.*

¶ ITEM, tertio additur sola ratio: dicitur enim, Sex diebus operatus est Deus, in alijs non: Vnde hoc?

¶ ITEM, in primo præcepto secundæ tabulæ ponitur promissio: cùm præcipitur de honore patris, *vt sis longæuus super terram,* quæritur ergò, vnde hoc?

¶ ITEM, quædam præcepta dicunt indicatiuè, quædam imperatiuè. Præcepta affirmatiua dicuntur imperatiuè: vnde in tertio mandato primæ tabulæ dicit. *Memento,* &c. & similiter in primo secundæ. *Honora patrem,* &c. Negatiua autem dicuntur indicatiuè: quæritur vnde hoc.

¶ ITEM, in aliquibus est prohibitio actus, & affectus seu voluntatis: in aliquibus non (dico secundùm formam & modum trahendi præcepta) quæritur ergò vnde hoc?

RESOLVTIO.

Habeatur collatio ad legem fomitis, ad quam profectò coërcendam, & reprimendam datus est Decalogus: & omnia rectè tradita fuisse percipies.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod Decalogus habet comparationem ad legem fomitis coërcendam, & reprimendam: & penes istam comparationem accipitur modus tradendi præcepta Decalogi: sicut dictum est à lege enim fomitis pronitas est, ad quam coërcendá datur lex. Hæc auté pronitas triplex est ex fomite: vna est ex defectu naturæ: alia est ex corruptione naturæ: tertia ex consuetudine. Hæc enim triplex pronitas ad malum est ex fomite: quia feruor concupiscentiæ fomitis contingit, vel ex pronitate inflicta: sicut est illa, quæ est ex defectu naturæ: vel ex pronitate contracta, quæ scilicet est ex corruptione naturæ: vel acquisita, quæ scilicet est ex consuetudine.

Prima pronitas respicit necessaria: vnde ab illa pronitate est appetitus inordinatus necessarij ad multiplicationem naturæ, & ad sustentationem. Hæc autem pronitas facit modum differentem secundùm affectum & actum. vnde secundùm hanc est differens prohibitio affectus, & actus: & hoc est, quia natura propter defectum suum & miseriam vitæ habet compulsionem ad supplendum suum defectum, & quò ad multiplicationem, & quò ad sustentationem: & quia mirabiliter est appetitus & inclinatio naturæ ad ista; ideò pronitas ista facit, quod in quibusdam prohibetur affectus & actus. Pronitas autem [illegible] ex corruptione naturæ respicit præter necessarium * vel superfluum: vnde ab ista pronitate est appetitus inordinatus præter necessarij, vel superflui: & ex hoc est natura prona ad committendum malum, & omittendum bonum. Et ideò pronitas ista facit differentem modum in præceptis secundùm istas differentias, affirmatiuum, negatiuum, indicatiuum, imperatiuum. Ex illa parte, qua est pronitas ad committendum malum, venit negatiuum: prohibitio et est contra commissionem. Et hoc patet in mandatis ordinantibus ad Deum, & ad proximum: vbi enim est pronitas ad committendum malum contra Deum per contemptum, occurrit lex negatiuè: vbi verò est pronitas ad omittendum bonum, quod ordinat ad Deum, occurrit lex affirmatiuè. Similiter est in mandatis ordinantibus ad proximum: vbi est omissio, est affirmatiuum: contra commissionem negatiuum. Et quia commissio videtur damnabilis, sed non omissio populo duræ ceruicis, sicut erant Iudæi: ideò in mandatis, quæ sunt contra bonum omittendum, ponit imperatiuum: vt ostendat quod damnabile est omittere bonum: & quod ex debito tenemur ad non omittendum. Tertia verò pronitas est ex consuetudine, vel conuictu: & ex hac pronitate est additio comminationis rationis, & promissionis ad mandata. Hæc autem pronitas quadruplex erat in Iudæis: erant enim ex consuetudine proni ad errorem & idololatriam, secundùm quod habetur Osee 2. *Argentum multiplicaui eis & aurum, quæ fecerunt Baal:* item proni erant ad contemptum Dei, secundùm quod habetur Esaiæ 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me:* item erant proni ad obliuionem Dei, secundùm quod habetur Deuter. 32. *Oblitus est Domini Creatoris sui:* item erant proni ad auaritiam. Matth. 15. habetur quod ipsi transgressi sunt mandatum Dei de honore patris & matris, per auaratiam suam: quia fecerant traditionem, ne filij succurrerent parentibus, nec eos honorificarent muneribus, nec sustentarent: ad quod inducebat eos auaritia: vnde dicit ibi. *Munus quodcunque est ex me,* &c. Ad ista ergò quatuor proni erant ex consuetudine, vel conuictu. In illo mandato, quod est contra errorem, addidit tria, scilicet rationem ad mouendum intellectum, comminationem & promissionem ad mouendum affectum: sed differenter, quia mouetur affectus amore, vel timore: comminatio ergò est ad mouendum affectum timore, promissio est ad mouendum affectum amore: & quia primum mandatum primæ tabulæ erat contra errorem; ideò addit ei illa tria. Secundùm verò mandatum, scilicet, *Non assumes,* est contra contemptum: contemptus autem Dei per comminationem coërcetur, ideò illi mandato additur comminatio. Tertium verò mandatum est contra Dei obliuionem: contra verò obliuionem debet homo excitari ratione: & ideò illi mandato additur ratio; hac de causa dicit, *Memento,* quasi dicat, habeas in memoria hæc, ne tradas obliuioni, &c. Et hæc pertinent ad Deum. Pronitas autem ad auaritiam erat respectu proximi, seu contra proximum: & ideò mandatum contra auaritiam est de secunda tabula, scilicet primum. *Honora,* &c. contra verò auaritiam tollendam nihil plus valet, quàm promissio: & ideò illi mandato, *Honora patrem,* additur promissio, &c.

Margin: * Alias, & — Osee 2. — Esaiæ 1. — Deuter. 5. — Matth 15. — Ibidem. — Exod. 7. — Exod. 20. — Ibidem.

¶ PER hæc patet solutio omnium obiectorum.

QVÆSTIO XXX.

De primo præcepto Decalogi.

In tria Membra & sex Articulos diuisa.

D. Tho. q 84 & par. 3. q. 25. S. Bonauen. in d 9. Scot. ibidem.

POSTQVAM inquisitum est de Decalogo in generali: restat nunc inquirere in speciali de quolibet eius præcepto ordinatim. Et primò de primo, quod est de Adoratione. Circa quam, vt planior sit certè inquisitio, quæram tria. Primò de adoratione Dei. Secundò de adoratione Christi. Tertiò de adoratione creaturæ.

MEMBRVM. I.

De adoratione Dei.

CIRCA autem adorationem Dei quæruntur plura. Primò, quomodo dicatur adoratio Dei. Secundò, quæ sit ratio diuinæ adorationis. Tertiò de vnitate & differentia diuinæ adorationis.

ARTICVLVS I.

Quomodo dicatur diuina adoratio.

PRIMÒ igitur quæritur, quomodo dicatur adoratio diuina, hoc modo. Primò, an dicatur vniuocè adoratio de latria & idololatria. Secundò, an dicatur vniuocè adoratio, quæ est latriæ & duliæ. Tertiò, an dicat adoratio actum interiorem, vel exteriorem?

An adoratio vniuocè dicatur de latria, & idololatria? §. 1.

¶ QVANTVM ad primum ostenditur, quod adoratio dicatur vniuocè de latria & idololatria. Ad quod sic: appetitus beatitudinis, cùm est secundùm veritatem directus, & cùm per errorem est indirectus; non dicitur æquiuocè, sed vniuocè: nec ipsa beatitudo cùm appetitur secundùm veritatem, & secundùm errorem: ergò similiter cultus Deo exhibendus, cùm exhibetur secundùm veritatem ab anima fideli, & cùm exhibetur per errorem ab idololatria; non erit cultus æquiuocè dictus, sed vniuocè: igitur adoratio vniuocè dicitur de latria & idololatria. Maior patet, quia cùm appetitur beatitudo secundùm veritatem, ita quod appetitus directus est, vbi est beatitudo; & cùm appetitur per appetitum indirectum per errorem, vbi beatitudo non est; sicut appetunt eam errantes, qui quærunt beatitudinem in diuitijs temporalibus, delitijs, & honoribus: eadē est ratio vtrobique, id est, ratio summi boni, quæ mouet vtrumque appetitum: vterque enim summum bonum considerat: & summum bonum mouet vtrumque: ergò similiter cùm sit eadem ratio cultus & adorationis in fideli & in idololatra, scilic. ratio diuini numinis.

¶ ITEM, ponatur quod aliquis intendat emere argentum, & emat stannum: alter intendat emere argentum, & emat argentum: non est æquiuoca intentio in vtroque; licet vnus fallatur, alter non: materia enim non diuersificat intentionem, sed finis: & ita cum idem sit finis istorum, qui intendunt emere argentum: patet quod vnica est eorum intentio. Ergò similiter in latria & idololatria: cùm in vtraque intendat adorare anima numen Dei, siue diuinum: licet vnus adoret numen diuinum, alter non * qui fallitur: nec illud, quod adoratur, diuinum est.

* Alias, quia.

¶ ITEM, omnis cultus Deo debitus est latria: sed cultus idololatriæ est cultus Deo debitus: ergò idololatria est latria: ergò adoratio vniuoca. Maior plana est. Minor etiam patet: quia nihil aliud est idololatria nisi cultus Deo debitus, datus idolo.

¶ AD oppositum sic. Hoc nomen *Deus* dicitur nuncupatiuè, & essentialiter. Essentialiter dicitur de verò Deo: sed nuncupatiuè solum dicitur de idolo. Si ergò non dicatur vniuocè sic & sic, sed æquiuocè: ergò similiter diuinum dictū de idolo, & de verò Deo, non est vniuocum, sed æquiuocum. Sed *diuinum* consideratum vtrobique, est ratio adorationis: ergò ratio adorationis latriæ & idololatriæ æquiuoca est: & ita æquiuocè dicitur adoratio de latria & idololatria.

¶ ITEM, Rom. 1. *Qui mutauerunt veritatem Dei in mendacium.* Gloss. *Veritas Dei est gloria Dei*: veritatem Dei tenere est vnum Deum colere: veritatem in mendacium conuertere est creaturæ seruire pro Creatore: vera enim Religio in vnius constat veri Deo seruitio: ipsa namque veritas vnus est Deus: ipsa enim vna natura est naturaliter; vna est vera diuinitas: & ita non possunt duo veri dij veraciter dici: sicut ipsa veritas non potest naturaliter diuidi. Vnum itaque Deum colere, veroque Deo seruire, non est vtique veritatem Dei in mendacium commutare. Si ergò idololatra creaturæ seruit pro Creatore, commutat veritatē in mendacium: latria verò veritatem tenet: non ergò se habet vniuocè adoratio respectu latriæ & idololatriæ. Rom. 1. Glossa.

RESOLVTIO.

Adoratio æquiuocè dicitur de latria, & idololatria.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod nō dicitur vniuocè, nec per analogiam adoratio de latria & idololatria, sed æquiuocè: quia ratio ipsa mouens in vtraque adoratione æquiuoca est, scilic. numen diuinum secundùm veritatem, & secundùm existimationem. Vnus enim adorat numen diuinum secundùm veritatem: alter numen diuinum secundùm existimationem: hæc autem non vniuocantur: & ideò ratio adorationis vtrobique est æquiuoca.

¶ AD primam rationem in contrarium, scilicet, quod appetitus beatitudinis, cùm appetitur secundùm veritatem, & cùm appetitur secundùm errorem, non est æquiuocus. Dicendum, quod appetitus beatitudinis est duplex: quia potest esse appetitus naturalis voluntatis; & tunc est sub ratione communi ipsius beatitudinis: secundùm quod dicimus, quod beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus: & sic non æquiuocatur appetitus: & secundùm istum nunquam accidit error. Et alius appetitus, qui sequitur electionem: qui quidem est à ratione: & iste respicit rationem propriam. Circa istum accidit error & rectitudo: iste enim appetitus est in aliquid determinatum: & cùm ponit beatitudinem, vbi est, & appetitum, tunc rectus est: cùm verò ponit eam, vbi non est, scilicet in diuitijs, vel in delicijs: tunc errat: & iste appetitus est æquiuocus; quia ratio propria, qua appetitur bonum vbi est, & vbi non est; ratio æquiuoca est. Sic dico ex parte ista, quod appetitus naturaliter est in * reuerentiam & adorationem diuinam: iste appetitus accipit *diuinum* generali ratione, non ponendo hic vel ibi: & iste appetitus vniuocus est: & non est idololatriæ motus, sed voluntatis naturalis. Sed appetitus electionis, qui mouetur in reuerentiam & adorationem diuinam in ratione propria; iste errat, ponendo diuinum vbi non est: quia ponit diuinum extra suam propriam rationem: & propter hoc acceptio *diuini* æquiuoca est.

* Alias, venerationem.

¶ AD secundùm dicendum, quod si adoratio dicit motum secundùm inclinationem naturæ, seu appetitum naturæ, dico quod vniuocus est semper motus & isdem: immò iste semper est rectus, nec circa ipsum accidit error. Sed si dicit motum adorationis in re determinata, tunc est motus ille secundùm appetitum rationis electiuum: & iste motus non est vniuocus, nec idem est; quia respicit rationem propriam, quæ differens est, cùm ponitur diuinum vel summum vbi est, & vbi non est: alia enim est ratio *diuini* in Deo vbi est, & in creatura vbi non est: quia ibi ponitur extra propriam rationem.

¶ AD aliud dicendum, quod in illo argumento est fallacia accidentis: fit enim ibi distributio pro singularibus: sed non sumit pro eisdem numero, sed pro similibus. Vnde idololatria dicitur cultus Deo debitus; quia ibi fit generalle-

nuncxio, &c. quæ ſunt ſimilia his; quæ ſunt in cultu diuino latria: & ſic dicitur idololatria cultus Deo debitus per ſimilitudinem: quia ſcilicet eſt ſimilis cultui, qui Deo exhibetur: & ſic non pro eodem cultu aſſumit, ſed pro ſimili. Nam non poteſt eſſe idem numero: ſicut patet ex gloſſ. (Rom. 1.) Rom. 1. ſuper illud. *Qui commutauerunt in mendacium veritatem*, &c. Non poſſunt dici veraciter duo veri dij, ſicut ipſa veritas nõ poteſt naturaliter diuidi. Vnde illa adoratio qua adoratur Deus, nunquam dicitur vniuocè de aliqua alia re, & maximè de idolo: vbi veritas in mendacium commutatur, quando adoratur vt Deus.

An adoratio vniuocè dicatur de latria & dulia. §. 2.

¶ Secvndo quæritur, vtrum adoratio vniuocè dicatur de latria & dulia? Ad quod ſic: latria dicitur cultus ſoli Deo trino & vni debitus: dulia verò dicitur cultus vel reuerentia debita rationali creaturæ, ſuperiorem ordinem tenenti: ſicut eſt prælatus, Dominus, magiſter, & huiuſmodi. Sed eadem eſt adoratio, qua adoratur Deus, & creatura, ſuperiorem ordinem tenens: vt prælatus, & huiuſmodi: ergò adoratio vniuocè dicitur de latria & dulia. Minor patet per ſimile: videmus enim, quod eadem eſt dilectio vel amor, quo diligitur Deus & proximus: iſtud patet; quia dicendo, diligit Deus, diligitur proximus; idem eſt obiectum, & idem finis: diligere enim proximum eſt velle ei bonum ſummum. Ergò ſimiliter adoratio eſt eadem: quia adoratur Deus in proximo, inquantum eſt imago eius & ſimilitudo: vnde adoramus prælatos propter conformationem ad Deum in poteſtate, doctores propter conformitatem in ſcientia, vel ſapientia: viros ſanctos propter conformitatem ad Deum in bonitate (De proximo (Exod. 22.) habetur, Exod. 22. *Dijs non detrahes*, &c. & dictum eſt à Domino ad Moyſen. (Exod. 7.) Exod. 7. *Poſui te Deum Pharaonis*: de ſecundo in Ioan. 10. (Ioan. 10.) *Si illos deos dixit, ad quos Dei ſermo factus eſt*, de tertio habetur in Pſalm. 81. (Pſal. 81.) *Ego dixi dij eſtis*) Ergò adoratur proximus ratione conformitatis & participationis alicuius diuini. Ergò ſicut eadem eſt dilectio & vniuoca: ita eadem adoratio Dei & proximi: ergò vniuocè dicitur adoratio de Deo & de proximo.

¶ Ad oppoſitum. Adoratio debita Deo ſingularis eſt: & ei ſoli debita; & hæc dicitur latria. Ergò ſicut non eſt dicere de his, quæ ſingulariter de Deo, vel dicũtur; quod per analogiam conueniant creaturæ; nec etiam multò magis per vniuocationem; non erit ſimiliter dicere quod adoratio dicatur vniuocè, nec etiam analogicè de latria, quæ ad Deum pertinet; & de dulia, quæ pertinet ad proximum.

RESOLVTIO.

Nec vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè.

¶ Solvtio. Super illud Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: dicit Gloſſ. (Gloſſa.) Græcè λατρία latinè ſeruitus autem illa, quę communis eſt Deo & homini, & cuicumque, græcè dulia dicitur: illa verò, quæ ſoli Deo debetur, latria. Et ſumit Gloſſ. illa, *duliam*, extenſo nomine, *dulia*: ſecundùm ſcilicet, quam accipitur pro ſeruitute. *Dulia* enim in propria ratione eſt reuerentia facta ſuperiori creaturæ: ſecundùm quod dicit Glo. ſuper illud, Pſal. 98. (Pſal. 98. Gloſſa.) *Adorate ſcabellum pedum eius: quoniam ſanctum eſt.* Et dicit. *Non illa (dico) adoratione, qua latria eſt, qua ſoli creatori debetur; ſed illa, qua dulia dignior eſt. Dulia* enim adoratio eſt, quæ etiam creaturæ exhibetur; quæ duas habet ſpecies: vnam, quæ omnibus indifferenter: alteram, quæ ſoli humanitati Chriſti exhibetur. Propriè ergò ſumpto vocabulo, *latria*, eſt ſeruitus, quæ ſoli Deo debetur: dulia verò dicitur ſeruitus & reuerentia, quæ ratione alicuius doni & dignitatis excellentis debetur rationali creaturæ: propter quod etiam debetur ei adoratio. Dicendum ergò, quod nec vniuocè, nec æquiuocè dicitur adoratio latriæ & duliæ propriè ſumptæ: ſed analogicè: hoc eſt, per priùs & poſteriùs. Vnde propter hoc dicit Gloſſa illa, quod latria ſiue dulia, extenſo nomine eſt communis ſeruitus exhibita cuicunque: nõ dicit vniuoca, vel eadem; ſed communis: ſcilicet per analogiam, hoc eſt, per priùs & poſterius: hæc autem eſt ratio. Adoratio eſt veneratio, vel reuerentia exhibita ratione dignitatis ſuperioris & excellentis: & hoc per priùs & poſteriùs conuenit duliæ & latriæ: ſumma enim excellentia dignitatis eſt in Deo: & ratione illius debetur adoratio latriæ ipſi Deo. Excellentia autem dignitatis, quæ eſt in creatura rationali, non eſt ſumma; immò ab illa diuina, & ſub illa. & ad illam: & ratione iſtius dignitatis debetur creaturæ adoratio duliæ: ex hoc enim quod ſummum eſt in creatore, debet ei creatura ſummè: & ratione iſtius ſummi in creatore debet adorationem latriæ. Ratione verò dignitatis datæ à Deo creaturæ debetur ei dulia: non dignitatis, quæ ſumma ſit; ſed quæ ſub illa eſt, ratione cuius adoratur Deus.

¶ Ad rationem in contrarium dicendum: quod *Deus eſt α & ω principium & finis*: ſicut habetur Apoc. 1. (Apoc. 1.) Adoratio ergò reſpicit Deum, inquantum eſt principium ſuperiùs & excellens: vnde adoratio eſt motus in principium: amor verò eſt motus in ipſum ſicut in finem: ratio autem finis non mutatur, cùm dicitur; quod diligitur proximus: ſcilicet diligere ſummum bonum ipſi proximo. Similiter nec debitum mutatur: immò eadem ratione debeo dilectionem Deo, & proximo; quia in ſeipſo & in ſua imagine debeo diligere ſummum bonum. Sed cum adoratio ſit motus in principium, variatur ratio principij, qua adoratur Deus, & proximus: ſimiliter ratio debiti: quia Deus eſt principium ad eſſe & conſeruationem eſſe ipſius creaturæ: rationalis verò creatura eſt principium ratione doni excellentis ad bene eſſe alterius, ſicut ſubditi; ratione cuius poteſt ipſum ducere in ſuperiora: ſicut prælatus per poteſtatem, Doctor ratione ſapientiæ per cognitionem, ſanctus vir per exemplum poſſunt alios ducere in ſuperiora. Ratio ergò debiti ſimiliter eſt differens: quia ratio debiti quo debeo Deo, eſt ratio qua debeo ipſi principio ad eſſe, & ad conſeruationem ad eſſe, & ad omnia reliqua: ratio debiti quo debeo reuerentiam proximo, eſt ratio qua debeo principio ad benè eſſe: dignitas enim diuini eſſe per potentiam & per participationem conuenit prælatis, dignitas ſapientiæ doctoribus, dignitas verò bonitatis ſanctis, ratione quarum dignitatum ſunt principium ad benè eſſe aliorum; & ratione quarum debetur eis honor & reuerentia. Et ſic non eſt vniuoca ratio debiti, nec etiam æquiuoca, ſed analogica: ſcilicet, per priùs & poſteriùs variata; & ideò debet variari ipſa adoratio, & radix ad vtramque.

An adoratio exteriorem, vel interiorem actum dicat? §. 3.

¶ Tertiò quæritur. Vtrum adoratio dicat actum exteriorem, vel interiorem? Ad quod ſic. *Non adorabis ea, neq; coles.* (Exod. 20. Gloſſa.) Gloſſ. *Aliud eſt colere, aliud eſt adorare: Poteſt quis inuitus adorare, vel adulando regibus idololatris, vel tormentis victus; cùm ſciat, quia idolum nihil: colere verò eſt toto his affectu & ſtudio mancipari. Vtrum ergò reſeca, vt nec affectu colas, nec ſpe adores.* Ex his patet, quod adoratio conſiſtit in actu exteriori vel effectu colere verò in affectu, vel actu interiori. Ergò adoratio eſt actus exterior: colere verò interior.

¶ Item, Apoc. 5. *Ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt.* Ergò adoratio eſt in ſigno exteriori: ergò dicit actum exteriorem. (Apoc. 5.)

¶ Ad oppoſitum. Ioan. 4. *Venit hora, & nunc eſt: quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Et dicit Gloſſ. (Ioan. 4. Gloſſa.) *Non in templo, non in monte hoc, ſed interius in intimo cordis templo.* Ergo adorare ſeu adoratio dicit actum interiorem.

¶ Item, Pſal. 28. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius*, id eſt, in dilatato & ſanctificato corde: quia ex charitate eſt omnis ſanctitas. (Pſal. 28) Ergò adoratio dicit actum cordis: ergò dicit actum interiorem.

¶ Item, Rabanus: *Adorare eſt, ad Deum, qui ſolus eſt adorandus, tota mentis intentione tendere.* (Rabanus ſup. Gen.) Ergò adoratio eſt actus mentis. Quæritur ergò, quomodo differunt colere, ſeruire, & adorare?

RESOLVTIO.

Vtrunque quodammodo.

¶ SOLVTIO. Dicendum: quod ista distinguuntur hoc modo; quia adorare propriè respicit intentionem, colere affectum, seruitus corpus. Quia seruire est ex illa parte, ex qua est seruilis actus: hoc autem est ex parte corporis. Venerari autem Deum secundùm affectum, potest esse dupliciter: vel interiùs, & sic colere dicit affectum interiùs: vel exteriùs & sic colere dicit affectum in effectu seu in signo. Similiter adoratio respicit intentionem, sicut dicit prædicta auctoritas Raban. *Adorare est, ad Deum, qui solus est adorandus, tota mentis intentione tendere.* & sic adoratio respicit intentionem. Sed hoc potest esse dupliciter: vel secundùm quod est interiùs in corde adoratio in spiritu & veritate: & sic dicût Auctores, quod adoratio est interiùs. Vel secundùm quod adoratio est exteriùs in signo & significatione intentionis: & sic est exterior actus, quando scil. rationalis creatura totam se donat Deo vt suo principio & causæ. seruire autem respicit opus exteriùs, vel corpus: tamen seruitus aliquando appellatur mancipatio rationalis creaturæ, seu colendo, seu adorando in affectu & intentione; & sic est in intentione & affectu, & sic dicit actum interiorem: secundùm autem quod est expressius motus venerationis in corpore; sic est in actu exteriori.

Idem sup. eadem.

¶ ET per hoc patet intentio rationum ad vtramque partem.

ARTICVLVS II.

An ratione potestatis, vel veritatis, vel bonitatis conueniat Deo adoratio?

POSTEA quæritur: secundũ quã rationẽ Deo debeatur adoratio: an scilicet ratione potestatis, vel veritatis, vel bonitatis. Ad quod sic: quæritur, an circumscripta bonitate, & veritate, debetur Deo adoratio ratione potestatis. Et ostenditur, quod non: quia potestas degenerat in abusum, nisi secum habeat bonitatem cõiunctam: sed tali non debetur reuerentia, nec adoratio: ergò circumscripta bonitate, non debetur potestati adoratio.

¶ ITEM, non est simpliciter reuerenda potestas, nisi secum habeat veritatem: quia tunc præceps est, & indirecta in suas operationes: ergò non potest adorari potestas sine istis: ergò debetur Deo adoratio non ratione potestatis solùm, sed etiam ratione istorum trium bonitas, veritas, potestas.

¶ SIMILITER quæritur, vtrum sola bonitas sit causa adorationis. Et videtur: circumscripta enim potestate & veritate, debetur bonitati reuerentia de se: non econuersò: ergò primò & per se debetur reuerentia bonitati. Ergò ipsa bonitas sola primò & per se est causa adorationis & venerationis diuinæ.

August. 10. de ciu. Dei.

¶ ITEM, August. *Cùm mandatur de diligendo proximo, quid aliud mandatur, nisi vt ei quantum potest, commendet diligendum Deum? Hæc vera Religio. hæc vera pietas est, hæc tantummodo debita seruitus.* Ex quo obiicitur: si tantùm vera & debita est seruitus, qua mandatur diligendus Deus: sed huiusmodi ratio est bonitas: ergò ipsa bonitas est ratio & causa adorationis Dei.

¶ AD oppositum ostenditur primò, quod solùm ratione potestatis, sic i circumscriptis alijs, & remanente potestate, Deo debetur adoratio: quia latria est seruitus: ergò adoratio latriæ est in intentione seruitutis: sed seruitus semper dicitur respectu dominij: Dominium autem dicitur ratione postatis (Vnde Boëtius dicit, quod dominium in Deo nihil aliud est, quàm potestas coërcendi subditos) ergò ratione potestatis primò & per se Deo debetur adoratio. Circumscriptis ergò alijs, ipsa potestas adhuc est ratio adorationis.

Boet. in libro de Trinit.

¶ ITEM, in Deo est potestas, veritas, & bonitas: sicut autem fides est ipsius veritatis; sic amor est ipsius bonitatis: ergò similiter honor vel adoratio erit ipsius potestatis.

¶ ITEM, adoratio debetur ratione dignitatis excellentis: vnde nunquam superiora adorant inferiora, sed econuersò: & hoc est, quia superiora habent dignitatem excellentem respectu inferioris, & non econuersò. Sed bonitas de suo intellectu & ratione non dat intelligere aliquã excellentiam dignitatis: similiter nec veritas; sed sola potestas, quæ semper intelligitur respectu alicuius subiecti: ergò adoratio propriè & per se debetur Deo ratione potestatis: & ita circumscriptis alijs, adhuc potestas est ratio adorationis.

¶ SIMILITER obiicitur contra primum, scilicet quia ratione solius bonitatis non debetur Deo adoratio. Et hoc patet per hoc quod dicit: *Omnis terra adoret te*, &c. Glo. *fide*. Sed fides non adorat nisi conceptione veritatis: ergò non ratione bonitatis solùm debetur Deo adoratio, imò etiam ratione veritatis. Psal 65. Glossa.

¶ SIMILITER quæritur, vtrum ratione maiestatis in his tribus comprehensæ, quæ sunt potestas, veritas, bonitas, debetur Deo adoratio? Ad quod Psalm. 28. *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* Gloss. *De his atrijs venitur in atrium, vbi maiestas adoratur.* Ex hoc obiicitur, cùm intelligitur bonitas, nisi intelligatur excellentia, non debetur adoratio ei, nec similiter veritati, nec similiter potestati: & similiter nisi intelligatur excellentia in summo; non debetur adoratio, quæ vni soli debetur: quæ dicitur adoratio latriæ. Si ergò in maiestate intelligitur excellentia in summo; quia dicitur maiestas à maiori & summo statu. Ergò ipsa maiestas in illis tribus comprehensa est ratio adorationis Deo debitæ. Psal 28. Glossa.

¶ ITEM, Deo debetur adoratio, grãtiarum actio, & laus & totũ ex debito causali: bonitas enim de sua ratione diffusiua est sui, & diffundit dona sua in creaturis: creatura autem ex hoc quod accepit à Deo, efficitur debitrix: & hoc est debitum gratitudinis: hæc autem est gratiarum actio, ergò gratiarum actio debetur Deo ratione bonitatis. Item, creatura rationalis accipit notitiam à Deo: à veritate autem emanat omnis notitia, quia veritas est suiipsius declaratiua: vt dicit Hilarius: ex hac autem notitia debet ipsa creatura rationalis laudare & magnificare diuinam notitiam, vel veritatem, seu sapientiam: ergò tenetur ad laudẽ diuinam ratione ipsius veritatis. Cùm ergò respiciat maiestas maiorem statum: adoratio autem est dignitatis superioris: ergò adoratio est respectu vel ratione diuinæ maiestatis.

RESOLVTIO.

Adoratio conuenit Deo ratione potestatis: si quidem maiestas, cui propriè adoratio congruit; ex parte potestatis magis, quam veritatis, vel bonitatis se tenet.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod latria vel seruitus vno modo dicitur vel accipitur pro illis, quæ exhibentur in cultu: sicut sunt thurificationes, oblationes, genuflexiones, & huiusmodi. Alio modo pro illis, per quæ est exhibitio: & huiusmodi sunt virtutes, sicut fides, quę protestatur verum, vnde & per hoc exhibet adoratorem: charitas autem diligit vt optimum. Tertiò modo dicitur adoratio motus, qui est ipsius virtutis (quam dicunt latriam) ad cohibendum Deo seruitium debitum. Sic ergò est adoratio istius virtutis, sc. latriæ per imperium: aliarum verò virtutum per executionem vel exhibitionem: quæ sunt, Fides, Spes, &c. illorum autem actuum, qui sunt thurificatio, & huiusmodi, materialiter: ipsius verò charitatis per informationem: quia charitas informat omnes alias virtutes, & omnia opera. Dicendum ergò simpliciter: quod adoratio est ratione maiestatis: quia maiestas dicitur respectu maioris & superioris status; quod semper respicit adoratio. Et sicut ratio maiestatis plus se tenet ex parte potestatis, quã veritatis, vel bonitatis: sic magis ratione potestatis debetur Deo adoratio, quàm veritatis, vel bonitatis; cum ratione maiestatis debeatur seruitus illa.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod circumscripta bonitate, potestas degenerat, &c. Dicendum, quod potestas, cui debetur adoratio; est potestas in summo: potestas autem, quæ degenerat, deficit à potestate in summo: & propter hoc de hac potestate non procedit benè ratio. Vnde

potestas, quæ comprehendit in se rationem adorationis; non est degenerans aliquo modo: & ideò habet in se rationem adorationis: & hæc potestas diuina est.

¶ Ad illud, quod obicitur: quod fide adoramus. Dicendum, quod quælibet virtus in actu suo habet mouere alias, & excitare: & hoc est propter connexionem ipsarum adinuicem. Vnde fides excitat alias ad reuerentiam ipsius veritatis: charitas verò alias mouet & excitat ad amorem bonitatis. Vnde fides aliquando adorat, cum scil. per intuitum in ipsam veritatem exhibetur Deo cultus; similiter, & charitas: tamen charitas magis mouet ad adorationem; quia mouet sicut informans: & hoc est, quia mouet ad bonum: bonum enim est obiectum charitatis. Vnde sicut ratio boni informat & mouet per informationem omnem appetitum: quia non appetitur verum, nisi quia bonum: similiter arduum & gloriosum appetitur, quia bonum: sic charitas mouet ad exhibitionem adorationis per informationem. Tamen quælibet habet suam propriam rationem. Ipsa verò latria mouet sicut imperans, quæ respicit ipsam maiestatem propriè: quia respicit maiorem statum. Et per hoc patet notificatio eorum, quæ obiiciuntur.

ARTICVLVS III.

De vnitate & differentia adorationis in diuinis.

CONSEQVENTER quærendum est de vnitate & differentia adorationis. Primò ergò quæritur de ipsius vnitate. Secundò quæritur de eius differentia.

An vna sit adoratio trium personarum Trinitatis: §.1.

¶ QVANTVM ad primum quæritur verum sit vna adoratio trium personarum Trinitatis: qua scilicet adoratur pater, & filius, Spiritus sanctus: an alia, & alia.

¶ Ad quod sic obiicitur. Adoratio est trium personarum: sed secundùm Trinitatem personarum distinguuntur tria præcepta ordinantia ad Deum: primum pertinet ad Patrem, secundùm ad Filium, tertium ad Spiritum sanctum: sicut superiùs dictum est. Cùm ergò illa tria præcepta pertineant ad honorem & reuerentiam Trinitatis: sicut vult Augustinus, & sunt tria: ergò tres adorationes.

¶ Item, alius est honor, & alia ratio debiti in quolibet præcepto ad Deum ordinante: ergò alia & alia adoratio.

¶ Item, in patre est dignitas, qua est pater, quæ soli patri conuenit: in Filio est dignitas, qua est Filius; quæ soli filio conuenit: & similiter est in Spiritu sancto: triplex ergò est dignitas personis. Sed adoratio debetur Trinitati vel Deo ratione dignitatis excellentis: ergò triplex debetur adoratio Trinitati, non vna: vt in vna adoretur Pater ratione dignitatis, qua est Pater: in alia Filius ratione dignitatis, qua est Filius: in tertia Spiritus sanctus ratione dignitatis, qua est Spiritus sanctus.

¶ *Ad oppositum: adorare respicit illud, quod est commune tribus personis: ergò non est alia & alia adoratio trium personarum. Maior patet, quia adoratio respicit maiestatem, quæ eadem est & communis tribus personis, & non alia & alia: ergò nec erit differens adoratio, cum ratione istius debeatur.

¶ Item, amor & adoratio, debetur Trinitati: sed amor debetur ratione bonitatis; & quia vna est bonitas in tribus personis, & non alia & alia; ideò vno amore amamus bonitatem in illis. Adoratio autem debetur Trinitati ratione maiestatis: cùm ergò similiter eadem sit maiestas in tribus personis, quæ est ratio adorationis: ergò vnum est debitum adorationis: & ita vna adoratione adorantur tres personæ.

¶ Si dicatur, quod Patri debetur adoratio ratione generationis, quæ actiuè est in Patre; quia Pater est generans: in Filio autem est generatio passiuè; quia Filius dicitur genitus: & ratione huius debetur ei adoratio: & ideò non est eadem adoratio, sicut nec eadem generatio, vel eodem modo. Contra, Pater potest generare Filium, & Filius potest generari à Patre: aut ergò eadem potentia, aut alia. Si eadem: sed adoratio sequitur potentiam, quia ratione potentiæ debetur Deo adoratio; si ergò eadem est potestas essentialis generationis actiuæ & passiuæ, licet differant secundum rationem intelligendi vel modum: ergò & eadem adoratio debita Patri, & Filio, & pari ratione Spiritui sancto, qui procedit ab his. Si dicatur quod sit alia & alia huiusmodi potentia. Ergò poneretur in Deo iam diuersitas potentiarum: quod est inconueniens: quia ex hoc sequeretur diuersitas essentiarum.

¶ Item, quicquid conuenit Deo secundùm causalitatem respectu creaturæ; conuenit toti Trinitati: & sicut indiuisa sunt opera Trinitatis, sic indiuisa causalitas: sic & vnũ & in diuisum est illud, quod debetur ratione causalitatis. Si ergò creatura eò quòd creatura, debet Dominum adorare, venerari, & amare bonitatem diuinam: ergò ex parte causalitatis est debitum adorationis: ergò adoratio conuenit Deo ratione secundùm causalitatem respectu creaturæ. Si ergò hæc causalitas eadem: ergò & vna & eadem adoratio.

¶ Item, Hilar. *Honor geniti est in honore gignentis, & econuersò*: quia demus quòd non sit Filius in Trinitate; iam non est generans: ergò relatiua sunt generans, genitum, & *procedens. Sicut ergò circumincedunt se relatiua, & vnum in alio intelligitur, nec vnum ab alio per intellectum potest separari: ergò similiter non erit separare honorem sequentem ad proprietatem, qua Pater, vt Pater; & ad proprietatem, qua Filius, vt Filius adoratur: immò vnus in alio intelligitur: ergò vna est semper adoratio: siue comprehendat intellectus essentiam, siue personam: & maximè secundùm quod vna est ab alia; quia sic se habent secundùm relationem.

Hilar. in libro de Trinit.

* Alias, procedẽs pari ratione.

RESOLVTIO.

Vna profectò adoratio est omnium trium personarum in diuinis: quia vna earum maiestas, vna æqualitas.

¶ Solutio. Dicendum, quod simpliciter vna est adoratio trium personarũ in Trinitate, qua adoratur Pater & Filius, & Spiritus sanctus: sicut vna maiestas. Vnde Genes. 18. habetur, quod Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Vnde licet sit discretio & numerus trium personarum: est tamen vna adoratio; quia vna est maiestas, vna æqualitas in tribus. Et ideò dicitur Ioan. 5. quod qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum: per hoc ostendens, quod honor Patris est ex honore Filij, & econtrouersò. Et licet sit ibi discretio proprietatum, tamen illæ proprietates inuicem sunt, & ad inuicem relatæ. Vnde dicit Dominus in Euangelio. Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Ideò qui intelligit Filium, vt Filium, necesse est quod intelligat Patrem. Et sic respiciendo discretionem trium personarum, vnus & idem honor & eadem adoratio debetur toti Trinitati: similiter respiciendo essentiam, vnus & idem honor numero debetur ei, & eadem adoratio.

Gene. 18. Ioan. 5. Ioan. 14.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur: quod si eadem est adoratio; vnde ergò distinguuntur tria præcepta ordinantia ad Deum, quæ sunt de adoratione? Dicendum quòd illa distinctio præceptorum non est ratione distinctionis Trinitatis, nec adorationis eiusdem: sed ratione distinctionis debitorum, quæ imprimuntur rationali creaturæ ex ratione causali: quia scilicet à Deo creata est: pendet enim à Deo, sicut à suo principio: & pendet ab eo sicut à suo conseruante: itẽ pendet ad eum sicut ad suum finem. Vnde triplex est dependentia ex parte creaturæ, quæ dependet; non ex parte eius, à quo dependet: immò vna causa est: & secundùm hoc est distinctio præceptorum: & non est alia & alia adoratio in illis præceptis, sed eadem ibi præcipitur: tamen debitum triplicis adorationis ibi ostenditur. Aliter potest dici: vt dicatur quod in primo præcepto præcipitur adoratio, in secundo laus, in tertio gratiarum actio: quia potestati debetur adoratio, ad quod pertinet primum præceptum: veritati autem, quæ facit notitiam, debetur laus: secundùm autem

man-

Exod.20. mandatum pertinet ad veritatem, & ideò dicit: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, quasi dicat, sed assumes debitè ad laudem: ipsi autem bonitati, ad quam pertinet tertium mandatum, debetur gratiarum actio; quia bonitas ipsa diffundit se, & dona sua.

¶ Et quod obiicitur: hic sunt alia præcepta: ergò alia adoratio. Dicendum, quòd adoratio respicit ipsam diuinam causam seu principium, quæ non numeratur: & ideò est non numerata: & respectus ille benè notatur per hanc præpositionem *ad* ex qua componitur: sed præceptum respicit debitum: quod quia (vt visum est) numeretur; ideò & præceptum: adoratio tamen eadem in illis præcipitur. Per hoc patet solutio ad secundam rationem.

¶ Ad tertium dicendum, quod illæ dignitates in inuicem vnum sunt: necesse est eas aliquo modo separare etiam per intellectum: vnde est honor in honore, & dignitas in dignitate: quia inuicem accipit eas intellectus: Propterea ergò quia inuicem sunt, & vnum sunt: ideò vna est adoratio & communis, quæ respicit illas.

¶ Ivxta hoc nota de opinione quorundam, qui dixerunt: quod in præcepto primo præcipitur latria, in secundo perseuerantia latriæ, in tertio perfectio latrię: & secundùm hoc distinguunt tria præcepta ordinantia ad Deum:
Glossa. Deuter.5. quia Deut.5. dicit Gloss. de primo præcepto, quod idololatriam prohibet: ergò per oppositum pręcipit latriam. Simi-
Ibidem. liter in secundo, cùm dicit, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, præcipit perseuerantiam latriæ: quia qui recedit à cultu, assumet nomen Dei in vanum. In tertio mandato determinatur hora siue dies adorationis, & vacationis Deo: ergò præcipitur ibi perfectio latriæ: & iam dicit. Glo.
Glossa. Ibidem. *Omnia sanctè faciendo, à strepitu vitiorum cessando*: ecce perfectio. Sed dicendum, quod non est differentia in illis præceptis per perseuerantiam, & perfectionem latriæ: quia præceptum respicit actum seu debitum actus: perseuerantia autem & perfectio non dicũt actum, sed statum actus: & ideò penes illam non est distinctio, immò penes debita reuerentiæ vel honoris latriæ: sicut visum est supra. Potest tamen dici secundùm iam dicta; quod aliter distinguuntur: vt dicitur quod in primo præcepto præcipitur latria quantum ad adorationem: in secundo quantum ad laudem: in tertio quantum ad gratiarum actionem. Et hoc est quia primum præceptum respicit rationem dignitatis excellentis, respectu cuius dicitur adoratio: in secundo autem pręcipitur assumptio nominis Dei directa; hoc autem est cum laude: in tertio, quod est de requie in Sabbato, præcipitur sanctificatio seu vacatio Deo; & sic gratiarum actio ratione donorum acceptorum à Spiritu sancto.

¶ Ivxta hoc etiam quæritur: cùm prohibeat in primo mandato, ne fiant similitudines in cœlo, nec in terra, nec in aqua: quare similiter non prohibet fieri similitudines in aëre, & igne: cum aër & ignis corporea sint: & corpora in eis sint, & figurari possiut ibi similitudines? Dicendum, quod aër & ignis ibi comprehenduntur sub cœlo: quia cœlum vocatur communis natura sursum continens alia. Vnde super Gen. distinguuntur à Sanctis septem cœli, sc. aëreum, olimpium, &c. ita quod aër & ignis ibi vocantur
Psalm.8. cœli: & sic sumitur in Psal.8. cùm dicitur: *Volucres cœli*. Natura verò deorsum dicitur terra & aqua: & ita secundùm modum sacræ Scripturę comprehenduntur illa sub cœlo: & ideò tria nominat, in quibus prohibet fieri similitudines, in quibus omnia comprehendit.

An vna adoratione, vel differenti secundùm rem adoretur Deus? § 2.

¶ Consequenter quæritur in differentia adorationis. Et hoc dupliciter absolutè, & in comparatione. Quãtum ad primum sic quæritur. Vtrum vna adoratione vel differenti secundùm rem adoratur Deus. Ad quod sic Psal.
Psalm.68. 68. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Gloss.
Glossa. *Deo, cui debetur latria: Domino, cui debetur dulia.* Si ergò dulia & latria dicunt differentiam adorationis secundùm rem: ergò differens est adoratio vna, qua adoratur vt Deus: alia qua adoratur vt Dominus.
Psal.67. ¶ Item, Psalm.67. *Domine Deus meus in te speraui.* Gloss.
Glossa. *Domine, omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus, omnium per creationem, cui debetur latria.* Ergò differens est eius adoratio secundùm rem: vna, qua adoratur vt Deus: alia, qua vt Dominus.

¶ Item, dulia dicitur reuerentia, quæ debetur creaturæ: latria dicitur reuerentia, quæ debetur æterno. Sed quędam dicuntur de Deo ab æterno: quædam ex tempore, vt Dominus, Creator, &c. & debetur ei honor ratione vtriusque: ergò debetur ei latria ratione eius, quod de ipso dicitur ab æterno: & dulia ratione eius, quod de ipso dicitur ex tempore: quia latria semper respicit quod æternum est, dulia illud quod temporale est & creatum: ergò differens honor debetur Deo, vnus latria, alter dulia.

¶ Item, Deus se habet ad creaturas vt Deus, & vt Dominus: & est separare has rationes per intellectum: quia inquantum Deus creat, inquantum Dominus gubernat. Si ergò comprehensionem sequitur honor, differens reuerentia ei exhibetur inquantum Deus, & inquantum Dominus.

¶ Item, Deus se habet ad creaturam vt Creator & causa: & quantum ad hoc videtur ipsius ad creaturam disparitas in natura: item se habet vt Deus: & sic disparitas in cõditione, quia talis est Domini ad seruum. Si ergò alia est ratio disparitatis naturæ, & conditionis: & hoc comprehenditur, & comprehensionem sequitur honor: ergò alius honor ei debetur inquantum Creator vel causa, & inquãtum Dominus: ergò vt priùs.

Malach.1. ¶ Item, Malach.1. *Si ego pater, vbi est honor meus? & si ego Dominus, vbi est timor meus?* Ergo vult quod alia reuerẽtia exhibenda sit ei, inquantum pater, & inquantum Dominus.

¶ Ad oppositum: rationalis creatura dependet à Deo quantum ad esse, quia exijt ab ipso: & quantum ad perfectionem esse, & quantum ad conseruationem esse: & ratione istorum debet Creatori suo honorem, qui dicitur latria. Si ergò secundùm omnes istas conditiones Deo debetur latria: ergò Deo in quantum est Dominus, debetur latria; quia Deus dicitur Dominus, inquantum ad regimen eius dependet creatura, & conseruatur, & regitur per ipsum: ergò eadem adoratio debetur ei inquantum Deus, & inquantum Dominus, & non differens.

¶ Item, latria dicit debitum immensi honoris: quia dicit debitum honoris ratione summæ maiestatis: dulia dicit debitum honoris mẽsurati: quia ratione alicuius mensurati & finiti: vnde nulli sancto debetur summus honor, Deo autem secundùm omnem modum debetur immensus honor: ergò semper ei debetur latria: & ita semper vnus honor, seu vna differentia honoris.

¶ Item, dulia & latria dicunt differentiam gradus: sed dulia dicit inferiorem gradum, latria superiorem: Deo autem non debetur gradus aliquis inferior honoris, immò supremus: quia non est dicere, quod in eo sit diminutio honoris ratione alicuius: ergò semper inquantum Deus, & Dominus, & Creator, & huiusmodi debetur ei vna differentia honoris, quæ est latria.

¶ Item August. dicit: quod vera Religione colitur Deus vt principium vniuersitatis & Dominus. Et, *vera Religione* dicitur per oppositum ad idololatriam: ergò cum latria sit ille honor, qui opponitur idololatriæ: ergò latria ei debetur, inquantum est Deus & Dominus: & sic quantum ad omnia semper vna adoratione adoratur. August. de vera Religio.

RESOLVTIO.

Vna & eadem adoratione secundùm rem Deus adoratur: si qua autem diuersitas appareat, non ratione sui adorati, sed ratione creaturæ adorantis est.

¶ Solvtio. Dicendum: sicut dictum est supra secundùm August. super illud Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. Seruitus duobus modis, ac diuersa significatione solet appellari. Dicitur enim latria, dicitur etiam dulia: sed dulia intelligitur seruitus communis; hoc est siue Deo, seu homini, seu cuilibet rerum naturæ exhibita; à qua etiam seruitus δουλεία græcè nomen accipit: latria autem August sup. Mat

tem appellatur seruitus illa, quę sola diuinitatis cultui debita, nec vlli est participanda creaturæ: vnde idololatræ nuncupantur.

¶ NOTANDVM ergò: quod significatio duliæ pluribus modis accipitur. Vno modo dicitur communiter, ad quemcunque honorem debitum, vel Deo, vel creaturæ: & sic accipit August. duliam in prædicta auctoritate. (August.) Secundò modo dicitur propriè: & sic dulia est cultus vel honor, qui exhibetur creaturæ. Tertiò modo dicitur dulia anthonomatice. hoc est dulia dignior: quæ est hyperdulia. (Psalm. 98.) Gl. Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius.* Caro Christi à verbo Dei assumpta sine impietate à nobis, non illa adoratione, quæ latria est, quæ soli creatori debetur: sed illa dulia, quæ dignior est. Quartò modo dicitur dulia secundùm anologiam: & sic dicitur nomine extenso: & sic dulia est reuerentia debita soli Deo: tamen ratione illius dignitatis, in cuius participatione est creatura: & sic intelligitur illud, *Deo, cui debetur latria: Domino, cui debetur dulia.* (Glossa.)

¶ NOTANDVM ergò, quod multipliciter exponitur illa Gloss. Primò modo sic, *Deo, cui debetur latria*, id est, honor incommunicabilis; quemadmodum Dei substantia & natura est incommunicabilis creaturæ, *Domino cui debetur dulia*, id est honor communicabilis: dominium enim cõmunicatur creaturæ eo modo, quo dicimus; quod Deus potens est, & facit creaturam potentem: sapiens est, & creaturam facit sapientem: bonus est, & facit creaturam bonam: ita quòd participat eius bonitatem: & secundùm hæc debetur ei honor, qui descendit in communionem, scilicet ratione dignitatum: in quarum participatione dicimus esse creaturam: & iste honor nominatur nomine communi, quod est *dulia* propter communionem: ratione verò dignitatis, in cuius participatione non est, honor singularis, & dicitur latria: & sic intelligitur illud *Deo, cui debetur latria: domino, cui debetur dulia*, quia *Dominus* connotat effectum creaturæ. Secundò modo exponitur illud, sumendo *duliam* propriè & anthonomaticè: quia in Christo est natura increata, scil. Deitas: & natura creata, sc. humanitas. Et quantum ad naturam creatam Dominus est: secundùm verò naturam increatam Deus est, & Creator: quæ natura Deitas dicitur. Quia ergò latria propriè debetur Creatori, & soli: & dulia propriæ creaturæ: ideò Deo debetur latria, Domino dulia.

¶ QVOD ergò obiicitur: quod differens honor debetur Deo. Dicendum, quod non: sed differens est debitum honoris ex parte creaturæ ad Deum: & penes illa duo debita sumitur latria & dulia: sed quantum ad illum, qui honoratur, idem est & vnus honor, non differens: & hoc quia quocunque modo adoretur Dominus, vel vt in se consideratus, vel vt causa, vel ratione dignitatis imparticipabilis vel participabilis; semper est adoratio ratione eiusdem dignitatis, sc. maiestatis: vnde semper eadem dignitas, sc. maiestas adoratur: & hæc omnia sunt vna dignitas in Deo, quæ adoratur: licet differenter, inquantum sic, & sic.

¶ AD tertium quo dicitur: quod quædam dicuntur de Deo ex tempore, quædam ab æterno. Dicendum, quod hæc omnia sunt vnum, & vna dignitas in Deo: & ideò nõ faciunt differentiam honoris ex parte Dei. sed faciunt differentiam debiti ex parte creaturæ.

¶ AD quartum dicendum similiter: quod Deus creat, Deus regit: hoc facit differentiam ex parte creaturæ: quia aliud accipit creatura ab eo, quia creat: aliud, quia regit: & ideò differens est debitum: vnus tamen honor ratione horum, quia vna dignitas: honor autem numeratur per dignitatem, cui exhibetur. Et per hoc patet responsio ad cuncta.

An æquali adoratione adoretur Deus inquantùm dominus, & inquantùm Deus, & huiusmodi? §.3.

¶ CONSEQVENTER quæritur de differentia adorationis diuinæ in comparatione quantum ad æqualitatem. An scilicet æquali adoratione adoretur Deus inquantum Deus, & in quantum Dominus, & huiusmodi. Ad quod sic. Dionysius: loquens de dominio Dei, dicit: quod dominium est omnium bonorum plenissima perfectio, & immutabilis firmitas. Ergò dominium dictat honorem *infinitum Domino exhibendum: ergò æquali honore adoratur in quantum Deus, & Dominus. (Dionys. in lib. de diuinis nominib.) (* Alias, in infinitum.)

¶ ITEM, Dominus dicitur de Deo ex tempore: sed ex actu temporali non accrescit Deo honor, nec minoratur: ergò æqualis honor ei debetur inquantum Deus, & Dominus: nec minor, nec maior.

¶ ITEM, creatio est commendatio potentiæ infinitæ: quia dicit exitum de non esse in esse. Sed potentiæ infinitę debetur honor infinitus: ergò ratione creationis debetur honor infinitus: ergò ratione dominij: quia ex quo Creator, & Dominus.

¶ ITEM, in hoc quod est *Dominus* intelligitur Deus, cùm dicitur de Deo: ergò non minor honor, sed æqualis debetur Domino, & Deo.

¶ AD oppositum. Potentia in Deo est infinita: actus autem finitus: honor autem debetur Deo ratione actus, & ratione potentiæ: si ergò actus finitus sicut & creatura; ergò & honor ratione ipsius debitus, finitus est: & si potentia infinita, ergò honor ratione potentiæ infinitus: ergò non æqualis honor debetur Deo ratione actus, & potentiæ suæ.

¶ ITEM, bonitas diuina est infinita, tamen beneficia eius in creatura sunt finita: & ratione vtriusque debetur honor: & ex vno dulia, scil. ex benficentia, ex alio latria: ergò inæqualitas honoris.

¶ ITEM, esse diuinum consideratur vt in se: consideratur, & vt in creatura: vnde secundùm hoc dicit Trismegistus, quod Deus est sphæra intelligibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. Diuinum esse consideratum in se dicitur circumferentia, quæ nusquam est, quia infinita, & nullo modo habet finem: inquantum verò comparatur ad creaturam; dicitur centrum metaphoricè. Quæ est ergò comparatio centri ad circumferentiam: eadem est diuini esse ad semetipsum consideratum sic, & sic. Sed comparatio centri ad circumferentiam est sicut finiti ad infinitum: ergò diuinum esse, vt in se consideratum est infinitum: consideratum verò in creatura, finitum: ergò si ratione vtriusque debetur ei honor, debetur ei honor finitus & infinitus, & ita inæqualis. (Trismegistus.)

RESOLVTIO.

Æqualis ex parte debiti, inæqualis ex parte dignitatis.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod æqualis honor semper Deo debetur ex parte dignitatis: quia semper eadem est dignitas, ratione cuius adoratur: non tamen semper ęquale est debitum: quia iuxta sententiam Euangelij. Matth. 25. cui plus committitur, plus debet: vnde vni dedit Dominus duo talenta, alij quinque: & plus debebat, cui commiserat quinque, quàm cui vnum erat commissum. Et sic ex parte commissi seu accepti non est æquale debitum: tamen æqualis honor, quia honor respondet dignitati: & eadem dignitas est, qua accipio hoc & illud. (Matt. 25.)

¶ AD primam rationem in cõtrarium dicendum: quod sicut in sole duplex est actio, scil. actio qua agit; & actio, quam efficit: & prima dicitur lucere, secunda illuminare: sic in Deo est actio, qua agit Deus, & hoc idem quod sua essentia, & est actio, quam efficit in creatura. Actio ergò, qua agit, est infinita & immutabilis, sicut sua essentia: licet actio, quam efficit, sit finita: quia creaturæ sunt finitæ: honor autem semper impenditur ratione actus, quo agitur: & ideò honor infinitus debetur ei ratione actus, & rationepotentiæ.

¶ AD secundùm dicendum: quod licet beneficia Dei finita sint, tamen dantur à bonitate infinita: vnde beneficium minimum, quod dat Deus, datur ex infinita bonitate. Debitum autem honoris ratione beneficij consequitur illud, ex quãto datur: sicut patet in Luc. 21. de * vetula, quę non posuit in Gazophilacium nisi duo minuta: & tamen habuit maiorem remunerationem, quam qui plus posuerunt; quia ex maiori affectu dedit: & sic est hic: & ideò (Luc. 21.) (* Alias, deuidua.)

honor

honor infinitus debetur ratione beneficij Dei, quia ex infinita bonitate datur.

Dionys. ¶ Ad tertium dicendum secundùm Dionys. quòd duplex est cognitio de Deo. Vna est modo infinito per priuationem aliarum creaturarum; vnde Psalm. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.* Et est cognitio de Deo per positionẽ modo finito; sicut cognitio de Deo quod est potens, & quod est bonus, & quod sapiens, & quod vbique, & quod causa est, & quod huiusmodi: sed tamen hæc omnia vnum & infinita sunt. Dicendum ergo quòd diuina substantia secundùm quod causa est, finiens est, sed non finita: quiaꝗ finit creaturam; quia est causa cõtentiua eius & conseruãs; vnde Deus est α, & ω, id est principium, & finis: sed non finitur ab ea. Vnde ꝓut cõparatur causa prima ad creaturã, non finitur per eam, sed finit eam: & ideo semper est dignitas infinita, ratione cuius debetur honor & ideo infinitus honor. Dicitur autem esse vt centrum prout consideratur in creatura: non quia finiatur in ea, sed quia vt in athomo, & vt minima apparet esse bonitas diuina considerata in creatura respectu eius, quod in ipso consideratur.

MEMBRVM II.

An Christus eâdem adoratione adoretur & secundùm deitatem, & secundùm humanitatem. Et an maior veneratio debeatur ei post incarnationem, quàm ante incarnationem.

POST hæc quæritur de adoratione Christi. Et quæritur, vtrùm eadem adoratione adoretur Christus secũdùm diuinitatem & humanitatem? Ad quod sic: Christus est Deus & homo. Sed ratiõe, qua est Deus, dignus est honore debito creatori: inquantum verò est homo, dignus honore debito creaturæ. Ergo cùm adoratio debita creatori sit latria; & debita creaturæ sit dulia: Christus adorandus est dulia & latria. Sed eæ adorationes differunt: ergo differenti adoratione adorandus est Christus.

Hierony. ¶ Ad oppositum Hieronymus: *Non seorsum verbum Christi adorandum est.* Seorsum, dicit ab humanitate; ergo vna adoratione adoratur inquantum Deus, & inquantum homo.

¶ Secundò iuxta hoc quæritur: An debeatur maior veneratio filio Dei incarnato, quàm ante incarnationem?

Philosophus. Hoc enim videtur per Philosophũ; quia plura bona sunt paucioribus bonis magis eligenda: ergo plura venerabilia paucioribus sunt magis veneranda. Ergo cùm plura venerabilia sint in filio incarnato, scilicet diuinitas, humanitas, & persona; quàm in non incarnato: relinquitur quòd amplior veneratio debetur incarnato.

RESOLVTIO.

Si in Christo consideretur vnitas personæ; vna & eadem adoratio ei debetur secundùm vtramq; naturam. Si verò in ipso naturæ seorsum intelligantur; sic differens. Pariter modo post incarnationem maior veneratio eidem debetur quantitatiuè quàm ante: sed non qualitatiuè.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd in Christo est dignitas personæ, & diuersitas naturarum: quia persona est in duabus naturis. Respiciendo ergo dignitatem personę; sic vna debetur Christo adoratio; quia ipse est vna persona: & vna est dignitas, ratione cuius fit adoratio, scilicet vna dignitas personalis: & hæc adoratio est latria. Et hoc est, quod dicit Ioan. Damasc. & allegatur in 3. Sent. dist. 9. *Timeo carbonem tangere propter ignem copulatum ligno: adoro Christi Dei mei simul vtramq; naturam propter carni vnitam deitatem. Non enim quartam appono personam in Trinitate: sed confiteor personam vnam verbi & carnis eius.* His verbis insinuare videtur, Christi humanitatem cum Verbo vna adoratione esse adorandam, attendendo vnitatem personæ. Respiciendo autem diuersitatem naturarum; est differẽs adoratio: quia ibi est natura diuina; quæ adoranda est latria: ibi etiam est humanitas. Ex qua parte distinguẽdum est, quòd ipsa humanitas considerari secundùm se potest: inquantum est quædam creatura tam sancta, tam pulchra: vel prout est diuinitati coniuncta. Si consideretur secundùm se, dicendum quòd ei debetur adoratio, quæ est dulia dignior: &

(Damasc. 3. de orthodoxa fide cap. 8.)

secundùm hoc super illud: *Adorate scabellum pedum eius.* dicit. Gloss. *Caro Christi sine impietate à verbo Dei assumpta adoratur à nobis*: non illa (dico) adoratione, quæ latria est, quæ soli creatori debetur: sed illa, quæ dulia dignior est. Si autem consideratur: prout est diuinitati vnita; secũdùm hoc fuerunt circa hoc opiniones: quia quidam dixerunt, quòd debetur ei dulia hoc modo, sed dignissima. Alij autem dixerunt, quòd debetur ei latria, secundùm Augustinum, qui super illud: *Non turbetur cor vestrum, &c.* ita dicit: *Ego Dominicam carnem, immò perfectam in Christo humanitatem ideo adoro; quòd à diuinitate suscepta, & deitati vnita est: vt non alium & alium, sed vnum eundemq; Deum & hominem filium Dei esse confiteor. Denique si hominem adoraueris à Deo; illi nunquam credo, vel seruio.* Et loquitur de adoratione, quæ est latria.

(Psal 98. Glossa. — Ioan 14. August.)

¶ Ad quod intelligendum, notandum est: ꝙ latria dicitur tripliciter. Vno modo dicitur propriè scil. cultus, qui debetur Deo soli, siue intelligatur quantũ ad dignitatem, in cuius participatione non est creatura, vel in cuius est participatione. Secundò modo dicitur latria strictè: cum scil. restringitur vocabulum ad seruitutem, quæ debetur creatori ratione dignitatis; in cuius participatione non est creatura: & sic accipitur latria in Gloss. illa. *Deo, cui debetur latria; Domino, cui debetur dulia,* in participatione enim istius dignitatis, quæ designatur hoc nomine *Deus* secundùm ꝙ accipitur naturaliter: & etiam dignitatis, quæ designatur hoc nomine *creator* non est creatura. Tertiò modo dicitur largè: non solùm seruitus quæ debetur dignitati diuinæ; sed etiam creaturæ vnitæ ipsi: in quo sensu dicit Raba. *Caro Christi latria adoranda est, sicut verbum: sed non omni specie latriæ; quoniam non adoramus eam omnino prostrati in terra; sicut credamus, quod nos creauit de nihilo; vt sacrificemus ei sicut Deo: sed adoramus eam, quoniam per ipsam redempti sumus*: & sic dicitur latria nomine extenso. Et sic respiciendo vnitatem personæ, vna est adoratio: respiciendo diuersitatem naturarum, differens est adoratio: diuina enim natura semper adoratur latria: humana in se considerata semper dulia, quia Sanctum Sanctorum: considerata verò vt diuinitati vnita, adoranda est latria, extenso nomine latriæ.

(Glossa. — Rabanus.)

¶ Ad secundum, qđ quæritur: Dicendum, quòd maior veneratio potest dici dupliciter: quantitatiuè, quia scil. in pluribus est veneratio: vel qualitatiuè, eò quòd maiori intensione. Veneratio secundum primum modum, potest dici Christo incarnato deberi maior, quia pluribus debet venerari. Secũdò modo non debetur ei maior veneratio; quia illud ꝙ debetur venerationis humanitati, magis debetur ipsi diuinitati: quia ipsius humanitatis causa effectiua totaliter est. Et ideo, illud, quod obijcitur: ꝙ plura bona sunt magis eligenda paucioribus: intelligendum est secundum Philosophum, quando non sunt altera in alteris: & hoc est in proposito: ratio enim venerationis creaturæ scil. humanitatis assumptæ magis est in ipsa diuinitate, quàm in humanitate.

MEMBRVM III.

De adoratione creaturæ.

CONSEQVENS est quærere de adoratione creaturæ: & hoc ordine. Primò de adoratione creaturę rationalis angelicæ. Secundò de adoratione creaturæ rationalis humanæ. Tertiò de adoratione creaturæ irrationalis.

ARTICVLVS I.

De adoratione naturæ Angelicæ.

DE adoratione naturæ Angelicæ quæruntur tria: An maior, vel æqualis veneratio debeatur sanctis angelis post incarnationem Christi, vel ante? An sint Angeli adorandi aliquo modo latria? An angelus satanæ, cùm transfigurat se in angelum lucis, dicens se esse Christum, possit sine peccato adorari latria?

An maior, vel æqualis veneratio debeatur angelis post incarnationem Christi, vel antè? §. 1.

¶ Qvantvm Ad Primvm obijcitur sic: Ante incarnationem Christi Angeli adorabantur ab hominibus, & non prohibebant se adorari: sed post incarnationẽ non

Apoc. 22.

non permittunt se adorari ab homine, immò prohibent, (vnde in Apoc. dicit Ioan. *Cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli: qui dixit mihi, vide, ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum*) sed si debetur ei æqualis honor, qui antè debebatur: constat quod non prohiberet, sicut nec ante: ergo non tantus honor debetur Angelis post incarnationem, quantus ante.

Gregor.

¶ ITEM Gregorius: *Post incarnationem, quia vident humanam naturam super se exaltatam; non permittunt se adorari ab hominibus, & priùs permittebant: ergo, &c.*

¶ AD oppositum: Ita beati sunt Angeli post incarnationem, sicut ante: vnde non est eorum gloria vel beatitudo diminuta ex incarnatione, sed potius aucta. Si ergo nõ est subtracta dignitas beatitudinis ex incarnatione: ergo nec veneratio diminuta.

Apoc. 22.

¶ IVXTA hoc quæritur: vnde fuit hoc quod Angelus prohibuit se adorari à Ioanne, cùm ita esset dignus; sicut fuerat ante incarnationẽ. Si dicatur, quòd hoc fuit ex humilitate; tunc videtur, quòd ante incarnationem debuisset se prohibuisse ab homine adorari; quia tunc fuisset maior eius humilitas, si priùs se humiliasset homini; quàm modò: quia non erat homo ita dignus, sicut modò: ergo non fecit propter hoc. Ex quo videtur quòd vellet Angelus innuere, quòd nõ tantus debetur ei honor post incarnationem, quantus ante debebatur.

RESOLVTIO.

Ex parte quidem Angelorum æqualis semper veneratio debebetur. ex parte autem hominum maior post incarnationem, quàm ante.

Luc. 1.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd quantum est ex parte ipsorum Angelorum, æqualis honor debetur eis post incarnationem, & ante. Ex parte autem hominis maius est debitum honoris vel venerationis Angelorum post incarnationẽ, quàm antè; quia plura fecerunt pro homine: fuerunt enim ministri incarnationis, & miraculorum: sicut de Gabriele legitur, quod annunciauit Mariæ, quòd de illa nasceretur Dei filius.

Aug. super Gen.

Matt. 8.

1. Cor. 9.

¶ AD illud autem, quod dicitur: quòd si æqualis honor deberetur eis; quare ergo prohibent huiusmodi adorationem? Dicendum, quòd aliquid potest prohiberi dupliciter: vel quia malum est, seu occasio mali: vel prohibetur propter aliquam vtilitatem, secundùm quod dicit Augustinus, vbi loquitur de Angelis venientibus ad Abraham. Duplici de causa aliquis arcendus est à bono: vel propter maius bonum aggrediendum, vt Dominus reuocauit illũ qui volebat sepelire patrem suum, Matt. 8. vel propter facilem declinationem in malum. Et secundùm hoc dicendum, quòd prohibuit Angelus Ioannem, ne ipsum adoraret; quia istud erat occasio mali: quia sub prætextu duliæ poterat occasionaliter introduci, vt creaturæ impenderetur latria: quod esset maximum malum: sicut Paulus prohibet comedere de idololatico; quia potest esse occasio mali, vel in se, vel in alio, scilicet venerationis idoli. Alia ratio fuit, quare prohibuit, scilicet propter prouocationẽ ad maius bonum: quia per hoc volebat ostendere, quòd maximè exaltata est humana natura post incarnationem: & quàm magna est gloria Dei in humana natura: & istud debet valde hominem ad maximum bonum prouocare.

An Angelus licitè latria adorari possit? §. 2.

Gen. 18.

¶ SECVNDÒ quæritur: Vtrùm Angelus licitè possit adorari latria? Quod videtur per Text. Genes. 18. vbi dicitur, quòd Abraham adorauit Angelos; & adoratione, quę debetur Trinitati; ergo latria.

Iosue 5.

¶ ITEM, Iosue adorauit Angelum, qui dixit: *Ego sum princeps exercitus Domini.* Ergo ipse adorauit Angelum latria. Ex his videtur, quod Angelus possit adorari latria.

RESOLVTIO.

Nequaquam propriè, simpliciter, & in se.

August.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quemadmodum dicit Augustinus de fruitione: sola immutabili bonitate est fruendum simpliciter; rationali verò creatura, quæ nobiscum potest participare summam bonitatem, est fruendum secundùm quid, & non simpliciter: item, fruendum est in Deo, non in se, secundum quod dicit Apostolus: *Ego te frater fruar in Domino.* Irrationali verò creatura, quæ non potest nobiscum participare summam bonitatem, non est fruendum, nec simpliciter, nec secundùm quid. Eodem modo dicendum (tamen non per omnia) quòd latria simpliciter debetur Deo: latria verò secundùm quid debetur humanæ naturæ in Deo; hoc est non de se; sed ratione diuinitatis, cui est vnita: latria verò nec simpliciter, nec secundùm quid debetur creaturæ puræ; quia latria est seruitus debita creatori.

Apost. ad Philem.

Gen. 18.

¶ AD illud ergo, quod primò obijcitur de Abraham, 18. Gen. quod videtur Angelos adorasse latria. Est responsio in Glos. quòd Abraham intelligens, diuinitatem in vnitate adorabat, & dispensationi Angelicæ in forma visibili ministrabat. Ex hoc igitur apparet, quòd duo intelligebat Abraham in apparitione illorum virorum. Intelligebat enim creaturam Angelicam in forma humana, intelligebat etiam Trinitatem: & ideo duplex actus sequebatur in Abraham, scilicet adoratio, quæ consequebatur intellectum Trinitatis: & ministerium, quod consequebatur ad intellectum naturæ Angelicæ apparentis in humana natura. Ex quo patet, quòd adoratio latriæ in Abraham non exhibebatur Angelo.

Adamantius.

Iosue 5.

¶ AD illud, quod quęritur de Iosue: Dicendum, quòd Iosue intelligebat in Angelo ipsum Deum, in cuius persona apparebat Angelus, & illum adorabat. Vnde dicit super illum locum Adamantius: *Adorauit, non solùm quia ex Deo est, sed quia Deus est: non enim adorasset, nisi Deum cognouisset: quis enim est princeps militiæ nisi Christus?* Ex quo relinquitur, quod intelligebat in Angelo Christum, cùm dixit: *Ego sum princeps exercitus Domini.* Et sic patet solutio huius Quæstionis.

An qui adoraret Satanam transfiguratum in Angelum lucis, peccaret? §. 3.

2. Cor. 11.

¶ TERTIÒ quæritur de angelo Sathanæ; cùm transfigurat se in Angelum lucis, sicut habetur 2. Corinth. 11. & dicit se esse Christum, vtrùm possit adorari latria sine peccato? Quòd videtur: quia ignorantia facti, adhibita diligentia, excusat; quamuis ignorantia iuris non excuset: ergo cùm iste ignoret, quod factum est, & adhibeat debitã diligentiam: relinquitur, quod non peccat adorando diabolum, sicut Christum.

¶ ITEM, si aliquis credens hostiam consecratam à sacerdote celebrante, quæ non esset consecrata, adoraret eã sicut corpus Christi; propter ignorantiam facti excusaretur, ergo similiter adorans diabolum vice Christi in prædicto casu propter ignorantiam facti excusabitur.

RESOLVTIO.

Vtiq; si simpliciter adoraret: nequaquam si sub conditione.

2. Cor. 11.
Matt. 24.

Ioan. 15.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd satanas transfiguratus apparens in specie Christi, non est adorandus pro Christo simpliciter: nec credendus esse Christus, sed sub conditione. Vnde si adoraret eum simpliciter, peccaret: nec ignorantia excusaret eum. Et assignatur huius triplex ratio. Prima est, quia quilibet est præmunitus per sacram scripturam, quod angelus tenebrarum transfigurat se in Angelum lucis, 2. Cor. 11. & Matth. 24. *Multi venient in nomine meo, &c.* & ideo tenentur discutere, & non statim adorare. Secunda ratio est, quia habet remedium orationis: quia si oraret Deum toto corde; vt reuelaretur ei veritas; Deus non permitteret eum decipi. In hoc enim casu intelligitur illud Ioan. 15. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis:* in nomine meo, scilicet quod est Iesus, quod interpretatur salus: hoc est quicquid petieritis ad salutem: secundùm quod exponit B. Augustinus. Patet ergo ex hoc, quod qui non orat, non adhibet omnem diligentiam, quam debet. Tertia ratio est; quia facillimè posset vitare periculum, apponendo scil. conditionem, hoc modo: *Adoro te, si tu es Christus.*

¶ Ad illud, quod obijcitur de hostia non consecrata: Dicendum, quòd debet adorari sub conditione, scilicet si forma debita obseruata sit: & hoc conditione tacita, vel expressa.

ARTICVLVS II.

De adoratione hominis.

Rom. 12. POSTQVAM habitum est de adoratione Angeli, quæritur de adoratione hominis, quia dicit Apostolus: *Honore inuicem præuenientes.* Primò, vtrùm homo adorandus sit latria? Secundò, vtrùm omnes homines æqualiter sint adorandi? Tertiò, vtrùm mali sint adorandi? Quartò, quomodo sancti viri sunt adorandi? Quintò, vtrùm malus Prælatus plus sit adorandus, quàm bonus subditus?

An homo adorandus sit latria? §. 1.

Damasc. lib. 4. c. 17. Basil. M. Πρωτότυπον ¶ QVANTVM AD PRIMVM sic obijcitur: dicit Ioan. Damasc. quòd *honor, qui exhibetur imagini, refertur ad illum, cuius est imago:* vnde dicit magnus Basilius: *Honor imaginis ad prototypum peruenit,* id est ad exemplar. (Est enim prototypon, prima forma exemplaris, ad quam facta est imago.) Cùm ergo homo sit expressissima imago Dei; poterit in homine adorari Deus latria; & ita per consequens homo potest adorari latria.

Damasc. lib. 4 c. 15. ¶ IVXTA hoc quæritur de B. Virgine. Nam dicit Ioan. Damasc. quòd *honor, qui eius est; ad eum, qui de ea incarnatus, refertur:* ergo ipsa potest adorari latria.

RESOLVTIO.

Homo haud quidem latria adorari potest: sed benè adorationis latriæ materia esse potest.

¶ SOLVTIO. Ad primum dicendum: quòd homo non potest adorari latria: tamen potest esse materia adorationis latriæ, inquantum est imago ducens ad Deum, cuius est imago: & ideo adoratio duliæ debetur ei, secundùm Idem in eodem. quod dicit Ioan. Damasc. *A principio Deus hominem secundùm propriam imaginem fecit: cuius igitur gratia nos ad inuicem adoramus, nisi quòd secundùm imaginem Dei facti sumus?* vt enim ait Basilius. magnus in diuinis Basilius; *honor imaginis ad prototypon peruenit:* id est exemplar: prototypon autem est illud, quod imago repræsentat.

¶ Ad secundum, quod quæritur de B. Virgine: Dicendum, quòd quamuis honor, qui eius est, ad eum, qui ex ea est incarnatus, reducatur: nõ sequitur propter hoc, quod honor ille sit latria: sed sequitur quòd honor ille refertur ad Christum. Honor tamen ille, qui beatæ Virgini debetur, est cuiusdam prærogatiuæ, scilicet duliæ singularis, & quasi immediatè disponens ad latriam, non tamen est latria. Cùm enim adoro matrem Dei inquantum huiusmodi, non adoro vt causam mei conditricem: & ideo non adoro latria; quia autem adoro vt matrem Dei, honoro vt matrem creatoris; & hoc propter ipsum creatorem. Vnde ratio honoris est ipse honor creatoris: ipse tamen honor exhibetur creaturæ. Ex quo relinquitur, quòd ille honor est dulia prærogatiuæ singularis disponens ad latriam; & cuius ratio latria est.

An omnes homines æqualiter sint adorandi? §. 2.

Damasc. in lib. 4. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrùm omnes homines æqualiter sint adorandi? Ad quod sic Damascenus: *A principio Deus hominem secundùm propriam imaginem fecit: cuius igitur gratia nos ad inuicem adoramus, nisi quod secundùm Dei imaginem facti sumus?* Ex quo obijcitur: quòd si omnes homines æqualiter ad imaginem Dei facti sunt: ergo omnes homines æqualiter adorandi sunt.

¶ CONTRA: Adoratio est debitum ratione dignitatis excellentis: ergo si est dignitas aliqua excellens in vno respectu alterius, non æqualiter debetur eis adoratio. Vel si dicas, quod immò: quia non adorantur nisi ratione eius, quod sunt ad imaginem; tunc sequetur ex hoc, quod vnus non debet alium adorare; quia vnus æqualis est alteri quantùm ad imaginem.

¶ ITEM, Prælatus ratione naturæ non debet adorare subditum; quia æqualis est ei quantum ad naturam: similiter habet dignitatem excellentem respectu illius: ergo non debet ipsum adorare ratione dignitatis; immò potiùs econuersò: ergo non æqualiter debetur omnibus adoratio.

RESOLVTIO.

Pro eo quod est ex parte naturæ, æqualiter: pro eo autem, quod est ex parte gratiæ, vel possibilitatis ad gratiam; inæqualiter.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd omnibus exhibendus est honor pro statu & tempore; quia omnes ad imaginem Dei facti sunt, vt dicit Damascenus, & hæc est ratio Idem. communis, quare honor omnibus debet exhiberi loco & tempore.

¶ SED notandum, quòd in imagine, quæ est homo, intelligitur quod est per naturam, intelligitur etiam in ea, quod est per gratiam: quæ reducit ipsam imaginem in plenam conformitatem Dei: quia gratia ipsa est Deiformitas. Ex parte igitur naturæ non est differentia adorationis: vnde quantum ad hoc est æqualitas in omnibus. Sed respiciendo possibilitatem ad gratiam, vel actum qui est per gratiam, quæ actu est in imagine, non est ita. Si enim in statu est gratiæ, & habet gratiam actu; habet bonum excellens in se, ratione cuius debetur ei honor: quilibet enim talis in aliquo vno excellit; licèt non habeat omnia dona: & ratione illius vnius cantatur de quolibet Confessore: *Non est inuentus similis illi.* Et sic respiciendo actum gratiæ in habente, ratione cuius semper excellit; adorandus est homo, & vnus magis alio. Similiter respiciendo possibilitatem ad gratiam in homine, licèt actu sit extra gratiam; tamen adhuc possibilis ad tantam gratiam, & ad maiorem; quàm aliquis habens gratiam actu: & respiciendo possibilitatem hanc in imagine in maiori excellentia: ita etiam respiciendo hoc; maior honor potest impendi vni, quàm alij.

An mali homines adorandi sint? §. 3.

¶ TERTIÒ QVÆRITVR, Vtrùm malis hominibus debeatur adoratio? Ad quod sic Ioan. Damasc. *Honorandi sunt sancti vt filij & hæredes Dei,* vt dicit Ioan. Euangelista. Si ergo mali homines non sunt amici, nec filij, nec hæredes Christi: ergo non sunt adorandi. Damasc.

¶ Ad oppositum, Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Glos. *id est in qualibet reuerentia: aliter non est fraternus amor, nisi mutuo se præueniant obsequijs.* Rom. 12. Glossa.

¶ ITEM, aliquis modò malus, fortè præordinatus est ad maiorem iustitiam, quàm aliquis modò bonus, & possibilis est ad hoc: ergo dignus est honore ratione istius possibilitatis.

RESOLVTIO.

Non vtique ratione malitiæ & nequitiæ: sed benè ratione naturæ, & possibilitatis ad gratiam.

¶ SOLVTIO. Dicendum, sicut supradictum fuit: mali homines inquantum mali, non sunt diligendi, immò odio habendi: quia odire malum inquantùm malum, non est odire naturam eius, sed odire vitium in ipso, vt dicit Augustinus, & ideo sic odiendi sunt: & sic non sunt honorandi, nec adorandi. Attendendo tamen naturã ipsam, quia sunt ad imaginem Dei facti, & possibiles ad gratiam, ratione huius debetur eis honor & dilectio.

Qua adoratione sanctos adoramus. §. 4.

¶ QVARTÒ QVÆRITVR de adoratione sanctorum, qualis sit? Ad quod sic: Dulia adoramus sanctos, sed dulia idem est quod seruitus, vt dicit Augustinus, ergo seruitute ipsos adoramus. August.

¶ Ad oppositum Augustinus: *Sancti adorandi sunt propter imitationem, non propter religionem: adoramus eos charitate,* August. in lib. de vera relig.

non seruitute. Ergo adoratio, qua adoramus eos, non est seruitus: quare, &c.

RESOLVTIO.

Adoratione dulia: id est seruitutis reuerentia.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd duplex est seruitus. Est enim seruitus obnoxietatis; & hæc debetur Deo: eò quod est principium nostri esse. Est etiam seruitus reuerentiæ; & hæc debetur sanctis: quia ipsi sunt nostri doctores, vel per doctrinam, sicut prælati; vel per intercessionem, vel per administrationem.

An malus prælatus, vel potiùs bonus subditus plus adorandus, honorandusve sit? §.5.

¶ QVINTÒ QVÆRITVR: An malus prælatus magis sit honorandus, quàm bonus subditus, & econuersò: Ad quod sic, Roman.13. *Cui honorem, honorem*. In Prælato, qualiscunque sit, est maior dignitas, quàm in aliquo subdito: ergo maior veneratio debetur malo prælato, quàm malo subdito. Rom.13.

¶ CONTRA: Maior est dignitas imaginis in bono subdito, quàm in malo prælato: sed dignitas imaginis ratio est, quare nos adinuicem adoramus, vt dicit Damascenus; ergo maior veneratio debetur bono subdito, quàm bono prælato. Damasc lib. 4 c.17

RESOLVTIO.

Longè nimis malus prælatus: cùm magis sit in participatione debiti honoris.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd malus Prælatus, inquantùm prælatus, magis debet honorari, quàm bonus subditus: quia magis est in participatione debiti honoris. Quia est honor gratuitus debitus ex necessitate: & est honor gratuitus non debitus ex necessitate. Primus honor debetur prælato inquantum prælatus, quia inquantum huiusmodi vice Christi est: vnde Rom.13. dicit Apostolus de ipso prælato, quod Dei minister est. Honor autem gratuitus non debitus ex necessitate debetur bono subdito: & ideò magis tenemur ad honorem maiorem prælati inquantum prælatus. Rom.13.

ARTICVLVS III.

De adoratione creaturæ irrationalis.

POST hæc inquirendum est de adoratione, quæ debetur irrationali creaturæ; quæ est vestigium Dei: & maximè de adoratione, quæ exhibetur cruci Christi. Primò, an maior veneratio debetur cruci Christi, quàm homini? Secundò, an possit Deus adorari latria in vestigio, sicut in imagine.

An maior veneratio debeatur cruci Christi, quàm homini cuilibet? §.1.

¶ QVANTVM AD PRIMVM sic obijcitur: Exod.20. prohibetur, quòd non fiat sculptile, neque vlla similitudo. Si ergo figuramus Deum in cruce, cōtra præceptum facimus: non est ergò crux magis adoranda, quàm rationalis creatura. Exod.20.

¶ ITEM, adoratio seu veneratio respicit dignitatem: sed maioris est dignitatis rationalis creatura, quæ est homo, quàm ipsa crux: quia homo ad imaginem Dei factus est, & creatus est ad beatitudinem, & vt fit particeps diuinæ bonitatis, & veritatis per cognitionem & amorē: crux autem non ita, cùm sit irrationalis creatura: ergo maior veneratio debetur homini, quàm cruci.

¶ CONTRA, crux à maximis adoratur, etiam Petrus, qui iam beatus est, crucem adoraret; non tamen hominē: ergo maior veneratio debetur cruci, quàm homini.

RESOLVTIO.

Maior ad modum: verùm non ratione sui, sed ratione signati: Christi in ea iam affixi.

¶ SOLVTIO. Dicendum: quòd est dignitas realis, quæ debetur rei; & est dignitas imaginis: & hæc non est ex parte imaginis, sed ex parte rei quam imaginat. Vnde Damascenus: *Honor imaginis ad prototypon, id est exemplar refertur.* Damasc.

Sed notandum, quòd est imago per participationē, & hæc est rationalis creatura: & est imago, vt signum scil. alicuius beneficij Dei: sicut humanationis eius, & passionis, & huiusmodi. Vbi ergò est imago vt signum: totus honor refertur ad prototypon, id est exemplar: vnde dicit Damasc. de cruce, quòd adorādo crucem, adoramus passionem Christi, seu Christum passum, sub his verbis: Adoramus typon pretiosæ crucis; & si ex alia materia est facta; nō materiam adorantes, absit: sed typon vt * Christi symbolum, id est notam; dixit enim discipulis: Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Sed vbi est imago per participationem, vt homo, est adoratio duliæ. Et ita non est hæc adoratio crucis maior, nisi qua refertur ad signatum; dulia autem debetur homini, eo quod est in participatione diuinæ dignitatis, sicut potentiæ, vel sapientiæ, vel bonitatis, quod non conuenit cruci. Ille ergo maior honor qui exhibetur cruci, refertur ad rem significatam, cuius est signum, non ad ipsam crucem in se. Idem lib. 4. cap.12 * al. vel Christi.

¶ AD illud, quod obijcitur: *Non facies tibi sculptile* Dicendum secundùm Damasc. quòd antequam Deus esset humanatus facere imaginem Deo erat impietatis; quia secūdùm diuinam naturam non est figurabilis: sed postquam visibilis & sensibilis factus est per assumptionem carnis; non est hoc impietatis; sed potiùs pietatis est ipsum figurare: & hoc propter doctrinam & instructionem nostram, & propter recordationem passionis Christi, vt præsens sit nostræ memoriæ, & per hoc instruimur & allicimur ad bonum. Hac enim de causa fiunt imagines Sanctorum. Vnde Damascenus: *Inuisibilis, & incorporei, & incircumscriptibilis, & infigurabilis Dei quis potest facere imaginem?* Insipientiæ igitur summæ esset, & impietatis figurare quod diuinum est. Hinc in veteri Testamento non erat assuetus imaginum vsus: quia verò Deus propter viscera misericordiæ suæ secundùm veritatē factus est homo propter nostram salutem, non vt Abrahæ visus est in specie hominis; non vt prophetis: sed secundùm substantiam factus est homo, & perambulauit terram, & cum hominibus conuersatus est: miracula fecit, passus est, crucifixus est, resurrexit, assumptus est: & omnia secundùm veritatem facta sunt, & visa sunt ab hominibus. Scripta quidem sunt ad memoriam & doctrinam nostram: quia autem non omnes nouerunt literas, nec lectioni vacant; patres excogitauerunt velut quosdam triumphos in imaginibus describere ad velocem memoriam. Quapropter multoties non secundùm mentes habentes Domini passiones, imaginem Christi crucifixionis videntes, & salutaris passionis in memorationem venientes, procidentes adoramus, non materiam, sed imaginatum. Similiter & Dei genitricis imaginis, non materiam, sed figuram adoramus: honor enim qui est ad ipsam, ad ipsum qui ex ipsa est incarnatus, reducitur. Similiter autem & sanctorum certamina, erigentia nos ad fortitudinem, & imitationem, & zelum virtutis eorum, & gloriam Dei, sicut diximus: etenim imaginis honor ad prototypon, id est exemplar peruenit. Et per hoc soluuntur omnia obiecta. Exod.20. Damasc. lib. 4. c.15. Damasc.

An Deus sicut in imagine, ita in vestigio latria adorari possit? §.2.

¶ SECVNDÒ QVÆRITVR: Vtrùm Deus possit adorari latria in vestigio, sicut in imagine. Quia si sic: cùm in omni creatura sit vestigium Dei; erit adorandus latria in omni creatura, vt in lapide. Quod autem ita sit, patet quia Genes.28. dicitur de Iacob, quòd surgens mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Cùm ergo latria consistat in sacrificij oblatione, ipsum autem oleum obtulit pro sacrificio: ergo ipse exhibuit latriam lapidi. Genes.28.

¶ ITEM, cùm Deus sit vbique præsentialiter, potentialiter, & essentialiter: ergo potest in omni re adorari: ergo secundùm hunc modum potest cuilibet creaturæ exhiberi latria.

RESOLVTIO.

Minimè, cùm vestigium non immediatè ducat in Deum, quemadmodum imago.

¶ SOLVTIO. Cùm quæritur an Deus adorandus sit in vestigio? Dicendum, quod non:nisi inquantum vestigium efficitur signum per institutionem:quemadmodum tabernaculum,& lapis,quem vnxit Iacob; erat signum & figura ipsius Christi: & secundùm hoc signatum adoratur latria.Si verò consideratur ipsum vestigium in se, non potest esse materia latriæ; vestigium enim nõ immediatè ducit in Deum,quemadmodum imago.Vestigium enim determinatur in creatura rationali secundùm vnitatem, veritatem,bonitatem: quæ referuntur ad imaginem;quæ in creatura rationali determinatur secundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem: quæ quidem immediatè referuntur ad Trinitatem. Quia ergo illud solum, quod immediatè ducit in Deum, potest esse materia latriæ:vestigium autem non ducit in Deum immediatè; patet quia non potest esse materia latriæ inquantum huiusmodi,sed imago:hinc est etiã,quòd Deus potest adorari in imagine, non in vestigio,inquantum est res.

¶ AD illud verò,quod obijcitur de Iacob:Dicendum, quòd ipse non impendit honorem lapidi,sed signato propter lapidem,quod erat Christus.

¶ AD vltimum dicendum, quòd quamuis Deus sit in omni creatura,prout dicitur præsentialiter,potentialiter, essentialiter:non tamen (sicut dicit B.Augustin.) omnem creaturam inhabitat: solùm enim habitat in illis, in quibus est per gratiam: qui scilicet sunt templum eius, sicut dicit Apostolus:*Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Templum autẽ solùm dicitur creatura rationalis, in qua Deus inhabitat per gratiam,cognitionem, & amorem: quia ergo creatura irrationalis non est possibilis, vt sit templum, nec erit in ea adoratio, prout res est; nisi secundùm quod est signum,sicut dictum est. Reliqua, quæ pertinent ad istam materiam,inuenientur in Quæstione de Latria,quãdo de Virtutibus inquiretur. Et sic patet responsio,&c.

[Marg.: Aug. ad Dardan. — 1.Cor.3. — Inferius.]

QVÆSTIO XXXI.

De secundo præcepto Decalogi.

In quinq; Membra, & quindecim Articulos diuisa.

POSTQVAM quæsitum est de primo mandato decalogi, cõsequenter inquirendum est de secundo, quod est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et circa hoc quæretur:Primò generaliter.Secundò specialiter.

[Marg.: D.Tho.2.2.q.89.& inde S.Bon.in 3.d.39.Sco.]

MEMBRVM I.

De secundo præcepto Decalogi in generali.

GENERALITER autem inquirendo circa ipsum, duo quæruntur. Primò de expositione huius præcepti. Secundò de continentia, & intentione eiusdem præcepti.

ARTICVLVS I.

An secundum mandatum Decalogi,scilicet, Non assumes nomen Dei tui in vanum,rectè & Exod.20.& Deut.5. in Glossa exponatur.

PRIMÒ quæritur de expositione huius mandati: quæ assignatur tribus modis, secundùm tres expositiones, quæ ponuntur in Exod.20.& Deuter.5. Expositio autem, quæ ponitur in Exod.est:*Non assumes,&c.* Christum putando tantùm creaturam. Et Deut. 5. *Non æstimes creaturam esse filium Dei.* Secunda verò expositio, quæ ponitur Exod.20. est:*Non assumes, &c.* iurãdo scilicet pro nihilo nomen Dei. Deut.5. dicit Glos. *Iurando pro re qua non est.* Tertia expositio est in Deut. *Non assumes, &c.* Nomen Dei ligno,& lapidi,& huiusmodi tribuendo.

[Marg.: Exod.20. — Deut.5. — Exod.20 Glossa. — Deut.5.]

¶ QVANTVM ergo ad istas expositiones opponitur: & primò quantum ad primam,an sit conueniens? Hugo: *Assumere nomen Dei in vanum, est filium Dei visibilem per humanitatem factum creaturam existimare.* Ergo assumere nomen Dei in vanum, est credere Christum purã creaturam: hæc ergo expositio conueniens est.

[Marg.: Hugo de sacram. lib. 1. par. 12.]

¶ ITEM, Psalm.71. *Ante solem permanet nomen eius.* Glos. *Ante tempora & omnem creaturam permanet nomen eius, id est filius regis.* Ergo nomen est ipse filius;sed Rom.8.dicitur;*Vanitati subiecta est creatura omnis.* Ergo assumere nomen Dei in vanum,est filium Dei credere puram creaturam.

[Marg.: Psalm. Glossa. — Rom.8]

¶ AD oppositum,Rom.2.*Cùm gentes naturaliter ea, quæ legis sunt,faciunt: ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis naturaliter.* Ergo decalogus est de dictamine legis naturalis. Sed filium Dei esse hominem vel incarnatum, non est de dictamine legis naturalis: ergo ad illud mandatum non pertinet, quòd filius Dei incarnatus seu visibilis factus per humanitatem (vt dicit Hugo) non credatur creatura: ergo nulla est expositio: sed impertinens ad propositum.

[Marg.: Rom.2. — Hugo.]

¶ QVANTVM ad secundam expositionem obijcitur sic:*Non assumes,&c.* scilicet iurãdo pro nihilo,quia quicunque assumit nomen Dei in vanum, peccat mortaliter.Sed non quicunque iurat pro nihilo, peccat mortaliter. Iurare ergo pro nihilo, non prohibetur hic. Minor patet, quia dato, quod iurare pro nihilo, sit mortale peccatum, iam iurare non esset indifferens:quia illud,quod est indifferens, potest fieri sine causa; & tamen non est peccatum mortale. Iurare ergo esset malum in genere: & nõ bonum ex circunstantia.

¶ ITEM, Augustinus: *Iurare non est bonum, & tamen non est malum.* Ergo secundùm hoc est indifferens:ergo aliquis potest iurare pro nihilo sine peccato mortali.

[Marg.: August.]

¶ ITEM, Psalm. 23. *Nec iurauit in dolo proximo suo.* Glos. *Prohibet non quodcunque iuramentum, sed iuramentum in dolo.* Ergo solùm iuramentum in dolo, est peccatum mortale: ergo iuramentum pro nihilo non est hic in prohibitione.

[Marg.: Psalm 23. Glossa]

¶ QVANTVM ad tertiam expositionem,quæ est:*Non assumes, &c.* ligno vel lapidi nomen Dei tribuendo. Obijcitur, quia secundùm hanc expositionem, *vanum.* hic appellatur idolum.Sed quicunq; hoc nomen,*Christus*,idolo tribuit, facit idololatriam: ergo hic prohibet idololatriam. Ergo non differt à primo præcepto secundùm hanc expositionem.

[Marg.: Deut.5.]

¶ AD oppositum, Augustinus:*Si tangis primam cordam, interficies bestiam idololatriæ: si tangis secundam cordam,interficies bestiam erroris.* Ergo error prohibetur in hoc mandato: & hoc dicit ista expositio;ergo conueniens est.

[Marg.: Aug. in li. de decem cordis.]

¶ SED ratione huius quæritur: si error hic prohibetur, & in primo mandato,quomodo differenter.

RESOLVTIO.

Perspecto mandato hoc, prout ad legem gratiæ ducit, & pro eo quod à lege naturali educitur; tum secundùm sui formam, tum secundùm sui virtutem; rectißimè definitum esse apparebit.

¶ SOLVTIO. Dicendum,sicut dictum est supra: Lex Moysi media est inter legem naturę,& legem gratię. Educitur enim à lege naturæ, maximè quantum ad decalogũ, sicut dicit August.* sicut hic manifestatur. Vnde dicit,qđ data est lex Moysi;vt quæ latere ceperant, manifestarẽtur. Item,ducit ad legem gratiæ. Vnde Psal. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Glos. *Sua districtione corrigens, & ad Christi gratiam mittens.*

[Marg.: Item in quæstionib noui & vet. testamenti. * al. sed Psalm 18. Glossa.]

¶ SECVNDVM hoc ergo decalogus habet respectum vel rationem vnam, prout educitur à lege naturæ: aliam, prout ducit ad legem gratiæ. Sic igitur mandatum istud potest considerari,prout ducit ad legem gratiæ:&sic transit in signum:& sic non solùm literale est, sed etiam mysticum: & sic exponitur, vt pertineat ad filium, sicut primum pertinet ad patrem,& tertium ad spiritum sanctum: & secundùm hoc est eius expositio, *Non assumes*, id est non

credes Christum puram creaturam. Si autem sumatur hoc mandatum, prout educitur à lege naturæ: aut considerari secundùm suam formam, aut secundùm suam virtuté. Si secundùm suam formam consideretur, sic propriè nomen in vanum assumere est, sicut sumitur in attestatione veritatis, sicut in iuramento: & sic exponitur illa expositione, *non assumes, &c* iurando pro nihilo, Exod. 20. Si autem sumatur secundùm virtutem; vt sumatur in vanum sumere, id est abuti nomine: sic est tertia expositio, *non assumes, &c* ligno vel lapidi nomen Dei tribuendo: & sic mãdatum istud habet expositionem mysticam. Vnde Hugo supra dixit: *In vanum nomen, &c.* filium Dei, &c. Literales sunt expositiones, scilicet iurando pro nihilo; & ita, nomen Dei lapidi vel ligno tribuendo. Hugo: *Non assumes nomen Dei tui in vanum, vel ad mendacium affirmandum, vel ad idolum venerandum.*

Exod. 20. — Hugo de sacramẽtis. — Idem ibi.

¶ Ad Rationem in contrarium. Dicendum, qđ licèt naturę non dictet incarnationem in ratione propria: dictat tamen eam in ratione vniuersali: quia benè dictat, quòd Deus summè misericors est: & quod non dimitteret creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire.

¶ Ad ea, quæ objiciuntur de secunda expositione: Dicendum, quod iurare est proferre verbum iuramenti: iurare ergo pro nihilo, aut est idem quod assumere verbũ iuramenti cum intentione iurandi & deliberatione, aut sine intentione. Si ergo dicatur iurare pro nihilo, assumere verbum iurandi sine intentione iurandi: sic iurare pro nihilo, non est peccatum mortale, nec est in prohibitione: vnde dormiens si proferret verbum iuramenti, non peccaret; quia non deliberaret, nec intenderet iurare. Si autem iurare pro nihilo, vel sine causa, dicatur cum intentione iurandi, sic est in prohibitione: & sic est contra hoc præceptum, assumere enim dicit sumere cum intentione huius: quia dicit sumere ad: & propter hoc ille, qui cum intentione iurat pro nihilo, directè peccat contra hoc mandatum.

¶ Ad illud, quod objicitur secundùm August. quòd iurare sit indifferens. Dicendum, quòd iurare est asserere per primam veritatem, id est cum inuocatione primæ veritatis ad testimonium suæ affirmationis. Ratione ergo eius quod est asserere; verum est, quòd iurare est indifferens: quia asserere potest benè & malè fieri. Sed hoc, quod est inuocare primam veritatem in testimonium, dicit quãdam circunstantiam, quæ ita determinat hunc actum, quod sine ea non possit absque contemptu ipsius veritatis, quæ Deus est, fieri: quia iam non talis pro nihilo duceret primam veritatem: & ita sequeretur quòd ipsam cõtemneret. Propter hoc dicendum ad auctoritatem Augustini, quòd iurare non est bonum; & tamen nõ est malum: ergo est indifferens, &c. quod indifferens dupliciter dicitur. Vno modo dicitur actus indifferens, qui potest benè & malè fieri, & sic iurare indifferens est, quia si fiat ex bona causa, benè fit, si verò ex mala causa fit, malè fit. Alio modo dicitur indifferens, quod potest indifferenter exerceri: & sic iurare non est indifferens; & hoc propter inclusam circunstantiam.

¶ Et quod obiicitur: quod sic sequeretur, quòd iurare esset malum in genere. Dicendum, quòd non: quia malum in genere est, quod determinat genus in malum: & solùm ex circunstantia trahitur ad bonum. Sed iurare secundùm genus bonum est, scilicet asserere per primã veritatem. Nec illa differentia trahit ipsum actum ad malum: sed quod non indifferenter exerceatur.

¶ Ad tertium dicendum: quòd iuramentum in dolo vniuersaliter est in prohibitione; quia semper determinatur in malitia: sed iuramẽtum ex causa potest benè fieri & malè: & ideo non dicitur prohiberi, supple vniuersaliter.

¶ Ad ea, quæ objiciuntur in tertia expositione. Dicẽdum, quòd hæc expositio: *Non assumes, &c.* Ligno vel lapidi nomen Dei tribuendo; nõ est quantum ad formam primam mandati, sed quantum ad virtutem: ex parte autem formæ propriè attenditur distinctio in mandatis; non ex parte virtutis: vnde si ex parte formæ sumeretur illa expositio, benè procederet ratio. Adhuc tamen secundùm istã expositionem distinguitur hoc mandatum à primo: quia si accipitur quòd latria in his tribus mandatis præcipitur; sic est distinctio: quia in primo mandato præcipitur latria vt adoratio seu veneratio Dei secundùm actum cordis, cũ dicit: *Non adorabis, &c.* quia adoratio dicit actum cordis, vnde Hugo: Deum adorare, est ei totam mentem secundùm humilitatem & deuotionem substernere: & ipsum principium omnis boni credere. In secundo verò mandato præcipitur latria secundùm actum oris: vnde præcipitur assumere nomen Dei in laudem & gloriam ipsius, cùm scilicet prohibet ne assumatur in vanum. In tertio præcipitur veneratio Dei secundum actum operis, vt scilicet in sabbato esset vacatio Deo: & orationes, & oblationes sacrificiorum fierent.

Exod. 20. — Hugo in lib. de sacramẽtis.

ARTICVLVS II.

De continentia & intentione istius secundi mandati.

POSTEA quæritur de continentia & intentione istius mandati. Et circa hoc quæruntur duo. Primò, quod est nomen, quod prohibetur hic assumi in vanum. Secundò, quid est dictu, nomen Dei assumere in vanum?

Quodnam est nomen id, quod in secundo hoc Decalogi præcepto in vanum assumi prohibetur? §. 1.

¶ Qvantvm Ad Primvm obiicitur: & videtur, cùm non dicatur hic nomen Dei cum aliqua determinatione, quod accipiatur generaliter. Sed sunt nomina suæ potentiæ, suæ veritatis, suæ bonitatis; ergo hic prohibetur assumptio in vanum de nomine potentiæ, & bonitatis, & non solùm de nomine veritatis. Contrarium auté huius videtur per Aug. qui distinguit, quod primum mandatum pertinet ad reuerentiam maiestatis: secundum ad reuerentiam veritatis: tertium ad reuerentiam bonitatis. Non ergo sumitur hic nomé pro nomine potentiæ, & bonitatis, sed solùm pro nomine veritatis. August.

¶ Sed videtur, quod sumatur pro nomine potestatis, Psalm. 65. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Sicut ergo contingit mentiri contra nomen veritatis, ita contra nomé potestatis: sed si assumpto nomine potestatis, scilicet cum mendacio, est assumptio nominis in vanum; ergo qui sic accipit nomen potestatis, præuaricatus est contra istud mandatum. Psalm. 65.

¶ Item, Psalm. 112. *Laudate pueri Dominum, laudate nomẽ Domini.* Glos. *id est potentiam:* Ergo nomen Dei est potentia: sed hoc nomé potest sumi in vanum, ergo prohibetur hic assumptio huius nominis. Psal. 112. Glossa.

¶ Item, quòd prohibeatur hic assumi in vanũ nomen bonitatis; patet Psalm. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Glos. *id est, qui non temporalia sperat ab eo: sed illud, quod nomen eius indicat, scilicet salutem.* Si ergo respectu boni est spes, ergo nomen eius indicat bonitatem. Psal. 39. Glossa.

¶ Item, quomodo accipitur nomen Dei: vtrùm scilicet personaliter, vel essentialiter. Quòd personaliter, patet Psalm. 71. *Ante solem permanet nomen eius.* Glos. *Nomen eius filius regis.* Ergo cùm prohibetur assumptio nominis in vanum, accipitur personaliter pro filio: sed si sic; solùm ergo exponitur prima expositione, quæ est, id est nõ credas filium Dei puram creaturam. Si accipitur essentialiter, sic obiicitur. Dionys. *Theologi tanquam innominabilem Deum laudant, & ex omni nomine.* Si ergo ex omni nomine nominatur, & laudatur: ergo assumptio alicuius nominis, quodcunque sit, si sumatur in vanum, vel sine causa, faciet præuaricationem contra istud mandatum, quod est inconueniens. Non sumitur ergo hic nomen essentialiter, nec personaliter. Quod est ergo hoc dictum, *Non assumes nomen Dei tui in vanum?* Psalm. 71. Glossa. — Dionys. in prologo de diuinis nominibus. — Exod. 20

RESOLVTIO.

Id proculdubio, quo Deus, siue diuinitas nobis innotescit, aut personaliter, & sic est filius: aut essentialiter, & sic est ipsa veritas, vt nota est.

¶ Solvtio. Dicendum, quod cũ dicitur: *non assumes nomen* Ibidem.

Ibi. *nomen Dei tui in vanum*, nomen accipitur hic illud, quo id, quod est Deus, rationali menti innotescit. Vnde: *Afferte*
Psal. 28. Glossa. *Domino gloriam nomini eius.* Gloss. *Afferatis, vt scilicet, per vos gloriose innotescat.* Sed nomen potest assumi, secundùm q istud mandatum ducit ad legem gratiæ: & sic dicitur hic nomen personaliter: & tunc illud nomen est filius, per
Matth. 11 quem innotescit tota diuinitas. Vnde: *Nemo nouit filium nisi pater, nec patrem quis nouit, nisi cui voluerit filius reuelare,*
Psalm. 71. Glossa hoc modo dicit: *Ante solem permanet nomen eius.* Gloss. *nomē eius filius regis*: & illa expositio mystica, *non credes Christum esse puram creaturam.* Vel potest nomen accipi, secundùm quod hoc mandatum educitur à lege naturæ: & tunc nomen accipitur essentialiter: & sic nomen Dei dicitur ipsa veritas, vt est nota; quia hæc est ratio nominis: nomen enim dicitur, eò quod est nota: & sic accipitur nomen Dei
Exod. 8. Ioan. 8. in Gloss. super illud: *Percutiam omnes terminos tuos ranis.* &c. Nomen Domini veritas est: ipse enim dicit, Ego sum veritas: qui loquitur veritatem, de Deo loquitur: qui autem loquitur mendacium, de suo loquitur.

¶ Ad rationes in contrarium dicendum: quod nomen in diuinis accipitur, aut secundum potentiam, aut secundum veritatem, vel bonitatem. Nam ex parte potentiæ est ratio vel principium efficientiæ: ex parte veritatis est principium certitudinis: ex parte bonitatis principium beatitudinis. Sicut ergo dicimus, quòd efficientia vel causalitas est ex parte potentiæ, & hæc est veritatis & bonitatis, hoc est, inquantùm intentio potestatis intrat bonitatem & veritatem: sicut etiam dicimus, quòd bonitatis per se est allicere; & quicquid allicit, est in ratione bonitatis: vnde potestas non allicit, nisi quia est bona: nec veritas, nisi quia est bona. Sic dicimus, quòd intentio nominationis per se est veritas, quia nominare est notum facere seu certificare. Ideo ad veritatem, respectu cuius est certitudo; pertinet se, & potentiam, & bonitatem nominare: vnde eius intentio se manifestat, & potentiam, & bonitatem. Et sic licèt sint nomina potentiæ, & bonitatis: tamen illud præceptum solum ad veritatem pertinet: quia nomen non est potentiæ, nec bonitatis: nisi inquantùm habent rationem veritatis in se.

¶ Ad illud, quòd quæritur? an nomen accipitur ibi personaliter, vel essentialiter. Patet solutio ex dictis: quia prout ducit ad legem gratiæ, personaliter accipitur, pro filio: prout verò educitur à lege naturæ: accipitur essentialiter pro veritate: debitum enim honoris ipsius veritatis naturaliter est inscriptum menti rationali.

Quid est, nomen Dei in vanum assumere? §. 2.

¶ Secundò quæritur? quid est dictu, nomen Dei assumere in vanum? Multipliciter enim contingit assumere nomen Dei scil. in attestatione, in denominatione, in prædicatione, in adiuratione, in consecratione: & tot modis contingit assumere nomen Dei in vanum: continet ne ergo istud præceptum omnes istas assumptiones in vanum? Si sic, sed contingit assumere nomen Dei per de-
August. nominationem, sicut à Christo dicitur Christianus, & ab vncto vnctus; vt dicit Augustinus: si ergo contingit illum, qui sic assumit, malè assumere, & in vanum: & assumptio nominis in vanum prohibetur, hic: ergo prohibetur hic assumere nomen in vanum: sicut accipitur per denominationem.

¶ Contra omnis Christianus peccans: peccat contra gratiam huius nominis, à qua scilicet dicitur Christianus: ergo omnis Christianus peccans peccat contra hoc præceptum: & sic peccando contra alia præcepta, peccat contra istud præceptum.

¶ Item, quæritur? vtrùm ille, qui prædicat propter vanam gloriam, assumat nomen, secundùm quod hic prohibetur assumptio nominis? Nam in operibus bonis peruersa intentio est causa peccati. sed ille, qui prædicat propter vanam laudem, habet peruersam intentionem: ergo peccat. Cùm ergo nomen assumat; assumit nomen in vanum: sed omnis assumptio nominis in vanum hic prohibetur, sicut omnis adoratio idoli in primo mandato, & sanctificatio in tertio: ergo assumptio nominis in vanum, sicut assumitur in prædicatione propter vanam laudem, hic prohibetur.

¶ Item quæritur? vtrùm adiurare malo fine sit assumere nomen, quòd hic prohibetur: sicut cum dicitur, *Exorcizo te creatura salis*, &c. Et videtur, quòd sic: quia nomen assumere propriè est nomen ad aliud sumere: sed in adiurationibus nomen ad aliud sumitur: ergo impropriè assumitur. (Vnde: *Filij vestri in quo eijciunt.* Gloss. *Exorcista Iudaeorum, qui ad inuocationem nominis Dei dæmones eijciebant.*) Assumit ergo exorcista vel adiurator nomen ad aliud: ergo si assumat propter malum finem sicut propter pecuniam, constat quod assumit in vanum nomen: peccat ergo contra hoc præceptum. Matth. 7 Glossa.

¶ Item, *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus.* Matth. 7 Glossa.
Gloss. *Prophetare, facere virtutes, eijcere dæmones, interdum non est meriti illius; qui operatur: sed inuocatione nominis Christi hoc agitur ad damnationem inuocantium; vel ob vtilitatem eorum, qui vident, vel audiunt.* Et loquitur de adiurantibus. Isti ergo sumunt nomen Dei ad aliud scilicet ad virtutes faciendas, vel dæmones eijciendos, & in vanum: quia ad sui damnationem: vt dicit Gloss. Ergo in hoc præcepto prohibetur assumere nomen in vanum: sicut assumitur in adiurationibus.

¶ Item, quæritur? si consecrare propter malum finem, sit assumere nomen in vanum, quòd hic prohibetur. Videtur quod sic: quia in consecrationibus nomen sumitur ad aliud: vnde Marci vltimo. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris*, &c. Ex quo patet, quòd sumitur ad sanctificandum. Sacerdos ergo, qui propter lucrum consecrat, facit contra hoc præceptum; quia assumit nomen in vanum: non ergo arctatur hoc præceptum ad assumptionem nominis in vanum in assertionibus, vt in iuramentis veritatis. Marci vlt.

RESOLVTIO.

Nomen Dei in vanum assumere, propriè nil aliud est, quàm veritatem ipsam in suas assertiones, inq; earum testimonium vanè assumere. Extensio autem nomine, idem est, quòd à Christo per denominationem Christianus dici.

¶ Solvt. Dicendum, quòd secundum q hoc præceptum ducit ad legē gratiæ: sic accipitur mysticè: & sic nomine extenso dicimus, quòd assumere nomen in vanum dicitur, sicut ille, qui accipit nomen Christi per denominationem in vanum: quia sic nomen dicitur ibi Christus, à quo denominatur Christianus.

¶ Ad rationem in contrarium dicēdum: quod non sequitur ex hoc, quòd Christianus quolibet modo peccans faciat contra hoc præceptum: immò ille solum, qui apostatat ab hoc nomine: non omnis autem Christianus peccans apostatat ab hoc nomine, nisi quando à veritate recedit. Vnde contra hoc præceptum est peccatum hæresis, quòd est in recessu à veritate.

¶ Ad secundum dicendum, q prædicator, qui prædicat in vanum; magis peccat contra tertium mandatum, & non contra istud: quia intentio primi præcepti est, vt sit veneratio Dei ea ratione, qua est principium nostræ conditionis: sicut intentio secundi est, vt sit eius veneratio, prout est principium rectitudinis. In tertio est veneratio Dei ex hoc, quòd est finis intentionis scil. secundùm qd bonum est summum: & hæc veneratio est quies vel sanctificatio Sabbati. Qui ergo habet malam intentionem, peccat contra tertium præceptum: & ideo prædicator, qui propter vanam gloriam prædicat, contra tertium mandatum; peccat; quia habet malam intentionem.

¶ Ad aliud de adiurationibus & consecrationibus. Dicendum, q est assumere nomen vt nomen, hoc est nomen vt veritatem: & est assumere nomen vt virtutem. Ille ergo, qui adiurat, accipit nomen vt virtutem scilicet, vt aliquid per ipsum agat: ille autem, qui consecrat, accipit nomen vt bonitatem & gratiam, per quam sanctificet, sicut baptizās. Solum autem ille, qui iurat accipit nomen

vt no-

vt nomen, vel vt veritatem: quia ipsum innocat in testimonium suæ assertionis. Secundum autem propriam intentionem huius præcepti, nomen Dei assumere est, ad assertiones ipsam veritatem adducere, seu in testimonium assertionum.

MEMBRVM II.

De hoc eodem precepto in speciali, quòd est de actu iuramenti.

POSTQVAM inquisitum est de secundo mandato generaliter: quęrendum est specialiter de ipso quantum ad iuramentum, propter illam expositionem *non assumes*, &c. id est, non iurabis pro nihilo. Exod. 20.

¶ CIRCA ergo iuramentum plura quæruntur: & primò de actu iuramenti. Circa quod hæc quæruntur? Primò, an sit bonum, vel malum, vel indifferens. Secundò, an sit licitum, vel illicitum vniuersaliter. Tertiò, an prohibeatur iuramentum ratione actus, vel affectus. Quartò, an prohibeatur quantum ad consuetudinem, vel quantum ad actum. Quintò, quibus conueniat iurare. Sextò, an licitum sit iuramentum recipere.

ARTICVLVS I.

An iurare bonum sit, vel malum, vel indifferens?

AD primum sic obijcitur: super illud. *Dico vobis, non iurare omnino*: dicit Gloss. *Per quod quis iurat, illud veneratur, & amat.* Sed amare Deum & venerari, in se est bonum: ergo iurare in se est bonum. Math. 5. Gloss. Hieron.

¶ ITEM, omnis actus, secundùm quem contingit assimilari Deo, est bonus: sed iurare est huiusmodi: ergo actus iurandi simpliciter est bonus. Minor patet, quia Deus iurat per seipsum veritatem. *Per me metipsum iuraui, dicit Dominus*, &c. Et: *Quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem; iurauit per semetipsum.* Similiter homo per illam eandem veritatem, quæ Deus est, iurat: vnde eadem est ratio assertionis vtrobique: ergo per actum iurandi assimilatur homo Deo. Gen. 22. Hebr. 6.

¶ ITEM, iurare est inuocare Deũ testem: hoc quod est, *Deum inuocare*, nõ dicit aliq̃ inordinationem: similiter nec hoc quod est *testem*, dicit aliquam inordinationem: quia hoc est inuocare Deum ad testificandum assertionem: assertio autem est, vt credatur veritas. Si ergo addatur ratio, qua credatur, non est inordinatio: sed ratio inter omnes, qua magis debet credi, est ipsa veritas prima: ergo ipsam sic inuocare, non dicit aliquam inordinationem, sed bonum simpliciter. Iurare ergo, quòd dicit huiusmodi inuocationem, est bonum simpliciter.

¶ ITEM Aug. *Ita præcepisse Dominum intelligitur, ne iuraretur; ne quisquam sicut bonum appetat iuramentum, vel iusiurandum: & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem labatur.* Iurare ergo prohibetur propter periurium: ergo non est malum in se, vel secundum se: ergo est bonum, vel indifferens. Aug. in sermone Domini de monte lib. 1. c. 30.

¶ AD oppositum: Aug. *Iuratio falsa est perniciosa, vera periculosa, nulla secura.* Ex quo patet, quòd omnis iuratio est periculosa: sed exponere se alicui periculo quantulocumque, nulla interueniente circumstantia, est malum in se, seu simpliciter: ergo iurare non potest bene fieri sine circumstantia boni addita. Est igitur iurare malum simpliciter, & non bonum. Idem.

¶ ITEM Hieron. *Considera, quòd Saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cælum & terram, & Hierosolymam, & caput suum: & hoc paruulis fuerat concessum in lege: vt quomodo Deo victimas immolabant; ne eas idolis immolarent, sic iurare permitterentur per Deum: non quod hoc rectè facerent; sed quia melius est illud Deo exhibere, quàm dæmonibus.* Sed offerre victimas, non est bonum in genere: quia idololatræ hoc agunt, immò solum ex circumstantia trahitur ad bonum. Hieron. Math. 5. Super illud: Ego dico vobis, non iurare.

¶ ITEM, prohibitio iuramenti est de præceptis moralibus: sed omne, q̃ prohibetur moraliter, prohibetur quia malum: ergo iurare cum prohibeatur in Euangelio simpliciter, nulla circumstantia addita: constat q̃ iurare simpliciter est malũ: non ergo bonum secundum se vel in se.

RESOLVTIO.

Iurare in se bonum est, nec nisi ex occasione vel malum, vel indifferens, esse potest.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd bonum in actibus multipliciter dicitur scil. bonum secundum se, bonum in se, bonum ex causa, bonum ex occasione. Tot etiam modis dicitur in actibus malum. Bonum secundum se dicitur, cum sic designatur & informatur actus, q̃ nõ potest fieri malè, nec cadere in oppositã differentiam: tale est diligere Deũ ex charitate. Bonum aũt in se est, quòd ex sua nominatione bonum est; tamen potest malè fieri: vt prædicare, orare, Eleemosynam facere: hæc.n. possunt malè fieri, si fiant ꝓpter vanam laudem, vel aliquam aliam malam intentionem; & tamen de se nominant bonum. Bonum ex causa est, quòd nec secundum se, nec in se bonum est; tamen ex causa bonum est: vt comedere propter sustentationem corporis ad seruitium Dei. Bonum ex occasione est, quòd nec secundum se, nec in se, nec ex causa directè bonum est secundum primam intentionem, sed solũ dicitur bonum, quia est quædam occasio ducens ad bonum: vt immolare victimas, & sacrificia, erat occasio quædam apud Iudæos ducens ad bonum; quia faciebat eos vacare ab idololatria: vnde vt retraherentur à cultu idolorum, quibus victimas offerebant; præcipiebantur victimæ offerri Deo.

¶ TOT etiam modis dicitur malum. Malum ergo secundum se est, quando actus sic est deformatus, q̃ nullo modo potest benè fieri, nec cadere in oppositam differentiam: vt fornicari. Malum in se est, quòd ex se, nullo addito, malum est; potest tamen addi talis circumstantia, q̃ benè fit, & est bonum: sicut occidere, in se est malum; tamen addita aliqua circumstantia, fit bonum; sicut est, occidere de iustitia. Malum ex causa est, quòd ex genere bonum est; tamen ex causa malum est: sicut dare Eleemosynam propter vanam laudem. Malum ex occasione est, quòd in se bonum est; tamen ex occasione malum est, quia habet in se quandam facilitatem & pronitatem in malum. Hoc modo iurare malum est: non enim iurare secundum se, nec ex se malum est; habet tamen quandam facilitatem ad malum: sicut ad Dei contemptum; hoc est ad periurium: vnde ex occasione est malum. Et hoc est, qđ dicit August. Dictum est in nouo Testamento; ne omnino iuremus: quod mihi propterea dictum esse videtur; non quod iurare est peccatum: sed quia peierare immane peccatum est, à quo nos longè esse voluit, qui omnino ne iuremus, commonuit. Et sic malum est ex occasione, quia est occasio in ipso iurante ad periurium, & Dei contemptum: sed huiusmodi occasio non venit ex parte actus huius, qui est, iurare: sed ratione pronitatis ad malum, quæ est in ipso, qui iurat: quia (vt dicit Augustinus) ex assiduitate est pronitas ad hoc, quòd homo labatur in periurium. August. ad Publicolam. Idem.

¶ DE indifferenti autem actu notandum: quod indifferens dicitur tripliciter. Vno modo dicitur indifferens, quòd nec est bonum, nec malum aliquo prædictorum modorum (in moribus dico) scil. nec in se, nec secundum se, nec ex causa, nec ex occasione: & tale est ambulare, & sedere. Secundò modo dicitur aliquid indifferens, qđ non est malum nec in se, nec secundum se: tamen potest benè fieri, & malè fieri ex occasione: & tale indifferens est iurare. Tertiò modo dicitur indifferens, quòd malum est ex suo genere, tamen potest benè fieri & malè: & tale est occidere. Sic igitur patet, quomodo iurare est bonum, & malum, & indifferens.

¶ AD illam rationem, qua obijcitur: *per quod quis iurat, illud veneratur & amat.* Dicendum propter intelligentiam illius authoritatis: quod hoc dicitur per significantiam: quia talis significat se Deum & amare & venerari, qui per Deum iurat: ille enim qui iurat, introducit semper testem suæ veritatis maiorem se: propter hoc significat se venerari illum, per quem iurat: tamen ex parte pronitatis iurantis est occasio ruinæ ad malum scil. periurium; & ideo prohibetur (vt dicit Aug.) ne assiduitate iurandi per consuetudinem labatur homo ad periurium.

¶ AD

¶ Ad rationes ex parte opposita. Dicendum primò ad primam: q dicitur iurationem veram esse periculosam, hoc est dictum per occasionem. Vnde *periculosum* respicit ibi agentem, cuius pronitas est ad malum: sicut dicitur. Gen. 8. *Sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum*, &c. Et non dicitur hoc quantum ad naturam actus in se.

¶ Ad secundum, quod dicitur: q similiter permittitur iurare, & immolare. Dicendum q Hieron. loquitur quantum ad occasionem, quia similis est occasio vtrobique: tamen natura actus iurandi est in genere boni: natura verò actus immolandi est indifferens. Circa quod notandum, quòd concessio tribus modis est. Est enim concessio di- *Aliàs, vt spensationis, quando scil. conceditur * quod non sit malum: quod si non concederetur, malum esset: qualis concessio fit monacho de comedendo carnes à suo Abbate. Alia est concessio alterius, ne malum eueniat. Tertia est concessio alicuius: ne peius eueniat. Libellus ergo repudij fuit concessus Iudæis, ne peius eueniret: secundo autem modo fuit facta concessio Iudæis de immolatione & sacrificijs, hoc modo etiam fuit iuramentum concessum: erant enim Iudæi proni ad idololatriam, & vt sacrificarent idolis: similiter erant proni, vt iurarent per idola: ideo ad hoc cauendum, concessum est eis iurare per Deum, sicut victimas offerre Deo. Sed non sequitur ex hoc, quin actus iurandi in se sit de genere boni: quia in iuramento duo sunt; scilicet natura actus, qui bonus est: iterum ibi est pronitas ex parte hominis iurantis ad hoc quod iuret per idola: & hoc est simpliciter malum. Ideo habendo respectum ad hanc pronitatem iurantis, dicitur: *iurare per Deum*, esse in concessione Iudæis.

August. ¶ Sed obijcitur contra prædicta: quoniam dicit Augustinus quod iurare non est bonum; & tamen non est in malum: ergo non est bonum in se. Dicendum, quòd intendit dicere, quòd non sit bonum secundùm se, hoc est tale bonum, quòd nullo modo possit malè fieri: nihil enim absolutè dicitur bonum, nisi tale sit.

¶ Ad tertium dicendum: quod differentia est in prohibitionibus legis & Euangelij, quia in lege prohibetur quod malum est: in Euangelio autem prohibetur non solum quod malum est, sed etiam occasio mali: & in hoc addit Euangelium vltra legem. Vnde dicit Euangelium. Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te*, &c. Vnde omnis occasio peccandi ibi prohibetur. Iurare ergo prohibetur in Euangelio, non quia sit malum in se vel secundum se: sed quia est occasio mali in iurante, qui pronus est ad periurium.

ARTICVLVS II.

An licitum sit iurare.

Exod. 20. Glossa. SECVNDÒ quæritur: Vtrùm iurare sit licitum, vel illicitum. Ad quod: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Gloss. *iurando pro nihilo.* Ex quo patet, quòd non licet iurare pro nihilo: immò prohibitum est. Ex quo sic obijcitur: iurare omni circumstantia remota, est iurare pro nihilo sed iurare simpliciter est iurare, omni circumstantia remota: ergo iurare simpliciter est iurare pro nihilo. Sed iurare pro nihilo non est licitum: ergo nec iurare simpliciter est licitum.

Aug. super Epistolam ad Galat. ¶ Contra. August. *Non est contra præceptum Dei iuratio, quæ ad malum, non iuranti est, sed incredulo, à quo iurare cogitur: non enim intelligitur ita Deum prohibuisse à iure iurando, vt quantum in ipso est, ipse non iuret.* Ergo iurare non est illicitum.

Aug. in sermone de verbis Apostoli. ¶ Item, August. *Si peccatum esset iuratio, non diceretur in lege. Reddes Domino iuramenta tua.* Licitum autem est quod nulla lege vel iure prohibetur, ergo iurare non est illicitum.

¶ Sed contra, loqui absque circumstantia est malum: quia hoc est loqui ociosè: quia (vt dicit Gregor.) ociosum est, quòd caret ratione iustæ necessitatis, vel intentione piæ vtilitatis: hoc autem non est licitum: sed iurare est loqui: ergo iurare simpliciter absque circumstantia non est licitum.

Psal. 139. Glossa. ¶ Item, *Vir linguosus non dirigetur.* Gloss. *Si quis vera dicat, sed præter necessitatem, vir linguosus est.* Ex quo patet, quòd non licet loqui præter necessitatem: ergo cùm iurare sit loqui, non licet simpliciter iurare præter necessitatem.

RESOLVTIO.

Iurare simpliciter sine circumstantia debita causa non est licitum: cùm iurare sit actus per Deum, & ob id excellens.

¶ Solvt. Dicendum, quòd quidam sunt actus boni in genere, in quorum vsu circumstantia est in præcepto. Alij sunt boni in genere, quorum vsus est indifferens: nam quidam sunt boni in genere, qui perfecti sunt; quia secundum se referuntur in Deum: tales actus sunt excellentes, vt sacrificare, celebrare, iudicare, & iurare: alij sunt boni in genere, non tamen excellentes sunt: quia non referuntur in Deum, vt dare Eleemosynam, & huiusmodi. In primis ergo actibus ratione illius excellentiæ actus intelliguntur circumstantiæ, sine quibus non possunt fieri, nec debent: huiusmodi autem circumstantiæ sunt, vel loci; vel temporis, vel personæ, vel causæ, vel modi. Verbi gratia: iudicare est de actibus excellentibus: iudex in iudicando est loco Dei, & conformatur Deo, & tenet tunc sedem Dei. *Scimus, quoniam iudicium Dei est.* Deut. 1. *Iudicium Dei est*: & ratione huius excellentiæ determinat sibi circumstantiam modi debiti, sine qua non licet ipsum fieri: vnde in præcepto habet iudicare secundùm istam circumstantiam modi; vt scil. iustè fiat. *Iustè quod iustum est, persequeris.* Similiter celebrare est de actibus, qui referūtur in Deum: & ratione suæ excellentiæ determinat sibi circumstantiam personæ: quia non à qualibet persona potest exerceri: *Omnis pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constitutus est ad offerendum Deo*, &c. Similiter sacrificare est de actibus excellentibus, qui referuntur in Deum, & in eius reuerentiam maiestatis: ratione cuius determinat sibi circumstantiam loci: vnde. *Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus.* Similiter iurare est de actibus excellentibus: quia iurare est per primam veritatem asserere; & ideo est actus excellens, ratione cuius determinat sibi circumstantiam causæ: vt videlicet non fiat sine causa debita. Iurare ergo nunquam benè potest fieri sine causa: sed hoc non facit malitia actus, quia in genere bonus est; sed hoc facit excellentia actus. Dare verò Eleemosynam licet sit bonum in genere, non tamen est actus excellens. Ideo simpliciter sine aliqua istarum circumstantiarum licitum est ipsum exercere: prædictos autem actus non: quia sunt actus ad Deum relati secundum se. Sic ergo iurare simpliciter sine circumstantia debitæ causæ non est licitum: quia iurare est actus per Deum, & ideo excellens: sacrificare & celebrare sunt actus ad Deum: iudicare est actus secundum Deum.

Rom. 2.
Deut. 1.
Deut. 16.
Hebr. 5.
Deut. 12.

¶ Ad illud tamen, quòd obijcitur de loqui. Dicendum, quòd si loqui sit in casu illo, in quo debet esse ad necessitatem, vel vtilitatem: verum est, quòd si fiat sine causa, malum est, & ociosum: sed non omne loqui est huiusmodi: immò aliquod loqui est, quòd non disponit ad hoc, quòd anima magis auertatur à Deo, nec q minus conuertatur ad Deum; & illud non est ociosum: loqui enim non est de actibus perfectis, in quibus determinatur circumstantia ratione suæ excellentiæ, vt oporteat ipsum fieri semper ex causa necessitatis vel vtilitatis; si enim sic esset, benè procederet argumentum. Iurare autem est de actibus perfectis, quòd sine causa non potest exerceri absque peccato.

ARTICVLVS III.

An quantum ad actum, vel quantum ad effectum prohibeatur iuramentum in Decalogo.

TERTIÒ quæritur de prohibitione iuramenti: vtrùm scil. illa prohibitio sit quantū ad actum, vel quantum ad affectum. Ad quod sic: *Ante omnia fratres mei nolite iurare.* Gloss. *Prohibetur ibi affectus iurandi: vnde nolite iurare, id est,* Iacobi 5. Glossa.

meritum in via, quæ est conformitas ad misericordiam: esse autem conformem potestati vel scientiæ vel iustitiæ, vel veritati; hoc non est appetendum.

Instantia. ¶ SED iterum in contrarium objicitur: circa mala secundum se non est tanta prohibitio, quanta est circa iurare: quia dicitur in Matth. *Non iurare omnino*; vnde iuramentum omnino prohibetur: sed mœchari, vel fornicari non ita vniuersaliter prohibentur; quia non dicitur, *non mœchaberis omnino*: ergo minus videtur licitum iurare, quàm fornicari, vel mœchari.

Matth. 5. Exod. 20.

¶ AD hoc intelligendum: quòd mœchari vniuersaliùs prohibetur, quàm iurare: licet non apponatur ibi nota vniuersalitatis, quæ est *omnino*. Differt enim dicere *dico vobis; omnino non iurare*: Et, *Non iurare omnino*, quia si dicatur, *omnino non iurare*: cadit distributio super negationem: & tunc est sensus: dico vobis, in nullo casu iurare: sed sic non prohibetur hic iurare: immò prohibetur ita, quòd cadit negatio super distributionem & tunc est sensus, non iurare omnino, id est, dico vobis non iuretis in quolibet casu: sicut quando non est causa necessaria, vel vtilis societati humanæ. Et ita iurare non prohibetur vniuersaliter: sed mœchari simpliciter prohibetur & vniuersaliter: vnde prohibetur mœchari in omni casu.

Ibi. Matth. 5.

ARTICVLVS V.

An Deo, Angelis, perfectisq; hominibus iurare liceat: quidve sit eorum iurare?

CONSEQVENTER quæritur? quibus conueniat vel liceat iurare. Primò, an Deo conueniat iurare. Secundò, an Angelis conueniat iurare. Tertiò, an professis formam Euangelij, tum maximè prælatis conueniat iurare?

¶ QVANTVM ad primum quæritur? Vtrùm Deo conueniat iurare, & per quid. Et videtur quòd ei cõuenit iurare. *Iurauit Dominus*, &c. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus*. Ergo Deo conuenit iurare.

Psal. 109. Gen. 22.

¶ SED vlterius quæritur, per quid conueniat ei iurare: vtrùm scil. per alium à se sc. per creaturam aliquam, vel per semetipsum. Videtur quod per se, & non per creaturam: quia dicitur: *Quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum*: homines enim per maiorem sui iurant. Si igitur iuramentum est per maiorem, Deus non potest iurare per alium à se: ergo non potest iurare per creaturam.

Hebr. 6.

¶ CONTRA, super illud: *Iurauit Dominus in sancto suo*: dicit Gloss. *In seipso, vel in filio, vel in aliquo electo Angelo, vel in homine*. Ergo conuenit ei iurare per Angelos, vel homines: & sic per creaturas.

Amos 4. Glossa.

¶ ITEM Hieron. super illud idem: *Iurauit Dominus in semetipso, vel in filio, vel in omni, quod factum est*. Ergo conuenit ei iurare per quamlibet creaturam. Propter hoc quæritur, si Deus iurat, quid est suum iurare?

Hieron. in originali. Super Idem.

¶ SECVNDO quæritur? vtrùm sanctis Angelis conueniat iurare? Ad quod sic. dicitur: *quòd Angelus iurauit per viuentem in secula seculorum*. Ergo eis conuenit iurare.

Apoc. 10.

¶ ITEM, iurare est certitudinem facere per primam veritatem: sed certificare per primam veritatem, hoc maximè conuenit Angelo: & magis per ipsam quam per aliam: ergo iurare maximè ei conuenit.

¶ CONTRA. *Sit sermo vester, est est, non non*. Gloss. *Quòd perfectum est, docuit: quòd infirmitatis, indulsit quod verò superstitiosum, resecauit*. Vnde secundùm hoc iurare per Deum est infirmitatis: sed quod est infirmitatis, non conuenit Angelo: ergo iurare per Deum ei competit.

Matth. 5. Glossa.

¶ TERTIO quæritur? an perfectis professis formam Euangelij conueniat iurare. Videtur quod non: Bernard. *Non se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis*. Sed votum profitentis formam Euangelij est, quòd eam obseruet: sed forma Euangelij est, sit sermo vester, est est, non non: ergo tenetur per votum hanc obseruare. Sed hanc obseruando non iurat: ergo tenetur non iurare: ergo non potest cogi ad iurandum per superiorem.

Bern. de dispensatione & præcepto.

¶ CONTRA, quicunq; potest esse testis, potest iurare. Sed quicunq; perfectus potest esse testis veritatis, sicut dicitur de Apostolis. *Vos eritis mihi testes*: ergo quicunq; perfectus potest iurare: ergo professus formam Euangelij potest iurare: & si potest cogi ad hoc quod sit testis, potest cogi ad iurandum. Maior patet, quia nullus potest esse testis veritatis in iudicio, nisi iuret.

Actuū 1.

¶ RATIONE horum quæritur? qualiter differenter conuenit iurare Deo, Angelo, & homini perfecto, seu professo formam Euangelij.

RESOLVTIO.

Et Deo, & Angelis, hominibusq; perfectis iurare conuenit: ita profecto, vt iurare Dei sit, à se ordinata promissaq; nullatenus commutare: Angeli immutabilis Dei ordinationes denunciare: hominis Deum testem inuocare, eiq; quidquam oppignorare.

¶ SOLVT. Dicendum sicut habetur ex Concilio Tolet. Vbi loquitur de iuramento Dei. Iurare Dei est, à seipso nullatenus ordinata conuellere, id est, nullatenus commutare, quæ à seipso fuerint ordinata, & promissa. Et super illud. *Iurauit Dominus*: dicit Gloss. *id est, immobiliter statuit*. Ex quibus patet, quid est iurare Dei. Iurare verò Angeli est, quæ à Deo immutabiliter ordinata sunt, denunciare: quia ipsius est proprium denunciare, & manifestare facta à Deo. Iurare verò hominis est Deum testem inuocare, vel Deo aliquid oppignorare: sicut dicit Aug. & sic patet differentia.

Tolet. Concil. Canon. 22. q. 4. Esa. 62. Glossa. August.

¶ AD illud ergo, quòd objicitur? an possit Deus iurare per creaturam. Dicendum, quòd hæc præpositio *per* aliquando dicit authoritatem, aliquando subauthoritatem. Cùm autem dicitur iurare per aliquid, hæc præpositio *per* dicit authoritatem: & ideo non potest conuenienter dici: *iurat Deus per creaturam*, sed benè potest dici iurare in creatura: quia dicendo quòd Deus iurat per creaturam, diceretur quod creatura esset ei principium certitudinis: ipsa autem veritas prima non habet aliud principium certitudinis, quàm seipsam: & ideo non potest dici iurare per alium à se: benè tamen facit Deus certitudinem de sua voluntate ministerio alicuius creaturæ. Ratione huius dicitur iurare vel iurasse in creatura, sicut in aliquo electo Angelo, vel homine: vt dicit Gloss. illa quia immutabilem suam dispositionem manifestat sic in Angelo: sic loquitur Gloss. illa, & Hieronymus in originali super locum illum.

Hieron.

¶ AD secundam quæstionem dicendum, quòd iurare Angeli est immutabilem veritatem, vel immutabilis veritatis dispositionem immutabilem manifestare.

¶ QVOD igitur objicitur, quòd iurare per Deum est infirmitatis. Dicendum, quòd non est in Angelo: immò perfectionis ministerij in Angelo est, quòd denunciat dispositionem veritatis immutabilis. Duplex enim est natura: scil. natura sana, & natura ægra. In natura infirma, sicut est humana natura; verum est, quòd infirmitatis est, propter pronitatem ad malum: in natura aũt perfecta & sana scil. Angelica non est infirmitatis; immò potius firmitatis & perfectionis. Exemplum de vino, quòd naturæ sanæ sanum & conueniens est: ægrè verò inconueniens. Vel potest dici, quòd est infirmitatis eius, cui iuratur, non iurantis.

¶ AD tertiam quæstionem dicendum, quòd professi formam Euangelij possunt in causa cogi ad iuramentum: qui non vouet formam Euangelij obseruare, ita vouet, vt nulla causa cogente non iuret: cogente autem causa non vouet non iurare: vt cogente malo incredulitatis, & cogente vtilitate.

ARTICVLVS VI.

De receptione iuramenti.

POSTMODVM quæritur de receptione iuramenti? an licitum sit recipere iuramentum. Et circa hoc quæruntur duo. Primò, an licitum sit recipere iuramentum in forma concessa. Secundò, an licitum sit recipere iuramentum in forma non concessa.

An licitum sit recipere iuramentum, etiam in forma concessa? §. 1.

Canon. 22. q. 1. Aug. de verbis Apostoli. Matth. 5.

¶ QVANTVM ad primum objicitur sic. 22. q. 1. August. dicit super illud: *Quod amplius est, à malo est*, &c.

Quod

Quòd amplius est, à malo est non iurantis, sed non credentis. Sed non credens hic appellatur ipse recipiens iuramentum: ergo quod amplius est, hoc est iuramentum, est à malo recipientis: sed non nisi quia recipit iuramentum: ergo non est licitum recipere iuramentum, etiam in forma concessa: quando scil. iuratur per Deum, vel per creaturas ad hoc deputatas.

¶ ITEM, accipiens iuramentum, aut accipit illud sciens illum, qui iurat, iurare falsum: aut nesciens ipsum iurare falsum: aut sciens ipsum iurare verum. Sed quocunq; modo sic accipiat, semper peccatum est: ergo accipere iuramentum semper illicitum est, & peccatum. Minor patet per Aug. in Gloss. super illud: *Testis est mihi Deus, &c. Multum interest, qui exigit iurationem, si nouit illum iurare falsum, vel non: qui enim nescit, & ideo dicit iura mihi, vt ei fides sit, non audeo dicere non esse peccatum; tamen humana tentatio est: si autem fecisse nouit, & cogit iurare, homicida est.* Ergo neq; sciens iurantem iurare falsum, neq; non sciens potest recipere iuramentum sine peccato. Similiter neq; sciens ipsum iurare verum: quia si scit ipsum iurare verum, facit ipsum iurare pro nihilo: ergo sine causa facit ipsum iurare; & ipse consentit & recipit: ergo peccat: illicitum ergo est recipere iuramentum.

August. super Rom. 1.

¶ ITEM, videtur quod iudex peccet in recipiendo iuramentum. Quia iudex exigit iuramentum: sed dicitur. *Sit sermo vester, est est, non non:* quòd enim amplius est, à malo est. Et dicit Gloss. super illud: *Testis est mihi Deus, &c. Tu non facis malum, qui benè vteris iuratione, vt alteri suadeas quòd vtile est: sed à malo est* (supple) illius, qui recipit iuramentum. Ergo hoc est à malo iudicis.

Matth. 5. Glossa super Rom. 1.

¶ RATIONE huius quæritur: à quo malo scil. à malo iurantis, vel eius qui recipit iuramentum? Et videtur quod à malo iurantis: quilibet enim debet melius præsumere de alio, quàm de se: igitur si iurans credit se esse veridicum in iurando; cum bonitatis humanæ sit credere proximū esse veridicum; iurantis est credere illum, cui iuratur, credere iurantem esse veridicum. Si ergo iurans credit esse verum, pro quo iurat, vnde credit se esse veridicum; debet suspicari & præsumere; quòd alter, cui debet iurare, credat illud esse verum. Sed si omnes crederent alijs, non iuraretur: ergo iste non debet iurare, si credit illud esse verum, pro quo iurat: si ergo hoc est malum, malum hoc est iurantis. Similiter etiam si iuret falsum, semper videtur esse à malo iurantis.

¶ ITEM, videtur quod à malo recipientis. August. dicit: *Non est contra præceptum Dei iuratio, quæ à malo non iurantis est: sed increduli, à quo iurare cogitur.*

August. super Epistolam ad Galat.

¶ ITEM, semper illud: *Quòd amplius est.* &c. Gloss. *Nunquid malum? quia etiam si non bonum, tamen necessarium: sed à malo est, non tuo, sed illius, à quo cogeris iurare: id est ab infirmitate eius, quæ malum est.*

Matth. 5. Glossa.

¶ AD oppositum: Ostenditur, quòd licitum sit recipere iuramentum. 22. q. 1. *In nouo.* Augustinus: *Quamuis dictum sit, ne iuremus: nunquam tamen in scripturis sanctis me legisse memini, ne ab alijs iuramentum recipiamus.* Ex quo patet, quòd licitum sit recipere iuramentum.

Can. 22. q. 1. in nouo. August. Epist. 154 ad Publicolam.

¶ ITEM. 22. *Quæst.* 1. Si peccatum. August. *ipsum iurare, sicut peccatum non est; ita iuramentum ab aliquo recipere malum non est.*

Can. 22. q. 1. Si peccatum. August. de verbis Apostoli.

RESOLVTIO.

Licet in se, non licet autem in casu.

¶ SOLVT. Dicendum, q̃ licitum est iuramentum recipere in forma concessa: sicut dicūt prædictæ authoritates. Notandum tamen iuxta quoddam verbum, q̃ dicit Aug. in Gl. super illud: *Testis est mihi Deus*: vbi dicit. *Ego vobis dico, nō iurare omnino,* &c. Ibi prohibuit Dominus q̃ est malum, suasit bonum q̃ est appetendum: prohibuit. n. falsum, vel sine necessitate iurare: suasit verum loqui: indulsit iuramentum, quòd est necessarium.

August. super Rom. 1.

¶ SECVNDVM hoc ergo distinguendū est: q̃ sicut duplex est iustitia sc. publica, & priuata: ita duplex est iuramentum sc. publicum, quòd respicit iustitiam publicam: & priuatū, quòd respicit iustitiam priuatā. De iuramento priuato, in quo iuratur falsum ex causa, distinguēdum secundū Aug. in Gl. allegata: quia recipiens iuramentum, aut scit illum iurare falsum: aut nescit, & tamen non scit illum iurare verum. Si scit illum iurare falsum, & recipit: dicit Aug. quod homicida est ille, qui recipit. Si autem nescit illum iurare falsum, nec tamen scit illum iurare verum: dicit q̃ humana tentatio est, id est, q̃ veniale peccatum est: vnde dicit. *Qui autem nescit, & ideo dicit, iura mihi vt ei fides sit;* non audeo dicere non esse peccatum; tamen humana tentatio est, id est, veniale peccatum est: si autem fecisse nouit, & cogit; homicida est. Quare dicit, quòd non audet dicere non esse peccatum de illo, qui nescit: quia recipiens iuramētum semper debet præsumere de veritate proximi: vnde sicut iudicium suspicionis de occulto veniale peccatum est: sic illud peccatum est. Si autem sit iuramentū publicum, id est, ratione publicæ iustitiæ: sic iudicis est recipere iuramentum sine peccato; & cogente ordine iudiciario potest recipere iuramētum sine peccato; immò ad hoc quod recipiat tenetur: quia bonum publicum debet præponi bono personæ. Si tamen sciat ipsum iurare falsum, debet ipsum repellere secundum suum posse. Si tamen cogitur ordine iudiciario, ita q̃ si non reciperet, omitteret de his: quæ ad ordinem iudiciarium pertinent: dico quod tenetur accipere, & sine peccato recipit.

Idem August.

¶ AD primū, quòd objicitur. Quòd amplius est, à malo est. Dicendum sicut dicit Aug. q̃ duplex est malum sc. malum culpæ, & malum pœnæ. Cum ergo dicit, quòd amplius est, à malo est: loquitur de malo pœnæ, quòd est infirmitas, seu incredulitas: & non de malo culpæ. Et hoc est, quòd dicit August. super illud: *Testis est mihi Deus.* Gloss. *Iuratio non est bona, id est, appetenda: non tamen mala, id est prohibita, cum est necessaria:* licet sit à malo infirmitas eorum, quibus aliquid persuades: quæ infirmitas vtique malum est: vnde nos quotidie liberari præcamur, dicentes. *Libera nos à malo.* Et hoc etiam dicit Aug. Exponens illud. *Quod amplius est, à malo est:* inquiens. *Nomine mali non malitia, sed peccati pœna intelligitur: ex pœnali enim infirmitate incredulitas illa processit, qua ad iurandum compellimur: hæc autem infirmitas seu incredulitas est ignorantia, quæ est pœna quadam naturæ corrupta.* Non ergo sequitur, hoc est à malo pœnæ; ergo est peccatum facere illud.

Aug. in li. de libero arbitrio.

Rom. 1. Glossa.

Matth. 6. Aug. de verbis Apostoli in Canone. Sine peccatum. 22. q. 1.

¶ AD secundum patet solutio ex prædicta solutione quæstionis.

¶ AD illud, quòd objicitur de iudice: vnde hoc habet, quòd possit recipere iuramentum sine peccato. Dicendum secundum illud Apostoli. *Scimus, quoniam iudicium est Dei.* Ex quo verbo intendit Apost. Quod iudex iudicando, vicem Dei habet, & locum Dei obtinet: vnde loco ipsius residet in iudicando: & ideo mediante veritate, quæ Deus est, potest perquirere veritatem. Cum enim sit vice Dei, cui omne iudicium reseruatur, principaliter Deum habet medium ad iudicandum: & ideo cum iuramentum sit testificatio facta per veritatem primam, siue per Deum; ob id iudex potest recipere iuramentum sine peccato: dummodo procedat ordine iudiciario: quia ex hoc quod sedem Dei obtinet, per Deum, qui est veritas prima, cæteras veritates potest perquirere.

Rom. 2.

¶ ET quod objicitur: quod illud à malo est. Dicendum, quòd est malum generale; & hoc est malum naturæ: & est malum personæ. Hoc ergo non est à malo personæ iudicis, immò hoc est à malo generali: de quo etiam habetur in Psal. 115. *Omnis homo mendax.* id est, pronus ad mendacium: hoc enim est malum generale. Similiter à malo generali est illud: quia iudex non tenet ibi locum personæ, sed locum pro republica conseruanda.

Psalm. 115

¶ SED quæritur iuxta hoc: cum malum sit recipere iuramentum in aliquo casu, quare non prohibuit Dominus recipere iuramentum, sicut prohibuit iurare?

¶ AD hoc dicendum, quòd designando vnum, designauit alterum: quia non est recipere sine iurare. Et propter hoc sicut iurare sine causa, est peccatum: ita recipere iuramentum sine causa; est peccatum: & sic prohibendo vnum, prohibuit alterum.

An &c.

An & in forma non concessa §. 2.

¶ POSTEA quæritur de [illegible] iuramenti in forma non concessa. Et appello [illegible] formæ non concessa, sicut quando iuratur per falsos Deos, seu per idola. Quæritur ergo, an sit licitum recipere tale iuramentum. Ad quod sic. Gen. [illegible] legitur, quòd Iacob accepit iuramentum a Laban: qui tamen iurauit per falsos Deos

Gen. 1.

¶ ITEM. 1. Machab. 8. legitur quòd Iudas petijt iuramentum à Romanis, qui [illegible] & tamen sciebat, quòd iurarent per falsos Deos, seu per idola. Si ergo Iacob & Iudas in omnibus commendantur, licitum est recipere iuramentum per falsos Deos, siue in forma non concessa.

1. Mach. 68.

¶ CONTRA. *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Ex quo accipitur, quòd facientes & assentientes eiusdem rei sunt. Si ergo recipiens iuramentum factum per idola, consentit ipsi iuramenti per idolum, non est licitum recipere tale iuramentum.

Rom. 1.

¶ ITEM, August. *Ordo charitatis est, quòd diligatur Deus super omnia, deinde anima propria, tertiò proximus, quartò corpus proprium.* Ergo qui salutem sui corporis præfert saluti animæ proximi, peccat: quoniam contra charitatis ordinem facit. Sed hoc facit, qui pro re temporali facit iurare proximum per idola: & ab eo tale iuramentum recipit: ergo peccat, qui pro re temporali recipit iuramentum per falsos Deos.

Aug. in li. de doctrina Christiana.

RESOLVTIO.

Si fuerit pro bono publico, vtique: si pro priuato, minimè.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd duplex est bonum: scilicet bonum publicum, & bonum personale. Bonum publicum semper præiudicat bono personæ, & semper ei præponitur, seu præordinatur. Secundum hoc ergo dicendum, quòd vbi bonum publicum est causa, licitum est iuramentum recipere in forma non concessa: sed non vbi bonum personæ esset causa. Iacob ergo iurauit Laban, & recepit ab eo iuramentum propter bonum publicum, scilicet posteritatis seu prolis, quæ ab vtroq; nasceretur. Similiter Iudas recepit iuramentum à Romanis propter bonum publicum: vt scil. esset pax formata Iudæorum & Romanorum.

¶ AD primū, quòd obijcitur in contrarium: quòd non solùm qui talia agunt digni sunt morte: sed etiam qui consentiunt facientibus, &c. Dicendum, quòd ille, qui iurat per idolum, firmat: item per tale firmat, scilicet per idolum, vel per falsum Deum. Ille ergo, qui recipit iuramentum illud: aut habet intentionem ad solam firmationem, & pro bono publico: aut habet intentionem vltra ad rationem firmandi, scilicet ad idolum, per quod fit firmatio. Si primo modo, dicimus quòd talis non consentit illi, per quod fit firmatio: sed solum ipsi actui, seu ipsi firmationi. Et propter hoc licet iurans peccet, non tamen talis recipiens iuramentum peccat. Si autem fert intentionem secundo modo, sic peccat sicut & iurans: & hoc modo procedit authoritas Apostoli.

¶ AD secundum dicendum: quòd pax temporalis aliquando ordinatur ad bonum corporis solum: & sic secundum ordinem charitatis postponendum est bono singulari animæ proximi: & sic procedit ratio. Aliquando autem ordinatur ad bonum spirituale publicum, vt ad pacem communem, vel aliquid huiusmodi: & sic præponderatur & præordinatur bono animæ proximi: nec facit contra ordinem charitatis, qui tale bonum bono singulari animæ proximi præponit [illegible] potius secundum ordinem charitatis, quia semper bonum publicum præiudicat bono personæ: & sic licitum est recipere iuramentum [illegible] pro bono temporali publico [illegible] contra ordinem charitatis.

MEMBRVM III.

De forma iuramenti.

POSTEA quæritur de forma iuramenti. Forma autem iuramenti quædam est concessa, sicut illa qua iuratur per Deum: quædam est prohibita, sicut illa qua iuratur per falsos Deos seu per idola: quædam vero est partim concessa, partim non concessa, sicut illa qua iuratur per creaturam. Quæritur ergo de forma concessa, de forma non concessa seu prohibita, de forma concessa partim, partim non concessa.

ARTICVLVS I.

Quæ sint fuerintve olim formæ iurandi concessæ.

AD primum quæritur sic. Multiplices inueniuntur formas iurandi: vna est, *viuit Dominus*, quæ [illegible] tempore legis: hæc inuenitur 4. Reg. 4. Al[illegible] uenitur. 2. Reg. 3. hæc. *Hæc faciat mihi Dominus* [illegible] Alia similiter inuenitur. Rom. 1. quæ est: *Testis est mihi Deus* quia dicit Aug. quòd hic iurat Apostolus. Tempore autem moderno iuratur *per Deum*. Quæritur [illegible] iurare, quòd primam veritatem in suam assertionem [illegible] ducere: quomodo forma iuramenti seu iurandi [illegible] cetur in tot, & varietur?

¶ QVÒD autem hæc non sit forma iurandi, cum dicitur: *viuit Dominus* ostenditur: quod iuramentū fit ad [illegible] tionem veritatis: sed assertio veritatis magis pertinet [illegible] scientiam vel veritatem Dei, quàm ad eius vitam [illegible] propriè asseritur veritas per veritatem: ergo debet [illegible] *scit Dominus*, & non *viuit Dominus*. Et sic illud non est forma iurandi.

¶ QVÆRITVR ergo, an sit forma iurandi, si dicatur *Scit Dominus*, sicut quando Petrus dixit: *Tu scis Domine, quia amo te*, fuit ne iuramentum? Et ostenditur, quod sic [illegible] Apostolus. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, quia non mentior*, &c. Et dicit ibi Gloss. *Vt vera esse ostendat, quæ dixit, vel quæ dicturus est, iuramento confirmat.* Ex quo patet quòd ibi est iuramentum: & ita forma iurandi est, *Scit Dominus*.

¶ ITEM, cùm dicit Apostolus: *Deus scit, quia non mentior:* hic asserit Apostolus veritatem, & introducit Deum sciens in testimonium, & assertionem huius veritatis: ergo ibi est iuramentum: & ita est ibi forma iurandi. 2. Cor. 11.

¶ ITEM, iurare est certitudinem per primam veritatem facere: sed ille, qui dicit *Deus scit*, facit certitudinem per primam veritatem: ergo iurat: ergo ibi est forma iurandi.

¶ ITEM, Deus non est testis, nisi de eo, quòd scit: ergo sicut hoc quod est, *Deus est testis*, potest adduci ad assertionem veritatis: ita & illud: *Deus scit*, ergo hic est forma iurandi, sicut ibi.

¶ SIMILITER obijcitur de hac forma iurandi. *Testis est mihi Deus.* Videtur enim esse eadem cum ista, qua iuratur *per Deum*, quia dicit August. in Gloss. super [illegible] *Testis est mihi Deus*, &c. *Quid enim est per Deum, nisi testis est mihi Deus Aut quid est, testis est mihi Deus, nisi per Deum* Ergo idem iuramentum est, & non differens. August. super Rom. 1.

¶ SIMILITER quæritur, quia aliquando est iuramentum per hanc præpositionem *propter* vt. *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres*, secundum vnum modum, sicut Gloss. exponit, quæ dicit quod iurat hic Apostolus, vt sciamus quod verum iurare non est peccatum. Aliquando est iuramentum per hanc præpositionem, *in veritatem dico in Christo Iesu, & non mentior.* Vnde ergo [illegible] quod addantur ad formam iuramenti [illegible] & non aliæ præpositiones. Item, quomodo differenter exponunt formam iuramenti. 1. Cor. 15. Glossa ibi. Rom. 9.

¶ ITEM, in Veteri Testamento erat forma iurandi dicendo *viuit Dominus*. Et, *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat.* In primitiua Ecclesia erat forma iurandi: *Testis est mihi Deus.* In tempore autem modo iuratur, *per Deum* Quæritur ergo vnde hoc quod sic variantur formæ iurandi secundum diuersitatem temporum, & qua ratione 4. Reg. 4.

RESOLVTIO.

Quatuor præcipuè scil. viuit Dominus. Hoc mihi faciat Deus, & hoc addat. Testis est mihi Deus. Per Deum. Duæ priores veteribus Hebræis vsitatiores: tertia Ecclesiæ primitiuæ: quarta noua.

¶ Solvt. Dicendum: q ille qui iurat; veritatem primã, quàm debet reuereri, adducit in testimonium suę assertionis. Vnde veritatis reuerentia semper in iuramento debet contineri: & ideo forma iuramenti sic exprimitur semper, vt reuereatur veritas. Debet aũt ipsa veritas reuereri, quia iudex est: item, debet reuereri, quia testis est: debet etiam reuereri, quia retributrix est vnicuiq; secũdum opera sua: sed differenter, quia bonis est retributrix vitæ, & malis mortis: & his omnibus modis debet reuereri. In forma ergo iuramenti introducitur veritas ad reuerentiã, inquantum principium est veritatis quæ asseritur, vel inquantùm testis eius, vel inquantũ est retributrix vitæ bonis, & mortis malis. Si inquantum principium est: sic reuerentia eius exprimitur in hac forma iurandi, qua iuratur *per Deum*, qui enim introducit Deum in iuramento, introducit veritatem vt principium: in hac autem forma iuramenti: *testis est mihi Deus*, concernitur reuerentia ipsius veritatis, inquantum testis est: in hac autem forma, *hoc mihi faciat Deus, &*
4. Reg. 4. *hoc addat*: introducitur reuerentia veritatis, inquantùm est retributrix mali, seu mortis: in hac aũt forma *viuit Dominus*, introducitur eius reuerentia, inquantùm est retributrix boni vel vitæ. Quia aũt non est pluribus modis conceptio veritatis cum reuerentia: ideo sunt tot formæ iurandi, & non plures.

¶ Ad illud, quòd obijcitur: quod male iuratur *viuit Dominus*. Dicendum, q cum dicitur *viuit Dominus*, hoc est iuramentum per veritatem, inquantùm est retributrix vitę bonis, & non per vitam solum: & etiam idem est veritas & vita sicut dicitur: *Ego sum via, veritas, & vita.*
Ioan. 14. ¶ Ad illud, q obijcitur: quod eadem sit forma iurandi, cum dicitur *per Deum*, & cum dicitur *testis est mihi Deus*. Dicendum, q idem est iuramentum quantum ad rem, quando iuratur *per Deum*, & *testis est mihi Deus*, quia vtrobiq; eadem veritas introducitur: sed non est idem quantum ad rationem dicendi, vt est dictum: quia in vno introducitur veritas vt principium, in alio vt testis.

¶ Ad illud, quòd quæritur de istis præpositionibus *propter*, & *in* dicendum, quòd hęc præpositio *propter* aliquãdo notat habitudinem principij causalis; & aliquando habitudinem principij certitudinis: & similiter hæc præpositio *in*. Ratione ergo q dicunt habitudinem principij certitudinis, ponuntur istæ præpositiones in iuramento, & exprimuntur per eas formæ iurandi: non ratione eius q notant habitudinem principij causalis. Sed adhuc differenter notant istæ præpositiones habitudinem principij certitudinis: quia *propter* dicit habitudinem principij certitudinis ad illud, q certificatur; prout sc. veritas egreditur à prima veritate, & comparatur ad illam, sicut per quam manifestatur & certificatur. Hęc autem prępositio *in* dicit habitudinem eius, quòd certificatur, ad ipsum principium certitudinis: vnde forma iuramenti exprimitur per hanc præpositionem *in* prout ipsa veritas creata, quæ asseritur in iuramento, in ipsa veritate increata consideratur sicut in causa.

¶ Ad illud, quod dicitur de diuersitate formarum iuramenti secundum diuersitatem temporũ. Dicendum, q ante aduentum Christi vigebant duo mala: contra quæ sunt duæ formæ iurandi: vigebat.n. tunc idololatria: ad discernendum ergo cultores falsorum Iudæorum à cultoribus veri Dei, data fuit forma iurandi per viuum Deũ, hæc scil. *viuit Dominus*, contra idololatras, qui iurabant per fal-
Daniel. vlt. sos Deos: qui non sunt Dij viui: vnde, *Nunquid est Bel Deus viuens*. Item tũc vigebat ignorantia iustitiæ Dei: qua sc. est punitor malorum ignorabant.n. tũc homines Deũ punire
Rom. 5 Glossa. peccata: vnde. *Peccatum non imputabatur, cum Lex non esset*. Gl. *Esse imputabatur peccatum (supple) ante legem apud homines: sed non apud Deum, apud quem putabatur impune futurum, cum nesciretur iudicaturus*, &c. Asserebant.n. homines Deum incuriosum esse: sicut dicitur. *Nec nostra considerat: sed circa cardines cœli perambulat*: & ideo apud eum impune peccata futura. Contra ergo ignorantiam adduxit Lex hanc formam iurandi. *hoc faciat mihi Dominus, & hoc addat*, per quam ostendit Deũ esse punitorem malorum: cum per hoc certificet de veritate: ideo ante Christi aduentum tempore legis erant istæ duæ formæ iurandi. In primitiua autem Ecclesia fuit forma iurandi. *testis est mihi Deus*, ratione aduentus primi, in quo veritas testificata est per miracula. Sed duplex est veritas sc. veritas dicentis, & veritas rei dictæ: Tunc ergo non credebatur Apostolis, sicut modo creditur; quia tunc incipiebat fides prædicari; & erant tunc homines infideles: ideo necesse erat tunc veritatem adduci in testimonium seu testẽ ipsis Apostolis: & ideo dicebant, *testis est mihi Deus*, & sic in attestationem veritatis in dicente erat hæc forma iurãdi. *testis est mihi Deus*, & ob hoc etiam ponitur ibi hoc pronomen *mihi*. Sed modo quia fideles sunt homines, totum relatum est ad rem, & adducitur veritas in testimonium veritatis rei dictæ: & quia nunc, ideo modo est forma iurandi, in qua reuerentia veritatis inquantùm principium certitudinis exprimitur: & in tempore moderno iuratur *per Deum*. Iob 22. 4. Reg. 4.

ARTICVLVS II.

De forma iurandi non concessa, siue prohibita.

POstea quæritur de forma iurandi non concessa siue prohibita: quæ est, quando iuratur per falsos Deos, siue per idola. Et circa hoc quæruntur. Primò, an iuramentum in forma non concessa factum obligetur. Secundò, an peius sit iurare verum per falsum Deum, quàm iurare falsum per verum Deum?

An iuramentum in formæ non concessa factum obligetur? §. 1.

¶ Qvantvm ad primum sic obijcitur? Aug. loquens de illo, qui iurat per falsos Deos, dicit. *Quia iurauit per quos non debuit: & contra politicam fecit fidem, quòd non debuit: bis vtiq, peccauit*. Et vult dicere: quia iurauit per falsos Deos, quòd illicitum est, peccauit: & quia fidem non seruauit, peccauit. Ex quo patet, quòd iuramentum factum per idola vel falsos Deos obligat. Aug. Canon. 22. q. 1. ad Publicolam.

¶ Contra, sicut iuramentum est testificatio promissionis: ita & votum. Si ergo votum factum idolo non obligat: nec iuramentum factum per idolum obligat. Minor patet: quoniam si aliquis vouerit se sacrificaturum idolo, non tenetur ad sacrificandum ei: immò si ei sacrificaret, ampliùs peccaret: & in vouendo peccauit. Similiter ergo aliquis iurando per idolum peccat: nec tenetur adimplere illud, propter quod iurauit.

RESOLVTIO.

Obligat admodum, non ratione ipsius idoli, sed proximi: cui fidem seruare tenetur.

¶ Solvt. Dicendum: quod iuramentum factum per idolum obligat ipsum iurantem ad reddendum. Ad quod videndum, notandum est: quòd non simile est de voto & iuramento: licet.n. in vtroq; obliget veritas, tamen differenter: quia debitum veritatis seruandæ Deo obligat in voto: debitum autem veritatis seruandæ Deo & proximo in iuramento. Votũ.n. fit soli Deo: vnde q vouet, soli Deo promittit, & non homini: & soli Deo se obligat. Qui aũt iurat, promittit proximo per ipsam veritatem primã, quæ Deus est, per quam firmat suam promissionem: & cum ipsi veritati debeat reuerentiam & honorem, obligatur ipsi ad reddendum illud, ꝓpter q ipsum adduxit in testimoniũ: alioquin ipsam contẽneret: sic ergo in voto nõ est nisi vna ratio obligandi. Quia ergo nullũ est debitũ hominis idolo, ideo non est obligatio in voto facto idolo. Quia aũt in iuramento est duplex ratio obligandi: vna eò q adducit veritatẽ in testimoniũ suæ assertionis; & hæc obligat Deo: alia eò q promittit proximo, cui debet veritatem seruare & fidelitatem: dicimus q in iuramento facto per idolum non est prima ratio obligandi sc. debitum veritatis idolo: sed solum secunda sc. debitũ veritatis; quia idolo nihil de-

bet

bet homo, sed proximo debet seruare veritatem. Non ergo propter idolum obligat, sed propter proximum, cui debet seruare fidem: quia se intendit obligare illi: sicut ille, qui iurat per verum Deum.

An peius sit iurare verum per falsum Deum: vel iurare falsum per verum Deum? §. 3.

¶ SECVNDÒ quæritur? quid sit peius: vel iurare verum per falsum Deum: vel falsum per verum Deum.

Aug. Canon. 22. q. 1. ad Publicolam. ¶ AD quod sic: Aug. *Sine vlla dubitatione minus malum est per falsos Deos iurare veraciter, quàm per verum Deum fallaciter.* Quantò enim magis sanctum est, per quod iuratur; tantò magis pœnale est periurium. Ergo peius est iurare falsum per verum Deum, quàm per falsos Deos verum.

¶ CONTRA, maius peccatũ est idololatria, quàm periurium. Sed qui iurat per falsos Deos, siue verum, siue falsum, est idololatra: qui verò falsum iurat per verum Deũ, peierat solùm: ergo peius est iurare verum per falsos Deos, quàm per falsum per verum Deum. Minor patet per Hieron. *per quod quis iurat, illud amat & veneratur:* ergo quicunq; iurat per falsos Deos, amat illos & veneratur: sed omnis talis idololatra est: ergo quicunq; iurat per falsos Deos, est idololatra. Hieron.

RESOLVTIO.

Diuerso respectu interdum hoc, interdum illud.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd in iuramento duo sunt sc. illud, quòd iuratur: & ratio certitudinis, hoc est illud, per q; iuratur. Respiciendo ergo ad illud, quòd iuratur vel asseritur per iuramentum; minus malum est iurare verum per falsos Deos, quàm falsum per verum Deum: quia hic asseritur falsum, quòd non est: ibi verum, quòd est. Et secundum hoc loquitur Augustinus, cùm dicit: *Minus malum est,* &c. Respiciendo autem ad illud, per qđ iuratur: quia hic iuratur per Deum verum, illic per idolum: sic peius est per falsos Deos iurare veraciter, quàm iurare per verum Deum mendaciter. August.

ARTICVLVS III.

De forma iuramenti partim concessa & partim non concessa.

CONSEQVENTER quæritur de forma iuramenti, partim concessa, partim non concessa: quæ est iurare per creaturas. Et circa hoc quæruntur duo? Primò, an sit licitum iurare per creaturas: vel non. Secundò, quod magis obligat: vel iuramentum factum per creaturas, vel per Deum?

An liceat iurare per creaturas? §. 1.

¶ QVANTVM ad primum sic obijcitur. Hieron. super illud: *Dico vobis, omnino non iurare, neq; per cœlum, neq; per terram,* &c. dicit Gloss. *Non penitus iurare prohibuit; sed occasione periurij, quòd perfectionis est, docuit,* supple scil. cùm dixit: *Non iurare omnino,* quod verò superstitiosum est, resecauit, cum dixit, *neq; per cœlum,* &c. Iudæi enim per Angelos & Hierusalem iurantes, & per elementa; creaturas venerantur: q; verò infirmitatis est, indulsit, cum dixit: *quod autem his abundantius est,* &c. Ex quo patet, quoniam iurare per creaturas est superstitiosum: non ergo licitum est iurare per creaturas. Matth. 5. Glossa.

¶ ITEM, Pius Papa. *Si quis per capillum Dei, vel per caput iurauerit, vel alio modo contra Deum suum vsus fuerit; si in ecclesiastico ordine est, deponatur: si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas iurauerit, acerrimè castigetur. Si autem talem hominem non manifestauerit: non est dubium, quin diuina condemnatione coërceatur.* Iurare ergo per creaturas est tantũ crimen, vt faciat depositionem vel excommunicationem & diuinam condemnationem: ergo non est licitum. Pius Papa Can. 22. q. 1. cap. Si quis.

¶ ITEM, Aug. *Cùm quis, ait, per salutem meam, salutem suam obligat Deo: vel cùm dicit, per filios meos, oppignorat illos Deo; vt eueniat in caput illorum, quod exit de ore eius.* In omni ergo iuramento aut Deus testis adhibetur: aut creatura Deo obligatur, & oppignoratur: vt hoc sit iurare Deum, scilicet testem adhibere; vel Deo aliquid oppignorare. Hoc ergo iurare per quamlibet creaturam scilicet creatorem eius testem adhibere: sed qui iurat per creaturam, non adhibet Deum testem suæ assertionis. August. sermo 28. de Verbis Apost.

¶ ITEM, non potest aliquis obligare vel oppignorare creaturam Deo: cum creatura Dei sit. Cùm ergo iurare sit, vel Deum testem adhibere, vel Deo aliquid oppignorare: ergo non est licitum iurare per creaturam aliquo modo.

¶ ITEM, *Nolite iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est,* &c. Ex quo relinquitur, quòd nullo modo licitum est iurare per creaturam. Matth. 5.

¶ ITEM, iuramentum est ad testificationem assertionis: sed irrationale non potest testificari: ergo non conuenit iurare per creaturam irrationalem.

¶ CONTRA dicitur: quod Ioseph iurauit per salutem Pharaonis. Sed Ioseph commendatur in omnibus: ergo licitum est iurare per creaturam. Gen. 42.

¶ ITEM, Paulus. Iurauit per creaturam, cum dixit: *Quotidiè morior per gloriam vestram fratres.* Gloriam appellauit illud per quod ordinantur ad gloriam scil. prædicationem Euangelij. Iurauit ergo per creaturam: quia sicut dicit August. ibi, iurauit Apostolus. Si ergo ipse non peccauit: ergo licitum est iurare per creaturam. 1. Cor. 15. August.

¶ ITEM, quotidie iuratur in Ecclesia per B. Virginem, & per sanctos, & per res Deo dicatas: sed omnia ista sunt creaturæ: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Licet nempe per creaturas iurare, modò quidquam numinis in eis non credatur, dolus aliquis non intendatur, sed tantum protestando prima veritas in ipsis colatur.

¶ SOLVT. Super illud: *Dico vobis, non iurare omnino:* dicit Gloss. *Non iuremus per creaturas, vt veneremur eas, vltra quàm debemus: non iuremus per eas, vt viles æstimemus; vt scil. cùm per eas iuramus, nihil iurare existimemus.* Ex hoc habetur responsio: quia qui iurat per creaturam, aut credit aliquid numinis esse in creatura; aut iurat per creaturam intendens fraudem, & decipere alium; quia scil. non credit iurasse: aut iurat per creaturam, intendens solùm protestari, quòd Deus sit prima veritas, & author creaturæ. Si primo modo iurat per creaturam; vt scil. credat aliquid numinis esse in ipsa, & intendat venerari creaturam: dicendum, quòd peccat peccato idololatriæ. Si autem intendit fraudem, dicimus q; talis peccat peccato periurij. Si autem nec intendat venerari aliquod numen in creatura, nec intendat dolum ad proximum; sed solum intendat protestari per creaturam, & in ipsa primam veritatem venerari: sic dicimus, quòd licitum est iurare per creaturam: nec peccat, qui sic iurat. Et hoc est, q; dicit August. *Deum per creaturas iurare prohibuit: ne vel more gentilium aliquod numen deitatis creaturis inesse credere-mus: vel nè creaturas contemptibiles iudicando, per eas promissa pro nihilo duceremus.* Matth. 5. Glossa. August. Can. 22. q. 1 ad Publicolam.

¶ QVIDAM tamen dicunt, q; non licitum sit iurare per omnes creaturas, sicut dictum est: quia distinguunt, quòd quædam sunt creaturæ Deo dicatæ, & ad cultum diuinum mancipatæ, vt reliquiæ sanctorum, & Euangelium: & per has est licitum (vt dicunt) iurare: per alias autem quæ non sunt huiusmodi, non est licitum: & hoc est, (vt dicunt) quia aliæ non admittuntur in solenni iuramento: sed istæ solũ. Tamen (sicut dicit August.) contingit iurare per quamlibet creaturam. Vnde super illud: *Testis est mihi Deus:* dicit ipse in Gloss. *Qui per lapidem iurat falsum, periurus est.* Et constat quod hoc non esset, nisi tale iuramentum obligatorium esset: non autem obligaret: nisi per creaturam talem iurare contingeret. Idem. Rom. 1. Glossa August. Ibi.

¶ AD primum, q; obijciebatur in contrarium. Dicendum, quòd prohibitum est hoc modo iurare per creaturas: ne scil. in iuratione eas veneremur, vel per eas dolum vel fraudem intendamus: sed non quod in iuramento facto per creaturam, creatorem Deum authorem creaturæ protestemur: & ipsum in creatura veneremur.

¶ AD secundũ dicendum, quòd Canon loquitur contra quosdam, qui credebant Deum secundum diuinitatem habere capillos, & caput: & tales propriè sunt blasphemi.

¶ Ad tertium dicendum: quòd iuramentum duplex est: quoddam est assertorium: quoddam verò est imprecatorium. Iuramentum imprecatorium est: cum aliquis sibi imprecatur pœnam, nisi ita faciat, sicut promittit: & dicit Aug. quòd forma vel ratio talis iuramenti est talis, *per salutem meam & filios meos.* vnde dicit: *Cùm quis, ait, per salutem meam salutem suam obligat Deo: vel cum dicit, per filios meos, oppignorat eos Deo: vt hoc eueniat in caput eorum, quòd exit de ore ipsius: & istud est iuramentum de re futura, & promissorium.* Iuramentum autem assertorium est de re præsenti vel præterita. Cùm ergo assertoriè iuratur per creaturam, ipsa creatura non adducitur vt testis: immò Deus, qui est author creaturæ: vnde in 22. q. 1. *Sed sciendum est, quòd sancti non tam per creaturas, quàm per creatorem creaturarum iurabant: nec in creaturis aliud quam creatorem ipsarum venerabantur: sicut Ioseph, qui per Pharaonem iurando, hoc in eo veneratus est, quòd Dei iudicio positus erat in infimis.* vnde Apost. *Omnis potestas à Deo est.* Et similiter ad hoc idem ponit authoritatem in Sermone de periurio; vbi dicit, quòd in omni iuratione, aut Deus testis adhibetur: aut creatura Deo obligatur & oppignoratur: vt scilicet hoc sit iurare, Deum scil. testem adhibere, vel Deo aliquid oppignorare: hoc est ergo iurare per quālibet creaturam, scil. creatorem eius testem adhibere. Item, August. in Gloss. super illud: *Testis est mihi Deus,* dicit: *Qui per lapidem iurat falsum, periurus est: quia creatorem Deum adhibet testem.* Sicut ergo in adoratione videmus, quòd veneratio facta creaturæ semper refertur ad prototypum, id est, ad exemplar, vt dicit Ioan. Dam. sicut veneratio crucis refertur ad ipsum crucifixum: ita dicimus, quòd testificatio facta in iuramento per creaturas, vt per sanctos, refertur ad ipsum authorem Deum: & iuratio facta per crucem refertur ad ipsum, cuius est crux. Iurare ergo per creaturam est creatorem eius testem veritatis adducere.

August. sermo 18. de Ve. bis Apost. — Canon. 22. q. 1. — Rom. 13. — August. super Rom. 1. — Damasc.

¶ Ad illud verò, quod obiicit: quòd nullus potest creaturam Deo obligare. Dicendum, quòd ille, qui iurat per creaturam, non obligat vel oppignorat illam Deo: sed bonū, quòd ex creatura percipit, Deo obligat & oppignorat: vt scilicet in illo bono puniatur, nisi eueniat, pro quo iurat: & hoc vult dicere Aug. cùm dicit: *Cùm quis iurat per filios suos, vel per salutem suam; oppignorat hoc Deo,* id est, bonum suū, quòd habet & percipit in illis: quia qui iurat per filios suos, iurat per creaturam, in qua habet consolationem: & ita bonum percipit ex ea. Non ergo obligat creaturam Deo propriè, sed bonum suum.

August.

¶ Ex hoc patet solutio ad illam rationem, quæ est: quòd irrationabilia non possunt testificari: non enim creatura testificatur, quando per ipsam iuratur: immò Deus, qui est creator ipsius creaturæ; & ad ipsum testificatio refertur: alioqui non esset iuramentum.

¶ Ad quartum similiter patet solutio: non prohibuit Dominus iurare per creaturas: ne scil. diuinum nomen in eis venerarentur homines: vel ne dolum, iurando per eas, intenderent. Et hoc est quod dicit: Hieron. Iudæis quasi paruulis concessum fuit iurare per creatorem: præcipiens, vt si iurare contingeret, non nisi per creatorem iurarent, non per creaturam: quia iurantes per Angelos & elementa, creaturas venerabantur honore: & melius erat hoc exhiberi Deo, quàm creaturis: infirmis ergo illud prohibuit. Sanctis verò, qui in creaturis creatorem venerabantur tantùm, non prohibuit: vnde Ioseph per salutem Pharaonis iurando, hoc Dei iudicio in eo veneratus est, quo positus erat in infimis. Christus verò per creaturas ita iurare prohibuit; ne vel aliquid diuinum in eis crederetur, pro quo reuerentia eis deberetur: vel ne per eas iurantes falsum, homines se iuramento teneri non putarent.

Hieron.

An iuramentum factum per Deum, vel iuramentum factum per creaturas maius sit, magisq; obliget? §. 2.

¶ Postmodum quæritur: quod iuramentum magis obligat, vel quod fit per creatorem, vel quòd fit per creaturas. Ad quod sic: August. *Quantò per quod iuratur, magis sanctum est: tantò magis est pœnale periurium.* Sed magis est sanctus, immò in infinitum est sanctior Deus, quàm creatura: ergo magis est pœnale periurium, quando iuratur falsum per Deum: quàm quando iuratur falsum per creaturam. Sed non est magis pœnale periurium, nisi quia magis obligat iuramentum: ergo magis obligat iuramentum factum per Deum, quàm per creaturam.

Aug. Canon. 22 q. 1 ad Pu... [illegible]

¶ Contra. 22. quæst. 1. in fine. *Dupliciter reus est, qui per creaturas iurat mendaciter: quia & contra prohibitionem iurat, per quod sibi iurare non licet; à quo peccato est immunis, qui non nisi per creatorem iurat: & proximum dolo capit; quòd facit etiam per creatorem mendaciter iurans.* Si ergo duplex est reatus in illo, qui iurat falsum per creaturam: à quorum vno immunis est, qui iurat falsum per creatorem: grauius est periurium factum per creaturam, quàm factum per creatorem. Sed non est grauius periurium, nisi quia magis obligat iuramentum: ergo, &c.

Canon. 22. q. 1.

¶ Item, ille qui iurat per creaturam, non iurat per ipsam solam, sed etiam per eius creatorem Deum: ille enim, qui iurat per creaturam, Deum authorem illius creaturæ testem inuocat. Sed maior est contemptus in illo, qui contemnit creaturam & creatorem; quàm in illo, qui solum alterum contemnit: cùm ergo omnis periurans contemnat illud, per quod iurat: maius est periurium, vnde contemnitur Deus & creaturam: quàm vnde contemnitur Deus solus: grauius est ergo periurium factum per creaturam, quàm per Deum.

¶ Item, ad solennitatem iuramenti additur iuramentum per creaturas: quia asportantur reliquiæ sanctorum & Euangelium, per quæ iuratur solenniter. Sed iuramentum solenne magis obligat: si ergo illud fit per creaturas: iuramentum per creaturam maximè obligat.

¶ Iuxta hoc quæritur? vnde hoc est, quòd violatio iuramenti solennis facit irregularem? propter hoc enim videtur quod ipsum maximè ligat.

RESOLVTIO.

Longè nimis iuramentum factum per Deum.

¶ Solut. Dicendum, quòd grauius & fortius est iuramentum factum per Deum, quā per creaturas; & magis obligat, secundùm quòd dicit August. Si tantò magis periurium pœnale est, quantò sanctius est illud, per quòd iuratur: apparet, quòd & si per creaturam mendaciter iurans dupliciter peccet: grauiori tamen se subijcit pœnæ, qui per creatorem iurat mendaciter. Et iterum; 3. Sent. dist. vlt. ex Ioan. Chrysost. hoc confirmatur. *Si qua causa fuerit, modicum videbitur facere, qui iurat per Deum: qui verò iurat per Euangelium, maius aliquid fecisse videtur.* Ita opponit ipse secundum quosdam: sed post respondet dicens. Quibus dicendum est: stulti, scripturæ propter Deum factæ sunt, non Deus propter scripturas: ita creaturæ factæ sunt propter Deum. Ex quo vult habere, quòd maius est iurare per Deum, quàm per creaturas.

August. in Can. 22 q. 1. — Chrysost. Hom. 24. in Mat. in opere imperfecto.

¶ Ad illud, quod primò obiicit: quòd dupliciter reus est, qui per creaturam iurat mendaciter. Dicendum, quòd hoc non dicitur de quocunq; iurante per creaturam: sed de illo, qui in illo iuramento creaturam intendit venerari tanquam habentem aliquid diuinum in se: & qui etiam cum hoc proximum dolo capit: & ideo dicit Canon. *qui iurat, per quod non licet,* quando iuratur per creaturam venerando ipsam tanquam diuinam.

¶ Ad illud, quòd secundò obijcitur. Dicendum, quòd bonitas creatoris vt in se est, excedit in infinitum bonitatem eius, prout habet esse in creatura. Vnde: *Confessio eius,* id est, *laus eius super cœlum & terram.* id est, plusquam de ipsa in creaturis appareat. Ideo sanctius est, cum iuratur per creatorem in se, quàm per creatorem in creatura: & fortius est iuramentum. Psal. 148.

¶ Ad tertium, quod obijcitur: quòd iuramentum per creaturas additur ad solennitatem. Dicendum, quòd cōparando simplicem formam iuramenti simplicis; plus est hoc, quàm illud. Sed comparando iuramentum factum per Deum: & cum hoc addito iuramento per creaturam ad iuramentum factum per solùm Deum: benè concedo quod plus est illud, quàm istud. Quantò enim crescunt plus solennitates; vt cum iuratur per crucem, reliquias, &

Euangelia; tantò maius est iuramentum: non tamen est maius iuramentum, per creaturam in se, quàm creatorem; immò econuersò: licet maius sit iuramentum & solennius collectum ex iuramento per Deum & per creaturam: quàm iuramentum factum per Deum solum.

¶ AD quæstionem vltimò factam. Dicendum, q violatio iuramenti solennis facit irregularem ratione infamiæ: infamia enim facit irregularem. Oportet enim qui debet ad sacros ordines accedere, habere bonam famam communem. Vnde Apost. dicit: quòd oportet ordinandos maximè in prælatione, habere bonum testimonium ab his, qui foris sunt. Et de Diaconibus dicit ibidem; q sint nullum crimen habentes. Et ad Titum 1. præcipit ipse Apostolus Tito, vt constituat presbyteros, & disponat quales debeant esse; quoniam sine crimine debent esse. Ratione ergo huiusmodi infamię euenit illa irregularitas.

1. ad Timoth. 3.

Idem ad eundem.

MEMBRVM IV.

De comitibus iuramenti.

DEINDE quæritur de comitibus iuramenti & obligatione. Ponuntur autem tres comites scil. iustitia, veritas, & iudicium seu discretio. Et hoc dicit Hieron. Et habetur. 22. q. 2. *Animaduertendum est, quòd iusiurandum hos habet, comites, veritatem, iudicium, & iustitiam.*

Hieron super Ierem. 4. Canon. 22 q 2.

¶ PRIMÒ, ergo quæritur de comite iustitiæ. Secundò, de comite iudicij. Tertiò, de comite veritatis. Quartò, an positis istis, vniuersaliter sit obligatorium iuramentum.

ARTICVLVS I.

An si iustitia desit, iuramentum obligatorium sit?

PRIMÒ quæritur: verùm si desit iustitia, sit obligatorium iuramentum? Ad quod sic: August. Et transumitur in Canon. *Iurauit temere Dauid: sed non impleuit iurationem, maiori pietate ductus.* Ecce Dauid sanctus, iuramento quidem astrictus, non fudit sanguinem hominis, scil. ipsius Nabal, de cuius sanguinis effusione iurauerat. Sed cum falsum iurasse negare quis poterit: Ecce in illo iuramento, quo iurauit Dauid occidere Nabal; non erat iustitia: & propter hoc modo impleuit. Sed Dauid sanctus est, & in hoc commendatur: ergo benè fecit. Ergo non tenetur homo ad iuramentum illicitum, seu in quo deficit iustitia, implendum. Tale ergo iuramentum non est obligatorium.

August. in sermone de Decolatione Ioan. Baptistæ. Canon. *Iurauit.* 22 q. 4.

¶ ITEM, Canon. 22. *In malè promißis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incautè vouisti, ne facias.* Impia ergo est promissio, quæ scelere adimpletur: ergo promissio facta de iniusto, non obligat: iuramentum ergo, in quo deficit iustitia, non est obligatorium.

Canon. 22. q 4. Isidor.

¶ CONTRA. Iosue iurauit pacem cum Gabaonitis: & quod non occideret eos. Sed illud iuramentum fuit iniustum: quia omne iuramentum, in quo iuratur contra Dei præceptum, est iniustum: ergo iurauit iniustè. Quod iurauerit contra Dei præceptum, patet: quia præceperat illi, q occideret omnes habitatores terræ promissionis; ne interficerent filios Israël: sicut habetur. Ipse autem iurauit contrarium Gabaonitis, qui simulauerunt se venire de terra longinqua, & tamen erant de terra promissionis: ergo iurauit contra præceptum Dei: fuit ergo iniustum iuramentum. Sed ipse iuramento isto obligabatur: ergo iuramentum, in quo deest iustitia, est obligatorium. Quòd autem obligaretur isto iuramento, patet: 22. q. 4. Innocens & transumitur ab Ambros. loquente de iuramento Iosue facto Gabaonitis. Iesus tamen pacem, quam dederat, reuocandam non censuit; quia firmata erat sacramenti religione: nedum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret. Soluisset igitur suam fidem, si non tenuisset quod iurauerat: illud ergo iuramentum ipsum obligauerat.

Iosue 9

Deut. 7.

Can. 22. q. 4. Innocens Ambros. in lib. de officijs.

¶ ITEM, Gratianus. *Aliquando iuramento deest iustitia, velut cum quispiam post votum castitatis ducit vxorem, iuramento firmans nunquàm ab ea se discessurum: quod quamuis illicitum sit, quia iustitia probatur sibi deesse: tamen authoritate August. præcipitur seruari.* Ex quo patet, quòd iuramentum illicitum, in quo deest iustitia, est obligatorium.

Gratian. Can. 22. q. 4.

¶ SED contra primam rationem, quæ est de Gabaonitis obijcitur: quia videtur, quòd iuramentum, quòd fecit Gabaonitis Iosue non obligauit eum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ex quo accipitur, quòd factum inferioris non soluit mandatum superiorum: ergo nec iuramentum Iosue soluit mandatum Dei de interfectione Gabaonitarum: ergo si non interfecit eos, peccauit. Iuramentum ergo suum non obligabat eum. Rom. 13.

¶ SIMILITER obijcitur contra illud, quòd dicitur de authoritate Gratiani: quia videtur, quòd ille, qui priùs vouit castitatem, & post iurat contrahere se matrimonium cum aliqua, & cum ea permansurum: non obligatur illo iuramento. *Vouete, & reddite.* Si ergo priùs vouit castitatem, quàm iurauerit contrahere matrimonium; tenetur reddere & implere votum. Iuramentum ergo sequens non soluit votum præcedens. Psalm. 75.

¶ ITEM obijcitur, nam dicit Aug. quòd meretrix iurans se seruaturam fidem suo locatori: iurando & adhærendo suo locatori, mala est: peior autem, iuramentum non obseruando. Ergo iuramentum illicitum obligat. August.

¶ ITEM, dicit August. quod raptor, qui iurat se diuisurum spolia cum aliquo, magis peccat, si totum retineat: quàm si diuidat: ergo, &c. Idem.

RESOLVTIO.

Iuramentum iniustum, ad cuius scil. executionem iniustitia sequitur; nullatenus est obligatorium.

¶ SOLVT. Dicendum, secundum q dicitur. 22. q. 4. authoritate Bedę super Matth. Si aliquid fortè nos incautiùs iurare contigerit; & obseruatum iuramentum in peiorem vergat exitum; liberè illud salubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio, in aliud crimen grauius esse diuertendum. Deniq; iurauit Dauid per Deum occidere Nabal: sed ad primam intercessionem Abigail prudentis fœminæ, mox remisit minas, reuocauit ensem: nec aliquid culpæ se pro tali periurio contraxisse doluit. Secundum hoc ergo dicendum: quod cum iuratur aliquid iniustum, in cuius scil. executione iniustitia est: nulla est obligatio.

Canon. 22 q 4.

1. Regum 25.

¶ AD primum ergo, q obijcitur de iuramento Iosue Gabaonitis. Distinguendum, q aliquid est iniustum quia prohibitum: aliquid prohibitum quia iniustum. Prohibitum quia iniustum, est quod de sua natura vitiosum est; vt adulterium, & fornicatio: iuramentum autem de talibus faciendis nullo modo est obligatorium; & hoc quia deest comes iuramenti, quòd est iustitia. Iniustum verò quia prohibitum, quòd de se erat licitum, sed ex prohibitione factum est illicitum: vt Adæ comedere de ligno scientiæ. Cùm autem iuramentum fit de talibus distinguendum: quia aut iurando sic, seruatur intentio prohibentis: aut iuratur contra intentionem prohibentis. Si contra intentionem, non est obligatorium, nec licitum: quia deest comes iuramenti iustitia. Si verò seruatur intentio, licitum est. & obligatorium: quale fuit iuramentum Iosue factum Gabaonitis: iurando enim cum eis fœdus, & non interficiendo, seruauit intentionem diuinæ prohibitionis. Nam intentio prohibitionis, quæ habetur Deutero. 7. vbi præcipitur, quòd occiderentur habitatores terræ promissionis, fuit; ne si dimitterentur viuentes, interficerent filios Israël, & auerterent à diuino cultu: vbi dicitur. *Percuties eos vsque ad internitionem: non inibis cùm eis fœdus.* Et sequitur: Nec filiam eius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me. Dicendum ergo, prout dicit Ambrosius: *Mulctauit eos Iosue meliori morte scil. obsequio ministerij, vt esset clementior sententia: sed diuturna.* Licet ergo non essent occisi morte naturali, quæ est in separatione animæ à corpore: sunt tamen occisi morte legali, quæ est seruitus: seruitus enim est mors interpretatiua: interpretatur enim mors secundùm leges, seruata inten-

Iosue 9.

Deut. 7.

Ambros. in lib. de Officijs.

tione prohibitionis diuinæ: quia neminem possum corrumpere seruituti addicti.

¶ Ad secundum verò, quod obijcitur de authoritate Gratiani de iurante post votum castitatis, & ducente vxorem. Distinguendum inter votum castitatis simplex, & solenne. Nam si solenne, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, & euacuat iuramentum. Si simplex, impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. Vnde illud, quod dicit Gratianus de illo, qui post votum castitatis ducit vxorem, iurans se nunquam ab ea discessurum, quòd iuramentum seruari præcipitur. Intelligendum, quod hoc non est ratione vinculi iuramenti: sed ratione vinculi matrimonij; quòd non dirimit simplex votum: & ita per accidens.

¶ Ad tertium dicendum: quod iuramentum meretricis partim est licitum, partim est illicitum. Cùm enim iurat se seruaturam fidem leccatori: iurat se adhærere illi, & non alij: quantum ad hoc quod est, *adhærere illi* illicitum est, nec obligat: quantum ad hoc quod est, *non adhærere alij* licitum est, & obligat: vnde transgrediendo peierat. Eodem modo dicendum de illo, qui iurat se diuisurum spolia: iurat enim se retenturum partem: & quantum ad hoc illicitum est, & non obligat: & iurat non retinere totum: & quantum ad hoc licitum est, & obligat. Nullum ergo iuramentum in quantum est de illicito & iniusto, est obligatorium.

ARTICVLVS II.

An iurans nunquam se intraturum religionem, iuramento obligetur?

DEinde quæritur de comite iuramenti, quòd est iudicium. Circa quod quæritur de illo, qui iurat se nunquam intraturum religionem: (nam constans est, quòd iste indiscretè iurat) vtrùm tali iuramento obligetur?

Gratianus. Canon. 22. q. 4. ¶ Ad quod sic. 22. q. 4. Gratianus: *Si aliquis à parentibus coactus, vt tonsuram clericatus, vel religionis habitum susciptat; se neutrum facturum iuramento firmauerit: quamuis aliquibus videatur reprehensibile; quia opus charitatis iuramento non facturum se promisit: nulla tamen authoritate seruari prohibetur: quia & si nunquam clericatus tonsuram, vel religionis vestem susciptat; non tamen ideo minus salutem promereri valet.* Ex quo arguitur: si nulla authoritate hoc iuramentum seruari prohibetur: ergo hoc iuramentum obligat: ergo si religionem intrat, peierat.

Gen. 19. ¶ Item, ponamus, quòd hic ex hoc quod cognoscat suam infirmitatem, & credat quod (sicut de Loth dicitur) faciliùs saluabitur in Segor, id est in pœnitentia parua; quàm in monte religionis: iuret se non intraturum religionem. Constat, quòd iurat licitum: & cum iudicio; sicut videtur: ergo obligatur.

¶ Contra. Quicunque iurat se non facturum aliquid, quò expeditior sibi via præparatur ad beatitudinem: iurat contra animæ salutem. Sed non potest homo se obligare ad hæc, quæ sunt contra animæ salutem: cum ergo non intrare religionem sit tale: nullus poterit ad hoc iuramento se obligare.

¶ Item, si dicatur, quòd non est contra salutem animæ: quia sine hoc est salus. Ad hoc obijcitur: quod nullum iuramentum contra consilium Dei potest obligare: sed istud est tale: ergo non potest obligare.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cùm istius modi iuramentum in Charitatis detrimentum sit, perperamque emissum fuerit.

Can. 22. q. 4. ¶ Solvt. Secundum quod dicitur: 22. q. 4. *Iuramentum illicitum multipliciter intelligitur.* Est enim illicitum ex eo quod iuratur: aliquando ex modo iurandi: aliquando ex causa extra veniente. Ex eò quod iuratur, tunc illicitum est, quando id quod in sui natura vitiosum est, vel vitam adimens, vt adulterium, & homicidium, & his similia; vel reparari non permittens, veluti cum inimico ad pacem non redire, indigenti misericorditer non subuenire: ista quia perspicua: habent in se iniustitiam; si iuramento firmentur, seruari non debent. Ex modo verò [illegible] iuramentum est: quod [illegible] & [illegible] specie aliquid iuratur: quo [illegible] salus adimitur: & sine quo vtraque [illegible] reparari, & [illegible] conseruari valet: veluti cum aliquis iurat [illegible] non [illegible] rum religionem. Ex causis vero extra [illegible] tum iuramentum est, veluti cum aliquis post votum castitatis iurat alicui, se habiturum eam in coniugem: coniugem namque habere in seipso, malum non est: sed tamen hinc ex voto permissum est. In his duobus casibus dicit Gratianus, quòd iuramentum, & si illicitum sit, tamen seruari non prohibetur. Gratianus.

¶ Tamen Doct. in hac parte corrigunt Gratianum. Vnde de illo, qui post votum castitatis iurat alicui se habituram eam in coniugem: si simplex fuerit votum, post contractum matrimonium ratione matrimonij iuramentum seruare non prohibetur. Si autem non fuerit contractum; iuramentum seruare prohibetur ex hoc, quòd dicitur: *Vouete & reddite.* Psalm. 75.

¶ Ad illud, verò, quod dicit de iurante, quòd non intrabit religionem. Dicunt quia sicut iuramentum seruare non prohibetur; ita etiam nec iuramentum seruare præcipitur. Vnde tale iuramentum non obligat: quia cum sit factum in detrimentum charitatis; deficit iuramento iudicium.

¶ Ad illud verò, quod obijcit: quòd tale iuramentum est licitum. Distinguendum, quòd licitum duobus modis est. Est enim licitum expediens: & licitum non expediens. *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt.* Licitum, & expediens est, quòd hominem promouet ad melius: licitum & non expediens, quòd impedit promotionem ad melius. Iuramentum de licito & expedienti est obligatorium. Iuramentum de licito sed non expedienti, non est obligatorium: quale est iuramentum de non intrando religionem: vnde secundum regulam Bedæ non est obseruandum: Omne enim iuramentum, quòd obseruatum in deteriorem vergit exitum; libere salubriori consilio mutandum est. 1 Cor 6

ARTICVLVS III.

An iuramentum factum in dolo obliget?

DEinde quæritur de comite iuramenti, qui est veritas. Quæritur ergo, si iuramento desit veritas: vtrùm illo, qui iurat in dolo, vtrùm obliget.

¶ Ad quod sic: Periurium non est obligatorium: sed iuramentum, quòd fit absque veritate, est periurium; ergo non est obligatorium. Quòd autem tale periurium sit tale iuramentum, probatur multis modis. Primò authoritate August. super illud: *Domini est terra.* In dolo iurat, qui aliter facturus est, quàm promittat: quàm periurium sit nequiter decipere credentes. Item, Hieron. super Hieremiam. *Qui falsum iurat, mentitur.* Mentiendo autem iurare nihil aliud est, quàm periurare: ergo cum sic iurare sit periurare, non videtur obligare. Psalm 23. Hieron. super Ieremiam.

¶ Contra. Isidorus: *Quacunque arte verborum quis iurat: Deus ita accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit.* Cùm [illegible] ille, cui iuratur, intelligat iurantem in dolo obligari: obligatur. Isidor. li. 2. de Sūmo bono c. 31.

¶ Præterea, si tale iuramentum non obligaret: ex dolo reportaret lucrum: dolus autem nemini debet patrocinari: relinquitur igitur quod quamuis desit veritas in iuramento: nihilominus est obligatorium.

¶ Item, quæritur? quæ sit ratio, quòd exigantur tres comites in iurando, iustitia, iudicium, & veritas?

RESOLVTIO.

Iuramentum dolosum si fuerit assertorium, non obligat, nisi obligatione reatus: si verò fuerit promissorium obligat etiam ad executionem promissi: dummodo promissum ipsum licitum sit, & expediens.

¶ Ad primum dicendum: quòd cum iuramentum sit duplex: assertorium scil. & promissorium. Assertorium iuramentum est, quando iuratur de præsenti aliquid [illegible]

vel

vel non esse; vel de præterito aliquid fuisse vel non fuisse. Promissorium verò, cùm iurat aliquis de futuro facturum aliquid vel non facturum. Cùm autem quæritur de obligatione iuramenti, debet referri ad promissorium: ratione cuius tenetur iurans ad aliquid faciendum vel non faciendum in futuro. Iuramentum ergo assertorium, cùm deest veritas, non obligat ad aliquid agendum, nec alio modo, nisi obligatione reatus. Cùm obijcitur ergo de iurante in dolo: referendum est ad promissorium.

¶ Ad illud, quod obiicit: quòd periurium non obligat. Distinguendum, quòd periurium aliquando dicitur * falsi iuratio: aliquando peruersa iuratio, quando scilicet iuratur illicitum: aliquando verò transgressio iuramenti. Item falsa iuratio dicitur duobus modis, scilicet falsitate iurantis, vel eius quod iuratur. Hic autem accipitur falsa iuratio pro falsitate iurantis, quæ est duplex, in asserendo, & in promittendo. In asserendo falsa iuratio non obligat, nisi obligatione reatus. In promittendo falsa iuratio obligat ad executionem promissi: dummodò sit licitum & expediens. Peruersa verò iuratio, cùm scilicet iuratur illicitum, quomodo obliget, & quomodo non, dictum est prius. Transgressio verò iuramenti non dicitur obligare, nisi obligatione reatus: quomodo dicitur propriè periurium. Alijs verò modis dicitur periurium interpretatiuè. Cùm ergo dicitur, nullũ periurium obligatorium est, per hanc distinctionem patet responsio.

(* al. falsa)

(Articulis immediatè præcedentibus.)

¶ Ad Vltimvm verò quæsitum dicendum: quod elicitur ex Hierem. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iustitia*: quòd tres comites debent esse in quolibet iuramento, & hac ratione. Nam iuramentum debet esse ordinatum, tum ex parte iurantis, tum ex parte eius quod iuratur, tum ex parte causæ pro qua iuratur. Ex parte iurantis comes iuramenti debet esse veritas, vt asserendo credat esse verum quod iurat: & promittendo proponat se facturum quod iurat. Ex parte eius, quod iuratur, debet esse comes iustitia: vt illud, quod iuratur, licitum sit, & iustum. Ex parte verò causæ, pro qua iuratur, debet esse comes iudicium: vt scilicet cum causa rationabili iuret: sine causa verò & discretione iudicij non iuret.

(Ierem. 4.)

ARTICVLVS IIII.

Si quodlibet iuramentum tres dictos comites habens, semper obliget.

Seqvitvr inquirere, Vtrùm omne iuramentum, quod habet istos tres comites, semper sit obligatorium. Et quæruntur duo: Primum, vtrùm iuramentum spontaneum hoc modo factum semper obliget. Secundum, vtrùm iuramentum coactum sic factum obliget.

An iuramentum spontaneum, tribus requisitis comitibus factum, obliget? §. 1.

¶ Circa Primvm ponitur casus de illo, qui iurat se nunquam futurum Episcopum. Nam constat, quod iurat licitum; & tale, propter quod multi sunt laudabiles: laudabile enim est exemplo Domini honorem oblatum fugere, Ioan. 6. Item, iurat discretè, quia propter causam expedientem, & vtilem: elegit enim securius; quia securius est locum humilem tenere, quàm per ardua dignitatum incedere, maximè posito quòd ipse credat se nunquã posse sufficere ad regendum Episcopatum. Item, iurat verè, quantum in se est: firmiter enim credit & proponit nunquam futurum Episcopum. Cùm ergo iuramentum istius habeat tres comites, erit obligatorium: quia dictum est Deut. 6. *Reddes Domino iuramenta tua.*

(Ioan. 6.)

(Deut. 6.)

¶ Item, quidam fecerat tale iuramentum, postea electus est in episcopum: Gregorius Papa fecit inquiri, vtrùm tale iuramentum fecisset: hoc autem esset superfluum, nisi iuramentum illud obligaret.

¶ Contra, super Deut. 25. in lege de accipienda vxore fratris defuncti sine liberis, dicit Augustinus: *Quicunque alendorum sub alterum renuit, decalceato opprobrium sustinebit. Non enim vult suscitare semen fratris defuncti, ad est Christi. Sed non sustinebit opprobrium nisi propter peccatum*: peccat igitur talis renunciando episcopatum, ergo & iurando.

(Deut. 25. August.)

¶ Idem Augustinus: *Otium sanctum quærit gloria veritatis: negotium sanctum suscipit necessitas charitatis*. Si ergo necessitas est suscipere: iurare quod non suscipiat, non erit obligatorium.

(Idem.)

¶ Ad hoc respondent: quòd iuramentum istud non habuit comitem iudicium: si quocunque casu contingente iurauerit se nunquam futurum Episcopum: non enim fuit discretum, neque pium vsquequaque: si contingeret quòd nullus inueniretur sufficiens adeo, sicut ipse qui sic iurauit: & ideo non est obligatorium simpliciter. Vnde distinguunt, aut cùm talis eligitur, inuenitur alius sufficiens; & tunc obligatur ad non suscipere: aut non inuenitur; & tunc petita dispensatione à superiori de facto iuramento, debet suscipere: tamẽ in hoc casu propter religionem iuramenti coactus mandato superioris deberet suscipere: & si possit fieri sine scandalo ecclesiæ. Et per hoc respondetur ad primum. Ad illud, quod obiicitur de inquisitione Gregorij: dicendum, quòd hoc est factum propter scãdalum: & quia præter illum alius inueniebatur dignus episcopatu.

¶ Sed ad hoc obiicitur: nam talis iurat licitum & expediens: ergo iurat discretè: ergo obligatur per tale iuramentum: siue inueniatur aliquis, siue non. Ad hoc dicendum, quòd sicut licitum dicitur dupliciter, scilicet licitum simpliciter, quod nullo iure prohibetur: & licitum ex causa, quod ex dispensatione licitum est, vel instantia necessitatis, vt fuit Dauid licitum comedere panes propositionis: sicut habetur Matth. 12. Sic expediens dicitur duobus modis: expediens simpliciter, quod & quantum ad se, & quantum ad alium promouet in melius: & expediens in casu. Dicendum ergo, quòd iurans se non futurum episcopum: si ex consideratione periculi & suæ insufficientiæ, iuret, quod iurat; est expediens ex causa, seu in casu: non tamen simpliciter expediens: quia non expedit quocunque casu contingente, nec expedit vniuersaliter quò ad se & alios: posito quòd alius non inuenitur sufficiens.

(Matt. 12.)

¶ Item, dubitatur circa hoc in casibus alijs. Primò cũ vniuersitas alicuius ciuitatis vel collegij iurat aliquid, & mortui sunt iurantes: quæritur, vtrùm successores iuramento antecessorum ligentur? Quod videtur: quia succedunt in vtilitate & honore collegij: ergo & in onere: sicut filius, qui succedit in hæreditate paterna, quæ est obligata debito, tenetur obligationi: ergo & isti pari ratione tenebuntur iuramento.

(Casus.)

¶ Item, dicit Decretalis: quòd obligationes antecessorum transeunt ad successores.

¶ Item, dicit Cano. 7. quæst. 1. quòd idem est * populus in successoribus, qui & in antecessoribus: ergo & eadem obligatio.

(Can. 7. quæst. 1. * al. pondus.)

¶ Contra, obligatio iuramenti non contrahitur nisi ex proposito & consensu proprio: si ergo successores non consentiunt in hoc, quod iurauerunt antecessores, non obligabuntur.

¶ Solvtio. Est obligatio personalis, & obligatio realis. Realis obligatio transit ab antecessoribus in successores in illa re: quia res trãsit cũ suo onere. Personalis verò obligatio non transit in alium: quia illam facit consensus proprius. Quia ergo obligatio iuramenti est personalis: ideo non transit ad successores quãtum ad periculum periurij: quamuis transeat obligatio vel promissio rei, quæ attenditur in onere rei.

¶ Item, ponunt alium casum de illo, qui iurauit in generali se seruaturum statuta in ecclesia sua edita: postea fit nouum statutum: quærunt ergo, si iuramentum obligetur ad statutum. Nam generaliter iurauit se seruaturum statuta ecclesiæ, & hoc est statutum: ergo, &c.

(Casus.)

¶ Ad hoc dicendum, quòd si in iurando intendebat tantùm de statutis præteritis, non obligatur ad futura. Si verò intendebat tam de præteritis, quàm de futuris, obligatur: intentio enim obligat.

An iuramentum coactum obliget? §. 2.

Gregor. ¶ Seqvitvr quærere; vtrùm iuramentum coactum obliget: Probatur quod non: Nam dicit Gregor. *coacta seruitia Deo non placent.*

¶ Item, dicit lex, *quod fit iusti metus causa, ratum non habeo.*

¶ Item, si aliquis iurat aliquid causa metus mortis, nō debet ratum esse iuramentum.

¶ Item, violentia nō debet iuuare eum, qui cogit iurare: ergo si iurans propter metum mortis promisit se aliquid daturum ei, non tenetur.

August. ¶ Item dicit Augustinus: *Iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis.*

Esai. 58. ¶ Item, Esai. 58. *Dissolue colligationes impietatis.*

August. ¶ Contra: dicit Aug. quòd coacta voluntas voluntas est: ergo coactum iuramentum iuramentum est.

Matth. 5. ¶ Item, Matth. 5. *Reddes Domino iuramenta tua.*

¶ Item, quidā consuluit Alexādrum Papam de quodam coacto iuramento, & respondit: Non habebis me auctorem periurij. Ergo iuramentum illud obligat.

August. ¶ Item, quidam coactus iurauit cōcubinæ suæ, quòd eam duceret in vxorem; & quod de cæterò non exhiberet parentes suos: consultus fuit super hoc August. & dixit de cōsilio Ambrosij, quod matrimonium tenet, & quod pœniteret de residuo: videlicet de eo quod iurauerat: quòd de cæterò non exhiberet parentes suos.

RESOLVTIO.

Duæ sententiæ ad hoc, elige quam mauis.

¶ Respons. Quidam distinguunt, dicentes: quòd in promissorio iuramento excusat metus, in assertorio nō: quia potiùs debet quis mortem pati, quàm falsum iurare. Alij dicunt, quòd omne iuramentum siue coactum, siue non, si est licitum, & peiorem non vergit in exitum, est obligatorium.

¶ Ad primum ergo respondent, quòd sacrificia coacta in quantum coacta Deo non placent: tamen voluntaria redditio Deo placet.

Matt. 10. ¶ Ad secundum posset dici: quòd metus mortis non est metus iustus, quia non debet cadere in virum iustum. Vnde Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Vel aliter; lex appellat iustum metum, qui potest cadere in constantem virum: & loquitur quantum ad causas forenses: tamen verum est, quòd si aliquis propter talem metum aliquid promittit sub iuramento, tenetur: tamen iudex potest cogere accipientem ad restitutionem. Et ideo dicit lex, ratum non habeo: & etiam ipse qui iurauit, potest repetere secundùm ius.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur: Dicēdum, quòd violentia non patrocinatur isti: quia cogitur reddere & satisfacere de violentia, si posset contra eum probari.

¶ Ad vltimum verò dicendum, quòd illæ auctoritates intelliguntur de iuramento illicito.

MEMBRVM IIII.

An secundùm iurantis, vel recipientis intentionem interpretandum sit iuramentum?

Isid. lib. 2. de sūmo bono, c. 31 QVÆRITVR postea: secundùm cuius intentionē interpretandum sit iuramentum, scilicet aut iurantis, aut recipientis? De hoc dat Isidor. istam regulam: *Quacunque arte verborum quis iuret: Deus ita accipit; sicut ille, cui datur, intelligit.*

¶ Item in matrimonio, si nō omnino consentias, sed tantùm verbis exprimas te consentire, verborum tamen obligatione nihilominus obligaberis; similiter in voto: quia veritati præiudicat opinio.

¶ Contra: verba seruiunt intentioni, & Deus talia verba iudicat, quia ex intimis proferuntur.

Ambros. ¶ Item, dicit Ambros. *Affectus tuus operi tuo nomen imponit:* ergo cùm iste velit obligare se sic, & non aliter: obligabitur sic, & non aliter, scilicet secundùm suam intentionem.

¶ Item quæritur de illo, qui dolosè exigit iuramentum ab aliquo, proponendo verba duplicia, vt ipsum decipiat & capiat in sermone; vt imponat ei postea, quod illud iurauerit; cùm dolus nemini debeat patrocinari; quomodo Deus accipiet secundùm intentionem illius, cui iuratur.

¶ Qværitvr etiam, vbi sunt verba multiplicia in iuramento, quomodo sunt accipienda; & ad quid obligatur iurans? Nunquid obligatur ad sensum illum, ad quem non intendit se obligare?

RESOLVTIO.

Et huius, & illius, & neutrius, diuersa ratione.

¶ Solvtio. Deus simplicitatis amator, & duplicitatis aspernator, ita accipit: sicut ille, qui sine fraude intelligit. Vnde Regula Isidor. intelligitur de dolosè iurante. Vnde sensus est: quacunq; arte, id est quacunque malitia, &c. Si verò vterq; fraudulentus fuerit, debent accipi ista verba secundùm arbitrium boni viri, & secundùm quod sonant verba illa apud rectè intelligentes. Quando verò ita sunt duplicia, vt æqualiter diuersos sensus exprimant: non obligatur iurans nisi secundùm intentionē suam: nec potest cogi ad obseruationem in alio sensu: sed ad implēdum in illo sensu, in quo intendit iurare.

QVÆSTIO XXXII.

De tertio præcepto Decalogi, scilicet de sanctificatione Sabbati.

In sex Membra, & octo Articulos diuisa.

ORDINIS consequentia requirit quærere de tertio Decalogi mandato; quod dicitur: *Memento, vt diem sabbati sanctifices.* Et subditur ratio: Sex diebus, &c. De distinctione autem huius præcepti à cæteris in generali, dictum est prius. Tamen in speciali plures dubitationes emergunt. D.Tho. 1. 2. q 100. & 2. 2. q. 122. S. Bonau. in 3. d. 37. dub 3. Sco. ibi.

¶ Primò, vtrùm præceptum de sabbato sit generale, vel particulare? Secundò, vtrùm morale, vel cærimoniale? Tertiò, de circunstantijs huius præcepti. Quartò, de obseruantibus præceptum. Quintò, vtrùm obseruantia Dominicæ, & aliarum festiuitatum in Ecclesia iubeatur hoc præcepto? Sextò, cui personæ in diuinis appropriatur hoc præceptum.

MEMBRVM I.

An præceptum de Sabbato generale; vel speciale præceptum sit?

AD primum Ioan. 9. *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit:* Gloss. *Ille spiritualiter sabbatum custodit, qui est sine peccato: ille non, qui est seruus peccati.* Ergo hoc præceptum vetat omne peccatum: ergo & peccata; quæ præceptis alijs prohibentur: est igitur generale præceptum. Ioan 9. Glossa.

¶ Item, Luc. 13. *Archisynagogus indignans, quia sabbato curasset.* Ambrosius: *Lex in sabbato non hominem curare, sed seruilia opera facere, id est peccatis grauari, prohibet.* Sic ergo peccatum generaliter prohibetur illo præcepto: ergo est generale. Luc. 13. Ambros.

¶ Item Augustinus: *Per tertium mandatum interficitur illicitus amor. Sed illicitus amor est radix omnis peccati,* vt dicit idem Augustinus, relinquitur ergo, quòd prohibetur illo præcepto omne peccatum. August. in ser. de decē cordis. Idem in lib. de lib. arbit.

¶ Item, Marc. 1. *Sabbatis ingressus synagogam.* Glos. *docet nos verum sabbatum: vt scilicet saluti animarū studeamus: ab omni opere seruili, ab omnibus vitijs, vel illicitis abstineamus.* Inde arguitur: omne præceptum pertinet, aut ad studium salutis animæ, hoc est bonum faciendum: aut ad abstinendum à vitijs: sed omne tale continetur sub isto præcepto, ergo p̄ceptum de sabbato continet omnia præcepta. Marc. 1. Glossa.

¶ Item, Deut. 5. *Obserua diem sabbati.* Gloss. *vt omnia* Deut. 5. Glossa.

facias propter sabbatum, id est æternam requiem. Sed quolibet præcepto præcipitur particulare aliquod faciendum propter æternam requiem: in hoc autem præcipitur omne: hoc ergo præceptum continet omne præceptum.

August. ¶ Contra dicit Aug. q̀ tria prima pcepta distinguuntur: quia primum pertinet ad maiestatem: secundum ad veritatem, tertium ad bonitatem. Erit ergo præceptum de sabbato particulare, sicut duo alia primæ tabulæ.

Deut. 4. ¶ Præterea Deut. 4. dicuntur decem verba scripta in tabulis: & verba illa sunt præcepta decem: vnũ autem de illis est illud præceptum: est igitur distinctum ab alijs & particulare.

RESOLVTIO.

Præceptum de sabbato iuxta literam simpliciter & omnino speciale præceptum est. Secundùm autem spiritualem sensum, vel tropologicum, vel allegoricum, vel anagogicum quodam modò generale præceptum est.

¶ Solvtio. Mandatum de sabbato potest intelligi quatuor modis: literaliter scilicet, & spiritualiter: sed spiritualiter tribus modis, scilicet tropologicè, allegoricè, anagogicè. Literaliter præcipiebat cessationem ab operi-
Leuit. 23. bus seruilibus, vnde & de eo dicitur: *Omne opus seruile non facietis in eo.* Moraliter verò significat cessationem à pecca-
Damasc. 4 lib. ca. de sabbato. to, vnde Ioannes Damascenus: *Circuncisio est corporalis superfluitas, & superfluorum non necessariorum depositio: sabbatum autem est, quæ à peccato est requies: & vtraque à spiritualibus impleta, qui nullam iniquitatem operantur.* Allegoricè significabat sabbatum corpus Christi quiescendum in sepulchro,
Aug lib. 4. super Genes. ad literam. vnde Augustinus: *Dici probabiliter potest, ad obseruandum sabbatum Iudæis fuisse præceptum in vmbra futura: quæ spiritualem requiem figurabat: cuius quietis ipse Dominus Christus, qui non nisi quando voluit passus est, in sepultura sua ministerium consummauit: ipso quippe die sabbati requieuit in sepulchro: & eam totam diem habuit sanctæ cuiusdam vacationis.* Anagogicè verò significat quietem animarum in patria futuram, vnde Au-
Idem de ipsa mũ ii. gustinus: *Tertium præceptum de sabbato, quod Iudæi carnaliter celebrant, nos spiritualiter obseruamus, in quo Dominus requieuit: quod sic dictum intelligas, vt post bona opera scias te quieturum.*
Exod. 20 Glossa. Vnde Exod. 20. *Sex diebus Deus fecit cælum.* Glos. *significans quia in perfectione senarij sunt nobis opera facienda: vt postea requie perfruamur æterna.* Dicendum ergo, quòd secundùm primam acceptionem, quæ est literalis: est simpliciter & omni modo speciale præceptum: & hoc modo intelligebatur à simplicibus. Secundùm verò quod accipitur spiritualiter secundùm extensionem rationis moralis, posset dici generale: tamen propriè non poterit dici generale. Vnde distinguendum, quòd secundùm moralem intelligentiam duplex est intentio huius mandati. Prima est vacatio, quæ est ad summam bonitatem in abstractione ab impedimentis. Secunda intentio est cessatio à peccato: quæ quidem intentio est in isto mandato per consequentiam: quia sequitur, vacas & quiescis in summa bonitate; ergo à peccato cessas. Eodem modo sequitur, vacas & quiescis in summa bonitate: ergo si aliquid facis, facis intentione æternæ quietis. Quia ergo præcepta distinguuntur secundùm intellectum primæ intentionis: cùm in hoc mandato tropologicè intellecto specialiter præcipiatur vacatio in summa bonitate: cum abstractione ab his, quæ impediunt, quæ non præcipitur in aliquo alio mandato: quia nõ in primo mandato, in quo præcipitur adoratio maiestatis: non in secundo, in quo præcipitur reuerentia veritatis: nec constat in præceptis secundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum: erit igitur istud mandatum à cæteris distinctum; etiam tropologicè intellectum.

¶ Ad Avtoritates ergo, quæ obijciuntur in contrarium: in quibus videtur dici, quòd in præcepto de sabbato præcipiebatur cessatio à peccato, & bonum faciendi propter æternam requiem. Dicendum, quòd hoc dicitur per causam: quia in præcepto de sabbato præcipitur vacatio, quæ est in summam bonitatem: ex qua consequitur cessatio à peccato, & omnium bonorum operum ad æternitatem relatio: quia ergo illud non est de intentione prima huius præcepti: non erit ex hoc istud præceptum generale.

¶ Si autem obijciatur: quia videbitur illud solum præceptum sufficere spiritualiter intellectum; ergo per consequens videntur alia præcepta superfluere: Dicendum, quod non sequitur: nam quemadmodum charitas virtus excludit omne peccatum, & ponit vnde sit meritum æternæ vitæ: non tamen superfluent aliæ virtutes, Fides, & Spes, & aliæ cardinales: hoc enim habet ipsa charitas ex hoc, quod ipsa immediatè refertur in finem, qui est summum bonum inquantum huiusmodi: aliæ verò virtutes mediante charitate. Nam primò & per se fides est in summum verum: spes in summum gloriosum: sicut charitas in summum bonum. Eodẽ modo ex hac parte, quamuis non penitus: cùm primum præceptum sit respectu summæ maiestatis: secundum respectu summæ veritatis: istud verò respectu summæ bonitatis: bonitas autem dicit vltimam rationem completionis, & causalitatis, & ordinis, nõ superfluent alia mandata, immò sunt præambula & pernecessaria: sicut fides & spes charitati.

MEMBRVM II.

An & morale, vel cærimoniale præceptum sit?

Deinde quæritur: vtrùm præceptum de sabbato sit morale, vel cærimoniale? Ad quod sic: Nullum præceptum, quod est temporale & particulare, quia ad tempus datum, & aliquibus, non omnibus; est morale: sed præceptum de sabbato est particulare & temporale: quia ad tempus datur, & aliquibus, non omnibus, quia Iudæis: ergo non est morale. Primum patet, quia morale est de lege naturali (dico morale decalogi) sicut vult dicere Augu- August.
stinus, præceptum autẽ legis naturalis idem est apud omnes, & semper idem.

¶ Item Exod. 31. *Videte, vt sabbatũ meum custodiatis, quia* Exod. 31.
signum inter me, & vos. Glos. *Frustra gloriantur Iudæi de legali* Glossa.
obseruatione: apertè enim dicitur, quia signum est. Ergo est figurale.

¶ Item, Ezech. 20. *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea.* Ezech. 20
Et sequitur: *Et sabbata mea dedi eis in signum.* Glos. *veri sabbati.* Glossa.
Ergo cærimoniale est.

¶ Item, Exod. 35. *Septimus dies erit vobis sanctus*, dicit Aug. Exod. 35.
Mandatum de sabbato fuit datum in signum, vt hodie non celebretur, sed tantum signatum intueamur. Ergo cærimoniale est. August.

¶ Item, Leuit. 26. *Decem mulieres in clibano vno coquent.* Leuit. 26.
Glos. *Decem mandatorum etiam secundùm literam custodiri & impleri dignum est: nec mandatum sabbati contrarium est: quamuis enim decem mandatis insertum sit, non tamen ex eis est.* Ex quo relinquitur, quod est cærimoniale. Glossa.

¶ Contra Ioan. Damasc. *Vacationis gratia, quæ est ad* Damasc.
Deum: & vt Deo particula vitæ tribuatur, & requiescat seruus, & in lib. 4.
subiugale: sabbati obseruantia excogitata est. Si ergo ex ipsa lege naturali est dictamen, quòd aliquãdo vacandum sit Deo, & quod pietatis est, vt laboranti seruo aliquando concedatur quies: ergo ratio obseruantiæ sabbati de dictamine legis naturalis est: ergo simpliciter est morale.

¶ Item, de ratione benè ordinata est: quòd cùm semper non possimus vacare Deo propter temporales & corporales necessitates; quod aliquando vacemus: oportet igitur habere tempus aliquod determinatum. Si ergo sabbatum erat determinatum tempus vacationi ad Deum, obseruantia sabbati est de ratione benè ordinata: ergo est simpliciter morale.

¶ Item, si dicatur, sicut quidam dixerunt probabiliter, quòd in præcepto de sabbato concurrunt tria. Sanctificatio, quæ est in vacatione ad Deum: quæ exprimitur, cũ dicitur: *Memento quòd sabbatum sanctifices.* Taxatio tempo- Exod. 20.
ris, vnde dicitur: *Sex diebus operaberis, in septimo requiesces.* Cõcessio quietis laborantibus seruis, vnde dicitur: *Vt requiescat seruus tuus, & ancilla.* Quantum ad primum, scilicet sanctificationem, sabbatum est morale: quantum ad secundum, scilicet determinationem temporis, figurale: quantium

tum ad tertium iudiciale. Hinc est, quòd mandatum de sabbato propter primum connumeratur inter præcepta Exod. 20. moralia, Exod. 20. Propter secundum connumeratur in- Exod. 35. ter cærimonialia, Exod. 35. vbi dicitur: *Septimus dies erit vobis sanctus sabbatum & requies Domini.* Propter tertium con- Exod. 23. numeratur inter iudicialia, Exod. 23. *Sex diebus operaberis, in septima requiesces: vt requiescat bos, & refrigeretur filius ancillæ.*

¶ Obiicitvr contra istud. Secundum dictamen rationis benè ordinatæ est, quòd vacādum sit Deo: aut ergo semper, aut aliquādo. Sed semper vacare nobis impossibile est in necessitatibus huius vitæ degentibus: ergo dictat, quòd aliquando vacandum est: ergo dictat aliquando quod debeat tempus eligi ad hanc vacationem, in quo sit abstractio ab operibus impedientibus vacationem. Taxatio igitur temporis est de ratione benè ordinata: ergo est moralis.

¶ Item, sicut sanctificatio sabbati ponitur inter moralia; ita ipsa temporis taxatio, & per modum præcepti: inconuenienter ergo poneretur, nisi esset morale.

¶ Item, quare dicitur cærimonialis temporis taxatio? Dices, quod propter significationem. Ergo similiter quies serui & ancillæ debet dici cærimoniale: nam (sicut dicit Damasc. Ioan. Damascen.) significatur per hoc, quòd iram & concupiscentiam à peccato quiescere faciamus: & subiugale, id est corpus nostrum similiter: & hæc omnia spiritaliter nobis mandat lex: dicetur igitur cærimonialis huiusmodi quies.

RESOLVTIO.

Præceptum de sabbato & morale, & cærimoniale est: vt res, morale: vt signum, cærimoniale.

¶ Solvtio. Præceptum de sabbato proponitur in lege vt res, & vt signum. Vt res semper debita, & si non ad Exod. 16. semper, scilicet requies & vacatio ad Deum, Exod. 16. *Re-* Gloss. *quies sabbati erit sanctificata Domino.* Glos. *vt illis soli vacetis.* Vt Exod. 31. signum futuri, & faciendi, Exod. 31. *Videte, vt sabbatum cu-* Glossa. *stodiatis: quia signum est inter me & vos.* Glos. *Apertè dicitur, quod signum est futuræ quietis, & beatitudinis, vel quietis sanctorum in præsenti, quo quiescunt à tumultu mundanorum operum & vitiorum.* Primo modo sabbatum est morale, & proponitur in decalogo: Secundo modo figurale, & ponitur inter figuralia.

¶ Ad illud, quod obijcitur primò: quod præceptum de sabbato est temporale, & particulare: Dicendum, quòd secundum quod accipitur pro re debita, scilicet vacatione, quæ est ad Deum: est vniuersale, & secundùm omne tempus; ab omnibus & omni tempore debita, & si nō pro omni tempore. Secundum verò, quod signum, particulare & temporale: & in hunc modum intelliguntur obiectæ auctoritates. Et quod dicit Esitius, intelligitur de sabbato, vt signo.

¶ Vnde ad solutionem omnium hinc inde obiectorū, notandum: quòd præceptum de sabbato vt res, est morale duobus modis. Est enim morale legis naturalis, quantum dicit vacationem Deo aliquādo: vnde secundùm hoc dies sabbati dicitur dies vacationis Deo. Item est morale disciplinæ, hoc est legis scriptæ: & secundùm hoc dies sabbati dicitur talis dies, scil. septima determinata diuinę vacationi: postquam enim per dictamē legis naturalis haberi potest, quòd vacandum est Deo aliquādo, per legem scriptā debet determinari, quando vacandum est Deo. & eligitur dies septima, ratione mystica. Obseruatio ergo moralis est inquantum determinatur vacationi, quemadmodum obseruantia Dominicæ diei: & additur ratio exemplatis Dominicæ vacationis. Sex diebus fecit Deus cœlum, &c. & septima die requieuit: inquantum verò instituitur ad significantiam futuri, cęrimoniale. Et hoc est quod dicit Ioā. Damasc. Damasc. Sabbatum quidem septima dies vocatur: significat autem requiem; in ipsa enim requieuit Deus ab omnibus operibus suis, vt diuina ait scriptura. Nec simpliciter hoc misit, sed propter quasdam à spiritualibus & spectabilib⁹ viris intellectas causas. Prima quidem, vt qui seruus custodiretur, & subiugale, sabbato (vt scriptū est) requiescerent: quia vir iustus miseretur animarum iumentorum suorum. Secunda autem causa est, vt vacationem agentes ab amplexu, qui est circa materialia, ad Deum congregentur, in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, & meditationibus diuinarum scripturarum; vniuersum septimum diem consumentes, & ideo requiescentes.

¶ Si autem obijciatur, quòd si obseruantia dierum vacationis moralis est, ergo immutabiliter, & semper seruāda est. Dicendum, quod non sequitur; nam obseruantia diei potest dici indeterminatè; & secundùm hoc est morale naturæ: nam dictamen est legis naturalis, quòd aliquo tempore vacandum sit Deo rationali creaturæ viuenti in tempore: & hoc modo est immutabile. Alio modo obseruantia potest dici obseruantia temporis determinati; & id est morale disciplinæ: hoc est morale determinatum ex addita diuina interpretatione. Nam cùm secundùm omne tempus debeamus nos Deo, qualibet parte temporis debemus nos Deo, & vacare Deo. Cùm autem propter temporales & corporales necessitates nō possimus vacare Deo qualibet parte temporis, erit aliquando vacandum: quando autem illud esse debeat, non erit hominis determinare, sed Dei: determinata est ergo causa mystica septima dies, vt dictum est.

MEMBRVM III.

De circunstantia huiusce præcepti.

Consequenter quęritur de circunstantijs huius præcepti, quę reducuntur ad quatuor. Prima est, quia hoc præcepto additur verbum recordationis, seu memoriæ; & addit, Memento. Secunda, quia taxatur tempus de- Exod. 22. terminatum, dies septima. Tertia, quia pro ratione monēte ponitur vacatio diuina, vnde dicitur: *Sex diebus Deus fe-* Exod. 23. *cit, septimo requieuit.* Quarta est, quia pro ratione finali ponitur quies subditorum hominum & animalium, vnde dicitur; *vt requiescat seruus, & ancilla, bos, &c.* Ibidem.

ARTICVLVS I.

Ad quid præcepto de sabbato, magis quàm alijs appositum est verbum, Memento?

Primò quæritur, quare in alijs præceptis non ponitur verbum recordationis & memoriæ; vt diceretur: *Memento vt non assumas nomen Dei tui in vanum?* Si dicatur, Exod. 20. quòd ideo dicitur, Memento; quia obseruatio sabbati ante legem fuerit instituta, secundùm quod dicitur Exod. 16. *Requies sabbati sanctificata est Domino:* quod dictum est Exod. 16. ante legem. Item Luc. 6. *Factum est in sabbato secundo primo:* Luc 6. & dicit ibi Glos. *Secundo primo potest dici: vt vnum idemq; noui* Glossa. *testamenti sabbatum sit: & secundum, quia post legale à nobis obseruatur: & primum, quia ante edicta legis à iustis obseruabatur antiquis.* Quia ergo ante legem erat institutum & obseruatū, ideo dicitur, Memento.

¶ Contra: cùm alia præcepta euidēntius scripta sint in corde hominis; & etiam obseruata ante legem à patribus sanctis, quàm præcepta sabbati: magis debuit dici in alijs præceptis, Memento; quàm in isto.

¶ Item, Ioan. Damasc. *Quando lex non erat scripta, nec* Damasc. *sabbatum consecratum erat; quando autem à Deo inspirata scriptura per Moysen data est, consecratum est à Deo sabbatum.* Ratione ergo institutionis prioris non poterit dici ad illud pręceptum, Memento.

RESOLVTIO.

Propterea, quia etiam ante legem à Patribus antiquis obseruabatur, nedum secundùm dictamen generale naturæ, sed & secundùm determinationem disciplinæ, inspirationisq; diuinæ.

¶ Solvtio. Præceptum de sabbato, secundùm quod erat morale naturæ; semper fuit in lege naturali implicitum. & postmodum in lege scripta explicitum. Secundùm verò quod erat morale disciplinæ, in determinatione

tione diei, quo vacaretur Deo; ante legem fuit inspiratum vt honestum & dignum fieri: sed in lege inspiratū vt præceptum & debitum fieri. Quia ergo ante legem erat obseruantia sabbati apud patres secundùm determinationem disciplinæ & inspirationis diuinæ, vt esset vacatio tali die; ideo ad istud præceptum dicitur; Memento, & non ad alia. Ad alia enim dictat natura omnino, & si deficiat disciplina: ad istud verò concurrit & dictamen naturæ generale, & determinatio disciplinæ.

¶ Et per hoc respondetur ad primum.

Damasc. ¶ Ad secundum dicendum, quod Ioannes Damascenus signanter dicit, quòd ante legem non erat consecratum: quia & si ante legem esset inspirata obseruantia secundùm rationem honesti, hoc est, digni fieri; non tamen secundùm rationem præcepti: hoc est, debiti fieri; sed hoc modo proponitur in lege: & ideo dicitur consecratum in lege à Domino, id est à Domino præceptum seruari vt sanctum: & hoc insinuat verbum; Memento, vt diem sabbati sanctifices.

ARTICVLVS II.

An etiam circa huiusmodi præceptum tempus taxari debuit?

CONSEQVENTER quæritur de secunda circūstantia, quæ est in taxatione tēporis alicuius determinati diuinæ vacationi. Quæritur ergo, an debuerit taxari? Nam cùm creatura rationalis se debeat semper Deo: obnoxia est vacationi secundùm omne tempus; ergo nō debuit pars aliqua temporis ad hoc determinari.

Idem. ¶ Item, si dicatur (sicut dicit Ioannes Damascenus) quòd hoc fuit propter Iudæorum imperfectionē; qui non omnem vitam Deo consecrabant: nec amore dominatori vt patri seruiebant: sed vt serui indeuoti paruam & minimam particulam suæ vitæ Deo tribuebant. Obijcitur: ergo secundùm hoc seruientibus ex amore: qui omnē vitam Deo consecrant; Christianis non est taxandum tempus vacationis: ergo nec dies octaua, seu dies Dominica esset taxanda plus quàm alia dies.

Idem. ¶ Item, Ioannes Damasc. *Obseruatio sabbati, id est septimæ diei excogitata est paruulis: & sub elementis mundi seruis effectis.* Et sequitur: *Quia ergo non sumus serui, sed filij: non sub lege, sed sub gratia: non sumus adhuc particulariter Domino seruientes in timore: sed omne tempus ei offerre debemus.* Non igitur dies aliqua Christianis debebit determinari.

¶ Contra, impossibilis est vacatio secundùm omne tempus ad Deum: quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & innumerabiles sunt corporis & temporis necessitates: erit igitur necessarium tempus aliquod determinari vacationis ad Deum.

¶ Item, cùm actus nostri sint in tempore: quare in alijs actibus qui præcipiuntur non ponitur determinatio temporis: vt in adoratione, quę pertinet ad primum mandatum primæ tabulæ: & in honore parentum, quod est primum mandatum secundæ tabulæ.

¶ Item, cùm generales circumstantiæ actuum sint, tēpus & locus: & vtrumque determinetur cultui & vacationi secundùm legem. Nam de loco dicitur Deut. 12. *Venies ad locum quem elegit Dominus: & offeres oblationes tuas.* De tempore dicitur: *Serua diem sabbati.*) Quæritur, quare in decalogo in præcepto vacationis ad Deum determinatur tempus, & non locus? Deut. 12.

RESOLVTIO.

Quàm maximè: cùm possibile non sit degentibus in vita hac mortali propter innumeras necessitates semper Deo vacare.

¶ Solutio. Vacatio, quæ est ad Deum, intelligitur duobus modis: in habitu, & in actu. In habitu non recipit taxationem temporis quantum ad seruientes Deo ex charitate: ille enim qui est in charitate, in habitu totum tempus vitæ suæ Deo offert: tamen quantum ad seruientes ex timore pœnæ, qui redimunt tempus in seruiendo; quia tempus seruitij est eis sicut coactum; taxatur tempus. Et hoc vult dicere Ioannes Damascen. quantum ad carnales de Iudæis, qui seruiebant ex timore. In actu verò vacatio recipit taxationem temporis: quia non est possibile degētibus in hac vita mortali semper vacare: vnde est, quòd spiritualib. de Iudęis determinabatur dies septima, sicut Christianis dies octaua: in quo (sicut dicit Ioan. Damascen.) ab amplexu, qui est circa materialia, ad Deum congregentur in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, & meditationibus scripturarum. Et per hoc patet responsio ad primò obiecta. Damasc.

¶ Ad illud verò, quod quæritur: quare nō est taxatum vel assignatum tempus in præcepto adorationis & in pręcepto honoris parentum, sicut hic: Dicēdum, quòd ad vacationem necessarium est tempus determinatum, in quo cessetur à corporali & seruili opere: non enim sese compatiuntur operari talia, & vacari Deo: sed ad adorationē non est necesse, nec ad honorem parentū. Cùm enim adoratio principaliter consistat in latria mentis, cōcurrente deuotione fidei, spei, & charitatis: benè cōpatitur secum opus corporale; similiter honor parentum: ideo cessando ab opere, & operando, possumus parentes honorare: & ideo non fuit taxandum tempus in istis, sicut in præcepto de sabbato.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd locus non debet taxari vacationi: locus enim est mensura corporalis: vacatio verò spiritualis: tempus verò mēsura est spiritualium motuum succedentium. Tempus ergo erat taxandū; eò quod non omni tempore vacari poterat; non autem locus: eò quod in quolibet loco vacari potest, & debet.

MEMBRVM III.

Quid est, quod dicitur pro ratione huiusce præcepti. Et septima die requieuit?

DEINDE quæritur de tertia circunstantia præcepti, quæ ponitur pro ratione. Sex diebus fecit Deus cœlum & terram: & in septima requieuit? Cùm moueri & quiescere sint nata fieri circa idem: si in Deo non est accipere moueri aliquo modo; ergo nec quiescere.

¶ Item, si dicatur, quod requiescere dicitur impropriè; pro cessatione ab omni opere. Contra, Ioan. 5. *Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor.* Ergo septima die ab operatione non cessauit. Ioan. 5.

¶ Si ergo distinguatur opus diuinum: quia est opus primæ conditionis, cùm naturæ rerum sunt conditæ, & quantum ad hæc opera dicitur requiescere post opera sex dierum: vnde secundùm Bedam & Augustinum exponitur, requieuit, id est nouam creaturā facere cessauit. Item, est opus propagationis, seu productionis; quo naturæ insitæ rebus producunt similia ex similibus; vel in specie, vt homo ex homine, planta ex plāta: vel in genere, vt ex carne vermes: & quantum ad ista opera operatur. Contra hoc obiicitur de animabus, quæ tota die creantur: non enim producuntur ex materia; nec de natura aliqua, sicut mentiti sunt hæretici.

RESOLVTIO.

Requieuit, id est, nihil nouum postinde condidit in specie. Vel, requieuit, id est operibus, vt quiesceret, non indiguit: sed in semet quietus fuit. Item, requieuit, id est creatura in seipso requiem præstitit. Amplius, requieuit, id est requiem post hanc vitam benè operantibus se daturum significauit. Postremò, requieuit, id est quietem Christi in sepulchro hoc eodem die futuram præfigurauit.

¶ Respon. Cùm creantur animæ, noua creatura creatur in numero, non in genere, vel specie. Cùm enim creabatur anima Adæ: ergo & species animæ creabatur: & ideo non repugnat ei, quod dicitur, requieuit, si nouiter creat animas: quia illud sic exponitur, requieuit, id est, nouas species facere cessauit. Genes. 2. Quomodo autem intelligatur, requiescere, nota multipliciter secundùm sententias Bedæ & Augustini in Gloss. super Genesim, quæ colligun-

colligũtur hac diuisione. Cùm enim dicitur, Deum quieuisse, potest intelligi per negationem, vel per positionem. Si per negationem, duobus modis: vno modo, vt sit negatio ex parte creaturæ, ac si sit sensus, *requieuit*, quia postea nihil nouum fecit in specie, secundùm Augustinum: alio modo vt sit abnegatio ex parte creatoris; & tunc sic exponitur secundum Bedam, *requieuit*, id est operibus non indiguit, vt in eis requiesceret, sed in seipso quietus fuit. Item per positionem duobus: vno modo, vt per hoc quod dicitur, *requiescere*, ponatur actio: alio modo vt ponatur significatio. Si ponatur actio, intelligitur per causam: vnde secundùm Augustinum requiescere Dei est rationali creaturæ in se requiem præstare; vt illuc desiderio feramur, quò requiescamus: sicut enim facere dicitur, cùm, ipso in nobis operante, facimus, & cognoscere, cùm cognoscimus: sic requiescere, cùm eius munere quiescimus. Si verò ponatur significatio; intelligitur duobus modis. vno modo anagogicè: *requieuit die septimo*, id est significauit, quòd post bona opera in præsenti dabit requiem in futuro: alio modo allegoricè: *requieuit*, quia diem, in quo Christus post mortem quieturus erat in sepulchro, præfigurare voluit.

Genes. 2.

August.

ARTICVLVS IIII.

Quid est dictum in præcepto de Sabbato. Vt requiescat seruus, & ancilla, & bos, &c.

POSTMODVM quæritur de quarta circunstantia, quę ponitur pro ratione illius præcepti, *Vt requiescat seruus, & ancilla, & bos, &c.* Nam cùm præceptum legis Dei solùm respiciat rationalem creaturam: non videtur conueniens, vt in præcepto vacationis & quietis fiat mentio de quiete creaturæ irrationalis.

Exod. 20.

¶ ITEM 1. Cor. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Vult dicere Apostolus, quod illud legis: *Non alligabis os bouis, &c.* non intelligitur de boue ad literam, qui est animal irrationale, vnde sic arguit: *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtiq; hoc dicit?* Et pòst: *Nam propter nos scripta sunt.* Hoc ergo, quod dicitur hic in isto præceptò de quiete bouis, eadem ratione non debet accipi ad literam, sed in figura: erit igitur figurale. Inconuenienter ergo ponitur in determinatione præcepti moralis.

1. Cor. 9.

RESOLVTIO.

Moraliter prohibetur omne opus per alium (siue fuerit per rationalem hominem, siue per irrationale iumentum) Deo vacare impediens. Figuraliter autem id est dictum, quòd iram concupiscentiamq; quiescere faciamus, vt Deo vacemus.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc determinatio aliter ponitur in præcepto de sabbato, Exod. 20. & Deut. 5. & aliter Exod. 23. In moralibus enim præceptis hęc determinatio ponitur moraliter, vnde sic dicitur Exod. 20. *Non facies omne opus tu, &c. & filius tuus, & seruus tuus, & iumentum tuum, & aduena, &c.* in quo interdicitur opus impediẽs vacationem quò ad Deum per alium: nam in primo interdicitur quò ad se. Per alium verò interdicitur duobus modis, nam contingit operari ministerio rationalis hominis, & ministerio irrationalis iumenti: & vtrumq; morale est, inquantum scilicet reducitur ad vacationem, quæ est ad Deum. In præceptis verò figuralibus ponitur figuraliter, vnde Exod. 23. dicitur: *Septima die cessabis; vt requiescat bos tuus, & asinus, & seruus tuus.* Et vult Damascen. quòd per bouem significetur ira, per asinum concupiscentia, per seruum appetitus sensualis: ita quòd per hoc significatur, quòd iram & concupiscentiam à peccato quiescere faciamus, vt Deo vacemus.

Exod. 20.

Exod. 23.

Damasc.

MEMBRVM IV.

De obseruantia Sabbati.

DEINDE quæritur de obseruantia sabbati. Et quæruntur duo: Primò de obseruantia sabbati tempore legis. Secundò, de obseruantia eiusdem tempore gratiæ.

ARTICVLVS I.

A quibus operibus cessandum erat pro vacatione Sabbati?

AD primum quæritur secundùm literam: quantum ad quid intelligatur vacatio sabbati? Et determinatur in lege sic: *Omne opus seruile non facietis in eo* Sed quæritur quid dicatur opus seruile? Ad quod sic, Marc. 1. *Sabbatis ingressus synagogam.* Gloss. *Docet nos vtrum sabbatum, vt ab omni opere seruili, id est ab omnibus vitijs vel illicitis abstinere studeamus.* Ergo opus seruile dicitur peccatum. Leuit. 23. Marc. 1. Glossa.

¶ ITEM, Luc. 13. *Sex dies sunt, &c.* Gloss. *Lex in sabbato non hominem curare, sed seruilia opera facere, id est peccatis grauari prohibet.* Ergo in præcepto de sabbato solùm prohibetur vacatio ab opere malo. Luc. 13. Glossa.

¶ ITEM, Marc. 3. *Si licet sabbatis, &c.* Glos. Arguit, quòd præcepta praua interpretatione violant, existimantes in sabbato à bono opere feriandum: cùm lex dicat, omne opus seruile non facietis in eo, id est peccatum. Marc. 3.

¶ CONTRA. Exod. 34. *Sex diebus operaberis, in die septimo cessabis arare, & metere* Ergo erat ab huiusmodi operibus vacandum, non ergo solùm à peccato. Exod. 34.

¶ ITEM, Exod. 16. *Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcunq; operandum est, facite: & quæ coquenda sunt, coquite.* Ergo in sabbato non licebat coquere cibos. Exod. 16.

¶ ITEM, Ioan. 19. *Propter parasceuen Iudæorum.* Gloss. *Accelerata est sepultura, ne aduesperasceret, quando nihil tale facere licebat.* Ioan. 19. Glossa.

¶ ITEM, Num. 16. dicitur: Quod ille, qui colligebat ligna in die sabbati, lapidatus est. Ex hoc ergo relinquitur, quòd in præcepto de sabbato interdicebatur opus necessitatis corporalis. Seruile igitur opus dicetur opus relatũ ad corpus, & non solùm peccatum. Num. 16.

¶ ITEM, Matth. 24. *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Glos. *In altero prohibetur duritia frigoris, in altero transgressio legis, si fugere velint.* Ergo nõ erat licitum itinerare in sabbato. Matt. 24. Glossa.

¶ SED contra hoc obijcitur: nam (sicut dicit Ioannes Damasce.) omnis Israël circunciditur in sabbato: & sacerdotes & leuitæ in tabernaculi operibus contaminant, vel soluunt sabbatum, & inculpabiles sunt. Damasc.

¶ ITEM, Helias non solùm per ieiunium, sed etiam per itinerationem quadraginta dierum in sabbatis se ipsum affligens, absoluit sabbatum: & non est iratus ei, qui legem dedit: sed in Oreb seipsum ei manifestauit, 3. Reg. 19. Ex quo relinquitur, quòd itinerare in sabbato non erat illicitum. 3. Reg. 19.

¶ IDEM Damascen. *Omnis Israël septem diebus arcam Domini circunferentes in circuitu, Hiericontinos muros subuerterũt: in quibus omnino erat sabbatum.* Damasc.

¶ ITEM, si dicatur: quòd istæ corporales actiones factæ sunt auctoritate diuina, & ideo licitæ: aliàs autem non essent licitæ, sicut de spoliatione Ægyptiorum. Contra, Matth. 12. opponebat Dominus Iudæis: *Quis ex vobis habens vnam ouem: & ceciderit die sabbati in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam?* Post concludit: *Ita licet sabbatis benefacere.* Et constat, quòd leuare ouem de fouea, non est diuina auctoritate; & est corporalis actus: seruile igitur opus, quod prohibetur fieri in sabbato, non est corporalis actus. Matt. 12.

¶ ITEM, Luc. 13. *Non vnusquisq; vestrum soluit bouem & asinum, & ducit adaquare?* Luc. 13.

¶ PRÆTEREA quæritur: quantum ad quid dicatur opus seruile, vtrùm dicatur solùm opus, quod est peccatũ, aut opus corporale?

¶ ITEM, vtrùm opus seruile dicat genus actus, vel circunstantiam actus? Nam si diceretur genus actus, scilicet actus corporalis: in contrarium est, quia actus corporalis aliquis licitè poterat fieri in sabbato, exigente necessitate: sicut supra probatum est. Dicetur ergo opus seruile propter circunstantiam actus. Si hoc dicatur: in contrarium est, quia (sicut patet ex præcedentibus) in sabbato prohibebantur genera operum, vt arare, metere, cibos coquere, & huiusmodi.

RESO-

RESOLVTIO.

Sabbato cessandum erat ab opere seruili: tum moraliter, scilicet à peccato: tum literaliter, scilicet à quocunque actu impediente vacationem Deo.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod opus seruile dicitur duobus modis. Moraliter scilicet peccatum. Vnde Gloss. Luc.13. *Lex in Sabbato seruialia opera facere, id est, peccatu grauari prohibet.* Et in Marc.3. *Si licet Sabbatis.* Gloss. *opus seruile peccatum.* Litteraliter, omnis actus impediens vacationem, quæ est ad Deum, tempore, quo vacandum est: & hoc modo intelligitur ad literam. *Omne opus seruile non facietis in eo*; hoc est, non implicabitis vos actibus, quibus impeditur vacatio ad Deum: & determinauit lex quosdam actus, vt arare, & metere, & alios, qui dicti sunt. Vnde in Luc.13. *Sex dies sunt, in quibus oportet operari*, &c. Gloss. *Moyses Sabbato à seruile opere & noxia actione feriendum præcepit: præfigurans tempus, in quo nostra secularia opera, non autem religiosa, id est, laudandi Deum cessabunt.* Ex quo relinquitur, quod secularia opera dicit seruilia.

Glossa. Luc.13. Marc.3. Glossa. Leuit.23. Luc.13. Glossa.

¶ ET per hoc patet responsio ad obiecta, quibus videbatur concludi: quod opus seruile intelligeretur solum peccatum.

¶ AD alia verò, quibus videtur: quod omnis corporis actus dicatur opus seruile ordinatum ad corpus. Dicendum, quod corporalis actus aut impedit libertatem spiritus, cùm vacandum est Deo: quemadmodum sunt mœchanica opera, & arare, & huiusmodi. Aut non impedit: quemadmodum est loqui, moderatus incessus, & huiusmodi: talis actus non dicebatur seruilis in lege: primus autem actus dicebatur seruilis. Et per hoc patet responsio ad secundò obiecta.

¶ AD vltimò verò obiecta, quibus videtur ostendi, quod corporales actus boni non essent seruiles. Distinguendum, quod corporales actus, qui dicuntur in lege seruiles, eò quod prohibent vacationem ad Deum; aut fiebant cogente necessitate: aut exigente vtilitate: aut nec sic, nec sic, sed sola voluntate. Si cogente necessitate, non reputabatur actus ille seruilis; quamuis ex suo genere seruilis esset: & hic erat licitus: & hoc est, quod dicitur. Matt.12. *Sabbatum propter hominem factum est.* Gloss. *Sabbatum custodiri præceptum est: vt si necessitas fuerit, non sit reus qui violauerit.* Machabæi Sabbato pugnant; quod non est licitum in lege, necessitas tamen facit: sic & hodie in ieiunijs, si quis ieiunium si egerit necessitate, non tenetur reus. Item si exigente vtilitate, non dicitur per interpretationem actus seruilis: vnde in Marc.2. super illud. *Sabbatum propter hominem*, &c. Interlinearis Bedæ. *Ideò salus hominis custodia Sabbati, prout hominis vtilitas exigit, supple debent seruari*: vnde ibi dicit gloss. quod Sabbato circumcidi non est prohibitum: quia necessarium, & etiam vtile saluti. Si verò sit actus (vt dictum est) impediens libertatem spiritus vacandi Deo, non exigente vtilitate, nec cogente necessitate secundùm legem reputabatur seruilis & illicitus in die Sabbati. Per hoc soluuntur obiecta.

Math.12. Glossa. Marc.2. Glossa.

¶ NOTA tamen adhuc distinctionem circa actus, qui sunt ex genere seruiles, sed tamen sunt necessarij & vtiles. Nam aut sic erat, quod poterant tales actus ante vel post diem Sabbati fieri, siue determinato vtilitatis vel periculo necessitatis: sicut erat coquere cibaria, ligna colligere, & huiusmodi. Aut non poterant fieri ante: vel dimitti vsque post sine damno: sicut pugna irruentibus hostibus, vel extractio ouis de fouea. Si primò modo, tales actus reputabantur seruiles: secundò modo nō: dispensante in hoc necessitate, vel vtilitate.

¶ ITEM, iuxta hoc quæreret aliquis. An obseruantia Sabbati magis esset in præcepto, quam ceteri actus, quæ in alijs præceptis Decalogi iubentur? Ad quod arguitur. Hieron. Quis dubitat, sceleratius esse commissum, quod grauius est punitum. Sed præuaricatio Sabbati grauiùs puniebatur, quam periurium, vel furtum: ergò grauius erat peccatum: ergò magis obligabat præceptum de Sabbato. Quod grauius puniretur transgressio Sabbati, patet; quia puniebatur morte corporali: sicut patet Nume.15. de illo, qui colligebat ligna in Sabbato: non autem furtum, vel periurium.

Num.15.

¶ CONTRA. Præceptum de Sabbato recipiebat dispensationem per euidentem necessitatem: alia non, sicut periurium: ergò minus erat obligatorium.

¶ SOLVTIO. Sicut actiones legales erant in figura, similiter & pœnæ. Vnde notandum: quod in lege augmentum pœnarum erat & magnitudo aliquando ratione maioris reatus quantum ad literam, vt de interficiendo idololatra: aliquando autem ratione maioris reatus quantum ad figuram, quomodo punita est præuaricatio Sabbati: vnde Numer.15. de illo, qui lapidatus est, dicit gloss. *Calumniantur impij, quod tam à trociter trucidetur, qui colligebat ligna in Sabbato: sed omnia in figuram contingebant illis: qui enim diem Sabbati violare ausus est, dum ligna colligeret, & ideò punitus est: signauit eum, qui hodie in Christo signatus, inuenitur agere carnale opus: qui si fuerit deprehensus, lapidabitur & occidetur: quia à spiritualibus iudicatur.* Aliter verò respondetur supra Quæstione de Continentia legis paragrapho. *Vtrum quicquid continetur in lege, sit iustum.*

Glossa Ioiden. Quæst. 28. Me[illegible]

ARTICVLVS II.

An nunc in tempore hoc gratiæ obseruandum sit Sabbatum.

DEINDE quæritur. An tempore gratiæ esset Sabbatum obseruandum? Quod videtur. Exod.16. *Requies Sabbati est sanctificata Domino.* Interlin. vt illi soli vacetis. Si ergò secundùm legem electa est dies vacationis soli Deo, & concordat rationi benè ordinatæ: ergò non erit mutanda.

Exod.

¶ SI dicatur, quod dies illa eligebatur ratione figuræ, quia figurabat futurum, Similiter dies dominica eligitur ad figurandum futurum: si ergò tempore gratiæ non sunt seruandæ figuræ: qua ratione non seruatur Sabbatum, non seruabitur Dominica: sed hoc est inconueniens: ergò, & cæt.

¶ ITEM, Sabbatum figurat illud, quod semper est faciendum, scilicet cessare à peccato: sed tale figurale non euacuatur tempore gratiæ: quemadmodum nec thurificatio, quæ signat deuotionem: ergò Sabbatum erit seruandum.

¶ CONTRA, Matth.12. legitur, quòd Saluator soluit Sabbatum, vbi dicit. *Nonne legistis*, &c. Gloss. *in hoc facto nihil aliud instruimur, nisi vt Sabbatum non ad literam, sed spiritualiter obseruemus.*

Matt.12. Glossa.

¶ ITEM, Exod.35. *Septima dies erit Sabbatum*, id est, requies. Gloss. *Alia præcepta in nouo Testamento obseruanda ad literam non dubitamus. Illud autem de Sabbato velatum & in mysterio positum fuit; vt hodie à nobis non obseruetur, sed solùm signatum intueamur.*

Exod. Glossa.

¶ ITEM, ad hoc est ratio: veniente veritate, debet cessare figura: sed specialiter Sabbatum erat figura quietis animarum per receptionem primæ stolæ ex beata fruitione: sed hæc per mortem Christi collata est: ergò non erit aliquo modo seruandus dies Sabbati post Christi mortem. Vnde August. *Cùm quæris, quare Sabbati ocium non obseruet Christianus? Respondeo, quia quod ea figura figuratur, iam Christus impleuit.*

August. contra Faustum.

RESOLVTIO.

Sabbatum indeterminatè sumptum, pro vt videlicet requiem & vacationem ad Deum importat: etiam nunc obseruandum est: determinatè autem acceptum, pro septima (videlicet) die obseruandum nunc non est.

¶ QVOD concedendum est. Tamen distinguendum: quod obseruatio Sabbati potest intelligi duobus modis; vt dictum est priùs. Vno modo indeterminatè; vt dicatur dies Sabbati dies requiei seu vacationis ad Deum: & hoc modo dies Dominica potest dici dies Sabbati: & quælibet dies instituta ad diuinā vacationē; vnde Deut.5. est interpretatio talis *Sabbatum est: id est requies Domini Dei tui*: vnde dice-

Deute.

dicebatur dies Sabbati dies requiei Domini:& hoc modo semper seruatur etiam tempore gratiæ. Alio modo dicitur dies Sabbati determinata dies, scil. septima. Exod.25. *Sex diebus facietis opus, septima dies erit Sabbatum*: Et hoc modo quamuis esset morale disciplinæ; erat tamen figurale: vnde figura impleta, transit.

Exod.25.

¶ Et per hoc patet solutio ad primum obiectum.

¶ Ad secundùm dicendum: quod Sabbatum habuit figuram principalem, qua figurabatur futurum; videlicet quietem animarum post mortem Christi:& hæc erat principalis ratio institutionis Sabbati. Item, habuit figuram faciendi, videlicet cessationem à peccato: quæ duobus modis accipitur. Vel secundùm partem temporis: sicut accipiebatur à rudibus & carnalibus Iudæis: qui credebant tūc temporis solùm esse vacandum à peccato. Aut semper, sicut accipitur à Christianis, qui sciunt se debere omni tempore ab illicitis abstinere: ideò particula temporis ad figurandum cessationem eligitur Iudæis: Christianis verò nō, sicut dicit Ioan. Damas. Ideò Sabbatum inquantum est figura faciendi, non est seruandum tempore gratiæ.

Damas.

¶ Ad aliud ergò, quod obiicitur, quod Sabbatum figurat, quod semper faciendum est. Dicendum, quod dupliciter intelligitur: diuisim, sci. quod figurat cessationem à peccato, quæ semper facienda est: vel coniunctim, id est, figurat cessationem à peccato, vt semper facienda: & hoc modo falsa est: non enim significat, quod semper sit abstinendum, licèt in veritate semper sit abstinendum.

¶ Ad illud verò, quod obiicit de die Dominica. Dicendum, quod non instituta est ad significandum, quod futurum est: sed quod iam præteritum & præsens est: videlicet Resurrectionem Domini; quæ facta est octauo die:& iam gloria Resurgentis præsens est in cœlis. Vnde Innoc. Papa *Diem Dominicam ob venerabilem Resurrectionem Christi non solùm in Pascha celebramus: verum etiam per singulas hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus.*

Innocen. Papa de consecratione dis. 3. c. Sabb.

MEMBRVM V.

De obseruantia Dominicæ diei.

QVINTÒ quæritur de obseruantia diei Dominicæ. Et quæruntur duo. Primò, an obseruantia Dominicæ diei præcipiatur hoc præcepto? Secundò, à quibus operibus sit cessandum in die Dominica?

ARTICVLVS I.

An in præcepto de obseruatione Sabbati præcipiatur & obseruatio diei Dominicæ?

AD primum arguitur. Nam cum in hoc præcepto præcipiatur obseruantia temporis vacationis ad Deum: dies autem Dominica sit nobis determinatum tempus vacationis: ergò præcipitur hoc præcepto.

¶ Contra: sicut dicit Io. Damas. *hoc præcepto præcipitur obseruantia diei septimi:& sicut ipse dicit: Sabbati obseruatio excogitata est paruulis, & sub elementis mundi seruis.* Et subditur. *Cùm venit, quod perfectum est; euacuatum est quod ex parte est: litera euacuata est: corporalia quieuerunt: & seruitutis lex completa est: & lex libertatis nobis donata est.* Ex quò videtur, quod obseruantia septimæ diei, quamuis pro tempore legis esset moralæ disciplinæ, nullo modo pertineat ad obseruantiam Dominicæ diei.

Damas.

Idem.

¶ Item, ad Gal. 4. reprǽhendit Apostolus Galatas dicens. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa: quibus denuo seruire vultis: dies obseruatis, & menses, & annos.* Ergò tempore gratiæ reprehensibilis est obseruantia diei: ergò & diei Dominicæ.

Galat. 4.

¶ Item, Damas. *Non adhuc sub lege, sed sub gratia: non sumus Domino particulariter seruientes, sed omne vitæ tempus ei offerre debemus.* Ergò non est dies aliqua tempore gratiæ obseruanda.

Damas.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicit Damas. *Festum celebramus perfectum tempore gratiæ: humanæ naturæ requiem asserò vtique Resurrectionis diem.* Sed requies humanæ naturæ, non est nisi completa generali resurrectione, quæ est futura: dies ergò Dominica est dies significatiua futuri: si ergò tempore gratiæ non sunt seruandæ figuræ futurorum: non est obseruanda dies Dominica.

Idem.

RESOLVTIO.

In obseruantia Sabbati præcipitur & obseruantia diei Dominicæ maximè secundùm indeterminationem: prout scilicet Sabbatum tempus aliquod vacationis Deo insinuat.

¶ Solvtio. Sicut patet ex præcedentibus: hoc præcepto præcipitur tempus vacationis aliquod: & secundùm hoc est morale legis naturæ: & hoc secundùm indeterminationem:& hoc modo secundùm indeterminationem præcipitur Dominica dies tempore gratiæ, & septima tempore legis. Secundùm verò determinationem tempore legis præcipitur dies septima ex causa mystica & significatiua futuri, sicut dictum est, & est morale disciplinæ: tempore verò gratiæ præcipitur dies octaua ad determinationem temporis vacationis, sed non ex causa præsignante futurum, sed ex causa repræsentāte præteritum. Vnde Leo Papa dicit, quod dies Dominica tantis diuinarum dispensationum ministerijs est consecrata, vt quicquid insigne à Domino est constitutum in terris, in huius diei dignitate sit gestum. In hac die mundus sumpsit exordium, in hac per Resurrectionē & mors interitū & vita accepit principium.

Leo Papa de consecratione.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur primò: iam patet responsio: dies enim Dominica nō est festum imperfectum, immò perfectum: sicut dicit Io. Damas. & hoc quia est repræsentatiua perfectæ quietis. Cùm enim quies hominis sit in duobus, ex parte animæ & ex parte corporis in gloria animæ & glorificatione corporis: Sabbatum figurabat quietem animæ futuram:& ideò cum futurum factum est, præsens cessauit. Dies Dominica repræsentat perfectam gloriam animæ & carnis, non iam futuram, sed iam præsentem in Christo: qui iam est in gloria Dei Patris secundùm humanam naturam. Philip. 2.

Damas.

Philip. 2.

¶ Ad secundùm dicendum: quod Apostolus reprehendebat obseruantiam diei, sicut obseruant genethliaci ad opera inchoanda: vel illos (secundùm aliam expositionem) qui obseruabant legales obseruationes tempore gratiæ, Iudaizantes: vt diem Sabbati, & alia festa, quæ erant figura futurorum. Contra quos dicit etiam Greg. *Quod quidam die Sabbati aliquid operari prohibeant: quos quod nisi Antichristi prædicatores dixerim: qui veniens diem Sabbatum atque diem Dominicum faciet custodiri. quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum: quia verò populum Iudaizare compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat; coli vult Sabbatum.*

Greg. de consecratione d. 3.

¶ Ad tertium dicendum: quòd (sicut dictum est) in Sabbato concurrunt duo, scil. vacatio, & significatio: vacatio ad Deum, significatio moralis cessationis à peccato. Quantum ad vacationem erat rei eius; quæ non poterat fieri semper propter necessitates multiplices huius vitæ, quæ distrahunt spiritum à vacatione, quæ est in Deum: & hoc modo nec tempore legis, nec tempore gratiæ possumus Sabbatizare, hoc est Deo vacare in actu secundùm omne tempus; sed solùm aliquando: ideò necesse fuit & tēpore legis & tempore gratiæ determinare diem vacationis. Quantum verò ad significationem erat eius, quod semper debet fieri, sc. cessationis à peccato. Et ad hāc significationem respiciens Damas. dicit: quod tempore gratiæ totum Deo offerre debemus.

Damas.

¶ Ad vltimum patet responsio. Nam dies Dominica est dies requiei humanæ naturæ: nō ex hoc quod futurum est in generali resurrectione singulorum: sed ex hoc quod iam præcessit & præsens est in Christo: in quo residet exemplar & causalitas generalis Resurrectionis: & iam in Christo, sicut in capite glorificata requiescit humana natura. Vnde Ioan. Damas. *Celebramus Resurrectionis diem; in qua Dominus Iesus vitæ Princeps & Saluator, hos qui spiritualiter Deum colunt, in promissam hæreditatem introduxit, supple iam in spe.* Et sequitur. *In quam ipse præcursor noster intrauit:& resurgēs à mortuis, apertis et cœlestibus portis, in dextera Patris corporaliter sedet: vbi & qui spiritualem legem seruant, introibunt.*

Damas.

Idem.

ARTICVLVS II.

A quibus operibus cessandum sit Dominica die?

QVÆRITVR postmodum: à quibus operibus cessandum sit in die Dominica. Ad quod introducitur illud S. Apoll. *Die Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum; nulla operatio in illa sancta die agatur, nisi tantum hymnis & psalmis & canticis spiritualibus dies illa transigatur.* Ex quo videtur sequi, quod nec cibos emere, nec coquere, nec itinerare liceat die Dominica.

S. Apoll. de consecratione dist. 9.

¶ ITEM, in tempore gratiæ nos tenemur perfectiùs vacare Deo, quàm tempore legis: si ergò tempore legis non erat licitum coquere cibos in die vacationis, nec itinerare; sicut patet ex supradictis: non erit licitũ tempore gratiæ facere huiusmodi die Dominica: & de alijs operibus corporalibus multomagis idem arguitur.

¶ ITEM, si dicatur: quod abstinendum est ab omni opere seruili. Cùm seruile opus dicatur omne opus, quod impedit libertatem spiritus ad diuinam vacationem: & talia sunt huiusmodi opera, itinerare, piscari, & huiusmodi: ergò non licet facere talia die Dominica.

¶ ITEM quæritur: an ille, qui fornicatur die Dominico, peccet contra duplex præceptum? Nam cùm opus seruile maximè sit peccatum, sicut patet ex dictis: peccat contra illud præceptum de obseruantia Dominicæ: & iterum peccat contra illud, *Non mæchaberis*: ergò peccat contra duo præcepta: ergò facit duo peccata.

Exod. 22.

¶ CONTRA, vnus est actus: ergò vnum peccatum.

RESOLVTIO.

Ab omni opere seruili, tum spirituali, tum corporali.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod die Dominica cessandum est ab opere seruili: opus autem seruile dicitur duobus modis. Vno modo peccatum dicitur opus seruile: alio modo opus prohibens vacationem ad Deum: quæ determinata est ab Ecclesia vice Dei. Vnde etsi peccatum sit damnabile omni tempore; tamen tunc maximè damnabile est, cùm fit tempore determinatio vacationi diuinæ: opus verò seruile determinatur ab Ecclesia, mœchanica opera, agricultura, & secularia negocia, vt mercatum placitum. Vnde ex Concilio apud Compen. habetur. *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam omni veneratione decernimus obseruari: & ab omni illicito opere abstinere: & vt mercatum in eis minime fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur: nec ad Sacramenta, nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur.*

Concil. apud Compen. Extr. de Ferijs, cap. 1. Placitum id est, edictum.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur: quod cessandum est ab omni opere. Intelligendum est ab omni opere seruili: seruile autem determinatur, sicut dictum est. Et quod dicitur in auctoritate, quod nihil aliud est agendum nisi Deo vacandum. Intelligendum est, nihil scilicet quod impediat vacationem Deo: & hoc excepta indulgentia in casibus necessitatis. Vnde Gregorius Nonus dicit: quod diebus feriatis licitum est operari, qui gratia vindemiarum, vel messium ob necessitates hominum indulgentur. Maxima autem oportet quod sit necessitas ad hoc, quod indulgentia detur in Dominica: sicut periculum hostium: vel cum aliàs non posset differri: quemadmodum est de captione allecium: pro quibus Alexand. III. dicit. *Indulgemus, vt diebus Dominicis & alijs festis liceat parochianis vestris (præterquam in maioribus anni solennitatibus) si * allecia terræ se inclinauerint, eorum captioni ingruente necessitate intendere: ita quod facta captura; Ecclesijs circumpositis, Christi pauperibus congruam faciant portionem.*

Greg. IX.

Alex. III.

* Alias, alelia.

¶ AD secundum dicendum, quod in lege quædam cessatio erat figuralis: & illa tempore gratiæ non seruatur. Vnde distinguendum: quod cessatio à seruilibus necessarijs, quæ poterant aliàs præueniri, in lege seruabatur, non solùm ratione vacationis præsentis, sed etiam ratione figurationis quietis æternæ: quemadmodum coctio ciborum, & itineratio, quæ ratione quietis æternæ, in qua ista non erunt, interdicebantur: & præueniebatur necessitas: in figura, quod debemus hic præuenire per merita quietem æternam, in qua non erit mereri per bona opera, vt dicit gloss. super illud: Exod. 16. *Cras quod coquendum est, coquite.* Et ideò tempore gratiæ conceduntur, ne videamur per figuras Iudaizare: in alijs verò conformis ratio cessationis ab operibus seruilibus tempore legis, & tempore gratiæ.

Glossa. super Exod. 16.

¶ AD tertium patet solutio: nam opus seruile interdicitur, quod prohibet vacationem debitam ordinatam ab Ecclesia: cum distinctione, quæ supra posita est.

¶ AD vltimum concedendum: quod qui fornicatur in die Dominico, peccat duobus peccatis; secundùm quod peccatum numeratur ratione reatus. Peccatum enim potest dupliciter numerari, ratione reatus, & ratione actus. Verbi gratia, in illo qui deflorando, interficit virginem: dupliciter enim is peccat actu: interficiendo, & stuprando: vnde si peccatum numeretur ratione reatus, duo sunt peccata: si ratione actus, vnum est peccatum dupliciter. Similiter est hic.

Memb. 4. huiusce quæst. ar. 1. in resol.

¶ SI autem quæratur de operibus, quæ ex suo genere seruilia sunt, & fiunt causa pietatis: vt portare lapides ad ędificandas Ecclesias, & construere hospitalia & domos Religiosas: quæ aliàs vix vel nunquam possent ædificari: vtrum licita sint die Dominica. Dicendum, sicut priùs de Sabbato. Marc. 2. *Sabbatum propter hominem factum est.* Gloss. *Sabbatum custodire præceptum est: vt si necessitas fuerit, non sit reus, qui violauerit.* Hoc autem intelligitur in his maximè, interueniente dispensatione illorum, quibus dispensatio credita est.

Marc. 2. Gloss.

¶ SI autem obiiciatur: cùm istud sit morale Decalogi: quomodo recipit dispensationem ab homine? Dicendum quod morale Decalogi dicitur duobus modis. Vno modo quod est de ipsa essentia Decalogi secundùm primam intentionem: & secundùm hoc vacatio secundùm tempus aliquod indeterminatè est morale Decalogi. Alio modo dicitur morale Decalogi, quod est ad determinandum Decalogum: & secundùm hoc vacatio die Dominica est morale Decalogi tempore gratiæ: sicut dies septima tempore legis: & istud est morale disciplinæ, id est, morale ex institutione diuina, per ministerium Ecclesiæ, exigente necessitate. In tali dispensationem habet Ecclesia: sicut dicit B. Bernard. *Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum instituta: vbi verò necessitas fuerit, ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset: ex necessitate enim fit mutatio & variatio legis.*

Bernar. in lib. de disc. & præcepto ex auctorit. Leonis Papæ.

MEMBRVM VI.

An Filio, vel Spiritui sancto in diuinis, approprietur præceptum de Sabbato.

VLTIMÒ, quæritur de appropriatione huius mandati, Nam videtur appropriari Filio ratione sapientiæ: in sapientia enim est requies; sicut probatur multipliciter. Ecclesi. 51. *Inueni mihi multam requiem in ea*, scilicet in sapientia. Item Sapient. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa*, scilicet sapientia. Ergò cum illud mandatum sit de quiete spirituali, debet appropriari Filio qui est sapientia.

Ecclesi. 51. Sap. 8.

¶ ITEM, in amore non est quies: quia amor decurrit per desiderium: vnde Gregor. *Amor Dei non potest esse otiosus.* Ergò mandatum de quiete non erit appropriandum Spiritui sancto, qui est amor.

Gregor.

¶ CONTRA. Deut. 5. *Obserua, vt diem Sabbati sanctifices.* Gloss. *Rectè hoc mandatum pertinet ad Spiritum sanctum, tum propter sanctificationis nomen: tum propter æternam requiem, ad donum quidem Spiritus sancti pertinentem.*

Deuter. 5. Glossa.

RESOLVTIO.

Spiritui sancto propriè.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod nec per amorem, nec per cognitionem est in præsenti quies perfecta: quia ex parte cognoscimus (sicut dicitur prima ad Corinth. 13. & imperfectè diligimus) & ideò non est quies nisi in parte per scientiam, vel amorem. Sed quia anima per charitatem tendit merendo in plenam requiem, quam habet in parte:

1. Cor. 13.

patre: non autem anima sciens per suam scientiam meretur, vt plenè quiescat, sicut per suam charitatem: ideò Spiritui sancto appropiatur illud mandatum, non filio. Præterea, cognitio in verum est, amor in bonum: bonum autem dicit rationem causæ finalis, in qua est quies per se: verum autem dicit rationem causæ exemplaris, secundum quam est motus, & ordo: & motus regulatus in finem, id est bonum. Inde erit, quòd in cognitione non ponitur quies plena: sed in amore.

¶ Ad illud autem, quod obiicit: quod quies est in sapientia. Dicendum, quod sapientia (sicut dicitur Eccli. 6.) secundùm nomen suum est: vnde non ponit puram cognitionem, quę est respectu veri, immò saporem, qui est ex dilectione. Eccl. 6.

¶ Ad aliud dicendum: quod amor antequam obtineat amatum, currit per desiderium: sed cùm obtinet quod amat, in ipso per dilectionem quiescit: vnde anima, quæ per charitatem in præsenti Deum habet in parte, id est imperfectè: in futuro verò habebit plenè & perfectè, inquantum habet, quiescit in summo bono inquantum verò non habet, currit per desiderium.

QVÆSTIO XXXIII.

De quarto Præcepto Decalogi.

In quatuor Membra, & duodecim Articulos diuisa.

D.Tho. 2 2. q. 122. art. 5. S. Bon in 3. d. 37. dub. 4. Exod. 20. Deuter. 5.

INquisitionis ratio exigit, vt post præcepta primæ tabulæ Decalogi, quæ ordinant in Deum: quæramus de præceptis secundæ tabulæ ordinantibus ad proximum. Et primò de mandato honoris parentum. de quo Exod. 20. *Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram.* Et Deuter. 5. *Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus: vt longo tempore viuas, & bene sit tibi.*

¶ Circa hoc quæritur primò: quis dicatur pater & mater in hoc præcepto. Secundò, ad quid intelligatur honor in hoc præcepto. Tertiò, de forma huius præcepti. Quartò, de obligatione eiusdem præcepti.

MEMBRVM I.

Qui pater quarto hoc præcepto præcipiatur honorandus: Pater, scilicet Creatione, vel Prælatione, vel Propagatione.

Cantic. Deut. 32. Ibidem.

AD primum sic obiicitur. Pater dicitur multipliciter: Creatione, scilicet Deus in Cantic. Deut. 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te,* &c. Prælatione, vt Prælatus. Ibid. *Interroga Patrem tuum,* &c. Propagatione, secundùm carnem. Quæritur ergò: an his tribus modis accipiatur pater, an aliquo illorum, cùm dicitur. *Honora patrem tuum.*

Exod. 20 Deuter. 5. Eccles. 7 Gloss. Ibidem. Deuter. 5. Ibidem. Glossa.

¶ Ad quod sic obiicitur. Eccles. 7. *Honora patrem tuum.* Gloss. *Hoc est mandatum primum in repromissione, Deum Patrem rerum fide & operibus honorare.* In hoc igitur præcepto præcipitur honor Dei.

¶ Item, Deuter. 5. *Honora patrem & matrem.* Gloss. *Deum, & Ecclesiam.*

¶ Contra, in primo præcepto primæ tabulæ præcipitur honorandus Deus: si ergò hoc idem in hoc præciperetur, hoc præceptum esset idem illi.

August.

¶ Item, Augustinus dicit: quod mandata secundæ tabulæ ordinant ad proximum: ergò cùm hoc sit præceptum secundæ tabulæ: honor proximi præcipitur, & non Dei: non igitur pater intelligitur Deus: cùm dicitur. *Honora patrem.*

Deuter. 5. Glossa. Eccles. 3

¶ Item, quæritur: vtrum pater intelligatur Prælatus. Ad quod sic. Deuter. 5. *Honora patrem.* Gloss. *Carnalem, vel spiritualem.* Et idem Eccles. 3. Super illud. *Honora patrem.* Pater igitur intelligitur in hoc præcepto Prælatus: qui est Pater spiritualis.

¶ Contra, mandata Decalogi omnia, excepto de Sabbato (vt patet ex præcedentibus) sunt ad literam intelligenda: sed ad literam dicitur tantum carnalis: non igitur pater intelligitur Prælatus: cùm dicitur. *Honora patrem.*

RESOLVTIO.

Omnium generum pater ratione quadam quarto hoc præcepto præcipitur honorandus: at verè & propriè pater tantùm propagatione.

¶ Solutio. Istud mandatum potest intelligi tribus modis. Primò modo secundùm quod educitur à lege naturæ. Secundò, secundùm quod est legis scriptæ à Deo inspiratæ. Tertiò, secundùm quod accipitur secundùm allegoriam impropriè. Primò modo intelligitur pater carnalis: natura enim non nouit nisi patrem, qui est principium in esse naturæ. Secundò modo intelligitur pater spiritualis: & in hoc addit lex scripta, à Deo inspirata, ad legem naturæ: non enim reputat patrem illum tantum, qui est principium in esse naturæ: immò & illum, qui est principium per ministerium in esse gratiæ: secundùm illud. 1. Cor. 3. *Per Euangelium ego vos genui.* Tertiò modo per allegoriam Pater intelligitur Deus: sed hoc est impropriè. 1. Cor. 3.

¶ Dicendum ergò ad primum: quod propriè & per se in hoc præcepto nò præcipitur honorari Deus, sed homo, qui est principium per generationem quò ad esse naturæ: vel per ministerium regenerationis quò ad esse gratiæ; tamen per allegoriam nihil prohibet patrem vocari Deum, sed impropriè. Similiter per accidens sicut in dilectione proximi intelligitur amor Dei: similiter in honore patris intelligitur honor Dei: à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: & ad istud respiciunt prædictæ expositiones.

¶ Ad secundùm patet responsio: nam si istud præceptum intelligitur, secundùm quod educitur à lege naturali, in ipso solùm intelligitur de patre carnali. Si consideretur vt legis scriptæ, & à Deo inspiratæ, quæ addit: intelligitur tam carnalis, quam spiritualis pater vt dictum est.

MEMBRVM II.

Quantùm ad quid intelligatur honor iste in hoc quarto præcepto iussus exhiberi parentibus.

DEinde quæritur: quantum ad quod intelligatur honor in isto præcepto. Ad cuius rei intelligentiam, quæruntur quatuor. Primò, an honor sit exhibitio spiritualis, vel corporalis. Secundò, vtrum honor dicat respectum præeminentiæ. Tertiò, cùm honor dicatur multipliciter: vtrum dicatur æquiuocè. Quartò, vtrum in hoc præcepto honor quilibet iubeatur.

ARTICVLVS I.

An honor exhibendus parentibus stet in exhibitione corporali, vel spirituali.

AD primum sic. Philosophus. *Honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis.* Sed exhibitio reuerentiæ est exhibitio spiritualis: ergò & honor. Philosoph. Ethic. capit. 5.

¶ Item, Deus est honorandus vt Pater, quia principium Creationis. Malach. 1. *Si ego Pater, vbi est honor meus:* Homo verò est honorandus, quia Pater est principium generationis: in quo est in imitatione primi principij, quod est Deus: Vnde Hieronym. *Præbeatur patribus amoris mixta seruitudo, qui primi noli[?] sunt causa nascendi: exhibete patribus filij, quòd vos paternis nominis potestas cogit: quæ à Deo est,* &c. Si ergò ratione principij non debetur Deo nisi honor, qui est exhibitio spiritualis: ergò nec homini debetur honor, nisi qui est exhibitio spiritualis: cùm non sit honorandus, nisi quia in eo relucet gratia diuini principij. Ex his verò videtur relinqui: quod Patri solùm debeatur honor reuerentię exhibitionis spiritualis. Malac. 1. Hieron. in Epist. de paren. honorandis.

¶ Contra: videtur quod tantum debeatur eis honor corporalis: quia filius non accipit à patre, nisi quod est corporale: sed ratione accepti solùm est debitor honoris: ergò non debet ei honorem nisi in exhibitione corporali.

¶ Item, Hieronym. ad Saluinam exponens illud 1. ad Timot. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore,* &c. *honore:* Idem ad Saluinam Epist. 1. ad Tim. 5

impra-

in præsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur. Et in Euangelio. *Honora patrem tuum*, &c. Hieron. *Non in verborum sono, qui inopiam parentum cassa potest adulatione frustrari: sed inuictus necessarijs ministrandu debere intelligi.* Ergò intelligitur honor solum in exhibitione corporali.

Matt. 19. Hierony.

¶ Item, quòd intelligatur de corporali & spirituali exhibitione, ostenditur multipliciter. Ecclesi. 3. *Honora patrem* &c. Gloss. *reuerentiam exhibendo, necessaria ministrando.* Et in Deuteron. 5. *Honora patrem tuum*, &c. Gloss. *officio pietatis, & honoris.* Item, ad Ephes. 6. *Honora patrem*, &c. Gloss. *Honorare patrem, est ei reuerentiam exhibere, & necessaria ministrare.* Item Deuter. 5. *Honora patrem*, &c. Gloss. *iubemur parentes honorare: & obsequium pietatis & reuerentiam exhibere.* Ex his relinquitur, quod honor debitus parentibus est exhibitio spiritualis in reuerendo, & corporalis in necessaria ministrando.

Ecclef. 3. Glossa. Deuter. 5. Glossa. Ephes. 6. Glossa. Deuter. 5. Glossa.

¶ Contra: sicut differunt pater carnalis, & spiritualis, sic exhibitio carnalis & spiritualis: & secundùm quod se habet ratio paternitatis, sic debet se habere ratio honoris: patri ergò carnali honor debetur carnalis, & spirituali spiritualis.

¶ Item, quæ est ratio, vt carnali patri debeatur exhibitio corporalis, & spiritualis? Si dicatur, sicut quidam dixerunt; quia à parentibus contrahimus naturam, & accipimus instructionem in moribus: quia ab eis naturam cõtrahimus, tenemur sustentare naturam; quia ab eis instruimur, debemus ei exhibere reuerentiam: & pater naturalis instruit in moribus naturalibus, pater spiritualis in moribus spiritualibus: sicut pater carnalis principium in esse naturæ, & pater spiritualis principium per ministerium in esse gratiæ. Contra: frequenter contingit, quod pater carnalis nunquam instruit filium in moribus: si ergò esset ratio honoris reuerentiæ acceptio moris: non esset honorandus pater, à quo filius non acciperet instructionem.

RESOLVTIO.

Honor exhibendus consistit, ne dum in exhibitione spirituali, verùm etiam & in corporali: in spirituali quidem reuerendo, in corporali verò sustentando.

¶ Solutio. Dicendum, quod honor intelligitur exhibitio corporalis, & spiritualis: spiritualis in reuerentia, corporalis in sustentatione: sicut supra in Auctoritatibus exprimebatur. Item exhibitio honoris in reuerentia tribus modis est, in affectu, effectu, signo. In affectu, timendo offensam paternam ex amore: vnde Hieronymus suprà. *Præbeatur parentibus honoris mixta formido.* Effectu, obediendo: ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris.* Et super illud Ecclesi. 3. *Natio illorum obedientia.* Gloss. *qui magistris, vel parentibus obediunt.* Signo assurgendo: quemadmodum accipitur honor Rom. 13. *Cui honorem*, &c. dicit gloss. *Reddite honorem: vt assurgere, & huiusmodi, supple, quæ sunt signa honoris.* Item sustentatio consistit in tribus: in solatio verborum, in seruitio operum, in exhibitione necessariorum. In solatio verborum: sicut dicitur Ecclesi. 3. *Dedecus filij pater sine honore.* Et sequitur. *Suscipe senectam patris.* Gloss. *filij carnales, & discipuli honore & solatio debent fouere parentes.* Et Hieron. *Nemo pater asperis verbis lædat: affectum fouet, quicquid lingua dixerint liberorum: hoc filiorum ora loquantur, quod parentes delectat audire.* In seruitio, sicut dicitur Ecclesi. 3. *Qui timet Deum, honorat parentes: & quasi dominis seruient his, qui se genuerunt.* In opere: vt in exhibitione necessariorum: sicut patet ex auctoritatibus supradictis.

Hieron. Ephes. 6. Ecclesi. 3. Glossa. Rom. 13. Glossa. Ecclesi. 3. Ibidem. Glossa. Hieron. de honorandis paren. Ecclesi. 3.

¶ Ad illud verò, quod primò obiicitur de verbo Philosophi, *honor est exhibitio reuerentiæ*, &c. Dicendum, quod non generalis ratio honoris: sed solùm qui exhibetur ratione præeminentiæ spiritualis.

1. Ethico. cap. 5.

¶ Ad secundùm, quod obiicitur: quod sicut Deo principio non debetur nisi honor spiritualis, sic nec homini: quia ratio principij in vtroque est causa honoris: sicut habetur ad Ephes. 6. super illud. *Quod est mandatum primum in promissione.* Gloss. *sicut Deus est principaliter principium hominis: sic pater secundariò.* Dicendum, quod quamuis vterque sit principium: tamen differenter: Deus enim est principium non indigens aliquo: homo verò est principium indigens aliquo. Dignitas principij ex vtraque parte est ratio, quare debetur reuerentia. Ratio verò indigentiæ ex vna parte est causa, quare sustentatio debetur patri carnali & spirituali homini: & non Deo.

Ephes. 6. Glossa.

¶ Ad tertium dicendum, quod quamuis filius accipiat esse corporale à patre: efficitur tamen ex hoc in debito duplici: quia illud corporale, quod accipitur, est de corpore patris sumptum, & transfusum operatione animæ: & ideò filius efficitur debitor honoris patris: tùm ratione corporis paterni: tùm etiam ratione animæ: quia anima & corpus concurrunt in patre, vt sit principium filij. Ratione ergò corporis paterni est debitum sustentationis propriè: ratione animæ debitum reuerentiæ. Nam anima non indiget sustentatione: nec corpus est reuerendum.

¶ Ad quartum dicendum, quod tam patri carnali, quam spirituali debetur honor reuerentiæ & sustentationis: quia enim vterque est principium, ideò debetur reuerentia: quia vterque indigens, debetur sustentatio: quia quælibet res diligit salutem sui principij: vnde homo per rationem ordinatam tenetur diligere sui principij salutem: vnde si indigeat, tenetur procurare quæcunque pertinent ad salutem. Præterea, in carnali patre specialis ratio reuerentiæ est, quia principium generationis: vnde Hieronym. *Parentes primo sunt nobis causa nascendi.* Et in Ecclesi. 7. dicitur de parentibus. *Memento, quoniam nisi per illos non fuisses.* Sustentationis verò ratio specialis est ratio educationis: vnde Hieron. *Foueatur parentum senectus: & factis eorum vicissitudo reddatur: habet enim quandam senectus infantiam.* Ecclesi. 7. *Retribue illis, quomodo & illi tibi.* In patre verò spirituali specialis ratio reuerentiæ est præeminentia potestatis. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ratio verò sustentationis est dispensatio instructionis, vel institutionis. Galat. 6. *Communicet is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis.*

Hierony. Eccl. 7. Hierony. in honore parentũ. Ecclef. 7. Rom 13. Galat. 6.

ARTICVLVS II.

An honor includat in sui intellectu respectum præeminentiæ?

Consequenter quæritur. Vtrum honor in suo intellectu dicat respectum præeminentiæ. Ad quod sic: sicut se habet laus ad laudatum, ita se habet honor ad honoratum: sed laus dicit præeminentiam in laudato: ergò & honor in honorato. Vnde sicut laus est protestatio præeminentiæ bonitatis in illo, qui laudatur: ita honor protestatio præeminentiæ dignitatis in illo, qui honoratur.

¶ Contra. 1. Petr. 2. *Omnes honorate.* Sed constat, quod non omnes sunt præeminentes: honor igitur non dicit respectum præeminentiæ. 1. Petr. 2.

¶ Item, ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Ergò honor est respectu parium. Rom. 12.

¶ Item, Ambros. super illud *Erat subditus illis*: dicit, quod filius Dei honorauit Ioseph; non debito, sed pietatis officio. Ambros. sup. Lu. 2.

¶ Item, rex Assuerus dicitur honorasse Mardochæum. Vnde. Hester. 7. *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare.* Hester. 7.

RESOLVTIO.

Honor semper præeminentiam includit, vel creatam, vel increatam: prout tamen honorare dicitur honoris officium exhibere.

¶ Solutio. Concedendum, quod honor dicit respectu præeminentiæ. Verum est præeminentia, increata quæ attenditur secundùm præeminentiam principij, sapientiæ, bonitatis: quæ excedit in infinitũ quamlibet præeminentiã creaturæ: inde est quod honor infinitus debetur Deo. Et est præeminentia creata: quæ est primo secundùm tres modos scilicet secundùm participationem principij, sapientiæ, & bonitatis.

¶ ITEM, præeminentia in communicatione principij est secundum tres modos: quia est principium ad esse, sicut pater carnalis, vt dicit Gloss. ad Ephes. 6. Sicut Deus principium est hominis, sic pater secundariò: & ratione istius præeminentiæ est pater carnalis honorandus: sicut dicit Hieron. *Honorandi sunt parentes: primò quia sunt nobis causa nascendi.* Item, est principium ad benè esse, quod est in esse spirituali: & ratione istius præeminentiæ est honorandus Prælatus. Eccles. 3. *Tanquam dominis seruiet his, qui se genuerunt in opere & sermone.* Gloss. *Non est in vulua, scilicet vnde ostenditur pater spiritualis maximè dignus honore*: vnde Paulus, per Euangelium, ego vos genui. Item, est principium ad benè esse in esse temporali: & ratione istius præeminentiæ est honorandus Prælatus temporalis, vt Rex. 1. Petr. 2. *Regem honorate.*

Glossa. Ephes. 6. — Hierony. de honor. parentũ. — Eccles. 3. — Glossa. — 1. Petr. 2.

¶ ITEM, est præeminentia in communicatione sapientiæ: ratione cuius præeminentiæ honorandus est doctor, seu senex in quibus est discretio multa experientiæ. Leuit. 19. *Coram cano capite assurge, & honora* &c. Gloss. *ætate, vel sapientia*: in antiquis enim est sapientia, & in multo tempore prudentia: sicut dicitur in Iob 13.

Leuit. 19. — Glossa. — Iob. 13.

¶ ITEM, est præeminentia in communicatione bonitatis: ratione cuius honorandus est vir sanctus: vnde ad Philip. 2. de Epaphrodito dicit Apostolus. *Excipite illum,* &c. & post dicit. *Et huiusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit tradens animam suam.*

Philip. 2. — Ibidem.

¶ AD illud ergò quod obijcitur: quod omnes sunt honorandi. Dicendum, quod dicitur ratione præeminentiæ bonitatis, non solùm secundùm actum: sicut debemus existimare in bonis: quia quemlibet bonum debemus existimare nobis meliorem, secundùm illud Philip. 2. *Superiores sibi inuicem arbitrãtes*: sed secundùm potentiam qua mali possunt fieri meliores, quam nos sumus: ratione cuius possibilitatis, & fortè diuinæ prædestinationis ad maiorem perfectionem, etiam illi, qui mali sunt, honorantur.

Philip. 2.

¶ SIMILITER intelligitur illud. *Honore inuicem præuenientes*: dicitur enim propter præeminentiam bonitatis eo modo, quo dictum est: non superioritatis, qui attenditur in præeminentia principij, vel potestatis.

Rom. 12.

¶ AD illud verò, quod dicit Ambrosius de domino. Dicendum, quod non honorauit Ioseph vt patrem suum per generationem, sed vt patrem secundùm existimationem: quia (sicut dicitur Luc. 2.) putabatur filius Ioseph: siue vt patrem secundùm educationem, vt suo exemplo ad honorem exhibendum parentibus & nutritoribus inuitaret.

Luc. 2.

¶ AD vltimum dicendum, quod honorare aliquem dicitur duobus modis. Vno modo id, quod honoretur, dare vt dignitatem, vel sublimitatem: secundùm hoc Assuerus Mardochæum honorauit: quia sublimitatem, qua ab alijs honoraretur, contulit. Alio modo honorare dicitur honoris officiũ exhibere: officium autem honoris est protestatio in illo, qui honoratur, alicuius supereminentiæ vel dignitatis. Patet ergò, quod honor semper dicit respectum præeminentiæ in illo, qui honoratur: secundùm quod honorare dicitur honoris officium exhibere.

Hester. 7.

ARTICVLVS III.

An honor æquiuocè dicatur?

POSTEA quæritur: cùm honor dicatur multipliciter: dicitur enim respectu Dei: & respectu hominis: & hoc multis modis, respectu patris carnalis, respectu spiritualis, & regis, & senis, & doctoris, & sancti hominis, & etiam respectu cuiuscunque hominis, vtrum honor dicatur æquiuocè.

¶ QVOD videtur: honor enim qui debetur Deo, est honor latriæ, qua homo protestatur Deum sicut suum cõditorem: honor verò, qui debetur homini, est honor duliæ: non igitur debet vniuocari honor quemadmodum Creator & creatura non vniuocantur.

¶ ITEM, honor, qui debetur homini, determinatur multipliciter. Nam vno modo accipitur in sustentando: sicut dicit Hieronimus, quod cùm dicitur, *Honora patrem,* honor in victus necessarijs ministrandis debet intelligi. Alio modo in reuerendo: vnde Eccles. 3. *Honora patrem.* Gloss. *Reuerentiam exhibendo.* Tertiò modo in obediendo. 1. ad Thimoth. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore,* &c. Gloss. *vt spiritualiter eis obediant, & exteriora ministrent.* Quartò seruiendo. 1. ad Timoth. 6. *Quicunque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Gloss. *benè eis seruiendo.* Quintò obsequendo. Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Gloss. *Non est fraternus amor, nisi mutuis se præueniant obsequijs.* Sextò assurgendo. Rom. 13. *Cui honorem, honorem.* Gloss. *Reddite honorem ei, cui debetis, & assurgere.* Sed istæ differentiæ non dicuntur secundùm vnam rationem; ergò æquiuocè.

Eccles. 3. — Glossa. — 1. Tim. 5. — Glossa. — 1. Tim. 6. — Glossa. — Rom. 12. — Glossa. — Rom. 13. — Glossa.

¶ CONTRA. Honor semper dicit respectum superioritatis quantum ad aliquam dignitatem: sed superioritas, seu dicatur de Creatore, seu de creatura: non dicitur æquiuocè, sed secundùm analogiam, hoc est per prius & posterius: quemadmodum potestas: potestas enim de Deo dicitur per essentiam, de creatura verò per participationem: & in creatura descendit potestas per prius & posterius secundùm gradum participationis: & hoc significat Apostolus. ad Rom. 13. vbi dicit. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi à Deo.* Ergò honor non dicetur æquiuocè.

Rom. 13.

RESOLVTIO.

Et æquiuocè, & analogicè: æquiuocè materialiter, analogicè formaliter.

¶ SOLVTIO. Honor secundùm propriam rationem est protestatio præeminentiæ in aliqua exhibitione illi, qui honoratur. Honor ergò potest accipi materialiter & formaliter. Materialiter, cùm accipitur pro eo, quod exhibetur: vt beneficium, obsequium, obedientiã, & huiusmodi; quæ dicta sunt. Formaliter honor accipitur pro ipsa protestatione præeminentiæ vel dignitatis. Quantum ergò ad protestationem honor non dicitur æquiuocè, nec etiam vniuocè, sed analogicè: quemadmodum ratio præeminentiæ, cuius est. Quantum verò ad exhibitionem æquiuocè diceretur, nisi concernatur ipsa protestatio.

¶ ET per hoc soluuntur obiecta: quia in rationibus, probatur, quod honor dicitur æquiuocè, accipitur honor materialiter: in alijs autem formaliter.

ARTICVLVS IV.

An quilibet honor præcepto hoc præcipiatur exhibendus.

CONSEQVENTER quæritur. An in isto præcepto præcipiatur quilibet honor exhibendus? Ad quod sic. In præcepto, quo prohibetur homicidium, scilicet, *Non occides*; prohibetur omnis motus animi ad nocendum: sicut dicit gloss. super illud Matth. 5. *Dictum est antiquis, non occides.* Ergò in præcepto, quo præcipitur honor; iubetur omnis honor exhibendus proximo: vt honor, qui debetur seni, honor qui debetur regi, & patri, & huiusmodi.

Exod. 20. — Matt. 5.

¶ ITEM, contingit peccare in honorando proximum multis modis: vt cum iuuenis inhonorat senem, vel seruus dominum, vel filius patrem: ergò est contra aliquod præceptum: sed non contra aliud, nisi contra illud, quod præcipitur honor: ergò in hoc præcepto prohibetur quælibet inhonoratio, & iubetur quilibet honor.

¶ CONTRA. honor non præcipitur hic absolutè, immò cùm determinatione; honor patris, scilicet, aut matris. Sed quilibet non potest dici pater aut mater respectu cuiuslibet; & tamen est honorandus, vt socius: relinquitur igitur quod non præcipitur hoc mandato quilibet honor proximo exhibendus.

RESO-

RESOLVTIO.

Propriè præcepto hoc non præcipitur, nisi honor exhibendus parentibus, vel carnalibus, vel spiritualibus. Communiter tamen & per reten[tionem] quandam præcipitur etiam honor seniorum, Regis, atque socij.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod secundùm rationem propriam hoc præcepto non iubetur honor, nisi patri & matri: vnde non præcipitur hic honorari, nisi qui propriè potest dici pater aut mater: hoc est dicere, principium per generationem. Hoc autem est duo modis tantùm: secundùm quod est distinguere generationem carnalem, & spiritualem, naturalem & gratuitam, respectu esse naturæ, & respectu esse gratiæ. Et secundùm hoc non præcipitur hic honor nisi patris carnalis, vel spiritualis, scilicet Prælati: vnde gloss. Deuter. 5. *Honora patrem, &c. carnalem vel spiritualem.* Secundùm verò, ratione communem potest esse reductio honoris senis, qui dicitur pater ætate: sicut dicitur ad Timoth. *Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem.* Regis, qui dicitur pater misericordia vel miseratione in iudicando. *Esto pupillis misericors*, vt pater. Ecclesi. 7. Et etiam honoris socij, inquantum superior arbitiatur.

Deuter. 5. Glossa. 1. Tim. 5. Eccles. 7.

¶ AD primum ergò; quod obiicitur, soluendi per interemptionem: quia non omnis motus ad nocendum prohibetur, cùm dicitur, *Non occides*, sed qui est determinatus ad nocendum proximo quò ad esse personæ: sicut patet ex dictis.

Exod. 20.

¶ AD secundùm dicendum: quod est peccatum: quia cõtra præceptũ morale Decalogi: & est etiã peccatũ: quia contra præceptum additum Decalogo: sicut sunt in lege iudicialia, in Euangelio præcepta Apostolorum & Ecclesiæ. Vnde non sequitur: quod si contingat peccare per inhonorationem: quod quælibet inhonoratio sit contra aliquod præceptum Decalogi.

MEMBRVM III.

De forma huiusce præcepti.

SEQVITVR ad hæc inquirere de forma huius præcepti quantum ad tria, videlicet, iussionem, promissionem, & ordinem.

ARTICVLVS I.

An & patris ac matris tantùm honor, vel generaliter totius proximi, præcepto hoc præcipiatur?

AD primum arguitur sic. Cùm honor intelligatur duobus modis: in exhibitione reuerentiæ, & in exhibitione sustentationis: & vtroque honore debeat honorari proximus pro tempore & loco: ergò præceptum de honore debuit dari generaliùs, vt diceretur. *Honora proximum*, aut quæritur, quare non?

¶ ITEM, respectu patris & matris in nobis est motiuum intrinsecus ad honoris exhibitionem: sed non sic est de quolibet proximo. Minus ergò difficile est honorare patrem, quàm honorare generaliter vel vniuersaliter proximorum: præceptum autem est de difficili bono, Sicut virtutes: ergò de magis difficili, magis: ratione ergò maioris difficultatis debuit præcipi honor sub hac forma. *Honora proximum*: quam sub hac. *Honora patrem.*

¶ DIXERVNT quidam, quod honor proximi generaliter præcipitur implicitè, non explicitè: & hac ratione. Iudæi erant quasi rudes, & lex pædagogus: ideò minoribus ad maiora, à facilioribus ad difficiliora prouehi debuerunt: honorare autem proximum, id est, cuilibet indigenti necessaria ministrare, nimis durum erat eis: ideò nõ erat dandum præceptum de necessariorum exhibitione sub forma explicita, sed sub forma implicita: vt sic deceret ad perfectum, deinde verò euacuato quod ex parte est, scilicet imperfectionis: daretur forma explicita: quia verò inter omnia, quæ sunt de re illius mandati; facilius est honorare patrem & matrem: datum est sub his terminis. Eadem ratio est, cum res tertij mandati sit moralis; tamen datur sub forma cærimoniali: hoc enim factum est propter altitudinem illius mandati: quia si daretur sub forma explicita, non intelligerent illud.

¶ SED contra hoc obiicitur in hunc modum. Hugo. *Primum præceptum secundæ tabulæ ad patrem pertinet hominem, sicut primum primæ ad patrem Deum: vtrobiq; paternitas præponitur, vtrobique principij dignitas honoratur.* Quia secundùm quædam modum sicut habemus principium nascendi à patre homine: sic principium essendi per conditionem accepimus à Deo patre: vt discat cor humanum in eo principio, quod videt: qui debeat illi principio, à quo est, & quẽ non videt. Secundùm hoc ergò in isto præcepto solùm præcipitur honor patris, & non proximi.

Hugo de S. Victore in lib. 1. par. 12 ca. [?] de Sacramentis.

RESOLVTIO.

Præceptum hoc patri, matriq; honorem præcisè iubet exhiberi, velutí ijs, à quibus peculiariter originem accepimus atque naturam. Sequentia proinde ad generaliter proximum ordinant, quo cum communem naturam habemus.

¶ QVOD concedendum est.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicit. Dicendum: quod (sicut patet ex præcedentibus) istud præceptum ordinat nos ad proximum solùm, à quo trahimus originem, & accipimus naturam: sicut sequentia ordinant ad proximũ, cum quo habemus communem naturam. Inde est, quod in hoc præcepto secundùm propriam rationem nunquam præcipitur, nisi honor patris aut matris.

¶ AD illud verò, quod obiicit: quod illud difficilius est. Dicendum, quòd illud non facit ad propositum: quia non præcipitur hoc honor quicunque, sed honor determinatus.

¶ ITEM, quæritur, quare non præcipitur honor filij: sicut honor patris: Et ostenditur, quod magis debuit pręcipi. Primò ex hoc, quod dicitur. 2. ad Cor. 12. *Patres debent thesaurizare filijs: nec debent filij parentibus thesaurizare.* Ergò magis debent parentes filijs necessaria ministrare, quam econuersò: sed honor est in ministratione necessariorum: ergò magis debet præcipi, vel esse in præcepto honor filij, quam patris.

Quæstio lateralis. 2. Cor. 12.

¶ AD idem, super illud Matth. 19. dicit Chrysost. *Humor ascendit de radice ad ramos; sed à ramis ad radicem non flectitur. sic charitas de patribus ad filios; sed non reuertitur ad illos.* Ergò primum.

Chrysost. sup. Mat. 19.

¶ ITEM, magis tenemur ad melius: in sustentatione autem filiorum saluatur esse diuinum (vnde Ecclesiast. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se, scil. filium*) in sustentatione autem parentum solùm esse temporale, vel particulare. Magis ergò tenẽtur patres honorare filios in sustentando, quàm econuersò. Et si sic: magis debuit esse in præcepto honor filiorum, quam parentum.

Eccle. 30.

¶ ITEM, Seneca. *Amor catulorum in venabula impellit feras.* Et Oseę 13. *Ero quasi vrsa raptis catulis.* Parentes ergò plus diligunt filios, quam diligantur ab eis naturaliter: ergò magis est de lege naturæ: & sic pertinet magis ad Decalogum: & inde vt priùs.

Seneca. Osee 13.

¶ CONTRA. Ius naturale dicit, teneri ad gratitudinem, & fugere ingratitudinem: sed Tob. 4. dicitur de matre filio. *Memor esse debes, quæ & quanta pericula passa sit in vtero suo propter te.* Gloss. *Ne sis ingratus maternis laboribus: reddet te ei, quæ cum laboribus edidit te.* Ergò magis tenentur filij parentibus, quam econuersò: quia plus receperunt ab eis.

Tob. 4. Glossa.

¶ ITEM, Ambrosius super Luc. 13. *Etsi paueris matrem, non reddidisti ei cruciatus, quos pro te passa est: non obsequia, quibus te gestauit: non alimenta, quæ tribuit tibi verò pietatis affectu, immulgens labris vbera: non famem, quàm pro te ipsa tolerauit: ne quid, quod tibi noxium esset, comederet: ne quid, quod lacti noceret, hauriret: tibi illa ieiunauit: tibi manducauit: tibi illa cibum, quem voluit, non accepit: tibi, quem noluit cibum, sumpsit: tibi vigilauit: tibi fleuit: & ita illam egere pati eris: illi debes, quod habes; cui debes, quod es.* Tob. 3 *Honorem habebis matri tuæ omni-*

Ambros. sup. Luc. 13. Tob. 3.

omnibus diebus vitæ tuæ. Ex his patet, magis debere filios honorare parentes, quam econuerſò.

Philoſophus. Idem.

¶ Item, Philoſophus. *Quæ ſparſim ſeminata ſunt in animalibus per naturam, in homine collecta ſunt per rationem.* Sed in li. de Animalibus legitur, quod pulli quarundam auium cibant parentes ſuos in ſenectute: & pulli quarundam aliarum auium cibant parentes ſuos, non ſolùm in ſenectute, ſed quandocunque indigent: ergò iſtud maximè debet ſeruari ab homine: & inde primum.

Hierony de hono re parent.

¶ Item Hieronym. *Parentes adeò debent liberi habere dulciores, (quia per alios reparari non poſſunt) vt cum eos lex naturæ ſubtraxerit: nec patrē alium tibi poteris inuenire, nec matrem.* Nō ſic eſt autem de filijs, &c. ergò.

¶ Solvtio. Notandum quod amor patris in filios totus eſt grauitus; quia filij ſunt à parentibus: & intenditur amor ille per naturam ſenſualitatis: vnde Hieronymus de

Idem.

Honorandis parentibus. *Memento parentum eſſe, quod talis es: quorum manibus crementa ſumpſiſti.* Et ſequitur. *Sit tibi grata vita ipſorum, quibus carior eſt vita tua, quam propria: redde amoris vicem colendæ pietatis.* Amor autem filiorum in parentes maximè eſt debitus: quia acceptunt à parentibus eſſe & edu-

Idem.

cationem: vnde debent ſe illis: vnde Hieron. *Exolue fili, quod debes; & officia debita qualicunque exhibe famulatu: quia parentibus nemo poteſt reddere, quod debet.* Et huiuſmodi amor intenditur per viam rationis, non ſenſualitatis. Cùm igitur quæritur, quare non eſt mandatum de honore filiorum, ſicut de honore parentum. Dicendum, quod natura ſufficienter inclinat ad hoc. Ad honorem verò parentum inclinat ratio excitata per conſiderationem debiti & præcepti. Quemadmodum nō eſt præceptum de amore ſui: quia ad hoc ſufficienter inclinat natura: ſed de amore proximi. Præterea, alia ratio eſt: quia omnis honor Theologicus eſt reſpectu præminentis: ſicut patet ex dictis. pater autem eò quòd eſt principium filij, præminentiam habet reſpectu ipſius: & non econuerſò.

Epheſ. 5. Gloſſa. * Alias, ſubditi. * Alias, ſuperioritatis.

¶ Et ſi obijciatur ex illo, quod habetur ad Epheſ. 5. *Subiecti inuicem.* Gloſſ. *Non ſolùm * auditores Prælatis, ſed Prælati ſubditis.* Ex quo videtur, quod honor non ſemper dicitur reſpectu præminentis. Reſpondendum eſt: quod reuerentia ſubiectionis duplici ratione exhibetur, ſcilicet in ſignum * ſubiectionis, & in ſignum mutuæ charitatis. In ſignum ſuperioritatis debet exhiberi ab inferioribus Prælatis: in ſignum mutuæ charitatis econuerſò, à Prælatis inferioribus: vnde Gloſſ. Interlin. ſuper illud ad Epheſ. 5. *Subiecti inuicem. Prælati ſubditis, in charitate eis ſeruiendo, & humiliter curam gerendo.* Vnde diſtinguenda eſt duplex ſubiectio: ſubiectio inferioritatis, quæ eſt minoris: & honoris, quæ eſt maioris. Vnde ibidem dicit Gloſſ. *Etſi dignitas eſt maiorum, adminiſtratoria tamen eſt.* Vnde 1. ad Cor 9. *Omnium me ſeruum feci.* Eſt ergò maiorum (ſalua tamen dignitate) ſeruire: ſicut minorum eſt humiliter obedire.

Gloſſa. ſup. Eph. 5.

Eodem. Ibidem. 1. Cor. 9.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiectum: quod filij non debent theſaurizare parentibus. Dicendum, quod non ſequitur ex hoc, quod non debeant neceſſaria miniſtrare: theſaurizare enim eſt ſuperabundantia ſuccedenti in poſterum neceſſitati prouidere: quia ergò patres non ſuccedunt filijs, ſed econuerſò: ideò dicitur quod filij non debent theſaurizare parenti. Miniſtrare verò neceſſaria, eſt præſentem indigentiam ſupplere: & hoc tenetur filius facere patri: maximè ex hoc, quod eſt ei principium.

¶ Ad ſecundùm, & quartum iam patet reſponſio: quia ex hoc quod affectus patrum decurrit in filios per naturā ſenſualitatis; non autem ſic econuerſò: ideò magis debet

* Alias, nimis.

eſſe præceptum, quod eſt magis debitum, & ad quod * minus inclinat natura: vt honor parentum.

¶ Ad tertium dicendum: quod ſuſtentatio tam filij quàm patris reſpicit perſonam: perſona enim ſingularis ipſa eſt, quæ ſuſtentatur, non ſpecies: impropriè enim dicitur ſpeciem ſuſtentari; cùm ſingulare ſuſtentatur: & tamen ſub illa improprietate æquè ſuſtentantur ſpecies cùm ſuſtentatur pater, ſicut cùm ſuſtentatur filius: ideò eſt irremenda propoſitio quam proponit.

* *
*

ARTICVLVS II.

An iure præcepto huic de honorandis parentibus magis quàm alijs addita ſit promiſſio?

Consequenter quæritur: quare huic mandato addita eſt promiſſio pluſquam cæteris.

¶ Si dicatur; quod ex hoc quod iſtud eſt affirmatiuum, & ideò de faciendo bono: alia verò præcepta ſecundæ tabulæ ſunt negatiua: ſicut, *Non occides, non mœchaberis.* & ideò Exod. 20.
de non faciendo malo quantum ad formam præcepti: facienti autem bonum debetur merces & præmium: non facienti autem malum in quantum huiuſmodi non propter hoc debetur merces, ſed vitatio ſupplicij ſolum. Adhuc eſt quæſtio: quare illud præceptum proponatur ſub forma affirmatiua; pluſquam cætera? cùm dictum ſit in præcedentibus, quod in quolibet præcepto intelligatur affirmatio in iuſſione, & negatio in prohibitione. Item, in primo præceptò primæ tabulæ additur promiſſio, cùm dicitur, *faciens miſericordiam in millia*, cùm ſit negatiuum. Ibidem.

¶ Item, quare additur promiſſio longæuitatis? Si dicatur, quod illud eſt propter congruentiam: quia congruum eſt, quod qui conſeruat vitam patris, quod vita eius conſeruetur. Ergò cùm in quinto præcepto. *Non occides*, per affirmationem iubeatur conſeruatio vitæ proximi; vnde ſuper Deuter. 5. Gloſſ. *Paſce fame morientem: quem ſi non paueris, occidiſti*, &c. illi præcepto maximè debuit addi iſta promiſſio. Ibidem. Gloſſa. Deuter. 5.

¶ Item, quæritur: quare in Exodo additur vna promiſſio tantum: quia ibi dicitur. *Honora patrem, vt ſis longæuus*, & in Deut. 5. duplex, vbi dicitur. *Vt longo viuas tempore, & benè ſit tibi.* Si dicatur, ſicut quidam dixerunt; quod hoc eſt propter duplicem ſtatum, perfectorum, & imperfectorum: mandata enim Exodi reſpiciunt ſtatum imperfectorum: mandata verò Deut. ſtatum perfectorum: ideò imperfectis, qui ſuſtentant corporalem vitam patrum, additur vna promiſſio, ſcilicet longæuitas in corpore: perfectis verò, qui ſuſtentant non ſolùm vitam carnalem temporali ſubſidio; ſed etiam ſpiritualem vitam ſpirituali ſolatio parentum, duplex proponitur promiſſio, ſcilicet longæuitatis in corpore, & benè eſſendi in mente. Contra. Deut. 22. præcipitur, *ſi inueneris matrem pullis vel ouis incubantem, non tenebis eam cum filijs; ſed abire patieris; vt benè ſit tibi, & longo viuas tempore.* Sed conſtat, quod illud præceptum non eſt obſeruantis perfectè: & tamen ei promittitur idem quod in Deut. honoranti patrem: nulla eſt ergò aſſignata ratio. Ibidem. Deuter. 5. Deut. 22.

RESOLVTIO.

Iure admodum: vt filij allicerentur inclinarenturvè magis ex diuina promiſſione ad parentes ſuſtentandos.

¶ Solvtio. Dicendum, quod promiſſio additur huic præcepto; vt ad ſuſtentationem parentum allicerentur filij; & inclinarentur ex diuina promiſſione: quemadmodum ad ſuſtentationem filiorum inclinantur parentes ex natura: & maximè (ſicut dictum eſt ſupra. Quæſtione de modo traditionis mandatorum) propter auaritiam Iudæorum euacuandam. Quia ergò honor patris intelligitur in erogatione, euacuanda erat auaritia filiorum diuina promiſſione. Præterea, ratione ſtatus populi Iudaici, cùm data eſt lex: quia data eſt in deſerto: in quo per diuturnam fatigationem itineris peruenturi erant ad terram promiſſionis. Ne ergò filij in ſubueniendis neceſſitatibus parentum (quæ tunc maximè ingruebant) eſſent negligentes; excitandi erant promiſſione diuina. Quæſtione 29. memb. 2. art. 5.

¶ Ad illud verò, quod quæritur: quare affirmatiuè datur. Dicendum, quod præcepta dabantur imperfectis & rudibus ex corruptione naturæ, pronis ad omittendum bonum faciendum, & committendum malum vitandum. Vbi ergò erat maior pronitas ad omiſſionem, quam ad commiſſionem; dabatur præceptum affirmatiuè. Inde cùm duo ſint, honoratio Patris exhibenda, & inhonoratio fugienda: proniores erant ad omiſſionem honorationis,

nis, quam ad commissionem inhonorationis. Et ideò affirmatiuè debuit dari præceptū patris: ne ex auaritia, quę in eis maximè erat: sicut patet ex Euangelio: vel negligentia diuturni seruitij & laboriosi in deserto istud omitterent. Vbi verò non solùm ad omissionem pronitas erat: sed ad commissionem erat impetus pronitatis corruptionis; dabatur præceptum negatiuè: vt cùm ex corruptione naturæ maximè proni essent ad homicidia, & furta, &c. ideò negatiuè data sunt. *Non occides*, &c.

Exod. 20.

¶ Fuerunt tamen, qui dixerunt: quod honorare parentes, vniuersale est respectu temporis omnis, & omnis subditi: quia non fuit tempus, in quo non debuerunt parentes honorari, & cuilibet, commune habere parentes, quos tenetur honorare semper, & si non ad semper: & ideò affirmatiuè. Sed in alijs mandatis non est inuenire secundum affirmationem ita vniuersale secundum omne tempus, & cuilibet: occidere enim iustè, quamuis sit vniuersale quantum ad omne tempus; non tamen quantum ad omnem personam: sed solùm iudicis. Sed in negatione vniuersale est: *Non occides iniustè*: similiter vti coniuge moderatè, non obligat omnes & semper: quia sic tenerentur omnes habere vxores: sed negatio, *Non mœchaberis*: vniuersalis est: & similiter in mandatis alijs, quæ dantur negatiuè in secunda tabula. Sed quamuis hæc ratio possit assignari in secunda tabula, non tamen in prima.

Ibidem.

¶ Ad illud verò, quod quæritur quare additur promissio longæuitatis. Dicendum, quod ratione congruitatis fit talis promissio. Congruum enim est, vt procuratio conseruationis vitæ principij, mereatur conseruationem sui: vnde Hieron. *Humanitas talibus personis oblata, scilicet parentibus, vincendi tempus extendit: & morte dilata vicemq; facientibus reddens, officia nostra Domino videntur commendat.* Item meretur ab homine, cui est principium, scilicet filio, vt eius vita sustentetur: & ita prolongetur. Vnde Hiero. *Foueatur parentum senectus, & facilis eorum vicissitudo reddatur: videant liberi vestri quid faciant, vicem vobis similem reddituri.* Non autem sic de conseruatione vitæ alterius hominis, qui non est nobis principium.

Hieron. in honore parent.

Idem. in eod.

¶ Ad illud, quod quæritur de gemina promissione, quæ ponitur in Deuteron. Dicendum, quod in illa promissione fit additio propter explanationem: longæuitas enim in miseria non est appetenda, nec promissa longæuitatis simpliciter, nisi cum successu prosperitatis allicerer. Ideò præceptum. Deuter. quod debet explanatio esse Exod. determinat longæuitatem habentem coniunctam prosperitatem esse in promissione, cùm dicit, *vt longo viuas tempore*, in quo promittitur diuturna conuersatio, *& benè sit tibi*, in quo promittitur diuturna prosperitas ad benè esse.

Exod. 20.

¶ Ad illud verò, quod quæritur, quare promissio consimilis additur prædicto mandato figuralì. Dicendum, quod in lege erat promissio addita præcepto, aliquando propter congruitatem actus: & hoc modo longæuitas promittitur honoranti patrem. Aliquando propter contrarietatem abusionis actus: quemadmodum in prædicto cęremoniali. Nam ad literam error auguriorum apud idololatras credebat obtinere longæuitatem, si caperet matrem super pullos, seu super oua incubantem: ideò præceptum diuinæ legis occurrit per prohibitionem obseruantiæ augurij: & vt longiùs ab hoc eos remoueret: & ne timerent ex hoc infortunium vitæ sibi futurum; adest diuina promissio: quæ promittit contra augurium facienti longæuitatem & vitæ felicitatem.

¶ Et si quæreretur, quare tanta promissio, quam a honoranti patrem: Responsum est Quæstione de Commentis legis: quia hoc non est, quia illud in genere sit tantum bonum, quantum honor parentum: sed hoc est, quia obseruantia huius præcepti pro illo tempore destruebat tantum malum, vel maius: quantum est inhonoratio parentum, videlicet idololatriæ partem, quæ est in augurijs ad inhonorationem Dei.

* * *

ARTICVLVS III.

An præceptum hoc de honorandis parentibus meritò inter præcepta ordinantia ad proximum primum obtineat locum?

Consequenter quæritur de ordine huius mandati. Nam cum in prima tabula priora sint negatiua affirmatiuis: videtur quod similiter debeat esse in secunda: & quæritur, quare non.

¶ Si dicatur, sicut quidam dixerunt, quod de Deo magis cognoscimus, quod nō est, quam quid est: & ideò prior est negatio affirmatione in præceptis, quæ ordinant ad Deum. De homine verò primò cognoscimus, quid est: ideò in præceptis ordinantibus ad proximum prior est affirmatio negatione. Contra: siue ordine ad Deum, siue ad proximum nō præcipitur vel prohibetur nisi actus noster: noster autem actus nobis notissimus est & æquè: siue sit actus iussus vel prohibitus respectu Dei, siue iussus vel prohibitus respectu proximi.

RESOLVTIO.

Meritò nempè, quia est ad hominem in humanis principium.

¶ Propter hoc dicendum, quod hoc est ratione principij, cuius honor præcipitur. Vnde sicut in ordine ad Deum primum præceptum est de honore principij, quod est in Deus in prima tabula: in ordine ad proximum primum præceptū est de honore principij, quod est homo, in secunda tabula. Nam (sicut dicit Hugo.) *vtrobique dignitas principij honoratur.* Hugo de S. Victore

MEMBRVM LV.

De obligatione huius præcepti.

Deinde quæritur de obligatione huius præcepti.

¶ Circa quod quæruntur quinque. Primò, an soluatur obligatio per votum Religionis. Secundò, an propter necessitatem patris dimittendus sit ingressus Religionis. Tertiò de honore reuerentiæ quantum ad obedientiam: in quibus debeatur patri carnali. Quartò an honor debeatur patri spirituali ex præcepto. Quintò, an honor debeatur etiam malo prælato.

ARTICVLVS I.

An vouens ingrediensq; Religionem soluatur ab obligatione honoris parentum.

Ad primum sic. Hoc præceptum est præceptum moralis legis naturæ: ergò est immobile: ergò propter ingressum religionis nullus absoluitur ab illo.

¶ Item, perfectio gratiæ non destruit, quod est naturæ, sed perficit. Cùm ergò ingressus debitus Religioni sit perfectionis gratię: ergò perficit obseruantiam honoris parentis, & non soluit.

¶ Item, si consilium soluit præceptum, non se compatiuntur: ergò sunt contraria: ergò in ordine vitę moralis determinato à Deo esset contrarietas: quod est inconueniens.

¶ Item, obseruantia consiliorum se habet ad obseruantiam præceptorum; sicut perfectio ad perfectibile: sicut ostendit Dominus Matth. 19. cum seruanti mandata dixit. *Vnum tibi deest: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes.* Sed perfectio non tollit perfectibile, sed complet: ingressus ergò Religionis non soluit obligationem huius præcepti. Matt. 19

¶ Dixerunt quidam, quod solueretur obligatio per ingressum Religionis quantum ad effectum: sed non quantum ad affectum. Sed contra præceptum illud per opus adimpletur: vt patet ab expositoribus, non per affectum: ergò obligat ad opus.

¶ Item,

¶ ITEM, quæ esset causa, quare solueretur obligatio in actu? Nunquid propter impossibilitatem. Ergò similiter per paupertatem irreleuabilem solueretur.

¶ CONTRA. Cùm aliquis suo arbitrio ingerit se in impossibilitatem, qua non potest facere, quod tenetur, peccat: sed religiosus ingrediendo religionem, ponit se in impossibilitate, qua non potest honorare parentes ministrando necessaria, quos tenetur honorare: ergò ingrediendo religionem.

¶ ITEM, præceptum dicit, *da superflua*, consilium dicit, *da omnia*. Sed ista non est compatiuntur: nec datis omnibus potest subuenire patri in necessarijs: ergò non se compatiuntur consilium & præceptum: soluitur igitur obligatio præcepti per consilium.

¶ ITEM, *Honora patrem*, obligat pro loco & tempore: sed in religione nunquam est tempus nec locus honorandi: sic ergò religiosus non obligatur.

RESOLVTIO.

Vouens, ingrediensq́, Religionem soluitur quidem à debito sustentationis parentum; sed non ab obligatione exhibitionis honoris eorundem.

¶ RESPONSIO. secundùm quosdam: quod nullum cōsilium soluit obligationem præcepti naturæ: vnde nec istud. Tamen quia affirmatiuum est, non obligat nisi pro loco & tempore: vnde obligatio est ad non ministrandum necessaria patri simpliciter, sed sub conditione duplici: vna est ex parte dantis, si habet & alia ex parte recipientis, si indiget. Et ad hoc semper tenetur secularis & religiosus, scilicet dare, si habet, & si pater indiget: sed quia religiosus nunquam potest habere, ideò nunquam dabit: & non transgreditur, quia nō tenebatur simpliciter. Eodem modo dicunt de omnibus affirmatiuis: quia non est obligatio simplex, sed conditionalis. Nec est contraria doctrina præceptorum & consiliorum: quia præcepta non obligant absolutè.

Gal. 5. ¶ SED contra. Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Si ergò duce spiritu aliquis intrat Religionem: iam non ligatur lege honoris exhibendi parentibus.

¶ ITEM, si diceretur: quod esse sub lege est, vt impleatur ex timore: iste autem ex amore implet legem: & ideò nihil ad propositum. Contra: constat, quod Religiosus moritur mundo: ergò obligatio viuentium in mundo non arctat eum: ergò non tenetur ad ministrandam necessaria, quæ pertinent ad vitam mundi. Item, si moritur filius morte naturæ, soluitur ab obligatione huius honoris patris: ergò si moritur morte gratiæ & perfectè, sicut Religiosi, soluetur: cùm mors gratiæ æquè nos separet à vita mundi: quia quod est mors secularibus, hoc est introitus Religionis Religiosis quò ad mundum. Item, Matrimonium contractum ante carnalem copulam soluitur per votum Religionis: & hoc non est, nisi quia est quædam mors spiritualis: morte autem soluitur vinculum Matrimonij: ergò obligatio exhibitionis mundanorum soluitur: quia illis moritur omninò Religiosus.

Sententia propria. Exod. 20. ¶ PROPTEREA videtur dicendum, quod cùm honor patris consistat in pluribus: & omnia intelligantur, cum dicitur, *Honora patrem*, vt patet ex prædictis: non soluitur obligatio exhibitionis honoris per introitum Religionis: licèt soluatur obligatio quò ad debitū sustentationis: quia quò ad illam solutionem moritur, qui moritur mundo. Sed exhibitio spiritualis, in reuerendo, in consolando, in orando, non soluitur: immò sub obedientia magis augetur: & ex hoc est perfectio præcepti honoris patris. Non enim perficitur in exhibitione corporali: quæ non exhibetur patri causa conformitatis ad Deum principium; sed ratione indigentiæ: ideò perficitur in exhibitione spirituali, maximè in qua est conformatio ad Deum.

¶ ET per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS II.

An propter subuentionem parentum possit quis dimittere ingredi Religionem.

POSTEA quæritur. Vtrum propter necessitatem parentum dimittendus sit ingressus Religionis? Nam honor patris intelligitur in corporali exhibitione, cùm tempus est: sed indigentibus parentibus tempus subueniendi est: si ergò ego non subuenio, transgredior: quia non honoro patrem, quando tempus est honorandi: sed intrando Religionem pono me in statu non subueniendi: ergò pecco.

¶ CONTRA. Marc. 3. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Gloss. *Non recusat obsequi matri, qui dixit: honora patrem & matrem: sed ostendit se plus debere paternis ministerijs, quam affectibus maternis: ideò exemplo monstrauit, quod verbo ait. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Si ergò introitus Religionis pertinet ad paternum ministerium: non est dimittendus propter paternum affectum. Marc. 3. Glossa. Matt. 10.

¶ ITEM, ibidem in gloss. *Opus spirituale præfert cognationi, docens meliorem esse copulam cordium, quam corporum.* Glossa ibidem.

RESOLVTIO.

Qui absq́, salutis periculo, vt parentibus subueniat, in seculo manere confidit, stet profectò, nec Religionem intret. Sin autem illius periculum immineat, confestim accedat, eis omnia, si qua habet, renuncians: ac æterno parenti suppliciter commendans.

¶ AD hoc dicunt quidam: quod aut potest securè manere in seculo sine detrimento salutis: & in tali casu dicunt, quod non debet intrare: sed patri ministrare. Aut videt sibi imminere periculum salutis & lapsum in peccatum: & in tali casu non tenetur.

¶ Alij verò dicunt; quod quandocunque spiritu Dei ducitur, non tenetur manere in seculo, vt ministret necessaria parentibus. Signum autem quod ducatur à spiritu, triplex est: primum, iocunditas mentis ex perfectione Religionis considerata: secundùm, propositum cauendi circumstantias peccati: tertium, propositum proficiendi in melius. Dicunt ergò, quod aut habet temporalia, de quibus possit sustentari: aut non habet. Si habet, potest patri dimittere ea ad sustentationem. Si non habet, nō tenetur tunc ministrare: sed cùm transfert se totaliter ad seruitium liberalissimi dominatoris patris cœlestis, commendate ipsi curam patris; qui dat escam omni carni, qui pascit volucres cœli. Matth. 7. cui est cura de omnibus: & sic meliori prouisori dimittitur pater & mater. Et quamuis istorum opinio videatur magis perfecta: primorum tamen est magis pia. Matt. 7.

¶ IVXTA hoc quæritur. Vtrum in errore hæreseos filius accusans patrem ad damnationem, solueret hoc mandatum: immò an teneatur accusare? Videtur, quod debet accusare: quia Deut. 21. Dicitur: quod etsi genuerit homo filium contumacem & proteruum, quod non audiat patris & matris imperium, debet à parentibus accusari: & lapidibus obruet eum populus. Si ergò pater tenetur accusare filium: ergò filius patrem. Quæstio [illegible] alia. Deut. 21.

¶ AD hoc dicendum, quod hæreticus aut solum sibi nocet; vt quando hæresis occulta est: aut alios etiam praua doctrina corrumpit. Primò modo non tenetur eum accusare filius: sed secundo modo tenetur. Et ratio est: quia honorem patris cœlestis tenetur præferre honori patris carnalis. Vnde carnalis pater, qui dehonestat & inhonorat patrem cœlestem, non est sustentandus: vnde in Deuter in laudem Leui dicitur. Qui dixit patri & matri, *nescio vos.* Et in tali casu tenet illud Euangelicum. Deut 33.

Qui honorat patrem & matrem plus, quàm me, non est me dignus. Matt. 10.

* * *

ARTICVLVS III.

An in omnibus, tum in quibus filij parentibus obedire teneantur.

CONSEQVENTER quæritur de honore reuerentiæ quantum ad obedientiam, in quibus scilicet teneamur obedire patri carnali. Ad quod sic. Colo. 3. *Filij obedite parentibus vestris in omnibus.* Ergò in omnibus licitis est eis obediendum: ergò tenentur filij obedire parentibus præcipientibus intrare claustrum, ducere vxorem, fodere in vinea. Colos. 3.

¶ ITEM, Deut. 21. *Si genuerit homo filium contumacem, qui non audiat patris & matris imperium, lapidibus eum obruet populus.* Deut. 21.

¶ ITEM, Hugo: *Quantum spectat ad literam, duobus modis parentes nostros honorare debemus: obediendo eis in omnibus, exceptis his, in quibus dilectio patris Dei offenditur: & eos quantum facultas nostra suppetit, adiuuando.* Ergò in omnibus licitis. Hugo de S. Victor. lib. 1. par. 12. cap. 7.

¶ ITEM, Hieronym. *Imitamini filium Machabeum: qui matri suadenti mortem, seruiuit: & durum imperium granter aggressus est, ne offenderet genitricem.* In sustinentia ergò mortis debemus obedire. Hiero. de honore parentũ.

¶ ITEM, idem in eodem. *Deuotus filius obediendo promotus est: qui nolens maternam aliquatenus lædere pietatem: perpetuam quidem vitam passione suscepit.* Idem in eodem.

RESOLVTIO.

Filij in ijs omnibus parentibus carnalibus obedire tenentur; quæ ad vtilitatem, necessitatem & dispensationem rei familiaris pertinent.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod secundùm gradum superioritatis est modus obeditionis: quia (sicut dicitur. Ro. 13.) omnis potestas à Deo data est: & omnis anima potestatibus, sublimioribus subdita debet esse. Est autem superioritas constituta in spiritualibus, & in temporalibus. Et in temporalibus quantum ad regimen Reipublicæ: & quantum ad regimen propriæ familiæ. In regimine spiritualium præest spiritualis Prælatus: in regimine temporalium quantum ad Rempublicam Prælatus secularis: scilicet Rex & Princeps: in regimine temporalium quantum ad propriam familiam, pater. Sicut ergò determinatur obedientia Prælati spiritualis in his, in quibus præest, scilicet spiritualibus: & Prælati secularis in temporalibus Reipubl. sic obedientia debita patri in dispositione rei familiaris. Et secundùm hoc dicitur, quod filius patrisfamilias tenetur obedire patri in omnibus, probabiliter pertinentibus ad necessitatem, vel vtilitatem rei familiari. Vnde omnes auctoritates, quæ dicunt, quod filius obediat in omnibus, exponunt in omnibus pertinentibus ad dispensationem rei familiaris: & sic exponunt auctoritatem Apostoli & Hugonis. Rom. 13.

¶ AD illud Deuter. soluunt per auctoritatem sequentem. *Monita nostra audire contemnit, & comessationibus vacat atque luxuriæ.* Vnde contemptus correctionis facit peccatum: & malitia conuersationis, quæ non corrigitur per patris monitionem. Vnde ex hoc colligitur, quod filiusfamilias tenetur obedire patri in disciplina morum bonorum: Sed hoc est intelligendum de his, quę necessaria sunt ad salutem.

¶ AD vltimum, quod obiicitur de filio, qui obedit matri in martyrio. Dicendum, quod sustinentia martyrij erat de necessitate salutis: quia oportebat aut apostatare à lege ad idololatriam: aut mori. Tamen duplex causa mouit ad martyrium: amor veritatis, & obedientia matris: ideò Hieron. ponit ipsum inobedientiæ exemplum.

ARTICVLVS IV.

An ex præcepto, vel ex consilio teneantur subditi Prælato spirituali necessaria ministrare?

POSTEA quæritur. An ex præcepto, vel consilio debeatur honor in exhibitione necessariorum Prælato spirituali? Ad quod sic. 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Gloss. *Necessitatis est accipere, vnde viuitur: charitatis est præbere.* Si ergò charitatis est: voluntarium est: non igitur est præcepti, sed consilij. 1. Tim. Glossa.

¶ ITEM, 1. ad Cor. 9. *Quis pascit gregem, &c.* Gloss. *Indicat Apostolus coapostolos suos non sibi aliquid vsurpasse: si (sicut constituit Dominus) ex Euangelio viuentes, propter mentem gratuitum manducabant; ab eis sumptum, quibus gratuitam gratiam prædicabant.* Ergò gratuitum est honorare, exhibendo necessaria: ergò non est præceptum. Cor. 9 Glossa.

¶ CONTRA, ibid. 1. ad Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem, &c.* Gloss. *Dominus mulieres ministraturas sequi se voluit: ostendens, quid à plebibus deberetur Euangelistis.* Ergò ministratio necessariorum est debita prælatis à subditis. Cor. 9 Glossa.

¶ ITEM, Gal. 6. *Communicetis, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Gloss. *Vsitatum præceptum est: vt prædicatori verbi Dei præbeat necessaria ille, cui prædicatur: quæ bona appellatione rectè signauit.* Gal. 6. Glossa.

¶ ITEM, in Psalm. 80. *Sumite psalmum* (supple prædicationis) *& date tympanum,* scilicet temporalis sustentationis: vt innuit gloss. Psal. 80.

¶ ITEM, 1. ad Cor. 9. *Si nos seminamus vobis spiritualia: non est magnum, si carnalia vestra metamus.* 1. Cor. 9

¶ ITEM, 2. ad Timoth. 2. *Laborantem agricolam oportet primum de fructu edere:* & multa huiusmodi. Ergò honor in exhibitione necessariorum prælatis est in præcepto. 2. Tim.

RESOLVTIO.

Subditi ex præcepto tenentur dare: prælati non nisi ex concessione & potestate accipere.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod honoris exhibitio est in præcepto subditis: sed honoris receptio non est in præcepto Prælatis; sed concessione & potestate. Vnde 1. ad Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem manducandi, &c.* Glossa. *Permisit Dominus, non iussit Apostolis accipere necessaria à subditis: vt quisquis eo vteretur, quod sibi liceret ex Domini constitutione: si quis verò nollet; non contra iussum faceret, sed de suo iure cederet: potestas enim est, non iussio Domini accipere sumptus.* Et est verbum Augustin. super illud: *Dignus est operarius cibo suo.* 1. Cor. 9 Glossa. August. de oper. Monach. Matt. 10

¶ AD illud, quod primò obiicit: quod charitatis est præbere. Intelligendum est, quod hoc dicitur propter modum tribuendi, qui debet esse in hilaritate, & ex amore; secundùm illud: 2. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Gloss. *Non tristis, vel coactus, sed spontaneus: hilarem enim datorem, id est, qui ex voluntate bona dat, diligit Deus.* 2. Cor. 9 Glossa.

¶ AD secundùm dicendum: quod panis gratuitus dicitur ministratio temporalium quantum ad accipientem; vt non ponatur finis, seu merces prædicationis: vnde, 1. ad Timoth. 5. *Duplici honore, &c.* Gloss. *Non tamen venale est Euangelium: vt pro his prædicetur, sed pro æternis.* Non enim à populo redditur quasi merces illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt: sed tanquam stipendium datur; quo, vt possint laborare, pascantur. Et per hunc modum intelligitur illud. *Gratis accepistis, &c.* 1. Tim. 5 Glossa. Matt. 10

¶ SED quæritur: quando tenentur dare? Nam ditata Ecclesia, non videtur, quod teneantur exhibere: quia in Malach. 3. dicitur. *Inferte omnem decimam in horreum meum: vt sit cibus in domo mea.* Si ergò sufficiens est cibus in domo Ecclesiæ: non tenentur exhibere.

¶ ITEM, cessante causa, cessare debet effectus: sed causa exhibitionis est necessitas. 1. Timoth. 5. *Qui benè præsunt.* Gloss. *Accipiant sustentationem necessitatis à populo: mercedem dispensationis à Domino.* Si ergò non adsit necessitas: nec est ordinata potestas accipiendi Prælatis, nec debitum exhibendi subsidijs. 1. Tim. 5 Glossa.

¶ AD hoc dicendum: quod tenentur dare, cùm requiruntur à Prælatis: aliàs enim non tenentur; nisi viderent eorum necessitatem.

¶ AD

§ Ad illud, quod obiicitur: quod sufficiens est cibus, & non est necessitas. Dicunt, quod quamuis non sit necessitas, quantum ad dispensatores bonorum Ecclesiasticorum propter se: tamen est necessitas semper propter illos, quibus debent bona Ecclesiastica dispensari, scilicet pau-
Matt. 19. peres. Vnde Saluator. *Pauperes semper habebitis vobiscum*,&c.
Hieron. &(vt dicit Hieron.)res Ecclesiæ pauperum sunt:nec conceditur dispensatoribus bonorum prodigalitas,nec super-
Bernard. fluitas:sed stricta necessitas. Vnde B.Bernard. *Conceditur tibi,vt si altari seruias,de altari viuas: quicquid præter necessarium victum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Aliter nobis videtur dicendum: quod si Ecclesia alicuius sit sufficienter dotata bonis temporalibus: quod subditi non tenentur in aliquo prouidere presbytero; nisi aliqua causa suborta (vt belli,vel prædationis) indigens efficiatur. De honore verò reuerentiæ,quæ debetur prælatis spiritualibus,hic prætermittimus: in Tractatu de Virtutibus
Inferius. Quæstione de Obedientia(domino iuuante)tractabitur.

ARTICVLVS V.

An malis prælatis debeatur honor?

VLtimò quæritur. An honor exhibēdus sit malo prælato ex hoc præcepto. Ad quod sic. 1. ad Timoth. 5.
1.Tim. 5. *Qui benè præsunt*,&c. Gloss. *Vt spiritualiter eis obediant; & ex-*
Glossa. *teriora ministrent. Iste honor non determinatur nisi benè præsidenti*: ergò malo Prælato non debetur obedientia, nec temporalium ministratio.

2. Thess. vlt. § Item, Thessal. 2. Vlt. *Denunciamus vobis: si quis non vult operari, non manducet.* Ergò si Prælatus non operatur, quod est sui officij:non tenebuntur ei subditi ministrare.

Ibidem. § Item, ibidem. *Audiuimus quosdam ambulantes, nihil operantes*,&c. *denunciamus in Christo, vt cum silentio viuentes, panem suum manducent.* Ex quibus videtur, quod mali prælati, non sunt honorandi.

Iosue 1. § Item, Iosue 1. *Sicut obediuimus Moysi, obediemus tibi: tantum sit Dominus tecum.* Ergò sub conditione bonitatis profitentur obedientiam.

1.Petri 2. § Contra, 1.Petri 2. *Subiecti estote in omni timore Dominus; non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

1.Reg.24. § Item, 1.Reg.24. *Dauid præcidit oram chlamidis Saul: &*
Glossa. *latenter postea percussit cor suum.* Gloss. *Præpositi oris gladio feriendi non sunt: etiam cum rectè reprehendi videntur.*

Matt.23. § Item, Matth.23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: quæ dicunt, facite*,&c.

1. Tim. 5. § Item, 1.ad Timoth.5. *Duplici honore digni sunt.* Gloss.
Glossa. *Iste duplex honor exhibendus est omnibus Presbyteris: sed maximè his, qui laborant in verbo Domini.*

RESOLVTIO.

Cum inferioris non sit de superiori iudicare; & malis Prælatis debemus honorem: quousque tamen ab Ecclesia tolerantur.

§ Solutio. Dicendum, quod malo Prælato quamdiu ab Ecclesia toleratur; debetur honor: & quamuis malè præsidiat, quousque ab Ecclesia deponatur; vt benè Præsidens debet haberi: vnde debita à subiectis non debent subtrahi. Et generaliter dicendum est; quod de Episcopis non est inferiorum iudicare, vtrum benè operentur. Ro.
Rom. 14. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum*,&c. sed illos Domi-
Esa. 3. nus iudicabit. Esa. 3. *Stat ad iudicandum Dominus.* Et sequitur verbum ad Prælatos. *Vos depasti estis vineam meam: rapina pauperis in domo vestra.*

QVÆSTIO XXXIV.

De Quinto Præcepto Decalogi. Non occides.

D.Tho. 2.2.q.64. S. Bonauen. in 3. d 37. du. bi. 5.

In tria Membra, & septem Articulos diuisa.

QVærendum est secundùm ordinis exigentiam de
Exod 20. quinto præcepto & mandato Decalogi: quò dicitur.
Deuter. 5. *Non occides* Exod. 20. Deuter. 5.

§ Circa quod quæruntur tria. Primò, quid prohibeatur occidi. Secundò, quis prohibeatur occidere. Tertiò, quæ sit illa occisio, quæ hic prohibetur.

MEMBRVM I.

Quid hoc præcepto prohibeatur occidi.

CIrca prima primum quæruntur quatuor. Primò, vtrum hic prohibeatur occisio bruti animalis, an solius hominis. Secundò vtrum hic prohibeatur occisio sui. Tertiò, vtrum hic prohibeatur occisio malefici. Quartò, vtrum in aliquo casu possit innocens occidi, non præuaricando hoc præceptum?

ARTICVLVS I.

An hominis tantù, vel etiam brutorum animalium occisio præcepto hoc prohibeatur?

AD primum obiicerent hæretici in hunc modum. Qui furatur ouem, vel bouem, vel hominem; facit
contra præceptum. *Non furaberis*: sed æquè vniuersaliter Exod. 20.
per prohibitionem dicitur, *Non occides*, sicut, *Non furaberis*, Deuter. 5.
ergò qui occidit ouem, vel bouem, vel hominem; facit contra præceptum, non occides.

§ Item, qui occidit bouem proximi, constat quod peccat occidendo: sed peccare occidēdo hic prohibetur: ergò occidere bouem hic prohibetur.

§ Item, lex naturalis dictat omnia bona esse conseruanda, & non interimenda: quia de intentione naturæ est conseruare rem naturalem, & contra intentionem naturæ interimere. Sed omne brutum est res naturalis; & esse viuens secundùm suam naturam est bonum: ergò quicunque brutum interficit, peccat contra legem naturæ.

§ Item, si dicatur, quod quodlibet occidere non prohibetur: sed solùm hominem. Ergò non debuit vniuersaliter dici, *Non occides*, sed, *Non homicides*, quemadmodum quia coire non est prohibitum vniuersaliter, non dicitur,
Non coibis, sed, *Non mœchaberis*. ibidem.

§ Contra. August. loquens de hoc præcepto, *Non* August.
occides; dicit. *Quidam hoc præceptum in bestias ac pecora conantur* in lib. 1.
extendere: vt ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere. Cur ergò de ciuit.
non & herbas, & quicquid humi radicitus alitur & figitur? Nàm & Dei, c. 20.
hoc genus rerum, quamuis non sentiat, dicitur viuere: ac per hoc potest & mori: vnde Apostolus. Tu (inquit) quod seminas, non viuifi- 1. Cor. 15.
catur, nisi priùs moriatur. Et in Psalm. 77. *scriptum est. Occidit* Psal. 77.
vites eorum in grandine. Nunc igitur ob hoc cùm audimus, non occides: virgultum vellere nefas dicimus: & Manichæorum errori insanissimo acquiescimus.

RESOLVTIO.

Quinto hoc præcepto solius hominis occisio prohibetur; nec animantium brutorum: quippe quæ in hominis potestatem sunt vel ex institutione naturæ, vt ante peccatum, vel ex concessione diuina, vt post peccatum.

§ Solvitur secundùm August. vbi dicit. *His igitur de-* August.
liramentis remotis; cùm audimus, non occides, si propterea non acci- in eodē.
pimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus eis sensus est: nec de irrationabilibus animantibus, volatilibus, ambulantibus, natantibus, reptilibus, quia nulla ratione nobis sociantur, quàm non eis datum est nobiscum habere communem (vnde iustissima ordinatione Creatoris vita, & mors eorum nostris vsibus subditur) restat ergò vt de homine intelligamus, quod dictum est, *Non* Exod 20.
occides. Non alterum: ergò nec te: neque enim qui se occidit, aliud, quam hominem occidit.

§ Ad primùm & secundùm dicendum: quod à prima institutione factus est homo Dominus brutorum (Gen. 1. Genes. 1.
Vt præsit piscibus maris,&c.) sed non est factus Dominus hominis. Vnde cum Domini sit facere de re sua, quod vult: ex prima institutione post homo bruta occidere, & seruare, si vult, sine offensa: non sic hominem. Hoc autem dominium, non est ablatum homini per peccatum: nisi

quan-

quantum facta est appropriatio: vnde qui occidit bou m alterius, non peccat in eo quod est occidere: sed in eo qđ damnificat proximum in re propria: & ideo peccat contra
Exod. 20. istud præceptum, *Non furaberis.*

¶ Ad tertium dicendum: secundùm legem naturalem omnia bruta data homini in vsum: & vita sensibilis ordinata est ad sustentationem hominis: & ex concessione di-
Genes. 9. uina post peccatum. Vnde Genes. 9. *Quasi olera virentia tradidi vobis animantia: excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.*

¶ Ad vltimum dicendum, quòd quemadmodũ cùm
Exod. 20. dicitur: *Non mœchaberis*, prohibetur omnis coitus inordinatus: & tamen non omne coire inordinatum est mœcha-
Ibidem. ri: ita cùm dicitur; *Non occides*, prohibetur omne occidere inordinatum: occidi autem brutum à domino suæ vitæ, non est inordinatum.

ARTICVLVS II.

An casu aliquo liceat se ipsum interficere?

POSTMODVM quæritur: Vtrùm in hoc præcepto prohibeatur occisio sui? Et videtur, quod non: quoniam mandata secundæ tabulæ ordinant ad proximum: prohibetur ergo in hoc præcepto occisio proximi tantùm, ergo non sui.

¶ Ideo quæritur: vtrùm casu aliquo possit aliquis interficere se licitè. Et ponatur in quæstione: vtrùm causa vitandi peccatum, vel causa alicuius incommodi, vel adipiscendæ gloriæ possit aliquis se interficere? Quæritur ergo: vtrùm virgo, quæ se interficit, ne violenter defloretur, peccet.

1. Cor. 9. ¶ Ad quod sic, 1. Cor. 9. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Ergo huic virgini bonum est magis mori, quàm deflorari: quia in defloratione gloria euacuatur. Ergo si interficit, melius eligit: ergo non peccat contra aliquod præceptum.

Iob 2. ¶ Item, Iob 2. *Pellem pro pelle: & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Ergo vita corporalis danda est pro salute animæ: sed hoc facit ista; posito quod hoc faciat propter timorem lapsus futuri.

¶ Item, anima in corpore corrupto per originalem miseriam comparatur ad corpus sicut captiuus aliquis ad
August. de anima & spiritu. Psal. 141. suum carcerem, vt dicit Augustinus, vnde Psalm. 141. *Educ de carcere animam meam.* Sed captiuus aliquis si rumpat carcerem, quo captiuus tenetur; non peccat abrumpendo: ergo à simili si aliquis occidat corpus, vt animam liberet; quæ in ipso detinetur tanquam captiua, non peccat, si hoc faciat amore libertatis gloriæ.

Matth. 5. ¶ Item, Matth. 5. *Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam* (& animam vocat ibi vitam.) Sed ille, qui se interficit illo desiderio, quo dicebat Apostolus: *Cupio dissolui, & esse cũ Christo:* perdit animã suam propter Deum, ergo inueniet eam.

Rom. 7. ¶ Item, Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ergo Apostolus appetebat ordinata voluntate liberationem animæ à corpore. Sed hæc est mors,
Plato. ergo mors ordinatè appetitur. Vnde etiam Philosophi dixerunt mortem philosophãtibus appetendam: & philosophiam definierunt meditationem moriendi. Ergo si aliquis illa eadem voluntate prorumpat in actum, sibi inferendo mortem, non peccabit.

¶ Item, Samson, qui connumeratur inter patres, qui
Iudic. 16. proponuntur nobis ad imitationem fidei; legitur se interfecisse, Iudic. 16. ergo ex causa consimili non erit culpa se interficere.

2. Mach. 14. ¶ Item, 2. Machab. 4. laudatur Razias, qui se interfecit: eligens nobiliter mori potius; quàm subditus esse peccatoribus: ergo, &c.

Rom. 3. ¶ Contra, Rom. 3. *Faciemus mala, vt veniant bona? absit.* Sed occidere hominem innocentem malum est: ergo non potest benè fieri propter bonum adipiscendum; ergo nec propter malum vitandum.

Aug. in 1. de Ciuit. Dei, c. 18. ¶ Item Augustinus: *Aliena libido non polluit: alioquin pudicitia virtus animi non erit.* Ex quo arguitur: si non est impudicitia, qua virgo inuita polluitur: non est iustitia, qua casta punitur. Si ergo interficiendo se virgo, ne defloretur, contra iustitiam occidit se; contra iustitiam facit manifestè: ergo peccat.

¶ Idem Augustinus: *Cur homo, qui nihil mali fecit, sibi malefaciat: & seipsum interficiendo, hominem interficiat innocentem: ne alium patiatur nocentem: atq; in se perpetret malum proprium, ne in eo perpetretur alienum.* Et iterum: *Si non licet priuata potestate hominem occidere etiam nocentem: cuius occidendi licentiam lex concedit: maleficos ne patiaris viuere super terram: profectò qui seipsum occidit, homicida est.* Et rursus: *Ne nobismetipsis necem inferamus, prohibitos nos intelligendum est, vbi lex ait: Non occides. quamuis non addiderit, proximũ tuum. Sicut falsum testimonium: cum vetaret, quamuis non dixerit aduersus proximum; non ideo si aduersus se testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum.* Idem in eodem. Idem. Idem.

¶ Item, ad idem sunt rationes philosophorum: quarum prima est Platonis, dicentis: *Constat nos esse sub Domino, de cuius tutela & prouidentia gubernamur: nihil autem est inuito Domino de his, quæ possidet; ex eo loco, in quo rem constituit, auferendum.* Ex quo arguit. Sicut ergo, qui vitam alieno mancipio extorquet, crimine nõ carebit: ita ille qui finẽ, id est mortem sibi, Domino needum iubente, quæsierit; non absolutionem consequitur, sed reatum.

¶ Item ad idem Plotinus Philosophus: *Cùm anima à corpore violenter extruditur: quia exijt rupto vinculo, non soluta: fit ei ipsa necessitas occasio passionis: & malo vinculo, dum rumpit, inficitur.* Plotinus [illegible]

¶ Item, cùm constet animabus remunerationem esse tribuendam pro modo suæ perfectionis, ad quam in hac vita vnaquæq; peruenit; non est præcipitandus vitæ finis: cùm adhuc proficiendi possit esse accessio.

¶ Item, animabus in hac vita lapsis, post mortem nõ est facultas resurgendi: ergo vtendum est concessis vitæ spatijs; vt perfectè purgationis sit facultas.

¶ Item, qui finem celerem spe fruendæ beatitudinis accelerat: irretitur laqueis passiõis: quia spes sicut timor passio est: sed irretito laqueo passionis cœlestis habitaculi aditus patere non potest. Ex his igitur concludunt, quòd mors non est contra ordinem cogenda naturæ: ergo nullus potest se licitè interficere.

RESOLVTIO.

Nullo vtiq; casu, nullo prorsus prætextu seipsum interficere licet.

¶ Quod concedendum est. Et dicendum secundùm B. Augustinum, quòd in sanctis canonicisque libris nunquam nobis diuinitùs præceptum permissumve reperiri potest: vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius cauendi carendive mali causa nobismetipsis necem inferamus: & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait: *Non occides.* Aug. in 1. de Ciuit. Dei, c. 20. Exod. 20.

¶ Ad primum ergo, quod obijcit. Dicendum secundùm Augustinum, quòd regula diligẽdi proximum à nobis incipit, quia scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* vnde falsi testimonij non minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret. Ita etiam intelligendum est nõ licere homini seipsum occidere: cùm in eo quod scriptum est, *non occides*, nec ille, cui præcipitur, intelligatur exceptus. Ex quo patet, quòd quamuis præcepta secundæ tabulæ ordinent ad proximũ: non propter hoc minus ordinant hominem ad seipsum: immò ordo ad seipsum primò intelligitur: sicut patet per hoc, quod dicit August. quòd regula diligendi proximum à nobis accipit. Aug. ibi. in eodẽ. Matth. 5. Exod. 20. August.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: bonũ est mihi magis mori, &c. Dicendum, quòd gloriam, quæ apud Deum est, nõ amittit virgo, quæ inuita comprimitur: dummodò sancta & stabilis voluntas perseueret: immò (sicut dixit B. Lucia) si inuitam me feceris violari: castitas mihi duplicabitur ad coronam. Et B. August. *Illis virginibus, quæ per vim passæ sunt, non est ablata castitas, sed humilitas persuasa.* Cùm ergo non euacuetur gloria: non debet eligi incommodum ad vitandum malum, quod inuita patitur. Aug. 1. de Ciu. Dei, cap. 16.

¶ Ad aliud, quod dicitur: quòd cuncta quę habet homo, dabit pro anima sua. Dicendum, quod dare intelligitur inculpabiliter: sed sic dare vitam suam, scilicet interficiendo se, est peccatum: vnde Augustinus ostendit esse detestabile, dicens: *Si detestabile facinus, & damnabile scelus est etiam seipsum hominem occidere; sicut veritas manifestè proclamat: quis ita desipiat, vt dicat iam nunc peccemus, ne postea peccare possimus? iam nunc perpetremus homicidium, ne postea incidamus in adulterium. Nonne si tantùm dominatur iniquitas, vt non innocentia, sed peccata potiùs eligantur, sanctiùs est incertum de futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere quod pœnitendo sanetur; quàm tale facinus, vbi locus salubris pœnitentiæ non relinquatur.* (Idem eodem lib. cap. 25.)

¶ Ad aliud dicendum secundùm Platonis similitudinem: eos, qui potestatis imperio traduntur in carcerē, non oportere inde defugere, priusquam potestas illa quæ clausit, abire permiserit: nec vitari pœnam furtiua discessione, sed crescere.

¶ Ad aliud soluendum secundùm Sanctos: quod anima dicitur vita animalis: quæ vno modo pro Christo intermenda est à nobis: alio modo saluanda. Vnde distinguitur duplex mors secundùm distinctionem Platonis, qui duas hominis mortes asserit: vnam natura, alteram virtutes præstant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinquit solum lege naturæ: mori etiam dicitur, cùm adhuc anima in corpore constituta, corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit: & cupiditatum dulces insidias, reliquasque omnes excutit passiones. Hanc ergo mortem dicit Plato sapientibus appetendam: illam verò, quam omnibus natura constituit, cogi, vel inferri, vel accersiri vetat, dicens expectandam esse naturam. Quando ergo dicitur, *qui perdit animam*, sic debet intelligi, id est qui moritur voluptatibus. Nō intelligitur propter hoc, quod debeat perdi vita corporalis: tamen si auferatur pro Christo, patienter est sustinendum.

Plato.

Idem.

Matth. 10

¶ Ad aliud obiectum similiter soluendum est secundùm Sanctos & Philosophos, qui in hac veritate conueniunt: & illam solam de voluntarijs mortibus significant esse laudabilem, quæ comparatur Philosophiæ ratione non ferro: prudentia nō veneno. Addunt etiam illam solam naturalem esse mortem: vbi corpus animam, non anima corpus relinquit. Constat enim numerorum certam, constitutamque rationem animas sociare corporibus. Hi numeri, dum supersunt, perseuerat corpus animari: cùm verò deficiunt, mox arcana illa vis soluitur: qua societas illa constabat. Anima ergo ipsa non deficit: quippe quæ immortalis & perpetua est: sed impletis numeris corpus fatescit: nec anima lassatur animando; sed officium suum deserit corpus, cùm iam non possit animari. Secundùm hoc ergo dicendum: quod mortem spiritualem qua moritur anima vitijs; debet quis optare propter Deum: mortem autem corporalem non debet sibi inferre: nec vitam corporalem sibi auferre: sed si ab alio inferatur, æquanimiter sustinere.

¶ Ad septimum, quod obiicitur de Samsone: Dicendum secundùm Augustinum, vbi dicit: *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit; nisi quia latenter spiritus hoc iusserat: qui per illum miracula faciebat.* (Aug. in 1. de Ciuit. Dei, cap. 21.)

¶ Ad illud, quod obiicitur de Razia, qui se interfecit: Dicendum secundùm Augustinum, vbi dicit: *Multi se interemerunt, ne in manus hostium peruenirent. non modò quærimus, vtrùm sit factum: sed vtrùm fuerit faciendum? Sana quippè ratio etiā exemplis anteponenda est, cui quidem & exempla cōcordant: sed illa quæ tantò digniora sunt imitatione: quantò excellentiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli: quia & ipse Dominus Iesus Christus, quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de ciuitate in ciuitatem: potuit admonere, vt sibi manus inferrēt, ne in manus persequentium peruenirent.* Ex hoc vult dicere Augustinus, quòd nullus debet sibi inferre manus, vt hostes effugiat: vnde Razias non laudatur, quòd se interfecit: sed laudatur propter zelum legis: quia ex hoc ostenditur, quòd se interfecit: licèt hoc facere non debuerit, id est seipsum interficere. (Aug. eodem lib. c. 23.)

ARTICVLVS III.

An & malefici prohibeantur sub eodem præcepto occidi.

DEINDE quæritur: Vtrùm in hoc præcepto prohibeatur occisio hominis malefici? Quia indeterminatè dicitur, Non occides. Ad quod sic Matth. 13. *Vis, eamus, & colligamus zizania:* Et respondet, *Sinite vtraq; crescere, vsque ad messem.* Cùm ergo zizania (sicut ibi interpretatur Dominus) sint hæretici, messis verò iudicium diuinum; non erunt secundùm hoc eradicandi: ergo nec occidendi: sed diuino iudicio relinquendi. (Matth. 13.)

¶ Item, Sapient. 12. dicitur de iudice æterno: *Iudicans das locum pœnitentiæ.* Et Iob 24. *Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbiam.* Et Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur.* Si ergo iudex temporalis debet se conformare iudici æterno: debet pœnitenti dare locum pœnitentiæ, nec ipsum interficere. (Sap. 12. Iob 24. Ezech. 18.)

¶ Idem, Matth. 5. *Solem suum facit oriri super bonos & malos* Malos ergo conseruat, & non interficit. Sed quod ipse facit ex misericordia, vult nos imitari: ergo vult quod cōseruemus malos, & non occidamus. (Matth. 5.)

¶ Item, ad idem facit illud Ioan. 8. vbi dicitur: quòd mulierem adulteram liberauit, quæ secundùm legem erat lapidanda. (Ioan. 8.)

¶ Item, Matth. 19. dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Sed Deus animam corpori corpori coniunxit. ergo quicunq; illam separat, peccat: sed quicunq; interficit maleficum, hoc facit: ergo peccat. (Matth. 19.)

¶ Item, Tob. 4. *Ne alij facias, quod tibi non vis fieri.* Sed si tu esses reus mortis, nolles tibi mortem inferri: ergo non debes illud alij inferre, etiam malefico. (Tob. 4.)

¶ Item Greg. *Reos sanguinis defendat ecclesia: ne effusionis sanguinis particeps fiat.* (Gregor. in Canon 23. q. 5.)

¶ Item Augustinus de quibusdam reis mortis ita scribit: *Pœna illorum, quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te vt præter supplicium mortis sit, propter catholicam mansuetudinē cōmendandam.* Ex his igitur videtur: quod quamuis licitum sit maleficum punire, non tamen interficere. (August. ad Marcellinum.)

¶ Contra, Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Præceptum igitur est, vt interficiantur malefici: sed præceptum non est præcepto contrarium: ergo hic prohibentur occidi. (Exod. 22.)

¶ Item Rom. 13. de iudice terreno: *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit.* Si ergo occidendo maleficum minister Dei est: non agit contra hoc præceptum. (Rom. 13.)

¶ Item B. Cyprianus super illud Deut. 13. *Si audieris in vna de ciuitatibus tuis dicentes: eamus, seruiamus dijs alienis: interficiens necabis omnes, qui sunt in ciuitate cæde gladij.* Cuius præcepti memor Mathathias, 1. Mach. 2. interfecit illum, qui super altare sacrificabat. Quod si ante aduētum Christi hæc præcepta seruata sunt: quando ille veniens, non solùm verbis hortatus est nos, sed & factis. (Cyprian. sup. Deut. 13. 1. Mach. 2.)

¶ Item Hieronymus: *Non est crudelitas pro Deo crimina punire, sed pietas:* vnde Deut. 13. *Si frater tuus, & amicus, & vxor, quæ in sinu tuo dormit, damnare voluerint veritatem: sit manus tua super ipsos: & effundes sanguinem ipsorum.* (Hieron. ad Riparium. Deut. 13.)

¶ Item Rom. 3. *Nunquid iniquus Deus, qui infert iram,* id est vindictam? quasi dicat, non: ergo nec similiter iudex, si inferatur eius ministerium. (Rom. 3.)

¶ Item Rom. 1. dicitur: *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et cap. 2. dicitur: *Iudicium Dei est in eos, qui talia agunt.* Ergo secundùm iudicium Dei digni sunt morte. Sed cap. 13. dicitur de iudice, quod minister Dei est: ergo quos Deus iudicauit ad mortem, debet iudex interficere; & maximè illos, qui per legem diuinam adiudicati sunt morti: sicut dicitur Luc. 19. *Inimicos meos, qui noluerunt me regnare super eos, adducite huc. & interficite.* Ex quo habetur, quòd hæretici & inimici Christianæ religionis sunt interficiendi. (Rom. 1. & cap. 2. Cap. 13. Luc. 19.)

RESO-

RESOLVTIO.

Maleficus inquantum homo prohibetur occidi: inquantum autem maleficus non prohibetur occidi: ab illo tamen qui potestatem habet occidendi.

¶ SOLVTIO. Homo maleficus, qui reus est mortis, potest interfici dupliciex causa: quia homo est: aut quia maleficus. Quia homo est, cùm interficitur odio personæ: & hoc modo prohibetur, cùm dicitur: Non occides, supple hominem, quia homo. Quia maleficus est, occiditur, cùm interficitur odio malitiæ, & amore iustitiæ. Et tunc distinguendum: aut occiditur ab illo, qui habet ad hoc potestatem à principe seculari: & secundùm hoc non prohibetur hic interfectio malefici. Aut interficitur ab illo, qui non habet potestatem: & secundùm hoc prohibetur hic, prohibetur enim hic occisio hominis, inquantum homo, & occisio malefici inordinata. Et hoc est quod dicit Hieronymus: Qui malos percutit in eo, quod mali sunt: & habet causam interfectionis, id est potestatem, vt occidat pessimos; minister Dei est.

Hiero. li. 3 super Ezech.

¶ AD primum ergo, quod obijcitur, dicendum: quòd interfectio vel excõmunicatio hæreticorum vel hostium ecclesiæ in duplici casu solùm intelligitur interdicta: Primò, cùm malitia non est nota: quod notatur per hoc quod dicitur, *cùm creuisset herba*, in herba enim similia sunt triticum & zizania, vnde Beda super illum locum Matth. 13. *Sinite*. Hoc videtur contrarium illi Apostolico 1. Corint. 5. *Auferte malum ex vobisipsis*. Sed sicut inter lolium & triticum: quamdiu herba est, parum distat: ita monet Dominus ne de ambiguo iudicemus: quia Dominus in die iudicij non suspiciosè, sed manifestè damnabit. Secundus casus est, quando simul multitudinem contingeret euelli à fide: sicut aliquando contigit in excommunicatione Principum, quos sequitur multitudo: vel ipsius multitudinis, qđ notatur, cùm dicitur: *ne simul eradicetis & triticum*. Augustinus ibi dicit: *Multitudo non est excommunicanda, nec Princeps populi* cùm (scil.) ex hoc accideret detrimentum ecclesiæ, vel rei publicæ. 2. Regum 19. cùm Abysai vellet occidere Semei maledicentem Dauid, dixit Dauid: *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ, cur hodie mihi efficimini in satan?* quia timebat, ne ex eius interfectione turbaretur regnum. Vbi verò aliquid istorum non acciderit, ministris dicitur: alligate per fasciculos ad comburendum. Nunquam enim vult Dominus seruari zizania propter se, sed propter triticum; ne simul euellatur: vbi ergo nõ timetur tritici auulsio, zizania sunt à tritico separanda.

Matt. 13. Beda super ibi. 1. Cor. 5.

Matt. 13. August. ibidem.

2. Reg 19.

¶ AD secundum dicendum, secundùm Augustinum: Distinguit enim, quòd quidam sunt flagitiosi, qui peccant in se: quidam flagitiosi, qui peccant in alios eis nocendo: & contra tales, qui nocent proximis, datę sunt leges, vt cito de medio rapiantur: quia scil. sunt velut membra putrida in corpore societatis humanæ, & ideo à societate sunt abscindendi: primi verò ponuntur ad pęnitentiam. Vnde Aug. Quis nõ intelligat, magis beneficium, quàm supplicium nominandum, vbi nec seruanda relaxatur audacia: nec puniendi salutaris medicina subtrahitur.

Aug. de decem cordis.

Idem ad Marcellinum.

¶ AD tertium dicendum: quòd malefico reo mortis præstatur beneficium, cùm punitur morte. Nam si patienter sustineat, & conteratur; valet ei ad expiationem peccati, iuxta illud Naum 1. *Non consurget duplex tribulatio, nec iudicabit Dominus bis in idipsum*. Quod est intelligendum secundùm Hieronymum, cùm in præsenti vita peccatum sufficienter punitum est. Præterea subtrahitur ei facultas peccandi in futurum, ad quam pronus est. Præterea, ex eius morte mali alij coercentur vel emendantur; sicut dicitur Rom. 13. *Si malè feceris, time ne forte non tibi parcat*.

Naum 1.

Hieron.

Rom. 13.

¶ AD quartum dicendum secundùm Augustinum super illud: *Stetit Phinees, &c.* Reuelato testamento, leuiorem voluit Deus fieri disciplinam, id est pœnam ad correptionem: quia multa crimina morte corporali plectebantur, quæ modò non puniuntur.

Aug. super Psal. 105.

¶ AD quintum dicendum, quòd cùm iudex iustè maleficum occidit: ipse, quod Deus coniunxit, non separat: immò ipse Deus, cuius auctoritate hoc facit. Vnde Augustinus: *Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti: sicut adminiculum gladius vtenti*. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt: quo dictum est: Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt: aut personam gerentes publicæ potestatis, & secundùm eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt.

Idẽ Aug. lib. 1. de ciu. Dei, cap. 21. Exod. 20.

¶ AD sextum dicendum: quòd illud sic debet intelligi. Quod ibi non vis fieri, &c. scilicet ordinatè & illicitè. Maleficus autem damnatus deberet voluntate ordinata secundùm diuinam legem se velle interfici, vnde quamuis nolit voluntate inordinata, non debet iudex nolle illud. Vnde Hieronymus: *Non est crudelis, qui crudeles iugulat: sed crudelis patientibus esse videtur: nã suspensus latro patibulo crudelem iudicem putat.*

Hierony. super Isa.

¶ AD septimum, quo dicitur: quòd reos sanguinis defendat ecclesia, &c. intelligendum est, cùm fugiunt ad ecclesiam: tunc eos defendat: nec eos tradat laicæ potestati.

¶ AD octauum dicendum: quòd (quemadmodum dicitur 23. quæst. 5.) quamuis Augustinus pro illis sceleratis supplicando, spatium vitæ ei reseruari poposcerit: non tamen legum seueritatem, qua tales morte plectuntur: non obseruandam docuit. Vnde Augustinus: *Nolumus tamen passiones seruorum Dei quasi vice talionis paribus supplicijs vindicari: non quò sceleſtis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri: sed hoc magis sufficere volumus, &c.* Ex his relinquitur, quod cùm dicitur: *Non occides*, non prohibetur occidi maleficus, secundùm quod exponitur Exod. 23. *Innocentem & iustum non occides.*

can. 23. q. 5

Aug. ad Marcellinũ, ep. 158

Exod. 20. Exod. 23.

ARTICVLVS IIII.

An aliquo casu possit innocens occidi absque præuaricatione præcepti?

CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm in aliquo casu possit innocens occidi, non præuaricando pręceptũ? Et ponamus casum. Esto quod aliquis conuictus sit secundùm iura per falsos testes de crimine, quo secundùm leges dignus est morte: iudex verò scit ipsum esse innocentem: quid faciet iudex? Si interficitur, transgreditur pręceptum Dei, *non occides iustum*, quia scriptum est consequenter, *interfice maleficum*: ergo peccat mortaliter.

Casus.

Exod. 22.

¶ CONTRA, Ambrosius: *Iudex non debet iudicare secundùm suam priuatam conscientiam, quam apportauit de domo: sed secundum iura, & allegata, & probata coram ipso: dum sedebat pro tribunali.* Cùm igitur prædictus iudex faciat, quod debet; non peccat.

Ambros.

¶ ITEM similiter quæritur de Præposito, cui Rex præcipit aliquem secundùm allegata falsa interficere: & illud scit Præpositus solus, quid faciet? Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*: sed Deus prohibet innocentem interfici, Rex contrarium, ergo non debet interficere.

Casus.

Act. 5.

¶ CONTRA. Iste iudicatus est à Rege, ergo cùm Prępositus non se debeat ponere iudicem super Regem; debet interficere.

¶ ITEM, si non interficiat, quia dicit eum iustum, eadem ratione aliquis iustè damnatus euaderet; quia aliquis amicus eius diceret eum esse innocentem: & ita periret potestas secularis, & pax, & societatis humanæ concordia.

RESOLVTIO.

Nullo casu: nisi ita per allegata & approbata constiterit: nec iustè aliter à morte eripi potuerit.

¶ SOLVTIO. Ad primum dicendum, quòd iudex in prædicto casu debet facere quicquid potest, vt illum liberet: dummodò non faciat contra iustitiam, prudenter examinando falsos testes; vt exemplo Danielis possit eos cõuincere de falsitate, & repellere. Vel debet eum ad superiorem remittere iudicandum: vel opportunitatem fugiendi, si potest, concedere. Si autem non potest eum libe-

rate aliquo modo, nisi cõtra iustitiam faceret: si ferat sententiam secundum allegata, & nihil omittat de contingentibus iuris, creditur non peccare.

§ QVOD verò objicit, quòd condemnat iustum: falsum est, per se loquendo: non enim condemnat, qui iustus est inquantum iustus: sed quia iniustus probatus est, & dignus inuentus morte.

§ AD secundum, quod quærit de Præposito: dicendum, quòd si sententia iudicis exprimat errorem, vel iniustitiam, non tenetur eum interficere. Si non, tenetur facere quod in se est, vt liberet innocentem: quod si non possit, creditur non peccare: tunc enim imputatur iudici, non Præposito. Et in hoc casu valet illa auctoritas. Ille facit, cuius auctoritate fit. Augustinus: *Non ille occidit, qui ministerium debet iubenti: sicut adminiculum gladius vtenti.*

Aug. in li. 1 de Ciu. Dei, c. 21.

MEMBRVM II.

Quis prohibeatur occidere?

QVÆSITO, quis prohibeatur occidi: quæritur quis prohibeatur occidere? Et quæruntur tria: Primò, an generaliter quilibet prohibeatur occidere? Secundò, an illæ personæ, quæ non habent potestatem, prohibeantur occidere? Tertiò, an illi, qui habent spiritualem potestatem, prohibeantur pariter occidere.

ARTICVLVS I.

An generaliter quilibet præcepto hoc prohibeatur occidere?

AD primum (quamuis in parte tactum sit) objicitur in hunc modum, Matth. 26. *Omnis, qui acceperit gladium gladio peribit.* Ergo quicunq; gladio interficit, est reus æternæ mortis.

Matt. 26.

§ ITEM, Matth. 5. *Qui occiderit, reus est iudicio.* Dictum est antiquis: non occides: ego autem dico vobis, non resistere malo. Ergo pro vita propria defendenda non est occidendum.

Matth 5

§ ITEM 1. Paralip. 28. Prohibitus est Dauid ædificare domum Domini: quia vir erat fundens sanguinem.

1. Paral. 28.

§ ITEM, Num. 25. *Surrexit Phinees, &c.* ibi dicit Origen. *Hæc ædificauerunt priorem populum Domino: tibi autẽ, qui à Christo redemptus es, gladius de manibus ereptus est.* Ergo non licet Christiano occidere.

Num. 25. Origen.

§ ITEM, Augustinus de Donatistis dicit: *Immanitate scelerum, occisione terribilium legum, ne æterni iudicij pœnas luat; corrigi cupimus, non necari.*

Aug. epi. 157 & 158. ad Marcellinum.

§ ITEM, Matth. 13. *Sinite crescere zizania vsq; ad messem. Inimicus superseminauit, &c.* Augustinus: *Cùm spiritualis homo audit seminationem esse à diabolo, qui nihil valet contra auctoritatem Dei: potest ei voluntas subirrepere, vt tales auferat de mundo, si facultatem habet. Sed consulat iustitiam Dei: an Deus hoc velit esse officium hominum. Sed veritas respondet: non nosse hominem, qualis futurus sit, qui modò errat: vel quid error eius bonis conferat: & ideo non esse tollendos, ne boni interficiantur, qui fortè futuri sunt: vel ne bonis obsit, quibus ij prosunt.* Ex quo videtur exprimi, nulli homini, licèt habeat potestatem, licere interficere.

August.

§ FORTE dicetur secundùm Augustinum, & alios Sanctos, quod interficere spontaneè & propria auctoritate nulli licet; sed interficere ex obedientia & auctoritate legum, siue Dei, licet. Vnde Augustinus: *Miles cùm obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit: nulla ciuitatis suæ lege homicidij reus est: quod si sua sponte & auctoritate fecisset, crimen humani sanguinis incidisset.* Item: *Cum minister iudicis occidit eum, quem iudex iubet; rectè occidit. si id sponte facit, homicida est.* Idem: *Officia vindictæ possunt impleri bono animo: quomodo iudex, quomodo lex.* Si sic dicatur. Contra Sapient. 1. *Deus mortem non fecit: nec delectatur in perditione viuorum.* Ergo eius auctoritate vel obedientia nullus occidit.

Idem 1. de Ciuit. Dei.
Idem in quæst. 0. sub is super Exodum.
Idem super Matt.

§ CONTRA, videtur quod debeant interfici de mandato Domini, Exod. 21. *Si quis percusserit hominem, volens occidere morte moriatur.*

Exod. 21

§ ITEM, *Si quis per industriam occiderit hominem, vel per insidias; ab altari meo euelles illum, vt morte moriatur.*

Ibidem.

§ ITEM, Exod. 32. *Ponat vir gladium super fœmur suum.* Et sequitur: *Occidat vnusquisque fratrem, [illegible], & proximum suum.*

Exod. 32.

§ ITEM, 2. Thess. 2. de Antichristo dicitur: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.*

2. Thess. 2.

§ ET Apoc. 19. *De ore eius procedebat gladius ex vtraq; parte acutus: vt in ipso percutiat gentes.* Si ergo ipse Christus Dominus interficit: interficere secũdum se malum erit: nec eius auctoritate interficere illicitum erit.

Apoc. 19.

RESOLVTIO.

Generaliter quilibet prohibetur præcepto hoc occidere; qui aut nocẽdi cupiditate, aut iniustè aliquid obtinendi, mortem inferre tentat, secus si aut obediendi ordine, aut subueniendi necessitate id fecerit.

§ SOLVTIO secundùm Augustinum, vbi dicit: *Cùm homo ab homine occiditur: multum distat, vtrum fiat: it nocendi cupiditate, sicut fit ab inimico: vel iniustè aliquid auferendi, sicut fit à latrone: aut obediendi ordine, sicut fit à iudice: vel subueniendi necessitate, sicut hostis à milite.* In primis duobus casibus nulli potest esse licitum interficere: in duobus vltimis licitum est. Vnde Augustinus: *Si homicidium est hominem interficere, potest tamen occidere aliquando sine peccato: nam miles hostem, & iudex & minister nocentem, non mihi videntur peccare, cùm hominem occidunt.*

Augu. in quæst. super Matt.
Idem 1. de libero arbitr. ca. 4

§ AD primum ergo quod objicitur, dicendum secundùm Augustinum: *Qui acceperit gladium, &c.* Ille gladium accipit: qui nulla superiori ac legitima potestate, vel iubẽte, vel concedente in sanguinem alicuius armatur.

Aug lib. 22. cõtra Faustum Manich.

§ AD secundum dicendum secundùm Augustinum: *Dictum est ne resistatis malo: ne fortè nos vindicta delectet: quæ alieno malo animum pascit: non vt correctionem hominum negligamus.* Præterea: * *Ista præcepta patientiæ magis ad præparationem cordis, quæ intus est, pertinere; quàm ad opus, quod in aperto fit: vt teneatur in secreto patientia cum beneuolentia; in manifesto id fiat, quod eis videtur prodesse.* Et sequitur: *Ipsa quoque beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper est in voluntate complenda: agenda autem sunt multa cum inuitis quadam benigna asperitate plectendis: quorum potius vtilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium.*

Aug ad Publicolam.
* Idem in serm. de puero Centurionis.
Ibidem.

§ AD tertium, quod objicitur de Dauid: dicendum, quod prohibitus est: quia aliquando occidit illicitè & iniustè, vt Vriam.

§ AD quartum, quod objicitur de Gloss. Origen. patet solutio per illud, quod sequitur: *Gladius ereptus est, & datus est gladius spiritalis.* Loquitur enim de sacerdotibus, quibus gladius materialis ereptus est.

Glo. Origen. super Num. 25.

§ AD quintum dicendum, quòd Augustinus sperabat illos per præsentia supplicia emendari: & ideo cupiebat eos corrigi, non necari. Aliter esset de illis, qui essent obstinati in malo: qui si semper viuerent, semper peccarent.

§ AD aliud patet responsio ex prædictis. Intelliguntur enim tunc zizania cum tritico seminanda, cùm malitia occulta est, aut cum manifesta, sed eorum commixtione fides & pax ecclesiæ detrimentum non patitur, secundùm Augustinum, & Bedam.

§ AD illud, quod objicitur: Deus mortem non fecit. Soluitur in Glos. id est, causam mortis, scilicet peccatum. Vel aliter: dupliciter sumitur mors: vno modo pœna & angustia in separatione animæ & corporis: & hoc est aliquid, & à Deo: alio modo pura carentia vitæ: & sic est in non ens, nec aliquid eius est, nisi defectus.

Sapient. 1. Glossa ibi.

ARTICVLVS II.

Si illi, qui potestatem non habent occidendi, vniuersaliter præcepto hoc prohibeantur occidere.

DEINDE quæritur: An illi, qui non habent potestatem, vniuersaliter prohibeantur maleficium occidere,

Exod.22. re, cùm dicitur: *Non occides?* Committitur autem occisio tribus modis, scilicet voluntate, necessitate, & casu.

An qui amore iustitiæ, aut odio nequitiæ maleficum quempiam occideret, tametsi ad eum non pertineat, contra propositum præceptum, Non occides, *committat?* §. 1.

¶ QVÆRITVR ERGO primò de illo, qui non habet potestatem, si ex proposito, & amore iustitiæ, & odio malitiæ, secundùm leges interficiendi occidendo, peccet: & faciat contra hoc præceptum, *Non occides?* Ad quod sic
Exod.22. Ambrof. Ambrof. *Puniuntur peccata per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tempus vtuntur: puniuntur peccata etiam per populos, sicut legimus; quia sæpè ab alienigenis Dei iussu excitatis propter diuinæ maiestatis offensam subactus est populus Iudæorum.* Sed constans est, quòd populi nô erant constituti iudices: & tamê erant à Deo incitati ad vindicandam culpam Iudæorum. Arguatur ergo: nullus excitatus à Deo ad aliquid agendû, si facit illud, peccat, faciendo illud, ad quod à Deo excitatur: sed tales erant populi à Deo excitati: ergo non peccabant occidendo Iudæos.

¶ ITEM, nullus faciens secundùm legem facit contra hoc mandatum: sed demonstrato aliquo malefico digno morte, verum est quòd iste secundùm legem est interficiendus: ergo qui interficit illum, facit secundùm legem, ergo non peccat.

¶ ITEM, Moyses, qui in omnibus commendatur: interfecit Ægyptium rixantem cum Israëlita, Exod. 2. & tamen tunc non habebat iudiciariam potestatem, vnde di-
Exod. 2. citur ei: *Quis te constituit iudicem super nos.* Ergo primum.

Aug. 1. de Ciu. Dei. ¶ CONTRA, Augustinus: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida iudicabitur: & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem vsurpare non timuit.*

Can. 23. q. 8. post princ. ¶ ITEM, dicit Canon: *Omnis præter illum, vel auctoritatê eius, qui legitima potestate vtitur: qui (vt ait Apostolus) nô sine causa gladium portat, cui omnis anima subdita esse debet: omnis (inquam) qui præter huiusmodi auctoritatem gladium acceperit, gladio peribit.*

RESOLVTIO.

Si voluntate id faciat, omnino peccat: si autem aut necessitate, aut casu, & peccat, & non peccat.

¶ SOLVTIO. Sicut dictum est, non habens potestatem, aut interficit voluntate, aut necessitate, aut casu. Primo modo simpliciter & indistinctè est illicitum. Secundo modo & tertio aliquando licitum, & aliquãdo illicitum, sicut post manifestabitur. Vnde nota ad hoc: quòd (sicut dicitur in legenda beatæ Luciæ) homo potest esse minister mortis, non vitæ: quia omnis vita à Deo solo est: nec eam dari voluit per ministerium. Sicut ergo auferre rem alterius sine sua auctoritate & voluntate est semper illicitum: sic, & multo fortiùs occidere: quod est auferre vitam sine Dei voluntate & auctoritate, cuius propriè est vita, & cuius solius est viuificare, semper erit illicitû, vnde Deut.
Deut. 32. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Ideo quicunque non accipit potestatem vel à diuina auctoritate, quæ est in lege: vel ab eius voluntate, scilicet Dei, intellecta per internam inspirationem; si interficit, facit contra illud præcep-
Exod.22. tum, *Non occides.*

Can. 33. quæst. 5. ¶ AD primum ergo, quod obijcitur secundùm Ambr. Distinguendum, secundùm quod dicitur in Canone, quod peccata aliquando puniuntur per nescientes, aliquando per scientes. Per nescientes, sicut per Sennacherib popu-
Esai. 10. lus Iudæorum, Esa. 10. & per Nabuch. 4. Reg. vltim. & per
4. Reg. vl. Antiochum 1. Machab. 1. Vnde de Sennacherib dicitur:
1. Mach. 1. *Væ Assur, virga furoris mei.* Et sequitur: *Contra populum furoris*
Esai. 10. *mei mandabo illi, vt auferat spolia.* Et sequitur: *Ipse autem non sic arbitrabitur: & cor eius non ita existimabit.* Per scientes, sicut per filios Israël punita sunt peccata Amorrhæorum. Iosue per totum. In primo casu excitatur à Deo voluntas ignorans quantum ad punitionis actionem, quæ iusta est: sed nunquam ad actionem hominis, quæ peruersa est, vnde
Esai. 10. Esa. 10. *Assur virga furoris* (qua scil. ego gẽtes punio pro peccato) *sed ipse non sic arbitrabitur: sed cor eius erit ad conterendum,* & c. ac si diceret, nô est ad hoc eius intentio. Ex quo patet: quòd quamuis hoc fecerit diuina auctoritate, non tamen voluntate, & ideo illicitum. In secundo verò casu taxatur voluntas quantum ad actionem, & quantum ad intentionem: vt in bonis Israëlitis, qui ex obedientia mãdati Dei, & vt vindicarent diuinam iniuriam, Chananæos interfecerunt: & ideo licitè & meritoriè. Primo modo populus excitatus à Deo peccat: non ex excitatione diuina, sed ex malitia propria: secundo modo populus excitatus non peccat.

¶ AD secundum dicendum, quod non sequitur: multis de causis, iste interficiendus est secundùm legem: ergo qui interficit, facit secundùm legem. Ad interficiendum enim secundùm legem sufficit solus reatus, quo dignus fit interfici: ad interficientem verò secundùm legem requirũtur plura: iusta causa, iustus ordo, iustus anim'. Iusta causa, vt reus meruerit interfici, quia dicitur: *Innocentem & iustum non occides.* Iustus ordo, vt occidẽs habeat potestatem, Exod. 23.
& conuictum sit crimen. Augustinus. *Officia vindictæ possunt impleri; quomodo iudex, quomodo lex.* Et Ambrosius: *Totã massam corrumpit.* Si quis potestatem nô habet * quæ scit reum abijcere, vel probare non valet, immunis est: & iudicis nô est sine accusatione damnare: sicut nec Christus Iudam abiecit. Iustus animus, vt illud fiat solùm amore iustitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ. Vnde August. Aug. super Mat. 5. Ambr. super 1 Cor. 5. * al. quẽ, vel quæ.
Cùm minister iudicis occidit, quem iudex iussit occidi: profectò si id sponte facit, homicida est: etiam si eum occidit, quem scit à iudice debuisse occidi. Aug. in q. super Exodum.

¶ AD tertium dicendum secundùm Augustinum: Ille vtitur gladio, quod nulla superiore ac legitima potestate, vel iubente vel concedente, in sanguine alicuius armatur. Nã vtiq; Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferret: sed non iusserat, vt ferirent. Quid ergo incongruum est, si Petrus post hoc peccatũ factus est pastor ecclesię: sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector illius synagogæ? Vterq; enim non detestabili immanitate, sed emẽdabili animositate iustitiæ regulam excessit: vterque odio improbitatis alienæ: sed ille fraterno, iste Dominico licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Aug. lib. 22. cõtra Faustum.

An defendendo se, liceat alium interficere? §. 2.

¶ POSTEA quæritur de illo, qui non habet potestatem, & tamen cogitur necessitate, defendendo se: vtrùm faciat contra hoc præceptum? Ad quod sic: Secundùm leges, *vim vi repellere licet.* Et Augustinus dicit: quòd iusta lex est, quod dat potestatẽ vel viatori, vt latronẽ, ne ab eo occidatur, occidat: vel cuipiã viro ac fœminę, vt violẽter sibi stupratorẽ irruentem, ante illicitũ stuprũ, si possit, interimat. Aug. 1. de lib. arbit.

¶ ITEM Exod. 22. *Si effringens fur, &c.* August. *Si perfodiẽs inuentus fit fur: & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium. Si autem ortus fuerit super eum sol, reus erit.* Intelligitur ergo nô pertinere ad homicidiũ, si fur nocturnus occidatur: si autẽ diurnus, ad homicidiũ pertinere: hoc est enim, quod ait: Si oriatur super eũ sol, &c. quia poterat decernere, quod ad furandum, nô ad occidendũ venisset, & ideo non debet occidi. Exod. 22. August.

¶ ITEM, quod melius, scil. irruentem in se interficere, aut permitti se interfici ab eo: & magis præeligendum est? Sed dicit August. *Multo enim mitiùs est, eum qui aliena vitæ insidiatur: quàm eum, qui suam tuetur, occidi. Et multo est immaniùs hominẽ stuprum perpeti, quàm eum à quo vis infertur, ab eo cui inferre conatur, interimi.* Aug. lib. 1. de libero arbit.

¶ CONTRA, Augustinus: *Quomodo apud diuinam prouidentiam peccato liberi sunt: qui pro his rebus, quas inuiti amittere possunt, humana cæde polluti sunt?* Sed vitam temporalem quilibet inuitus potest amittere: ergo nô est sine culpa, si pro ipsa tuenda hominem interficit. Idem in eod. ca. 5.

¶ ITEM, præceptum est, non occidere hominem, scil. auctoritate propria: sed iste, qui impetitur ad mortem ab alio, non est iudex, nec minister legis: ergo si interficit, interficit auctoritate propria.

¶ ITEM, August. *Potest illi legi quæ tuendorum ciuium causa vim hostilem eadem vi repelli iubet, sine libidine obtemperari: & de omnibus ministris, qui iure atq; ordine potestatibus quibusq; subiecti sunt, id dici potest. Sed illi homines, lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video: non enim eos lex cogit occidere: sed relin-* Idem in eodem.

sunt in potestate libidinum ita; est eis neminem necare pro his rebus, quas inuiti possunt amittere: & ob hoc amare non debent. Ex hoc sequitur idem quod priùs.

Idem ad Publicolam.

¶ ITEM, Augustinus de occidendis hominibus: *Ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium; nisi fortè sit miles aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, accepta legitima potestate, si eius congruat personæ.*

¶ ITEM, si dicatur, sicut cõtingit in violatione sabbati: quòd necessitas facit licitum, quod aliàs esset illicitum: & ideo necessitas vitandi mortem excusat. Contra: qui dixit, non mœchaberis: dixit, non occides, in Decalogo. Si ergo necessitas non excusat in vno: ergo nec in alio. (Exod. 22)

¶ ITEM, quamuis aliquis impetatur ad mortem à muliere, vt cognoscat ipsam; tamen tenetur ipsam nõ cognoscere: ergo quamuis aliquis impetatur ad mortem ab aliquo, tenetur ipsum non occidere.

¶ ITEM, quædam bona sunt in summo, vt virtutes: quędam in medio, vt naturalia: quædam in infimo, vt temporalia. Si ergo non licet destruere meliora pro deterioribus conseruandis: non licet interficere furem, siue diurnum, siue nocturnum.

RESOLVTIO.

Clericis quidem nullatenus licet: idq; ex ecclesiastica institutione: laicis verò licet: modò ineuitabilis sit necessitas, & nulla adsit vindictæ libido: sed pura conseruationis propriæ intentio.

Aliorum sententia.

¶ SOLVTIO. Quidam distinguunt necessitatem euitabilem, & ineuitabilem. Si sit euitabilis necessitas, scil. quòd posset aliter euadere, vt fugiendo, vel alio modo: homicida est talis sic interficiens: & peccat contra illud mandatum, Non occides. (Exod. 22.) Si verò sit ineuitabilis: quod nõ possit euadere, nisi interficiat: aut occidit motus ira & libidine vindictæ, aut cum dolore euadendi necessitate: prout dicit Augustinus: (August. in quæst. super Matt.) Cùm homo ab homine occiditur, multum distat, vtrùm vlciscendi cupiditate, sicut fit ab inimico: vel iniustè aliquid auferendi, sicut à latrone: vel obediendi ordine, sicut à iudice: vel euadendi vel subueniendi necessitate, sicut ab hoste. Primo modo occidẽs homicida est: secundo & tertio modo non iudicabitur aliquis homicida quantum ad culpam: quamuis iudicetur quantum ad irregularitatem.

Canon Nicolai Papæ, distin. 50.

¶ SED cõtra objicitur. Nam dicit Canon Nicolai Papæ: *De clericis, quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo paganos occiderunt: si postea per pœnitẽtiam possunt ad pristinum statum redire: aut ad altiorem ascendere. Scito nos nullam occasionem dare, nec vllam tribuere licentiam eis, quemlibet hominem quolibet modo occidendi.* Ergo in nullo casu licet clericis occidere. Ad idẽ est Canon Martini dist. eadem: (Ibidem.) *Si quis homicidij, aut facto, aut præcepto, aut defensione post baptismum conscius fuerit: & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur: & in fine vitæ suæ communionem tantùm accipiat.* Item Canon extr. de Concilio Elendensi. (Canon, extr. de Concilio Elendẽs.) *De clericis, qui in obsidione positi sunt, vt qui altari ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt; ab omni humano sanguine etiam hostili se abstineant: quòd si in hoc inciderint, purgati per pœnitentiam, officio & communione reddantur.* Si ergo necessaria est pœnitentia, in occidendo fuit culpa.

¶ PROPTER hoc quidam perfectiùs distinxerũt inter clericos & laicos. Clericis nulla necessitate licet: laicis verò cum prædicta necessitate, videlicet, cùm ineuitabilis sit necessitas, & nulla libido vindictæ: sed sola intentio cõseruationis propriæ salutis, secundùm concessionem. Sed quia ex lege naturæ non est distinctio laici & clerici, istud autem præceptum est legis naturæ: ideo si prohibeantur clerici ab occisione in casu concesso laico: hoc nõ erit ex prohibitione huius præcepti, sed ecclesiasticæ institutionis: ideo distinctio istorum respicit ecclesiasticam institutionem, non tenorem huius præcepti.

¶ AD illud ergo Aug. dicunt, quòd hoc dicit: quia rato cõtingit sine peccato: peccat enim si interficit sui amore nimio, vel alterius odio. Et ideo dicit interrogatiuè, (August.) quomodo peccato sunt liberi?

¶ AD secundum dicunt, quòd in casu prædicto efficitur interficiens legis minister: quia occidit iustitia, & ex concessione legis: differenter tamen in isto, & in iudice. Nam iudex occidit ex iustitia & officio: iste autem ex iustitia, non ex officio. Sicut est in sacerdote & laico quòd ad baptismum: vterque potest baptizare: sacerdos ex officio & concessione: laicus non ex officio, sed ex concessione in necessitate.

¶ AD tertium dicũt: quòd loquitur Augustinus in casu euitabilis necessitatis, quando scilicet facultas fugiendi datur. Et quantum ad hoc dicit, quomodo inculpati possint esse non video. Et in eodem casu dicit isdem August. in eodem. Quomodo apud diuinam prouidẽtiam peccato liberi sunt: qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana sunt cæde polluti? Videtur ergo mihi legẽ istam, quæ populo regendo scribitur, rectè ista permittere, & per diuinam prouidentiam vindicari.

¶ AD quartum dicendum, quòd tres conditiones ponuntur ad hoc, quod liceat in necessitate interficere. Vna est, quòd non pro se, hoc est pro propria vindicta: alia est, quòd eius personæ congruat; vt scilicet non clericus, sed laica persona sit: tertia quòd publica functione teneatur. Et hoc conuenit in prædicto casu: quia ex concessione legis efficitur minister legis. Vnde Ambrosius in libro de paradiso: *Nec is, qui homicidium aliquod inuitus fecerit, extra ministerium est: siquidem lex ait de eo: quòd Deus dedit eum in manus eius.* Manus ergo eius diuinæ vltioni ministerium præbuerunt. (Ambr. in lib. de paradiso.)

¶ AD aliud dicendum, quòd non est simile de mœchia, & de occisione. Nam (sicut dictum est) dare vitam solius Dei est, nec præbet eam per ministerium alicuius: cognoscere verò non est solius Dei immediatè, sed potiùs dedit viro, vnde potentiam illam ordinaret in suam: viuere enim non est immediatè à Deo, coire autem non. Ecõtrariò verò est, quia occidere ex concessione diuina per legem ad ipsum ordinatam, est in ministerio in casu necessitatis ineuitabilis: mœchari verò, seu cognoscere alienam, nulla lege diuina vel humana ad diuinam ordinata permissum, vel concessum est.

¶ AD vltimum verò dicendum, quòd in necessitate pro tuendis temporalibus, quamuis concedatur lege humana interficere furem, non tamen lege diuina: quæ distinguit inter diurnum furem, & nocturnum. Nocturnus enim, quia non potest discerni, vtrùm causa furandi, vel occidendi venerit; permittitur occidi à quolibet, diurnus verò non.

An quis casualiter occidens quempiam, homicidij reatum incurrat? §. 3.

¶ QVÆRITVR postea. An ille, qui interficit non ex proposito, sed casu, faciat cõtra hoc præceptum? Ad quod sic, Genes. 4. Lamech credens interficere bestiam, interfecit hominem: & reputatum est ei in homicidium magis quàm Caim, vnde ibi sequitur: *Qui interfecerit Caim, septuplum punietur.* Si ergo homicidium Caim fuit rectè contra illud præceptum: ergo & homicidium Lamech: quod fuit non ex proposito, sed ex casu. (Genes. 4.) (Ibidem.)

¶ ITEM, Exod. 21. dicitur: *Quòd si quis percusserit mulierẽ pregnantem, & fecerit abortiuum: si puerperium fuit animatum, reddet animam pro anima.* Sed sine proposito & intentione potest istud cõtingere casu: ergo casuale homicidium imputatur: sed non nisi contra hoc præceptum. (Exod. 21.)

¶ ITEM, Canones plures interfectionẽ puniunt, quæ fit casu, Distin. 50. sed pœna non imponitur nisi pro reatu culpæ: ergo, &c.

¶ CONTRA; quę fiunt casu, non fiunt voluntate, quę non fiunt voluntate, nõ sunt culpabilia: quia (vt dicit Augustinus) peccatum à Deo est voluntarium: quod si non sit voluntarium, non est peccatum. Ergo nulla occisio, quæ fit casu, est peccatum.

¶ ITEM Augustinus ad Publicolam: *Paulus Apostolus fecit notas Præsidi sibi insidias præparatas, ob hoc accepit armatos.* Si ergo in illos inimicos incidisset Paulus: nunquid in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? absit; & tamen fieret casu homicidium. (Aug. ad Publicolam.)

¶ ITEM

Idem ad eundem. ¶ Idem Aug. *Absit:vt ea, quæ propter bonum actum facimus, si quid propter hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit; nobis imputetur.* Sed potest contingere nobis licito operi vacantibus; sicut ponitur casus Decret. 5. lib. tit. *de homicidio*; de sacerdote, qui propter molestiam corporis equũ ascendit: & equus præter sessoris arbitrium, fræno rupto; quendam puerum oppressit: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Minimè, si rei licitæ operam dabat, debitamq; diligentiam adhibuerat.

¶ Sol. Hic distinguitur secundũ Decretale: quia interficiens casu; aut dabat operam rei licitæ, aut illicitæ. Si rei illicitæ: reputatur homicida contra illud præceptũ. Si verò rei licitæ tunc distinguendum secundum Canonem: quòd aut adhibuit diligentiam, quàm debuit: aut non. Si sic, nõ reputatur homicida. Si nõ, reputatur homicida. Vnde dicit Canon. *Sæpè contingit, dum quis operi necessario insistens, arborem incidit: vt aliquis subtus ipsam veniens deprimatur. Et ideò: si voluntate vel negligentia incidentis arborem, factum est: vt homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quòd si non: non hac eum sententia constringit.* Canon. dist. 50.

¶ Ad illud verò, quòd obijcitur de Lamech, secundum hoc respõdetur: quia non adhibuit diligentiam, quàm debuit: & ideo ei est imputatum: non tamen magis, quàm Cain: licet dicatur quòd plus punitus est: quia non sequitur, si plus punitur temporaliter, quòd maius sit peccatum.

¶ Ad illud, quòd obijcitur de muliere prægnante. Dicendum, quòd percutiendo non dat operam rei licitæ: & ideo imputatur ei homicidium sequens.

¶ Ad illud, quòd obijcitur, quòd Canones puniunt interficientes casu. Dicendum est, quòd hoc est; quando dant operam rei illicitæ: vel non adhibent diligentiam, quàm possunt, vel debent: aliàs non puniunt. Vnde Nicolaus Papa: *Si aliqua culpa, vel neglectu alicuius interitus hominis cognoscitur aduenisse, perpetratum est homicidium.* Et Decret. Innoc. in prædicto casu de sacerdote dicit: quòd si id Capellanus nec actu nec voluntate perpetrauit; ne dedit operam rei illicitæ: non impediatur, quòminus diuina possit celebrare. Nicolaus Papa dist. 50. Decretal. Innocentij.

¶ Ad illud verò, quòd ex opposito primò obijcitur: quia quod est inuoluntarium, nõ est peccatum. Dicendum secundum Ioan. Dam. quòd inuoluntarium simpliciter hoc quidem est per ignorantiam, hoc per violentiam. Inuoluntarium per violentiam est, cùm tota causa actus deforis est; nihil cooperante illo, qui patitur. Inuoluntarium verò per ignorantiam est; cùm non ipsi tribuimus causam ignorantiæ, sed ita contingit: vnde si ebrius homicidium fecerit, ignorans quidem facit, non tamen inuoluntariè: causam enim ignorantiæ scil. ebrietatem ipse fecit: similiter si quis in assueto loco sagittans, patrem transeuntem interficit. Secundum hoc ergo dicendum: quod quando casui sequenti nos non tribuimus causam aliquo modo scil. operando, vel negligendo: dicitur inuoluntarium. Quando autem casui sequenti aliquo modo causam damus: non est inuoluntarium. Damasc.

¶ Ad aliud patet solutio ex iam dictis.

ARTICVLVS III.

An & sacerdotes prohibeantur præcepto hoc maleficos occidere?

Consequenter quærendum est? Vtrùm isto præcepto prohibeantur occidere illi, qui habent spirituale potestatem, vt sacerdotes? Ad quod sic: Exod. 32. Moyses fecit à Leuitis interfici. 23. millia hominum, qui adorauerant vitulum conflatilem. Item Num. 25. Phinees interfecit Israëlitam, coëuntem cum Madianitide. Item 1. Reg. 15. Samuel interfecit Agag Regẽ Amalech. Item 3. Reg. 18. Helias interfecit sacerdotes Baal. Item Cyprianus dicit: quod præcepti legis memor Mathathias, interfecit illum, qui ad sacrificandum accesserat. 1. Machab. 2. Quòd si ante aduentum Christi hæc præcepta seruata sunt: quantò magis post aduentum Christi. Ergo secundùm hoc sacerdotibus nouæ legis licitum est reos occidere. Exod. 32. Num. 25. 1. Regum 15. 3. Reg. 18. Cyprianus. 1. Mach. 2.

¶ Ad hoc dicunt quidam, quòd sacerdotibus veteris legis licet: sacerdotibus nouæ legis non. Et ratio huius est, quia cum secundùm Aug. differentia legis & Euangelij sit timor & amor: ministri legis debuerant esse ministri seueritatis ad timorem: sed ministri Euangelij debent esse ministri pietatis ad amorem. Quia ergo illi debebant arcere à malis per timorem, congruebat eis maleficos interficere: & quia isti debent attrahere per amorem, non congruit eis interficere. August.

¶ Sed contra hoc sic obijcitur. Ioan. Chrys. *Occidit Phinees hominem: & reputatum est illi ad iustitiam.* Petrus verò geminum fecit homicidiũ, in Anania sc. & Saphira. (Act. 5.) tamen fuit opus spirituale, quòd factum est .i. non manuale. Chrys. super Matt. Homil. 17. Actuum 5.

¶ Item. Greg. in Dialogis. *Petrus, qui Tabitam mortuam suscitauit.* (Act. 8.) *Ananiam & Saphiram mentientes increpando morti tradidit.* Gregor. in Dialogis. Actuum 8.

¶ Item, Hier. *Legi vindictam Phinees, auctoritatem Heliæ, zelum Simonis Chananæi: qui in duos magos Zaroë & Arphaxat ignitos serpentes retorsit: item Petri seueritatem Ananiam & Saphiram trucidantem: Pauli constantiam, qui Elimam magum æterna seueritate damnauit. Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas: vnde in lege dicitur. Si frater tuus & amicus, &c. Voluerit deprauare veritatem; effundes sanguinem ipsorum.* Ex hoc ergo relinquitur, quòd quantum ad iudicium occisionis pares sunt sacerdotes nouæ legis & veteris. Hieron. ad Ripariũ.

¶ Item, cùm crimina punire pro Deo sit pietas: non erit contra ministerium pietatis maleficos punire.

¶ Item, dicit Aug. *Summa religionis est, imitari eum, quem colis.* Sed ipse Deus authoritate interficit, iudex ministerio: ergo ministerium occisionis maximè congruet sacerdoti: qui debet esse Dei præcipuus imitator. August.

¶ Item, Leo quartus scribit Ludouico. 23. q. 8. *Quidam in Romanorum portum Saracenos venturos esse dicebant: pro quo præcepimus nostrum congregari populum.* Et iterum: *Nunquam ab aliquibus nostros homines fuimus opprimi: sed si necessitas* vlla occurrerit, præsentialiter vindicamus: quia nostri gregis vltores esse debemus, & præcipuè adiutores.* Si ergo canonicè & regulariter fecit illud Leo Papa, sc. quòd occurrit inimicis, & præsentialiter vindicauit: eadem ratione possunt hoc facere alij Episcopi & Sacerdotes canonicè: & illud, quòd sequitur ad sumptionem armorum: scil. pugnare contra hostes & interficere. Leo quartus Can. 23 q 8. *Aliàs, il la occurreret.

¶ Item, sicut dicit. 23. q. 8. B. Greg. Ciuibus Thusciæ, vt contra Longobardos arma pararent, mandauit. Idem ibidem.

¶ Item, Ecclesia ordinat sæcularem potestatem: vt Papa Imperatorem: ergo tradit ei auctoritatem ad suum officium. Si ergo auctoritas Imperatoris est interficere maleficum: & à Papa accipit auctoritatem: ergo auctoritate Papæ interficit. Sed ille facit, cuius auctoritate fit: ergo, &c.

¶ Item. Episcopi habent Præpositos & Balliuos in causis sanguinis. Sed illi balliui nihil agunt auctoritate sua: ergo auctoritate Episcoporum fundunt sanguinem maleficorum.

¶ Contra. B. Ambr. *Aduersus milites Gothicos lacrymæ meæ arma sunt: talia. n. munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.* Ambros.

¶ Item Canon ex consilio Toletano. *Sacerdotes, qui ad ministerium salutis electi sunt; ibi consentiant Regibus fieri iudices, vbi supplicij indulgentia promittitur: non vbi sententia discriminis præparatur: si quis contra hoc fecerit, sit reus effusionis sanguinis apud Christum: & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.* Canon. 23. 8. ex Concil. Tolet.

¶ Item, Canon. Nicol. Papæ dist. 1. *Cùm discreti sint milites sæculi à militibus Ecclesiæ: non conuenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit peruenire.* Canon. Nicolai Papæ dist. 1.

¶ Item, B. Bern. *Aggredere subditos, sed verbo, non ferro: quid denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es reponere in vaginam, scil. in Petro, cui dictum est. Mitte gladium tuum in vaginam?* Bern. ad Eugeniũ lib. 4. de consideratione. Ioan. 18

¶ Item. *Oportet Episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem.* 1 ad Tim. 3

RESOLVTIO.

Sacerdotibus nouæ legis prohibitum est maleficos occidere. At non prohibebatur sacerdotibus veteris legis.

¶ Solvt. Sicut dictum est; hoc præcepto prohibetur

quilibet occidere sua auctoritate. Quia ergo ministris veteris Testamenti commissa erat auctoritas: ministris verò noui Testamenti non est concessa auctoritas, vt per se interficiant: ideo ex consequenti isto præcepto prohibentur interficere in causa iustitiæ. Ratio aũt, quare eis negata est auctoritas, est duplex. Vna est, quia ministri nouę legis debent esse ministri mansuetudinis & amoris, ad alliciendũ
Matth. 5. homines ad bonum. Vnde eis dicitur: *Non resistere malo*, &c. Et ibidem sequitur. *Diligite inimicos vestros; & benefacite his, qui oderunt vos*: quòd intelligitur faciendum à ministris nouæ legis, non solùm in voluntate animi, sed etiam in ostẽsione signi. Alia est ratio: quia ministri nouæ legis sunt ministri sacramenti vnionis: sacramentum enim altaris repræsentat vnionem Christi & Ecclesiæ: quam significat vnio animæ ad corpus. Sicut enim anima corpus viuificat: ita Christus per hoc sacramentum viuificat Ecclesiã: vnde quæ dissoluit vnionem corporis & animæ, sacramenti illi[9] vnionis vnionem in se non potest demonstrare: & ideo irregularis est ad huius sacraméti ministerium exequendũ: quemadmodum bigamus, qui carnem suam diuisit cũ v-
Canon. 15 q. 2. xoribus plurib. Et sicut dicit Can. 15. q. 2. Quædam sunt, q̃ & si non imputentur ad pœnam, tamen impediunt sacra-
Hieron. menti signaculum. Et introducitur auctoritas Hieronymi: qui dicit. De illo, qui ꝓpter disciplinam casu occidit, quãtùm ad culpam innocens est, quantùm ad legẽ reus est: legem (dico) sacramenti. Inde est, ꝙ cũ alij ordines Ecclesiæ ad sacramentum altaris referantur, quia oẽs ordinati aut conficiunt sacramentum, aut deseruiunt conficienti, debent carere diuisione, q̃ opponitur sacramento vnitatis: & ideo non licebit ministris Ecclesiæ interficere, sanguinem effundere, membrum mutilare. Ministris verò veteris Testamenti, qui erant ministri timoris ad coërcendũ à malo, & p consequens ministri diuisionis animarum à malis; competebat auctoritas & executio interfectionis.

¶ Vnde patet solutio ad primas auctoritates obiectas de ministris veteris Testamenti.

¶ Ad illud verò B. Cypriani: ꝙ post aduentum Christi præcepta iudiciorum sanguinis seruanda sunt. Concedendum, ꝙ tempore gratiæ sunt seruanda, sed non à ministris spiritualium, & sacramentorum: qui sunt ministri misericordiæ & mansuetudinis, & repsentatores vnionis: sed à Principib. mundanorum, qui seueritatis legalis imitatores sunt, & ministri separationis & coërctionis à malis.

¶ Ad illud Chrys. dicendum, ꝙ impropriè dicitur Petr[um] homicidium fecisse: hic. n. dicitur res fieri illo [illegible] in scriptura fieri dicitur, cùm prædicitur, vel in[illegible] Petrus ergo dicitur Ananiam & Saphirã interfec[illegible] eorum mortem, q̃ Diabolus efficere debebat; p[illegible]
Actuũ 8. causam sc. culpam patefecit. Vnde in Act. dixit Saphiræ. *Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium sunt, & efferent te: & statim expirauit.*

¶ Ad illud autem B. Gregor. Dicendum: ꝙ aliud est increpando morti tradere; & aliud interficere. Tradere. n. morti est pluribus modis. Vno modo tradere morti inferendæ ab homine: & hoc modo Petrus non tradidit Ananiã & Saphirã. Alio modo tradere morti inferendæ à dæmone: & istud tradere eũ excommunicare: & hoc modo tradidit Paulus & etiã Petrus Satanæ: sed non intentione occisionis, sed intentione punitionis ad correctioné alio-
1. ad Tim. 1. rum, sicut Petrus: vel ad correctioné eorundem, sicut Paulus dicit: ꝙ Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ:
1. ad Cor. 5. vt discant non blasphemare. Et de fornicatore. *Iudicaui eum, qui sic operatus est, tradere Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.*

¶ Ad illud verò Hier. Dicendum, ꝙ differentia est inter ministros veteris legis & nouę, non solùm in his, quę dicta sunt, quantum ad differentiam seueritatis & misericordiæ (quia illi principaliter seueritatis, isti misericordiæ sunt ministri) sed etiam in iudicio seueritatis: quia isti gladio spirituali, illi verò gladio materiali iudicia exequuntur: isti verbo, illi ferro: isti verbo, quòd est gladium spiritus, ad diuisionem animæ & spiritus, id est, inordinationis sen-
Hebr. 4. sualitatis à rectitudine rationis; ad Hebr. 4. *Illi verò ferro*, id est, materiali gladio ad diuisionem animæ & corporis, hoc est vitæ animalis. Vnde nota, quòd sicut prius est, ꝙ animale est, deinde quod spirituale. 1. Cor. 15. & vita ani- 1. Cor. 15.
malis priùs, q̃ vita spiritualis. (Vitam aũt animalem dico, quæ est in vnione animæ & carnis: vitam verò spiritualem in ordinatione sensualitatis, quæ dicitur anima: & rationis, quæ dicitur spiritus) ita ministerium diuinæ iustitiæ distributum est ministris veteris Testamenti in gladio materiali in separatione animæ & carnis: ministris verò noui Testamenti in gladio verbi spirituali ad diuisionem animę & spiritus. In illo ministerio est ratio timoris, in isto ratio amoris. Hinc dicentibus Apostolis. *Ecce duo gladij*: respondit Dominus: *Satis est.*

¶ Ad illud B. Aug. Summa religionis est, imitari, q̃ colis. Dicendũ, quòd tria sunt genera operum diuinorũ sc. opera sapientiæ, potentiæ, bonitatis. In operib. potentiæ, vt creationis & miraculorum: non quærit Deus imitatorem: vñ Lucifer, quia voluit esse similis in potentia Deo, pcipitatus est. Isa. 14. Similiter nec in archanis sapientiæ: vñ Adã Isa. 14.
quia voluit esse similis in scientia, de paradiso eiectus est. Gen. 3.
Eritis sicut Dij. Operum verò bonitatis, alia sunt pietatis & misericordiæ, in quibus vult ꝙ omnes imitentur eum. *Esto-* Matth. 5.
te misericordes, sicut & pater vester, &c. Alia verò sunt punitionis & vindictæ: & in his non vult vt pfecti imitentur eum, propter duo: ꝓpter sacramentũ vnionis commẽdandum, quod requirit ministros cõgruos, in quib. non inueniatur oppositio diuisionis: alia ratio est propter commendandã clemẽtiam suæ miserationis: vt in hoc innuitur. ꝙ quasi coactus punit: sicut dicitur. *Non ex corde, nec humiliauit, & abiecit* Thren. 3.
filios hominum. Et introducẽtur verba Dñi punientis quasi Esa. 1.
plangentis. *Heu consolabor super hostibus meis*. &c. Vt sit eius proprium de hostib. misereri. Ideo ministri nouæ legis, qui debent esse in perfectioni imitatione Dei, debent ipsum imitari in opere pietatis, non in districtione seueritatis.

¶ Ad illud Leonis & Greg. Dicendum: ꝙ hoc non dicitur propter hoc, ꝙ liceat sacerdoti vel Papæ arma arripere: sed quia pñ sæculari Principi, cui materialis gladius commissus est; armorum sumptioné contra maleficos suadere: sicut illi, qui habent minorib. & maioribus diuinas leges exponere & prædicare: in quibus præcipitur sæcularibus potestatib[9], Maleficos non patieris viuere. *Si audieris in vna* Exod. 22.
vrbium tuarũ, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, &c. Et post sequitur: *Si inueneris certum esse, quòd dicitur; & abominationem* Deut. 13.
hanc opere perpetratam; statim percuties habitatores illius in ore gladij.

¶ Ad aliud, ꝙ obijcit de Imperatore, quòd ordinatur à Papa. Dicendum, quod verum est, quòd recipit potestaté à Papa ad puniendũ maleficos, executionem aũt potestatis recipit à lege. A Deo ergo per Papam recipit auctoritaté, vt sit minister legis & iustitiæ diuinæ: sed ab ipsa lege auctoritatem vsus ministerij iustitiæ. Vnde Augustinus: *Cùm* August. in quæstionibus Leuitici.
homo iuste occiditur: Lex occidit, non tu. (Dicit iudici sæculari.)

¶ Si autem obijciatur: quod ille facit, cuius auctoritate fit: vnde Papa & Episcopi, qui habent Præpositos iudices sanguinis, [illegible] lentur occidere. Dicendum, quòd est auctoritas iubendi, & est auctoritas innuendi. In auctoritate iubendi [illegible]; ille facit, cuius auctoritate fit: in auctoritate verò innuendi, non sequitur. Est autem auctoritas iubendi oc[cide]re maleficos penes Imperatorem: auctoritas verò innuendi penes Papam, & sacerdotes. Est autem ista innuitio diuinæ legis (vt dictum est) prædicatio: & vt Principes legi diuinæ obediant, exhortatio. Vnde Ber- Bernard. in 4. lib. de consolat. ad Eugenium.
nard. ostendit: qualiter vterque gladius est Ecclesiæ, materialis & spiritualis: & quod ad ipsam pertinet gladius materialis, & spiritualis: sed quod gladius materialis ad eã pertineat quantùm ad nutum, nõ quantùm ad iussum, vel vsum: & verba sunt. *Qui gladium materialem tuum negat: non* Matth. 26.
satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis. Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu; & si non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret: dicentibus Apostolis. Ecce duo gladij: Non respondisset Dominus: Satis est? sed nimis est. Vterque ergo gladius Ecclesiæ est, & spiritualis & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis,

is mi-

is militis manu: sed sane ad nutum sacerdotis & ad iussum imperatoris.

¶ Et per hoc soluuntur omnia proposita obiecta.

MEMBRVM III.

An quælibet occisio quolibet modo dicta, tum sc. corporalis, tum spiritualis præcepto hoc prohibeatur.

Restat quærere de genere occisionis, quæ in hoc præcepto prohibeatur: Et ex præcedentibus videtur, quod prohibeatur occisio corporalis: quæ est in separatione animæ à corpore. Sed quæritur? verùm prohibeatur occisio quocunq; modo dicta: vid. corporalis, & spiritualis?

August. super Psal. 56.

¶ Ad quod sic: Aug. *Noli putare te non esse homicidam: quãdo fratri tuo malum persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis: & vt scias, quia occidis; audi Psalmistam dicentem. Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.*

Exod 20. Glossa.

¶ Item, super illud: *Non occides.* Gloss. *Manu, vel mente: vel subtrahendo subsidium vitæ ei, cui debes dare.*

Deut. 5. Glossa

¶ Item, super illud: *Non occides.* Gloss. *re, vel voluntate:* qui .n. odit fratrem suum, homicida est: vel subtrahendo, quod potes præstare. Ex his igitur relinquitur, quòd hic prohibetur homicidium spirituale: quod est in odiẽdo, seu malum consulendo: & homicidium dicitur non solummodo in committendo sc. in inferendo mortem: sed etiam in omittendo sc. in subtrahendo beneficium ad conseruationem vitæ proximi.

Sap. 5.

¶ Præterea quæritur? verùm isto præcepto prohibeatur occisio quolibet modo dicta? Ad quod sic: *Os, quòd mentitur, occidit animam.* Mendacium igitur est occisio animæ. Si ergo hic prohiberetur quælibet occisio spiritualis, prohiberetur hic mendacium: & pari ratione quodlibet peccatum mortale: nam omne peccatum mortale occisio est animæ.

¶ Si verò diceretur, quòd non prohibetur hic occisio spiritualis, nisi illa, quæ est proximi. Contra, hic prohibetur occisio corporalis sui & proximi; sicut supra dictum est: ergo si hic prohibetur occisio spiritualis, prohibetur & sui & proximi; & ita quodlibet peccatum: quod quia est falsum, relinquitur quod non prohibetur hic nisi occisio corporalis.

August. contra Faustum.

¶ Item quæritur? verùm istud præceptum sit generale ad plura præcepta. Ad quod sic: August. *Quia Iudæi non intelligebant homicidium nisi corporis humani, per quod vita priuaretur: aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari.* Sed in furando, falsum testando, & huiusmodi est iniquus motus ad nocendũ proximo, ergo furta, falsa testimonia, & huiusmodi sunt iniquus motus ad nocendum proximo: ergo debent in homicidij genere deputari. Ergo cùm omne genus homicidij hic prohibeatur: erit hoc mandatum generale ad alia, quibus prohibetur proximo nocumentum.

¶ Item, Omnis præuaricatio contra præceptum quodlibet secundæ tabulæ aut est contra innocentiam, inferendo nocumentum: aut contra beneficentiam, subtrahendo beneficium. Sed secundum Aug. hic prohibetur nocumenti illatio: similiter prohibetur subtractio beneficij: sicut Gloss. dicit: & sicut dicit Ambr.

Ambr. in lib. de Officijs. Refertur dist. 86. c. Pasce.

Pasce fame morientem: quisquis .n. pascẽdo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti. Ergo isto præcepto prohibetur omnis præuaricatio, quæ est contra aliquod præceptum secundæ tabulæ: ergo est generale ad præcepta secundæ tabulæ.

Hieron. super Esa.

¶ Item Hier. *Omnis iniquitas, & oppressio, & iniustitia iudicium sanguinis est: & licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis.* Sed iniustitia, & iniquitas generalia sunt ad furtum, falsum testimonium, mœchiam, & huiusmodi: ergo ista sunt iudicium sanguinis: ergo, &c.

¶ Item, Omnis iniquitas est iudicium sanguinis: omne peccatum est iniquitas: ergo omne peccatum iudicium sanguinis est secundum verbum Hier. Est igitur hoc præceptum generale.

Clement. Epistola.

¶ Item in Epistola Clementis. Homicidiorum tria genera dicebat B. Petrus. Sicut .n. homicidas interfectores fratrum: ita detractores eorum, eosq; odientes homicidas esse manifestabat. Detractio igitur est homicidium: sed omne falsum testimonium est detractio: ergo & homicidium est. Est igitur hoc præceptum prohibens falsum testimonium.

¶ Contra. Illud præceptum connumeratur cũ cæteris: & est vnum de decẽ verbis: ergo non comprehendit alia. Sed si extenderetur ad homicidium spirituale, comprehẽderet alia: ergo non extenditur nisi ad homicidium corporale.

Rom. 14

¶ Item, scandalum est homicidiũ spirituale: quia præbet alij occasionem mortis spiritualis: sicut dicitur. *Scãdalizati propter escam noli destruere opus Dei.*

1. ad Cor. 8.

¶ Item, in eodem casu dicit: *Si quis viderit illum, qui habet scientiam, recumbentem in idolio, non ne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolotyta: & peribit in tua infirmus scientia frater; propter quem Christus mortuus est:* Si ergo spirituale homicidium prohiberetur hic: prohiberetur hic scandalum. Sed scandalum potest esse peccatum idololatriæ, quòd est contra primum præceptum: & periurium, quòd est contra secundum: & violatio sabbati, quòd est contra tertium: & inhonoratio, quòd est contra quartum: & sic de alijs: sic ergo prohiberetur hic omnis præuaricatio aliorum præceptorum: quòd falsum est. Relinquitur igitur, quòd non prohibetur hic nisi corporale homicidium.

¶ Item, quęritur? verùm prohibeatur hic tantùm homicidium manus? Et cum dicant authoritates, quòd Lex prohibebat manum, non animum: secundùm hoc non erit in prohibitione nisi homicidium manus.

August.

¶ Contra. Aug. *Periculosè decipiunt, qui existimant eos tantùm homicidas, qui manibus hominem occidunt: & non potiùs eos, per quorum consilium & fraudem & exhortationem homines extinguuntur.* Nam Iudæi nequaquam proprijs manibus Dominum occiderunt: sicut scriptum est. *Non licet nobis interficere quenquam.* Matth. 27

August.

¶ Idem Aug. *Mors Christi iudæis imputatur: quia ipsi linguis interfecerunt, dicentes. Crucifige, crucifige.* Vnde vnus Euangelista dicit Dominum crucifixum hora tertia, alius sexta, quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus.

Canon Martini Papæ.

¶ Item, Canon. Martini Papæ, dicit: quod homicidium committitur facto, præcepto, consilio.

¶ Si dicatur; quòd manus, quàm prohibet Lex, est omnis operatio exteriùs expressa: & ita operatio quæcunq;, vel cooperatio ad mortem alicuius hic prohibetur. Quæritur? verùm prohibeatur voluntas? Et si prohibetur: quare non exprimitur sicut circa mœchiam & furtum. Quòd aũt prohibeatur expressè, dicit Gloss. super illud: *Non occides.* Gloss. *voluntate.* Exod. 20. Glossa.

1. Ioan. 3.

¶ Item, cùm non omnis, qui odit fratrem; velit ei inferre mortem: vel quod ab alio illi inferatur, quare dicitur: *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

RESOLVTIO.

Præcepto hoc potissimè corporalis occisio prohibetur: ex consequenti autem, impropriè, & interpretatiuè occisio etiam spiritualis.

¶ Sol. Occisio hominis vel homicidiũ dicitur duobus modis: verè sc. & interpretatiuè. Interpretatiuè duobus modis. Omittendo, si non subuenit, cùm videt proximum in necessitate extrema: Aug.

August. contra Faustum.

Istud præceptum, quod est. Non occides, non seruas: non .n. das esurienti panem: verùm si incurras in eum famelicum, qui mori posset, nisi porrigendo cibum, subuenias: iam tu homicida teneberis. Committendo, corde, ore, opere. Corde odiendo. *Qui odit fratrem suum,* &c. Ore duobus modis: detrahendo, sicut dicit B. Petrus: detractores homicidas esse: & malum suadendo, sicut dicit B. Aug. *Si fratri tuo mala persuades, occidis.* Ille, qui odit, in sua conscientia occidit; quia vellet non esse, aut nõ benè esse, quem odit: detractor occidit proximum in conscientia aliena, in qua viuebat per bonam opinionem: mali persuasor occidit eum in conscientia eiusdem, in qua viuebat per bonam voluntatem, & post moritur per peccatum. Opere scandalizando per malum exemplum: vnde B. Greg. *Tot mortibus rei sunt, quot ad posteros perditionis exempla transmittunt.*

1. Ioan. 3. August. Gregor. de Prælatis.

¶ Vere

§ Vere committitur homicidium in corporis & animæ diuisione. Quòd contingit tribus modis, necessitate, casu, voluntate: necessitate euitabili, vel ineuitabili: casu dando operam rei licitæ vel illicitæ: & si licitæ, aut adhibita diligentia debita, aut non adhibita diligentia: & patet ex prædictis, quomodo imputatur, & quomodo non: & quomodo fit contra hoc præceptum, & quomodò non. Voluntate autem iustè & iniustè: iustè, quando adest debita causa, iustus ordo, iustus animus iudicis occidentis, & non est in hac prohibitione: iniustè, quando aliquod istorum trium deest: & fit tribus modis, consilio, præcepto, facto: sicut dicit Canon Martini: & istud homicidium vniuersaliter & distinctè & propriè hic prohibetur. (Canon Martini.)

§ Cvm ergo quæritur: vtrùm prohibeatur hic occisio quolibet modo dicta? Dicendum, quod propriè hic prohibetur occisio corporalis: impropriè verò & ex consequenti & interpretatiuè occisio spiritualis. Si enim anima melior est corpore, & vita animæ melior vita corporis, & mors animæ peior morte corporis: qui ergo prohibet inferendam mortem corporalem, multomagis prohibet inferendam mortem spiritualem. Non tamen propriè potest dici ab aliquo inferri mors spiritualis alicuius, quemadmodum mors corporalis: Mors enim corporalis infertur alicui per causam & violentiam: mors verò spiritualis culpæ non potest inferri alicui ab aliquo, nisi per occasioné: quia culpa non potest fieri in nobis, nisi nobis volentibus & consentientibus: quamuis occasio possit esse in verbo & facto: & ideo occisio spiritualis dicitur inferri impropriè & interpretatiuè; quia per occasionem, non per causam.

§ Ad illud, quòd obijcitur de mendacio & quolibet peccato mortali, q occisio est. Dicendum, q quodlibet peccatũ mortale effectiuè dicitur occisio spiritualis: quia ex quolibet anima occiditur: sed non formaliter: nisi solùm illa, quæ sunt occasio alteri peccandi, id est, spiritualiter moriendi: sicut est mali persuasio, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ: vel quod moriatur in conscientia propria per odium, vt ibi non viuat per amorem: vel quod moriatur in conscientia alterius per detractionem; vt ibi non viuat per bonam opinionem.

§ Ad illud verò, quod quæritur? vtrùm istud præceptum sit generale. Dicendum, quod non: immò est speciale. Et ad illud August. quod homicidium intelligitur omnis motus ad nocendum. Intelligendum cùm determinatione, quo scil. nocetur personæ; nec quò ad res personæ, sed quò ad esse ipsius personæ: & ideo non obstat, q obijcitur de furto, & falso testimonio, & alijs.

§ Similiter ad aliud, quòd dicit: quod subtractio beneficentiæ prohibetur hic, & nocumentum generaliter: patet de nocumento. De subtractione verò beneficentiæ similiter dicendum: quod non intelligitur generaliter, sed subtractio solùm debiti beneficij in casu necessitatis, ex quo mors contingit.

§ Ad illud autem, quòd obijcit de iniquitate & iniustitia. Similiter dicendum, q illud non dicitur generaliter: sed solùm de iniustitia & iniquitate, qua per oppressionem alicuiùs infertur mors, vel acceleratur: ad homicidium enim pertinet inferre statim mortem, vel accelerare mortem.

§ Ad illud verò B. Petri: iam patet responsio: nam detractio non dicitur mors, nisi interpretatiuè & impropriè.

§ Ad sequentia verò patet responsio: nam prohibetur secundùm intentionem legis homicidium voluntatis & operis, vel cooperationis: quamuis secúdùm intellectum carnalium Iudæorum intelligeretur solùm de homicidio operis, vel cooperationis.

§ Ad vltimum verò, quod quæritur scil. quare non est prohibitio voluntatis distincta circa occisionem, sicut circa mœchiam & furtum. Responsum est suprà Quæst. 29. Membr. 2. Art. 3. de Numero præceptorum: & infra amplius declarabitur.

QVÆSTIO XXXV.

De sexto Præcepto Decalogi. Quod est. Non mœchaberis.

In Octo Membra, & duos Articulos diuisa.

Transeundvm est ad sextum præceptum, quo dicitur: Non mœchaberis. (S. Bon. in 3 dist. 37. dub. 6.)

§ Circa q inquirenda sunt plura. Primò, vtrùm sit præceptum primæ tabulæ, vel secundæ. Secundò, vtrùm sit præceptum morale legis naturæ, vel morale disciplinæ. Tertiò, vtrùm coitus maris & fœminæ nullo addito sit prohibitus hoc præcepto. Quartò, vtrùm concubinatus prohibeatur. Quintò, vtrùm coitus fornicarius. Sextò, vtrùm coitus incestuosus. Septimò, vtrùm bigamia. Octauò, vtrùm coniugalis inordinatus. Nonò, vtrùm mœchia mentalis vel corporalis prohibeatur hoc præcepto. Decimò, de comparatione huius præcepti ad alia.

MEMBRVM I.

An primæ, vel secundæ tabulæ præceptum sit præceptum de non mœchando.

Ad primum obijcitur sic: super illud: *Non mœchaberis.* Gloss. *Adulterium prohibet carnale, vel spirituale.* Et iterum, *Spiritualis fornicatio est idololatria, & scripturarum expositio praua.* Sed constat, quòd prohibitio idololatriæ pertinet ad primum præceptum primæ tabulæ: & prohibitio prauæ expositionis scripturarum ad secundùm præceptũ primæ tabulæ: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, ergo istud præceptum extenditur ad præcepta primæ tabulæ. (Deut. 5. Glossa. Exod. 20.)

§ Item, Isidor. *Fornicatio carnis adulterium est: fornicatio animi seruitus idolorum est*: etiam spiritualis fornicatio, de qua dicit Dominus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. Cùm igitur hic generaliter prohibeatur fornicatio, & idololatria sit fornicatio animi, idololatria hic prohibetur. (Isidor. Matth. 5.)

§ Si dicatur: q præceptum istud potest accipi literaliter & allegoricè: allegoricè acceptum pertinet ad primam tabulã, in qua prohibetur idololatria & hæresis, quæ sunt fornicatio spiritualis: literaliter autem intellectũ est præceptum secundæ tabulæ. Contra: *Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti.* Et in eadem: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Inde arguitur: si violatio templi exterioris est sacrilegium, & contra præceptum primæ tabulæ, in quo præcipitur honor Dei: ergo multomagis violatio templi interioris & spiritualis erit sacrilegium, & contra præceptum primæ tabulæ. Cùm ergo fornicatio corporalis templum Dei spirituale polluat; erit sacrilegium & contra præceptum primæ tabulæ. (1. ad Cor. 6. 1. ad Cor. eadem c. 3.)

§ Item, in præceptis secundæ tabulæ prohibetur læsio & iniuria proximi. Sed in simplici fornicatione nulla est iniuria proximi: quia est cùm soluta, quæ non est alicuius propria, sed suæ potestatis: nec inde aliqua est querimonia: ergo non est prohibitio illius præceptum secundæ tabulæ.

RESOLVTIO.

Et primæ, & secundæ: spiritualiter & impropriè primæ: literaliter & propriè secundæ.

§ Solvt. Sicut dicitur: *Liber sacræ scripturæ scriptus est intus & foris*: intus quantum ad spiritualem intelligentiam: foris quantum ad litteralem. Si ergo istud præceptum attendatur quantùm ad intelligentiam spiritualem (& hoc impropriè) erit istud præceptum idem primo præcepto primæ tabulæ, quo prohibetur idololatria: vel secundò, quo prohibetur hæresis, quæ dicuntur fornicationes Oseæ 2. (de Synagoga scil.) *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum.* Si autem attendatur istud præceptum secundo modo, & propriè: prohibetur hic fornicatio corporalis, & hoc modo est præceptum secundæ tabulæ. De ista autem fornicatione, quæ sic prohibetur in hoc præcepto, dicitur: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* (Ezech. 2. Oseæ 2. 1. ad Cor. 6.)

¶ Et si obijciatur, quod præcepta Decalogi literalia sunt, & non allegorica: & ideo præceptum istud solùm literale erit, & non allegoricum. Dicendũ, quod præcepta Decalogi duplicem habent respectum. Vnum ad legem literalem: quæ est Lex naturalis, cuius explicatio sunt: & hoc modo solùm sunt literalia. Alium ad legem figuralem, quæ est Lex Moysi: in qua explicita sunt: quæ est Lex vmbræ & imaginaria: sicut dicitur: Hebr. 10. & hoc modo allegoricam interpretationem recipiunt. Hebr. 10

¶ Ad illud verò, quod obijcitur in contrarium de violatione templi. Dicendum, quod nõ est simile de templo materiali & spirituali. Nam templum materiale non honoratur nisi propter cultum Dei, & ideo violare illud est iniuriari Deo propriè: proximus verò honoratur, & quia proximus, & quia Dei templum. Vnde iniuria proximi, quia est proximus, non est propriè iniuria Dei: iniuria verò quia templum Dei, metaphoricè dicitur Dei iniuria: quemadmodũ homo vel corpus hominis dicitur templum: & ideo metaphoricè dicitur sacrilegium & impropriè.

¶ Ad vltimum, quod obijcitur. Dicẽdum, quòd in simplici fornicatione fit iniuria proximo: quia nomine proximi intelligitur homo in vtroq; sexu. Vnde quamuis mulier sit soluta, & etiam velit hoc, nihilominus tamen ei fit iniuria: quemadmodum si de voluntate tua esset, quod ego interficerem te; nihilominus tamen si ego interficerem te; facerem tibi iniuriam. Vnde quamuis nullus conqueratur, nihilominus tamen vterq; læditur: quia vterq; spiritualiter interficitur. Et quamuis non læderetur alius; sicut contingit in peccato mollicиei: illa eadem prohibitione, qua prohibetur pollutio alterius, prohibetur pollutio sui: quemadmodum in præcepto, quo prohibetur occisio alterius, prohibetur occisio sui.

MEMBRVM II.

An & morale præceptum naturæ sit, vel disciplinæ?

DEINDE quæritur: Vtrùm istud præceptum sit morale legis naturæ, aut morale disciplinæ. Ad quod sic: Ambr. *Dixit Sara ad Abraham. Ecce nunc conclusit me Dominus, ne pareren: intra ergo ad ancillam meam. Considera primum, quod Abraham ante legem Moysi, & ante Euangelium fuit.* Et sequitur: *Non ergo in legem commisit Abraham: sed legem præuenit.* Ambr. in lib. de Patriarch. 5. Gen. 16.

In eodem. ¶ ITEM idem in eodem: *Deus in paradiso coniugium laudauerat: non adulterium: damnauerat.* Ex his ergo relinquitur, quod adulterium ex lege est damnabile: ante legem verò non erat damnabile. Est igitur malum, quia prohibitum ex lege. Est igitur morale disciplinæ.

Rom. 2. ¶ CONTRA. *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Constat; quòd opus legis scriptum non potest intelligi de præceptis ceremonialibus: nec de præceptis iudicialibus, pluribus, quæ sunt ex institutione: ergo hoc intelligitur de præceptis Decalogi moralibus. Ergo omnia præcepta Decalogi sunt moralia legis naturalis.

Glossa. Ibidem. ¶ ITEM, sicut ibidem dicit Gloss. *Lex naturalis est, neminem iniuriam inferre, nihil alienum præripere; alieno coniugio non insidiari.* Sed omnis adulter insidiatur alieno coniugio: ergo peccat contra legem naturalem.

Ibidem eadem. ¶ ITEM, ibidem dicitur: *Vt breuiter dicatur, Lex naturalis est, nolle alij facere quod tibi non vis fieri.* Sed nullus vellet, vt ad suam aliquis alius accederet voluntate ordinata: ergo quicunq; adulteratur, transgreditur legem naturalem.

RESOLVTIO.

Præceptum non mœchandi morale legis naturæ est.

¶ QVOD concedendum est.

¶ Ad illud autem, quòd primò obijcitur. Dicendum, quòd illud, quòd dicit Ambr. de Abraham: quod non commisit in legem, coëundo cum Agar, verùm est: quia hoc non fecit sua authoritate, sed diuina dispensatione. Præterea hoc dicit Ambros. ad excusationem illius facti Abrahæ: cuius intentio est dicere: quod Abraham non peccauit contra legem positam: quæ adhuc non erat: & hoc est quod dicit: *Non in legem commisit, sed legem præuenit.* Item, Ambros. [illegible] contra legem naturalem: quia non affectu implendæ libidinis hoc egit, sed quærendæ posteritatis & multiplicationis humani generis: quod procedebat de dictamine legis naturalis: maximè cum nondum esset multiplicatio hominum ad Dei cultum: & hoc est, quòd subdit: *Non ardore aliquo succensus libidinis coniugalem postposuit thorum ancillæ contubernio: sed studio quærendæ posteritatis & propagandæ sobolis: adhuc enim post diluuium raritas erat humani generis.* Item, non peccauit contra legem, seu ius rationis: vnde ibidem dicit Ambros. quod studium posteritatis erat tempore illo religionis: ne quis non reddidisse videretur debitum naturæ: ius autem rationis dictat, vt reddatur vnicuiq; quod suum est. Idem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod Deus ante legem adulterium non damnauerat. Dicendũ, quòd est damnatio quãtum ad culpam & ad reatum pœnæ æternæ: & est dãnatio quantum ad crimen & reatum præsentis pœnæ. Et est differentia inter culpam, & crimen: nam culpa est peccatum quodcunque: crimen verò non nisi illud, quòd est dignũ accusatione & præsenti punitione. Primò modo adulterium semper fuit damnabile; secundò modo à tempore legis, qua præcipiebatur puniri adulterium. Vnde Ambr. *Ante legem nondum interdictum adulterium videbatur: pœna criminis ex tempore legis erat, quæ crimen inhibuit: nec ante legem vlla est damnatio; sed ex lege.* Ambros.

MEMBRVM III.

An præcepto hoc non mœchandi prohibeatur coitus maris & fœminæ simpliciter, nullo re addito?

QVÆRITVR postmodum? Vtrùm coitus maris & fœminæ nullo addito prohibeatur hoc præcepto. Ad quod sic: Dicit Aug. quod sicut se habet cibus ad salutem hominis: sic coitus ad salutem humani generis. Sed sic se habet cibus ad salutem hominis, quòd cibi sumptio semper est licita, & non prohibita: ergo coitus maris & fœminæ, qui est ad salutem humani generis, licitus erit & non prohibitus. August.

¶ ITEM, quòd prohibetur in præceptis Decalogi, est malum secundùm se. Sed coitus non est secundùm se malum: ergo, &c. Probatio mediæ: nullus actus naturæ secundùm se malus est: coitus actus est naturæ: ergo, &c.

¶ ITEM, nullus actus, qui nec ex determinatione circumstantiæ, nec ex materia debita est vituperabilis; est malum vel ex genere, vel ex circumstantia: ergo, &c. Coitus autem est huiusmodi.

¶ CONTRA. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Gloss. *In fornicationis opere totus homo absorbetur à carne: vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro.* Sed opus fornicationis quantùm ad hoc nõ plus efficit, quàm coitus non fornicarius: coitus igitur de se est actus inordinatus: ergo malum: ergo alicubi prohibitum: sed non alibi, quàm hic. 1. Cor. 6. Glossa.

¶ ITEM, dicunt Sancti: quod in opere coniugali non datur spiritus prophetiæ propter captiuationem rationis: coitus igitur maris & fœminæ facit, vt homo non sit in participatione gratiæ, ergo malũ. Vnde Hier. *Tempore, quo coniugales actus geruntur præsentia spiritus sancti non dabitur: & si propheta verè dicatur, qui officio generationis obsequitur.* Hier. super Matt.

¶ ITEM, dicit Aug. quòd sanctiora sunt coniugia pari voto continentium. Et dicit ad Eduiam: *Tantò sanctius inter vos coniuges manebatis, quantò sanctiora concorditer placita seruabatis: sicut fuit coniugium Mariæ & Ioseph.* Ex quo relinquitur, quòd recessus à carnali copula in coniugio est accessus ad sanctificationem: ergo accessus ad copulam est malum: ergo coitus secundùm se est malum: ergo prohibitum: sed non alibi, quàm hic. August. Idem Ep. 196.

¶ ITEM: Omne, quòd excusatione indiget, secundùm se est vituperabile. Sed coitus ad hoc quod fiat licitè, necesse est, quòd per matrimonium excusetur: vt dicit Aug. Ergo secundùm se est malum, siue in genere.

¶ ITEM, si aliquis actus addita circumstantia est licitus: ipsa verò remota non est licitus; est malum in genere. Idem in sermone de Verbis Apostoli.

Sed coire solùm addita circumstantia ista, *cum sua, seu coniugaliter*, est licitum; remota, non: ergo, &c.

)([illegible]

RESOLVTIO.

Cùm coire sit actus indifferens in genere moris simpliciter, & nullo addito prohiberi non potest.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd coitus masculi & fœminę, quantum est de ipso actu, bonum est in genere naturæ in se: in genere verò moris indifferens: sicut comedere & bibere, quia potest benè fieri, & malè. Vnde Aug. *Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio: & illicitus, sicut in adulterio: contra naturam semper illicitus.* Sed notandum quòd *indifferens* dicitur duobus modis. Vno modo quòd cum de se non sit malum, indifferéter potest fieri: quemadmodum comedere, ambulare. Alio modo indifferens dicitur, quòd cùm sit bonum, post benè fieri & malè; non tamen indifferenter potest exerceri, nisi addita debita circũstantia: sicut iurare, quòd non est licitum fieri, nisi exigente, vel interueniente debita causa. Tale indifferens est coire, quòd non est licitũ fieri, nisi cum sua coniuge. Et ratio huius est: quia quidam actus respiciunt statum singularis personæ; quidam verò actus respiciunt statum naturę vel causæ vniuersalis. Primi actus indifferenter possunt exerceri, non addita circumstantia indebita, quales sunt, qui dicti sunt, ambulare, & comedere. Secundi actus non possunt indifferenter exerceri, nisi addita debita circumstantia: & hoc est propter excellentiã actus respicientis causam vniuersalem: sicut iurare, quòd respicit causam vniuersalem scil. primam veritatem: & coire, quòd respicit causam vniuersalem scil. multiplicationem speciei. (Aug in li. contra Iulianũ.)

¶ ITEM, notandum: quòd indifferens dicitur vno modo, non habens maiorem inclinationem ad bonum, quàm ad malum, vel econuersò, vt ambulare. Alio modo dicitur indifferens, quòd potest benè & malè fieri: tamen magis inclinatur ad malum, quàm ad bonum, vt iurare, cuius frequentia sæpè vertitur in periculum periurij post peccatũ: similiter coire ratione concupiscentiæ fomitis magis trahit ad inordinationem libidinis, quàm ad bonum fœcunditatis post lapsum hominis.

¶ AD illud ergo, quòd primò obijcitur: quod omnis coitus est actus inordinatus. Dicendum, quòd coire potest dicere actum absolutè virtutis generatiuæ ad multiplicationẽ speciei: & secundũ hoc nihil ponit inordinatum, prout esset in statu naturæ benè constitutæ. Alio modo potest dicere actum, cui* concreata est corruptio: & sic ratione actus non dicit aliquod inordinatum, sed naturale bonum: ratione verò corruptionis concretæ, quæ est ei connaturalis post peccatum; ita quod conuersum sit vitium in naturam, concomitatur actum inordinatio: non tamen sequitur, quòd omnis talis actus sit inordinatus; sed quod nullus est sine inordinatione. (*Alias, concreta.)

¶ AD secundum per hoc idem patet responsio: quia quòd donum prophetiæ subtrahitur per coitum coniugalem: hoc non est propter inordinationem seu malitiam actus, sed propter inordinationem delectationis annexæ: vnde non sequitur ex hoc; quòd coire sit malum: sed quòd est cum malo.

¶ AD aliud similiter respondendum: quòd coniugium sanctius dicitur in continentia à carnali copula, non propter elongationem ab actu, qui est naturalis: sed propter elongationem à corruptione libidinis, quæ est innaturalis. Secundum quem modum perfectius dicitur non iurare, quàm iurare ex debita causa: non ratione elongationis ab actu, sed ratione elongationis à periculo periurij.

¶ AD aliud similiter patet responsio: quia quod coitus post lapsum indigeat excusatione, hoc est ratione delectationis annexæ, non ratione actus, ratione cuius solùm indiget debitis circumstantijs: & ideo in genere moris est indifferens.

¶ AD vltimum ex prædictis patet responsio; nam quod coire non sit licitum, nisi adhibita debita circumstantia, hoc non est propter inordinationem actus in se, sed propter excellentiam ordinis actus; qui respicit non tantùm statum singularis, sed statum naturæ vniuersalis: & ideo quia respicit statum reipublicæ, non potest indifferenter exerceri, nisi adiuncta debita circumstantia: sicut infrà declarabitur.

MEMBRVM IV.

An concubinatus sit illicitus sexto hoc præcepto prohibeatur?

POSTEA quæritur de cõcubinatu? vtrùm prohibeatur. Est autem differentia & secundùm leges humanas & diuinam inter coniugem, concubinam, & meretricem. Nam coniunx est, quæ assumitur in indiuiduam vitæ consuetudinem. Concubina, quæ accipitur separabiliter sc. ad tempus ad quærendum prolem. Meretrix, quæ recipitur solùm ad explendam libidinem. Secundum hoc quæritur, vtrùm coitus concubinarius prohibeatur hic.

¶ AD quod arguitur per exemplum Abraæ, qui propter sterilitatem vxoris suæ ingressus est ad Agar Ægyptiam concubinam; vt ex ea filium acciperet. Sed in hoc laudatur Abraam: ergo, &c. Gen 16.

¶ ITEM, exemplo Iacob, qui habuit plures concubinas Bilam & Zelpham ancillas Liæ & Rachelis: sicut dicitur. Gen. 29. Vnde Gen. 35. Dicitur, quòd Ruben dormiuit cum Bala concubina patris. Gen. 29.

¶ ITEM, exemplo Dauid, qui legitur placuisse Deo, habendo concubinas: de quibus dicitur. *Ingressus est Absalon ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Gen 35. 2. Regum 16.

¶ ITEM, ante institutionem matrimonij inter Adam & Euam, de quo habetur: Gen. 2. Dixit Dominus ad Adam & Euam. *Crescite, & multiplicamini.* Ergo ex præcepto Domini habuit Adam Euam, vt sociam propagandæ sobolis ante institutionem matrimonij: ergo habuit eam vt concubinam. Gen. 1.

¶ ITEM, nullus faciens secundũm præceptum Domini, peccat. Sed vir concubinarius cũm sua concubina coiens propter prolem multiplicandam; facit secundùm illud præceptum. *Crescite & multiplicamini:* ergo non peccat, sed facit quod licitum est. Ibi.

¶ ITEM, de lege naturali est: vt quod in nullius bonis est, occupanti concedatur: vnde comedere illud, quòd nullius iuris est, simpliciter est licitum. Ergo coire cum illa, quæ nullius iuris est; est simpliciter licitum sc. illa, quæ absoluta est à lege coniugij.

¶ ITEM Aug. *Vti re ad illud, ad quod est, est rectè vti:* sicut vti cibo propter sustentationẽ corporis, est rectè vti, quia ad hoc est. Ergo vti coitu ad procreationem prolis, est rectè vti; quia potentia ad hunc actum scil. vis generatiua propter hoc data est. Ergo simpliciter licitus est coitus concubinarius: prout supra determinatum est. Augusti.

¶ ITEM, coitus cum soluta aut prohibetur, quia secundũm se malum: aut non quia malum, sed propter aliquod bonum: vt propter bonum obedientiæ Adæ non comedere de ligno scientiæ. Si primo modo; ergo erit contra legem naturalem; quia omne malũ secundùm se est contra dictamen legis naturalis. Contra, Lex naturalis determinat, coeundũ masculum cum fœmina propter multiplicandam speciem: non autem determinat suam, vel non suam: relinquitur ergo quod coire non est contra legem naturalem: & ita non secundùm se malum. Si secundo modo; cùm non prohibeatur in Decalogo; quia non dicitur: *Non coibis cùm fœmina,* sed dicitur: *Non mœchaberis,* h. e. non coibis cum aliena: nec in alia scriptura: ergo simpliciter est licitum: licitum enim est, quòd nullo iure prohibetur. Exod 20.

¶ ITEM, cùm ista possit se dare ad semper isti ad actum coitus; cùm sit soluta, poterit se dare ad tempus, ergo potest se dare isti in concubinam.

¶ ITEM, quare consensus ad tempus non excusat coitum, sicut consensus ad semper?

¶ CONTRA. *Propter fornicationem vnusquisq; suam habeat: & vnaquæq; virum suum habeat.* Gloss. Propter fornicationem vitandam vnusquisq; habeat suam, non alienam: vxorem, non concubinam. Ergo coitus concubinarius est fornicarius & illicitus. 1. Cor. 6.

¶ ITEM Aug. *Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter vxorem tuam.* Aug. lib. de decem cordis

¶ ITEM, de lege naturali non solùm est liberorũ generatio, sed educatio, & hæreditatio. Sed educatio filiorum & hæreditatio non possunt esse, nisi inter parentes sit indiui-

dua vitæ cōsuetudo: ergo Lex naturalis non approbat coitum nisi illum, qui est inter coniuges, indiuiduam vitæ consuetudinem retinentes: reprobat igitur coitum concubinarium.

¶ Item, de lege naturali est: fac alij, quòd tibi vis fieri: ꝙ debet intelligi de ratione ordinata. Sed de ratione ordinata per naturā vult vir, ꝙ affectus mulieris, cùm qua copulatur, ei adhæreat inseparabiliter; & econuersò: ergo de lege naturali tenentur inuicem inseparabiliter adhærere. Secundum legem ergo naturalem non approbatur coitus concubinarius: in quo non est inseparabilis adhæsio.

RESOLVTIO.

Concubinatus, cùm concubina scil. ad tempus sumpta ad prolem habendam, omnino sexto hoc præcepto prohibetur, vti illicitus, fornicarius, & secundùm se malus: quia vtriq. legi, & naturali (videl.) & scriptæ contrarius.

Idem in lib. de bono coniugali.

¶ Solvt. Dicendum secundùm Aug. *Concubinæ ad tēpus adhibita, etiam si causa filiorum concubant; iniustum faciunt concubinatum.* Vnde distinguendum est, ꝙ concubinatus dicitur duobus modis, sicut concubinæ: concubina enim dicitur duobus modis. Vno modo assumpta tēporaliter ad prolem producendam (Assumpta temporaliter dicitur, ad differentiam vxoris: ad prolem producendam, ad differētiam meretricis, *Concubina Nachor peperit ei filios.*) [Gen. 22.] Alio modo assumpta inseparabiliter ad semper, sed conditionis seruilis. Primò modo concubinæ non sunt vxores: & coitus concubinarius est fornicarius, & illicitus, contra legē naturalem & scriptam (sicut ostensum est) & secundùm se malum. Tum quia est contra ius publicum naturæ ad conseruationem: ꝙ dictat filiorum procreationem cum educatione & hæreditatione, vt in eis saluetur genus humanum: quod non posset esse, nisi esset copula inseparabilis parentum. Tum quia contra ius rationis priuatum, ꝙ dictat non facere alij, quòd tibi non vis fieri, & facere alij, ꝙ tibi vis fieri: vult autem quilibet vir, vt affectus eius, cui copulatur, inseparabiliter sibi adhæreat: & econuersò. Secundò modo concubinæ sunt vxores: sed tamen non dicuntur vxores, sed concubinæ; quia non erant principales: quamuis secundum veritatem essent vxores. Vnde Gen. 16. dicitur quòd Sara dedit Abrahæ Agar vxorem: & c. 30. dicitur quòd Rachel dedit Balam ancillam viro in coniugium, vt de ea susciperet prolem. Et secundùm hoc concubinarius coitus est coniugalis. [Gen 16. Gen. 30.]

¶ Vnde secundùm hoc patet responsio ad illud, ꝙ objiciebatur de exemplis patrum, Abraam, Iacob, & Dauid.

¶ Ad illud verò, ꝙ objicitur: quòd ante institutionem matrimonij dictum est. *Crescite.* [Gen. 1.] Respondendū dupliciter: quia aut illud dictum est per anticipationem, vt determinaretur institutio perfecta humani generis: & tunc nulla est obiectio. Aut distinguendū est, ꝙ est institutio matrimonij quantum ad rem, quæ determinatur, cùm dicitur: *Masculum & fœminam creauit eos.* Et sequitur: *Crescite & multiplicamini.* [Ibidem.] Et quantùm ad sacramentum, cùm dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Et ꝙ præceptū est ante institutionem matrimonij. *Crescite & multiplicamini*, dictum est non quod ante institutionem fieret, sed post.

¶ Ad illud, quòd objicitur, quòd fornicator facit secūdùm illud præceptum Dei. *Crescite & multiplicamini.* Dicēdum, quòd ante multiplicationem humani generis fuit præceptum, non quibuscunq;, sed coniugibus: vt Adam & Euæ, qui fuerunt coniuncti per matrimonium, statim post formationem Euæ de latere viri: vnde statim dixit Adam. *Hoc nunc os, &c. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:* & Gen. 9. Noë & filijs cū vxoribus suis. [Gen. 2. Gen. 9.] Post multiplicationem verò humani generis, & perfectionem in incarnatione Christi non est præceptū, sed indulgentia. *Reuertimini in idipsam.* Et sequitur: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* [1. Cor. 6. Ibid.]

¶ Ad illud; ꝙ objicitur: quòd in nullius bonis est, occupanti conceditur. Dicendum, quòd non intelligitur de quibuscunq; rebus: non. n. intelligitur de rebus naturali iure communibus; vt sunt aqua, & aër, & littora: quæ sunt naturali iure publica: nec de rebus communibus iure humano; vt de rebus vniuersitatis: vt sunt in ciuitatibus theatra, & stadia, & huiusmodi: nec de rebus sacris & religiosis: quod. n. diuini iuris est, in nullius bonis est. Sed intelligitur solùm de rebus appropriabilibus: vt terra, quæ à nullo fuit possessa, & feræ, & aues: sicut dicit humana Lex lib. 2. Inst. [Institutionum lib. 2. de rerum diuisione.] Vnde persona rationalis excipitur: quæ ad Dei imaginem condita est. (Gen. 1. & 2.) & sui arbitrij & potestatis. (*Reliquit eum in manu consilij sui*) [Eccles. 15] diuini iuris & sui est: vnde non conceditur occupanti, nisi diuino iure & ꝓpria voluntate interueniente in consensum coniugalem. Et ita non est simile de comestione rei, quæ in nullius bonis est; & de coitu cùm soluta à lege coniugij: quamuis. n. sit soluta; tamen est diuini iuris, sicut templum sanctum, quia ad imaginem Dei: & sui iuris, quia liberi arbitrij & potestatis.

¶ Ad illud Aug. *quòd vti re ad illud, ad quod est; est rectè vti.* [August.] Dicendum, ꝙ non est generaliter verum; nisi cum vtimur re ad illud, ad ꝙ est, licito & debito modo: illicitus autem modus est vti coitu non coniugaliter: & quamuis propter prolem fiat, non erit licitum. Vnde Aug. *Sicut sanctius est mori fame, quàm idolothytis vesci: ita sanctius defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere.*

¶ Ad illud, ꝙ post quærit, an sit malum secundùm se. [Aug. ...] Dicendum ꝙ sic: Et cum objicitur, quòd nō est contra legem naturalem. Distinguendum, ꝙ est Lex naturalis à natura generis, sicut dicit Isid. [Isidor.] Naturale est, quòd natura docuit omnia animalia; vt masculus cùm fœmina: & hoc modo verum est. Item est Lex naturalis à natura speciei scil. rationalis: vt, non facias alij, quòd tibi non vis fieri: & fac alij, &c. Et hoc modo est contra legem naturalem: vt suprà dictum est. Circa autem legem secundo modo dictam, quæ est dictamen rationis, accidit malitia & peccatum.

¶ Ad illud, quod objicitur: quòd soluta mulier potest se licitè dare ad semper: ergo & ad tempus. Dicendū, quòd non sequitur: quia dare ad semper est secūdùm legem naturalem rationis: sed se dare ad tempus, est contra legem naturalem & diuinam, vt supradictum.

¶ Ad vltimum patet solutio ex iam dictis.

ARTICVLVS I.

An præcepto hoc, non mœchaberis, & simplex etiam fornicatio prohibeatur?

Qværitvr cōsequenter? Vtrùm fornicatio simplex prohibeatur isto legis præcepto? Et quāuis videatur relinqui ei præcedentibus: tamen objicitur in hunc modum. Nullus actus naturalis prohibetur lege Decalogi, sed solùm actus vitiosus prohibetur, & virtuosus præcipitur. Sed fornicatio est actus naturalis. *Mutauerunt naturalem vsum in eum, qui est contra naturam.* Gloss. *Naturalis vsus est viri cùm muliere.* [Rom. 1 Gloss.] Ergo non prohibetur in Decalogo.

¶ Item, sicut dicit Aug. *Decalogus est renouatio legis naturalis.* [August.] Sed actus fornicarius est secūdùm legem naturalem: ergo, &c.

¶ Item. Gen. 38. cum Thamar remisit. Iudæ, quæ dederat ei propter libidinem suam explendam: dixit. *Iustior me est: quia non prostituerat se nisi causa prolis propagandæ.* [Gen 38.]

¶ Item Oseæ 1. præcepit Dominus prophetæ facere filios fornicationum, & accipere fornicariam. [Oseæ 1.] Sed Dominus non præcipit peccatum; nec secundùm se malum.

¶ Item, secundùm ius naturale omnia communia: ergo secundùm ius naturale potest quilibet vti qualibet: ergo fornicatio non est contra ius naturale.

¶ Item, in his, quæ à iure naturali procedunt, non contingit peccare. Sed coniunctio maris & fœminæ procedit à iure naturali: ergo, &c.

¶ Item. *Exerce teipsum ad pietatem.* [1. ad Tim. 4.] Ambros. [Ambros.] *Omnis summa disciplinæ Christianæ in pietate & misericordia consistit: quàm aliquis sequens, etiam si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit; sed non peribit.* Ergo non est mortale peccatum: ergo nec prohibetur; cùm omne prohibitum mortale sit: nam veniale peccatum non prohibetur.

¶ Item, Augustinus: *Omnis mœchia fornicatio dicitur, etiam in scripturis: sed vtrùm omnis fornicatio mœchia possit dici, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit expressæ locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio mœchia dici non potest, nisi s.t* [Aug. in quæst. super Exod. 20.]

in Decalogo prohibita: illa fornicatio, quàm faciunt qui vxores non habent, cùm fœminis quæ viros non habent; an inueniri poßit, ignoro.

Hebræ. vlt. ¶ CONTRA, *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Sed *iudicare* ibi accipitur pro condemnare. Si ergo fornicationis & adulterij est similis damnatio, & similis prohibitio: ergo cum isto præcepto prohibeatur adulterium: prohibetur similiter & fornicatio.

Deut. 23. ¶ ITEM. *Non erit scortator de filijs Israël.* Et constat quòd ista prohibitio est moralis: ergo emanat à præcepto Decalogi: sed non nisi ab isto: ergo, &c.

¶ ITEM fornicarius actus dicitur coitus libidinosus. Sed omnis talis actus secundùm se est culpabilis.

¶ ITEM ad idem sunt rationes supra positæ.

RESOLVTIO.

Adhuc & simplicem fornicationem præcepto hoc prohibitam intelligimus.

Aug. super Exod. 20. ¶ SOLVT. Secundùm Aug. *Furti nomine benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed vtiq; à parte totum voluit intelligi, quicquid illicitè rerum proximi aufertur. Sic profectò nomine mœchiæ omnis illicitus coitus atq; illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi.* Ex quo patet fornicationem esse prohibitam hoc præcepto.

¶ AD ea ergo, quæ primò obijciuntur, notandũ: quòd fornicatio in coitu cum soluta fit duobus modis. Vno modo intentione explendæ libidinis in non sua: alio modo intentione propagandæ prolis in non sua. Et vtroq; modo fornicatio est actus vitiosus: sed primo modo dupliciter, tum ex inordinatione actus circa materiam, tũ ex inordinatione circa finem: secundò modo ex inordinatione actus circa materiam solùm. Interimenda ergo est propositio, qua dicitur: ꝙ fornicatio est actus naturalis. Ad illud ergo, quòd obijcitur: quòd naturalis vsus est viri cum muliere. Patet responsio ex prædictis, quia à natura generis verum est, secundùm quam est ius, quòd natura docuit omnia animalia; vt masculus cum fœmina: à natura verò speciei, quæ est rationalis, non erit naturalis vsus, nisi sit viri cum muliere sua: vnde fornicatio non est naturalis actus hoc modo: peccatum verò sodomiticum contra naturam est vtroq; modo, & ideo nefandissimum. Et per hoc patet responsio ad secundum.

Gen. 38. ¶ AD tertiũ, quod obijcitur: quod dixit Iudas de Thamar. *Iustior me est.* Dicendum est, quòd abusiua est comparatio: non. n. per hoc debet intelligi fieri comparatio iustitiæ ad iustitiam: sed tropicè, iniustitiæ minoris ad maiorẽ: vt fornicationis, quæ est in intentione prolis; ad fornicationem, quæ fit sola volu[ptate] libidinis.

¶ AD quartum dicend[um]; quòd illud, quòd Oseæ dicitur; quòd acciperet fornicariam: intelligitur duobus modis. Vno modo vt intelligatur de acceptione, quæ est in coniugium: & tunc mulier, quæ prius fornicaria erat, iam coniunx effecta est. Alio modo vt intelligatur de acceptione mulieris, quæ erat fornicaria ad filios generandos: & tunc fornicatio non dicit inordinationem respectu finis: sed defectum materiæ debitæ: qui suppletur ex diuina iussione, vt non sit vitiosus seu illicitus talis coitus: quo modo dicit B. Bern. ꝙ istud præceptum recipit dispẽsationem à Deo, non ab homine, & cætera secundæ tabulæ. Et hoc modo respondetur, secundùm ꝙ illud verbum prophetæ intelligitur historicè. Si autem intelligatur parabolicè, nihil facit ad propositum. — Bern. in lib. de dispẽsatione & præcepto.

¶ AD aliud, ꝙ obijcitur: quod secundùm ius naturale omnia sunt communia. Patet responsio ex dictis in Quæstione præcedente: quia illud non intelligitur de rebus nisi communiter ad vsum concessis: & quæ non pertinent ad esse rei singularis constituendæ, vt sunt corpus & anima: nec ad esse speciei saluandum & multiplicandum; vt sunt vir & mulier. Vnde eadem ratione, qua spiritus carnem, & caro spiritum: vir lege rationis naturalis propriam vxorem, & mulier propriam debet habere virum.

¶ AD illud, ꝙ obijcitur: quod coniunctio maris & fœminæ procedit à iure naturali. Dicendum, ꝙ verum est: non tamen sequitur: quod à iure naturali procedit coniunctio quolibet modo facta: sed cum debitis circumstantijs.

¶ AD illud, quòd obijcitur de Ambr. quod qui lubricum carnis patitur, vapulabit, sed non peribit. Dicendum ꝙ hoc non dicit ad attenuandum peccatũ fornicationis: in qua finaliter perseuerans incurrit pœnam æternam: sed hoc dicit ad commendationem exercitij pietatis, ꝙ valet ad obtinendam gratiam liberantem à lubrico carnis: & quia vix est aliquis, qui hac intentione se exerceat, quin obtineat gratiam à diuina pietate; & illorum, quibus benè facit, suffragijs, & oratione, dicit per ex[pre]ssionem *vapulabit; sed non peribit*, cùm tamen possibile [sit], & contingat se habere aliter frequenter.

¶ AD vltimum patet responsio ex iam dictis: quia quod dicit Aug. se ignorare; an fornicatio alicubi in Decalogo prohibeatur: intelligitur de expressa prohibitione. Et licet expresè non fiat de ea mentio; prohibetur nihilominus, cùm dicitur: *Non mœchaberis*, sicut rapina, cum dicitur: *Non furtum facies*, quia (sicut idem Aug. dicit) à parte totum intelligitur. — August. Exod. 20 August.

MEMBRVM VI.

An item incestus præcepto hoc prohibeatur?

CONSEQVENTER quæritur? Vtrũ hic prohibetur coitus incestuosus. Dicunt autem incestuosum coitum contra legem consanguinitatis, vel affinitatis, vel voto castitatis cõmissum. Quæritur ergo, vtrùm incestus vniuersaliter hic prohibeatur.

¶ AD ꝙ sic: dicit Aug. Nomine mœchiæ omnem illicitum coitum debere intelligi. Cùm ergo omnis incestus sit huiusmodi: omnis incestus hic prohibetur. — August.

¶ CONTRA, incestus benè potuit fieri aliquando, & adhuc potest, casu cõtingente: ergo non est secundùm se malum: ergo nec in Decalogo prohibitum. Probatio mediæ: quoniam incestus est coitus cum sorore: sed talis coitus licitus fuit in primis filijs: ergo aliquando incestus non fuit malum.

¶ ITEM, incestus, quem dicimus esse in coitu constitutorum in sacris ordinibus, non erat illicitus tempore Apostolorum: ergo non semper fuit malum: ergo nec in Decalogo prohibitum.

¶ ITEM, Ecclesiæ orientalis Sacerdotes & Diaconi adhuc habent vxores, & tamen habent eosdem ordines. Incestus, igitur non est culpabilis apud oẽs: ergo non est generaliter malum: ergo nec in Decalogo prohibitum.

¶ ITEM, si tempore Loth vera esset opinio filiarũ, nunquid culpabilis esset incestus filiarum cum patre. Nam cũ necessitas multiplicationis humani generis fecit, quòd coitus fratris cum sorore esset licitus in filijs Adæ: ergo & similis necessitas faciet licitum esse coitum filiæ cum patre.

¶ ITEM, Ambr. *Loth sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt: ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia priuatam culpam prætexuẽt.* — Ambros. in lib. de Patriarchis.

¶ SED contra hoc vltimum obijcitur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem: & adhærebit vxori suæ.* Ab initio ergo conditionis illicita est copula filij cum matre, & filiæ cum patre: ergo in Decalogo prohibetur. — Gen. 2.

RESOLVTIO.

Incestus omnino præcepto hoc prohibetur: quinimmò vti actus immoderatus semper dedecuit; tametsi pro varia temporum successione aliter atq; aliter.

¶ SOL. Dicendum, ꝙ incestus generaliter dicitur coitus transgrediens limites circa personas ordinatas ad multiplicandam naturam. Ponuntur aũt limites lege naturali, lege diuina, sanctione ecclesiastica. Lege naturali positi sunt limites, vt excluderentur pater & mater. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*, &c. Lege diuina postmodũ. *Vt excluderentur non solùm Pater & Mater: sed Frater & Soror*, &c. *vsq; ad 11. personas.* Sanctione ecclesiastica exclusæ sunt aliæ personæ ratione consanguinitatis vsq; ad talem gradum, sicut antiquitus vsq; ad septimum gradum: nunc verò vsq; ad quintum: similiter ratione affinitatis & voti castitatis exceptæ sunt aliæ personæ tempore gratiæ. Primi — Gen. 2. Leuit. 18.

ergo

ergo limites excludunt paucas personas: & hoc propter necessitatem multiplicandæ naturæ. Secundi limites excludunt plures propter honestatem multiplicandæ naturæ. Tertij limites excludunt plurimas, iam non necessaria multiplicatione, pro amplianda charitate, & sacramentorum honestate: pro quo tempore dicit Apostolus: *Vellem omnes esse sicut ego: & bonum est viro mulierem non tangere.* (1. Cor. 7.)

¶ Ad primum ergo, quod obijcitur: dicendum quod incestus dicit actum inordinatum: videlicet coitum contra honestatem multiplicandæ naturæ, & ideo dicit secundùm se malum, & hoc præcepto prohibitum: coitui autem fratris cùm sorore accidit, quod sit incestus: & ideo non sequitur; coitus talis aliquando fuit licitus, quia non erat inordinatus; ergo incestus est licitus: immò est sophisma accidentis.

¶ Ad illud, quod obijcit de incestu constitutorum in sacris ordinibus. Dicendum quod in speciali non prohibetur Decalogo, nec lege naturali: sed sanctione ecclesiastica, quæ est Euangelica. Sed in generali prohibetur inquantum prohibetur omnis illicitus coitus, siue sit contra naturæ ordinem, siue contra honestatem naturæ.

¶ Ad illud, quòd obijcit de sacerdotibus orientalis Ecclesiæ. Dicendum, quòd non est incestus: quia eis non est limes positus.

¶ Ad illud verò, quod quæritur de filiabus Loth. Dicendum, quod coitus filiæ cùm patre, vel filij cùm matre est contra ordinem legis naturæ: & ideo semper est coitus incestuosus & illicitus. Et causa est, quia ordo naturæ distinguit, quòd est à principio generationis, à comite generationis: à principio generationis filius & filia: comites generationis Pater & Mater. Si ergo copularetur filius matri, vel filia patri: confunderetur ordo naturæ: quia quod est à principio generationis, esset comes generationis: nec distinguerentur ordines naturæ: vnus, qui est principij generationis, ad id quod est de illo: alius, qui est principij generationis ad comitem generationis.

¶ Ad illud, quod dicit Ambr. quod publici muneris gratia priuatam culpam prætexuit: intelligendum est: peccatum hoc diminuit, non totaliter euacuauit. Quia. n. gratia humani generis propagandi, quòd credebant defecisse, cùm patre coierunt; ideo excusantur à tanto, non à toto. (Ambros. in lib. de Patriarchis.)

MEMBRVM VII.

De coitu cùm pluribus.

Post modum quæritur de coitu cùm pluribus: vtrùm hic prohibeatur. Et quæruntur circa hoc duo. Primò generaliter, vtrùm habere plures prohibeatur Decalogo. Secundò specialiter de facto Abrahæ & Iacob: qui plures habuerunt.

ARTICVLVS I.

An plures vxores habere, generaliter prohibitum sit.

Circa primum quæritur? Vtrùm coire cùm pluribus vxoribus sit mœchari. Quòd non, videtur: cùm legamus sanctos patres scil. Iacob & Moysen, & Dauid plures habuisse vxores. Sed si hoc: ergo Lamech non peccauit.

¶ Contra. Gloss. *Primus Lamech contra naturam & mortem adulterium commisit.* (Glossa.)

¶ Propter hoc quæritur? an habere plures sit contra ius naturale, & contra illud preceptum, non mœchaberis. Et videtur, quòd non: quia si habere vnicam esset de iure naturali: semper fuisset peccatum habere plures; quia contra ius naturale nullus potest dispensare, nec etiam Deus: quia non potest facere contra suam bonitatem.

¶ Item, aliquando fuit licitum & meritorium habere plures: vt in sanctis patribus. Sed quod est contra ius naturale, nunquam potest benefieri: ergo nec meritoriè.

¶ Item, Aug. *Obijciuntur Iacob quatuor vxores.* Sed quando mors erat, crimen non erat: nunc autem crimen est, quia mos non est. Ergo habere plures malum est solùm, quia est contra cõsuetudinem: ergo non est malum secundùm se. (Aug. in Gen. 29.)

¶ Contra, vox omnium est vox naturæ. Sed oẽs dicũt bonum, vnicam esse vnius, ergo vnicam esse vnius est de iure naturali: ergo vnum habere plures est contra ius naturale: ergo secundùm se malum: ergo prohibitum, non nisi in Decalogo: ergo, &c.

¶ Item, ratio dictat, quod maior debet esse continentia in homine, quàm in aliqua volucre. Sed turtur huiusmodi continentiam seruat; quia vnus nõ habet nisi vnam: ergo ratio dictabit hoc in homine: ergo seruandũ: ergo facere contra, semper fuit contra dictamen rationis, & ita malum.

¶ Item, ratio naturalis dictat, ne facias alij, quòd tibi non vis fieri. Sed vir non vult, quòd mulier diuidat carnem suam cum multis: ergo nec ipse debet diuidere carnem suam cum multis mulieribus.

RESOLVTIO.

Plures habere semper prohibitum fuit; nisi diuina dispensatio occultè intercciderit.

¶ Sol. Ad primum dicendum, quod habere plures adulterium fuit Lamech duplici de causa, sc. quia contra iùs naturale siue dictamen rationis: & quia contra morem, hoc est contra consuetudinem; & etiam contra morem; quia contra immoderantiam: ex incontinentia. n. immoderata plures habuit. Quia contra ius naturale fecit, peccauit in Deum: quia contra morem, scandalizauit proximũ. Sancti verò patres non cõmiserunt adulterium, nec peccauerunt contra ius naturale: quia cum eis occulta inspiratione fuit dispensatum; sicut patebit infra: nec contra morem, quia iam erat in consuetudinem tractũ. Si aũt quæratur dispensationis causa: dicendum triplicem fuisse causam. Primam propter multiplicationem cultus Dei: quia temporibus illis pauci erant cultores Dei. Secunda causa fuit propter figuram: coniugium. n. figurabat connubium Christi & Ecclesiæ, quæ multiplicatur per actiuos & cõtemplatiuos filios, & mercenarios: quod figuratur in vxoribus Iacob, liberis & ancillis. Tertia fuit propter moderantiam & temperantiam: moderatè. n. appetebant antiqui patres coitum: & ꝓpter solam propagationem ad cultũ Dei. Et ideo dicit Aug. *Quando mos erat, peccatum non erat: vt mos dicatur non solùm propter consuetudinem, sed etiam propter moderamen.* (August.)

¶ Et per hoc soluitur primum: & qualiter fuerit contra hoc præceptum, & qualiter non.

¶ Ad illud ergo, quod secundò quæritur? an sit contra ius naturale. Distinguendũ est, quod ius naturale dicitur tripliciter. Communissimè, Lex creaturarum, quæ consistit in ordine naturarum, & distributione mutua, secundũ quod vnum elementum non potest esse sine alio: & secundũ quod Aug. dicit, quod indicium summæ largitatis est, quòd quælibet creatura compellitur dare se ipsam. Communiter dicitur ius naturale secundùm Isid. quod natura docuit omnia animalia: vt masculus cum fœmina. Specialiter & propriè dicitur ius naturale, quòd dictat naturaliter ratio faciendum. Contra ius naturale primo modo dictum nihil est: contra ius secundo modo dictum est peccatum sodomiticum: contra ius naturale tertio modo dictum est omne illud, quod est contra naturale dictamen rationis. Dicendum ergo, quod salua dispensatione maioris, hoc est Dei, habere plures fuit contra ius naturale tertio modo dictum, & in se malum. (Isidor.)

¶ Ad illud ergo, quod obijcit: quòd si fuit contra ius naturale, semper fuit peccatum. Dicendum, quòd non sequitur: aliquid. n. est contra ius naturale, cò quod est malũ secundùm se, hoc est, quòd nulla causa potest bene fieri, vt fornicari, mentiri: & istud nunquã potest non esse peccatum. Aliquid aliud est contra ius naturale, eò quod est malum in se; quòd simpliciter non potest benè fieri: tamen ex causa in casu benè potest fieri, & etiam meritoriè; vt occidere: & tale est hoc scil. habere plures.

¶ Ad illud ergo, quòd implicabatur: quod non potest Deus facere contra ius naturale. Dicendum, quòd de iure naturali est virtus, & opus virtutis. Circa ergo ius naturale, secundùm quod existit penes essentiam virtutis, nõ potest esse dispensatio; quia hoc esset contra Dei bonitatem & iustitiam: circa opus autem virtutis potest esse dispensatio diuina: opus enim virtutis est mutabile, ipsa verò immutabilis. Et per hoc etiam soluitur secundò obiectum.

August. ¶ Ad illud ergo, quod obijcitur secundũ Aug. ꝙ quando mos erat, non erat peccatum. Dicendũ, quod hoc non dicitur solùm, quod habere plures in patribus non erat peccatum, quia non erat contra consuetudinem: sed quia supponitur cum ipsis fuisse dispensatum: & ideo propter dispensationem non erat contra ius naturale. In huiusmodi enim dictat ratio, quæ non facienda: salua tamen authoritate superioris.

ARTICVLVS II.

An Abraham & Iacob habendo plures vxores, adulterium commiserint?

QVÆRITVR postea de Abraham? vtrùm commisit adulterium, cùm viuente vxore, ad ancillam ingressus est. Et videtur, ꝙ sic: per hoc ꝙ dicitur: *Adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Non dixit: *vxoribus*, sed *vxori*. Nec dixit: *erunt tres in carne vna*, sed *duo* tantùm: & hæc Lex coniugij à principio. Gen. 2.

¶ ITEM, aut Agar fuit ducta in vxorem, aut non. Si fuit ducta in vxorem, ergo in indiuiduam copulam: ergo peccauit Abraham dimittendo ipsam. Si dicatur, quòd hoc fuit inspiratione diuina: ergo non erat vxor: si enim esset vxor, quomodo fieret inspiratio ad diuortium: cum Deus coniuges coniungat. Item, si fuit vxor: ergo Abrahã commisit bigamiam habendo plures: ergo & adulterium: sicut dicitur de Lamech. Gen. 4. Quòd habendo plures commisit adulterium. Si non fuit vxor: ergo coiuit cum non sua: ergo fornicatus est, & peccauit. Gen. 4.

Rabanus super Genes. 16. ¶ ITEM Rabanus excusat de adulterio Abraham in Gloss. super illud: *Igitur Sara vxor Abraham*, &c. vbi dicit: quod non est adulter Abraham, si viuente vxore, ancillæ iungitur: quia nondum promulgata est Lex Euangelij vnius vxoris, & genus suum multiplicandum audierat: sed per q̃ mulierem, nesciebat; quia Saram sterilem nouerat: non fuit in coitu libidinosa voluntas, sed prolis habendæ pia charitas. Ex hac Gloss. ostenditur; quòd Abraham non peccauit.

¶ SED contra istam Gl. opponitur: quia secundũ legem naturæ, q̃ est inscripta cõscientiæ cuiuslibet, est ꝙ vna debet esse vnius; & quod nullus coëat nisi cum sua: ergo si Agar fuit vxor Abraham, peccauit ipse contra legem naturæ, inquantùm dictat vnam esse vnius. Si non fuit vxor: peccauit contra legem naturæ, inquantùm dictat non coëundum esse cum non sua.

RESOLVTIO.

Nec Abraham, nec Iacob plures vxores habendo, adulterium commissere: cùm non libidine, sed cælesti dispensatione id effecere.

¶ SOLVT. Secundum quosdam dicendum, quòd hoc factum est instinctu spiritussancti, & dispensatione: non libidine, & propria voluntate.

¶ SED obijcitur: aut cognouit eam maritali coitu, aut fornicario. Si fornicario, nunquàm consensit spiritussanctus: quia omnis coitus fornicarius semper est malus. Si maritali; ergo fuit vxor. Ad hoc respondent: ꝙ nec sic, nec sic: sed affectu maritali cognouit ancillam, h. e. generandi filios ad cultum Dei; & iste affectus est, q debet esse in viro & vxore: non tamen ex hoc sequitur (sicut dicunt) quod fuerit vxor. Sed contra eos est Tex. Gen. vbi dicitur: *Dedit eam viro suo vxorem.* Sed ipsi hoc ita exponunt: dedit vxorem, hoc est, loco vxoris cognoscendam. Gen. 16.

¶ SED iterum obijcitur: quia si vxor non fuit: coitus ille fuit cum non vxore: ergo fornicarius: affectus enim non potest de fornicario coitu facere non fornicarium.

Rabanus. ¶ PROPTER hoc dicendũ est sine præiudicio: ꝙ fuit vxor, sicut dicit litera; & sicut innuit Rabanus in Gl. dicens: ꝙ nondum erat diuulgata Lex Euãgelij vnius vxoris. Ex quo innuit, quòd habuit Abrahã plures vxores. Dicendũ ergo quod plures habere vxores sine dispensatione & cũ intentione explendæ libidinis, semper fuit peccatum, & contra ius naturale. Cùm dispensatione verò Dei, & causa prolis ad cultum Dei, non fuit contra ius naturale: secundùm enim ius naturale, quòd dictat vnam esse vnius & non plures; semper excipitur authoritas superioris scil. Dei.

¶ AD illud autem, quod obijcitur de electione. Dicendum, quòd fuit in figura, & authoritate Dei, sicut dicitur: *Non tibi durum videatur*, &c. Et ad Gal. 4. Hæc sunt per allegoriam dicta. & 5. Sed quid dicit scriptura: *Ejice ancillam & filium eius.* Gen. 21. Ad Galat. 4 & 5. Gen. 21.

¶ EODEM modo potest quæri de Iacob, qui plures habuit. Sed respondetur sicut de Abraham: ꝙ hoc fecit ex dispensatione & instinctu spiritussancti; amore prolis, non libidinis explendæ causa. Vnde Aug. in Gl. super Gen. 29. dicit: ꝙ Iacob non fecit contra naturam: quia non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur: nec contra morem, quia illis temporibus fiebat istud in alijs terris: nec contra præceptum, quia nulla lege prohibebatur. Et appellat naturam legem naturæ, vel exigentiam naturæ: præceptum verò appellat, quæ sunt legis scriptæ: mores verò consuetudines hominum approbandas. Aug. super Gen. 29.

¶ SI aũt quæratur: quare cum mulieribus non fuit dispensatum, vt plures haberent viros: sicut cum viris, vt principales haberent vxores. Hoc solutu est suprà. Quæst. 27. Membr. 4. Art. 3. §. 3.

MEMBRVM VIII.

An matrimonialis coitus licitus sit?

DEINDE quæritur de coitu coniugali. Volunt autem hæretici omnem coniugalem coitum ostendere esse illicitum: & ita contra istud præceptum. Ad quod inducunt plures authoritates: primò illud. *Bonum est viro mulierem non tangere.* Ex quo arguunt, ergo malum est tangere. 1. ad Cor. 7.

¶ ITEM infrà, dicitur. Volo homines omnes esse sicut ego. Et iterum: Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint.

¶ ITEM, *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Sed Christus nunquam dilexit Ecclesiam ad opus carnale: ergo, &c. ad Ephes. 5.

¶ ITEM. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. Sed non determinat, q̃ mulierem, coniugem, vel no coniugem: sed generaliter dicit: *qui viderit mulierem*, ergo de omnibus generaliter intelligitur: & ita de coniugibus. Matth. 5.

¶ ITEM hoc videtur ex authoritate B. Ambr. *Expletis singulorum dierum operibus, vidit Deus ꝙ esset bonum: in secundo verò die hæc omnia subtraxit: nobis intelligentiam derelinquens: non esse bonum numerum, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum: vnde in archam Noë, quæcunq; animalia bina ingrediuntur, immunda sunt.* Ambr. in Can. 23. q. 1. Nuptiæ. Gen. 7.

¶ CONTRA. *Benedixit Dominus Adam & Euam*, dicens: *Crescite & multiplicamini*, &c. Gen. 9. Gen. 1.

¶ ITEM. *Vxori vir debitum reddat: similiter & vxor viro: mulier enim sui corporis potestatem non habet, nec vir similiter.* Et iterum: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus.* Et rursus: *Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Item: *Saluabitur mulier per generationem filiorum.* Item: *Volo iuniores nubere, filios procreare*, &c. 1. ad Cor. 7. Ibidem. Ibidem. 1. ad Tim. 2. Eadem c. 5.

RESOLVTIO.

Coitus coniugalis omnis licitus est: modò aut ad prolem procreandam sit, aut ad reddendum debitum, aut ad vitandam incontinentiam.

¶ EX quibus manifestè relinquitur, coitum coniugalem, qui fit propter prolem, vel causa reddendi debiti, vel causa vitandi incontinentiam non esse prohibitum.

¶ AD illud ergo, ꝙ primò obijcitur, dicendum: ꝙ cum dicit Apostolus: *Bonum est viro mulierem non tangere*, loquitur pro statu ante coniugium: post contractum verò matrimonium dicit esse debitũ: vnde dicit. *Vxori vir debitum reddat.* Et quod obijcitur, quod non tangere est Bonum, ergo tangere malum: nõ sequitur, sed tangere illicitè: & benè sequitur, quòd non tangere meliùs est, q̃ tangere, secundũ quod dicit Aug. de Bono coniugali. Bona quædam nobis donata sunt à Deo, quæ per se sunt appetenda, vt sapientia, salus, & amicitia: quædam verò propter aliud sunt necessaria, vt cibus, coniugium: quicunq; verò his, quæ propter aliud sunt, non ad id vtitur, propter quod instituta sunt, peccat: quicunq; verò his vtitur ad illud, propter quod instituta sunt, benè facit: qui verò abstinet, melius. 1. Cor. 7. Ibidem.

¶ ET per hoc patet intellectus authoritatis sequentis Apostoli, qua dicit: *Volo omnes homines esse, sicut ego.* Loquebatur enim pro tempore ante coniugium. Ibidem.

¶ AD

¶ Ad illud aũt, quòd dicitur. Qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Dicendum, ꝙ Apostolus illis verbis non debitum coniugale, sed sollicitudinem subtraxit: vnde infrà dixit. *Volo vos sine sollicitudine esse: qui sine vxore est, sollicitus est, quomodo placeat Deo: qui cùm vxore est, sollicitus est, quomodo placeat vxori*, &c. (Ibidem.)

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur: *Viri diligite vxores vestras*, &c. (Eph. 6.) Dicendum, ꝙ non ponitur similitudo quantùm ad actum coniugalem: sed quantùm ad charitatis officium: *Vt vir vxorem diligat, sicut dilexit Christus Ecclesiam*; (Ephes. 5.) paratus animam suam pro ipsa tradere, si necesse est: sicut & Christus pro Ecclesia tradidit: sicut ibidem dicitur.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. (Math. 5.) Dicendum, ꝙ per mulierem vxor proximi intelligitur secundùm intentionem Decalogi, quã explicat sermo Christi: in Decalogo autem dicitur expressè: *Non concupisces vxorem proximi tui*. (Exod. 20.) Si aũt intelligeretur de vxore propria, adulteriũ esset copula coniugalis: nec conceptus in tali copula à Deo promitteretur, nec conceptus in matris vtero sanctificaretur: quod patet esse falsum in Ioanne Baptista. Luc. 1. (Lucæ 1.) cuius conceptus est parentib. à Deo promissus: & ipse in vtero matris sanctificatus, dicente Angelo. *Spiritu sancto replebitur ex vtero matris suæ*.

¶ Et ad illud, ꝙ obijcitur de Ambr. Dicendum (sicut exponitur. 32. q. 1.) ꝙ hoc dixit Ambr. ad exhortationem, non ad necessitatem seruandæ virginitatis: quæ (vt idem dicit Ambr.) (Ambros.) *Suaderi potest, non imperari: res magis est voti, quàm praecepti*. Ex his igitur relinquitur, ꝙ coitus coniugalis licitus est triplici de causa: vid. causa prolis. & secundùm hoc est in officium multiplicandæ naturę: vnde 1. ad Tim. 5. (1. ad Tim. 5.) *Volo iuniores nubere, filios procreare*. Item, causa reddendi debitum: & secundùm h. e. opus iustitiæ: *Vxori vir debitum reddat*. (1. ad Cor. 7.) Item, causa fornicationis vitandæ: & secundùm h. e. in remedium concupiscentiæ. *Vnusquisque propter fornicationem* (supple vitandam) *suam vxorem habeat* (Ibidem.) Prima causa ordinat coitum coniugalem ad Deum, secunda ad proximum, tertia ad seipsum.

¶ Sed quæritur? (Quæst. collateralis.) vtrùm remotis his tribus causis sc. plis habendæ, & debiti reddendi, & fornicationis vitandæ, prohibeatur coitus coniugalis isto præcepto, quo prohibetur coitus illicitus?

¶ Ad quod sic: Hieron. (Hier. in Can. 23. q. 4. Origo.) *Nihil interest, ex qua honesta causa quis insaniat: vnde Sextus Pythagoricus ait: adulter est, in suam vxorem ardentior amator*. Sed quicunque cognoscit vxorem libidine, non ex causa rationabili, est ardentior amator: ergo adulter.

¶ Idem Hieron. (Idem 32. q. 4. cap. Sapiens.) *In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius: sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu: non regnet in eo voluptatis affectus vel impetus, nec præceps feratur ad coitum*. Ex quo relinquitur, ꝙ pari culpa censetur coitus cum aliena vxore, & coitus cum propria ex libidine vel nimio amore. Sed talis est coitus coniugalis exceptis prædictis causis: ergo, &c.

¶ Contra. August. (Aug. de bono cõiugali.) *In ipsa immoderata exactione debiti carnalis, quàm non secundùm imperium præcepit, veniam concedit Apostolus; vt etiam præter causam procreandi sibi misceantur*.

¶ Item. August. (Idem in eodem.) *Si coniuges praui sunt, ad talem concubitum impellunt: nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt*.

¶ Sol. Coitus coniugalis alius est licitus, alius permissus, alius prohibitus. Licitus (sicut dictum est) est coitus coniugalis triplici de causa. Permissus verò est coitus, ex fragilitate seu infirmitate carnis proueniens: in quo quæritur coniugalis delectatio, sed sub Deo: vt Dei amor præponatur illi delectationi: & iste coitus venialis est, quamuis non fiat causa prolis, nec reddendi debitum, nec vitandæ fornicationis: sed causa delectationis talis in coniuge propria, & non in aliena. Vnde dicitur iuxta auctoritatẽ Aug. & Apostoli. (Canon 32 q. 2.) *Institutio coniugij extra paradisum facta est: vt infirmitas prona in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur coniugij*. Et Aug. (Aug. de adulterinis coniugijs.) *Vsus naturalis si vltra modum prolabitur: in vxore quidẽ est veniale: in meretrice verò damnabile*. Prohibitus coniugalis coitus est, qui ex voluntate subdita libini contra honestatem coniugij & ordinem rationis procedit: vt illud, quod fit ad satiandam libidinem per meretricias blanditias, secundùm quẽ modum dicit Hier. (Hieron.) *Nihil fœdius, quàm vxorem amare quasi adulteram*.

¶ Ad illa ergo, quæ dicit Hieron. patet responsio: quoniam intelliguntur de coitu tertio modo dicto.

¶ Ad illa verò, quæ dicit Aug. patet, ꝙ intelliguntur secundo modo. Tamen ad pleniorẽ intelligentiam notandum, ꝙ libido voluptatis aliquando præuenit voluntatẽ: aliquando præuenitur. Cùm præuenit, cùm distinctione, quæ prædicta est; coitus ex illa parte procedens est permissus. Cum verò præuenitur libidine à voluntate: vt sc. cùm quis de industria vtitur calidis & incentiuis; vel cum excitat in seipso motus libidinis propter satietatem libidinis seu delectationis; coitus est prohibitus & illicitus.

¶ Sed quæritur? (Dubitatio collat.) Vtrùm ex alijs causis sit prohibitus coitus coniugalis. Ad quod sic: Aug. (Aug. de adulterinis coniugijs.) *Coitus contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore*.

¶ Item Aug. *Coitus contra naturam semper illicitus est*. Ergo ex modo indebito, hoc est, innaturali est illicitus coitus coniugalis: ergo & hic prohibitus.

¶ Item, Isid. (Idem lib. 1. Contra Iouinianum. Isidorus.) *Sunt mulieres, quæ sicut animalia absq; vlla discretione indefinenter libidini seruiunt. Has ergo nec mutis pecudibus comparauerim: pecora enim cùm concipiunt, vltra non indigẽt maribus ad copulam sui* Ergo coitus cùm coniuge post conceptum est contra rationem: ergo illicitus & prohibitus.

¶ Item. Hieron. (Hieron.) *Qui debene causa reipublicæ & generis humani se vxoribus coniungi, imitentur saltem pecudes: vt postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios: nec amatores se exhibeant vxoribus, sed maritos*. Ergo coitus cũ vxore propinqua partui est illicitus.

¶ Item. (Leuit. 18.) *Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes*. Super quem locum August. (August.) *Necessario vtriq; continentia indicitur*.

¶ Idem ibidem. (Idem ibi ibidem.) *Ita cum hæc sufficienter dixisset in superioribus. hic etiam repetit, ne in superioribus forte figurate videretur accipiendum*.

¶ Item, super illud: (Ezech. 18.) *Si ad mulierem menstruatam non accesserit, vita viuet*: dicit Gl. (Glossa.) *Præcipitur ergo, vt viri non solùm in alienis, sed etiam in suis vxoribus modum & tempora seruent*.

¶ Item, super illud: (Esa. 64.) *Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ* Hier. (Hieron.) *Tunc viri debent abstinere ab vxoribus: tunc n. concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi: vt quia parentes non erubuerunt commisceri in conclaui, eorum peccata pateant cunctis, & aperte redarguantur in paruulis*. Ergo tempore menstruorum coitus coniugalis est illicitus.

¶ Item, dicit Hier. (Hieron.) quod tempore, quo vescuntur carnes agni, abstinendum est.

Item: Dixit Vrias regi Dauid, (1. Regum 11.) non sibi licere dormire cùm vxore sua; quamdiu arca Domini erat in castris. Ex quibus relinquitur, quòd illicitus est coitus coniugalis in solennitatibus, & temporibus ieiuniorum: quæ sunt indicta cuilibet Christiano ad orandum & ad militandum contra carnalia desideria.

¶ Contra. Secundùm ius naturale quilibet potest vti re sua, sicut vult. Cũ ergo vxor viri sit, potest vti ea, vt vult: ergo in ea delectari (dũ tamen sub Deo) quocunq; modo vult.

¶ Item, *Vxori vir debitum reddat, & econuersò*. (1. ad Cor. 7.) Ergo quandocunq; petat debitũ vir ab vxore, debet reddere: & conuersò.

¶ Item in eodem: (Ibidem.) *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir*: & econuersò. Ergo vir potest vti corpore vxoris, quando vult, & quomodo vult.

¶ Si distinguatur, sicut solet distingui, quòd est differentia in coitu cõiugali in petendo, & in reddendo: in omnibus prædictis casibus peccatũ est in petendo, & non in reddendo: si petat affectu satiandæ libidinis, vel modo, vel statu, vel tempore indebito. Contra. (Rom. 1.) *Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt*. gl. (Glossa.) *Dicitur consentire, qui manifesto facinori desinit obuiare*. Cùm ergo ille, qui reddit tempore indebito, non obuiet, consentit: ergo præuaricatur.

¶ Item, furioso petẽti gladiũ, etiam si iurassem, nõ teneor reddere gladiũ, cũ quo vult interficere se: ergo multomagis

gis nec viro petenti tempore vel modo indebito carnale debitum tenetur vxor reddere: cum in ipso interficiat se spiritualiter.

¶ Item, si diceretur ꝙ vxor teneretur reddere, si præsumat vel opinetur, ꝙ fornicabitur, si non reddat. Contra, magis innitendum est scientiæ, ꝙ̃ opinioni. Sed ipsa scit, ꝙ si reddat, ipse peccabit mortaliter: non autem scit, ꝙ fornicabitur, cùm sit contingens de futuro: ergo magis tenetur cauere, ne ipse peccet coëundo cum ipsa tempore vel modo indebito, quàm ne fornicetur cum alia.

¶ Item, in re dubia & incerta meliùs est interpretandum: ergo cum virum fornicaturum, sit contingens & incertum, debet in meliorem partem interpretari: ergo non fornicaturum. Non ergo tenebitur in prædicto casu reddere debitum.

¶ Item quæritur? vtrùm sicut tenetur (vt dicunt) reddere omni tempore: ita similiter teneatur reddere omni loco: Et videtur ꝙ sic: quia sicut in nullo tempore habet potestatem sui corporis: ita nullo loco.

¶ Sol. Concedendum (sicut ostensum est) ꝙ coitus coniugalis est prohibitus, cùm est ꝓpter satiandam libidinem per meretricias blanditias: & cum est præter naturalem modum: tum in statu prohibito, vt cum vxore vicina partui, vel existente in fluxu menstruo: tum in tempore inhibito: tum in loco indebito. Et omnes isti modi reducuntur ad mœchiam: in cuius prohibitione (vt dicit Aug.) prohibetur omnis illicitus coitus. (Augu.)

¶ Ad illud ergo, ꝙ obijcitur: quòd quilibet potest vti re sua. Verùm est ad illud, ad quod sibi conceditur. Vnde Aug. *Tantùm valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ: vt in rebus ad vtendum concessis, etiam cùm modus exceditur, longè tolerabiliùs sit; quàm in eis, quæ concessa non sunt; vel vnus, vel rarus excessus: Hoc est dicere, in membris ad hoc concessis, quàm in membris ad hoc non concessis:* vnde in eodem Aug. *Pessimum malum, ꝙ contra naturam fit: vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit vti.* (Idem de bono cõiugali.) (Idem.)

¶ Ad aliud verò, ꝙ obijcitur: dicendum, quòd in omnibus ꝑdictis casibus peccat petendo. In reddendo aũt distinguendum est: quia aut petit coniugaliter, aut meretricaliter. Si meretricaliter, non tenetur reddere. Si coniugaliter, vt vtatur ea sicut vxore (& excluditur contra naturam modus) tamen adhuc refert de loco, vtrùm sit sacer vel non sacer, publicus vel priuatus: & dicunt, quòd non tenetur in loco sacro propter reuerentiam Dei, quæ debet præponi, & facilè potest diuerti: item nec in loco publico propter scandalum proximi. Si verò sit locus non sacer & priuatus, adhuc refert de tempore & statu mulieris: vt si sit in tempore menstruoso, vel vicina partui: quia tunc eadem est in his ratio. Etiam est distinguendum: quia aut tunc credit probabiliter, quòd tunc adulterabitur, nisi reddat debitum: aut non. Si non, non debet reddere: si sic: debet reddere.

¶ Ad illud verò, quod obijcit: ergo consentit facinori, quia non obuiat. Dicendum, quòd non est verum: non .n. consentit actioni viri, quæ illicita est; sed passioni suæ, quæ debita est, cùm petitur à viro: nec etiã debet obuiare, quia si obuiaret, accideret peius.

¶ Ad illud, quod obijcitur de scientia & opinione. Dicendũ, quòd siue reddat, siue non reddat; scit ipsum trãsgredi. Sed si reddat, transgreditur ratione temporis indebiti, vel status; tamen cum coniuge secundum actum: si verò non reddat, scit ipsum transgredi (sicut est possibile) secundùm voluntatem & affectum adulterandi; & probabiliter præsumit ipsum adulteraturum secundùm effectũ: & istud secundùm grauius est quàm primum, & ideo non peccabit, non prohibendo malum minus propter euitandum maius.

¶ Ad aliud, quod obijcit: quòd dubium debet interpretari in melius. Dicendum, quòd verum est, nisi probetur contrarium. Sed in hoc quod ipse petit obstinatè, probatur eius incontinentia: sicut possibile est.

¶ Ad vltimum, quòd quæritur? vtrùm in omni loco teneatur debitũ reddere, sicut in omni tempore. Dicendũ, quod non, pluribus ex causis. Primò, quia locus est mensura. Propria actionis & contaminationem recipit ab actu: tempus verò communis mensura est, nec recipit contaminationem. Item, plura tempora non pñt simul esse, sicut multa loca: vnde si perit in sacro loco; statim potest diuertere ad alium locum sine periculo: sed expectare vsq; ad aliud tempus, non poterit sine periculo. Item, quia in omni tempore potest fieri sine scandalo: sed non sic in omni loco.

¶ Consequenter quærendũ esset, vtrùm prohibeatur mœchia corporalis, aut spiritualis: & similiter de comparatione mœchiæ ad alia præcepta. Sed istud determinabitur: quando quæretur de Vltimis Præceptis.

QVÆSTIO XXXVI.

De septimo Præcepto Decalogi. Quod est. Non furtum facies.

In quinque Membra & sex Articulos diuisa.

Post prædicta transeundũ est ad inquisitionem septimi præcepti Decalogi: quo dicitur. Non furtum facies. Circa quod quærimus quinque. Primò, quid prohibeatur nomine furti. Secundò, an omnis rapina sit hic prohibita. Tertiò, an furtũ & rapina sint in aliquo casu licita. Quartò, an vsura sit prohibita hic. Quintò, qualiter furtum & rapina interpretatiua sint hic prohibita. (D. Tho. 2. 2. q. 66. S. Bon. in 2. d. 40. cub 2. & Lib. 3. d. 37. 4. 7 & [illegible] 39. Art. [illegible] q. 2 ad [illegible] Sco. [illegible] d. 15. q. [illegible])

MEMBRVM I.

Quid furti nomine in septimo hoc præcepto intelligatur.

Ad primum sic: *Furtum dicitur à fuluo, id est, nigro: eò ꝙ clàm & obscurè fiat:* Ergo nomine furti intelligitur rapina prohiberi. (Isidorus.)

¶ Item, si nomine furti intelligitur rapina: sed (sicut dicit Ambros.) nemo dicat proprium, quòd commune est: & plusquam sufficit ad sumptus, violenter obtentum est. Ergo habere superflua diuitibus rapina est. Sed constat, quòd istud habere non est contractare rem alienam, &c. Ergo nomine furti non tantùm intelligitur contractatio rei alienæ. (Ambros.)

¶ Item, dicitur quòd furtũ est contractatio rei alienæ inuito Domino: & sic comprehendit rapinam: & in hac ratione hic prohibetur. Sed contra: si furtum est cõtractatio rei alienæ, &c. Ergo si furer rem meam impignoratam, non committam furtum: quia non contracto rem alienam. Sed hoc nullus dicet scil. quòd non committam furtum: ergo furtum est non solùm in contractatione rei alienæ.

¶ Item, cùm contingat superabundantiam vsuræ dari vsurario volente Domino: quia placet ei, vt mediocrem vsuram accipiat; quia ei mutuat: videtur quod non sit hic vsura nomine furti prohibita.

¶ Item quæritur? vtrùm nomine furti intelligatur contractatio tãtùm rerum irrationabilium possessorũ: Quòd videtur relinqui ex prædictis Quæstione de distinctione præceptorum: vbi dicitur: quòd hoc præcepto prohibetur iniuria proximi in rebus possessis. (Quæstio 19. Mẽbr. 2. Art. 2.)

¶ Contra. *Si quis furatus fuerit hominem, conuictus, morte morietur.* (Exod. 21.)

RESOLVTIO.

Furti nomine intelligi potest hic rapina, vsura, & demum omnis illicita & possessoria alienæ rei contractatio: quæcunq; res illa fuerit; siue rationalis, siue irrationalis.

¶ Solvt. Furtum dicitur propriè, communiter, interpretatiuè. Propriè *dicitur cõtractatio rei alienæ ignorante Domino contra suam voluntatem:* nec oportet addere aliud, vt dicatur (sicut voluerunt quidam) contractatio rei alienæ *mobilis*, quia intelligitur nomine contractationis: res enim immobilis contractari non potest. Et secundùm hoc distinguitur à rapina & vsura: nam *rapina est contractatio rei alienæ sciente Domino contra eius voluntatem. vsura est contractatio rei alienæ sciente Domino contra eius absolutam, sed*

non

non contra omnimodam voluntatem. Communiter verò furtum dicitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, secundùm quod dicit Aug. (Aug. in li. quæst. Exod.) *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed a parte totum intelligere voluit, quicquid rerum illicitè proximi aufertur, &c.* & secundùm hoc nomine furti intelligitur rapina & vsura. Interpretatiuè verò dicitur furtum omnis illicita rerum possessio. Augustinus: (Idem epistola 54. ad Macedonium) *Nonne omnes, qui sibi videntur gaudere licitè conquisitis, eisq; vti nesciunt, alienum possidere conuincuntur? hoc enim certè alienum non est, quod iure possidetur: hoc autẽ iure, quod iustè: & hoc iustè, quod bene. Omne igitur, quod malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui malè vtitur.*

¶ Et per hoc patet responsio ad primum obiectum & secundum.

¶ Ad tertium dicendum: quòd res impignorata non est plene propria: imò quousq; soluatur pecunia vel mutuum, pro quo obligata est, manet non propria: & ideo cõtractatio illius erit furtum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd vsura datur volente domino voluntate conditionali, non absoluta: absolutè enim vellet gratis sibi mutuum exhiberi: sed antequã non sibi exhibeatur, nõ vult dare, vnde inuito domino voluntate absoluta semper recipitur vsura.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd furtum intelligitur contractatio cuiuscunque alienæ rei, inquantum transit in possessionem, siue sit rationalis siue irrationalis: sed sine intentione possessionis nõ intelligitur hic furtum hominis, vnde dicitur: (Exod. 21.) *Si quis furatus fuerit hominem, & vendiderit*, quod enim venditur, vt res propria possidetur.

¶ Notandum autem quod secundùm canones & leges humanas furtorum quædam retinent nomen generale: quædam recipiunt nomẽ speciale. Nam (sicut dicit Augustinus.) (Aug. super Ioã. 12.) *Iudas fur erat & sacrilegus, quia fur sacrorum*; vnde sacrilegium furtum rei sacræ: item in furto Iudæ fuit peculatus: peculatus autem dicitur furtum de re publica, c. 23. q. 4. furtum verò gregis dicitur Abigeatus: furtum verò hominis dicitur Plagium. Præter ergo nomen commune furti habes quatuor appropriata, sacrilegium, peculatum, abigeatum, plagium.

MEMBRVM II.

An omne genus rapinæ & in omni casu hoc eodem septimo præcepto prohibeatur?

(Aug. sup. Exod. 22.) DEINDE quæritur: An omnis rapina sit prohibita hoc præcepto? Ad quod sic Augustinus: *Pœnale est occultè auferre: multo maioris pœnæ est visibiliter eripere.* Auferre ergo violẽter, seu occultè, seu manifestè habet suum præceptum. Furti autem nomine benè intelligitur.

¶ Contra, (Exod. 13.) Exod. 13. Filij Israël exituri de Ægypto, spoliauerunt Ægyptios: & à vicinis suis acceperunt, & abstulerunt vasa argentea & aurea: ex quibus ædificauerunt postea tabernaculum Domino. Ergo rapina seu spoliatio in simili casu non est prohibita.

¶ Item, rapina dicitur communiter ad rapinam rerũ, & ad raptum mulierum: sicut habetur 36. quæst. 1. (Canon 36. q. 1.) Rapina dupliciter fieri dicitur: aliquando enim ipsa res rapitur: aliquando ipsius rei vsus violenter eripitur. Res ipsa tunc rapitur, cum violenter domino eripitur, vt in perpetuum teneatur: aliquando non res ipsa affectatur, sed vsus eius domino prohibente violenter vsurpatur. Rapinam ergo admisit, qui florem virginitatis puellæ renitentis violenter eripuit. Sed raptus dicitur esse species fornicationis generaliter dictæ, sicut ibidem dicitur: fornicatio licèt videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra vxorem legitimam; tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinatum: sicut stuprũ propriè virginum est illicita deflotatio, & adulterium alieni thori violatio, & incestus consanguinearum vel affinium abusus: raptus verò cùm puella violenter à domo patris ducitur, vt corrupta in vxorem habeatur: ergo aliqua differentia rapinę est, quę non prohibetur hoc præcepto; sed illo, (Exod. 20.) *Non mœchaberis*, vt raptus.

RESOLVTIO.

Si rapina propriè dicatur, non omne genus eius, nec in omni casu hic vetatur: si communiter, vtique.

¶ Solvtio. Rapina secundùm suam rationem propriam, quæ est contractatio rei alienæ violenta, & contra voluntatem possidentis in omni casu hoc præcepto prohibetur.

¶ Ad illud, quod obijcitur de filijs Israël. Dicendum, quod propriè non commiserunt rapinam: vnde Aug. (Aug. in quæstionib. super Exod.) Dixit Dominus ad Moysen: *Petat vir, &c.* Non hinc quisq; furãdi exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximũ: hoc enim iussit Deus; qui nouerat, quid quemq; pati oporteat: nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo iubenti ministerium tribuerunt.

¶ Ad secundum dicendum, quòd rapina dicitur communiter quęlibet contractatio rei alienę violenta, siue ad possidendum, siue ad delectãdum; & secundum comprehendit raptum. Item, dicitur propriè contractatio ad possidendum: & secundùm hoc non comprehendit raptum. Præterea in raptu duplex est præuaricatio: nam quantum ad actionem pertinet ad rapinam, & prohibetur hic: quãtum ad intentionem pertinet ad mœchiam; & prohibetur, cùm dicitur: *Non mœchaberis.* (Exod. 20.)

MEMBRVM III.

An furtum & rapina in aliquo casu licita sint?

CONSEQVENTER quæritur: vtrùm furtum vel rapina in aliquo casu sint licita? Et ponitur quadruplex casus. Primus in causa necessitatis. Secundus in causa pietatis. Tertius in causa iustitiæ. Quartus in euentu intentionis.

¶ Qvantvm ad primũ quæritur: vtrùm ille, qui furatur cõpulsus necessitate famis, vel sitis, vel alicuius huiusmodi, faciat cõtra istud præceptum. (Casus 1.) Quòd nõ, videtur: quia in necessitate omnia sunt communia: ergo iste in necessitate constitutus non accipit, quod alienum est, sed quod suum, ergo non peccat: exemplo discipulorum, qui necessitate famis spicas vellentes, excusantur à Domino. (Matt. 12.)

¶ Item idẽ probatur exemplo Dauid, qui necessitate comedit panes propositionis, sicut ipse Dominus dicit. (Luc. 6.)

¶ Item, diues ille, qui Dominus est rei, quam iste furatur, tenetur ex præcepto Domini ei subuenire: vnde pasce fame morientem, quem si non paueris occidisti: sicut dicit Glos. (Glos. super Deut. 5.) *Non occides.*

¶ Contra est Decretalis ex pœnitentiali Isidori: (Decretal. lib. 5. tit. de furtis.) *Si quis per necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus: pœniteat hebdomadas tres.*

¶ Solvtio. Dicendum, quod refert in necessitate, an sit leuis, vel vehemens. Et si vehemens: aut alio modo releuabilis, quàm furando; aut nõ. Si leuis sit, & alio modo releuabilis, quàm furando; non excusabit à transgressione huius præcepti, quantum ad totum. Si sit vehemens, & nullo alio modo releuabilis, excusat à toto; nec secundùm veritatem est furtum; quia in tali necessitate omnia sunt communia. Decretalis verò imponit pœnitentiam propter ambiguum; & ne sit pronus ad furtum.

¶ Deinde quæritur in casu pietatis de illo, qui furatur rem vsurarij vel auari, vt inde faciat eleẽmosynam, vtrùm peccet contra hoc præceptum? (Casus 2.) Videtur quod non: quia imitatur Iob, dicentem: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* (Iob 29.)

¶ Contra, Rom. 3. *Faciemus malum, vt eueniant bona absit?* (Rom. 3.)

¶ Item, August. (August.) *Quis dicet, furemur diuitibus, vt habeamus quid demus pauperibus?* quasi dicat, nullus.

¶ Idem Aug. de talibus dicit: Huius cogitatio diaboli calliditatem surripit: nam si totum tribuat, quod abstulerat, auget plus peccatum, quàm minuat; quia aufert sibi copiam restituẽdi: Peccatum ergo est furari vsurarijs. Sed quod peccatum? non nisi furtum.

¶ Idem, quæritur similiter de muliere, quę furatur viro

sio pecuniam, vel aliquid aliud; vt inde faciat eleëmosynam, vtrùm peccet? Videtur quod sic. Gen. 4. dicitur mulieri: *Sub viri potestate eris.* Vnde accipitur, quòd vxor votum continentiæ, vel abstinentiæ non potest emittere sine consensu viri: ergo multo fortiùs nec dare potest eleëmosynam. (Genes. 4.)

¶ Solvt. Ad primum dicendum: quòd furari alicui, vt de furto subueniatur alij, peccatum est. Illa verò auctoritas Iob, per quam videbatur probari contrarium; intelligitur de iudicibus, quorum interest, vt fures puniant, & tutta restitui faciant.

¶ Ad illud, quod secundò quæritur de vxore. Dicendum, quòd si vxor habet res de patrimonio præter dotem, de illis inuito domino potest facere eleëmosynam. De rebus autem viri, vt de pane, & alijs; quæ de bono more solent ad mulierum dispositionem pertinere; potest, & debet facere eleëmosynam: moderatè tamen secundùm facultates viri sui: & debet semper sibi formare conscientiã, quod non displiceat marito.

¶ Qværitvr consequenter circa casum iustitiæ: primò, de his, quæ rapiuntur in bello: secundò de his, quæ rapiuntur ab infidelibus. Nam in iusto bello videtur rapina licita, secundùm Ambros. vbi dicit: *Dicat aliquis, cùm ipse vicit, quod dixit Abraham ad Regem Sodomorũ, Gen. 14. Nihil sumam abs te. Cùm præda vtiq; fuerit in potestate victoris: docet militaris disciplina, vt Regi seruentur omnia.* Quod intelligendum alijs distribuenda pro qualitate laborum. (Casus 3. Ambr. in lib. de Patriarchis Gen. 14.)

¶ Contra, Augustinus: *Militare non est d[elict]um, sed propter prædam militare peccatum est.* (August. de verbis domini, tractatu 9.)

¶ Solvt. Dicẽdum quod refert, an bellum sit iustum, vel iniustum. In bello nempè iniusto indistinctè est prohibitum: in bello verò iusto transfertur dominium rerum illorum, qui iustè debellantur in iustè debellantes ipsa lege iustitiæ, principis interueniente auctoritate. Refert etiam, an aliquis deprædetur in iusto bello intentione cupiditatis, vel seueritate iustitiæ: primo modo rapina est quãtum ad affectum, quamuis nõ quantum ad actum: secundo modo non est rapina.

¶ Item, quæritur de raptis ab infidelibus. Nam rapere ab illis videtur licitum, vnde Augustinus: *Res quaq; terrena non rectè à quoquam possideri potest, nisi iure diuino, quo cuncta sunt iustorum, aut iure humano, quod in potestate est Regum terræ. Ideoq; res falsò appellatis vestras: quas nec iustè possidetis, & secundũ leges terrenorum Regum amittere iussi estis.* (loquitur hæreticis Donatistis.) (Idem ad Vincentium.)

¶ Item, idem ad eundem: *Frustra dicitis, nos in eis congregandis laborasse: cùm scriptũ legatis. Labores impiorũ iusti edent.* (Idem ad eundem.)

¶ Idem, *Ad omnes iniquos vox illa Domini valet, Matth. 22. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum seu iustitiam eius. Non frustra scriptum est: Labores impiorum iusti edent. Propter quod magis mirari debetis: quòd adhuc tenetis aliquid, quàm quod aliquid amisistis.* (Idem contra Petilianum. Matt. 22.)

¶ Idem: *Si consideremus, quod scriptum est in libro Sapientiæ: Ideo iusti tulerunt spolia impiorum. Item quod legitur: (alia litera) Thesaurizantur iustis diuitiæ impiorum, videbimus non esse quærendum, qui habeant res hæreticorum; sed qui sint in societate iustorum.* Ex his ergo videtur relinqui, quòd tam Hæretici, quàm Iudæi, quam Saraceni rebus, quas habent, licitè poterunt spoliari: Quod quidam indistinctè concedunt. (Idẽ Aug. in epistola ad Vincentium. Sap. 10. Prouer. 13.)

¶ Sed contra: præceptum est iuris naturalis: *Non facias alij, quod tibi non vis fieri:* ergo hoc semper cum est omnibus obseruandum. Sed nos nollemus ab eis expoliari, ergo cũ spoliamus eos, facimus contra hoc præceptum. (Exod. 20.)

¶ Solvt. Dicendum, quòd refert, vtrùm ille, qui infideles expoliat, habeat auctoritatem Reipublicæ, vel non. Si non habet, expoliando committit rapinam: sicut homicidium committit, qui maleficum interficit, non superioris auctoritate. Si habet auctoritatem, distinguunt quidam inter Iudæos & alios. Nam de Iudæis præceptum est ecclesiæ: *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei.* Etiam quia scriptum est: *Reliquiæ conuertentur.* De hæreticis verò & Saracenis præceptum est: *Maleficos non patieris viuere.* Ex quo ergo iustè possunt occidi, & iustè poterunt expoliari. Iudæi verò quia permitti debent viuere, spoliari (Psalm. 58. Rom. 10. & Esai. 6. Exod. 20.)

non debent rebus vitæ necessarijs: sed à Principibus expoliari possunt omnibus, præterquam necessarijs. Deut. 28. *Aduena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritq; sublimior: tu autem descendes, & eris inferior: ipse fœnerabitur tibi, & tu non fœneraberis ei.* (Ex quo ostenditur, quòd non debeant permitti fœnerari Christianis.) Et sequitur: *Seruies inimico, quem immittet Dominus tibi, fame, & siti, & nuditate, & omnimoda penuria.* (Deut. 28. Ibidem.)

¶ Ad illud, quod obijcitur: non facias alij quod tibi non vis fieri. Dicendum quod sic intelligendum est, quod tibi non vis fieri, scilicet, quod vis iustè tibi non fieri. (Ecclesiæ præcept.)

¶ Postmodvm quæritur in casu inuentionis. Ad quod sic August. in quadam Hom. & recitatur 14. quæst. 5. *Si quid inuenisti, & non reddidisti: rapuisti.* (Casus 4. Aug. in ca. no. 14. q. 5.)

¶ Item, Hieron. super Leuit. *Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, teneant: discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat.* (Hierony. super Leuit.)

¶ Contra: Dicit lex in libro Institutionum de rerum diuisione: *Quisquis thesauros in suo loco inuenerit, Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei cõcessit, qui inuenerit: at si quis alieno in loco non data ad hoc opera, sed fortuitò inuenit; dimidium inuentori, dimidium domino soli concessit.* Ergo non est verum generaliter, quòd rem inuentam retinere sit rapere. (Lib. Inst. de rerum diuisione)

¶ Ad hoc quidam respondent per distinctionem, dicentes: quòd si quis inuenerit rem, habitam pro derelicta: licèt habuerit animum furandi, non tamen furtum commisit: quia non erat cui fieret. Item, si credit quod haberetur pro derelicta; & tamen non est derelicta: non committit furtum. Item, si non habeatur pro derelicta, nec credatur derelicta: eo tamen animo accipit, vt domino restituat; nec restituat committit furtum: si verò aliquid istorum non concurrat, dicunt committi furtum. De thesauro verò dicunt, quod habetur pro derelicto.

¶ Contra hoc sic obijcitur: sicut dicit August. in prædicta Hom. *Deus cor interrogat, nõ manum.* Si ergo aliquis inuenerit rem, quæ habetur pro derelicta; & accipiat animo furandi, committit furtum. (August.)

¶ Qvod concedendum est. Propterea distinguendum est in rebus inuentis, & animo inuenientis. In rebus, quia quædam res in nullius bonis sunt, & occupanti concedũtur. Et hoc est dupliciter: nam quædam sunt res, quæ nunquam fuerunt possessæ: de quibus dicit lex in libro Constitutionum de rerum diuisione. Lapilli & gẽmæ, &c. quæ in littore maris inueniuntur: iure naturali statim inuentoris fiunt. Item, sunt quædam res, quæ aliquando possessæ fuerunt, sed derelictæ sunt: vt thesauri in prædicto casu: & dicitur thesaurus pecunia ab ignotis dominis vetustiori tempore abscondita. Aliæ verò res sunt, quæ in alicuius bonis sunt. In primis duob⁹ casib. inuenta retinere non est rapere. In vltimo verò distinguendũ: aut creduntur derelictæ, aut non creduntur. Si creduntur, ignorantia, quæ est facti, excusat. Si non creduntur, contractio est rei alienæ, & furtum.

MEMBRVM IIII.

Si vsura præcepto hoc prohibeatur.

Consequenter quæritur: An hoc præcepto intelligatur vsura prohibita. Et primò quæritur: vtrùm prohibeatur vsura quãtum ad affectum. Secundò, an prohibeatur vniuersaliter quantum ad actum.

ARTICVLVS I.

An sola voluntas vsurarium faciat?

Ad primum sic, Luc. 6. *Date mutuum, nihil inde sperãtes.* Ibi dicit Glos. quòd hic prohibetur vsura, ergo sola spes aliquid accipiendi præter sortem facit vsurarium. (Luc. 6. Glossa.)

¶ Item, sola voluntas interficiendi hominẽ facit homicidiũ: sola voluntas fornicandi facit fornicationẽ, sicut dicitur: *Qui viderit mulierẽ ad concupiscendum, &c.* ergo similiter sola voluntas accipiendi præter sortẽ facit vsurarium. (Matth. 5.)

¶ Ad hoc dicunt aliqui: quòd sola voluntas non facit vsurarium, nisi interueniat pactum. Sed contra: esto quòd ille

timore ecclesiæ non faciat pactum, sed tamen habet voluntatem: alius vult, & facit pactum: inde sic Prouerb. 16. Spirituum póderator est Dominus, id est volunratum: sed talem habet voluntatem iste, qualem ille: ergo si voluntas illius facit vsurarium; & volútas istius similiter faciet vsurium. Quod aliqui concedunt.

¶ Sed contra: quilibet tenetur esse gratus ad beneficia: ergo beneficium accipiens debet esse gratus mutuáti: ergo potest sperare aliquod beneficiú ab eo, qui mutuat, ergo & aliquam superabundantiam.

¶ Item, ex dono quis licitè potest sperare donum: ergo ex mutuo mutuum potest sperare.

RESOLVTIO.

Lege poli sola voluntas vsurarium facit: sed non lege fori.

¶ Solutio. Dicendum, quòd cùm diuersæ scientiæ diuersas habent cósiderationes; à diuersis scientibus idem diuersimodè consideratur. Hinc est, quòd secundùm leges humanas sola voluntas non facit vsurarium: quia lex humana manum cohibet, non animum. Secundùm verò legem diuinam, quæ animum cohibet, sola voluntas facit vsurarium.

¶ Ad primum ergo obiectum respondendum: quòd mutuans potest sperare illud, ad quod tenetur accipiens: quia in consimili casu (scil.) necessitatis tenetur accipiens mutuum illi, qui dat, dare: similiter etiam si non dedisset prius. Vnde potest illud sperare mutuans à recipiente, nó tamen ex vi mutui, sed ex charitate recipientis mutuum: mutua enim beneficia accendunt charitaté: & etiam quia ex præcepto Dei debet indigenti mutuum dare.

¶ Et per hoc soluitur secundum. Benè enim concedendum est, quòd mutuans potest ab eo, qui recepit, in simili casu sperare mutuum; quia ad hoc tenetur alius; tamé si hac intentione tradit sibi mutuum, non est meritorium: quia non ponit Deum finem; ideo dicit Dominus: *Date mutuum, nihil inde sperantes*, scilicet ab homine, sed à Deo retributionem. Luc. 6.

ARTICVLVS II.

An vsura actualis generaliter & omnimodè prohibita sit, etiam hoc præcepto?

SEQVITVR quærere: Vtrùm vsura quantum ad actum vniuersaliter sit prohibita hoc præcepto. Ad quod sic: Psalm. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Quasi dicat: qui dat ad vsuram, non habitabit in tabernaculo Domini. Dare ergo ad vsuram vniuersaliter est malum: ergo prohibitum; non nisi isto præcepto: ergo, &c. Psalm. 14.

¶ Item, Ezech. 18. *Qui vsuram & superabundantiam non acceperit, vita viuet.* Ergo per contrarium, qui acceperit morietur: ergo malum, & inde vt priùs. Ezech. 18.

¶ Item Exod. 22. *Si pecuniam dederis pauperi: non vrgebis quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Exod. 22.

¶ Item, Luc. 6. *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Ecce ex his patet, quòd dare ad vsuram, & sperare aliquid præter sortem, generaliter est prohibitum. Luc. 6.

¶ Contra, Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.* Ergo licet fœnerari alieno. Deut. 23.

¶ Item Ambrosius: *Vsuras exigas ab eo, cui iustè nocere desideras.* Ambrof.

¶ Item, maius peccatum est occidere, quàm dare ad vsuram. Sed in aliquo casu non solùm licet occidere: imò est meritorium: sicut est in iusto iudice, qui maleficum iustè damnat ad mortem. Ergo & similiter dare ad vsuram in aliquo casu erit licitum.

¶ Item, ex præcepto Domini licitè asportauerunt Iudæi vasa Ægyptiorum, Exod. 12. ergo simili ratione ex præcepto Domini poterit quis licitè dare ad vsurá, & aliquid accipere præter sortem: minus enim malum est partem accipere, quantum totum. Exod. 12.

¶ Item, lex Iustiniani permittit vsuras centesimas, & quadragesimas: & supponédum est, quod bene permittit.

¶ Item iste, qui accipit mutuum, potest rem suam dare vsurario: & sic & vult, & dicit ei: *Ego do tibi istam pecuniam præter sortem.* igitur ista superabundantia est propriè vsurarij iuste: quia est ex dono illius, qui habet ius dádi: ergo vsurarius non vsurpat sibi rem alienam manenté alienam.

¶ Item, esto quòd sic fiat contractus: *Mutuo tibi pecuniam istam, vt des mihi tantum præter sortem*: ergo secundùm hanc formam superabundantia, quam accipit vsurarius, data est sibi: ergo sua est.

¶ Item, licet concedere domum, equum, vasa aurea pro lucro: quare similiter non licebit dare pecuniam pro lucro.

RESOLVTIO.

Vsura cùm in se, & secundùm se malum sit, omnimodè prohibetur; tum maximè hoc præcepto.

¶ Solutio. Dicendum, quòd dare ad vsuram in se & secundùm se malum est & prohibitum.

¶ Ad primò obiectum in contrarium. Dicendú, quòd nunquam fuit Iudæis licitum fœnerari alieno: sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudij, propter duritiam cordis sui: peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno. Sed permittebatur eis duplici de causa, scil. ne facerent peius, id est ne fœnerarentur fratribus suis: & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem. Et ex hoc trahitur argumentú: quòd si non possumus obtinere ab vsurarijs, vt totum reddant, debemus facere vt saltem partem reddant.

¶ Ad secundum dicunt quidam: in nullo casu vsuram esse exigendam. Et quod dicit Ambr. intelligunt nó de vsura propriè; sed de nimia pensione, & de tributo ab infidelibus exigendo: vt tali onere prægrauati cóuertantur ad fidem. Alij verò illud intelligunt dictum esse ad literam, quòd ex quo iustum bellum monetur ex edicto principis, ab hostibus licitè vsura exigitur: dum tamen non fiat vitio cupiditatis, sed zelo charitatis: vt sic maceretur vsuris, qui non possunt domari armis: namq; eos possumus occidere: & omnia eorú possumus nostra facere iure belli. Et hæc videtur esse intétio Ambr. vnde statim sequitur: Ab eo vsurá exige, cui iure inferuntur arma: huic legitimè inferuntur vsuræ, quem bello vincere non potes: ab hoc vsuram exige, quem non sit crimen occidere. Tamé (propriè loquédo) in sensu nomé vsuræ trahitur à propria significatione: quia non est vsurpatio rei alienæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quáuis occidere sit peccatú in se: non est tamen peccatú secundùm se. Dare autem ad vsuram est peccatum in se, & secundùm se: sicut post patebit, & ideo non est simile.

¶ Ad quartum dicendum, quòd filij Israël seruierunt Ægyptijs, & merces non erat eis reddita: & propter hoc Dominus, qui est verè dñs omnium, transtulit dominium vasorum illorum ad Iudæos: & sic Iudæi accipientes ex præcepto Domini nó peccauerunt: quia nó contractauerunt rem alienam, inuito domino, imò suam. Accipere verò vsuram est contractare ré alienam manenté alienam, & facere vt de sua: hoc autem est malum secundùm se, & contra ius naturale: sicut cognoscere vxorem alienam scienter, malum est in se, & secundùm: & ideo illud Deus non præciperet, cùm illius vt optimi sit optima adducere.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur de lege Iustiniani: Dicendum, quòd permisit vsuras leuissimas exigi, ne accideret peius, quia erant homines proni ad dandum vsuras: elegit iudicans minus malum, scilicet leues vsuras sustineri, quàm graues: sicut de libello repudij fuit. Tamen quidam excipiunt quosdam casus, in quibus permissa est vsura: vt in fideiussore, qui soluit vsuras creditori, potest eas repetere à debitore, pro quo fideiusserat. Sed rectè aduertenti non est hæc vsura: quia non intendit fideiussor accipere præter sortem. Similiter & in mora: vt si deberes mihi centum soluere ad certum terminum: quod quia non fecisti, oportuit me illam pecuniam accipere ad vsuram: tu teneris mihi restituere illam, & seruare indemnem. Sed planum est, quòd in tali casu restituere, non est vsura: sicut priùs.

¶ Ad aliud dicédum: quòd ille, qui accipit mutuum, non ha-

non habet ius dandi vsurario: quia Dominus omnium cōtradicit, scilicet Deus: sicut si aliquis haberet feudum ab aliquo terreno domino, non posset transferre dominium illius feudi, domino contradicente. Cùm ergo dominus omnium contradicat, nullus potest dare superabundantiam præter sortem.

¶ Ad aliud dicendum, quòd quibuscunq; verbis mutetur contractus, nihil mutatur in contracto: nam semper est peruersa vsuratoris fœneratio, qua cupit rem alienam manentem alienam facere suam. Et postea si quis timore, qui posset cadere in constantem virum, diceret non consentiens animo, *accipio te in vxorem*: iudicaretur nullum esse matrimonium. Similiter cùm iste necessitate coactus dicat: *ergo do tibi tantùm præter sortem*, & dissentit animo, iudicabitur nulla esse donatio: ergo nihil datum est vsurario: ergo detinet rem alienam, inuito domino.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd eodem modo, quo licet concedere equum pro lucro, si sic posset concedi pecunia, non esset vsura; si concedens aliquid acciperet præter sortem. In locatione autem nō transfertur dominium: & ideo totum periculum est in locāte, si res pereat: impropriè verò locatur pecunia, sed propriè mutuatur: quod enim locatur, non transfertur in dominium eius cui locatur. Præterea, pecunia non deterioratur per vsum: & quātum est de se, nullam parit vtilitatem vtenti: sicut facit equus, & domus; quæ sunt locata propriè. In mutuo verò pecuniæ trāsfertur dominium: vnde mutuū dicitur, quasi de meo tuum: & ideo periculum rei mutuatæ pertinet ad eum, qui mutuat: contra ius naturale est, vt aliquis percipiat emolumentum de vsu rei, quæ non est sua. Ideo ergo vsura est peccatū, & intelligitur prohibita hoc pręcepto.

¶ Nota secundùm Greg. triplicem differentiam inter mutuum, & locatum. Prima est, quia in mutuo transfertur periculum in accipiētem: in locato in eum, qui dat. Secunda est, quia mutuum propriè non deterioratur per vsum, vt pecunia: sed locatum, vt domus, vel equus. Tertia causa est, quia mutuum, quātum est de se, nullā vtilitatem parit vtenti: locatum verò parit: vt ager, vel equus, vel domus. Et hoc intelligitur de mutuo pecuniæ.

MEMBRVM V.

De furto interpretatiuo.

Deinde quæritur de furto interpretatiuo: vtrùm hic prohibeatur: Contingit autem furtum tale multipliciter committi, scilicet in detinendo, in expendendo, in appropriando, in emendo, & vendendo.

ARTICVLVS I.

An diuites pauperibus in necessitate subuenire nolentes, raptores & fures interpretandi sint?

Circa primum quæritur: Vtrùm diuites, qui nolunt subuenire pauperibus in necessitate, debeant interpretari fures & raptores.

¶ Ad quod sic: vni bono possunt opponi plura mala: vt largitati prodigalitas, & auaritia. Sed pluribus bonis nō opponitur vnum malum: quia malum pluris diuisionis est quàm bonum. Ergo vni pręcepto opponentur plures pręuaricationes: sed pluribus præceptis non opponetur vna præuaricatio. Cùm ergo subtractio beneficij tempore necessitatis sit contra hoc præceptum, *Non occides*, sicut suprà Exod. 20. & Deut. 5.
dictum est, iuxta illam auctoritatem: *Pasce fame morientem, &c.* non erit contra istud præceptum, *non furtum facies*, ergo Ambros.
non erit interpretandum furtum, vel rapina.

¶ Contra, Eccles. 4. *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes.* Et sequitur: *Redde illi debitum tuum.* Ergo diuites debent eleēmosynas pauperibus. Si ergo nō reddunt necessitatis tempore (quia tunc est tempus reddendi debitum) quid aliud quàm raptores sunt; vtputa rem alienam, scil. pauperum violenter retinentes? Eccles. 4.

¶ Item, Ambros. *Non est minoris criminis quàm habenti tollere, quòd cùm * possis & abundans sis, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: viduarum indumentum, quod tu recludis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terra refodis. Tot ergo te scias bona inuadere, quot posses præstare.* Ambros. * al. potēs

¶ Idem; *Nemo proprium dicat, quod commune est: plus quàm sufficit ad sumptus, violenter obtentum est.* Igitur diuites, qui superflua, & vltra sumptus necessaria retinent, cùm sciant & videant pauperes indigere: rapinam profectò committunt. Idem.

RESOLVTIO.

Quinimmò & homicidæ interpretandi sunt.

¶ Qvod concedimus: Intellige tamen salua necessitate secundùm statum personę: plura enim sunt necessaria Regi quàm Comiti, & Comiti quàm militi. Necessarium autem est Regibus thesaurizare, vt insurgentibus hostibus in regnum, habeant vnde possint militibus in defensione regni stipendia ministrare.

¶ Ad illud, quod obijcitur: dicendum, quòd vna pręuaricatio non opponitur duobus præceptis: sed vnius actionis potest esse duplex præuaricatio: vt in illo, qui deflorando virginem interficit: quia inquantum deflorat, facit contra illud præceptum, *non mœchaberis*, inquantum interficit, facit contra illud præceptum, *non occides.* Similiter subtractio beneficij, inquantum nō communicantur bona pauperi tempore necessitatis, est cōtra hoc pręceptum, *Non furtum facies*: inquantum verò ex defectu pauper perit, est contra illud, *Non occides.* Exod. 20.

ARTICVLVS II.

An clerici patrimonium Christi luxuriosè dissipantes, fures habendi sint?

Seqvitvr de interpretatiuo furto in expendendo. Circa hoc quæritur de clericis, qui patrimonium crucifixi pauperibus debitum in illicitos vsus, scilicet pompis secularibus, comessationibus, & huiusmodi expendunt: vtrùm sint raptores, & peccent contra hoc præceptum? Videtur quod sic: quia contractant rem alienam inuito domino, ait enim Hieronymus: *Quicquid habent clerici, pauperum est.* Illud ergo, quod expenditur extra pauperes, quid nisi rapina est. Hieron.

¶ Item idem: *Ecclesiam fraudare, sacrilegium est: pauperibus erogandum, & inde aliud quid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Idem.

¶ Item, Concilium Toletanum: *Si illi, qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuerūt; æterni iudicii voce damnabuntur: quantò magis qui auferunt pauperibus, quod non dederunt.* Concil. Toletan.

¶ Item, B. Bernardus: *Clamant nudi, clamant famelici, cōqueruntur, & dicunt: dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum: nunquid à fræno expellit frigus, aut famem? nostrum est quicquid expenditis: à nobis extrahitur crudeliter, quod consumitis inaniter.* Ex his relinquitur, quòd clerici, qui in malos vsus bona ecclesiæ expendunt, sunt raptores & fures. Bernard.

RESOLVTIO.

Quinimmò & ad restitutionem teneri eos arbitramur.

¶ Qvod concedimus secundùm Bernard. scribētem ad quendam Canonicum sic: *Conceditur tibi, si altari seruias, vt de altari viuas: non tamen quod emas fræna deargentata, grisia, variaq; pellicea: quicquid præter necessarium victum & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Bernard.

¶ Sed nunquid tenentur ad restitutionem, si habent aliunde, vnde possint restituere? Aliud certè non video, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

¶ Sed quæritur de his, qui cōsumunt in cōsanguineis ditandis, & in potētibus etiam seruiendis. Nam dicitur: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam nō habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Ergo clericus, vel Episcopus, qui non facit bonum nepotibus suis, grauissimè peccat. Contra sunt prædictæ auctoritates Sanctorum. 1. Tim. 5.

¶ Solvt. Consanguineis dare quia indigēres sunt, ordinatæ charitatis est: cōsanguineis dare vt ditētur, & vt ditiores p eos ingenui videātur, de rebus pauperū, rapina est.

¶ Item

¶ Item quæritur de illis, qui bona ecclesiæ in necessarijs expendunt; sed tamen non deseruiunt: nonne sunt raptores? Ad hoc enim dantur eis beneficia ecclesiæ, vt laborent in ecclesia Dei: si igitur non laborant, non debent habere: qui enim non laborat, non manducet. Si enim agricolæ daretur pecunia, vt in agro laboraret, & ipse acciperet, & non laboraret: nonne raptor, & fur esset, similiter videtur de istis.

Hieron. ¶ Hieron. suprà: *Ecclesiam fraudare, sacrilegium est.* Sed ipsi defraudant ecclesiam: ad hoc enim dantur beneficia ecclesiæ, vt seruiant ecclesijs. Ergo sunt sacrilegi & raptores. Quod concedimus.

ARTICVLVS III.

An clerici appropriando sibi bona Ecclesiæ, contractent rem alienam?

POSTMODVM quæritur de furto interpretatiuo in appropriando. Circa quod quęritur: vtrùm clerici appropriando sibi bona ecclesiæ, contractent rem alienam?

August. ¶ Ad quod sic Augustinus: *Si priuatim quæ nobis sufficiũt possidemus, non sunt tamen illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus: nam proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.*

Hiero. de clericis. ¶ Item Hieronymus de clericis: *Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus; nihil extra Dominum potest habere: quòd si quispiam aliquid præter Dominum habuerit, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si varia supellectilia; cum istis partibus Dominus non dignatur fieri pars eius.*

RESOLVTIO.

Quæ clerici ab ecclesia habent, appropriare non debent, sed communia cum pauperibus habere. Quæ autem aliàs iustè sibi aduenêre, & appropriare, & alijs legare queunt.

¶ Respondent aliqui: quod clerici possunt habere proprium. Quod verò dicitur, quod non possunt: intelligitur secundùm statum primitiuæ ecclesiæ, Act. 4. Nihil proprium aliquis credentium possidebat, sed erant omnia communia. Vel loquitur de religiosis personis. (Act. 4.)

¶ Aliter potest dici sine præiudicio: quòd clerici ea, quæ habent iure successionis, vt putà de patrimonio suo; possunt habere proprium, & de illis facere testamentum: similiter & de his, quæ sunt ei donata, nõ intuitu ecclesiæ, sed personæ: & de his, quæ aliqua arte, vel labore acquirierunt. Ea verò quæ habent de ecclesia, communia habent cum pauperibus: vnde Ambros. *Conuenior ipse à Comitibus, vt per me basilica fiat matura traditio: dicentibus, Imperatorē iure suo iussisse tradi debere; vtpotè in cuius potestate essent omnia. Respondi: si à me peteret quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, huiusmodi me non refragaturum: quãquam omnia quæ mea sunt, pauperum sint. Verum ea, quæ diuina sunt, Imperatoriæ potestati non esse subiecta: si patrimonium petit, inuadite: si corpus, occurram.* Item Prosper: *Non sunt propria, sed communes facultates ecclesiæ.* Item Hieronymus: *Quidquid habent clerici, pauperum est: & domus illorum debent omnibus esse communes: susceptioni peregrinorum, & hospitum inuigilare deberent.* (Ambros. — Prosp in can. 12. q. 1. Hiero. ad Damasum Papam.)

ARTICVLVS IIII.

An & simonia hoc ipso præcepto prohibita intelligatur?

QVÆRITVR postea de furto interpretatiuo in vendendo & emendo: vt de simonia: vtrùm prohibeatur isto præcepto. Et cùm simonia sit in vẽdendo vel emendo spirituale, vel spirituali annexum: ex hoc autem committatur iniuria contra Deum per se, non contra proximum: videtur quod simonia prohibeatur in præceptis primæ tabulæ, non secundæ: ergo non prohibetur hoc præcepto.

¶ Contra, simonia committitur ex intentione cõtractandi rem alienam iniustè. Sed omnis talis contractio prohibetur hic: ergo & simonia. Primum patet: nam simoniacus rem, quam accipit, vendendo spirituale, tenetur restituere, ergo contractat rem alienam.

RESOLVTIO.

Adhuc simoniam in hoc præcepto de furto non faciendo inclusam prohibitamq́; dicimus; sed quò ad recuperationem vel pecuniæ, vel alterius pro pretio.

¶ Solutio. Dicendum, quòd in simonia duo sunt, vendere siue emere, & recipere. Quantum ad venditionẽ, vel emptionem rei inpretiabilis, quæ est diuina; cõmittitur iniuria contra Deum: & est peccatum contra diuinum cultum, & cõtra primum præceptum primæ tabulæ. Quãtum verò ad receptionem pecuniæ, vel rei temporalis, quę non potest possideri iustè, peccatur contra istud præceptum: Quia (sicut dicit August.) *omne, quod malè possidetur, alienum est*: hoc est, pro alieno est reputandum. Et hoc modo quantum ad hoc simonia est furtum, secundùm quod trahitur ad speciale nomen sacrilegij. (August. ad Macedonium.)

QVÆSTIO XXXVII.

De octauo præcepto Decalogi: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

In sex Membra diuisa.

POST prædicta ad inquisitionem octaui mandati est procedendum, quo dicitur Exod. 20. & Deut. 5. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* (D. Tho. 2. 2. q. 70. & q. 110. Exod. 20. & Deut. 5.)

¶ Circa quod quæruntur plura: Primò, vtrùm ista prohibitio pertineat ad primam tabulam, vel ad secundã. Secundò, quid intelligatur prohiberi per falsum testimonium? Tertiò, vtrùm prohibeatur hic locutio falsitatis? Quartò, vtrùm prohibeatur taciturnitas veritatis: cùm veritas requiritur? Quintò, vtrùm prohibeatur hic mendacium? Sextò, vtrùm mendacium sit hic vniuersaliter prohibitum: ita quod in nullo casu sit licitum.

MEMBRVM I.

An mandatum de falso testimonio, contra proximum non ferendo, ad secundam, vel ad primam tabulam pertineat?

AD Primum sic proceditur. Cùm testis non recipiatur nisi iuratus: testari est iuramento fidem facere: ergo falsum testimonium est periurium. Ad idem ergo præceptum pertinet prohibitio periurij, & falsi testimonij. Cùm ergo secundo præcepto, scilicet, *non assumes nomẽ Dei tui in vanum*, prohibeatur periurium: sicut dicit Gloss. Deut. super illud: *Non assumes*, ergo eodem prohibetur falsum testimonium. (Exod. 20. Glossa. ibi.)

¶ Item, si dicatur quod non absolutè prohibetur falsum testimonium, sed cum determinatione, scilicet *contra proximum*, vnde prohibetur falsum testimonium, secũdùm quod est in proximi nocumentum: & ideo cùm in secunda tabula Decalogi quod est in proximi nocumentũ prohibeatur: non in prima debet falsum testimonium prohiberi. Contra: Contingit dicere testimonium falsum ad proximi profectum: sicut mentiri; & constans est, quod istud est peccatum; & non nisi ratione falsitatis testimonij. (Vnde Hieron. *Si quis sanctum dicit non sanctum; rursum non sanctum asserit sanctum; abominabilis est apud Deum.*) Relinquitur igitur quod prohibetur absolutè falsum testimonium: etiam si non fiat contra proximum. (Hieron. super Ep. ad Philemonem.)

¶ Item, sicut dicit August. regula diligendi proximũ regulatur secũdùm dilectionem, quæ est ad seipsum, cùm dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vnde illo eodẽ præcepto quo prohibetur nocumentum proximi; prohibetur nocumentum sui: vnde cùm dicitur, *nõ occides*, intelligitur te, vel alium. Ergo similiter eodem præcepto prohibetur, non falsum testimonium dices contra te, vel cõtra proximum. Quòd ergo ponitur determinatio ista, scilicet contra proximum, in prohibitione falsi testimonij, nõ coarctabit præceptum, quin absolutè prohibeatur falsum testimonium. Non prohibetur ergo ratione prędicta, (Aug. cõtra Faustum, & lib. 1. de Ciu. Dei, c. 20. Leu. 19. Exod. 20. & Deut. 5.)

quin

quin illud sit prohibitum secundo præcepto.

Act. 1. ¶ Item Act. 1. *Eritis mihi testes*, dicit Dominus Apostolis. Ex quo accipitur, quòd contingit testificari pro Deo, sicut pro proximo: ergo per oppositum contingit dicere falsum testimonium contra Deum, sicut contra proximum: sicut faciunt hæretici & apostatę. Si ergo omnis inordinatio contra Deum prohibetur in prima tabula: sicut omnis inordinatio contra proximum in secunda; prohibitio falsi testimonij erit primæ tabulæ, sicut secundæ.

1. Cor. 15. ¶ Item ad idem est illud Apostoli: *Si Christus non surrexit, inuenimur falsi testes aduersus Deum, &c.* Ex quo colligitur, quòd aduersus Deum potest quis dicere falsum testimonium: & inde vt prius.

Aug. in Enchir. ¶ Contra, sicut dicit Augustinus, verba propterea sunt instituta, vt per ea quisquam in alterius notitiam cogitationes suas proferat; non per quæ homines se inuicem fallant. Ergo omnis veritas sermonis ordinatur ad proximum: & omnis fallacia sermonis est per inordinationem ad proximum. Sed omnis talis inordinatio prohibetur secunda tabula, non prima: ergo omnis fallacia sermonis prohibetur secunda tabula: ergo & falsum testimonium quocunque modo dictum.

RESOLVTIO.

Cùm falsum testimonium sit contra veritatem creatam; cuius debitum proximo in eo non obseruatur: iure ad secundam, & non ad primam tabulam ipsum pertinere dicimus.

¶ Solvtio. Cùm sit veritas increata, & creata: veritas respectum vtriusque rationalis creatura [illegible] debitrix. Nam veritati increatæ debet reuerentiam [illegible] veritati verò creatæ, quæ mente rationali concipitur [illegible] obseruantiam. Illam ergo debet honorare, [illegible] propter ordinem, qui est ipsius ad Deum; [illegible] ordinem ipsius ad proximum. Ideo contra illam est [illegible] tum factum pro nihilo; quia in hoc irreuerenter [illegible] tur increata veritas in testimonium suæ locutionis: contra istam verò est falsum testimonium, in quo nõ obseruatur proximo debitum veritatis. Propterea dicendum, quòd istud præceptum, in quo prohibetur falsum testimonium, est secundæ tabulæ.

¶ Ad primum ergo, quod obijcitur: dicendum, quod cùm iuratur testificando, duplex est debitum, scilicet reuerentiæ veritati increatę, vt non nominetur in vanum in iurando: & debitum obseruantiæ veritatis ad proximum: vt scilicet sermone nostro, qui ad hoc ordinatus est, vt significet, quod in nostra mente est, proximus non fallatur. Inde est quod peierando in testimonio dupliciter peccatur: contra præceptum secundæ tabulæ per falsum testimonium: & contra secundum præceptum primæ tabulæ propter periurium. Accidit autem iuramento testimoniũ, & testimonio iuramentum. Nam iuramentum aliquando est promissorium, non assertorium: & tunc iurare non est testificari, sed promittere. Similiter aliquando profertur testimonium simpliciter: vt est, est: non, non: quod facit idem per veritatem, quæ in nobis est; non per veritatem, quæ Deus est: per veritatem, quæ est seruanda; non quę est honoranda: & tale testificari non est iurare, sed simpliciter asserere.

¶ Ad ea verò, quæ obijciebantur consequenter: quòd determinabatur istud præceptum secundę tabulæ: quia in proximi nocumentum. Dicendum, sicut ostendebatur, quod nõ solùm ex hoc est prohibitio falsi testimonij, quod noceat proximo: sed ex hoc quòd non seruetur debita veritas proximo.

¶ Ad vltimò verò obiecta, quibus obijciebatur: quòd non solùm contra proximum, sed contra Deum potest dici falsum testimonium. Dicendum, quod possumus respicere, quod testificamur, & cui testificamur. Si respiciamus id illud, quod testificamur, contingit illud esse veritatem increatam vel veritatem creatam: ideo falsa testificatio geminatur secundùm hoc: & cum est contra veritatem increatam, erit contra secundum præceptum primę tabulæ. cùm verò est contra veritatem creatam, quam habemus in cõscientia de rebus creatis, & designatur sermone, peccatur contra illud præceptum, *Nõ falsum testimonium dices.* Leuit. 19.
Si verò respiciamus illud, cui testificamur, ille est proximus, non Deus; siue ei testificemur de veritate creata, siue de increata: & ideo semper falsum testimonium secundùm hunc respectum est per inordinationem ad proximum: & ita præcepto secundæ tabulæ prohibetur. Materialiter ergo falsum testimonium potest ponere inordinationem, quæ est contra Deum & proximum: formaliter verò ponit inordinationem ad proximum: & ideo simpliciter (propriè dicendo) prohibetur in secunda tabula.

MEMBRVM II.

Quid intelligatur hoc nomine falsi testimonij?

Consequenter quæritur: Quid intelligatur per falsum testimonium prohiberi? Nam super illud Deut. 5. *Non falsum testimonium dices*, dicit Glos. *Pessimum genus mendacij.* Quodcunque igitur mendacium non prohibetur hic, sed illud, quod est pessimum, scilicet in attestãdo falsum. Deut. 5. Glossa.

¶ Item Leuit. 19. dicitur: *Non furtum facies, non mentiemini, nec decipiat vnusquisque proximum suum.* Sicut absolutè dictum est de genere, aliter quò mentiemini, posset hic dici: sed specialiter dictum est, *non falsum testimonium dices.* Leuit. 19.

¶ Contra, Leuit. 19. *Non mentiemini, &c.* dicit Glos. August. *Quod dictum est, non mentiemini, nec calumniam faciatis: in hoc præcepto videtur contineri, scilicet nõ falsum testimonium dices: quia calumnia sine mendacio fieri non potest, quod falso testimonio concluditur.* Ergo generaliter prohibetur hic mendacium. Ibidem. Glossa.

¶ Idem Augustinus: *Quibus placet non esse mentiendum, multo fortius agunt, vtentes eo testimonio, quod in decalogo scriptũ est, non falsum testimonium dices, quo genere complectitur omne mendacium: quisquis enim aliquid enunciat, testimonium perhibet animo suo.* Aug. in lib. de mẽdacio.

RESOLVTIO.

Generaliter omne mendacium malignitatis.

¶ Solvtio. Dicendum secundùm Augustinum, sicut nomine furti intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, illorumque membrorum non legitimus vsus: ita nomine falsi testimonij intelligitur prohiberi omne mendacium generaliter. De quo Sapient. 1. dicitur: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Et Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Quod intelligitur indistinctè de mendacio malignitatis. August. Sapien. 1. Psalm. 5.

¶ Ad illud ergo, quod primò obiicitur: distinguendum, quod cum mendacium dicatur tripliciter, iocosum, officiosum, & perniciosum: iocosum, quod fit intentione iocandi; officiosum, quod fit intentione proficiendi proximo; perniciosum, quod fit intẽtione nocendi proximo, (quod quidem dicitur mendacium malignitatis) perniciosum pessimum est: & illud intelligitur per falsum testimonium; vnde signanter dicitur: *Non falsum testimonium cõtra proximum tuum dices*, vt intelligatur prohiberi vniuersaliter mendacium, quod est in proximi nocumentum: non tamen excipitur mendacium, quod est in detrimentum sui: sicut dicit Augustinus: *Falsum (inquit) testimonium non dices aduersus proximum tuum: non ideo tamen si aduersus se quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc se putauerit crimine alienum: quia regulam diligendi proximum à seipso accepit, quando scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Deut. 5. Aug. 1. de Ciu. Dei, cap. 20.

¶ Ad secundum dicendum, quòd lex decalogi posita est populo Israëlitico, vt in statu incipientis: lex verò Leuit. vt in statu proficientis: & ideo perfectiori modo, & magis explicitè traduntur quantum ad formam dicendi moralia in Leuitico, quàm in Decalogo: sicut & in libris sequentibus legis, scilicet Numerorum, Deute. Quamuis ergo intellectus sit idem, tamen perfectiori modo dictum

est,

Deuter. 5. est, *non falsum testimonium dices*, quam, *non mentiemini, vel decipiat vnusquisq; proximum suum*, & istud explicatio est illius.

MEMBRVM III.

An in præcepto hoc de falso testimonio non ferendo prohibeatur locutio falsitatis?

Deuter. 5. Gloss. Isidor. In eadem

DEINDE quæritur. Vtrum isto præcepto sit prohibitio falsitatis. Ad quod sic. Deut. 5. *Non falsum testimonium dices*. Gloss. *Falsitatem interdicit*.

¶ ITEM, Isidor. ibidem. *Octauum mandatum crimen mendacij & falsitatis abominatur*. Et sequitur. *Primum mandatum prohibet subreptionem, secundùm errorem, tertium seculi amorem, quartum impietatem, quintum fornicationem, sextum crudelitatem, septimum rapacitatem, octauum falsitatem, nonum cogitationem adulterij, decimum cupiditatem mundi*. Locutio igitur falsitatis & credulitas prohibetur hic.

Esai. 5.

¶ ITEM, falsitas creditur, & falsitas dicitur. Si ergò culpabile est falsitatem dicere: sicut dicitur. Esa. 5. *Væ, qui dicitis bonum malum*, &c. multò magis erit culpabile falsitatem credere: sicut dicit Auctoritas. Lingua non facit reum, sed rea mens.

Damasi Canon 11. q. 4.

¶ ITEM, Canon Damasi. *Non solùm ille reus est, qui falsum de aliquo profert: sed etiam is, qui aurem cito criminibus præbet*.

Hierony. Canon ibidem.

¶ ITEM, Canon Hieronym. *Si quis hominem, qui sanctus nō est, sanctum esse crediderit, & Deicum iunxerit societati; Christum violat: cuius mēbra sumus*. Ergò credere de aliquo malo, quod sit bonus, culpabile est: sed non nisi, quia contra præceptum, quo interdicitur falsitas: ergò qui sic credit, peccat contra istud præceptum.

August. in Enchirid. ca. 19.

¶ ITEM, August. *Ipse per seipsum error, aut magnum in re magna, aut paruum in re parua; tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro incertis*.

In eodem cap. 18.

¶ CONTRA, August. *Nemo sanè mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat esse verum; quando (quantum in ipso est) nō fallit ipse, sed fallitur: non itaque mendacij, sed aliquando temeritatis est arguendus; qui falsa incautus credit, ac pro veris habet*. Ergò si non incautè, non est arguendus mendacio, nec temeritate: ergò non peccabit aliquo modo.

Idem ibidem, c. 21.

¶ ITEM, *In quibusdam rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei; vtrum credantur, an non: & vtrum vera putentur, an falsa*. In his ergò aliud pro alio putare, nō est arbitrandum esse peccatum: aut si est, minimum atque leuissimum.

Idem.

¶ ET iterum. *Si quisquam bonum hominem putando, qui malus est, ab eo aliquid patiatur mali, fallitur: sed in illum non cadit illa prophetica detestatio. Væ, qui dicitis malum bonum*, &c.

Esai. 5. ibidem.

¶ RVRSVS. Illud propheticum. Esai. 5. *Væ, qui dicunt, quod malum est, bonum*: de ipsis rebus, quibus homines mali sunt; non de hominibus intelligendum est dictum esse: vt qui adulterium dicit bonum, rectè arguitur illa voce prophetica.

RESOLVTIO.

In prohibitione hac falsi testimonij ferendi includitur, & prohibitio locutionis falsi; verum non quomodocunque; sed potissimè cùm falsitas pernitiosa est, & interdum in ijs, quæ ad salutem non pertinent.

Ansel. in lib. de veritate.

¶ SOLVTIO. Secundùm Ansel. Veritas dicitur multipliciter: sc. veritas rei, veritas cognitionis, & veritas significationis. Vnde & secundùm hoc falsitas dicetur multipliciter sc. falsitas rei, cùm res putatur esse q non est, vt ab Epicuræis beatitudinem esse voluptatem: & falsitas * signationis, cùm dicitur esse quod non est, sicut cùm dicitur hominem esse asinum.

* Alias, significationis.

¶ QVANDO ergò dicitur à Gloss. & ab Isidor. quod octauo præcepto prohibetur falsitas: non intelligitur de falsitate rei, sed intelligitur de falsitate cognitionis, & significationis: quæ vtraque falsitas ponitur in dictione; quia dicere similiter & dictio est duobus modis, in corde, & ore. Quando ergò dicitur, *Non falsum testimonium dices*, prohibetur dictio falsitatis, non quocunque modo: est

Deuter. 5.

enim falsa dictio duobus modis, aut à falsitate dicentis, aut à falsitate dicti. Item, à falsitate dicentis differentia est: nam aut falsitas perniciosa est, aut iocosa, aut officiosa: primò modo falsitas dicentis prohibetur hic: secundò modo & si non prohibeatur, tamen reprobanda ostenditur: falsitas autem dicentis hic attenditur quantum ad mendacium. Et hoc est, quod dicit August. *Quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falsum: quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit, hoc dicit: non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse, quod dicit*. Item, à falsitate dicti differentia est: *nam* (sicut dicit August.) *magno fallitur homo, cùm non credit, quod ad vitam ducit æternam: paruo autem malo fallitur, cùm falsum pro verò approbando, incidit in molestias temporales: velut si quisquam bonum hominem putando, qui malus est, aliquid ab eo patiatur mali*. Ex quo accipitur, quod falsitas in rebus, quę pertinent ad salutē; credita vel dicta, damnabilis est: non tamen dicetur esse contra istud præceptum, sed contra secundum præceptum; quo prohibetur error. falsitas verò in his, quæ non pertinent ad salutem; indifferens est, quantum ad hoc quod malè & non malè dici potest. Vnde August. *In quibusdam rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei, vtrum credatur vera vel falsa*. Et per hoc patet responsio ad primum, quod obiiciebatur secundùm gloss. & Isidorum.

August. in Enchi. cap. 18.

Idem in eod. c. 19.

Idem in eod. c. 21.

¶ AD secundùm, quod obiicitur de credulitate falsitatis: cum distinctione prædicta dictionis & falsitatis dicendum, quod non extenditur quantum ad formam præcipiendi istud mandatum ad prohibitionem falsitatis in dictione interiori, quæ est in falso iudicio: quia non potest dici dictio interior testimonium. Præterea, præceptioni Euangelicæ perfectionis reseruatur, quod dicitur Matth. 7. *Nolite iudicare*, &c. Quamuis quantum ad rationem præcepti possit reduci ad illud præceptum, secundùm illam rationem, quam ponit Canon. Damasi. quod obiiciebatur tertio loco in statu recipientis testimonium, sicut in iudice. Vnde August. *Quamuis vera sint quædam; tamen iudici non sunt credenda; nisi certis iudicijs demonstrentur*. Vnde Canon Damasi de iudice intelligitur, cùm dicit: quod reus est ille, qui aurem cito criminibus præbet; quia fauet falsis testibus.

Matt. 7.

August. in lib. de pœnitent.

¶ AD illud verò Hieronym. quod dicit de credulitate illius, qui non est sanctus, quod sit sanctus. Non intelligitur de credulitate simplici, sed de credulitate, quæ est cum assertione. Vnde postquam dixit. *Si quis hominem, qui non est sanctus, sanctum esse crediderit*, &c. subdit. *Qui in Christi corpore errat, asserens sanctum membrum eius cùm non sit, vel non esse sanctum cùm sit; vide æquali crimine noxius fiat*. Esa. enim dicit. *Væ, qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce*. Nota ergò, quod secundùm Hieronym. credulitatis falsitas cum assertione de personis culpabilis est: secundùm verò Augustinum credulitas simplex in bonis non est culpabilis. In rebus verò, quæ pertinent ad salutem, secundùm Augustinum falsi credulitas culpabilis est. Vnde Esai. *Væ, qui dicunt amarum dulce*, &c. Dulce puto esse sanctimoniam: amarum verò, quod contrarium est. In rebus autem, quæ non pertinent ad salutem, indifferens est.

Hierony.

Esai. 5.

Ibidem.

¶ AD vltimum, quod obiicitur, quod error per se malum est. Dicendum, quod error & est malum culpæ; & est malum pœnæ. In ijs, quæ ad salutem pertinent, malum culpæ est: in ijs verò, quæ ad salutem non pertinent, malum pœnæ est. Vnde August. *In falsitatibus, quibus salua fide, quæ in Deum nobis est, fallimur: & via non relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus: etsi errores peccata nō sint, tamen in malis huius vitæ deputandi sunt*.

August. in Enchirid. ca. 21.

MEMBRVM IV.

An & taciturnitas veritatis, cum veritas ipsa expetitur, hoc eodem præcepto prohibeatur?

POSTMODVM quæritur. Vtrum hic prohibeatur taciturnitas veritatis, cùm veritas requiratur.

¶ AD quod sic. August. *Reus est, qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, & iste obesse desiderat*. Sed qui mendacium dicit, reus peccat contra istud præceptum: ergò & qui veritatem tacet; quia idem est reatus;

August. ad Cassulanum.

reatus; quia contra obseruantiá veritatis debitæ proximo.

Chrysost.

¶ ITEM, Ioan. Chrys. *Non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium loquitur: sed etiam ille, qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet; aut qui non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit.*

August in lib. cõtra mendacium, cap. 10. Ioan. 16.

¶ CONTRA. August. *Non est hoc occultare veritatem, quod proferre mendacium: quamuis enim omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est, non tamen omnis, qui vult celare quod verum est, mentitur: plerunq; enim vera, non mentiẽdo, occultamus, sed tacendo: neque enim mentitus est Dominus dicendo. Multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò, &c. vera quidem tacuit, non falsa locutus est.*

RESOLVTIO.

Prohibetur, sed pro tempore, & causa.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod quamuis in ista negatiua includatur affirmatiua, qua præcipitur obseruantia veritatis ad proximum: non tamen similis est ratio in affirmatione & negatione. Nam negatio, qua prohibetur deceptio falsitatis, obligat semper & ad semper: affirmatio verò obligat semper: sed non ad semper; sed pro tempore & causa. Causa ergò facit taciturnitatem veritatis esse culpabilem secundùm Aug. ad Casulanum. Quisquis metu cuiusque potestatis veritatem occultar, itam Dei super se prouocat: quia sc. magis timet hominẽ, quàm Deum. Item, causa & oportunitas facit taciturnitatem esse licitam. Vnde Aug. *Licet prædicatori rerum æternarum, vel narratori rerum temporalium ad ædificationem pertinentium occultare in tempore quicquid occultandum videtur: mentiri autem nunquam licet.*

August. de mendacio, cap. 10.

MEMBRVM V.

An pariter & mendacium isto hoc præcepto prohibeatur?

Deuter. 5.

QVÆRITVR postea. Vtrum hic prohibeatur mendacium. Ad quod sic. Deute. 5. crimen mendacij prohibetur, cùm dicitur. *Non falsum testimonium dices.*

August. in lib. de mendac. Idem in eodem.

¶ ITEM, August. *Quod in Decalogo dictum est, non falsum testimonium dices; complectitur omne mendacium.*

¶ ITEM, August. arguit sic. *Quod est cõtra veritatem, iustum esse non potest*: est autem contra veritatẽ omne mendacium: nullum igitur iustum potest esse mendacium. Ergò est secundùm se malum: ergò prohibitũ; nõ nisi hoc præcepto.

Idem in lib. 1. de doctrina Christiana.

¶ ITEM, August. *Omnis, qui mentitur, iniquè facit: & si cuiquam videtur aliquando vtile esse mendacium, potest videri aliquando vtilem esse iniquitatem. Nemo enim mentiens in eò quod mentiens seruat fidem: nam hoc vtique vult, vt cui mentitur, fidem sibi adhibeat; quam tamen mentiendo ei non seruat: omnis autem fidei violator iniquus est.*

Idem in Enchirid.

¶ IDEM, in Ench. *Verba propterea instituta sunt: vt quisque in alterius notitiam sua verba proferat.* Verbis ergò vti ad fallaciam, non ad quæ instituta sunt, peccatum est: sed non nisi contra aliquod præceptum, & non nisi contra istud.

Psalm. 5. Sap. 1.

¶ ITEM, in Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Ergò malum & inde vt priùs.

August. de mendacio c. 7.

¶ ITEM, August. *Quis dixerit esse integrum animum mentientis?* etenim ipsa libido rectè definitur, *appetitus animi, quo æternis bonis temporalia præponuntur.* Nemo itaque potest conuincere aliquando esse mentiendum: nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtinendum esse mendacio. Sed cum tantò quisque ab æternitate discedat, quantò à veritate discordat: qui autem mentitur, à veritate discedit: absurdissimum est dicere, discedendo inde posse aliquem ad bonum aliquod peruenire. Ergò mentiendo non potest peruenire nisi ad malum: ergò, &c. & inde vt priùs. Ex his ergò patet mendacium esse malum. Ex quo relinquitur, quod hic sit prohibitum.

Idem in eodem lib.

¶ CONTRA Aug. *De ipso testimonio non absurdè quæritur: apud quem quisque sit testis. Non enim apud quoscunque loquimur, testes sumus: sed apud illos, quibus expedit, & debent per nos cognoscere aut credere veritatem: sicut est index, ne in iudicando erret: aut qui docetur doctrinam Religionis, ne erret in fide. Cùm ergò aliquis interrogat rem, quæ ipsum non pertinet: aut quod nosse non expedit; non testem, sed proditorem requirit. Itaque si mentiaris, fortasse à falso testimonio alienus eris: sed à mendacio profectò non eris.* Ex quo relinquitur, quod contingit esse mendacium sine falso testimonio: ergò non prohibetur hic mendacium.

Idem cõtra mendacium cap. 2. Psalm. 14.

¶ ITEM, vt habetur August. Priscillianistæ hæretici arguunt ex illo verbo Psal. 14. *Qui loquitur veritatem corde suo.* Si ergò præcisè dictum est de illo; qui cõsequitur salutem, in corde suo retinendum esse verum: ore ad alios loqui falsum, non erit peccatum.

Leuit. 19. August.

¶ ITEM, Leuit. 19. *Non mentiemini*, &c. Augu. *Omnia, quæ prohibentur committi contra proximum, ad hoc referuntur: non nocebis proximo.* Si ergò contingit mentiri multotiens sine nocumento proximi: non videtur hic prohibitum esse mendacium, nisi quod est in proximi nocumentum.

¶ ITEM, est mendacium in doctrina Religionis: & constat, quod illud committitur contra honorem Dei. Sed quicquid committitur contra honorem Dei, prohibetur in prima tabula: ergò mendacium huiusmodi prohibetur in prima tabula, & non hic.

RESOLVTIO.

Cùm omne mendacium (generaliter saltem) falsum testimonium sit: non abs re in prohibitione falsi testimonij & mendacij prohibitionem includi asseuerabimus.

Psalm. 5. August.

¶ SOLVTIO. secundùm Aug. super illud. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, vbi dicit. *Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa: sed tamen non sunt sine culpa: vt cùm iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. Illud primum quod in iocando est, non est perniciosum; quia non fallit; nouit enim ille, cui dicitur, iocandi causa fuisse dictum: secundùm verò prodest.* Mendacium ergò intelligitur prohibitum; quod est perniciosum: hoc est ad graue proximi detrimentum: vnde (sicut supra tactum est) signanter dicitur, *Non contra proximum falsum testimonium dices.* Et in hoc sensu intelligendæ sunt auctoritates & rationes, quibus astruitur, mẽdacium esse prohibitum. Cùm enim sit culpa venialis; & culpa mortalis: culpa venialis non dicitur esse in prohibitione, sed solum mortalis: insinuatur tamẽ esse fugienda per prohibitionẽ mortalis: & hoc, quia veniale disponit ad mortale. Fuit tamen opinio quorundam: quod omnis culpa, siue mortalis, siue venialis esset prohibita: & sicut sunt quædam mandata, quæ non implentur in via, & omissio impletionis illorum nõ est damnabilis: sicut est illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. vt dicit Aug. ita est prohibitum quorundam, quæ quamuis seruari non possint, non erit transgressio damnabilis: & hoc modo dicũt venialia prohibita in his, quæ sunt secundùm mala: & hoc modo dicunt omne mendacium prohibitum esse: siue sit veniale, siue mortale, quia est secundùm se malum. Vnde dicit Aug. super illud Leuit. 19. *Non mentiemini. Nunquid ex quo in lege dictum est, non mentiemini; ex illo tempore non licuit in tali casu, vel causa mentiri? sed magis quia iniustũ erat mendacium, ideò prohibitum: non quia prohibitum, ideò iniustum.*

Exod. 20. Deuter. 6. August. Idem sup. Leuit. 19.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur: quod videtur dicere August. quod omne mendacium non sit falsum testimonium. Dicendum, quod non dicit hoc asserendo, sed quærendo. Vnde ibi sequitur. *Saluo eo, quod nunquam licet falsum testimonium dicere, quæritur: vtrum liceat mentiri?* Aut si falsum testimonium est omne mendacium: videndum est, vtrum recipiat compensationem. Distinguendum ergò ꝙ testimonium dicitur largè, & strictè. Largè, quicunq; sermo, qui attestatur de animo dicentis (vnde dicit August. *Quisquis aliquid denunciat, testimonium prohibet animo suo*) & secundùm hoc falsum testimonium dicitur de omni mendacio. Strictè dicitur testimonium sermo, non apud quoscunque, sed apud illos, qui debent per nos cognoscere aut credere veritatem: sicut est iudex, ne in iudicando erret: aut sicut ille, qui docetur in doctrina salutis, ne erret in fide: sicut dicit August.

Idem in lib. de mendacio, ca. 18. Idem in eodem.

¶ AD illud, quod Priscillianistæ hæretici opponunt: respondet Aug. Dicunt Priscillianistæ in corde retinendum esse, quod verum est: ore autẽ ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum; quia scriptum est. *Qui loquitur veri-*

August. in cod. li. Psalm. 14.

tatem in corde suo, &c. tanquam hoc satis sit ad iustitiam, si loquatur quisquam in ore mendacium; quando non proximus, sed alienus hoc audit. Propterea putant etiam Paulum Apostolum, cùm dixisset. *Loquimini veritatem*: statim addidisse: *vnusquisque cum proximo suo*. Quæ sententia sanctos martyres exhonorat, immò verò aufert sancta omninò martyria. Iustius enim sapientiùsque facerent secundùm istos, si persecutoribus suis non se esse Christianos faterentur, ne eos sua confessione facerent homicidas. Propterea non facit ad propositum quod dicunt hæretici. *Qui loquitur veritatem in corde*: quia statim sequitur. *Et non egit dolum in lingua*. Qui enim mentitur, dolum facit in lingua: quia aliud loquitur, & aliud intendit.

Ephes. 4. Ibidem. Psal. 14.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur postea de verbo Aug. quod nō omne mendacium est in proximi nocumentum. Dicendum, quod etsi non noceat temporaliter: tamen in eò quòd fallit, fit contra proximum; quia nullus vult falli: & ideò fit alij, quod nollemus nobis fieri mentiēdo: mendacium enim est falsa significatio vocis cum intentione fallendi: vt dicit Augustinus.

August. In lib. de mendac.

¶ Ad vltimum dicendum, quod mendacium in doctrina Religionis duplicem ponit prævaricationem, scil. contra Deum, & contra proximum. Contra Deum; quia est contra honorificentiam suæ Religionis: contra proximum, quia fallit eum, inquantum mendacium est: *quia* (sicut dicit August. *vsque adeò rationalis creatura refugit falsitatem, & quantum potest deuitat errorem: vt falli nolint, etiam quicunque amant fallere*.

Idem in Enchirid. cap. 17.

MEMBRVM VI.

An mendacium ita vniuersaliter præcepto hoc prohibeatur, vt nullo casu licitum sit:

Vide pluta 2. quæ. quæst. 122.

VLTIMÒ quæritur ad maiorem euidentiam. Vtrum mendacium in omni casu sit prohibitum. Quamuis videatur relinqui ex prædictis: secundùm quod largè prohibitio se extendit non solùm ad mortale, sed etiam ad veniale.

August. in lib. cōtra mend. cap. 3.

¶ Ad quod sic Augu. *Mendaciorum genera multa sunt: quæ quidem vniuersaliter odisse debemus: nullum enim mendacium est, quod non sit contrarium veritati*. Ergò vbi præcipitur obseruantia veritatis prohibetur mendacium, quod est contrarium veritati: ergò isto præcepto prohibetur vniuersaliter mendacium.

Idem ibidem.

¶ Item, *Sicut lux & tenebræ, pietas & impietas: iustitia & iniquitas: ita inter se sunt veritas & mendacium contraria: vnde quātum amamus istam, tantum illud odisse debemus*. Inde arguitur vt priùs.

Idem in eod. lib. cap. 8.

¶ Item, August. *Cùm doctrina salutis partim credendis, partim intelligendis rebus consistat: nec ad ea, quæ intelligenda sunt, peruenire possit, nisi priùs credenda credantur: quomodo credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte & tunc mentiatur, cùm præcipit vt credamus*: Ex quo relinquitur, quòd in nullo casu est mentiendum.

Idem in eod. libr. cont. mēdac. c. 18. 1. Ioan. 2.

¶ Item, arguit Augu. quod pro nulla vtilitate est mentiendum; vnde dicit. *Quomodo erit nullum ex veritate mendacium, Ioanne Apostolo reclamante. Omne mendacium non est ex veritate: Nō est ergò verum aliquando esse mentiendum: & quod non est verum, nemini est suadendum*.

Idem in eod. c. 20.

¶ Item, *Qui dicit pro periclitantis hominis salute corporali, vel spirituali esse mendacium: vt si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum constitutus, ad quem peruenire non possit, vt baptizetur, nisi deceptis mendacio custodibus; monstratur à veritate exorbitare*. Et post paucis interpositis, subiungit. *Quomodo iubeat veritas, vt homo baptizetur, esse mentiendum: si non iubet castitas, vt homo baptizetur, esse mœchandum? Si ergò non docet veritas facere propter hominem baptizandum, quod est contrarium castitati: non docebit propter hominem baptizandum facere quod est contrarium veritati*.

Idem ibi.

¶ Et iterum subdit. *Si non est subueniendum homini per stuprum, quod est contrarium castitati; nec erit subueniendum homini per mendacium, quod est contrarium veritati*.

Idem ibi.

¶ Rvrsvs, *Odisti Domine omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium: tantò peius est mendacium iniquitate, quantò grauius positum est (perdes) quam (odisti.)*

Idem in lib. de mendac. Psalm. 5.

¶ Ad hæc, *Os, quod mentitur occidit animam*: quomodo ergò non peruersissimè dicitur; vt alter corporaliter viuat, debere alterum spiritualiter mori.

Sap. 1.

¶ Et iterum. *Dilectio proximi ex suæ cuiusque dilectione terminum accipit. Diliges (inquit) proximum tuum sicut teipsum: quomodo ergò eum diligit sicut seipsum, cui vt præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam: Non est enim hoc diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum: quod sanæ doctrinæ regula excedit. Cùm igitur mentiendo vita æterna amittatur; nunquam pro temporali alicuius vita est mentiendum*.

Idē Aug. Matth. 5.

¶ Et addit. *Quid si furto nostro, vel adulterio posset aliquis de morte liberari, ideò mœchandum est, aut furandum? Cur animam suam quisque corrumpet, vt alter viuat in corpore?*

Idē Aug.

¶ Item, August. in eodem. *Videtur ita quæri, vtrum pro alterius salute aliquis mentiri debeat: ac si quæreretur, vtrum pro alterius salute, quis iniquus esse debeat? Quòd si respuit animæ salus, quid restat quod dubitare debeamus, nunquam omninò esse mentiendum*.

Idem in eodem.

¶ Et rursum. *Ipsum mentis imperium, cui debet omnis motus inferior mentis obedire; digno non carebit opprobrio, quando fit, quod fieri non oportet*. Si ergò mentiri non oportet, non excusabitur animus mentiendo.

Idem in eodem li. contra mendac.

¶ Et iterum. *Aut non est credendum bonis: aut credendum est eis, quos credimus debere aliquando mentiri: aut non est credendum bonos aliquando mentiri. Horum trium primum perniciosum est, secundum stultum: restat ergò vt nunquam mentiantur boni*.

Idem in eodem.

¶ Ad hæc. *Quid si ad Christianum homicida confugiat; & de hac re interrogetur: mentiendum est? dicturus ergò est falsum testimonium, & occisurus animam suam, ne occidatur homicida?*

¶ Item, *Quid si ipse iudex iniquus ad supplicium quærat innocentem: falsus testis, an proditor erit? Quantò ergò fortius dicet: nec prodam, nec mentiar? Fecit hoc Episcopus Tagastensis Ecclesiæ Firmus nomine. Nā cùm homo quæreretur iussu Imperatoris: respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominē prodere*. Ex his igitur relinquitur; vniuersaliter omnibus & omne prohibitum est mendacium.

Idem in eodem cap. 13.

¶ Item, August. per inductionem probat omne mendacium esse illicitum, distinguens octo genera mendaciorum. *Primum, quod fit in doctrina Religionis siue fidei: vt hæresis & infidelitatis. Secundum, quod obest alicui, & nulli prodest: vt mendacium falsi testis in causa criminali. Tertium, quod ita alicui obest, vt prosit alij: vt mendacium falsitatis in causa pecuniaria. Quartum, quod fit solùm mentiendi libidine: quod* (vt dicit) * *mirum mendacium est: quia scilicet mirum est, quod aliquis mentiatur sine aliqua intentione vlteriori. Quintum est, quod fit placendi cupiditate: vt mendacium adulationis. Sextum est, quod nulli obest, & prodest pecuniæ alicuius conseruandæ: velut si quispiam pecuniam alicuius tollendam sciens, vbi sit, nescire se mentiatur. Septimum, quod nulli obest, & prodest vitæ alicuius conseruandæ: vt si quis nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octauum est, quod nulli obest, & prodest castitati alicuius conseruandæ: vt si quis quæsitam ad stuprandum virginem, sciens, se nescire dicat*. Ostendit ergò August. nullo genere mendacij esse mentiendum. Primo enim genere mentiendum non est: quia mentiri in doctrina pietatis, magnum scelus est. Nec secundo: quia nulli cum alterius iniuria est consulendum. Nec quarto propter mentiendi libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Nec quinto, quia nec ipsa veritas causa placendi hominibus enuncianda est: quanto nimis mendacium? Item nec sexto, quia & recti testimonij veritas pro cuiuslibet rei temporalis commodo non debet corrumpi. Nec septimo, quia nullius salus temporalis fidei præponenda est. Nec octauo, quia in bonis castitas animi pudicitiæ corporis præfertur. Ex verbis igitur Augustini videtur relinqui, vniuersaliter in omni casu mendacium esse prohibitum.

Idem in lib. de mendacio. * Alias, verum.

¶ Contra, Ambrosius. *Non solùm in verbis, sed etiam in operibus simulatis mendacium est: nam Christianum se esse dicere, & opera Christiani non facere, mendacium est*. Si ergò mendacium in operibus simulatis potest fieri licitè: ergò & in verbis. Quòd in operibus simulatis possit fieri licitè, patet per Hieronym. qui dicit. *Simulatio bona est, & in tempore assumenda*. Et hoc probat exemplo Iehu, qui simulauit se velle colere Baal, vt sacerdotes interficeret. 4. Reg. 10. Item exemplo

Ambros. Hierony. 4. Reg. 10.

1.Reg 21. Iosue 7. Luc.vlt. plo Dauid, quæ simulauit se furiosum coram Achis.1.Re. 21.& Iosue, qui simulauit fugam, vt facilius comprehenderet habitatores Hay.Iosue 7.& Dominus finxit se longiùs ire.Lucæ vltim.Ex quo relinquitur, licitum esse mendacium in operibus simulatis: ergò similiter in verbis falsis poterit esse licitum.

¶ ITEM, disputantes multoties proponunt, quod sciunt esse falsum, & ita mentiuntur: tamen non peccant; quia bono fine faciunt, scilicet propter inuestigationem veritatis.Ergò similiter mendacium, quod fit propter seruandam castitatem, vel vitam hominis, cùm fiat bono fine, non erit peccatum.

¶ ITEM, in Scripturis proponuntur locutiones, quæ secundùm sententiam literæ in mente cuiuslibet falsæ sunt & incompossibile: vt illud Indic.9. quod venerunt ligna ad rhamum,& dixerunt, *impera nobis*,&c. Et in Cantic.5.*Caput tuum aurum optimum*,dicit sponsa: & in parabolis Domini in pluribus locis Euangelij: ergò in talibus casibus licitum est mendacium. (Iudic.9. Cantic.5.)

¶ ITEM, idem probatur exemplis. Primo exemplo Abrahæ. Genes.22. qui procedens, vt filium immolaret, dixit pueris. *Expectate hic cum asino: ego autem & puer postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*:& tamen habebat in mente, vt filium immolaret:secundùm hoc ergo mentitus est. (Gen.22.)

¶ ITEM, Genes.20. idem Abraham dixit de Sara vxore sua.*Soror mea est*:& similiter Isaac. Genes.26. de vxore sua. Ergò mentiti sunt: & isti tamen Patriarchæ in omnibus commendantur: ergò mendacium illorum fuit licitum. (Gen.20. Gen.26.)

¶ ITEM, ad idem obijcitur exemplo Iacob, qui mentitus est se esse Esau. Genes.27. nec tamen reprehenditur: sed commendatur: & mentitus est, qui dixit se esse Esau, cùm non esset.

¶ SI verò diceretur, quod loquebatur allegoricè. *Ego sum Esau*;id est ille, cui debetur ius primogenituræ.In contrarium est, qui intendebat patri persuadere, quod esset Esau personaliter: vnde pelliculas edorum circumdedit manibus; ergò cùm intenderet patri persuadere esse Esau personaliter, vsus sit his verbis, *Ego sum Esau*,videtur, quod planè mentitus sit. (Gen.27. Ibidem.)

¶ ITEM, ad idem facit illud Ioseph, qui dixit fratribus,Gen.43. cognoscens eos; *Exploratores estis*. Et Gen.44. Cùm posuisset scyphum in sacco Beniamin, dixit dispensatori.*Dicito eis, scyphum, quem furati estis,ipse est, in quo bibit dominus meus.* (Gen.43. Gen.44.)

¶ ITEM, ad idem arguitur de exemplo obstetricum, quæ mentitæ sunt Pharaoni, vt saluarent paruulos Hebræorum: & sequitur ibi: quod benè fecit Dominus obstetricibus.Fuerunt ergò remuneratæ propter pium mendacium:ergò illarum mendacium fuit licitum.

¶ SI dicatur (sicut dicit beatus Gregor. super illum locum) quod culpa mendacij merces, quæ eis in æterna vita debuit retribui, in terrenam recompensationem est declinata: ex quo accipitur, quod cum retributio æterna sit eis negata propter mendacium, quod mentiendo damnabiliter peccauerunt. Contra.Hieronym.dicit, quod Dominus præparauit obstetricibus domos æternas. (Hierony. super Esa.)

¶ ITEM, ad idem arguitur exemplo Iudith, quæ multa falsa dixit, in quibus mentita fuisse videtur. (Iudit.19)

RESOLVTIO.

Generaliter hic prohibetur omne mendacium ex libidine mortali prouenient, quodcunque illud fuerit, siue (videlicet) perniciosum, siue officiosum, siue iocosum. Secus autem est de ijs, quæ ex veniali libidine proueniunt.

¶ AD hoc volunt quidam dicere: quod est mendacium veniale, & mortale. Et veniale dicunt mendacium iocosum, & officiosum: mortale verò dicunt generaliter perniciosum. Dicunt ergò perniciosum mendacium simpliciter prohibitum: iocosum verò & officiosum prohibitum quodam modo & quibusdam, videlicet viris perfectis; imperfectis verò dicunt esse permissum. Et hoc probant auctoritate August. super illud Psalm.5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: vbi dicit. *Nullus arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud est falsum dicere, aliud verum tacere: si quis fortè velit hominem ad mortem perdere, vir perfectus paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur, neque occidat animam suam pro corpore alterius.* Secundùm hoc ergò virò perfecto damnabile est mẽdacium officiosum, ergò & iocosum. Item imperfecto tale mendacium permissum dicunt, sicut veniale: sicut dicit Aug. ibidem. Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, non tamen sine culpa: cum aut iocamus, aut proximo vt prosimus mentimur. Si hoc dicatur: contra. Si mendacium iocosum damnabile est viro perfecto, & non imperfecto: ergò peioris est conditionis vir perfectus, quam imperfectus. (Augu. sup. Psa.5. — Idem ibi.)

¶ ITEM, si mendacium damnabile est perfecto (mendacium dico iocosum) hoc non est, nisi quia perfectus: ergò perfectio est circumstantia in infinitũ aggrauãs. Quod ostenditur esse falsum; esto enim quod fornicentur duo, perfectus, scilicet, & imperfectus; quia non in infinitum peccat magis perfectus imperfecto; cùm non infinitum maiorem pœnam mereatur. Nulla ergò videtur prædicta distinctio.

¶ PROPTEREA dicendũ: quod cùm cõtingat mentiri ex libidine veniali, & ex libidine mortali (*Libido mortalis*, ab Aug. rectè diffinitur, *appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Libido*, verò, *venialis est appetitus inordinatus, seu sensualitatis, vel rationis: quo minus diligitur temporale aliquod, tamen sub Deo*) Cùm ergò sit mendacium perniciosum, quod obest: officiosum, quod prodest: iocosum, quod delectat: perniciosum mendacium semper est ex libidine mortali: officiosum verò & iocosum possunt esse ex libidine mortali & veniali. Ex libidine mortali officiosum mendacium est: vt cùm aliquis propter seruandam vitam alicuius mentitur ex amore præsentis vitæ illius supra Deum: iocosum verò ex libidine mortali est, cùm ex amore delectionis ioci, quã diligit aliquis supra Deum. Ex libidine verò veniali est officiosum mendacium, quod fit ex amore vitæ sub Deo: similiter iocosum, quod ex amore delectationis sub Deo. Secundùm hoc ergò dicendum, quod vniuersaliter prohibitum est isto præcepto mendacium ex libidine mortali, siue perniciosum, siue iocosum, siue officiosum. Ex libidine verò veniali officiosum & iocosum non: sicut nec in alijs prohibetur culpa venialis. (August. in lib. de mendac. cap.7.)

¶ ET hoc modo intelligendæ sunt rationes August. Et illud, quod dicit; quod in nullo casu mentiendum est: intelligitur, quod mendacium secundùm se malum est & mortale, & veniale; nam mortale separat à veritate diuina; veniale verò disponit ad separationem: & ideò vniuersaliter vitandum est, illud sicut damnabile, istud sicut disponens ad reatum damnationis.

¶ AD illud verò, quod obiicit de viro perfecto, quod non debet mentiri; ne dum vitam alterius seruat, animam suam perdat. Intelligunt quidam non de quocunque perfecto, sed de perfecto, qui nouisset, quod in nullo casu mentiretur; vnde talis mortaliter peccat, quomodocunque mentiatur. Sed contra hoc est: quia idem esset de imperfecto, si nouisset. Propterea dicendum, quod non intendit August. dicere, quod perfectus semper mortaliter peccet; sed quod semper debeat vitare mendacium; ne pro alicuius vita saluanda committat discrimini animam suam: nam propter veniale citius veniret ad mortale. Et hoc est, quod dicit, *Nedum vitam alterius seruat* (supple veniali mendacio) *animam suam perdat*, id est, contingat aliquando perdere propter mortale mendacium. Præterea, quia nescitur, an mendacium proueniat ex radice veniali, vel mortali: ideò in dubio ponit dicens. Ne fortè,&c. nec asserit propter hoc, quod semper perdat animam suam. (Idem.)

¶ AD obiecta verò partis contrariæ dicendum. Et primò ad primum, quod obiicitur de simulatione: notandum est: quod quadruplex est simulatio. Simulatio cautelæ, quasi fuit in Iehu. 4.Reg.20. vt interficeret sacerdotes Baal: & in Iosue, qui simulauit fugam. Iosu.8. Et est simulatio (4 Reg 20. Iosue 8.)

Luc. vlt. latio doctrinæ, de qua Lu. vlt. finxit Dominus longiùs ire; vt instrueret & moueret discipulos ad opera misericordiæ & hospitalitatis. Et est simulatio significationis, qualis fuit Gen. 27. simulatio Iacob Gen. 27. quando simulauit se Esau, in quo significauit, quod minor populus præferendus erat maiori, scil. gentilis Iudaico. Est etiam simulatio duplicitatis: qualis est hypocrisis: & hoc dicitur à B. Ambrosio. Ambros. Mendacium item dicitur tripliciter. Largè: & sic omne peccatum dicitur mendacium: vnde August. *Nomen mendacij pro peccati nomine accipitur*: vnde est illud. *Omnis homo mendax, id est, omnis homo peccans*: & illud ad Rom. 3. *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundauit*. Item mendacium dicitur communiter: & sic accipitur pro peccato duplicitatis: cùm aliud est in mente, & aliud dolosè simulatur in opere, secundùm illud, Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant*. Item, sumitur propriè: & tunc (sicut dicit August.) dicitur falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Dicendum ergò generaliter, quod mendacium de se dicit vituperabile & contrarium veritati: & ideò non potest rectè fieri; siue sit in voluntate, sicut primò modo: siue in facto, sicut secundò modo: siue in dicto, sicut tertiò modo. Soluendum ergò per interemptionem, cùm dicit: quod mendacium potest esse licitum in operibus simulatis: non est enim mendacium simulatio cautelæ, vel doctrinæ, vel figuræ in facto: sed illa quæ est duplicitatis & fallaciæ.

August. in lib. cōtra mendacium. cap. 2. Psal. 116. Rom. 3. Psalm 61. August. in libro de mendacio, cap. 4.

¶ Sed si obijceretur sic. In opere potest simulari * facto, quod non est: ergò & sermone potest simulari quod non est. Dicendum, quod non sequitur: & ratio est; quia factum non est institutum ad significandum mentis conceptum: sermo autem ad hoc institutus est, vt sit nuncius mentis & interpres. Ad hoc enim sermo institutus est, vt homo significet alij, quod apud se est: cùm ergò significat alij, quod apud se non est, abusio est sermonis. Præterea sermo ad hoc institutus est, vt in audiente astruatur veritas, quæ apud loquentem instituta est: mendacium autem quantum in se est, tollit & destruit veritatem.

* Alias, factum.

¶ Ad secundùm dicendum, quod disputantes non mentiuntur; quia non dicunt falsum consentiendo, sed supponendo, vt deducant ad incōueniens, super quod nō potest stare intellectus: & cogatur respondens redire ad consensum veritatis: sicut Apostolus. 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit: inuenimur falsi testes*, &c. 1. Cor. 15.

¶ Ad tertium respondet August. dicens. *De propheticis dictis & factis putant hæretici habere quod proferunt: quia figuras pronunciationis putant esse mendacia, eo quòd mendacijs sunt aliquando similia. Sed cùm referuntur ad eas res propter quas figurandas ita facta, vel dicta sunt, reperiuntur significationes esse veraces: & per hoc nullo modo esse mendacia: non enim est falsa significatio verbi, si aliud ex alio signatur. Verum est tamen, quod signatur, si rectè intelligitur.* Vnde August. *Quicquid figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium: omnis enim enunciatio ad id, quod enunciat, referenda est: omne autem figuratè, aut factum, aut dictum hoc enunciat, quod significat eis, quibus intelligendum prolatum est.*

August. in lib. cōtra mendacium. Idem in eodem. de mendacio

¶ Ad aliud quod obijcitur de verbo Abrahæ, quod dixit vadens ad immolandum filium, *postquam adorauerimus, reuertemur*, &c. Dicendum secundùm Alchuinum, quod habebat certam fidem de filio suscitando: quia promissum ei fuerat à Domino, qui mentiri non potest; quod in Isaac vocaretur ei semen, in quo benedicerentur omnes gentes; vnde crēdebat ipsum surrecturum post immolationem: propter quod non est mentitus. Vel si dicatur secundùm Ambros. quod ipse solus immolato filio proponebat redire. Dicendum, quod non determinatè disponebat, sed sub conditione, nisi Dominus aliter ordinasset: subintelligendum ergò est si Dominus voluerit. Gen. 22. Ambros. in lib. de Patriarc.

¶ Ad aliud quod obijcitur, quod mentitus est Abraham, dicens Saram sororem suam, respondit Augustinus, quod Abraham, cùm dixit sororem suam, veritatem voluit celare: non mendacium dicere: soror enim dicitur, quia filia fratris erat. Et in hoc ostenditur, quod nemo debet tentare Dominum, dum habet quod rationabili consilio faciat: fecit quod potuit: quod non potuit, Domino commisit. Si autem interrogatus, illam vxorem suam diceret; duas res Domino committeret; & vitam suam, & vxoris pudicitiam. August. in qu. super Gen.

¶ Ad aliud verò, quod obijcitur de Iacob. Respondet August. *Iacob dicendo se esse Esau primogenitum, non est mentitus: non enim dixit se esse primogenitum nascendo, sed ius primogenituræ illo vendente rectè adeundo: sicut Christus Ioannem dixit esse Heliam, non persona, sed imitatione virtutis.* Matth. 11. *Transumptiuè ergò, & non propriè locutus est, dicens. Ego sum Esau, non personaliter, sed iure primogenituræ.* Quod ergò obijcit, quod intendebat persuadere, quod esset Esau personaliter. Dicendum, quod & si intendebat facere aliquid, quo tactu Isaac crederet ipsum esse Esau, occasionaliter tamē intendebat hoc: nam principaliter intendebat benedictionem sibi debitam vendicare: verbum verò simpliciter verum erat; quia allegoricè transumptiuè erat enunciatum. Idem in eodem. Matt. 11. Gen. 27.

¶ Ad illud similiter, quod obijcitur de Ioseph. Respōdet August. quod verbum Ioseph supra dictum, non seriò, sed ioco dictum est: vt exitus docuit: & ideò non est habendum pro mendacio: mendacia enim à mendacibus seriò dicuntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquā ioco dicuntur, non reputantur mendacia. Et hoc intelligendum est, secundùm quod mendacium dicitur falsa significatio vocis cum intentione fallendi. August. in li. cod. qu. super Genes.

¶ Tamen si obijciatur: quod nihilominus videtur mētitus fuisse, ad minus iocosè. Dicendum, quod non est verum: sicut dicit August. *Non solùm quod fecit & dixit Iacob, vt benediceretur: sed neque illud, quod Ioseph velut illudendo dixit fratribus; nec cetera huiusmodi mendacia iudicanda sunt: sed locutiones, actionesq́; propheticæ ad ea, quæ vera sunt, intelligenda referēda.* Idem in lib. contra mendacium, cap. 10.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de obstetricibus. Dicendum, quod earum mendacium potuit esse mortale, & veniale. Quia si radix fuit mortalis, scilicet libido, quia diligerent vitam temporalem Hebræorum supra Deum mortale fuit, & mendacium: & in illo casu loquitur Greg. Si fuit radix veritatis, & amor vitæ sub Deo sic fuit mendacium veniale: & hoc loquitur Hieronym. supponens eas ex pietate mentitas fuisse: sub Deo tamen dilexisse vitam infantium, & ideò meruisse vitam æternam.

¶ Ad vltimum, quod obijcitur de Iudith. Responsio est in gloss. super Iudith. 11. vbi dicitur. Apud Holofernem quicquid de aduentu suo & Hebræorum futuro iudicio loquitur, non dicit adulatione mentiendo, sed futura prophetice prædicendo. Iudit. 11.

QVÆSTIO XXXVIII.

De vltimis Præceptis Decalogi. Non concupisces rem proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius.

In quinque Membra diuisa.

Post prædicta quærendum est de duobus vltimis mādatis Decalogi, nono, & decimo: de quibus dicitur. *Non cōcupisces: rem proximi tui: nec desiderabis vxorem eius.* Qualiter autem ista præcepta connumerentur cum præcedentibus; dictum est supra Quæstione de Distinctione Decalogi. Exod. 20. Deuter. 5.

¶ Nunc autem quærendum est primò; an ista præcepta sint præcepta legis naturæ. Secundò, vtrū prohibeatur hic concupiscentia generalis, aut specialis. Tertiò, vtrum istis præceptis prohibeatur actus interior, qui est in primo motu, aut delectatione, & consensu? Quartò, supposito quod prohibeatur hic concupiscentia quantum ad consensum voluntatis: quæritur, vtrum ad idem præceptum pertineat prohibitio voluntatis & operis: Quo supposito, quæritur vlteriùs: vtrum maior sit præuaricatio in opere, quam in voluntate. Et vlteriùs supposito quod prohibeatur hic actus interior voluntatis: in quo est superabundantia Euangelicæ perfectionis? Vltimò dicenda est breuiter explanatio præceptorum Decalogi ad instructionem simplicium.

MEMBRVM. I.

An nonum & decimum præceptum Decalogi naturalis legis præcepta sint?

Rom. 2. AD primum sic. Rom. 2. *Gentes, quæ naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Sed in corde scriptum est, non malum concupiscere; sicut nec malum facere; & quod est scriptum in corde, est legis naturalis: ergò ex lege naturali est non concupiscere, &c.

Glossa. Ibidem. ¶ ITEM, ad idem est quod ibi dicit gloss. *Opus scriptum in cordibus, id est, firmiter infixum rationi: cum illa opera laudant, quæ lex iubet: illa damnant, quæ prohibet.*

Rom. 7. ¶ CONTRA. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces:* ad Rom. 7. Sed ea, quæ sunt legis naturalis; sunt nobis indita & nota: ergò cùm concupiscentiam nesciret Apostolus, nisi lex diceret, *non concupisces:* videtur quod istud præceptum non sit legis naturalis.

RESOLVTIO.

Et quidem, cùm in corde & ipsa scripta sint, firmiterq́; fixa rationi.

¶ AD hoc dicendum: quod ista præcepta, sunt præcepta legis naturalis.

Ibidem. ¶ AD illud autem quod obiicitur, quod dicit Apostolus. *Concupiscentiam nesciebam,* &c. Dicendum, quod nesciebat esse peccatum: vel si sciebat, nesciebat esse tam graue, quantum est. Vel dicendum, quod loquitur Apostolus in persona diuersorum hominum. In quibusdam enim hominibus lex naturalis intantum obscurata fuerat, quod nesciebant, vtrum concupiscentia esset peccatum: & quantum ad illos dicit gloss. *nesciebam peccatum esse.* Alij autem erant, in quibus non obscurata erat: qui benè sciebant esse peccatum, sed non tam graue. Et quantum ad illos dicit gloss. *vel tam graue.* (Glossa. Ibidem. Eadem.)

MEMBRVM II.

An generalis, vel specialis concupiscentia his præceptis prohibeatur.

Rom. 7. Glossa. DEINDE quæritur. Vtrum hic prohibeatur concupiscentia generalis. Ad quod sic, Rom. *Concupiscentiam nesciebam.* &c. Gloss. *Hic eligit Apostolus, quod est generale* (supple peccatum) *scilicet concupiscentiam, vnde omnia mala veniunt.* Ex quo relinquitur, quod prohibetur hic concupiscentia generalis.

Exod. 20. Deuter. 5. ¶ CONTRA: prohibetur hic concupiscentia, sed non absolutè; immò cum determinatione: quia dicit. *Non concupisces vxorem; & non concupisces rem proximi tui.* Sed concupiscentia determinata ad vxorem, & rem proximi, non est generalis: ergò non prohibetur hic concupiscentia generalis.

Rom. 7. Glossa. ¶ ITEM, ad Rom. 7. *Nisi lex diceret,* &c. Gloss. *Bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet.* Si ergò secundùm hoc dicatur prohiberi cócupiscentia malorum omnium, siue prohibitio omnium malorum: tunc illud præceptum non erit particulare, sed generale ad prohibitionem omnis mali.

Psal. 79. Glossa. ¶ ITEM, super illud Psal. 79 *Incensa igni,* &c. dicit gloss. quod duplex est radix omnium malorum, scilicet timor malè humilians, & amor malè accedens. Ergò deberent magis prohiberi, quam ipsa concupiscentia, quæ cedit solùm in vnam partem, scilicet in amorem malè inflammantem.

¶ ITEM, si dicatur quod prohibetur concupiscentia specialis. Sed cùm sit triplex concupiscentia radicalis, cócupiscentia oculorum siue diuitiarum, concupiscentia carnis, & concupiscentia honorum, quæ pertinet ad superbiam vitæ, ergò debuit specialiter prohiberi concupiscentia honoris: sicut concupiscentia vxoris, & rerum proximi prohibita est.

RESOLVTIO.

Et specialis, & generalis concupiscentia hic prohibetur. Secundùm formam specialis: secundum virtutem generalis.

¶ RESPONSIO. Secundùm formam præcepti prohibetur cócupiscentia specialis: secundùm verò virtutem præcepti prohibetur concupiscentia generalis. Cuius signum est, quoniam geminatur verbum concupiscendi: propterea in illis duabus concupiscentijs intelligitur generaliter omnis concupiscentia. Nam omne concupitum extra est: & hoc dupliciter, aut enim est communicans nobiscum, aut non communicans. Si communicans, intelligitur per vxorem secundùm modum Decalogi per synedochen, à parte totum. Si non communicans, intelligitur per rem proximi.

¶ VNDE per hoc soluitur vltimum. Nam cùm prohibetur concupiscentia rerum proximi, intelligitur prohiberi concupiscentia honoris: vnde postmodum ad explicandum additur, *non seruum, nõ ancillam,* vt insinuetur prohiberi concupiscentia dominandi: propterea in concupiscentia particulari intelligitur generalis: & ideò ex consequenti prohibetur. Exod. 20.

¶ AD primum verò, quod obiicitur: patet iam responsio. Non enim est hic prohibitio generalis, sicut nec in alijs præceptis: sed particularis cócupiscentiæ vxoris & rerum proximi. Quare autem istorum plus quam aliorum, determinatum est supra Quæstione de distinctione præceptorum Decalogi.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de timore malè humiliante, & amore malè accedente. Dicendum, quod radix principalis omnium malorum est concupiscentia, id est, improba voluntas secundaria verò timor malè humilians, amor malè accedens: vt sicut sunt duæ partes iustitiæ: vna declinare à malo, cuius principium est timor, alia facere bonum, cuius principium est amor: ita sunt duæ partes iniustitiæ; declinare à bono, cuius principium est timor malè humilians: & facere malum, cuius principium immediatum est amor malè accedens; & vtraque radix reducitur ad concupiscentiam: sicut in Tractatu de vitijs & peccatis declaratum est. (Quæstio 29. membr. 2.) (Part. 2. q. 115.)

MEMBRVM III.

An interior actus concupiscentia prohibeatur hic in primo motu, vel in delectatione, vel in consensu?

SEQVITVR quærere. Vtrum hic prohibeatur actus interior concupiscentiæ in primo motu: aut in delectatione: aut consensu? Et cùm in primo motu inueniatur primò concupiscere, videbitur alicui primus motus cócupiscentiæ prohiberi.

Hierony. ¶ CONTRA: primus motus non est in potestate nostra: & dicit Hieronym. *Anathema sit, qui dixerit Deum aliquod impossibile præcepisse.* Relinquitur igitur, quod non prohibetur concupiscentia in primo motu.

August. ¶ ITEM, nullus transgreditur in eo, quod vitare non potest: vt dicit August. Cùm igitur primus motus vniuersaliter non possit vitari: ergò in primo motu nõ erit transgressio, videlicet huiusce præcepti diuini.

RESOLVTIO.

Actus interior concupiscentia vtcunque hic prohibetur: sed aliàs, atque aliàs prout in consensu per se: prout verò in delectatione & suggestione, siue primo motu, secundùm quid.

¶ RESPONSIO. Tripliciter potest accipi concupiscentia. Vno modo appetitus vegetabilis: & talis concupiscentia inordinata est à fomite mouente, hoc est corruptione originalis culpæ. Alio modo concupiscentia est appetitus sensibilis, & prout est inordinata, est à mouente sensualitate cum fomite. Tertio modo concupiscentia est appetitus rationalis: & sic est à mouente liberi arbitrij voluntate.

Pri-

Primo modo concupiscentia est in suggestione, secundo in delectatione, tertio in consensu. Respondendum igitur quod per se concupiscentia, prout est in consensu rationis vel voluntatis, prohibetur. Concupiscentia verò, quæ est in delectatione sensualitatis, vel ex suggestione fomitis in actu vegetabilis, non prohibetur simpliciter; nisi secundùm quid, vt dictum est: quia non est prohibendum, ne illæ concupiscentiæ sint in nobis; quia hoc est nobis impossibile: sed prohibetur nobis, ne sequamur eas: secundùm quod dicitur Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas non eas,* &c. ire autem est consentire: duas autem concupiscentias, suggestionis, & delectationis, non est prohiberi propriè: sed ex prohibitione ostenduntur malæ & vitandæ: sicut supra dictum est.

Ecclef. 18.

MEMBRVM IV.

An vna & eadem prohibitio sit prohibitio voluntatis & prohibitio operis, ad vnum idemq; præceptum pertinentes?

POSTMODVM quæritur. Vtrum ad idem præceptum pertineat prohibitio voluntatis, & operis? Ad quod sic. Rom. 1. *Repletos omni iniquitate, & homicidijs,* &c. Gloss. *Benè dici (hominis) pluraliter: quia plura sunt homicidia, voluntatis, scil. & operis.* Ergò ad plura præcepta pertinet prohibitio & voluntatis, & operis.

Rom. 1. Glossa.

¶ ITEM, Psalm. 64. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Gloss. *Qui malum opus addit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.*

Psal. 64. Glossa.

¶ ITEM, circa mœchiam & furtum diuersæ sunt prohibitiones operis & voluntatis: quia propter opus dicitur, *non mœchaberis, non furtum facies*, propter voluntatem verò dicitur, *Non concupisces vxorem, & non concupisces rem proximi*

Exod. 20.

¶ ITEM, diuersa sunt voluntas & actio exterior: ergò diuersis debent prohiberi præceptis.

¶ CONTRA: actio exterior non est culpabilis nisi à malitia voluntatis: quia sicut dicit Damas. actus in voluntarij non sunt culpabiles: & dicit August. quod peccatum adeò est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum. Ergò non est transgressio voluntatis & operis: ergò vna erit prohibitio.

Damas.

¶ ITEM, idem est finis malus voluntatis, & operis; & idem principium mouens, scilicet libido: ergò idem malum.

¶ ITEM, vnus est contemptus Dei à voluntate & opere: ergò idem reatus transgressionis: ergò eadem prohibitio.

¶ ITEM, si dicatur idem præceptum: erit superflua prohibitio, qua dicitur, *Non concupisces vxorem: & non concupisces rem proximi*, ex quo dictum est, *Non mœchaberis, non furtum facies.*

Exod. 20.

¶ ITEM, si voluntas pro facto reputatur: vt dicit auctoritas: quia quod vis tibi pro facto reputat Deus, si non potes; & hoc in bonis; ergò & in malis voluntas pro facto reputabitur: ergò idem reputabitur reatus: ergò eadem erit prohibitio vtriusque.

Ibidem.

RESOLVTIO.

Prohibitio voluntatis, & prohibitio operis, quantum quidem ad radicem & intentionem vnica prohibitio dici possunt, ad vnum tantum præceptum attinentes. Quantum verò ad inordinationem plures prohibitiones sunt, ad plura etiam præcepta spectantes.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod refert, cum voluntatē sequitur opus: & cùm non sequitur. Cùm autem opus sequitur, duplex est consideratio: aut enim voluntas & opus referuntur ad radicem: aut considerantur in se. Contingit ergò peccatum esse in voluntate, non sequente opere: ne igitur Iudæi carnales & rudes existimarent solam culpam esse, cùm opus coniungitur voluntati, separatim prohibenda fuit mala voluntas. Item si consideretur voluntas in se, & opus exterius in se: aliæ sunt circumstantiæ boni debitæ actui exteriori, quam voluntati: quia diuersificantur modus, locus, tempus, & quædam aliæ circumstantiæ: quamuis circumstantia finis sit eadem. Si ergò (vt dicit August.) peccatum est actus incidens ex defectu boni, alius autem & alius est defectus actus hinc inde; ergò secundùm hoc aliud & aliud peccatum: geminanda ergò erit prohibitio voluntatis & operis, vt istud iudicaretur. Si autem attendantur voluntas & opus sequens in radice, scilicet libidine & intentione, idem erunt. Lex igitur Dei secundùm rationem lationis perfecta vtrumque docuit: nam in aliquibus propter vnitatem radicis, qua vnum sunt voluntas & opus, vna sola prohibitione vtrumque interdixit; vt in homicidio, & falso testimonio: in aliquibus verò differenti propter defectum & inordinationem, & in vtroque differenter vtrumque prohibuit, vt in mœchia & furto. Quæ autem sit ratio: quare ista plusquàm alia; dictum est supra Quæstione de distinctione præceptorum Decalogi.

Augu st.

¶ RESPONDENDVM igitur est: quod peccatum voluntatis & operis vnum sunt in radice & intentione: sed duo peccata in defectu inordinationis: & ideò cum voluntatem sequatur opus, magis duplex peccatum dicitur, quam duo; vel vnum: nec superfluit prohibitio, sicut ostensum est. Et quod dicitur voluntas pro facto reputatur: hoc nō intelligitur, nisi de voluntate plena: plena autem voluntas est, quæ quantum in ipsa est, exiret in opus, si daretur facultas. Præterea, & si reputatur pro facto talis voluntas quantum ad reatum radicis: non tamen omninò idem est quantum ad defectum inordinationis: ex hoc quod non est cum debitis circumstantijs.

Quæst. 29. membr. 2. ar. 2.

¶ DEINDE quærendum esset, vtrum esset maior reatus voluntatis, quam operis? sed illud determinatum est in Tractatu de Vitijs Quæstione de comparatione peccatorum. Quæritur tamen: si hic prohibetur actus cordis, cùm dicitur, *Non concupisces*, in quo superabundat Euangelium à lege.

Par 2. qu. 110 memb. 4 & alibi. Exod. 20. Deuter. 5.

¶ ITEM, si hæc est vera differentia, quam posuerunt, quod lex cohibet manum, non animum: Euangelium verò animum.

¶ AD quod intelligendum: quod lex hic prohibet actū cordis: nisi enim esset in lege prohibitum, putaretur esse concessum. *Concupiscentiam enim nesciebam esse peccatum: nisi lex diceret, non concupisces.* Rom. 7. Superabundat tamen Euangelium à lege in generalitate prohibendi, & expressione. In generalitate: quia inordinatio secundùm actum cordis in proximum generaliùs prohibetur in Euangelio: quam hic. n. Matt. 5. prohibetur actus cordis inordinatus, & secundùm vim irascibilem, & secundùm vim concupiscibilem: hic autem tantum secundùm vim concupiscibilem: vnde abundat Euangelium in generalitate prohibendi. In expressione etiam abundat: quia expressiùs prohibetur inordinatio cordis in Euangelio, quam in lege: in lege enim non prohibetur, nisi inordinatio affectionis, cùm dicitur, *non concupisces*, in Euangelio verò prohibitur * intentio cognitionis. Matth. 5. vbi dicitur. *Si videris mulierem*, hoc est, si oculum habeas, intentione cordis in mulierem cogitando, vt concupiscas eam: iam mœchatus es, &c. Et hoc infra pleniùs declarabitur.

Rom. 7.

Matth. 5.

* Alias, intensio. Matt. 5.

QVÆSTIO XXXIX.

De generali & summaria quadam totius Decalogi explanatione.

QVONIAM secundùm Apostolum & sapientibus & insipientibus debitores sumus: post disputationem præceptorum Decalogi, quæ pertinet ad studium sapientum; dicenda est breuiter explanatio præceptorum ad instructionem simplicium. Ad quorum explanationem quædam præambula sunt dicenda, vt cætera clariùs videantur: scilicet. Quod præceptum, & quæ diuisio præcepti generaliter. Quæ diuisio præceptorum legis naturæ. Quæ diuisio præceptorum legis scriptæ. Quæ distinctio præceptorum legis Mosaicæ. Qualis intelligentia singulorum præceptorum legis Decalogi.

Rom. 1.

¶ CIRCA

Definitiones. ¶ Circa primum notandum: quod præceptum est iussio, vel imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Faciendum autem dicitur, quod est debitū fieri; vt honorare patrem. Non faciendum autem, quod est debitum non fieri; vt mœchari. Iussio vel imperium est superioris, sicut obedire minoris: vnde sic potest scribi: Iussio est voluntatis superioris expressio de faciendo, vel non faciendo ei, qui inferior est. Patet ergò generaliter posita ratio præcepti. Præceptum est, &c.

¶ Notandvm autem, quod præceptorum aliud est affirmatiuum, quod est de faciendo, vt honorare patrem: aliud est, negatiuum, quod est de non faciendo: vt non occides. Et datur ista diuisio secundùm rationem causæ formalis præcipiendi. Differunt ergò effectu præceptum affirmatiuum (quod restricto nomine solet dici præceptum, & præceptum negatiuum (quod prohibitio dicitur:) quia affirmatiuum obligat semper, scilic. in omni tempore, sed non ad semper, id est, non ad omne tempus: negatiuum autem obligat semper & ad semper. Et hoc intellige de

Exod. 20. præceptis Decalogi, id est, iuris naturalis. Verbi gratia, *Honora patrem*, præceptum est affirmatiuum; quod obligat me semper; quia semper teneor ad honorandum patrem, sed tamen non ad semper honorandum: non enim est possibile, nec expediens, vt semper honorem eum: sed cum tempus requirit. Negatiuum præceptum semper obligat; sicut, non mœchaberis: quia semper teneor, & quocunque tempore non mœchari.

¶ Item, præceptorum aliud disciplinæ, aliud legis scriptæ. Præceptum naturæ est necessitatis: disciplinæ debiti: legis scriptæ honestatis: sicut patebit.

Diuisiones. ¶ Præceptvm naturæ dicitur duobus modis. Vel quod est datum propter naturam: vt *Crescite & multiplicamini* Genes. 9. Vel quod est secundùm dictamen rationis

Genes. 9. Tob. 3. faciendum: vt, *Non facias alij, quod tibi non vis fieri*. Tob. 3.

¶ Item, natura differentiam habet ante peccatum, cùm erat benè instituta: & post peccatum, cùm est corrupta. Et iterum post peccatum dicitur, antequam esset multiplicata, & postquam est multiplicata. Secundùm hoc præcepta naturæ recipiunt diuisionem. Nam quædam respiciunt naturam benè institutam: secundùm quod, omnia esse communia, dicitur esse præceptum naturæ siue iuris naturalis, à Sanctis. Quædam verò respiciunt naturam benè institutam & corruptam ante multiplicatio-

Gen. 1. & 9. & sæp. alibi. nem: vt, *Crescite & multiplicamini*. Quædam naturam secundùm omnem statum, scil. ante corruptionem & post, ante multiplicationem & post: vt *Non facias alij*, &c.

¶ Dividamvs ergò: præceptum naturę aut est datum, aut innatum. Si est datum: aut est datum propter naturam

Genes. 2. Ibid. & 9. Rom. 2. conseruandam secundùm actum nutritiuæ, vt Genes. 2. *De omni ligno paradisi comede*, &c. aut propter naturam multiplicandam secundùm actum generatiuæ, vt. *Crescite & multiplicamini*. Gen. 1. & 9. Si innatum, iuxta illud Rom. 2. *Si gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus scriptum in cordibus suis, &c. hæc scriptura innata est cuilibet. Præceptum ergò insitum est conscientiæ cuiuslibet secundùm dictamen rationis de faciendo, vel non faciendo. Hoc autem recipit diuisionem: nam aliud est ordinatum in Deum, sicut diligere creatorem super omnia, & obedire ei in omnibus & super omnia, quod est insitum cuiuslibet conscientiæ: aliud est manifestatiuum ordinis in proximum. Et hoc duobus modis, scil. secundùm viam

Tob. 4. innocentiæ, vt illud. Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri*, &c.

Matth. 7. & secundùm viam beneficentię, vt est illud Matth. 7. *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, vos eadem facite illis*. Hæc

* Alias, diuisio. est igitur * differentia præcepti naturæ, siue legis naturalis.

¶ Præceptvm verò disciplinæ generaliter est præceptum datum ad probationem: vt homo sciat Deo se debere obedientiam, non tantum in expedientibus vel honestis; sed etiam in indifferentibus. Et hoc recipit diuisionē: nam aliquod præceptum disciplinæ datum est ad probationē obedientiæ, vt illud præceptum negatiuum datum

Genes. 2. Adæ Genes. 2. *De ligno scientiæ boni & mali non comedes*, &c. quoddam ad probationem fidei; vt illud datum Abrahæ, Gen. 22. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac*, &c. & est præceptum affirmatiuum. Genes. 22

¶ Prænotata est differentia præceptorum legis naturalis: nunc prosequamur differentiam legis scriptæ, quantum ad moralia (quia quantum ad alia planum est) quam quidam posuerunt in duobus, scilicet in obligatione, & fine. In obligatione, quia præcepta legis naturalis non tenemur implere ex charitate, præcepta verò legis diuinæ tenemur implere ex charitate. Et hoc dicunt propter illud. 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas: & implentibus præcepta promittitur vita æterna*. Ex quo sequitur, quod in omni præcepto legis scriptæ includitur modus gratiæ, scil. ex charitate: in præcepto naturæ includitur * modus naturę, scilicet vt fiant ex naturali pietate: nam potest aliquis facere alij, quod sibi vult fieri, ex dolo, vel proditione. Vnde relinquitur, quod cointelligitur, *ex naturali pietate* in omni præcepto iuris naturalis. Item motus naturæ semper reflectitur in seipsum, scilicet commodum proprium: vnde hæ, quæ ex lege naturali procedunt, operationes tendunt in bonum expediens & consentaneum naturæ; motus verò gratiæ semper esse idem: nam præcepta legis scriptæ, quorum impletio secundùm tenorem suum manat à gratia (quod patet, quia finem habent charitatem) tendunt in bonum, quod dicitur honestum secundùm se. Et ideò supra assignata est ratio illius diuisionis, præceptū naturæ, disciplinæ, & legis scriptæ; quia præceptum naturæ, secundum se expediens, disciplinæ indifferens, legis scriptæ honestum. 1. Tim. 1. * Alias, motus.

¶ In fine etiam differunt: quia præcepta legis scriptæ data sunt ad merendum vitam æternam primò, & per se: præceptum verò naturæ ad habilitandum ad virtutes politicas disponatur homo ad virtutes theologicas, quæ faciunt dignum vita æterna. Sic enim est conueniens ordo, vt homo per principia iuris naturalis descripti in conscientia habilitetur & exerceatur ad virtutes politicas: & sic facienti homini, quod in se est, sic disposito infundatur gratia & virtutes; quæ faciunt gratum Deo. Sed quia istud disputationis est: ideò potest poni differētia certior. Dicamus ergò, quod differunt per explicitum & implicitum sicut præceptum legis morale, & Euangelij: nam quod lex naturalis, quæ est insita conscientiæ cuiuslibet, habet implicitè: lex scripta Decalogi habet explicitè. Verbi gratia: lex naturalis dicit non facias alij, &c. lex scripta explicat, *Non occides*, &c. secundùm quod dicit August. Exod. 20. Deuter. 5. August.

Distinctio præceptorum veteris legis ponitur (sicut supra ostensum est) in moralia, iudicialia, cærimonialia. Moralia sunt, vt quæ in Decalogo: iudicialia sunt, vt quæ in decisione causarum instituta sunt; vt ea, de quibus Exo. 21. *Hæc sunt iudicia, quæ propones eis*, &c. cærimonialia in figuram futurorum instituebātur; vt ea omninò, quæ de compositione tabernaculi, & de sacrificijs, & huiusmodi. Cuius diuisionis ratio sic potest sumi: quod iubetur, aut iubetur propter significandum quò ad intellectum; & sub hac ratione omnia cęrimonialia iubentur: aut iubetur propter operandum quò ad effectum. Et hoc duobus modis: quia aut hoc est operandum simpliciter, viriliter, & secundùm omnem tempus: & sic morale. Simpliciter (dico) quia nulla determinatione addita faciendum, vel non faciendum est: vt, honora patrem, non occides. Viriliter (dico) quò ad omnes: quia secundùm dictamen communis rationis faciendum, vel non faciendum est. Secundùm omne tempus (dico) quia nullum tempus est, in quo non obligentur ad faciendum, vel non faciendum: quāuis non pro quocunque tempore. Aut hoc est operandum secundùm quid: & particulariter, & quantum ad aliquod tempus: & ita iudiciale: vt, Qui furatus fuerit, reddet quadruplum, aut quintuplum, Exod. 22. Secundùm quid (dico) quia in casu: nam si contingeret, quod aliquis in extrema necessitate fuisset furatus panem autem vestes; & hoc constaret cunctis, nunquid cum tali huiusmodi iudicium exequendum esset? constat quod nō: præceptum ergò iudiciale respicit causam: & ideò secundùm quod operandum, vel non operandum demonstratur per præceptum iudiciale. Particulariter (dico) quia nō quò ad omnes est istud iudicium: immò in terra illa, vbi fures sunt latrones, hoc est interfe- Exod. 21. Exod. 22.

ctores

ctores hominum, vt eos spolient: iudicium est, vt qui furatur suspendantur. Quo ad tempus (dico) nam apud eosdẽ homines, sc. Iudæos de eodem iudicium variatur: vt fur in lege puniebatur, vel quadruplo, vel quintuplo, Exod. 22. (Ibidem.) vel quintæ partis additione, vt Numer. 5. (Nume. 5.) postea verò crescente malitia hominũ, iudicium aggrauatum est: vt Prou. 6. (Prouc. 6.) vbi dicit. *Qui furatur, deprehensus, reddet septuplum.*

¶ Distingvvntvr legis præcepta ratione lationis ipsorum præceptorum, siue iniunctionis: quia cærimonialia lata sunt principaliter in figuram præceptorum, moralia & iudicialia in demonstrationem faciendorum, vel nõ faciendorum. Sed differenter, quia moralia demonstrant facienda secundùm se, & secundùm omne tempus; iudicialia facienda ex causa, & secundùm aliquòd tempus.

¶ Nvnc restat intendere circa expositionem præceptorum Decalogi. Et accipiamus ipsa verba, prout scripta sunt in Exod. 20. Sciendum ergò, quod ipsi Decalogo præponitur, quasi titulus talis. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.* (Exod. 20.) In quo ostenduntur duo: quis loquatur in Decalogo: & cui loquatur. Loquitur Deus Trinitas, vnus in essentia, trinus in personis: & hoc est, quod dicitur. *Ego sum Dominus Deus tuus.* Nomine Domini intelligitur potentia, in qua magnificatur Pater: nomine Dei, qui interpretatur theos græcè, id est, videns, (θεὸς ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι) intelligitur sapientia, in qua magnificatur Filius: in pronomine possessiuo, quod loco determinationis additur, scilicet *tuus*, insinuatur bonitas; per cuius participationem efficitur meus, vel tuus: in qua magnificatur Spiritus sanctus. (Ibidem.) Insinuatur ergò per ista tria vocabula. *Dominus, Deus, tuus.* Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Vnitas verò essentiæ per hoc singulariter dicitur. *Ego sum.* Ecce patet quis loquitur. Cui loquitur, insinuatur, quia illi populo, qui eductus erat de Ægypto, vnde dixit. *Qui eduxit te*, &c. In quo attendendum est, quod præcepta Decalogi sunt innata conscientiæ cuiuslibet rationalis creaturæ: sunt etiam data expressis vocibus sicut hic dicitur. Sciendum ergò, quod præcepta; secundùm quod innata respiciunt omnes: secundùm quod data, tantum illum populum; quia tantum illi populo verbis expressis dabantur, quem Dominus eduxit de Ægypto ad literam. Tamen spiritualiter effectus triplex respondens appropriatis Trinitatis tangitur: cùm dicitur. *Eduxi te*, &c. (Ibidem.) educere enim est potentiæ. *De terra Ægypti.* Sapientiæ. *De domo seruitutis.* bonitatis. Ægyptus enim tenebræ interpretatur; in quo error infidelitatis: domus seruitutis, reatus peccati: qui .n. facit peccatũ, seruus est peccati. Dicitur ergò. *Ego Dominus, qui te eduxi.* scilicet, per potentiam. *Ego Deus*, qui te eduxi. *De terra Ægypti.* id est, de tenebris erroris & infidelitatis ad intelligentiam veritatis. Ego *tuus* qui te eduxi. *De domo seruitutis*, id est, reatu peccati & prauorum morum ad libertatem gratiæ & affectionem bonitatis.

¶ Seqvitvr post titulum Decalogus. (Exod. 20 Intelligẽtia primi mandati.) Primum mandatum est. *Non habebis deos alienos*, &c. & non facies tibi sculptile, &c. Et continet duo, præceptionem, & cum comminatione promissionem. In præceptione verò continentur tres clausulæ. (Ibidem.) Prima est, *Non habebis deos alienos*, in qua prohibetur ad literam idololatria, qua colitur creatura spiritualis; vnde Orig. in gloss. (Origen. Psalm. 81.) *Angelos, quibus gentes commisit excelsus, appellat scriptura deos, quasi à Deo datos*: vnde. *Ego dixi dij estis.* (Exod. 20.) Secunda clausula est, *Non facies tibi sculptile*, in qua prohibetur idololatria, qua colebant imagines alicuius rei naturalis; & specificat, cùm addit, *neque eorum, quæ in cœlo sunt*, vt solis & lunæ, *& quæ in terra*, vt hominis & bouis, & similium, *& quæ in aquis sub terra*, id est piscium.

¶ Sed dubitabit aliquis propter hoc, quod dicitur aqua sub terra: cùm terra naturaliter vt grauissima teneat locum inferiorem mundi, id est centrum. Prouerb. 25. (Prou. 25.) *Cœlum sursum, terra deorsum.* Sed intelligitur aquas sub terra dici propter aquas; quæ recipiuntur in venis terræ: vnde erumpunt fontes & flumina: & ratione illarum aquarum dicitur terra super aquas. Similiter in Psalm. 135. (Psal. 135.) *Qui firmauit terram super aquas.* Respectu autem Oceani, qui circuit totam terram, & supereminet: vt natura minus grauis, non dicitur.

¶ Dvbitabit etiam de hoc quod dicitur, (Exod. 20.) *Non facies sculptile, nec omnem similitudinem*, ergò Christiani, qui faciũt imagines sunt idololatræ. (Deuter. 5.) Sed respondetur per determinationem sequentis Textus, *non adorabis, neque coles*, (Ibidem.) quasi non facies ad adorandum, vel colendum. Christiani autem non faciunt ad adorandum, vel colendum, sed ad memorandum: & omnis ille honor, qui exhibetur imagini, ad prototypum refertur: sicut dicit Damas. (Damas. lib. 4. orthod. fidei cap. 7.) id est, ad principalem formam, id est, ad illam, cuius est repræsentabilis. Honor autem, qui exhibetur Sanctis vel Beatæ virgini, est honor duliæ, & non latriæ. Dulia enim est honor debitus creaturæ, inquantum est aliquid diuinæ bonitatis participatiuum: latria autem est honor soli Deo debitus, inquantum est principium creans & conseruans, & principium omnis rei.

¶ Nota differentiam inter colere & adorare. nam colere est actu interiori, scilicet affectu: adorare est actu exteriori. Vnde gloss. (Glossa.) *potest quis inuitus adorare adulando Regibus, vel tormenti metu; cùm sciat quod idolum nihil est: colere verò est ijs affectu & studio mancipari.* Vtrumque ergo resecat; vt nec affectu colas, nec spernas adores. Collige ergò omnem differentiam latriæ ex his clausulis. Idololatria est exhibitio honoris, soli Deo debiti, creaturæ. Aut ergò exhibetur actu interiori; propter quod dicitur, *non coles*, aut exteriori: (Exod. 20.) propter quod dicit, *non adorabis.* Item honor exhibitus siue hoc modo, siue illo, aut est exhibitus creaturæ spirituali; vnde, *Non habebis deos alienos*, (Ibidem.) aut corporali. Et hoc dupliciter; aut imagini fictæ, quæ nullius rei est repræsentatiua: vnde, *Non facies sculptile*, aut imagini veræ, id est, alicuius rei repræsentatiua: vnde dicit, *neque omnem similitudinem cœlestium, terrestrium, aqualium*, & nomine cœlestium aues possunt accipi, quia aër cœlum dicitur: vnde *aues cœli*. Matt. 13. (Matt. 13.) Hęc secundũ superficiẽ literæ prohibet primũ mandatũ.

¶ Adhvc amplius video in isto præcepto secundùm rationem huius præcepti allegoricam. Prima clausula ostendit Iudæos & Sarascenos idololatras: secunda hæreticos: tertia Christianos peccatores. Prima est, *Non habebis deos alienos.* Habent Sarrasceni & Iudæi deos, Mahumetum Sarrasceni, Messiam futurum Iudæi, id est, Antichristum. Sarrasceni Mahumetum suum fuisse prophetam credunt: Iudæi suum Messiam maximum fore insaniendo contendunt. Habẽt ergò deos alienos, id est, prophetas: prophetæ enim dij dicuntur, eò quod ad illos sermo Dei factus sit Ioan. 10. *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* (Ioan. 10.) Conuincuntur ergò de idololatria: quia deos habent alienos, id est prophetas. Secunda clausula est, *non facies sculptile.* (Exod. 20) Faciunt hæretici sculptilia, cùm fingunt Deum esse, quod nihil est: non enim de Deo credunt, nisi quod imaginatione & phantasia confingunt. Esa. 40. (Esa. 40.) *Cui similem fecistis Deũ: aut quam imaginem ponitis ei? nunquid sculptile?* Tertia clausula est. (Exod 20. Deuter. 5.) *Non facies similitudinem eorum, quæ in cœlo sunt*, &c. Facit Christianus peccator similitudinem, quam colit vt Deum. Sicut enim dicit Hieronym. (Hierony.) quod quis plus veneratur & amat, hoc illi Deus est. Colit superbus & ambitiosus similitudinem eorum, quæ in cœlo desuper: quia super omnia diligit Prælaturam. Dan. 11. (Daniel. 11) *Deum maozim in loco suo venerabitur*, &c. dicitur de Antichristo, quoniam ambitiosissimus. Maozim enim dicitur habitaculum fortitudinis eorum. Colit cupidus similitudinem eorum, quæ in terra. Col. 3. (Colos. 3.) *Auaritia est idolorum seruitus.* Colit carnalis similitudinem eorum, quę in aquis, id est, delicijs. Philip. 3. (Philip. 3.) *Quorum Deus venter est: & gloria in confusionem eorum.* Ecce habes primi mandati perceptionem.

¶ Seqvitvr cum comminatione promissio. *Ego sum Dominus*, &c. (Exod. 20.) Et primò comminatio, cum dicitur. *Fortis zelotes*: vt aggeneretur timor transgressionis. Secundò promissio ibid. (Ibidem.) *Faciens misericordiam*: vt aggeneretur timor obeditionis. Comminatio verò est vindictæ iniquitatis patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem. (De quo dubitabit aliquis propter illud verbum, Ezech. 18. (Ezech. 18) *Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Ad quod respondetur per sequentem determinationem Textus, qui dicit *eorum, qui oderunt me*, per imitationem, scil. paternæ malicię. (Ibidem.) Tertiam verò & quartam generationem ponit: quia tantùm solent viuere patres. Puniuntur ergò in filijs toto tempore vitæ suæ: ad quos exemplum iniquitatis transmiserunt.)

tium.) Promissio autem misericordiæ est, *in millia*, id est, in infinitum diligentibus & custodientibus præcepta. In quo ostenditur, quantum misericordiam excedat iustitiam.

Exod.20.
Intelligentia secundi mandati.

¶ SECVNDVM mandatum est. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Constat, quod (sicut supra ostensum est) hoc præceptum ordinat ad reuerentiam veritatis summæ. Ideò prohibetur hic iurare sine causa, vel peierare: vterq; enim scilicet pro nihilo iurans, & falsò iurans assumit nomen Dei in testimonium suæ locutionis: sed in vanum; quia ille sine causa nominando summam veritatem; iste nominatam contemnendo. Tamen quia idem est iurare, quod nomen Dei assumere: notandum breuiter. quod iurare est est nomen Dei assumere in testimonium suæ locutionis: quod fit duobus modis, scil. vel asserendo de præsenti, vel vel de præterito, vel promittendo de futuro: vnde distinguitur, iuramentum aliud assertorium, aliud promissorium: in vanum ergò iurare prohibetur hic. Iuramentum autem vanum determinari potest: quod caret aliqua illarum trium conditionum, quę ponuntur Ierem. 4. *Iurabitis, viuit Dominus, in veritate, & iustitia, & iudicio.* Dicit ibi gloss. Interliniaris. *Hos tres comites debet habere iuramentum.* Et sumitur veritas ex parte iurantis, iustitia ex parte eius quod iuratur, iudicium ex parte circumstantiarum vtriusque. Veritas enim debet esse in conscientia iurantis, vt credat ita esse, vt iurat, vt in iuramento assertorio; vt *iuro per Deum me ita vidisse*: vel vt proponat ita facere, vt iurat, vt in promissorio; vt *iuro per Deum me daturum tibi decem.* Iustitia debet esse in eo quod iuratur: oportet enim quod tale non repugnet iustitiæ: hoc est, quod sit licitum: si enim esset contra legem Dei, vel præceptum Ecclesiæ; iam non esset iustitia in eò quòd iuratur. In circumstantijs verò attenditur iudicium, scil. discretionis: vt diligenter attendatur, & causa qua iuratur, & modus: si enim desit causa, iam deest iudicium discretionis in circumstantijs iuramenti. Determinatur ergò iurare in vanum, iurare, vel sine veritate, vel sine iustitia, vel sine iudicio. Quod planius erit, & quod sit in vanum iurare: si ponamus causas, propter quas licet iurare.

Ierem. 4.
Glossa.

¶ NOTANDVM ergò, quod causa mali iuratur, & causa boni. Causa boni multipliciter, vel veritatis, vel pacis, vel amicitiæ, vel obedientiæ. Causa veritatis dupliciter iuratur: vel causa veritatis summæ credendæ, cuius causa iurat Paulus, cùm dicit. *Testis est mihi Deus*, &c. & ipse Dominus. *Amen, amen dico vobis*, &c. vt veritas credendorum, quam prædicabant, astrueretur in cordibus auditorum. Vel iuratur causa veritatis creatæ: sicut iurant testes in causis pro veritate alicuius facti manifestanda. Deuter. 19. *In ore duorum vel trium stabit omne verbum.* Ratione verò pacis reformandæ iuratur, vt Iacob & Laban. Genes. 31. Iurauit ergò Iacob Laban per timorem patris sui Isaac. Causa verò amicitiæ reformandæ iuratur vt Geratitæ. Genes. 26. *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Ratione obedientiæ fit iuramentum triplex: vel iuramentum fidelitatis, quod faciunt Principes regi, & Rex principibus, cùm inungitur, 2. Reg. 5. *Venerunt seniores Israel ad Regem in Ebron: & percussit cum eis fœdus coram Domino.* Vel fit iuramentum subiectionis: sicut Abates Episcopis, & Episcopi Metropolitanis per subiectionis recognitionem Iudic. 11. *Dominus, qui audit, ipse Mediator est ac testis: quod nostra promissa faciemus*: iurauerunt principes Galaad ad Iepte. Vel iuramentum obseruationis; vt iurant Canonici: cùm datur Canonia pro consuetudinibus seruandis. Exod. 20. Postquam Dominus per Moysen legem promulgauit, iurauerunt se seruaturos eam. Et ista tria iuramenta fiunt propter bonum obedientiæ seruandum: sic igitur iuratur ratione boni.

Philip. 1.
Ioan. sæpe.
Deut. 19.
Genes. 31.
Gen. 26.
2. Reg. 5.
Iudic. 11.
Exod. 20.

¶ RATIONE mali iuratur dupliciter: vel ratione mali vitandi, vel ratione mali expurgandi. Ratione mali vitandi, sicut quando fit Sacramentum de calumnia, quod fit in principio causarum, ne aliqua personarũ inter quas lis est, calumniosè aliam impetat; nec altera calumniosè se defendat. Ratione mali expurgandi, vt cùm iuratur pro expurganda infamia. Deut. 21. *Si inueniatur in terra cadauer occisi hominis: & ignoretur reus. egredientur seniores & maiores natu*, &c. *lauabunt manus suas, & dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc*, &c. Sic igitur manifestæ sunt causæ, propter quas licet iurare & assumere nomen Dei in testimonium suæ veritatis. His ergò demptis, iurare est assumere nomen Dei in vanum. Similiter peierare est assumere nomen Dei in vanum: quod tamen fit tripliciter: vel iurando contra conscientiam vel iurando illicitum, vel veniendo contra iuramentum.

Deut. 21.

¶ NOTA, Istud præceptum non solùm intelligi secundùm prædictam rationem literalem: sed etiam secundùm extensionem moralem, cùm dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, assumitur enim nomen Dei multipliciter in vanum: assumitur corde: assumitur ore: assumitur opere. Corde assumitur dupliciter fide, Rom. 10. *Prope est verbum in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* *Et Sacramenti Baptismi perceptione. Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis*: vnde Augustinus. *Vt ab vncto vncti, & à Christo dicamur Christiani.* Assumitur autem in vanum fide nomen Domini à paganis & hæreticis: assumitur in vanum Sacramenti perceptione à falsis Christianis. Assumit paganus nomen Domini fide, credens quia Deus: sed in vanum, quia diuinitatis naturam credit in esse creaturæ: & ideò in vanum. Rom. 7. *Vanitati subiecta est omnis creatura.* Similiter hæreticus credit esse Dei Filium, qui Dei verbum & nomen est: Ioann. 1. sed credit esse puram creaturam: & ideò in vanum. Ecclesi. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Item assumit malus Christianus nomen Dei Sacramenti Baptismi perceptione, sed in vanum: quia nec mentem Christiani, nec vitam gerit, Psalm. 5. *Cor eorum vanum est.* Tu autem fidelis anima non assumes nomen Dei in vanum, nec fide, nec Sacramenti perceptione: quemadmodum dictum est.

Exod 20.
Rom. 10.
August.
Rom. 7.
Ioan. 1.
Ecclesi. 1.
Psalm. 5.

¶ ITEM, assumitur nomen Dei in ore quadrupliciter: in iurando, in vouendo, in prædicando, in orando. Et in vanum totidem modis. In vanum enim assumitur in illa iuratione, quæ sine causa est, siue in ipsius iuramenti violatione, sicut dictum est. In vanum etiam sumitur in voti transgressione. Deuter. 23. *Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis: & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo.* Vnde hæc est differentia inter votum, & promissorium iuramentum: quod in voto assumit quis nomen Domini, vt se obliget primæ veritati: in iuramento verò promissorio; vt se obliget cuicunque per illam scilic. per primam veritatem. Assumitur etiam nomen Domini in vanum in prædicatione, quæ fit vana intentione. Vnde Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus*, &c. Item in vanum assumitur nomen Dei in deuota oratione: vnde Matth. 15. *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.*

Deut. 23.
Matth. 7.
Matth. 15.

¶ ITEM, assumitur nomen eius in opere, nomen eius secundùm proclamationem Seraphim. *Sanctus, sanctus, sanctus.* Esa. 6. Qui ergò ipsam sanctitatis formam in exemplo operis accipit; nomen Dei accipit: sed in vanum hypocrita, qui illud sumit in simulatione operis exterioris, non in puritate cordis, in vanum vtique *quia tales* (vt dicitur. Matth. 6. *receperunt mercedem suam.*

Esai. 6.
Matth. 6.

¶ MEMENTO quidem Sabbati sanctifices. Tertium præceptum, quod est inductiuum ad participium bonitatis Dei, continet tres clausulas. Prima præcipit sanctificationem, cùm dicitur, *Memento quod diem Sabbati sanctifices*, secunda lex dierum operationem. ibi, *sex diebus*, &c. tertia interdicit omnem operationem in die Sabbati, cùm dicit, *Non facies*, &c. Vt autem harum particularum, expositio pateat: quæritur quare huic præcepto additur verbum commemorationis, & non alijs præceptis? Dicendum, quod in præcedenti scriptura mentio facta fuerat ipsis Iudæis de obseruantia Sabbati. Gen. 2. & Exod. 16. ideò spiritualiter dicitur de isto, *Memento*, & non de alijs.

Intelligentia tertij mandati.
Exod. 20.
Gen. 2. & Exod. 16.

¶ ITEM, quærunt an istud præceptum sit morale, vel cærimoniale: Et ponunt rationes ad vtranque partem; & soluentes varia opinantur. Dicamus autem (quamuis pleniùs supra disputando dictum sit) quod in præcepto isto est quoddam simpliciter morale, quoddam simpliciter cærimoniale, quoddam verò partim morale partim cærimo-

mo ma-

Damas. Idem. • Alias, alli. Idem. Idem. Idem.

moniale. Tria enim sunt tibi, sanctificatio, temporis assignatio, obseruatio. Sanctificatio verò est ipsa, quæ est ad Deum, vacatio, orando, colendo, meditando: & hoc est pure morale. Temporis assignatio, id est, septimæ diei purè cærimoniale: vnde Damas. *Sabbatum quidem septima dies vocatur: significat enim requiem: hic numerus apud Iudæos honorabilis est, Deo iubente honorari ipsum.* Et sequitur. *Non simpliciter hoc iussit, sed propter quasdam à spiritualibus viris intellectas causas mysticè.* Obseruantia autem Sabbati partim moralis, partim cærimonialis: quia si consideretur causa institutionis, inuenitur quod institutum sit ad significandum quietem mentis, & pacem animarum: vnde Damas. *Gratia, quæ est ad Deum: vt vel * ibi paruissimam vitæ particulam tribuant: & requiescat seruus, & subiugale.* Et iterum. *Sabbati obseruatio excogitata est paruulis, & sub elementis mundi seruis.* Et sequitur. *Nos non adhuc sub lege, sed sub gratia: non adhuc particulariter seruientes Deo in timore, sed omne tempus ei offerre debemus.* Vnde manifestum est, quod ratione institutionis significandi cærimonialis est obseruatio Sabbati: ratione institutionis operandi, quod est in aliquo genere virtutis, moralis. Partim ergò moralis est, partim cærimonialis.

Exod. 20. Origen.

¶ His itaque intellectis, redeamus ad prædictarum clausularum expositionem. *Memento vt diem Sabbati sanctifices,* &c. Prima præcipit sanctificationem Sabbati, id est, vacationem ad Deum: sanctum enim secundùm Orig. dicitur à communi vsu ad cultum Dei separatum. Præceptum ergò sanctificationis est de separando à curis superfluis animum, & mancipando cultui diuino: & hoc est vacare Deo. Quod facimus tribus modis generaliter, specialiter, specialissimè. Generaliter, separando nos à vitijs, & intentionē nostram ad Sabbatum habentes: & exponit gloss. id est, ad requiem æternitatis. Specialiter, temporibus determinatis: vt * horis & diebus vacationi diuinæ intendentes, orando, meditando: & separantes nos ab vtilibus & necessarijs operibus: & hęc est Sabbati sanctificatio. Specialissimè, vt est in viris contemplatiuis, qui ab omnibus mundanis se separant, vt totaliter Deo vacent. Prima sanctificatio necessaria, secunda debita, tertia perfecta: in prima separatio fit à vitijs, in secūda à licitis, in tertia à sollicitudinibus.

* Alias, horis debitis.

Deuter. 5.

¶ Secunda clausula præcipit operari: cùm dicitur *sex diebus operaberis,* &c. Quod est accipere duobus modis: ad literam; vt præcipiatur hic cuilibet operari tempore determinato, contra ociositatem: vel spiritualiter, vt præcipiatur operatio secundùm sex opera misericordiæ, contra immisericordiam.

Ibidem.

¶ Tertia clausula interdicit operationem in Sabbato: dicitur, *Non facies opus,* &c. Quod est accipere duobus modis. Ad literam, vacare à corporalibus operibus, quæ impediunt vacationem ad Deum in solemnitatibus; vt negotiatio, & huiusmodi: & ideò non tantùm de rationabilibus, sed etiam irrationabilis iniungitur, vt quiescant; quia non laborant irrationalia sine ducatu rationalium hominum; ideò vt perfectè interdicatur in solemnitatibus corporalis negotiatio, vtrumque interdicitur (Vnde sumitur, quod ducentes quadrigas in festis sine sacerdotis dispensatione, & negotiantes peccāt) Vel spiritualiter accipiatur quies ista, per designationem quietis à vitijs.

Luc. 6. Math. 5. Exod. 20. Intelligētia quarti mandati.

¶ Nota ergò, quam mirabiliter istud præceptum ordinet in summam bonitatem. Prima clausula iniungit cōuersionem ad summam bonitatem, qua præcipitur sanctificatio. Secunda iniungit imitationem, quæ est per opus misericordiæ: vnde. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est,* &c. non enim est illa bonitas ociosa: immò diffundit radios beneficiorum super bonos & malos Matth. 5. *Solem suum facit oriri,* &c. Tertia omnis malitiæ declinationem: qua præcipitur quietudo à vitijs.

Leuit. 19. Rom. 12.

¶ Honora *patrem & matrem*: secunda tabula. Nota quod honor aliquando est actus reuerentiæ: & idem est reuerētiæ: & idem est honorare, quod reuereri: secundùm quemmodum exponunt Leuit. 19. *Vnusquisque patrem & matrem timeat,* id est, reuereatur: & Apostolus. *Honore inuicem præuenientes.* Aliquando honor est actus obedientiæ: & sic honorare idem est quod obedire: secundùm quam significationem exponitur illud præceptum Deuter. 21. *Si inuenerit homo filium contumacem, qui non audiat patris & matris imperium: & coërcitus obedire contempserit, apprehendent eum,* &c. Aliquando honorare dicitur actus beneficentiæ: secundùm quod Dominus exponit illud præceptū Matt. 15. vbi arguit Scribas, qui filios Hebræorum docuerant, vt vouerent res suas Deo, & sic subtraherent à beneficio parentum. Deus dixit; *Honora patrem & matrem: vos autem dicitis: quicunque dixerit patri & matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum,* &c. & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Ponit enim ibi Dominus verbum, quod Scribæ & Pharisæi docuerant filios Iudæorum, vt patribus indigentibus responderent; putà postulanti patri beneficium, filius responderet; *munus quodcunq; est ex me, tibi proderit,* quasi diceret quicquid possum dare ex me; hoc est munus, quod est ex me, tibi proderit, id est, ad vtilitatem tuam erit, & perfectum, & beneplacitum: hoc autem dicentes, subinferebant, se nihil posse dare, cum omnia nouissent.

Deut. 21. Matt. 15. Ibidem.

¶ Item nota, quod est pater spiritualis temporalis, & est pater temporalis secularis, & est pater naturalis. Pater spiritualis temporalis, vt Prælatus Clericus, cui debetur honor. Rom. 13. *Cui honorem, honorem.* Pater temporalis secularis Princeps Laicus, cui debetur honor. 1. Petr. 2. *Regem honorificate.* Pater naturalis, qui generat: cui etiam debetur honor: secundùm quod dictum est. Tot ergò modis accipitur, *Honora patrem.*

Rom. 13. 1. Petr. 2.

¶ Non *occides.* In isto præcepto explicitè prohibetur homicidium: implicitè verò omnis motus iræ contra proximum: secundùm quod ipse Dominus explicat Matth. 5. Siue motu cordis tantum: vnde dicitur. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Siue motu oris, vt in contumelia: & hæc vel occulta seu non planè expressa, vt *racha,* vel manifesta & * planè expressa, vt *fatue,* Siue in motu operis, vt in percussione circa mortem, siue vsque ad mortem.

Exod. 20. Deuter. 5. Intelligētia quinti mandati. Matth. 5. * Alias, pleuè.

¶ Sed opponunt hæretici ex isto loco, & est Matth. 5. vbi dicitur. *Non resistere malo:* & ex hoc quod dictum est Petro. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit:* & ex alijs locis similibus arguentes: quod non liceat occidere potestatibus secularibus in aliquo casu. Ad quod respōdetur: quod illud præceptum tantum prohibet occisionem hominis iniustam. Iniusta autem est tripliciter: vel quia causa iniusta, vel quia ordo iniustus, vel quia iniustus animus. Iniusta causa est in illo, qui occiditur sine merito; quia scilicet non meruit occidi. Iniustus est ordo, cum ille, qui non est minister legis, occidit: vt si sacerdos Euangelicus in aliquo casu occideret; illi enim in persona Petri dicitur. *Omnis, qui acceperit gladium,* &c. omnis (in qua) qui Petrus est officio. Nam de Principe seculari illud non accipitur: sicut probatur ex Rom. 13. vbi dicitur. *Non sine causa gladium portat:* vindex enim est Dei in iram his, qui malè agunt. Iniustus autem est animus, cum minister legis iudex secularis occidit libidine vindictæ, non amore iustitiæ: & sic accipitur in expositione Domini Matt. 5. vbi ipse Dominus cum determinatione huiusmodi prohibet iram: quasi dicat, non occides ex ira seu ex rancore animi, siue ex libidine vindictæ: & istud declaratum est supra disputando.

Ibidem. Matt. 26. Matt. 26. Rom. 13. Math. 5.

¶ Ad plenam autem huius intelligentiam, nota: quod homicidium est occisio hominis ab homine facta: nam si non esset hominis, & ab homine; non diceretur homicidium. Distinguitur autem homicidij duplex genus, verū scil. & interpretatiuum: verum autem homicidium dicitur materiale seu corporale, interpretatiuum verò spirituale. Interpretatiuum fit duobus modis, omittendo, & cōmittendo: omittendo, vt cùm quis videt alium in extrema necessitate, & nō subuenit ei; interpretatiuè dicitur eum occidisse: cōmittendo fit tripliciter, corde, ore, opere: corde odiendo: ore dupliciter, sc. detrahendo, & malum consulendo: vterq; enim seu detrahens seu malum cōsulens interpretatur proximū occidere: sed detrahens occidet eum in aliena cōscientia, in qua ille, qui detrahitur, viuebat secundū opinionē per bonam famam: cōsulens autē malum occidit in propria conscientia: quia faciens eum peccare, separat eū à vita sua Deo: opere verò fit interpretatiuū homicidium malo exemplo; qui .n. malo suo exēplo præstat

alij occasionem peccandi mortaliter, interpretatur eum occidisse. Verum autem homicidium fit tripliciter, casu, necessitate, voluntate: casu, vt si aliquis proiicit lapidem ad auem, & repercussione interficitur aliquis, nec aliquo modo erat in intentione iacientis; talis occisio fit casu: necessitate verò fit homicidium; vt cùm aliquis, ne interficiatur, interficit: voluntate verò fit homicidium; cùm fit intentione, sine aliqua impellente vel cogente causa.

Exod. 20. Intelligentia Sexti mandati. August.

¶ Non *mœchaberis*. Nota quod in hoc præcepto non tantùm prohibetur adulterium, sicut sonat verbum mœchandi (mœchari enim est adulterari: & omnis mœchus est adulter) immò sicut dicit August. prohibetur omnis illicitus coitus, & illorum membrorum omnis illegitimus vsus. Omnem autem illicitum concubitum determinat per septem differentias, fornicationem, meretricium, stuprum, adulterium, sacrilegium, incestum, peccatum Sodomiticum. Posset autem addi & octaua differentia: quæ posset per circumlocutionem nominari Libidinosus coitus coniugalis.

¶ Hæ autem omnes differentiæ possunt sic definiri. Fornicatio est inordinatus concubitus, quo solutus solutam naturali vsu cognoscit. Et intelligitur solutus & soluta à vinculo coniugij, consanguinitatis, Ordinis, Religionis, seu voti continentiæ. Naturalis verò vsus intelligitur ad differentiam illius, qui est contra naturam.

¶ Meretricivm verò dicitur duobus modis, quemadmodum & meretrix. Meretrix enim dicitur vno modo, quæ vagam libidinem sequitur: & secundùm hūc modum meretricium est vagę libidinis insectatio: vaga autem libido dicitur, ad differentiam fornicationis, in qua est libido determinata respectu vnius personæ; vt cùm vna extra Matrimonium adhæret vni (extra Matrimonium dico) vel quodlibet aliud prædictorum. Alio modo dicitur meretrix, cuius publicè venalis est turpitudo: & secundùm hūc modum meretricium est mulieris solutè publicè venalis concubitus.

¶ Adulterivm verò est inordinatus concubitus, quo coniugalis thorus violatur: vnde adulterium dicitur, quasi accessus ad alienum thorum.

¶ Stvprvm verò est inordinatus concubitus, quo virginalis integritas corrumpitur.

¶ Sacrilegivm verò secundùm nomen suum non appropriatur differentijs luxuriæ: sacrilegium enim est læsio sacræ rei. Tamen prout distrahitur ad differentiam luxuriæ, sacrilegium dicitur (tametsi propriùs & meliùs diceretur; vel diceretur sacrilegus concubitus) inordinatus cōcubitus, quo continentia Deo sacrata læditur, seu violatur. Sacratam (dico) continentiam in monialibus & Religionis his; qui receperunt sacros ordines; vel emiserunt continentiæ votum: omnium talium concubitus sacrilegium est.

¶ Incestvs verò est inordinatus coitus: quo vinculum consanguinitatis, vel affinitatis, vel paternitatis corrumpitur.

¶ Peccatvm Sodomiticū est inordinatus coitus, quo naturalis vsus in illum peruertitur, qui est cōtra naturam.

¶ Libidinosvs verò coitus coniugalis multipliciter accipitur: ideò notandum. Secundùm enim quod distinguunt Magistri, coitus coniugalis alius est licitus, & alius fragilis, alius impetuosus. Licitus tripliciter; causa suscitandæ prolis ad cultum Dei, vel causa reddendi debitum, vel causa fornicationis vitandæ: primus est theosebiæ virtutis scilicet pietatis, quæ ordinat ad cultum Dei; secundus iustitiæ, tertius cautelæ: & in his dicunt nullum esse peccatum. Fragilis verò determinatur, qui ex fragilitate prouenit, & in vxore coniugalem delectationem quærit: quia non causa prolis, non causa reddendi debitum, nec causa vitandæ fornicationis, sed causa delectationis talis in coniuge. Circa hoc distinguunt, quia amor illius delectationis aut præponitur Deo, aut postponitur: si præponitur, constat quod mortale peccatum est, hoc est, si diligatur plusquàm Deus; similiter & concubitus proueniens ex tali amore, si verò postponatur, ita ꝙ Deus semper plus diligatur quam Deus; similiter concubitus proueniens

Θεοσέβεια.

ex tali amore, venialis est; & hoc est propter gratiam Sacramenti. Impetuosus verò est, qui ex sola libidine proueniens, metas honestatis & rationis transcendit; & ideò semper mortale. Quod fit quinque modis: primò, cùm fit causa satiandæ libidinis per meretricias blanditias: secundò, cùm fit contra naturalem modum: tertiò, cùm fit in tempore prohibito: quartò, cùm in loco prohibito: quintò, cùm acceditur ad prægnantē vicinam partui, vel quæ est in fluxu menstruo; & istud determinatum est priùs.

Exod. 20. Intelligentia septimi mandati. August. Exod. 16.

Non *furtum facies*. Nota quod in hoc præcepto prohibetur omnis contractio rei alienæ ex cupiditate: sicut dicit August. Ex cupiditate dico: nam est contractari rem alienam ex obedientia, sicut filij Israel vasa Ægyptiorum. Exod. 16. & ex cautela, vt qui furatur gladium furioso, ne sibi vel alijs noceat. Contractio verò omnis rei alienæ ex cupiditate prohibetur: quæ determinatur per quinque differentias, quæ sunt: beneficij subtractio, rapina, furtum, vsura, simonia: quę sic possunt diffiniri. Beneficij subtractio est contractio rei alienæ communicandæ tempore necessitatis: cùm enim aliquis habens substantiam mundi huius, videt proximum in extrema necessitate positū, & nō subuenit ei, rem eius contractat, quia in tali necessitate omnia sunt communia. Rapina verò est vsurpatio rei alienę violenta & manifesta. Vsura verò contractatio rei alienæ acquisitæ per mutuum vltra sortem. Furtum verò est contractatio rei alienæ fraudulenta & occulta. Simonia verò vsurpatio rei alienæ per venditionem vel emptionem spiritualis.

Intelligentia octaui mandati. August.

¶ Non *falsum testimonium dices*. Sicut prædicto præcepto prohibetur omnis alienæ rei contractatio, ita isto præcepto prohibetur omne genus mendacij: sicut dicit Augu. Omne autem genus mendacij determinatur per tres differentias: quia est mendacium perniciosum, officiosum; iocosum. Perniciosum est, quod nocet: officiosum, quod iuuat: iocosum, quod delectat. Est autem mendacium generaliter falsa significatio vocis cum intentione fallendi: sicut dicit August. Falsa autem significatio dicitur duobus modis, actiuè, & passiuè: actiuè, secundùm quod est signātis; & tunc falsa signatio est, vbi quod dicitur, est verum; & tamen à dicente creditur esse falsum; & sic accipitur hic: passiuè verò, secundùm quod est ipsius signati; & sic non accipitur hic in prædicta diffinitione. Aliter distinguuntur ab August. genera mendaciorum per octo differentias: sicut dictum est supra.

Idem.

Exod. 20. Deuter. 5. Intelligentia noni & decimi mandati.

¶ Non *concupisces vxorem. Non concupisces domum*, &c. Solet quæri, quæ concupiscentia hic prohibetur: & quare determinetur hic prohibitio per concupiscentiam carnis, & oculorum? Et quamuis pateat ex prædictis, notandum tamen; quod concupiscentia dicitur multis modis: generaliter, appetitus cuiuslibet vis apprehensiuæ: nam (propriè loquendo) in illis, quæ non apprehendunt, non dicitur esse concupiscentia: generaliter ergò concupiscentia dicitur cuiuslibet vis apprehensiuæ appetitus, seu secundùm comprehensionem: vnde rationalis dicitur concupiscere verum, concupiscibilis præcognitum bonum, irascibilis gloriosum, sensibilis appetitiua delectabile. Specialiter verò concupiscentia dicitur multis modis: nam dicitur appetitus ordinatus, inordinatus, & indifferēs: ordinatus dicitur concupiscentia innata superioris partis seu synteresis, secundùm quam dicuntur etiam mali concupiscere beatitudinem: inordinatus secundùm partem inferiorem, quæ est sensualitas ex corruptione fomitis, prout dicitur ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum*: indifferens largè, & strictè; strictè appetitus vis concupiscibilis naturaliter motæ; largè appetitus rationalis, qui est liberi arbitrij. Cùm ergò dicitur, *Non concupisces*, prohibetur liberum arbitrium ab appetitu illicito, secundùm veritatem præcepti; quamuis secundùm carnalem intelligentiam Iudæorum coarctaretur & diceretur concupiscentia prohiberi, quæ aliquibus signis & actibus poterat iudicari. Sed istud intelligebatur de concupiscentia, quæ poterat puniri per iudicium legis: quod attendebatur in iudicio hominis, & non Dei.

Galat. 5.

Ibi. supr.

¶ Qvare autem determinetur hic probitio concupiscen-

Quæst. 29. membro 2.

Ibidem.

picentiæ quantùm ad illa duo, dictum est prius. Nam ad hæc duo maximè inclinatur natura corrupta, sicut ostensum est Quæstione de numero præceptorum. Tamen secundùm regulam B. Augustini per synecdochen intelligẽdæ sunt præceptiones, & prohibitiones Decalogi, vt cùm dicitur: Non mœchaberis, prohibetur omnis illicitus coitus: Non furtum facies, omnis contractio rei alienæ. Similiter cum dicitur: Non concupisces, intelligitur vniuersaliter prohiberi concupiscentia voluntatis malæ, quamuis ad aliqua determinetur.

Quæstiũculæ generales, generaliter omnia iã declarata præcepta concernẽtes.

Matt. 19.

¶ EXPLANATIS SINGVLIS præceptis Decalogi generaliter: quæritur, an in præceptis Decalogi præcipiatur omne faciendum; & in prohibitionibus prohibeatur omne non faciendum? Quòd si non, non est perfecta ordinatio vitæ humanæ per præcepta Decalogi ad salutem: & sic non erit verum, quod dicit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Si sic, quæritur, quibus præceptis prohibeantur septem Capitalia peccata? & non est assignare.

¶ ITEM quæritur, vtrùm præcipiantur actus virtutum Theologicarum, & cardinalium.

¶ ITEM, cùm ordinari oporteat non tantùm quò ad Deum & proximum, sed etiam quò ad seipsum: non sufficienter ordinatur vita hominis per Decalogum: cùm nullum præceptum detur homini propter ordinem ad seipsum.

¶ AD quod dicendum, quòd faciendum, vel non faciendum, dicitur duobus modis. Est enim aliquid faciendum, quia natura sua bonum; vt diligere Deum, honorare patrem, & huiusmodi: est etiam aliquid faciendum, quia præceptum tantùm: vt præceptum de sacrificijs, & huiusmodi: facienda Iudæis, quia præcepta, aliter verò indifferentia. Similiter non faciendum, duobus modis: est enim aliquid non faciendum, quia natura sua malum, vt occidere, & mœchari: & ista prohibita, quia mala: & est aliquid non faciendum solùm quia prohibitum; nam de natura indifferens; vt comedere de ligno scientiæ, extitit malum; quia prohibitum. Sciendum ergo, quod omne faciendum quia bonum de natura sua in genere, præcipitur in Decalogo: omne autem nõ faciendum, quia de natura sua malum, hoc est secundùm rationem generalem, qua est ordinari ex charitate, prohibetur.

Quæst. 29. memb. 2. art. 1. in responsione ad argum.

Exod. 20. & Deut. 5

¶ AD illud verò, quod quæritur; vbi prohibeantur septem capitalia vitia. Dicendum, quod non habent determinatas prohibitiones: nam (sicut supra dictum est) determinatio præceptorum nõ est secundùm oppositionem ad vitia capitalia. Quædam tamen manifestè prohibentur, vt auaritia ibi, Non furtum facies: ira ibi, Non occides: luxuria ibi, Non mœchaberis. Quædam sub generali ratione, qua prohibetur omne peccatum, in primo præcepto, in quo prohibetur auersio à Deo & conuersio ad creaturam; quemadmodum supra expositum est: ideo superfluum est determinatas prohibitiones inquirere, correspondentes peccatis.

Ibidem.

¶ SIMILITER dicendum ad illud, quod quæritur: vbi præcipiantur actus virtutum. Nam actus quarundam virtutum præcipiuntur expressè, vt actus fidei primo præcepto: Non habebis deos alienos, &c. & iustitiæ secũdùm actum beneficentiæ & innocentiæ in multis præceptis: vt, Honora patrem, Non occides, &c. actus verò temperantiæ ibi, Non concupisces. Aliarum autem virtutum actus præcipiuntur tertio præcepto, in quo sub generali ratione præcipitur omnis actus virtutis. Actus enim virtutum quibus mouemur immediatè in Deum, vt Fidei, Spei, & Charitatis; præcipiuntur, cùm dicitur: Sabbata sanctifices, per has enim tres virtutes quietatur anima secundùm suas vires in Deum: sicut patebit suo loco. Et hoc est sabbatum peccatoris, seu sanctificatio sabbati. Actus verò virtutum cardinalium, secundùm quas est operari in his, quæ sunt ad finem Deum; præcipiuntur sub ratione perfecta, quæ intelligitur in senario; cùm dicitur: Sex diebus operaberis. Non est ergo quærere præcepta respondentia virtutibus, nec prohibitiones respondentes vitijs: nam secũdùm aliud & aliud multiplicantur virtutes, & vitia, & præcepta.

Ibidem.

Infra hac eadem 3. par. in tractatu de Virtutib.

Nam numerus virtutum sumitur secundùm numerum potentiarum, seu virium animæ; quas perficiunt & habilitant ad motus in Deum: vt dicetur in suo loco. Numerus verò capitalium vitiorum sumitur secundùm actus primos virium animæ, & inordinationem amoris in ipsis. Numerus verò præceptorum secundùm actus consequẽtes, scilicet compositi, id est hominis, prout distinguimus actum cordis, oris, & operis; prout secũdùm ipsos est mereri; hoc est, prout secundùm ipsos est ordinari ex charitate ad Deum, & ad proximum.

Aug. li. 1. de Ciuit. Dei, c. 20.

¶ AD vltimum verò dicitur; & benè: quod non est necesse dare præcepta ordinatiua hominis ad seipsum: cùm per eadem, per quæ ordinatur ad Deum, ordinetur ad seipsum. Item (vt dicit Augustinus) regula diligendi proximum sumitur à dilectione sui.

¶ IN hunc ergo modum terminatur pars de præceptis moralibus Decalogi, quæ sunt moralia necessitatis. De moralibus verò voluntatis, supra quæ fundãtur leges votorum, de quibus Leuit. 27. & Num. 6. & 30. dicetur (Domino concedente) cùm de perfectione Euangelica disputabitur: vbi ad plenum inquiretur.

QVÆSTIO XL.

De præceptis Iudicialibus. Et primò de persona Iudicis.

In sex Membra, & quatuor Articulos diuisa.

D. Tho. 2.2.q.67.

PROCEDENDVM est consequenter ad inquisitionẽ mandatorum Iudicialium.

¶ CIRCA quæ notandum: quòd quædam sunt mandata Iudicialia quantum ad personas, quæ requiruntur in iudicio; sicut Iudex: pro quo dicitur Deut. 16. *Iudices & Magistros constitues.* Actor, cui dicitur Leuit. 19. *Non eris criminator, &c.* Et iterum: *Non stabis contra sanguinem proximi tui.* Et iterum: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue.* Et iterum: *Non quæres vltionem, &c.* Reus, pro quo dicitur Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Et iterum: *Insontem, & iustum non occides.* Testis, pro quò dicitur Leuit. 19. *Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid peccati vel facinoris fuerit: sed in ore duorum, &c.*

Deut. 16 — Leuit. 19 — Ibidem. — Ibidem. — Exod. 22. — Exod. 23. — Leuit. 19.

¶ ITEM, quædam sunt mandata iudicialia, quantum ad prosecutionem iudicij: pro quo dicitur Deut. 1. iudicibus: *Audite illos, & quod iustum est, iudicate: seu ciuis sit, seu peregrinus, nulla erit distãtia personarum: ita paruum audietis, vt magnum.* Et iterum Deut. 16. *Iustè, quod iustum est, persequeris.* Et iterum Leuit. 19. *Iustè iudica proximum tuum.*

Deut. 1. — Deut. 16. — Leuit. 19

¶ QVÆDAM verò sunt mandata iudicialia determinantia sententias iudiciorum: & horum quædam consistunt in permissionibus, vt in repudio, Deut. 22. *Si duxerit vir vxorem, & postea, &c.* quædam in absolutione, vt in manumissione seruorum, Exod. 21. *Si emeris seruum Hebræum: sex annis seruiet tibi, &c.* quædam in punitionibus: & hoc multipliciter variatur, sicut infra patebit, vt Exod. 21. *Qui percusserit hominem, volens occidere, moriatur.* Et ibidem: *Oculũ pro oculo, dentem pro dente.* Et iterum Exod. 22. *Qui furatus fuerit bouem, quinq; boues restituet.* & huiusmodi.

Deut. 22. — Exod. 21 — Exod. 21. — Exod. 22.

¶ CIRCA igitur præcepta iudicialia legis hoc ordine procedetur. Primò quæretur de præceptis iudicialibus, q̃ respiciunt personas, quæ requiruntur in iudicio. Secundò de præceptis pertinentibus ad progressum iudicij. Tertiò de præceptis, quæ respiciunt sententias iudiciorum. Quãtum ad primum quæretur primò de iudicialibus quantum ad personã iudicis. Secundò, quantum ad personã rei, qui cõuenitur. Tertiò, quantum ad personã accusatoris. Quartò, quantum ad personam testis. Quintò quantum ad personas contingentis: vt est Aduocatus, & Assessor, &c.

¶ QVANTVM ad iudicem quæruntur plura. Primò, an homo possit esse iudex hominis. Secundò, an inferior possit iudicare superiorem. Tertiò, an superior malus possit iudicare inferiorem. Quartò, quæ conditiones requiruntur ad hoc, quòd aliquis possit esse ordinatè iudex. Quintò, de differentia iudicum. Sextò, quod iudicis officium.

MEMBRVM I.

An homo posit esse iudex hominis?

Deut.16. AD primum sic, Deut.16. *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis.*

Deut.1. ¶ ITEM, Deut.1. *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & constitui eos principes, tribunos, &c. & præcepi eis, audite illos, & quod iustum est iudicate, &c.*

Sap.1. ¶ IDEM, Sap.1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.*

Esai.1. ¶ ITEM, Esai.1. *Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius.*

Rom.13. ¶ ITEM, Rom.13. *Nō sine causa gladium portat* (dicitur de iudice) *minister enim Dei est, &c.*

1.Cor.16. ¶ ITEM 1.Cor.16. *Nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt.*

Ibidem. ¶ ITEM, ibidem: *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicādum.* Ex his omnibus patet, quod homo potest hominem iudicare.

Rom.14. ¶ CONTRA, Rom.14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum: suo domino stat, aut cadit.*

1.Cor.4. ¶ ITEM, 1.Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque Dominus veniat, &c.*

Matt.7. ¶ ITEM, Matth.7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Matth.13. ¶ ITEM, Matth.13. de zizanijs & tritico: *Sinite vtraque crescere vsq; ad messem.* Messis aūt est consummatio seculi. Ex his videtur relinqui, quòd non cōceditur homini esse iudicem hominis per nouum Testamentum; quamuis concederetur per vetus.

RESOLVTIO.

Iudicio ordinato secundùm legem Dei conceditur homini hominem iudicare: sed non iudicio temerario.

Gloss. sup 1. Cor.5. * al. suspicionis. ¶ SOLVTIO. Secundùm Augustinum in Homil. de pœnitentia, & est in Glos. 1. Corint.5. *Si quis super nominatur frater, &c.* Hoc dicendo, noluit hominem ab homine iudicari ex arbitrio * suspicationis, vel extraordinario vsurpatoque iudicio: sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem ecclesiæ, siue vltro confessum, seu accusatum & conuictum.

¶ DISTINGVENDVM ergo, quòd est iudicium temerarium: & est iudicium ordinatum secundùm legem Dei. Iudicium ordinatum cōceditur homini: & hoc duobus modis est; est enim iudicium discretionis, & est iudicium correctionis: iudicium discretionis in manifestis & certis cōceditur homini, vnde 1.Cor.2. *Spiritualis homo iudicat, & ipse à nemine iudicatur:* iudicium autem correctionis conceditur prælatis in conuictis, vel confessis, de quo in Psal.2. *Erudimini qui iudicatis terram.* Iudicium verò temerarium vniuersaliter interdicitur homini. (1.Cor.2. Psalm.2.)

¶ EST autem temerarium iudicium ex parte iudicantis, & ex parte rei iudicatæ. Ex parte iudicātis temerarium iudicium est tribus modis, per vsurpationem, per indignitatem, per ignorantiam. Per vsurpationem, sicut dicit Gl. supra illud: *Nolite iudicare*, Glos. *temerariè.* Iudicium enim temerarium est, quando quibus non est commissum, iudicant: secundùm quē modum dicit Augustinus iuxta illud Apostoli: *Tu quis es, qui iudicas, &c.* Noluit (inquit Aug.) *hominem ab homine iudicari extraordinario vsurpatoq; iudicio.* Et per indignitatem, sicut dicitur Rom.2. *In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Et Matth.7. *Hypocrita, quid vides festucam in oculo fratris, &c.* Item per ignorātiam, secundùm quod dicitur Dan.13. *Sic fatui filij Israël non iudicantes, neq; quod verum est, cognoscentes, condemnastis filiam Israël?* His ergo tribus modis temerarium est iudicium ex parte iudicantis. (Matth.7. Glossa. Rom.4. August. Rom.2. Matt.7. Dan.13.)

¶ Ex parte verò rei iudicatæ similiter est temerarium iudicium tribus modis. Cùm iudicatur persona quantum ad euentum futurum: vel cùm iudicatur intentio: vel cùm iudicatur factum occultum. Cùm iudicatur persona quātum ad futurum euentum, temerarium est iudicium, vnde super illud Matth.7. *Nolite iudicare*, Glos. *Nescimus, qualis futurus est, qui nunc apparet malus: de cuius correctione desperare temerarium iudicium est.* Item temerarium iudicium est, cùm iudicatur intentio incerta: sicut dicitur super allegatum Matth.7. *Nolite iudicare.* Sunt quædam incerta, quo animo fiant: de quibus iudicare temerarium est. Vnde Rom.14. *Manducans non manducantem non iudicet.* Temerarium iudicium etiam est iudicare de facto occulto iudicanti; secundùm quem modum dicitur 1.Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare quousq; Dominus veniat, &c.* Et Augus. dicit, quòd noluit hominem iudicari ex arbitrio * suspicionis. Quantum verò ad circunstantias iudicij non solùm temerarium dicitur, sed iniustum: & hoc tripliciter, ex peruersitate animi, ex peruersitate ordinis, ex peruersitate causæ: sicut iustum dicitur ex animo, ex causa, & ex ordine: sicut infra patebit. Ex his igitur patet, quòd homo non potest esse iudex hominis in occultis & incertis: quia de his intelligitur illud Ioan.5. *Pater omne iudicium dedit filio, &c.* nec in his, quę ad ipsum non pertinent, qui iudicat. (Matth.7. Glossa. Matt.7. 1.Cor.4. August. * al. suspicationis. Ioan.5.)

¶ ET per hoc patet responsio ad prædicta obiecta. Nam illæ auctoritates, quæ ostendunt: quòd homo potest esse iudex hominis; intelliguntur de iudicio ordinario secundùm leges Dei. Auctoritates verò contrariæ de iudicio temerario.

MEMBRVM II.

An inferior superiorem iudicare possit?

POSTEA quæritur: An inferior possit iudicare superiorem? Ad quod sic Deut.1. *Constitui ex tribubus vestris Principes, Tribunos, & Centuriones, qui populum iudicarent.* Ergo ex lege Dei superiores habent iudicare subditos: & nō econuersò. (Deut.1.)

¶ ITEM, Psalm.50. *Tibi soli peccaui.* Glos. *Rex nō habet hominem, qui facta sua dijudicet.* (Psalm.50. Glossa.)

¶ ITEM, 1.Tim.4. *Seniorem ne increpaueris.* Glos. *Seniorem ætate, vel dignitate.* Ergo inferior superiorem non debet increpare: ergo nec iudicare. (1 Tim.4. Glossa.)

¶ ITEM, super allegatū Psal.50. *Tibi soli peccaui*, dicit gl. *Rex omnibus superior est.* A solo ergo Deo erit iudicandus. (Psal.50. Glossa.)

¶ ITEM, super illud 1.Reg.24. vbi dicitur, quòd Dauid præscidit oram clamidis Saul. Gregorius: *Facta præpositi à subditis oris ferienda gladio non sunt: quantumcunq; reprehensibilia videantur.* (1 Reg.24. Gregor.)

¶ ITEM Hieron. super Epistolam ad Gal. vbi dicitur: quòd Paulus Petro restitit in faciem. Paulus Petrū reprehendit: quòd non auderet, nisi se non imparem sciret. Ergo subditus, qui scit se esse imparem, non debet prælatum arguere, vel iudicare. (Hiero. super epist. ad Gal.2.)

¶ CONTRA, Leo Papa IV. scribit Ludouico Imperatori sic: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non seruauimus: vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Ergo Papa missorum ab Imperatore volebat subire iudicium. (Leo Papa IV.2.q.7.)

¶ ITEM in Canonica Petri: *Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit, correctorem habuit suæ vesaniæ subiugale mutum.* Si ergo animal mutum angelica virtute prophetæ insipientiam redarguit, multo magis subditus posset arguere prælatum. (2.Petr.2.)

¶ ITEM Christus, qui erat pastor pastorum, de quo dicitur Matt.15. *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt, &c.* inter opprobria, quæ patiebatur ab eis, vni dixit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo.* Et Ioan.8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ex quo patet, quòd ipse arguitioni & iudicio Iudæorum submisit se: ergo multo fortiùs quilibet alius. (Matt.15. Ioan.8.)

¶ ITEM 2.Reg.12. legitur: quòd redarguit Nathan Dauid, cùm commisisset adulterium. (2.Reg 12.)

¶ ITEM, Daniel nulla legitima potestate constitutus, iudices de falso testimonio conuicit, & conuictos iudicauit. Ex quo relinquitur, quòd nullam potestatem habētes possunt iudicare potestatibus sublimatos. (Dan.13.)

¶ ITEM, in Actibus, cùm Petrus intrasset ad Cornelium; conquesti sunt fratres, qui erant in Iudæa: & reprehēderunt eum, quia ad gētilem diuertisset. Ergo subditi possunt reprehendere prælatum. (Act.10.)

¶ ITEM Hieronymus: *Non omnes Episcopi sunt episcopi: attendis Petrum, Iudam considera: Stephanum suspicis, Nicolaum respice.* (Hiero. ad Heliodorum.)

ſpice. Non facit eccleſiaſtica dignitas te Chriſtianum. Cornelius centurio adhuc ethnicus, ſpiritus ſancti dono mundatur: Daniel presbyteros iudicat. Infatuatum ſal ad nihil valet: niſi vt proijciatur foras, & à porcis cõculcetur. Ex quo relinquitur, quòd boni ſubditi poſſunt malum prælatum reprehendere.

Gregor. ¶ ITEM Gregorius Ianuario Epiſcopo: *Paulus dicit, Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc eſt ſeruanda, cùm culpa ſuperioris ad interitum non trahit corda minorum: vbi autem ſenior exemplum ad interitum præbet, indiſcreta increpatione feriendus eſt.*

Iob 31. ¶ ITEM, Iob 31. *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo: cùm diſceptaret aduerſus me, &c.* inde vt prius.

RESOLVTIO.

Inferior ſuperiorem propriè, hoc eſt ex auctoritate examinando, arguendo, & puniendo, iudicare non poteſt: ſed benè impropriè; quod idem eſt, quòd ex charitate monere.

¶ SOLVTIO. Iudicare dicitur propriè, & impropriè. Propriè dicitur ex auctoritate ſuperiori in examinãdis factis, arguendis & puniendis: hoc modo iudicare ſuperiorum eſt reſpectu inferiorum, non econuerſò, vnde Sap. 6. Sap. 6. dicitur: *Audite Reges, & intelligite; diſcite iudices finium terræ, &c.* & hoc modo iudicare eſt ex poteſtate, ſeu ex auctoritate. Alio modo iudicare dicitur communiter, extẽſo vocabulo ad arguere, corripere, monere. Et arguere propriè eſt ſuperiorum reſpectu inferiorum, vnde Timotheo dicit Apoſtolus: 2. Tim. 2. *Argue cum omni imperio.* Corripere eſt reſpectu parium, Matt. 18. Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* Monere verò eſt inferiorum reſpectu ſuperiorum. Bernardus ad Eugenium: Bernard. ad Eugenium. *Moneo te, non arguo.* Dicendum ergo, quòd iudicare ex auctoritate (ſicut dictum eſt) in examinando merita, arguendo, & puniendo, non eſt inferiorum: ſed iudicare ex charitate extenſo vocabulo in monendo, bonorum ſubditorum eſt reſpectu malorum prælatorum.

¶ AD obiecta ergo vtriuſque partis reſpondendum. Ad primum iam patet: quia iudicare ſecundùm quod propriè dicitur, ſolùm prælatorum eſt. Vnde dicẽdum, quòd illud quod dicitur, Rex non habet hominem, qui facta ſua diiudicet, nec ſuperiorem: intelligẽdum eſt in ſuo ordine. Eſt enim ordo poteſtatum duplex: ordo ſcilicet poteſtatum ſecularium, & ordo poteſtatum ſpiritualium. In ordine poteſtatum ſecularium nullus eſt maior Rege, vel Imperatore; quemadmodum in ordine poteſtatum ſpiritualium nullus eſt maior Papa: tamẽ collatione facta poteſtatis ſpiritualis ad ſecularem; poteſtas ſpiritualis eſt ſuper ſecularem: ſicut ſpiritus eſt ſupra corpus. Vnde & Hierem. 1. Ierem. 1. dicitur: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna.* Et oſtẽſum eſt 2. Paral. 26. 2. Paralipom. 26. in Ozia, qui voluit ſibi vſurpare ſacerdotalem dignitatem, & percuſſus eſt lepra.

1. Tim. 4. ¶ AD illud Apoſtoli: *Seniorem ne increpaueris, &c.* Dicẽdum, quòd increpatione, quæ eſt ex auctoritate cum obiurgatione, non eſt increpandus ſenior diſcretus, etiam à ſuperiori, vnde ibi dicit Gloſſa: Gloſſa ibi. *Ne increpaueris pro ætatu honore, ne indignè ferens ſe à minore correptum, magis exaſperetur, quàm proficiat: ſed obſecra, vt patrem*, ſicut dicitur 1. Petr. 5. 1. Petr. 5. *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro.* Si verò ſtulti ſunt ſenes: increpatione, quæ eſt ex auctoritate etiam cum obiurgatione à ſuis ſuperioribus increpandi ſunt, vnde dicit ibi Gl. Gloſ. ibi. *Senior tamen ſtultus* (vt ait B. Greg.) *vehementer eſt increpãdus.* Increpatione verò, quę eſt ex charitate, inferior poteſt increpare ſuperiorem eo modo, quo dictum eſt.

¶ AD illud, quod obijcitur de hoc, quod dicitur ſuper illud: Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui.* Rex omnibus ſuperior eſt. Iam patet reſponſio, quia ſuperior eſt in ordine poteſtatum ſecularium, non tamen conferendo poteſtatem ſecularem ſpirituali, vt dictum eſt.

¶ AD illud, quod obijcitur de Dauid, qui præſcidit orã clamidis Saul. Dicendum, quòd per Saul prælati intelliguntur: per Dauid ſubditi. Saul ventrem purgans, illos ſignificat, qui malitiam intus conceptam, foris oſtendunt in opere. Sed in præciſione clamidis non ſignificatur reprehenſio peccati: per clamidem enim regni poteſtas intelligitur: hanc præſcindit, qui prælatum ſententia condẽnationis ferit, quod nulli ſubditorum licet. Vnde, cùm à B. Gregorio dicitur, quòd facta præpoſiti à ſubditis oris gladio ferienda non ſunt: intelligitur gladius oris ſententia damnationis.

¶ AD illud, quod obijcitur: quòd Paulus Petrum reprehendit. Dicitur quod Petrus (ſicut dicitur ad Galat. 2.) cogebat gentes iudaizare, & ſuo exemplo à veritate Euangelij recedere. Pari autem modo reprehendendus eſt, qui non ſolùm ſe à fide exorbitat: ſed etiam qui alios exemplo vel verbo deuiat. Hoc ergo exemplo nõ probatur, prælati non arguendi à ſubditis, ſi à fide exorbitauerint, vel alios exorbitare fecerint.

¶ ET quod obijcitur, quòd Petrum Paulus non reprehenderet, niſi ſe non imparem ſciret. Intelligendum non de paritate, quæ eſt in officio eccleſiaſticæ dignitatis: ſed de paritate, quæ erat in puritate vitæ, & notitia veritatis. Nam quantum ad dignitatem prælationis Petrus inter Apoſtolos non habebat parem.

¶ AD obiecta verò alterius partis, quibus indiſtinctè oſtenditur inferiores poſſe iudicare ſuperiores. Reſpondendum eſt; & primò ad illud, quod obijcitur de Leone Papa. Dicendum, quòd Leo Papa illud fecit perfectionis conſideratione, non rigore coactus diſciplinæ, ſicut beatus Gregorius dicit de ſe ipſo: *Si quis ſuper his nos arguere voluerit: vel extra auctoritatem nos facere contenderit: veniat ad ſedẽ ad ſedem Apoſtolicam: vt ibi ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli mecum iuſtè decertet, quatenus ibi vnus ex nobis ſententiam det ſuã.* Gregor. Ex hoc ergo nõ ſequitur, quòd diſciplina iuris ſubditi habeant iudicare prælatos.

¶ AD illud, quod dicitur de Balaam. Dicẽdum, quòd per aſinam boni ſubditi intelliguntur, per Balaam mali prælati: non tamen ex hoc probantur prælati arguendi à ſubditis; ſed ſubditis tantùm forma datur humiliter renitendi prælatis; ſi fortè eos ad malum cogere voluerint.

¶ AD illud, quod obijcitur de Chriſto. Dicendum, ſicut priùs: quòd aliud eſt, quod de rigore cogimur ſeruare diſciplinæ: aliud eſt, quod admittitur perfectionis conſideratione. Chriſtus ergo Iudæos ad ſe arguendum admiſit conſideratione perfectionis, non ſeueritate iuris. Si enim legis rigore eſſent admiſſi; hac auctoritate ſcelerati, tiſſimi & infames ad accuſationem religioſorum eſſent recipiendi: quod iniquum eſt.

¶ AD illud, quod obijcitur de Nathan. Dicendum, quòd duæ ſunt perſonæ, quibus mundus regitur: Regalis, & ſacerdotalis: & ſicut Reges præſunt in cauſis ſeculi, ſic Sacerdotes in cauſis Dei. Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. Dicendum ergo, quantum ad ſtatum legis, & ſi Regalis vnctio Sacerdotibus & Prophetis præerat in cauſis ſeculi: tamen ſuberat eis in cauſis Dei: vnde Reges à Prophetis & Sacerdotibus vngebantur. Nathan ergo propheta cùm Regem arguit, ſuum executus eſt officium, in quo erat rege inferior. Monuit enim, quòd per pœnitentiam peccatum expiaret: non tulit in eum ſententiam, qua tanquam adulter & homicida ſecundùm legem interiret.

¶ AD illud, quod obijcitur de Daniele. Dicendum, quòd miracula veteris Teſtamenti ſunt admiranda, nõ in exemplum noſtrę actionis trahenda. Vnde Daniel, quòd iudicauerit ſeniores, hoc fuit poteſtate ſuperioris Spiritus ſancti accepta occultè, vnde ibi dicitur: Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris, ſicut dicitur Exod. 2. *Quis te conſtituit iudicem ſuper nos.* Exod. 2. Gloſ. *Arguebat eos Moyſes ex poteſtate occulta data ſibi à Deo: quæ poſtea manifeſtata fuit.* Gloſſa.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod arguebant Iudæi Petrum; quia intrauerat ad Cornelium. Dicendum ſecundùm B. Gregorium: Petrus poteſtatem regendi acceperat, Gregor. & tamen idem Apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intraſſet, non ex poteſtate officij, qua poſſet dici, oues paſtorem ſuum non reprehendant: ſed auctoritate diuinæ virtutis; qua gentiles acceperant ſpiritum ſanctum, reſpondit.

¶ AD duo ſequentia ſancti Hieron. & Gregor. patet iã reſponſio ex prædictis. Sed tamen ad illud Hieron. quod

dicti, quod non omnes Episcopi sunt Episcopi. Dicendũ, quòd esse Episcopum dignè, est esse Episcopum per auctoritatem spiritualis potestatis, & per meritum sanctitatis. Quod ergo dicit de malis Episcopis, dicit de ipsis propter defectum sanctitatis, non propter defectum potestatis vel ordinis, quandiu ab Ecclesia tolerantur.

¶ Ad vltimum, quod obijcitur de Iob. Dicendum, quòd illud dicebat de perfectione humilitatis, non de debito iuris.

MEMBRVM III.

An malus prælatus siue superior inferiorem vel subditum licitè iudicare possit?

Ambr. super Psal. 118.

POSTEA quæritur? Vtrùm prælatus malus possit iudicare inferiorem seu subditum iustè. Ad quod sic: B. Ambr. super: *Beati immaculati. Iudicet ille de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet: iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda: ne cùm de alio iudicat, in se ferat sententiam.* Ex quo patet, quòd malo prælato non licet iudicare.

Gregor. Ioan. 8.

¶ ITEM, Greg. in Moralibus exponens illud Ioan. *Qui sine peccato est, primus mittat in eam lapidem. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua reliquerant: reuocentur itaque ad conscientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.*

Idẽ Greg. super Iudicum.

¶ ITEM super illud Iudicum, vbi dicitur: quod viri Gabaa interfecerant vxorem Leuitæ, cognoscendo: dicit. *Cùm tribus Beniamin in carnis scelere fuisset obruta: collectus omnis Israel vlcisci iniquitatem voluit: sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est.* Et subdit:

Idẽ ibid.

Quid est, quòd in vltione sceleris Israel inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur: nisi quod ipsi priùs purgandi sunt, per quos aliorum culpa feriuntur: vt tum mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. Ex hoc arguitur, quòd prælatus nisi mundus sit, non debet immundos iudicare.

Idem.

¶ ITEM Greg. *Postulatus Dominus iudicare peccatricem, non statim dat iudicium: sed priùs se inclinans deorsum, in terra digito scribebat: nos typicè instruens, vt cùm qualibet proximorum errata conspicimus; non antea reprehendendo iudicemus, quàm ad conscientiam nostri reuersi, digito discretionis, quid in ea conditori placeat, quid ve displiceat, examinemus*, iuxta illud Apostoli.

Galat. 6.

Considera teipsum, ne & tu tenteris.

Idẽ ibid.

¶ RVRSVS idem ibid. *Qui sine peccato est, &c. Id est, primò vos ipsi iustitiam implete, & sic innocentes manibus ad lapidandam ream concurrite.* Ex his videtur, quòd malus aliquis non debet alium iudicare, vel iudicis personam assumere.

¶ CONTRA. Saul, cùm à Domino esset reprobatus, Dei populum iudicabat: & eius iudicium vniuersus populus expectebat. Vnde dicit Dauid post reprobationem, profi-

1. Reg. 24

tens ipsum esse iudicem à Domino. *Propitius sit mihi Dominus; vt non extendam manum in Christum Domini.*

2. Reg. 12.

¶ ITEM, Dauid cùm esset adulter, & homicida, interrogatus a propheta, sententiam in diuitem dedit, qui ouem pauperis rapuit, dicens: *Iudicium mortis est viro huic, ouem reddet in quadruplum.*

3. Reg. 11.

¶ ITEM, Salomon cùm amore mulierum deos gentilium coleret: sicut dicitur 3. Reg. 11. tamen vniuersus Israël ad eius iudicium confluebat.

¶ ITEM de malis prælatis Iudæorum dicebat Domi-

Matt. 23.

nus: *Quæ dicunt, facite, &c.*

1. Petr. 2.

¶ ITEM, 1. Petr. 2. *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Ex quibus relinquitur, quod malorum prælatorum sententiæ est parendum à subditis: ergo & ipsi legaliter possunt subditos iudicare.

RESOLVTIO.

Potest quidem (licèt non indemnis) de officio potestatis, sed minimè de idoneitate potestatis: eousque tamen, quousque ab ecclesia toleratur.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod est iudicare de officio potestatis: & est iudicare de idoneitate sine merito potestatis. Primo modo mali prælati possunt subditos iudicare: secundo modo non nisi boni. Primum tunc secundo damnabile est iudicanti: tamẽ salubre est subdito obtemperanti.

¶ VNDE Auctoritates primò positæ ostendunt, quòd mali pastores dum sententia iusti examinis alios feriunt, sibi ipsis nocent; quia (sicut dicitur ad Rom. 2.) in quo alios iudicant, seipsos condemnant. Auctoritates verò in contrarium obiectæ astruunt, quòd dum ab ecclesia tolerantur; eorum iudicium subire: fugere non est licitum, & obtemperare est proficuum. Et per hoc patet responsio ad obiecta omnia.

Rom. 2.

MEMBRVM IV.

Qui, & quales esse debeant, qui alios iudicare habeant?

CONSEQVENTER quæritur: quæ conditiones requiruntur ad hoc, quòd aliquis possit esse ordinatè iudex: Nam Deut. 1. dicit Moyses: *Dixi vobis, date ex vobis viros sapientes & gnaros: quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, &c.* Et sequitur: *Tulique eos, vt populum iudicarent.* Ex hoc ergo relinquitur, quòd secundùm legem Dei, qui non est sapiens & gnarus iuris, non poterit esse iudex: ergo illi, qui sunt minoris ætatis, non possunt esse iudices: similiter nec natura surdi, nec perpetuò furiosi, 3. quæst. 7. infamis.

Deut. 1. Ibidem. Canon 3. q. 7. ca. infamis.

¶ ITEM, cùm iudices debeant esse de tribubus populi Dei, ergo hæreticus non poterit esse iudex, vel infidelis: & hoc est, quod dicit Canon 24. q. 1. *Hæreticus catholicum reponere superiorem se maledicere non valet: in alienum à fide tanquam in sibi coæqualem sententiam dare non potest.*

Can. 24. quæst. 1.

¶ ITEM, consimili ratione probatur, quòd excommunicatus non potest esse iudex: etiam secundùm quod dicit Decretalis, tit. de iudicijs. vbi dicitur: *quòd licet excommunicatus non possit stare in iudicio per se, tamen potest cogi per alium respondere.*

Decretal. tit. de iudicijs.

¶ ITEM, ex hoc quod dicitur, quorum conuersatio sit probata, videtur quòd suspectus nõ potest esse iudex. Vnde Canon Nicolai: *Liceat ei, qui suspectum iudicem sibi putat esse, antequam lis inchoëtur, recusare, & ad alium recurrere: nam quodammodò naturale est, suspectorum iudicum insidias declinare, & inimicorum iudicium velle refugere.*

Nicolai canon 3. q. 5. cap. Quod suspecti.

¶ ITEM, per hoc quod dicitur, in tribubus vestris, ostenditur quòd alienigena seu extraneus iudex esse non possit, secundùm quod dicit Canon Stephani Papæ: *Nullus alienigena, aut accusator fiet, aut iudex*: vnde & de Loth scriptum est: *Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices.*

Stephani Papæ canon. Gen. 19.

¶ ITEM, per hoc quod dicitur, & cõstituam eos principes; ostenditur, quòd illæ personæ, quæ ratione suæ conditionis sunt subditæ & subiectæ, iudices esse nõ possunt, vt mulieres, & serui. Vnde de mulieribus dicit Augustinus: *Mulierem constat subiectam esse viri sui dominio: & nullam auctoritatem habere: nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare.* Item, de seruis & alijs prædictis dicit Canon sanctæ Romanæ synodi: *Tria sunt, quibus aliqui impediuntur, ne iudices fiant: natura surdus, & mutus, & perpetuò furiosus, & impubes: quia iudicio carent, & lege: & qui à Senatu amotus est*, (supple, propter crimen aliquod moris:) *& fœmina, & serui, non quia non habeant iudicium, sed quia præceptum est, vt ciuilibus non fungantur officijs. Verùm si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit: quamuis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet.* Ex his ergo videntur plures personæ excludi, ne iudices sint.

Augus. in lib. quæst. vet. & noui testamenti. Can. Romana syno. 3. q. 7. ca. infamis.

¶ SED contra hoc obijcitur: & primò cõtra hoc, quod dictum est de pueris & minoribus ætate. Nam Hieremias adhuc puer constitutus est iudex à Deo. Vnde postquam dixit: *Nescio loqui, quia puer ego sum.* dixit ei Dñs: *Constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, &c.*

Ierem. 1.

¶ ITEM, Daniel puer inspiratione diuina factus est iudex seniorum, qui volebant perdere Susannam.

Danie. 13.

¶ ITEM, in aliquibus pueris supplet malitia ætatem: eadem ratione & in aliquibus scientia præuenit adultam ætatem. Si ergo non est causa quare minor ætate non debeat esse iudex, nisi defectus in iudicando: ergo huiusmodi minores poterunt esse iudices.

¶ ITEM, obijcitur contra hoc, quod dictum est, quod mulier non debet esse iudex: quia Iudic. 5. legitur Delboram iudicasse Israël, etiam post datam legem à Deo: ergo non est contra legem datam à Deo, mulieré esse iudicem. (Iudic. 5)

¶ ITEM, mulieres leguntur multæ prædiræ spiritu prophetiæ, vt Maria soror Moysi, Exod. 15. Itē Anna prophetissa, de qua legitur Luc. 2. Si ergo mulieres per spiritum prophetiæ assumptæ sunt ad denunciandum iudicia diuina: multo magis possunt assumi ad denunciandum iudicia humana. (Exod. 15. Luc. 2.)

¶ ITEM, obijcitur contra hoc, quod dictum est de seruis: quia dicitur Galat. 3. *Non est Iudæus neque græcus, non est masculus neq; fœmina, &c. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Ergo seruilis conditio in Christiana religione nō differt à libera: ergo seruus potest esse iudex. (Galat. 3.)

¶ ITEM, quæritur ratio, quare sic est: & quis numerus personarum, in quibus non est idoneitas ad hoc vt iudices fiant.

RESOLVTIO.

Non mulieres, non serui, non surdi, non muti, non perpetuò furiosi, non pueri, non læici, non infames, non excommunicati, non extranei, non consanguinei, vel quomodolibet alterius partis suspecti.

Deut. 1. ¶ SOLVTIO. Secundùm quod dicitur Deut. 1. Iudicium Dei iudicium est: vnde homo iudex gerit vicem iudicis Dei in iudicando: ideo in tribus debet conformari Deo, qui iudex est: in potestate, veritate, & bonitate: secundùm quod dicitur Exod. 18. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum.* ecce potestas, *in quibus sit veritas,* ecce veritas, *& qui oderunt auaritiam,* ecce bonitas. Potestas in auctoritate: veritas in iudicio, siue in discretione: bonitas in rectitudine animi, & vitæ. Vnde Deut. 16. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis,* ecce auctoritas potestatis: *vt iudicent populum iusto iudicio,* ecce iudicium veritatis: *nec in alteram personam declinent, &c.* ecce rectitudo animi seu vitæ. Item, hæc tria similiter ostenduntur in prædicto verbo Deut. 1. *Date ex vobis viros sapientes & gnaros,* ecce discretio veritatis, *quorum conuersatio sit probata,* ecce rectitudo bonitatis, *vt ponam eos principes,* ecce auctoritas potestatis. (Exod. 18. Deut. 1.)

¶ NOTANDVM ergo quòd quædam personę idoneæ sunt ad assumendam personam iudicis; quia non sunt idoneæ ad susceptionem auctoritatis: siue ratione sexus, vt mulier; cui post peccatum dictum est: *Sub viri potestate eris.* (vnde & 1. Corint. 14. dicit Apostolus: *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: sed subditas esse, &c.*) siue ratione conditionis fortunæ, vt seruus: vnde 1. Petr. 2. *Serui subditi estote in omni timore.* Aliæ verò personæ repelluntur ab officio iudicis, quia non sunt idoneæ ad iudicium veritatis, & hoc pluribus modis: vel propter impedimentum permanens, vel propter impedimentum transiens: item si propter impedimentum permanens, aut innatum, aut contingens: propter impedimentum manēs innatum, prohibetur iudex esse surdus & mutus, propter impedimentum permanens & contingens perpetuò furiosus, & propter impedimentum transiens minor ætate. Item aliæ personæ excluduntur propter defectum approbationis vitæ seu bonitatis; quod contingit triplici de causa: vna est reprobatio vitæ vel propter crimen erroris, vt in hæreticis; aut propter scandalum conuersationis, vt in his qui sunt infames; aut propter contagium communionis, vt in excommunicatis: alia causa est ignorantia conditionis personæ, vt in extraneis: tertia verò causa est suspicio probabilis malitiæ personæ; vt si sit inimicus: vel declinationis à rectitudine iustitiæ, qua ratione prohibentur omnes, qui sunt ex consanguineis * auctoris, vel inimici rei, vel aliqua iusta causa suspecti. 3. q. 5. (Gen. 3. 1. Cor. 14. 1. Petr. 2. * al. actoris. Canon. 3. quæst. 5.)

¶ AD illud ergo, quod obijcitur de Hieremia & Daniele. Dicendum, quòd illud pertinet ad priuilegium gratiæ singularis, nō ad exemplum imitationis, sicut & quod Hierem. 1. dicitur: *Antequam exires de ventre sanctificaui te:* & quod dicitur Dan. 13. Quòd suscitauit Dominus spiritum pueri iunioris. Priuilegia autem paucorum nō faciunt legem communem. (Ierem. 1. Dan. 13.)

¶ AD illud verò, quod obijcitur: quòd in aliquibus scientia præuenit ætatem adultam. Dicendum, quòd iura quæ debent regulare generalitatem hominum, non aptātur his, quæ rarò contingunt: sed his, quæ frequenter, aut semper: nec his quæ contingunt in paucis, sed in ijs quæ contingunt in pluribus. Rarò autem contingit, & non nisi per priuilegium supernæ gratiæ; quòd in pueris talis scientia inueniatur: qualis & quanta in iudicibus requiritur: requiritur enim sapientia iuris, & cum hoc experientia iudicij. Vnde propter hoc signanter dictum est: *Date ex vobis viros sapientes & gnaros:* sapientes scilicet, per iuris & legum notitiam: gnaros propter experientiam. Item, inde est qd' Moysi dicitur Num. 11. *Congrega senes populi quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri: vt supportent onus tecum, & non tu solus graueris.* Hinc etiam est, quod propter exemplum imitationis iudex omnium Christus ad actus prælationis non processit, nisi in ætate perfecta triginta annorum post baptismum: sicut habetur ex Luc. 4. (Deut. 1. Num. 11.)

¶ AD illud verò, quod obijcitur de Delbora, quòd fuit iudex in Israël. Dicendum secundùm illud 1. Cor. 10. *Omnia illis cōtingebant in figura.* Vnde quod in veteri Testamēto dicitur de Delbora, factum est in ecclesiæ figura. Figuræ autem veteris Testam. non trahuntur in nouo Testam. auctoritatem exempli. Vnde q̄ hoc non sit ad imitationem in nouo, ostenditur 1. ad Tim. 4. *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum.* (1. Cor. 10. 1. Tim. 2.)

¶ AD illud verò, quod obijcitur: quòd assumuntur ad gratiam prophetiæ: ergo multo magis ad iudicia humana poterunt assumi. Dicendum, quod non sequitur, nec est simile: quia gratia prophetiæ non dat auctoritatem mulieri super virum: nec mutat legem subiectionis, qua iure diuino tenetur mulier esse sub viro (quia dicitur: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*) sed auctoritas iudicij daret dominium mulieri super virum: quod repugnat diuinæ institutioni. Quare autem assumptæ sunt ad gratiam prophetiæ, dicitur super illud: *Erat autem Delbora prophetissa.* ibi Glos. Adamantij: *Præstat in hoc consolationem muliebri sexui; ne pro infirmitate desperet se prophetiæ gratiam posse suscipere: sed credat quod confert hanc gratiam mentis puritas, non sexus diuersitas.* (Gen. 4. Iudic. 4. Glossa)

MEMBRVM V.

Quotuplices iudices sint, & quomodo adinuicem ordinentur?

POSTEA quæritur de differentia iudicum. Differentia aūt iudicum secundùm iura triplex est: nam alij sunt ordinarij, alij arbitrarij, alij delegati. Iudices ordinarij sunt, qui ab Apostolico, vt ecclesiastici: vel Imperatore, vt seculares legitimam potestatem accipiunt. Arbitrarij sunt, qui nullam potestatem habentes, cum consensu litigantium in iudices eliguntur: sicut habetur 2. q. 6. Iudices verò delegati sunt, quibus vna vel plures causæ ab eo, qui habet iurisdictionem * ordinariam, vel à principe commissam, committuntur. (Canon 2. quæst. 6. * al. ordinaria vel extraordinariam.)

¶ IN primis autem quæritur: vnde ex lege diuina hæc differentia iudicum sumat autoritatem. Nam sicut lex diuina Moysi & Euangelij extrahitur à lege æterna: ita lex Ciuilis extrahitur à lege Moysi, & lex Canonum à lege Euangelij.

¶ ITEM, cùm iudices ordinarij distinguantur: (secundùm quod dicit Hugo:) in laicos, ad quorum prouidentiam ea, quæ terrenæ vitæ necessaria sunt, pertinent; potestas est terrena: in clericos, ad quorum officium spectant ea, quæ spirituali vitæ sunt bona; potestas est diuina: illa potestas secularis dicitur, ista spiritualis: in vtraque potestate diuersi sunt gradus & ordines potestatum: terrena potestas caput habet Regem: spiritualis potestas summum Pontificem caput habet. Quæritur ergo, vtrùm à lege diuina hæc differentia sumatur, ordinatæ potestatis. (Hugo de S. Vict. de sacramētis, lib. 2. par. 2. c. 4.)

¶ ITEM, vtrùm in potestate & iudicibus ordinarijs vtriusque potestatis possint esse plures in eodem gradu: vt duo

tanto summi Pontifices, duo Episcopi eiusdem loci, duo Imperatores, duo Reges terræ eiusdem, non subalternati?

¶ QVOD videtur, quia duo possunt esse iudices delegati à potestate vnius gradus: ergo pari ratione & duo iudices ordinarij in eodem gradu.

Luc. 1.
¶ ITEM, super illud: *Factum est, vt sacerdotio fungeretur, &c.* dicit Glos. Ambros. & Bedæ: quod propter ampliationem cultus Dei à Dauid constituti sunt vigintiquatuor summi Pontifices; qui per vices suas ministrarent. Ergo in eodem gradu summi sacerdotij plures erant à Dauid propheta ordinati.

Luc 3.
¶ ITEM dicitur: quòd sub principibus sacerdotũ Anna & Caipha factum est verbum Domini super Ioan. &c. Et ex hoc habetur quòd duo erant principes sacerdotum.

Matth. 6.
¶ CONTRA, *Nemo potest duobus dominis seruire, &c.* secundùm ergo sententiam Saluatoris non est ordinata subiectio ad duos præsidentes in eodem gradu potestatis.

Rom. 13.
Ibidem.
¶ ITEM, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et sequitur: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Secundùm ergo ordinationem diuinam potestates ordinantur secundùm superiùs & inferiùs: aliter nihil esset dictum *potestatibus sublimioribus subdita sit*, ergo in eodem gradu non erit eadem sublimitas plurium potestatum.

Ibidem.
¶ ITEM, omnis ordo, qui commendatur quantum ad gradum principatus in irrationalibus, est ordo secundùm instinctum naturæ, & secundùm dictamen rationis. Sed in apibus commendatur vnitas principatus, quia in apibus princeps vna est: in gruibus vnitas ducatus, quia vna dux est; vnam enim sequuntur. Ergo de instinctu naturæ, & de dictamine rationis est vnitas principatus & ducatus: ergo in eodem gradu non possunt esse duo principes, vel duo duces.

Num. 20.
Oseæ 8.
¶ ITEM, ex lege Dei solus vnus summus sacerdos institutus est, vt Aaron, vel successor eius, sicut legitur Num. 20. & vnus solus Rex institutus est in populo Dei: vnde & in Osea reprehenduntur Reges decem tribuum, qui fecerunt diuisionem in regno, vnde dicitur: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.*

Quæstio.
¶ ITEM quæritur: cùm duplex sit potestas ordinaria, scilicet spiritualis, & secularis: vtrùm ordinata potestate vna præemineat alteri? Ad quod sic; super illud Psalm. 50.

Psalm. 50.
Glossa.
Tibi soli peccaui. Glos. *Quia Rex omnibus est superior: & ideo tantùm à Deo, qui est maior, est puniendus: si quis de populo errauerit, Deo peccauit, & Regi.* Rex verò nó habet hominem, qui eius facta dijudicet. Ergo summus pontifex non potest iudicare Imperatorem seu Regem.

Hugo de S. Vict. in lib. de sacramẽtis.
¶ ITEM Hugo: *Spiritualis potestas non ideo præsidet, vt terrenæ in suo iure præiudicium faciat: sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpa vsurpat.* Ergo in iudicijs terrenorum non est subiectus Imperator iudicio summi Pontificis.

1. Petr. 2.
¶ ITEM, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ, siue Regi tanquam præcellenti.* Si ergo rex præcellit, nó est subditus alicuius iudicio.

Can. 2. quæst. 6.
¶ FORTE distinguetur, sicut distinguit Gratianus, vt suprà dictum est: quòd sicut Reges præsunt in causis secularibus, sic sacerdotes in causis Dei: Nathan verò propheta, cũ Dauid redarguit; exercuit suum officium, in quo erat Rege superior: non Regis vsurpauit officium, in quo erat Rege inferior. secundum hoc ergo si in causis spiritualibus subiectus est Imperator summo Pontifici: in causis secularibus subiectus erit summus pontifex Imperatori.

¶ AD oppositum: sicut secularia ordinantur ad spiritualia: ita potestas secularis ad potestatem spirituale. Sed secularia subsunt spiritualibus ordine rationis, & diuino: ergo potestas secularis subest potestati spirituali: ergo Imperator summo Pontifici.

Hugo de S. Vict. in lib. 2. de sacramentis, par 2. cap. 4.
¶ ITEM, dicit Hugo: *Vita terrena bonis terrenis alitur, vita spiritualis spiritualibus bonis nutritur: ad potestatem Regis pertinent quæ terrena sunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad potestatem summi pontificis pertinent, quæ spiritualia sunt, & vitæ spirituali attributa vniuersa. Quantum verò vita spiritualis dignior est, quàm terrena, & spiritus quàm corpus: tantum spiritualis potestas secularem potestatem honore ac dignitate præcedit.*

Idem in eodem.
¶ IDEM in eodem: *Quod spiritualis potestas quantum ad diuinam institutionem prior sit tempore, & maior dignitate: in veteri Testamento manifeste declaratur: vbi primum à Deo sacerdotium institutum est, postea verò per sacerdotium iubente Deo Regalis potestas ordinata est.* sicut legitur 1. Reg. 9.

1 Reg. 9.
Idem.
¶ ET iterum: *In ecclesia Dei sacerdotalis dignitas regalem potestatem facrat, & sanctificat per benedictionem.* Si ergo, (sicut dicitur Hebr. 7.) sine contradictione minor est, qui benedicit, quàm qui benedicitur: constat absque dubitatione, quòd terrena potestas, quæ à spirituali benedictionem accipit, iure inferior existimatur.

Quæstio.
¶ ITEM quæritur, vtrùm suprema potestas spiritualis, quæ est summi pontificis, possit habere aliquam humanã, quæ ipsam dijudicet.

Hiero. in lib. viror. illustriũ.
¶ AD quod sic, refert Hieronymus: quòd Damasus Papa à subditis de adulterio accusatus, cum 42. episcopis se purgauit. Si ergo purgatio pertinet ad sententiam iudiciorum; videtur poterat iudicari.

Gregor.
¶ ITEM B. Gregorius Papa de seipso: *Si quis nos arguere voluerit, veniat ad sedem Apostolicam, vt ibi mecum iustè decertet: quatenus ibi vnus ex nobis sententiam deferat suam.*

August.
¶ ITEM, Augustinus: *Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus est magis quàm Episcopus.* Si ergo talis possit esse ille, qui est Papa constitutus, videtur quod possit à ceteris episcopis iudicari vt non episcopus.

Gal. 2.
Glos ibi.
Ioan. vlt.
¶ ITEM, Paulus correxit Petrum, eo quod non rectè ambularet ad Euangelij veritatem, Galat. 2. Et dicit Glos. quòd Petrus, cui à Domino dictum est: *Pasce oues meas.* Ioan. vltim. obiurgationem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat. Ergo Papa, qui est successor Petri, si à veritate deuiet; poterit à posterioribus pastorib' iudicari.

Hugo de S. Vict. li. 2 de sacramẽt. pat. cap. 4.
¶ CONTRA, Hugo: *Potestas summi pontificis à Deo iudicari potest:* sicut scriptum: *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.*

1 Cor. 2.
Cau. Gelas 9. q. 3.
¶ ITEM, dicit Canon Gelasij: *Cuncta per orbem nouit ecclesia: quòd sacrosancta Ecclesia Romana fas de omnibus habeat iudicandi: neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.*

Innocen. in eodem
¶ ITEM, Innocentius in eodem: *Nemo iudicabit primam sedem: neq; enim ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.*

Symmac. in eodem
Matt. 16.
¶ ITEM, Symmachus in eodem: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare: sed sedis illi' præsidem suo sine quæstione reseruauit arbitrio: replicabo dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & quodcunque solueris, &c.*

Exod 17.
¶ SOLVTIO. Notandum, quòd auctoritas ordinariorum iudicum in potestate seculari accipitur, ex Exod. 17. vbi dicitur: quòd Moyses electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos & centuriones, quinquagenarios & decanos: qui iudicarent populum Domini. Auctoritas iudicum ordinariorum in potestate spirituali accipitur ex Numer. 3. vbi ponuntur gradus summi sacerdotis Aaron & minorum sacerdotum subministrantium Aaron, vnde dicitur: *Functiq; sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron.* Et iterum, subministratio Leuitarum secundùm gradus differentes, vnde ibi dicitur: *Dabis leuitas Aaron & Ithamar coram Aaron & filijs eius: quibus traditi sunt à filijs Israël in ministerio.* Et ibi dicitur, quomodo filij Gerson erant sub principe Elisaphan: similiter filij Caath erant sub principe Elisaphan: & princeps principum Leuitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis.

Num. 3.
Ibi.
Ibidem.

Hugo de S. Vict.
¶ Ex nouo verò Testamento quantum ad distinctionem potestatis sacerdotalis (sicut dicit Hugo) presbyteri vicarij sunt septuaginta duorum discipulorum, qui præcedebant Dominum in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus, sicut dicitur Lucæ 7. Episcopi successores Apostolorum, qui eliguntur à Deo, Lucæ 7. Matthæi 10. Summus Pontifex vicarius Petri, cui committitur plenitudo potestatis in clauibus, Matth. 16. *Tu es Petrus,*

Luc. 7.
Matt. 10
Matt. 16

stras, &c. Et tibi dabo claues, &c. Et vniuersalis cura gregis. *Si diligis me, pasce oues meas*. Sub potestate verò presbyterorum est potestas seu ordo Diaconorum, qui* in Archidiaconibus habent iudiciariam potestatem. quod sumptum est ex Apost. vbi post descriptionem Episcopi dicit. *Diaconi si benè ministrauerint gradum bonum sibi acquirent*. Gradus verò sęcularis potestatis accipiuntur de prima Epistola Petri. vbi dicitur: *Subditi estote omni humana creaturæ, &c. siue Regi tanquam præcellenti, seu iudicibus tanquam ab eo missis*. Et dicitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ex his igitur patet, qualiter ex nouo & veteri Testamento accipitur auctoritas iudicum ordinariorum, siue sęcularium, siue spiritualium.

Ioan. vlt. — *Aliàs, in subdiaconibus. — 1. ad Tim. 3. — 1. Petri 2. — Rom. 13

¶ Item auctoritas iudicũ arbitrariorum potest accipi ex Ex. 21. vbi dicitur Lex de illo, *qui percutit mulierē pregnantē: quæ facit abortiuum, sed ipsa viuit*. & dicitur quòd si partus nondum viuificatus fuit in vtero, *subiacebit damno quantùm maritus petierit, & arbitri iudicauerint*.

Exod. 21.

¶ Item auctoritas iudicum delegatorum accipitur ex Exod. vbi ascendens Moyses in montem, senioribus ait. *Habetis Aaron & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*. Et ex Abdia Propheta. vbi dicit: *Auditum audiuimus à Domino, legatum ad gentes misit*. Et per hoc patet responsio ad duo primo quæsita.

Exod. 24 — Abd. Pro

¶ Ad illud, quod quæritur? vtrum possint esse plures iudices ordinarij in eodem gradu? Dicendum secundùm B. Hieron. *In apibus princeps vna est, grues vnam sequuntur: Imperator vnus: iudex vnus prouinciæ: Roma autem condita duos fratres simul Reges habere non potuit: in Rebecca vtero Esau & Iacob gesserunt bella. Singuli ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi: & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus vtitur*. Ex quibus relinquitur, quòd in eodem gradu respectu eorundem non est præeminentia plurium potestatum.

Hieron. ad rusticum Monachum. — Gen. 25.

¶ Ad illud ergo, q̃ obijcit de iudicibus delegatis. Dicendum, quòd non est simile: nam cum plures delegantur ab vno ordinario, ambo gerunt vicem vnius: nec alter plenariè gerit vicem, sed ambo simul.

¶ Ad illud verò, q̃ obijcitur: q̃ 24. Erãt summi sacerdotes instituti à Dauid. Verum est quantùm ad ministerium cultus templi; sed tamen vnus erat qui præerat super alios in auctoritate iudicij: sicut Caiphas dicitur Pontifex anni illius.

¶ Ad illud verò, q̃ obijcitur de Anna & Caipha. Dicendum, quòd non simul præerant: sed vnus præerat in principio prædicationis Ioannis, postea alius successit: & ideo sub ambobus determinatur tempus prædicationis Ioannis.

Ioan. 11.

¶ Ad illud, qđ quæritur? vtrùm potestas sęcularis subdita debeat esse potestati spirituali. Dicendum, secundum quod dicit Hugo. *Spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, vt sit: & iudicare, si bona non fuerit*: sicut scriptum est. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*.

Hugo de S Victore. — 1. ad Cor. 2.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur ex auctoritate August. Quòd Rex non habet hominem, qui eius facta dijudicet, &c. Faciendæ est vis in hoc quod dicitur: *Non habet hominem*, spiritualis enim potestas non iudicat secundum hominem, vel secundùm humanam legem: sed inquantùm residet vice Dei: sicut dicitur Apostolis. *Qui vos audit, me audit*: & sicut dicit Apost. *Pro Christo legatione fungimur*, &c. Et secundum potestatem ad vindictam spiritualem, non corporalem: secundùm quod dicitur: 2. q. 7. *Quod Regum est exercere pœnam corporalem, sacerdotum spiritualem inferre vindictam. Vnde Ambrosius Imperatorem excommunicauit Arcadium: & ab ingressu Ecclesiæ prohibuit. Sicut enim iudex terrenus non sine causa gladium portat: sicut dicitur ad Rom. 13. Ita non sine causa claues Ecclesiæ sacerdotes accipiunt: ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: isti claues habent ad exclusionem* excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium*. Expone igitur; *à Deo tantùm est Rex puniendus*, *supple materiali pœna*. Et iterum, *Non habet hominem, qui eius facta dijudicet*: *supple ad corporalem pœnam inferendam*.

Aug. sup. Psalm. 50 — Matth. 10 — 1. ad Cor. 5. — Canon. 2 q 7. — Rom. 13. — *Aliàs, excommunicatorum.

¶ Ad secundum verò; q̃ obijcitur de verbo Hugo. Dicendum, quòd spiritualis potestas si iudicet terrenam ratione delicti, cum sc. abutitur potestate; non præiudicium facit: immò sicut spiritus constitutus est ad dirigendum corpus; ita spiritualis potestas constituta est ad dirigendũ terrenam. Quod verò dicit Hugo: de iudicio non inferendo terrenæ potestati à spirituali: dicit ratione terrenarum possessionum, quas habet Ecclesia, seu potestas spiritualis: quæ (sicut dicit idem Hugo) nunquam possunt ita à regia potestate elongari; quin si ratio postulauerit, & necessitas; & ipsis possessionibus terrena potestas debeat patrocinium: & illi ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regia potestas patrocinium, quòd debet, alteri dare non potest: sic ipsa possessio à personis ecclesiasticis obtenta; obsequium, quòd regiæ potestati pro patrocinio debetur, iure negare non potest: sicut scriptum est. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*.

Hugo 2 de sacram. p. 3. c. 7. — Matt. 22.

¶ Ad illud q̃ obijcitur de Canonica Petri. quòd Rex præcellit. Verùm est in suo ordine scil. ad corporalem vindictam exercendam: qua vindicta si delinquat, non habet, qui eum puniam, nisi Deum.

¶ Ad illud, q̃ dicit Gratianus: quod sacerdotalis potestas in aliquo erat regali inferior. Dicendum, quod hoc verum est secundùm statum veteris Testamenti, sed non secundum statum noui. Sacerdotium enim Vet. Test. carnale erat: & per carnalem propagationem succedebat: q̃uis esset ordinatum ad spirituale obsequium sc. diuinum cultum, & figuram spiritualis sacerdotij Noui Testamenti: qui non est per successionem carnalem: propterea in illa parte, in qua carnale erat & terrenum; subiectum erat terrenæ potestati sc. regali. Sicut enim dicit B. August. ideo dicitur vetus testamentum, propter promissionem terrenã, quæ pertinet ad veterem hominem; ideo in testamento* veteri summa erat potestas terrena: in nouo autem testamento non: vbi est spirituale sacerdotium & promissio spiritualium. In nouo enim testamento non promittuntur terrena in mercedem: sed adduntur ad sustentationem. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis*.

* Aliàs, terrene. — Matth. 6.

¶ Ad illud, quod quæritur? vtrùm possit esse aliqua potestas, quæ habeat dijudicare summum Pontificem. Dicendum, quod (sicut ostendebatur) summus Pontifex non potest ab alio, quàm à Deo iudicari: sicut dicitur. *Facta subditorum à nobis iudicantur: nostra verò à Domino iudicantur*. Ex quo accipitur, quòd summus Pontifex iudex est ordinarius singulorum; & nullus est, qui eum iudicat, nisi Deus.

Canon. dist. 9. q. 5.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de Damaso & Greg. similiter & ad illud, quod obijcitur de Petro, qui sustinuit reprehensionem Pauli. Dicendum, quod illud dicitur factum ad exemplum humilitatis, non ex necessitate iuris: Vnde super illud. *Dixi Cephæ coram omnibus*: dicit Gloss. *Ipse Petrus, quòd à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, pietate humilitatis accipit: atque ita exemplum posteris tribuit: quod non dedignarentur maiores, vbi fortè iustè tramitem reliquissent; à posterioribus corrigi: laus itaq; iustè libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro emicuit*. Et simili modo dicendum in Damaso & Gregor.

Ad Galat. 2. — Glossa.

¶ Ad illud verò, quod dicit Aug. de malo Episcopo, quòd canis impudicus dicendus est. Intelligendum est, si habet superiorem, postquam est per sententiam condemnatus. Vel, illud dicitur propter meritum vitæ, non propter gradum potentiæ.

MEMBRVM VI.

De Officio iudicis.

Qværendvm est postmodum de officio iudicis, iuxta legem, qua dicitur: *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis: vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent: non accipies personam, nec munera: iustè, quòd iustum est, exequeris*.

Deut. 16.

)*(

ARTICVLVS I.

De prima parte propositæ legis.

Deut. 16.

AD primam partem legis, *iudices & magistros constitues*? quæruntur duo. Primò, vtrùm ad iudicem possint aliarum personarum, quæ intrant iudicium, officia pertinere: vt in eadem causa sit iudex, & testis, & defensor, & huiusmodi. Secundò, vtrùm iudex aliquis possit de subdito alterius iudicis iudicare.

An iidem & iudex & testis, vel defensor & huiusmodi esse possit? §. 1.

Canon Bonifacij 4. q. 4.

¶ AD primum sic dicit: Canon. *Nullus vnquam præsumat accusator simul, & iudex esse, & testis: quoniam in omni iudicio quatuor personas necesse est esse: iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atq; testes legitimos. Iudices debent vti æquitate, testes veritate, accusatores intensione ad amplificandum causam, defensoris attenuatione ad diminuendum causam.*

Aug. in homil. de pœnitentia.

¶ ITEM, August. *Quis sibi vtrumq; audet sumere: vt cuicunq; ipse sit accusator & iudex?*

Dan. 13.

¶ CONTRA. Daniel fuit accusator iniquitatis seniorum, & iudex eorundem: ergo simul potest esse officium accusatoris, & iudicis.

Gen. 4.

¶ ITEM, Fuit Dominus accusator Cain: cùm dixit. *Ecce vox sanguinis*, &c. Fuit etiam iudex inferens pœnam: cum dixit. *Maledictus eris super terram*, &c.

Ierem. 29.

¶ ITEM, dicit per Hier. 9. *Ego sum iudex & testis.* Si ergo iudex homo debet assimilari iudici Deo: idem potest esse iudex & testis.

RESOLVTIO.

Iudex, quia persona media, nec accusatoris nec defensoris vices agere potest: nec etiam testis, ne suspectus habeatur impositæ culpæ.

Canon. Damasi Papæ 4. q. 4.

¶ SOLVT. Secundum Can. *Accusatores & iudices non idem sint; sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati: vnusquisq; in suo ordine.* Ratio autem, quare iudex non potest assumere personam accusatoris vel defensoris, est: quia est persona media, & in nullam partem debet declinare. Similiter nec personam testis potest assumere, ne habeatur suspectus de impositione culpæ; cùm ad ipsum pertineat sententia inferendæ pœnæ.

¶ AD illud, quod obijcitur de Daniele. Dicendum, quod Daniel in illo facto gerebat personam diuinam, & humanã: Diuinam in accusando; vnde ibi dicitur, quod suscitauit Dominus spiritum pueri iunioris: Humanam in iudicando secundùm legem Dei: quia conuincit eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium. Quòd autem factum est inspiratione diuina, non est trahendum ad consequentiam.

¶ AD alia verò, quæ obijciuntur, dicendum: quod non est simile de Deo & homine in iudicando: nam iudicans Deus non potest à iustitia declinare. Præterea, ipse semper iudicat secundùm veritatem interiorem mentis, non secundùm faciem, vel intuitum: vt dicitur: *Non iuxta intuitum hominis ego iudico.* Homo enim videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor: & ideo diuino iudicio congruit, vt ipse idem sit accusator, iudex, & testis. Non sic autem est de hominis iudicio: sicut dictum est.

1. Regum 16.

An iudex de alterius iudicis subdito iudicare possit? §. 2.

¶ SECVNDO quæritur? Vtrùm iudex aliquis possit de subdito alterius iudicare?

Refertur 6. q. 3. cap. scriptum est.

¶ AD quod obijcitur: dicit Greg. super illam legem Deut. 23. *Si intraueris segetem amici tui, frãges spicas: falce autem non metes. Falcem iudicij mittere non potes in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa: sed* (sicut ibi dicitur) *manu spicas conterere & manducare; hoc est per affectum boni operis frumenta dominica vitiorum paleis expoliare: & in Ecclesiæ corpus admonendo conuertere, & persuadendo quasi manducando conterere.*

¶ CONTRA: sicut dicunt Iura & Canones; *quilibet sortitur forum ratione delicti.* Si ergo aliquis de aliena diocœsi delinquat in alia: sortitur forum iudicij illius, qui præsidet loco, in quo iam delinquit.

RESOLVTIO.

Cùm quilibet sortiatur forum ratione delicti, iudex alterius iudicis subditum in sua iurisdictione delinquentem iudicare potest.

¶ QVOD concedendum est: Vnde dicit Canon. *Placuit pro communi vtilitate, vt nullus Episcoporum grauiter ferat: si eius Parochianum pro deprædationis causa alter Episcopus excommunicauerit.* (Canon Conc. apud ... 7.)

¶ SVPER hoc aũt obijcitur de exemptis, qui immediatè subsunt Apostolicæ sedi: vtrùm delinquentes, possint ab Episcopo suo iudicari? Et cùm exempti sint à iurisdictione Episcoporum: si Episcopus ipsos iudicet, mittit falcem in alienam messem.

¶ SED in contrarium est: *quia* (sicut dicitur. 11. q. 3.) *Priuilegium meretur amitti ratione delicti.* (Canon. 11. q. 3.)

¶ SOL. Distinguendum, quod si priuilegiatus deliquit circa rem non exemptam; vt in contractu emptionis & venditionis, vel in maleficio, sicut homicidio, vel adulterio: tale delictum potest Episcopus vindicare: quia & si persona exempta sit; tamen res, in qua delinquit, non est exempta. Si verò delinquit circa rem exemptam: vt malè gerendo suum officium, vel alienando res Ecclesiæ, in his à solo Papa potest puniri. Quando ergo factum exempti præiudicium affert in rebus vel factis non exemptis; iudicabit eum Episcopus loci. Quando non affert præiudicium; non iudicabitur ab Episcopo: sed à solo Papa.

ARTICVLVS II.

De altera propositæ legis parte.

POSTEA quęritur quantùm ad aliam partem legis: quę est, *vt iudicent populum*, &c. Primò, vtrùm possint iudicare secundùm suam conscientiam. Secundò, vtrùm possint sine accusatore iudicare. Tertiò, vtrùm possint sine conuictione condemnare. (Deut. 16.)

An iudex secundùm sui conscientiam iudicare possit? §. 1.

¶ AD primum sic: Dicitur de iudicibus, qui p̃sunt loco. *Iudicabunt iudicij veritatem.* Si ergo iudex sciat esse verùm, quod in iudicio accusatur, vel proponitur; secũdùm conscientiam debet iudicare, quamuis non probetur. (Deut. 17.)

¶ ITEM, dicit Lex alia. Deut. 13. de idololatria vindicãda in aliqua ciuitate: quod diligenter rei veritate perspecta, si inueniatur certum esse; deleatur in ore gladij. Ergo simili modo si iudex sciat certissimè aliquem peccasse, poterit ipsum iusto iudicio secundùm conscientiam iudicare. (Deut. 13.)

¶ ITEM, si iudex debeat iudicare secundùm audita, & non secundũ conscientiã veritatis: ergo iudex poterit innocentem condemnare: cum secundũ allegata & falsa testimonia, quæ deprehendi non possunt, possit reus probari: quod tamen prohibitum est in lege. Exod. vbi dicitur: *Innocentem & iustum non occides.* (Exod. 23.)

¶ ITEM, dicitur de Domino. *Non secundùm visionem oculorum iudicabit: neq; secundùm aurium*, &c. Ergo nec iudex homo similiter debet iudicare secundùm audita. (Esa. 11.)

¶ CONTRA. *Præcepi eis, dicens: audite illos: & quod iustum est, iudicate: ita paruum audietis vt magnum.* Ergo secundùm audita debet iudicare: non secundùm conscientiam. (Deut. 1.)

¶ ITEM, Ambr. sup Psal. 118. *Beati immaculati. Bonus iudex nihil paratum & meditatum de domo refert: sed sicut audit, iudicat: & sicut se habet causa, decernit.* (Ambr. super Psal. 118.)

¶ IDEM ibid. *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit: sed iuxta leges & iura pronunciat.* Si ergo secundũ leges & iura ea, quæ audiuntur & conuincuntur, iudicantur: iudicis non est iudicare secundum conscientiam. (Idẽ Ambros. ibidem.)

¶ ITEM, Aug. *Multi corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: nos verò à communione quenquam prohibere non possumus: nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sæculari vel ecclesiastico iudicio nominatum aut conuictum.* Ergo secundùm hoc iudex nón poterit secundùm conscientiam iudicare non conuictum. (Aug. in homilia de pœnitentia.)

¶ ITEM, super illud, quod dicitur de blasphemo. *Miserunt eum in carcerem*, &c. dicit B. Gregor. *Moyses querelas populi semper ad Dominum referebat: nos instruens, vt non ex corde* (Leuit. 24. Gregor.)

nostro,

nostro: sed ex praecepto diuino condemnationis vel iustificationis sententiam proferamus. Ergo non debet iudex secundum conscientiam iudicare.

RESOLVTIO.

Iudex non secundùm suã conscientiam, sed secundùm allegata & approbata diligenter discussa diiudicet.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd est conscientia iuris: & est conscientia facti. Conscientia iuris est, quae formatur ex lege diuina: conscientia facti est, quae formatur ex ipsi facti opinione vel scientia. Dicendum ergo, quòd iudex non debet iudicare secundùm conscientiam facti, sed secundùm conscientiam iuris, excluso errore: quia contingit esse errorem circa vtramq; conscientiam, iuris, & facti. Iudicare autem secundùm conscientiam iuris rectam, non erroneam; est iudicare secundùm allegata diligenter discussa.

¶ AD illud ergo, quòd primò objicitur. Dicendum, quòd iudicare iudicij veritatem aliud est, quàm iudicare veritatem. Veritas enim est respectu facti; vel rei, quae est vel nõ est: veritas iudicij est respectu conuictionis vel probationis legitimae facti, vel rei. Ex illa igitur lege non concluditur, quòd iudex debeat iudicare secundum conscientiam veritatis facti: sed secundùm veritatem iudicij, id est, conuictionis & probationis legitimè facti: vnde dicitur: *Iudicabunt iudicij veritatem; & facies quaecunque dixerint iuxta legem.*

¶ AD secundum dicendum: quod illa Lex, quae secundò opponitur; loquitur in casu, vbi praecedit accusatio: & sequitur postmodum legitima facti conuictio. Vnde: *Si audieris in vna vrbium* (supple aliquibus accusantibus) *aliquos dicentes: eamus, & seruiamus Dijs alienis,* &c. Quare sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta; si inueneris certũ esse quod dicitur; & abominationem hanc opere perpetratam: percuties habitatores, &c. — Deut. 13.

¶ AD illud, quòd objicitur: quòd si iudicat secundùm allegata, aliquando sciens condemnare poterit innocentem. Dicendum, quòd (sicut dicit Aug.) iudex, cùm punit ad mortem, non dicitur occidere, sed ipsa Lex. Ita iudex cùm punit secundùm legem, nihil omittendo de contingentibus legis, non condemnat: sed ipsa Lex. Lex autem, quae posita est ad iudicandum ea, quae pñt conuinci vel probari; nullo modo reprehensibilis est, iudicando conuicta vel confessa. Nam Lex aeterna, qua Deus iudicat; non hoc modo iudicat: sed secundum ipsam rerum veritatem, quae ei patet. Lege autem, quae posita est ad hoc, quòd secundũ illam homo iudicet; non potest se extendere ad illa: quia multa de illis sunt ei occulta & incerta. Sicut. n. dicit Aug. *Multa nesciuntur; quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum:* & illa sunt Dei iudicio relinquenda. — August. — Idem.

¶ AD illud ergo, quod objicitur per aliam legem, *innocentem & iustum non occides.* Dicendum, quòd si iudex laboret, quantum potest, salua iustitia ad repellendum accusationem eius, quem scit innocentem, & ad repellenda testimonia: si tamen contingat, quòd nulla exceptione iuris possit repelli accusatio vel testimonium: nec aliqua occasione sententia differri aut subtrahi; consilium est, vt remitteret ipsum iudicandum superiori: cui & significare veritatem, quàm scit: & probationem, quàm audiuit. Superior autem potestas, quae nulli subest, de plenitudine auctoritatis potest iuris sententiam mitigare, seu remittere. Si tamen sine scandalo iudicium non posset differri: dicunt, quòd si condemnaret innocentem (cum dolore tñ) quia sic eum oporteret facere, non esset reus: quia iudicaret cõuictum nocentem, non innocentem. Sed quia videretur secundùm hoc, quòd potuisset iustè damnare iudex aliquis Stephanum; quia accusabatur de praeuaricatione legis. Dicendum est in distinctè, vt priùs: quia si potestas inferior est: & constat sibi quod accusatus innocens est; debet ipsum ad superiorem remittere. Si verò superior sit, nulli subiectus; & scit innocentem accusatum: debet eum absoluere. — Exod. 23.

¶ AD illud, quòd objicit: quod Dominus non secundùm auditum aurium arguet. Dicendum, quòd non est simile de homine: quia si homo solùm secundum conscientiam teneretur iudicare; posset peruersus iudex reos absoluere: & ita periret iustitia.

An iudex absq; accusatore iudicare posit? §. 2.

¶ POSTEA quaeritur? Vtrùm iusto iudicio possit iudex sine accusatore iudicare? Ad quòd sic: Ambr. Exponens sententiam Apostoli de fornicatore. *Iudicis, (inquit) non est sine accusatione damnare: quia Dominus Iudam cum fuisset fur; quia non est accusatus, minimè abiecit.* — Ambr. super. 1. ad Cor. 5.

¶ ITEM, dicit Canon Eleuterij. *Nihil contra quemquam accusatum absq; legitimo & idoneo accusatore fiat: nam & ipse Dominus Iesus Christus Iudam furem esse sciebat: sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.* — Canon. Eleuterij 2. q. 1.

¶ CONTRA. *Vox sanguinis fratris tui.* &c. ibi Gloss. *Euidentia patrati sceleris accusatore non eget.* Ergo potest iudicari de manifestis sine accusatore. — Gen. 4. Gloss.

¶ ITEM, Ambr. *Manifesta accusatione non indigent.* — Ambros.

RESOLVTIO.

In euidentibus & manifestis vtiq; : in occultis & absconditis minime.

¶ SOLVT. Secundũ distinctionem B. Ambr. n. ita est, quòd crimen est manifestum & euidens: aut non. Si est euidẽs: sicut non sunt quęrendi testes ad probationem: sic nec accusator ad denunciationem. Vnde Ambr. *De fornicatore cognito opere, pellendum illum Apostolus de cętu fraternitatis censuit: omnes enim crimen eius sciebant, & arguebant; publicè enim nouercam suam loco vxoris habebat: in qua re neq; testibus opus erat, neq; tergiuersatione aliqua crimen tegi poterat.* Si verò non sit crimẽ euidens, non potest sine accusatore iudicare. Vnde August. super illud: *Vnus ex vobis me traditurus est.* Benè dixit: *ex vobis*, & non *ex nobis*, ex vobis enim est, à quibus per iudiciariam potestatem confessus aut conuictus non est. Ac si diceret: & si ego per occulti iudicij sententiam eum habeo damnatum: vos tamen adhuc per tolerantiam sustinete. — Ambr. 1. ad Cor. 5. — Aug. sup. Matt. 26.

An & absq; conuictione condemnare posit? §. 3.

¶ QVAERITVR postea? Vtrùm iudex possit sine conuictione condemnare? Ad quòd sic: dicit Aug. *Non in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi conuictum aut confessum.* — August.

¶ ITEM, Canon. *Nullum ante veram & iustam probationem iudicare aut damnare debemus: manifestè Paulo Apostolo dicente. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum: suo Domino stat, aut cadit.* — Canon. Euaristi Papae 2. q. 1. — Rom. 14.

¶ ITEM, *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxae, morte moriatur.* Vnde accipitur Lex humana canonizata: & est Constantini. *Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferatur, quàm aut reum ipse se confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur.* — Exod. 21. — Lex humana.

¶ FORTE distinguetur iuxta praecedentem quaestionẽ; sicut distinguit Gratianus: quòd quaedam sunt manifesta iudici, quaedam occulta & ignota. De occultis & ignotis indistinctè non habet, qui iudex est, indicare. Vnde Canon Euaristi Papae ex auctoritate. Gen. 19. dicit: *Deus omnipotens, vt nos à praecipiti prolatione sententiae compesceret; cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodomae noluit audita iudicare, priusquam manifestè cognosceret, quae dicebantur: vnde ipse ait. Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Vt nobis exempla daret: ne praecipites in discutiendis & exequendis negotijs essemus: & ne mala proximorum priùs praesumat quisquam credere, quàm probare: aut temere aut indiligenter indiscussa quoquo modo, temere iudicare: dicente veritate. Nolite iudicare, & non iudicabimini.* — Gratianus. — Canon Euaristi. — Gen. 18. — Matth. 7.

¶ ITEM, in manifestis distinguendum. Nam quaedã manifesta dicuntur, quia nota iudici, sed incognita alijs: alia sunt manifesta alijs, & ignota iudici: quaedam verò nota sunt iudici, & alijs. Quae ignota sunt iudici, & tamen nota sunt alijs: non possunt à iudice iudicari, nisi priùs conuicta & probata. Vnde Canon. *Primò super omnia diligenter inquirite; neminem condemnetis ante verùm iustumque iudicium: nullum iudicetis suspicionis arbitrio, sed primum probate, & postea charitatiuam proferte sententiam: & quod vobis non vultis fieri, alijs facere nolite.* Tob. 4. Item, quae — Canon Melchiadis Papae. — Tob. 4.

iudici

iudici tantùm nota sunt, sine examinatione puniri nó possunt: quia dum accusatoris persona assumitur, iudiciaria potestas amittitur: in vna & eadem causa nullus simul potest esse accusator & iudex. Vnde August. *Quis vtrumq; laudet sumere: vt causaq; quam ipse sit accusator & iudex.* Item, si crimen manifestum est iudici & alijs: ita aliquando est, quòd reus inficiatur factum: vt si quis negaret se interfecisse eum, quem in oculis iudicis & multorum conspectu interfecisset. Aliquando verò est, quòd confitetur factum. Primò modo, cùm negat se esse reum: sine examinatione puniri non potest. Secundo verò modo cõuictum per propriam confessionem punire potest.

August.

¶ Si hoc dicatur. Contra: aliquis qui euidenter perpetrat scelus (sicut patet ex præcedenti) sine accusatore & testibus potest iudicari: sicut ille fornicator, quem iudicauit Apostolus: ergo talis si inficiatetur factum; non aliter conuictus quàm per rei euidentiam posset iudicari.

1 Cor. 5.

¶ Item ille, qui delinquit in conspectu iudicis sub oculis multorum: nonne patrat scelus manifestum, & euidens?

RESOLVTIO.

Et quidem, cùm euidentia facti id confitetur.

¶ Solvt. Est confessio sermonis, & est confessio facti. Confessio facti est, vbi publicum factum est: & tunc euidentia ipsa operis reum esse testatur, quia opere publico crimen confitetur: vnde quamuis neget verbo, sicut Cain, qui dixit. *Nescio Domine*: tamen ipsa facti euidentia confitetur, sicut ibi dicitur: *Vox sanguinis fratris tui clamat*, &c.

Gen. 4.

¶ Ad istud verò intelligendum nota quod illud, quod dicit Gratianus; intelligitur, quando aliquis delinquit coram iudice non sedente loco iudicis: & coram paucis, duobus, vel tribus: propter quos non dicitur factum publicũ; quia iudice absente, adhuc non possit iudicari sine vlla probatione.

ARTICVLVS III.

De tertia parte præfatæ legis.

Deut. 16. QVæritvr postea quantũ ad aliam partem legis, qua dicitur: *Nec in alteram partem declines, nec per sonam accipies, nec munera.* Primò quæritur? vtrùm iudex possit personæ miserabili in iudicio condescendere. Secundò, vtrùm possit pecuniam vel munus accipere.

An iudex possit personæ miserabili condescendere? §. 1.

Exod. 23. ¶ Ad primvm sic: *Non declinabis in iudicium pauperis.*

Ibidem. ¶ Item, *Pauperis non misereberis in iudicio.*

Leu. 19. ¶ Item, *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*, &c.

Eccles. 4 ¶ Contra. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater.*

Esa. 1. ¶ Item, *Reprehenduntur iniqui indices illi, qui pupillo non iudicant.*

RESOLVTIO.

Nequaquam citra rectitudinem iustitiæ.

¶ Respon. Est misereri contra iustitiam: & est misereri salua veritate & rectitudine iustitiæ. Leges ergo, quæ dicunt: quod non est miserendum pauperis in iudicio: intelliguntur declinando à veritate iustitiæ: vnde præcedit. *Non facies quod iniquum est.* Aliæ verò, quæ dñt; quòd miserendum est: intelliguntur, salua veritate iustitiæ.

Leu. 19.

An iudex possit munus accipere: aut si tenetur illud restituere? §. 2.

¶ Item quæritur? vtrùm possit iudex munus accipere: Quòd manifestè prohibetur in prædicta lege: *Non accipies munera*, & vbiq; in scriptura.

Exod. 23 ¶ Contra. 12. q. 2. *Nemo cogitur proprijs stipendijs militare.*
Canon. 12 q 2. Si ergo iudices aliqui delegati sunt, & indigent; possunt stipendium accipere.

Exod. 23. ¶ Item, Possunt ne xenia recipere? Videtur quod non: cùm vniuersaliter dicatur: *Non accipies munera.*

Eccles. 10 ¶ Item, *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum*, &c.

¶ Item quæritur? si recipiat contra legé iudex munera; constat quod iniustè recipit: quia (sicut dicit Aug.) non licet iudici vendere iustum iudicium: ergo si recipiet munus, tenetur restituere. Aug. ad Macedonium.

¶ Item, si tenetur restituere: cui restituet? Nam simoniacus in recipiendo pecuniam, non debet restituere illi, qui dedit, quia turpiter dedit, & contra legem: ergo similiter non tenebitur iudex restituere pecuniam receptam illi, qui dedit.

RESOLVTIO.

Nullatenus profectò pro iudicando, sed pro moderatè viuendo. Aliàs restitutioni tenentur.

¶ Solvt. Dicendum, quod nullus iudex potest recipere pecuniam pro iudicando: immò sicut de prædicatione, & alijs spiritualibus officijs dicitur. *Gratis accepistis, gratis date.* Matt. 10
ita gratis & sine intentione prætij debet iudicare. Tamen sicut de prædicatione dicitur: *Dignus est operarius mercede.* id est, sustentatione: ita iudex: tamen cum distinctione. Ibidem.
Sunt enim iudices ordinarij, & iudices delegati. Iudices ordinarij cùm ratione suæ dignitatis habeant sufficientes redditus sibi assignatos; nihil debent omnino recipere vnde ad illos extenditur illud verbum Ioannis Baptistæ. *Contenti estote stipendijs vestris*: quod verbũ sic glossant Aug. & Ambr. *Ne* (inquiunt) *dum sumptus quæritur, prædo grassetur.* Lucæ 3 Glossa.
Iudices verò delegati possunt expensas petere moderatas; & nihil vltra à partibus: quia (sicut dicit Aug.) *Nemo cogitur suis stipendijs militare.* Dicunt tamen quidam, quod si ipse delegatus nõ sit sufficiens, potest petere pro assessoribus; quorum consilio vtitur in causa: dum tamen nullam partem propter hoc accepiet: nec aliquid faciat in fraudem: & hoc dicunt iuxta Decret. quæ hoc dicit. August

Decretal. Titulo de vita & honestate Clericorum.

¶ Ad illud, quod quæritur: vtrùm iudices possint xenia recipere. Dicunt quidam quod moderata xenia sponte oblata põt recipere. Nam, sicut dicit Can. Leonis Papæ: *De eulogijs ad sacra consilia deferendis, nihil inuenimus à maioribus terminatum: sed sicut vnicuiq; presbytero placuerit, quæ non sunt* (vt arbitror) *irrationabiliter requirenda, nec vltrò delata respuenda.* Eulogia autem sunt munera, quæ deferunt subditi prælatis suis. Dicendum tamen, quod à litigatoribus non debent iudices recipere xenia, etiam sponte oblata propter suspicionem vitandam à partibus: tenentur enim vitare suspicionem. Canon. Leonis Papæ dist. 8.

¶ Ad illud, quod quæritur? vtrùm teneantur iudices restituere, quæ iniustè recipiunt. Dicendum, quod indistinctè iudex tenetur restituere pecuniam, quàm accipit pro iudicando.

¶ Sed ad illud, quod quæritur? cui debeat restituere. Distinguendum est, quia aut accepit pecuniam, vt iudicaret iniquè: vel vt iudicaret iustè. Si vt iudicaret iniquè, vel vt non iudicaret: non tenetur reddere ei, qui dedit, cũ turpiter dederit: sed ei, in cuius iniuriam recepit: sicut etiam tenetur restituere, & plenariè satisfacere ei, qui læsus est per iniquam sententiam. Si verò accepit, vt iudicaret iustè: distinguendum, quia aut dans dedit bona intentione scilicet, vt ius & quietem sibi conseruaret: aut vt animum iudicis sibi sub specie certitudinis inclinaret: & ita indirectè ipsum corrumpere intendebat. Primò modo tenetur restituere ei, qui dedit: secundò modo non; quia turpiter dedit: sed debet dare pauperibus iuxta arbitrium Ecclesiæ.

ARTICVLVS IV.

An iudex sine misericordia & inflexibilitate punire debeat delinquentes.

POstea quæritur quantùm ad vltimam partem legis qua dicitur: *Iustè quod iustum est, persequeris.* Vtrùm iudex possit sine misericordia delinquentem punire. Ad quod sic: Ambr. *Est iniusta misericordia*: denique in lege scriptum est; *Non misereberis illius*: & in lib. Regum legitur, quod Saul peccauerit, quia misertus est Agag. quem prohibuerat diuina sententia seruari. Deut. 16.

Ambr. in lib. de Officijs. Deut. 9 1. Reg. 15.

¶ Idem Ambros. in eodem. *Si quis latronem, filijs deprecantibus motus & lachrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putat; cui adhuc latrocinandi spirat affectus: non ne innocentem tradet exitio: quia liberat multorum exitia cogitantem? Ergo talis puniendus erit sine misericordia.* Ambr. in eodem.

¶ Et iterum: *Nonne cùm iudex vni indulget indigno, ad prohi-* Idem.

Prohibitionis contagium prouocat vniuersum: facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquenti.

Iacob 2. ¶ CONTRA, *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.*

Eccles. 7. ¶ ITEM. *Noli esse nimis iustus.* Sed nimis iustus est, cuius iustitia est sine misericordia ergo, &c.

RESOLVTIO.

Quia dum vnus punitur, multis miseretur, vt igitur multitudo seruetur, delinquens quisq; tum maximè pertinax inexorabiliter castigetur: quia huiusmodi condemnare misereri est.

Auguſt. ¶ SOLVT. Secundùm Augustinum. Duo ista nomina, cùm dicimus: *homo peccator*, non vtiq; frustrà dicuntur: quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere; nec omnino liberabis hominem, nisi cùm persecutus fueris peccatorē: nulli homini claudēda est misericordia, nulli peccato impunitas relaxanda. Dicendum ergo, quòd misericorditer punitur vnus, vt saluentur multi: sicut misericorditer abscinditur vnum membrum putridum, ne sana pars corporis corrumpatur vel lædatur. Et hoc modo intelliguntur illæ authoritates Ambrosij, quòd non est miserendum personæ in detrimentum multorum.

¶ NEC est in contrarium, quod obijcitur. Iudicium sine misericordia, &c. Quia officium misericordiæ tenetur exhiberi ordinatè priùs multitudini, quàm personæ. Item, in persona attendendum est: vtrùm sit pœnitens, vel in
Idem. malo persistens. *Et tunc* (sicut dicit Aug.) *sic iubemur inimicos diligere, & misereri eorum: vt de eorum perditione doleamus, & eorum salutem desideremus: non vt pertinaces & in malo persistentes libertati donemus, & impunitati.*

Eccles. 7. ¶ AD illud verò, quod dicitur: *Noli esse nimis iustus.* Respondet Aug. quòd per hoc erga pœnitentes non seueri, sed misericordes esse monemur.

QVÆSTIO XLI.

De Persona Rei.

In quinq; Membra, & tres Articulos diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 69. CONSEQVENTER quærendum est de persona rei siue de persona iudicanda.

¶ CIRCA quam quæruntur plura. Primò generaliter: vtrùm mali sint puniendi, seu iudicandi. Secundò, vtrùm absentes sint iudicandi. Tertiò, vtrùm multitudo peccans sit punienda. Quartò, vtrùm innocentes & inuoluntarij circa actus sint iudicandi. Quintò, vtrùm delinquentes in iudicem ab eodem possint puniri?

MEMBRVM I.

An mali generaliter maximè tempore hoc gratiæ puniendi sint?

CIRCA primum quæritur? Vtrùm mali omni tempore fuerint puniendi: & specialiter vtrùm tempore gratiç
Auguſt. de baptiſmo. sint puniendi? Ad q̃ sic: August. *Arrogantiæ iactatio est, vt si quis posse facere credat, quòd nec Apostolis concessit Dominus; vt zizaniam* (scil.) *à frumento credat se posse decernere: cùm dictum sit.*
Matth. 13. *Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem.* Secundùm hoc videtur, quòd nulli concessum sit iudicare: quod est, malos à bonis separare.

Gregor. ¶ ITEM: Greg. *Quamdiu in hac vita subsistitis, si boni estis, æquanimiter tolerate malos: nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est: quia bonus non est? Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet.*

¶ ITEM, mali aut sunt prædestinati, aut præsciti. Si prædestinati sunt: ergo sine correctione saluabuntur. Si præsciti ad mortem inter flagella deteriores fiunt: vt in Pharaone: ergo prædestinatis correctio superflua, præscitis inutilis inuenitur.

Auguſt. * Aliàs, inuenit. Daniel. 4 ¶ ITEM, dicit Aug. q̃ Nabuch. pœnitentiam * meruit fructuosam: cùm post innumeras impietates flagellatus pœnituit: & regnum perditum rursus accepit. Pharao autem in ipsis flagellis durior effectus est: & perijt. Quātùm ad naturam ambo homines erant, quantùm ad dignitatem ambo Reges: quantùm ad causam ambo captiuū Dei populum possidebant: quantùm ad pœnam ambo flagellati. Si ergo iste in flagellis pœnituit, ille non: quæ huius causa fuit: nisi quia iste præscitus, ille prædestinatus, vt per pœnam emendaretur? Solus igitur Deus, qui scit, quis per pœnam possit emendari vel corrigi, potest punire.

¶ ITEM: August. *Bonus tolerat malum: nam & Christus cùm sciret furem, tolerauit, ad prædicandum misit, eiq; cùm alijs Eucharistiam dedit.* Inde vt priùs. Auguſt. de verbis Domini. Matt. 10.

¶ CONTRA: præcipiunt leges punire malos. *Maleficos non patieris viuere.* Matt. 27. Exod 22.

¶ ITEM Heli. reprobatus est, quia filios non corripuit. 1. Regum 4.

¶ ITEM: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum,* &c. Et de iudice. *Non sine causa gladium portat.* Matth. 18. Rom. 3.

¶ ITEM quæritur? vtrùm tempore gratiæ mali sint iudicandi & puniendi. Ad q̃ sic: *Dictum est antiquis oculum pro oculo,* &c. *Dico vobis non resistere malo.* Ergo mali non erunt puniendi. Matth. 5.

¶ ITEM, in veteri lege corporalis pœna statuta est: in lege Euangelij homini pœnitenti per pœnitentiam permittitur venia.

¶ ITEM, Lex vetus à terrore incipit. *Ego sum Deus zelotes vindicans,* &c. Lex Euangelij à lenitate mansuetudinis & misericordiæ, ita inquiens. *Beati pauperes spiritu,* &c. Exod. 20.

¶ ITEM: Qui fecerit hoc vel illud, *morte moriatur.* In Euangelio verò dicitur: *Gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et iterum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Leuit. 20. Lucæ 15.

¶ ITEM Gregorius super illud Euangelij. *Simile est regnum cœlorum homini Regi,* &c. dicit. *Cùm in lege scriptum sit, diliges amicum, & odio habebis inimicum: accepta tunc licentia iustū fuerat, vt Dei suosq; aduersarios quanta possent, virtute comprimerent: eosq; * iure gladij ferirent: quod in nouo Testamento compescitur, cùm veritas prædicet dicens. Dilige inimicos,* &c. Ex quibus videtur relinqui, quòd malorum vindicta Deo sit relinquenda: nec sint tempore gratiæ puniendi. Matth. 9. Gregor. sup Matt. 22. * Aliàs, in ore. Matth. 5

¶ CONTRA. *Auferte malum ex vobisipsis:* dicit Apostolus de fornicatore. 1. ad Cor. 5.

¶ ITEM, *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Et virgam vocat potestatem iudiciariam. Eadem c. 4.

¶ ITEM: Vincentio donatistæ. *Non omnis, qui parcit, amicus est: non omnis, qui verberat, inimicus: meliora sunt vulnera amici, quàm oscula inimici.* Auguſt.

RESOLVTIO.

Generaliter, tum maximè tempore hoc gratiæ mali admonitione corripiendi sunt: sed non generaliter condemnatione puniendi sunt.

¶ SOL. Sunt quædam salubri admonitione corripienda: quædam verò flagellis corporalibus & pœnis spiritualibus punienda. Dicendum ergo, quòd vniuersaliter mali sunt corripiendi per admonitionem: sed non vniuersaliter puniendi per condemnationem. Quòd vniuersaliter corripiendi admonitione, dicit Aug. Exponens illud prophetæ. *Recedite, immundum ne tetigeritis. Nos* (inquit) *istam recessionem spiritualiter intelligimus de contactu cordis, non corporis: quicquid ergo inter vos malorum nostis, quantùm potestis, improbate; vt corde recedatis: & redarguite, vt exeatis inde: & nolite consentire, vt immundum non tangatis.* Quod verò non sint puniendi generaliter, notandum: quod multis modis cōtingit, quòd pœna inferri non debet malis, nec condemnationis iudicium: & hoc vel quia non sunt nostri iuris: vel quia illorum crimina, etsi nobis nota sint, manifestis iudicijs probari non possunt: vel quia nisi cum maiori periculo disciplinam exercere non possumus. De his nempe qui foris sunt, dicit Apostolus: *Quid mihi attinet de his qui foris sunt: de his enim Dominus iudicabit.* Item, super illud: *Faciet Dominus iudicium iniuriam patientibus.* Aug. *Ab his, qui non sunt sui iuris, nequit disciplina exerceri.* Item de his, quorū crimina non sunt nota, nec possunt conuinci: dicit Aug. *Multi tolerantur, vt Iudas: & multi nesciuntur quoad vsq; Dominus veniat, & illuminabit abscondita.* Item, de his, qui non possunt sine maiori Auguſt. Iſai. 52. Thren 4. Auguſt. 1. Cor 5. Psal. 145. Auguſt. Idem in homilia de pœnitentia.

Idē contra Epistolá Parmeniani. maiori periculo corrigi, dicit Aug. *Cùm quisquis Christianorum in aliquo peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur: fiat hoc, vbi periculum schismatis nullum est.*

¶ Et in his casibus loquuntur auctoritates obiectæ, quibus videbatur probari, quòd mali non essent puniendi. Auctoritates verò contrariæ intelliguntur in oppositis casibus, quibus probatur malos esse puniendos & iudicandos, concurrentibus tribus, scil. iurisdictione, & conuictione, & pace salua & vnitate Ecclesiæ. De iurisdictione dicit Aug. super illud: *De his, qui foris sunt, Dominus iudicabit*: in his, qui intus sunt, id est, fidelibus putredo est resecanda. De conuictione dicit isdem Aug. super illud: *Qui manducat indignè*, &c. Ibi inquit Aug. *Non tibi satis; si iudex es, si apud te accusant: sed si veris documentis testibusq; conuincitur; coërce, corripe, excommunica, degrada.* De pace Ecclesiæ dicit isdem. *Quando cuiusq; crimen notum est, & omnibus execrabile apparet: nec tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.* (1. ad Cor. 6. — Aug. super 1. ad Cor. 11. — August. Idem in Epistola contra Parmeniani Epistolam.)

¶ Ad illud tamen, quod objicitur: quòd cassa est correctio, cùm corripiendi prædestinati sint, aut præsciti. Dicendum, quòd non sequitur: quia hoc ipsum prædestinatum est, vt prædestinati per pœnam corrigantur: quemadmodum & de oratione, quæ fit pro ipsis: vt dicit B. Gregor. Ea, quæ sancti viri orando efficiunt: ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Similiter de correctione intelligendum. (Gregor. in Dialogis.)

¶ Ad illud verò, quod objicitur de Nabuchodonosor & Pharaone. Dicendum, quòd non est imputandum diuinæ prædestinationi vel præscientiæ: sed lib. arb. quod aliquis non corrigatur ex pœna: vnde Aug. de Nabuch. & Pharaone dicit: *Quis fines eorum fecit esse diuersos: nisi quod vnus Dei manum sentiens, in *redargutione propriè iniquitatis ingemuit: alter contra Dei misericordissimam veritatem libero pugnauit arbitrio?* Et iterum Aug. *Vasis ira nunquam Deus redderet interitum: si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: nec inferret iram, nisi homo ex prædestinatione decidisset in culpam.* (Aug. de Prædest. & gratia c. 15. *aliàs, recordatione. Idem.)

¶ Si autem objiciatur: quia nescitur, qui sint prædestinati vel præsciti: propter quod nullus est corrigendus. Dicendum, quòd hoc non sequitur: immò propter hoc omnes sunt corrigendi: quia incerti sumus, an sit prædestinatum, quòd per correctionem ille, qui peccat, saluandus sit.

¶ Ad illud, quod quæritur? an tempore gratiæ mali sint iudicandi. Dicendum, quod sic: dum tamen iudicium vel correctio non procedat ex odio seu libidine vindictæ: vnde dicit Aug. super illud: *Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo*, &c. *Discipuli non recepti à Samaritanis, ignem cælitus super eos descendere voluerunt: sed audierunt. Nescitis, cuius spiritus estis.* Ex charitate verò & amore iustitiæ correctio est facienda: vnde dicit Aug. *Perfectio dilectionis ipsius Dei patris nobis imitanda proponitur*; cùm dicitur: *Diligite inimicos vestros: & tamen de ipso dicitur. Quem diligit Dominus, corrigit: flagellat autem omnem filium, quem recipit:* Et iterum, ipse dicit in Luca. *Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Ex hoc ergo præcepto, quid relinquitur, nisi vt ipse vindicet, cui ordine rerum potestas est data? & ea voluntate vindicet, qua pater flagellat paruulum filium; quem tamen per ætatem non potest odisse? Et hoc modo intelligendum est, quòd dicitur de non iudicando in nouo Testamento, seu non puniendo. (Lucæ 9. Aug super id. Ibidem. Idem in sermone de verbis Domini in monte. Matth 5. Hebr. 12. Lucæ 12.)

MEMBRVM II.

An reus absens iudicari possit?

Consequenter quæritur? Vtrùm reus absens possit iudicari. Ad quod sic: super illud. *Præcepi eis, audite illos*, &c. Interlinearis: *Nemo iudicandus, nisi priùs auditus.* (Deuter. 1. Glossa.)

¶ Item B. Cornelius: *Omnia, quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur aut indicantur; omnino euacuantur: quia absentem nulla lex damnat.* (Cornelij Canon. dist. 3. q. 9.)

¶ Item B. Felix: ibid. *Absente aduersario, non audiatur accusator: nec absente alia parte, sententia à iudice dicta vllam obtinebit firmitatem.* (B. Felix ibidem.)

¶ Contra. Moyses iudicauit Dathan & Abiron absentes. (Num. 16.)

¶ Item. Apostolus iudicauit fornicatorem absentem: sicut ipsemet dicit. *Ego autem absens corpore*, &c. (1. Cor. 5.)

RESOLVTIO.

Absens contumacia iudicandus est: absens autem ex legitima causa comparere, non potens, nequaquam iudicandus est.

¶ Sol. Dicendum, quod est absens ex contumacia: & est absens ex impotentia, siue causa iusta. Absens ex contumacia est, qui citatus contemnit comparere: qualis fuit Dathan, & similiter Abiron: vnde dicitur. Quòd vocati à Moyse dixerunt. *Non venimus*: & talis potest absens iudicari: talis etiam erat fornicator; quem (& si id non scribatur) Apostolus monuerat: & sic vt contumacem propter euidentiā patrati sceleris iudicauit. Absens verò ex impotentia siue iusta causa, qua prohibetur coram iudice comparere: non potest legitimè iudicari: vnde dicit Seuerinus Papa. *Absens nemo iudicetur: quia hoc diuinæ & humanæ prohibent leges.* (Num. 16. Canon. Seuerini Papæ dis. 3. q. 2.)

MEMBRVM III.

An multitudo peccans punienda sit.

Postea quæritur? Vtrùm multitudo peccans sit punienda? Ad quod sic: de zizanijs dicunt serui. *Vis, imus, & colligimus ea?* Et respondet Dominus. *Ne fortè simul eradicetis triticum: sinite vtraq; crescere*, &c. ibi. Gloss. *Multitudo non est excommunicanda, nec princeps populi.* (Matth. 13. Glossa.)

¶ Item Aug. Bonifacio. *Vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum; sed populorum strages iacent; detrahendum est seueritati, vt maioribus malis saluandis sincera charitas subueniat.* (August.)

¶ Item: Aug. *Cùm contagium peccati multitudinem inuasit, diuina disciplina seuera misericordia necessaria est.* Ex quibus videtur relinqui, quòd multitudo peccans non erit condemnanda. (Idem lib. 2. contra Epistolá Parmeniani.)

¶ Contra. Moyses propter peccatum idololatriæ occidi præcepit multitudinem vsque ad tria millia hominum. (Exod. 32.)

¶ Item, Helias. Zelo iustitiæ igne cœlesti duos quinquagenarios cùm suis quinquaginta condemnauit. Vnde Ambr. excusans Apostolos, qui petierunt; vt ignis de cœlo descenderet super Samaritanos, dicit. *Samaritani citiùs crediderunt, à quibus ignis arcetur: nec discipuli peccant, qui legem sequuntur. Sciebant. n. quod Phinees reputatum est ad iustitiam, quòd fornicantes interfecerit.* (4. Regum 1. Ambros.)

¶ Item præcipitur filijs Israël, vt septem gentes, quæ erant in terra promissionis, percuterent vsq; ad internitionem: quòd Deus iustissimus non præciperet, nisi iustum esset, peccātem multitudinem humano iudicio condemnari. (Deut. 7.)

RESOLVTIO.

Et quidem, si salua pace Ecclesia, fieri poterit.

¶ Sol. Secundū Aug. *Crimina* (inquit) *sunt punienda: quādo salua pace Ecclesiæ ferri possunt. In quo tamen discretio est adhibenda: aliquando enim delinquentium multitudo diu per patientiā est expectanda: aliquando in paucis est punienda, vt eorum exemplo cæteri terreantur, & ad pœnitentiam prouocentur.* (August. contra Faustum.)

¶ Et per hoc patet responsio ad illud, quod primò objicitur de zizanijs: ibi enim faciendum non est, vbi timetur, ne simul eradicetur triticum. Vnde secundū Aug. quādo multitudo est in scelere: nec salua pace Ecclesiæ mali puniri possunt; tolerandi sunt; potius quam violata pace Ecclesiæ puniendi. (August.)

¶ Ad illud verò, quod objicitur de Moyse & Helia: iam patet responsio: quia (sicut dicit Aug.) Exemplo suo docuerunt, in hoc quod peccatum idololatriæ in paucos vindicauerunt, morte paucorum expiari & aboleri peccata multorum. (Idem.)

¶ Ad vltimum verò, quod objicitur de gentibus terræ promissionis. Respondet B. Greg. dicens: *ibi patienter tolerandi sunt mali, vbi aliqui inueniuntur boni: quòd quia non erat in gentibus illis, vniuersaliter diuino iudicio destructa sunt.* (Gregor.)

MEM-

MEMBRVM IV.

Si innocentes & inuoluntarij [illegible] iudicandi sint.

QVÆRITVR [illegible] [illegible] illegible [illegible] illegible [illegible] [illegible] quo inuiti faciunt aliquid, [illegible].

ARTICVLVS I.

An [illegible] dicat, [illegible]

AD primum [illegible] quenti ratione [illegible] & culpas [illegible] transeat [illegible] transire.

Augus. ¶ [illegible] Aug. [illegible] *ius innocentis relinquitur, si alienum crimen [illegible]*

Lex. ¶ [illegible] *Crimen vel pœna paterna [illegible] potest: quia vnusquisque ex suo commisso [illegible] nec alterius [illegible] constituitur.*

Deut. 24. ¶ ITEM, *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur.*

Eze. 18. ¶ ITEM, *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et ibidem dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris, &c.

Iob 35. Gregor. ¶ ITEM, Gregor. in Moralibus super illud: *Homini qui similis est tui* & [illegible] Greg. *Humana [illegible] nocet, quem peruertendo inquinat.* Si ergo non inquinat, non nocet. Ex his videtur relinqui, quòd nullus est puniendus pro peccato alterius.

Exod. 20. ¶ CONTRA. *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios [illegible] in tertiam & quartam generationem.* Super quo dicit

Augus. Augus. *In tertia & quarta generatione [illegible] se filijs [illegible] non inæqualitate iudicij, vt aliqui [illegible] sed [illegible] clementia: dum semper expectat [illegible] quòd in [illegible] prima delinquitur, non prius [illegible], nisi tertia & [illegible] generatio venerit.*

1. ad Cor. 15. ¶ ITEM pro culpa originali Adæ puniuntur omnes filij [illegible] de, *Omnes in Adam moriuntur.*

Gen. 9. ¶ ITEM Cham peccante, Chanaam filius eius maledictus est, & seruituti addictus.

4. Reg. 5. ¶ ITEM, pro peccato Giezi lepra transmittitur ad posteros.

Matt. 27. ¶ ITEM, Iudæis clamantibus. *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Reliquiæ eorum pœnæ mortis Christi addictæ sunt, vel subiectæ.

Iosue 7. ¶ ITEM pro peccato Achor plebs Israëlitica in manus hostium tradita est.

1. Reg. 4. ¶ ITEM: pro peccato filiorum Heli populus in conspectu Philisthinorum corruit. Ergo iusto Dei iudicio vnus punitur pro peccato alterius: ergo à radice potest vnus puniri pro alio.

Iosue 7. Augus. ¶ Si dicatur: quòd nō est simile de iudicio diuino, & humano. Contra dicit Aug. super illud: *Peccauit populus, &c. Hoc [illegible] hominem iudicem Deus in his, quæ ad humanum iudicium pertinē: in iudicando, quæ in suo iudicio facit ip[illegible].* Si ergo ipse punit vnum pro peccato alterius: & homo iudex similiter facere potest.

Canon. 25. q. 2. ¶ ITEM, secundū iura & canones inferuntur pœnæ sine culpa in plurib. casib⁹: vt propter paupertatem Ecclesia, quæ consueuit habere Episcopum, perdit ipsum. [illegible] propter homicidium, vel propter odiū ciuium contractum, eò quod occiderunt duos Episcopos successiuè, vel alia causa [illegible] normi Ecclesia pdit suum Episcopum 25. q. 2. Itē, ppter fauorem, vt Alexandrina Ecclesia in fauorem Constantinopolitanę ciuitatis, quia Constantinus constituit; primū honorem post Romam [illegible] dist. 22. Itē, ppter vitium [illegible] re-

Decretal. [illegible] tur [illegible] Ecclesię, vt dicit Decretalis & [illegible] Ecclesia [illegible] Itē, ppter scelus [illegible] maiestatis [illegible] legi-

Deut. 23. [illegible] p[illegible] nde dicitur: *Non ingredietur [illegible] Ecclesiam Domini vsque in [illegible] generationem.* [illegible] Item, propter or[illegible] Ca[illegible] in quibus pu[illegible]

[illegible] quæ [illegible] ¶ [illegible] f pro peccato originali [illegible] pro culpa [illegible] quare non pro [illegible]

Augus. [illegible] ¶ [illegible] Aug. *Non est [illegible] in pœnis [illegible]* [illegible] est [illegible] vnus pro alio [illegible] & [illegible]

RESOLVTIO.

Pœna nocente [illegible], nec ad salutem conferente, non debet vnus potest qui pro alterius peccato puniri: sed bene pœna ad salutem expediente.

¶ SOL. Per [illegible] Aug. super Iosue 7. Est pœna nocens, & non conferens [illegible] pœna non nocens sed conferens ad [illegible] punit vnum pro alio: pœna verò secunda [illegible] vnum pro alio. In prima pœna debet [illegible] Deum imitari: in secunda inferenda non [illegible] postea ponetur. Et

Augus. hoc est, quod dicit Aug. [illegible] visibiles afflictiones hominum vel mortes [illegible] Dominus, quemadmodum quibusque [illegible] etiam [illegible] peccatis malis videtur [illegible] quoniam his, qui [illegible] & prodesse possunt. Pœnas verò [illegible] & non prosunt; ita nullus Deo iudice [illegible] peccatis [illegible], sicut homine iudice nullus [illegible] pro [illegible] stas visibiles pœnas debet.

Exod. 20. ¶ AD illud ergo, quod primò obijcitur: *Ego sum Deus* zelotes, &c. Dicendum, quòd [illegible] intelligitur de filijs, qui sunt [illegible] tores malitiæ patris: vnde ibi sequitur: [illegible] qui oderunt me: h. e. in filijs, qui [illegible] odiunt me, sunt sectatores paternæ malitiæ.

¶ AD secundum dicendum, quòd in peccato originali non punitur vnus pro peccato alterius [illegible] pro peccato proprio. Erat n. vnus generaliter [illegible] delinquentis parte: & ideo quia vnus erat cum [illegible] quo [illegible] quod commissum est peccatum, ide [illegible] peccauit: sicut dicit Apostolus de Adam. *In quo [illegible] omnes peccauerunt.*

Rom. 5. ¶ AD alia verò, quæ obijciuntur de Chanaam, & [illegible] Giezi, & de filijs Iudæorum, qui occiderunt Christum. Dicendum quod ex his exemplis [illegible] aliqui puniri pro peccatis aliorum, [illegible] tamen pœnam diuina prouidentia [illegible] [illegible] hi & alij temporaliter pro culpa [illegible] ad [illegible] propriam. Punit enim Deus ad vtilitatem quinque de causis. Primò ad probationem & perfectionem virtutis: & vt Iob & Tobiam. Secundò, ppter conseruationem gratiæ & humilitatis, vt Paulo dedit Angelum Satanæ, ne magnitudine reuelationum superbiret. Tertio propter pœnitentiam

2. ad Cor. 12. peccati: vt Mariam sororem Moysi. Quartò propter erudi-

Num. 12. tionem: vt filios Israël bonos: de quibus dicit Hieremias. [illegible]

Ierem. 6. cunctos [illegible] translationem: *Per omnes plagas [illegible] erudieris Hierusalem.* Quintò propter gloriam Dei manifestandam: vt cæcum natum. Ioan. 9. de quo dicit Dominus, Neque hic peccauit, neque parentes eius, vt manifestetur gloria Dei in illo. Non est igitur ex his causis inconueniens [illegible] ri à Deo peccante alio.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de Achor. Respondet Augus. quòd pœna temporali [illegible] punitur aliquis tripliei de causa. Primò [illegible] dinis charitatis: vnde dicit Augus. [illegible] quod per hoc qd'

August. pro peccato Achor punitus est populus [illegible] est, vt non solum se quisque curet in populo, sed [illegible] adhibeant diligentiam: & tamquam vnius corporis & vnius hominis alij pro alijs sint [illegible]. Secunda ratio est ostensio [illegible], quæ debet observari hominibus quantum ad vinculum societatis [illegible] Aug. *[illegible] ostenditur, quantum [illegible] vniuersitas, vt non in seipsis singuli, sed ta[illegible]*

Idem *[illegible] vnde pro peccato vnius personæ [illegible] Achior [illegible]*

Iosue 7. *[illegible] popu[illegible]* &c. Tertia ratio [illegible] Augustinus [illegible]

August. *[illegible] malum [illegible]*

quan-

quando vnus ita potuit vindicari, vt ab eo cæteri non possent esse securi.

1. Reg. 4. Gregor. ¶ Ad illud, ꝙ postea obijcitur de filijs Heli. Dicendũ, ꝙ in hoc quod filij Israël puniti sunt pro peccato filiorum Heli: exprimitur secundum B. Greg. ꝙ demeritis prælatorum deprauatur vita subditorum: quia prælatis suis dum subditi fauent ad malum, cùm eis simul corruunt: sicut filij Israël diu fauentes peccatis sacerdotum, tandem cùm eis ceciderunt in manibus hostium. Similiter dicendũ est: quia Dauid populum numerauit, ꝓ eius peccato gladius Domini deſæuit in populum: quia in hoc peccato eius fauebat. Præterea, in hoc punitus est ipse, qui peccauit: *quia in multitudine plebis dignitas Regis est; & in paucitate plebis ignominia principis*: sicut dicitur.

Prou. 14. ¶ Ad illud, ꝙ postea obijciebatur: quod homo iudex debet facere in suo iudicio, sicut De⁹ in suo. Patet responsio per distinctionem positam Augustini.

August. super Iosue 7. ¶ Ad illud, ꝙ postea obijciebatur: quod secundũ iura inferuntur pœnæ sine culpa, &c. Dicendum, ꝙ est pœna damni, & pœna flagelli. Pœna damni est in subtractione alicuius boni, hæc pœna infertur instè ab homine iudice sine culpa, sed non sine causa: & hoc consideratione vtilitatis communis, & publicè salutis: q̃ de ordine potestatis sibi concessæ debet præferre vtilitati & saluti cuiusq; personæ: & in hoc genere sunt omnes pœnæ Canonum, quæ inferuntur sine culpa. Pœna verò flagelli duplex est: corporalis, & spiritualis: spiritualis, vt excommunicatio: corporalis, vt mutilatio, occisio: neutra verò potest inferri sine culpa. De pœna spirituali, quæ est excommunicatio:

August. ad Aureolum Episcopũ. dicit Aug. *Non imputantur filiis peccata parentum, quæ post eorum natiuitatem à parentibus committuntur; nec pro peccatis parentum spirituali pœna filij sunt plectendi* Et hoc intelligitur de pœna spirituali, quæ est excommunicatio maior; quæ separat à suffragijs Ecclesiæ & participatione sacramentorum spirituali & sacramentali: non de pœna spirituali, quæ dicitur interdictum; quæ separat à participatione sacramentali, non spirituali sacramentorum; qua pœna pro bono communi peccante Domino interdicitur familia vel ciuitas.

¶ Ad illud, ꝙ quæritur de peccato actuali & originali. Dicendum: quod humana iustitia, inquantùm potest, diuinam iustitiam imitatur. Punit autem diuina iustitia culpam actualem & culpam originalem: & hanc scil. originalem finaliter punit pœna damni, id est, subtractione gloriæ: actualem verò pœna sensus inflictione gehennæ. Similiter iustitia humana pro culpa parentis pœna damni punit filium; vt pro crimine læsæ maiest. exhæredat filium; & pro fornicatione vel adulterio parentum efficitur infamis filius, qui de adulterio & fornicatione est natus. Pœna verò sensus, vel flagelli nullum punit, nisi pro peccato

Aug. sup Iosue 7. actuali: secundùm ꝙ dicit Aug. *Homine iudice, istas visibiles pœnas nullus nisi ex propria culpa debet luere.* Quæ autem sit ratio in iustitia diuina, & in iustitia humana: dicit Aug.

Idem ad Bonifacium. *Iam cum homo in seipso ab eo, qui genuit, alter est effectus: peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius.* Traxit ergo reatum, quia vnus erat cùm illo & in illo, à quo traxit, quando admissum est: non autem trahit alter ab altero, quando sua vnoquoq; propria vita viuente, iam est verificatum.

Leuit. 5. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

¶ Ad illud, quòd dicitur vltimò: de Augustino: patet solutio ex prædictis. Nam ꝓ peccato originali non solùm punitur quis ex culpa aliena: immò pro culpa, quæ fit ei propria. Ex culpa enim prima Adæ personali corrupta est natura, quæ tota erat in illo & Eua: & ideo omnis persona, quæ propagatur ex sic viciata natura, corrumpitur corruptione ꝓpria, sicut ei ꝓpria fit natura: & secundũ modum susceptibilis est ratio corruptionis, ideo quia persona susceptibilis est culpæ, corrumpitur persona corruptione culpæ per similitudinem principij corruptionis: *quæ fuit persona culpabilis.

*Aliàs, quod.

ARTICVLVS II.

An ignorantes iudicandi puniendive sint?

Ambros. super Lucam. POSTEA quæritur: vtrum ignorãtes sint iudicandi? Ad quod sic: Ambr. vbi dicitur, ꝙ nauicula iactabatur fluctib⁹. *Turbatur* (inquit) *nauicula Petri, in qua erat Iudas: quia qui suis meritis erat firmus, turbatur alienis.* Ergo pro peccato Iudę periclitabatur Petrus, qui ignorabat peccatum Iudæ.

¶ Item, peccato ciuium thesauri Hierico anathematizati leguntur. Iosue 6

¶ Item, peccato Amalecitarum animalia eorum iussa sunt interfici. quibus, quia Saul pepercit; audiuit Samuelem. Quoniam quasi peccatum ariolandi, &c. 1. Reg 15.

¶ Item, pro peccato Israëlitarum arca Domini Philisthęis tradita est. 1. Reg. 4.

¶ Item, ꝓ peccato Ægyptiorum possessiones eorum grandini sunt traditæ. Si ergo, q̃ sensu carẽt, vt arca, & thesauri Hierico anathematizantur, vel hostib. traduntur, vel deuastantur: item, si ea, q̃ vim intelligendi non habẽt, peccatis hominum morti traduntur: relinquitur fortiori ratione, quòd ignorantia nullum debet à reatu criminis excusare. Exod. 9.

¶ Item, paruuli ꝓ peccato Dathan & Abiron cũ parentibus perierunt: vnde ibi dicitur: ꝙ egressi stabant cum vxoribus & filijs in introitu papilionum. Num. 16.

¶ Item, paruuli Sodomitarum perierunt cum Sodomitis peccato Sodomitarum: & tamen habebant ignorantiam inuincibilem. Gen. 19.

¶ Contra, dicit Aug. *Nullius crimen maculat nescientem.* August.

¶ Item Ioan. Dam. *Actus inuoluntarii indulgentia digni habentur.* Inuoluntarium aũt (sicut idem dicit) dupliciter est: hoc quidem ꝑ ignorantiam, hoc ꝑ violentiam. Ergo ꝙ ignoranter fit, dignum est indulgentia: non ergo puniri debet ignorans. Damasc.

¶ Item, dixit Abimelech. *Num gentem ignorantem interficies?* Gen. 20.

¶ Item. *Filij, qui hodie boni & mali ignorant distantiam; ipsi intrabunt: & ipsis dabo terram*, &c. Ratione ergo ignorantiæ paruulos Israëlitarum non iudicauit Dominus pro incredulitate parentum. Deut. 1.

¶ Item, aliquando ignorantia contingit ratione infirmitatis: vt in perturbatis, alienatis, & ebrijs. Aliquando ratione ætatis: vnde infans, quando non est doli capax, excusatur: sicut dicitur. 15. q. 1. Quandoq; ratione deceptionis: vt cùm aliquis deceptus per fraudem vel dolum alterius, vel per errorem facti ꝓbabilem. Aut igitur ignorantia vtiliter excusabit omnes istos: aut si aliquos excusat, aliquos non: quę ignorantia excusabit, & quæ non? & quis per ignorantiam delinquens puniendus erit, & quis non? Dist. 15. q. 1.

RESOLVTIO.

Ignorantes ignorantia negationis nullatenus iudicari merentur: ignorantes autem ignorantia priuationis, merentur quidem, sed mitius: ignorantes verò ignorantia dispositionis, omnino seuerius.

¶ Solvt. Dicendum, ꝙ est ignorantia negationis, priuationis, & dispositionis. Ignorantia negationis est, qua negatur scientia, nec ponitur debitum sciendi: & hæc simpliciter excusat. Ignorantia priuationis est, qua negatur scientia, & ponitur aptitudo seu debitum sciendi: & hæc in eis, quæ ꝑtinent ad salutem, à tanto excusat, sed non à toto. Ignorantia dispositionis est, quæ ponit errorem seu conceptionem contrariam scientiæ rectè: & illa in his, q̃ ꝑtinent ad salutem, accusat, & non excusat: simili modo affectus siue voluntas nesciendi. de qua in Ps. 35. *Noluit intelligere vt benè ageret.* Secundum hoc ergo dicendum: ꝙ ignorans primò modo, ex ignorantia non meretur puniri: ignorans secundò modo meretur puniri, sed cum mitigatione: ignorans tertiò modo meretur puniri cum seueritate. Psalm. 35.

¶ Ad illud ergo, ꝙ obijcitur de Petro, ꝙ periclitabatur ꝓpter peccatũ Iudæ. Dicẽdũ sicut patet ex dictis: ꝙ ex causis *conuenientib. diuinæ ꝓuidentiæ, meritis multorum malorũ iusti à Deo temporaliter puniuntur: sed tũ in hoc iudicium humanum non debet imitari diuinum; sicut dicit Aug. vt suprà dictum est. Et ratio huius est, quia cũ duplex sit iudicium diuinum, occultum, & manifestum: occultum iudiciũ est in pœna tẽporali bonorum, manifestũ in pœna malorum: humanũ iudicium, ꝙ est ex manifestis

* Aliàs, cognitis.

August. super Iosue 7.

causis, debet imitari iudicium Dei manifestum, non occultum.

¶ Ad illud, quod postea obijcitur: dicendum, quod insensibilia & irrationabilia peccato hominum anathematizantur, vel perduntur; non participatione peccati, sed causa rationabili, quam assignatur triplex sc. ratio sacramenti, detestatio peccati, flagellum delinquentis. Ratio sacramenti, causa est, in thesauris Hierico & alijs animalib. Amalechitarum; *Hierico*, enim interpretatur luna: & significat mundanam cupiditatem: Amalechitæ interpretantur lingentes sanguinē: & significat carnalium desideriorum voluptatē: thesauri ergo Hierico anathematizantur ad significandū damnationem cupiditatis: animalia Amalechitarum iubentur interfici, ad signandum mortificationem motuum carnalis voluptatis. Item, detestatio peccati causa est: vt patet in A-

Actuū 8. ctibus: vbi propter peccatum Simonis pecunia eius damnata est, dicente Petro. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, &c. Item flagellum delinquentis causa est: vt in animalib. Ægyptiorum & possessionibus grandine percussis: vt in illis punirentur, quorum felicitate lætabantur.

¶ Ad illud quod obijcitur de paruulis Dathan & Abiron, & Sodomitarum. Dicendum, quod propaterno scelere puniti sunt, quia ignorantes, à Deo sine culpa, sed non sine causa: quia diuina prouidētia, quæ præscit & præuidet, qualis quisque debeat esse futurus, prouidebat eos, si permansissent, paterni sceleris imitatores futuros: & ideo per hoc maior pœna illis diminuta est: quibus successio paterni sceleris est adempta.

¶ Ad obiecta verò partis alterius. Notandum, quod est ignorantia facti, & ignorantia iuris. Ignorantia facti alia est eius, quòd non oportuit eum scire, qui ignorat: sicut dicit

1.Cor. 8. Apostolus: *Si quis infidelium vocat vos: quicquid appositū fuerit: comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Alia est facti, quòd oportuit eum scire: sicut ignorantia Iudæorum: quia quæ à Prophetis de Iudæis fuerant prolata, adhuc ignorant esse completa. Prima ignorantia excusat, secunda non. Item, ignorantia iuris, aut est iuris naturalis, aut iuris diuini, legis sc. & Euangelij, aut iuris canonici vel ciuilis. Ignorantia iuris naturalis neminem excusat habētem vsum rationis. Ignorantia iuris diuini in his quæ pertinent ad salutē; vt sunt præcepta Decalogi, & Articuli fidei; non excusat: in alijs verò excusat simplices: quamuis non excuset Prælatos & Sacerdotes; qui tenentur rationem reddere de ea, quæ in eis est, fide & spe. Ignorantia verò iuris canonici & ciuilis non excusat iudices, quamuis excuset alios simplices: & secundùm hanc distinctionem intelliguntur auctoritates Aug. & Geñ.

¶ Ad illud verò Ioan. Dam. dicendum, quod inuoluntarium per ignorantiam duobus modis est: simpliciter, & secūdùm quid. Simpliciter, cùm non ipsi tribuimus causam ignorantiæ: vt quando nihil omittimus de contingentib⁹: sed quia ita contingit: hoc modo quod per ignorantiam fit, inuoluntariè fit simpliciter. Secundum quod verò, cum ipsi tribuimus causam ignorantiæ, vel cùm omittimus ex contingentibus actus: sicut tribuit causam ignorantiæ ebrius, qui homicidium facit: ignorans quidem occidit, non tamen omni modo inuoluntariè; causam.n. ignorantiæ sc. ebrietatem ipse fecit: ex contingentib. verò actus omittit ille, qui in loco non consueto sagittans, patrem ignoranter occidit: & ideo non omni modo inuoluntariè; quia non adhibuit diligentiam, quam debuit, vt non interficeret sagittando. Ignorantia primo modo, quæ sc. in nobis causam non habet: nec ipsam comitatur negligentia ex parte nostra, vel omissio; qualis est in paruulis & in alienatis penitus; excusat actus vt nō puniantur. Ignorantia verò secūdo modo dicta: cuius sc. causa in nobis est, vel per operationē, vel per omissionem; non excusat à toto: & si aliquando excuset à tanto.

¶ Ad illud, quod obijcitur de Deut. de paruulis intraturis terram promissionis: iam patet responsio. Notandū tamen, quòd est ignorantia simplex, ignorantia crassa, & ignorantia affectata. Ignorantia simplex priuat scientiam, nec ponit debitum sciendi, nec contemptum sciendi, vel affectū nesciendi: quæ paruulis est, quamdiu nō habent vsum rationis: & in omnino alienatis. Ignorantia crassa priuat scientiam, sed ponit debitū sciendi & contemptum: & ideo non excusat. Ignorantia verò affectata priuat scientiam, & ponit affectum seu desiderium nesciendi: & ista maximè accusat ignorantes.

¶ Ad vltimū ex iam dictis patet responsio. Tamen circa ignorantiam illam triplicem distinguendum est. Nam in paruulis ignorantia ante vsum rationis omnino excusat; post vsum rationis ante adolescentiam à tanto excusat, sed non à toto in his, quæ pertinent ad salutem. Item in ignorantia, quæ prouenit ex infirmitate, vt in furiosis omnino alienatis, distinguunt: aut ex culpa sua in illam ignorātiam ceciderunt, aut non. Primò modo non excusantur à tanto delinquentes ignoranter: & hoc quia tribuunt causam ignorantiæ. Secundò modo excusantur à toto; tamen quia iudicio humano vix potest deprehendi, an ex culpa quis in ignorantia ceciderit, aut non, ideo non iudicaret delinquentē ex tali ignorantia, nisi vbi causam culpæ fuisse deprehenderet: sicut in ebrijs. Item circa deceptos, vel ignorantiam deceptorum distinguendum, sicut priùs, aut est ignorātia facti, aut iuris. Si iuris est, non excusat ignorantia delinquentem in his, quæ pertinent ad salutem. Ignorantia verò facti aut vincibilis est, aut inuincibilis. Inuincibilis ignorantia tūc dicitur: cùm ignorās facit quicquid in ipso est, ad hoc ad quod sciat, quòd debet scire; sed tamen non potest scire factum quod vellet esset scire: & hæc excusat. Vincibilis verò ignorantia est, quæ homine faciente quod in ipso est, potest remoueri: & hæc non excusat in facto, quòd oportuit eum scire: sicut est ignorantia infidelium de Deo humanato. Ex his igitur manifestum erit, quando ignorantes sint puniendi, & quando non sunt puniendi.

ARTICVLVS III.

An qui coactè enormè quidquam faciunt, puniendi sint?

Qværitvr postea? vtrùm coacti sint puniendi pro eo, quod coacti faciunt. Ad quod sic: Ioan. Dam. dicit, quod Damasc. inuoluntarius actus misericordia existimandus est dignus: inuoluntarium autem est, quòd per ignorantiam seu violentiam fit. Ergo quod fit per violentiam, est indulgentia dignum: sed talia sunt, quæ faciunt coacti: ergo coacti erunt misericordia digni: non ergo puniendi.

¶ Item, coactio & libertas opponuntur: libertas aūt, quàm habet rationalis creatura; ex hoc quod est per liberum arbitrium operans & domina sui actus, patet quod si operatur benè, digna est præmio: si malè, digna est supplicio. Ergo coactio, quæ remouet libertatem & dominium actus; efficiet, quòd actus non erit dignus præmio vel supplicio: ergo coacti non erunt puniendi.

¶ Contra: dicit Aug. quod coacta voluntas, voluntas est: sed voluntate existente respectu actus, actus est vituperabilis, si malus est, & dignus punitione: si bonus, est laudabilis & dignus præmio. Ergo coactione interueniēte respectu actus; erit actus nihilominus dignus remuneratione, vel punitione: ergo coacti iudicandi. Aug.

¶ Item, si quis timore mortis neget Dominum Deum, vel imperio Tyranni occidat patrem dolens: constat quod voluntarius & timore coactus operatur: & tamen nullus rectè rationis tales diceret innocentes (alioquin Petrus innocens fuisset, cùm negauit Christum) Relinquitur ergo, quòd coacti delinquentes erunt etiam puniendi.

RESOLVTIO.

Si fuerint coacti coactione simpliciter: omnino excusantur à punitione: sin verò coacti fuerint coactione secundùm quid, excusantur quidem à tanto, sed non à toto.

¶ Solvt. Dicendum, quòd sunt actus, qui omnino sunt in potestate nostra ad faciendum & dimittendum, vt actus interiores animæ subiecti rationi; vt consentire, eligere, velle, proponere, & huiusmodi. Item, sunt actus, qui non sunt in potestate nostra, nec quantùm ad actionem, nec quantùm ad diuisionem; vt actus naturales; vt est appetere alimentum, retinere, & huiusmodi. Item, sunt actus, qui partim sunt in potestate nostra, partim non; sicut motus membrorum corporis in operando, in gradiendo: in potestate enim nostra sunt, cùm non est defectus organi, vel prohibens: in potestate verò nostra non sunt, vel cū deficit orga-

organum, vel aliquid interuenit ꝓhibens organū ab actu; & hoc quantùm ad faciēdum, & dimittendum. Item, sunt actus, qui sunt in potestate nostra omnino quantum ad dimittendum, sed non omnino in potestate nostra quantùm ad agendum; sicut loqui: loqui.n.in potestate nostra est totaliter, vt non fiat; ita ꝙ non potest cogi loquens ad loquendum; sicut potest cogi ad motum manus, aut pedis: sed potest prohiberi ne fiat; & hoc, quia fit per organum. Actus quidem primo modo dicti semper sunt voluntarij: & ideo vituperabiles, si mali sint: laudabiles, si boni. Actus autem secundi sunt simpliciter inuoluntarij: & ideo non laudabiles, nec vituperabiles: & ideo nec puniendi. Actus verò tertij inquantùm voluntarij, laudabiles & vituperabiles; inquantùm verò inuoluntarij simpliciter nec laudabiles nec vituperabiles, nec puniendi nec vituperandi. Similiter & de quartis intelligendum est.

¶ Item distinguendum ꝙ violentia seu coactio duplex est: simpliciter, & secundum quid. Simpliciter coactio seu violentia determinatur à Dam. cuius principium deforis est, nihil conferente secundùm proprium impetum vim passo: hoc est, cuius causa efficiens extra est totaliter: & nihil cooperatur ille, qui patitur, omnino: & hęc coactio dicitur sufficiens. Secundum ꝙ verò coactio seu violentia est, cùm causa mouens deforis est, inducens vel impellēs, cooperante illo, qui patitur. Primò modo coactio poneretur in castissima virgine, q̄ omnino contra suam voluntatem vi corrumperetur: secundò modo diceretur coactio in illo qui, timore impellente vehementi, vt timore mortis, Christum negaret. Prima coactio omnino excusat à reatu pœnæ: secunda non excusat à toto, sed à tanto. Prima coactio non habet locum in actibus simpliciter volūtarijs & existentibus in potestate nostra; sed habet locum in alijs, inquantùm non sunt in potestate nostra: secunda verò coactio locum habet in actibus simpliciter inuoluntarijs. Vnde hoc modo intelligitur, quòd dicit Aug. quòd coacta voluntas, voluntas est.

Damasc. August.

¶ Et per hoc patet responsio ad primum.

¶ Ad secundum similiter patet: quoniam qui timore mortis negat, non dicitur inuoluntarius; quamuis actus ille non placeat absolutè: sed tamen placeat consideratione mali, quòd plus timetur: sicut iacientes ea, quæ in naui sunt, in mare propter naufragium, non sunt inuoluntarij in iactando. Ex ijs igitur patet, quando coacti sunt puniendi, & quando non puniendi.

MEMBRVM V.

An iudex propriè iniuria vindex esse possit.

VLtimò quęritur: Vtrùm iudex reos in se delinquentes debeat punire? Ad ꝙ sic: Greg. in quadam Homil. *Ea, quæ in nos committuntur, facile possumus dimittere: ea verò, quæ in Deum committuntur, cum magna discretione; nec tamen sine pœnitentia possumus relaxare.* (Gregor.)

¶ Item, B. Petrus, qui cum alijs audierat. *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines:* contumelias sibi illatas cum gaudio suscipiebat: peccata verò, quæ in Deum committebantur, acerbè puniebat: sicut patet in Anania & Saphira. (Matth. 5.)

¶ Item, Paulus per totam Epistolā secundā ad Cor. pia admonitione per contemptum delinquentes in ipsum, ad sui amorem reuocat. Elymam verò magum, qui cæteros à fide retrahebat, cæcitate percussit. (Actuum 5. 2. ad Cor. Actuū 13.)

¶ Contra Ambr. *Ad preces Heliæ ignis descendit de cælo, vt vindicaretur prophetæ iniuria.* (Ambrof.)

¶ Item, Canon Syluestri. *Miserunt me in exilium: ego tamen non dimisi officium meum: sed eos, qui talia erga me egerunt, anathematizaui.* Ex quibus videtur, quòd licebit iudici propriam iniuriam interdum vindicare. (Canon B. Syluestri 15 q. 4.)

RESOLVTIO.

Neutiquam vt propria: sed vel vt Dei, vel vt Ecclesia.

¶ Sol. Intuitu honoris vel amoris propriæ personæ nō potest iudex vindex esse propriæ iniuriæ. Vnde Dominus volens iniuriam propriæ personæ tolerare, iniuriam verò Dei non inultam relinquere, ait discipulis. *Nescitis, cuius spiritus estis.* Lucæ 9.

¶ Ad illud verò, ꝙ obijcitur de Helia. Dicendum, quòd iniuria illa prophetę non alia, quàm iniuria Domini intelligitur. Vnde per hoc, ꝙ ignem de cœlo postulauit, non cuius meriti esset apud Deum, voluit ostendere: sed quod ille esset verus Deus, quem colebat.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur de facto Syluestri. Dicendum, quòd in illo anathemate puniuit iniuriantes sibi non intuitu personæ: sed intuitu Dei & Ecclesię, cuius quidem erat pastor.

QVÆSTIO XLII.

De Persona Accusatoris.

In sex Membra diuisa.

INquirendum est postea de persona accusatoris. Pro qua dantur plures leges iudiciales: *Non facies calumniam proximo tuo.* Et iterum: *Non stabis contra sanguinem proximi tui:* & alia multa. (D. Tho. 2. 2. q. 68. Leu. 19.)

¶ Quæritur ergo primò, an quis teneatur accusare. Secundò, an subditi possint suos prælatos accusare. Tertiò, an mali possint accusare. Quartò, an omnes boni possint esse accusatores. Quintò, quæ conditiones requiruntur ad hoc, quòd aliquis possit accusare. Sextò, quando & quomodo debeat quis alium accusare.

MEMBRVM I.

An quis quempiam accusare teneatur?

AD primum sic: *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisq; fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.* Ex quo (sicut dicit August.) videtur Lex dicere, peccare hominem, qui scit aliquem falsum iurare, & tacet: ergo tenetur accusare. (Leuit. 5. August.)

¶ Item, August. *Non vos iudicetis esse maleuolos, quando crimen alterius indicatis; magis quippe innocentes estis indicando crimen, quàm si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis; tacendo perire permittatis.* Sed quilibet tenetur procurare salutem fratris: ergo ipsum accusare, vt corrigatur. (Aug. in regula sua.)

¶ Idem ibid. *Si frater tuus vulnus habet in corpore: quod velit occultari, cùm timet secari: nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur?* Quantò ergo potius debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde. (Idem ibidem.)

¶ Rursus idem: *Vtiliùs esurienti panis tollitur; si de cibo securus iustitiam negligat: quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* (Idem ad Vincentium Donatistam.)

¶ Item, *Qui freneticum ligat, & litargicum excitat: ambobus molestus, ambos amat.* (Idem.)

¶ Item, *Quis nos potest ampliùs amare, quàm Deus: & tamen nos non solùm docere suauiter, verum etiam terrere salubriter non cessat.* Ex quibus relinquitur ratione consimili: quod ex charitate est accusare fratrem ad correctionem: tenemur autem ad opera charitatis: ergo, &c. (Idem.)

¶ Item Ambrosius: *Non osculatur pater semper filium; sed aliquando castigat.* Ergo quando castigatur, qui diligitur, circa eum pietas exercetur. Si ergo tenemur ad opera pietatis in proximum: tenemur ad accusationem, vt castigetur. (Ambr. in quodam sermone.)

¶ Item, idem in eodem. *Habet amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amariùs se inferunt.* Dulcior est enim * religiosa castigatio, quàm blanda remissio: vnde ait Salomon. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Inde vt priùs. (Idem in eodem. * Abas, rigorosa. Prou. 27.)

¶ Contra, *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* (Prou. 11.)

¶ Item, Prouerb. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iudicio cito: ne forte emendare non possis, &c.* (Prou. 25.)

¶ Item, de lege naturæ tenemur non facere, quòd nobis nollemus fieri: sed nullus vellet accusari, ergo nullus debet alium accusare.

RESOLVTIO.

Quis quempiam accusare tenetur, verùm non ex malignitate aut falsa insidiosè obijciendo, aut vera contumeliosè exprobrando, & iuris ordine prætermisso: sed ex charitate, vera deponendo, & iuris ordine seruato.

¶ Sol. Dicendum, quod aliud est ex charitate aliorum crimina iudicare; vt quos secreta correctione non possumus corrigere, conuictos iudicis sententia corripiat: atq; aliud insidiando falsa obijcere, vel insultando vera per contumeliam exprobare, siue prætermisso iuris ordine, in accusationem prorumpere. Illud primum charitatis est: reliqua verò impietatis seu iniquitatis officium. Vnde de impositione falsi dicitur: (Prou. 12.) *Qui quod nouit, loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus*, &c. Ad hoc est illa prohibitio, (Leuit. 19.) *non facias calumniam proximo tuo*. Calumnia .n. est falsi criminis impositio: & iterum. (Prou. 12.) *Verba impiorum insidiantur sanguini*, &c. De improperatione similiter dicitur in prædicta authoritate. (Prou. 15.) *Quæ vident oculi tui, ne proferas in iudicio*, &c. Et hoc modo intelligitur Canon B. Anacleti. (Canon B. Anacleti) *Summa iniquitas est, in fratres detrahere, & accusare*. De omissione ordinis iuris in contrarium dicitur: (Matth. 18) *Si peccauerit in te frater tuus, corripe ipsum inter te & ipsum solum.*

MEMBRVM II.

An liceat subditis prælatos suos accusare?

(Canon B. Fabiani dist. 2. q. 7.) POSTEA quæritur? Vtrùm subditi possint prælatos accusare. Ad quod sic: B. Fabianus. *Qualis damnatio illis immineat, qui in patres peccant; diuina scriptura ostendit. Si .n. Cham, qui non cooperuit pudenda patris, maledictus est: multò ampliore condemnatione digni sunt, qui patribus legatione fungentibus contumeliam inferunt.*

¶ Si dicatur, quòd illud intelligitur de falsa impositione. Contra Canon. Anacleti. (Canon Anacleti q. 7.) *Sententia Cham filij Noë damnantur, qui suorum præpositorum vel doctorum culpam produnt.*

¶ Item, B. Zepher. (B. Zephetinus in eodem Anacletus.) *Maiorum quispiam minorum accusationibus non impetatur.*

¶ Item, B. Anacletus arguit exemplo Domini. *Summi sacerdotes, id est, Episcopi à Deo sunt iudicandi: sed ab omnibus fidelibus portandi; ipso Domino dante exemplum, qui per seipsum, & non per alium vendentes & ementes eiecit de templo.* (Matth. 21)

¶ Item isdem. (Idem.) *Nullus (vt reor) inter nos inuenitur, qui velit seruum suum ab alio quam à se iudicari; quòd si præsumptum fuerit, multa indignatione irascitur: vnde & Dominus de sacerdotibus per Prophetam ait. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* (Zachar 2)

¶ Item, B. Telesphorus. (Thelesphorus Papa dist. 6 q. 1.) *Deordinationem accusat, qui eos, qui ab eo constituuntur, accusat sacerdotes.*

¶ Item, Canon B. Pij: *Oues pastorem suum non reprehendat: plebs enim Episcopum suum non accuset: sed nec vulgus eum arguat: quia non est discipulus supra magistrum.* (Canon B. Pij ibid.) (Matth. 10)

¶ Item legitur quod Maria soror Aaron, quæ post transitum maris rubri hymnum cantare meruit, postea accusans Moysen, eò quod æthiopissam duxisset vxorem; lepra percussa est. (Num. 12.)

¶ Item, Dauid percussit cor suum, eò quod præcidisset oram clamidis Saul. (1 Reg. 24.) Ex quibus videtur, quòd subditi non possunt suos prælatos accusare: licet etiam boni sint, & prælati mali.

¶ Contra Gregorius: (Gregor.) *Sicut laudabile & discretum est, reuerentiam & honorem prioribus exhibere: ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eis indigent correctione, nulla dissimulatione postponere: ne totum (quòd absit) corpus morbus inuadat: si languor non fuerit curatus in capite.*

¶ Item, B. Gelasius. (B. Gelas. 2. q. 7.) Scribit quibusdam subditis. *Si quid in Ecclesia damni Pontificem vestrum videritis admittere: mox nostris auribus relatione signate: vt quid fieri debeat, censeamus.*

¶ Item, Gregor. approbat, quòd quidam Episcopus (Gregor. in codē.) inter alia mala corporali crimine lapsus, à suis clericis accusatus atq; conuictus, episcopali sententia depositus est.

* * *

RESOLVTIO.

Subditis probis & notis ex affectu charitatis licitum est prælatos suos accusare: improbis autem, ignotis, & ex affectu malignitatis omnino prohibitum.

¶ Sol. Secundum quosdam dicendum; quod sunt subditi criminosi, & sunt subditi boni. Subditi criminosi prohibentur ab accusatione prælatorum: boni verò non. Vnde Aug. dicit: (August.) *Præsumunt prælati non debere se reprehendi vel accusari: pro eò quod Canones passim non constituunt eos accusandos: quòd tantum negatur solis criminosis: cum de reprehendendo veritas ipsa constituat. Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo.* (Ioan. 18)

¶ Sed opponitur: nam Canones determinant, in quo casu sint pastores à subditis accusandi: ergo in nullo alio casu poterunt accusare. Casus autem est cum exorbitant à fide: vnde Eusebius. (Eusebius Papa 2. q. 7.) *Oues, quæ pastori suo commissæ sunt; nequeunt reprehendere. nec vllatenus accusare possunt, nisi à fide exorbitauerint.*

¶ Dicendum igitur quod est accusatio affectu fraternæ charitatis: & est accusatio ex affectu malignitatis. Item, est accusatio facta à criminosis, & est accusatio facta à bonis. Dicendum ergo, quod ex affectu charitatis à bonis licita est accusatio prælatorum: ex affectu verò malignitatis & à criminosis prohibita est. Et secundùm hanc distinctionem intelliguntur omnes canones, quibus videtur prohiberi accusatio prælatorum: vnde Calixtus. (Calixtus Papa 2. q. 7.) *Hi, qui non sunt rectè fidei & conuersationis; & quorum vita est accusabilis, & quorum fides & vita & libertas nescitur: non permittantur maiores natu accusare: neq; viles personæ in eorum recipiantur accusatione.* Ex quo sumitur alia distinctio: quia sunt accusatores ignoti, & noti: ignoti prohibentur accusare prælatos: noti cum distinctione prædicta.

¶ Ad illud, quod primò obijcitur de Cham, quòd fuit maledictus. Dicendum, quod per hoc intelligitur, quòd prælati non sunt accusandi à subditis extraordinariè: hoc est, de criminibus, quę non possunt probari: & ideo signanter dicit, B. Zepherinus, (Zepherinus.) quod Cham vituperatur; quia veranda patris non operuit, sed ridenda monstrauit: quæ (scil.) solus viderat.

¶ Ad alia verò obiecta per distinctiones suppositas respondendum est: quia auctoritates illæ intelliguntur de accusatione, quæ fit affectu malignitatis, non charitatis: vel de accusatione, quæ fit à criminosis.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de Moyse & Maria. Dicendum, quòd per Moysen prælati intelliguntur: per æthiopissam peccatores. Moyses æthiopissam in vxorem ducit: cùm quilibet prædicator peccatorem sibi copulat, vt Deo prolem bonorum operum de eo gignere valeat. Hanc copulam, dum Maria scil. subditus quilibet reprehendit, lepra peccati inficitur. Ex hac ergo auctoritate non prohibentur subditi ab accusatione prælatorum: sed monentur, ne reprehendant misericordem compassionem eorum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de Dauid. Dicendum, quòd in hoc non datur forma accusandi prælatum de crimine, quòd ab vno solo scitur: quod designatur per hoc quod in abscondito in spelunca præcidit oram clamidis. Vel secundùm B. Greg. illud intelligitur de iudice, non de accusatore: vnde dicit: quod oram clamidis pręscindit, qui sententia damnationis prælatum percutit: quod nulli subditorum licet.

¶ Ad vltimum verò, quod obijcitur contra distinctionem Aug. dicentis: (August.) quod Canones, in quibus prohibetur accusatio prælatorum; intelliguntur dę subditis criminosis: & tamē canon Eusebij videtur determinare casum, in quo tantùm reprehendus est prælatus sc. propter exorbitationem à fide. Dicendum quod secundùm Aug. canon Eusebij de criminosis & infamibus intelligitur: oues enim criminosæ & infames pastorem suum accusare non possunt: nisi à fide exorbitauerit. Cæterùm si à fide exorbitauerit: tanta est labes illius criminis, quòd ad eius accusationem serui aduersus Dominum, & quilibet criminosi aduersus quemlibet admittuntur.

MEMBRVM III.

An mali accusatores esse possint.

Matth. 7. QVÆRITVR postea. Vtrùm mali possunt esse accusatores? Ad quod: *Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo: & postea videbis ejicere festucam de oculo fratris.* Et per trabem figuratur crimen mortalis culpæ: per eiectionem festucæ accusatio minoris culpæ in alio.

Canon. Stephani Papæ dist. 3 q. 11. ¶ ITEM, Canon Stephani. *Neganda est accusatoribus licentia criminandi; priusquam crimen, quo premuntur, exuerint.*

¶ ITEM, B. Anacletus.3.q.3. *Transgressores sponte legis suæ, eiusq; violatores apostatæ nominantur: omnis enim apostata refutandus est ante reuersionem suam: nec in accusatione rectè agentium suscipiendus.*

Sap. 4. ¶ CONTRA. *Ex iniquis omnes filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes*, &c. Et filij dicuntur imitatores nequitiæ: ergo iniqui filij possunt testificari de nequitia parentum: ergo & accusare.

Matth. 12. ¶ ITEM dicitur: quod viri Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem istam: per comparationem (supple) minoris mali.

RESOLVTIO.

Quoniam qui alium accusat, par fide, superior vita esse debet omnino mali accusatores esse non possunt.

¶ SOLVT. Dicendum, quod in accusatione requiritur æqualitas vel maioritas accusantis respectu accusati: vt semper accusans in conuersatione par vel superior accusator inueniatur: sed paritas intelligitur quantùm ad fidem, superioritas quantùm ad vitam: quia paritas requiritur, ideo

Can. Gelasij dist. 2. q. 7. dicit can. quod Pagani vel Hæretici siue Iudæi non pñt Christianos accusare. De superioritate autem vitæ dicit canon

Can. Stephani dist. 3 q. 11. Stephani. *Non est credendum contra aliquos eorum confessioni, qui criminibus implicantur; nisi se prius probauerint innocentes.* (Et hoc intelligitur in pari vel minori crimine.)

¶ ET per hoc soluuntur obiecta.

MEMBRVM IV.

An monachi accusatores esse possint.

DEINDE quæritur? Vtrùm omnes boni possint esse accusatores? Et quæritur de monachis, vtrùm possint

Adrianus Papa dist. 2. q. 7. esse accusatores. Ad quod sic: dicit Adrianus Papa. *Placuit, eorum sacerdotes accusandi & testificandi in eos vocem obstruere; quos non humanis vocibus, sed diuinis mortuos esse scimus: quia funestam vocem potius interdici, quàm audiri oportet.*

¶ ITEM, Concilium Chalcedon. præcipit, vt ecclesiasticas actiones monachi tractare non præsumant. Ex his relinquitur, quòd monachi, qui sunt mortui mundo, vel quilibet religiosi non possunt esse accusatores.

Hieron. ¶ CONTRA, Hieron. *Sancta rusticitas solùm sibi prodest: & quantùm ædificat ex vitæ merito ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.*

Luc. 3. ¶ ITEM, B. Ioan. Baptista cũ eremiticam vitam duceret, scribas & Phariseos ad se venientes durè redarguebat. Qui autem redarguere potest, potest & accusare.

Canon B. Eleutherij dist. 2. q. 7. ¶ ITEM, Canon B. Eleutherij: *Negligere, cùm possis perturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.*

RESOLVTIO.

Ex necessitate charitatis possunt: ex temeritate præsumptionis non possunt.

¶ SOL. Contingit accusare duobus modis. Vno modo ex præsumptione temeritatis: alio modo ex necessitate charitatis. Monachi verò ex præsumptione accusare non possunt: ex charitate verò, vbi imminet periculum salutis, possunt. Vnde ex canonibus diffinitur, quod illi sacerdotes accusare possunt, qui ad eundem gradum ascendere valent. Constat autem quod Monachi & Religiosi ad sacerdotij gradum laudabiliter possunt ascendere: patet ergo, quòd possunt accusare sacerdotes, & multò magis alios. Canones ergo non prohibent eos ab accusatione: nisi ab accusatione, quæ est ex temeritate.

MEMBRVM V.

Accusatores legitimo qua requirantur.

POSTEA quæritur? quæ conditiones requirantur ad hoc, quòd aliquis sit legitimus accusator.

¶ AD quod breuiter notandum est: quod ad legitimam accusationem requiritur primò discretio iudicij: eò quod terribiliter dicitur: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7.

Inde est quod secundùm leges ab accusatione repellitur mulier & paruulus, propter defectum discretionis, generaliter: nisi in quibusdam casibus.

¶ ITEM, requiritur zelus charitatis ad correctionẽ fraternam: quod respicit illa prohibitio. *Non oderis fratrem tuũ in corde tuo; sed publicè argue eum.* Qua ratione repelluntur ab Leu. 19

accusatione odiosi seu inimici, vel suspecti de inimicijs. Vnde dicit Anacletus, quod accusatores esse non possunt, Anacletus.

qui ante hesternũ diem inimici fuerunt. Hac eadem ratione excluduntur amici, & consanguinei, & familiares, aduersarij: & vniuersaliter qui de corruptione, & affectione, amore, vel odio, vel timore, vel precio sunt suspecti: quia (sicut dicit B. Greg.) quatuor modis iudicium humanum Gregor.

peruertitur: timore, dum metu potestatis aliquem pertimescimus: cupiditate, dum præmio alicuius animum corrumpimus: odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur: amore, dum amico vel propinquo contendimus præstare. Inde etiam est, quòd propter suspicionem corruptionis animi quatuor genera hominum ab accusatione excluduntur: inimici propter suspicionem odij: amici aduersarij propter suspicionem mali amoris: serui propter suspicionem timoris secundùm legem * canonizatam. Cupidi *Aliàs, canonicã.

turpis quæstus: vt qui propter pecuniam accusant aliquẽ: sicut dicitur in eodem.

¶ ITEM, requiritur in accusatore verbum veritatis: vnde dicitur. *Non facies calumniam*, &c. Calumnia est falsa criminis impositio. Inde est, quòd propter suspicionem falsitatis excluduntur ab accusatione infideles, & detractores: infideles propter peruersionem veritatis circa diuina: vnde canon Pij Papæ. *Reprobari oportet eorum redargutionẽ, qui in recta fide suspecti sunt.* Detractores excluduntur propter peruersionem veritatis circa humana: vnde B. Seuerinus. *Detractores, qui diuina auctoritate eradicandi sunt; submouemus ab accusatione & testimonio.*

Canon 2. dist. 2. q. 1 Leuit. 19. Canõ Pij Papæ dist. 3. q. 4. B. Seuerinus dist. 3 q. 4.

¶ ITEM, requiritur innocentia conuersationis; ne repliceatur contra eum. *Qui dicis, non mæchandum, mæcharis?* Qua Rom 2.

ratione infames, conspiratores, anathematizati, ab accusatione excluduntur. Infames criminosi sunt propter infamiam bonitatis; conspiratores propter consilia ad peruersionem veritatis: excommunicati propter contemptum potestatis. Vnde B. Eusebius dicit: *Ad accusationem nullatenus admittendi sunt, qui infames sunt; quia funesta est vox eorum.* De conspiratoribus B. Calixtus: *Conspiratores in nullum accusatione sunt recipiendi.* De excommunicatis dicit B. Fabianus. *Omnes, quos sanctorum patrum statuta anathematizauerunt, ab omni fidelium accusatione submouemus.*

B. Eusebius dist. 3. q. 5. B. Calixtus dist 3. q 4. B. Fabianus ibid.

¶ NOTA tamen secundum Ioan. Papam. Quod aliud est excommunicatio, aliud est anathematizatio. Excommunicatio à fraterna societate nos separat. anathematizatio ab ipso corpore Christi, quòd est Ecclesia, rescindit. Ioa. Pap. dist. 3. q. 4.

MEMBRVM VI.

An quis accusare queat quempiam de crimine, quòd solus ipse nouit, nec testibus probare valeat?

CONSEQVENTER quæritur: quandoquis debeat alium accusare, & quo ordine. Quæritur ergo, vtrùm de crimine, quòd solus nouit aliquis, & testibus probare non valet; possit alium accusare? Ad quod sic: super illud. *Si peccauerit in te frater*, &c. Aug. *Si solus nosti, quòd peccauit in te: & eum vis coram omnibus arguere; non eris correctior erroris, sed proditor.* Matth 18 Augusti.

¶ ITEM idem Aug. *Attende, quod iustus Ioseph tanto flagitio, quod de vxore erat suspicatus, tanta benignitate pepercit: antequam sciret, vnde illa conciperet; sicut dicit Euangelium: cum esset vir iustus, & nollet diuulgare, voluit occultè dimittere eam.* Ergo ipsa sunt corripienda coram omnibus, quæ peccãtur coram omnibus: ipsa sunt corripienda secretius, quæ peccantur secretius. Idem. Ibidem. Matth. 1

¶ Et

Idē Aug ¶ Et iterum: *Nescio quem homicidam nouit Episcopus, & nemo alius eum nouit: ego nolo eum corripere publicè, & tu quaris inscribere?* q.d. absit. Et postea subdit: *Non prodo, non negligo: sed corripio in secreto.*

Leuit. 5. ¶ Contra, Leuit. 5. *Anima, quæ audierit vocem iurantis, testis q. fuerit, quòd ipse vidit aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.* Ergo si aliquis scit etiam solus, quòd alius peierat, nisi indicauerit, peccat.

RESOLVTIO.

Publicè accusare non potest. secretè corripere potest.

dist. 6. q. 2. ¶ Solutio. In tali casu quid faciendum sit, diffinit Concilium: *Si Episcopus alieni sceleris conscium se esse nouit: quādiu probare non potest, nihil proferat. sed cum ipso ad compunctionem eius secretis correctionibus elaboret.* Et hoc etiam est, quod August. dicit Augustinus: *Sunt homines adulteri in domibus, in secreto peccant: nos non prodimus, sed in secreto arguimus: vbi contingit malum, ibi moriatur: nec tamen vulnus illud negligimus.*

¶ Et per hoc soluitur obiectio, quæ posset fieri. Nam cùm ex charitate quilibet teneatur ad correctionem fraternam: videretur, quod teneretur accusare quilibet peccātem, vt corrigeretur. Sed hoc soluitur per hoc, quod in secreto debet argui, sicut dicit Augustinus.

¶ Ad illam verò legem, qua videbatur probari: quòd qui audit peierantem, debet accusare, etiam si solus sciat. Idem Respondet Augustinus super eundem locum, dicens: *Videtur mihi, quòd se à tali peccato exuit, qui talibus indicat, qui pertinere magis prodesse, quàm obesse possunt corrigēdo* (scil.) *vel orādo, si ipse confessionis sibi adhibeat medicinam.*

¶ Quo autem ordine debeat quis alium accusare, nota: quod incidit quæstio de correctione fraterna ad hoc, vt pateret, quo ordine debeat accusare: sed hæc quæstio determinabitur infra in Inquisitione de Lege Euangelij, & præceptis eiusdem. Notandum tamen, quòd accusator dicitur largè, non solùm qui accusat de crimine ad pœnā canonicam sustinendam: sed etiam qui denunciat crimen alterius ad pœnitentiam agendam.

QVÆSTIO XLIII.

De Testibus.

In quinque Membra diuisa.

D. Tho. 2.2 q. 70. Postea quæritur de teste. Circa quod quæritur primò: vtrùm quilibet teneatur ad testimonium ferendum. Secundò de numero testium. Tertiò de idoneitate testium. Quartò, de fide testibus adhibenda. Quintò, vtrùm in aliquo casu licitum sit vendere testimonium?

MEMBRVM I.

An quilibet teneatur ad testimonium ferendum?

Augu. Ad Primum sic dicit Augustinus: *Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatē occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem, quàm Deum.* Ex quo relinquitur, quòd occultare veritatem, nō excusatur timore, quin sit peccatum: sed qui subtrahit testimonium veritatis, occultat veritatem, ergo peccat: nec excusabitur timore, ergo tenetur ferre testimonium veritati.

Idem. ¶ Item dicit Augustinus: *Qui veritatem occultat, & qui profert mendacium, vterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat.*

¶ Item, de lege naturali & Euangelij quilibet tenetur alij facere, quod sibi vellet fieri. Sed si aliquis periclitaretur in persona propria propter defectum testimonij veritatis, vel amitteret rem suam; vellet pro se testimonium dici: ergo in simili casu tenetur testimonium dicere pro proximo.

¶ Item, rationalis creatura humana debitrix est bonitati, debitrix est veritati: & sicut debet pro loco & tempore laudare bonitatem in quocunque: ita debet pro loco & tempore confiteri veritatem: sed testificatio non est aliud quàm veritatis confessio: ergo quilibet tenetur pro loco & tempore testificari pro quocunque.

¶ Contra, dicit Augustinus in Quæstionibus Genes. super illud, quod Abraham dixit de vxore sua: *Soror mea est. Abraham,* inquit, *veritatem celari voluit, non mendacium dici: soror enim fratris dicitur: quia filia fratris erat.* Ergo occultare veritatem, non est Deum prouocare (quod videtur dicere Augustinus.) pari ratione nec testimonium subtrahere. Aug. in quæstionibus super Gen. Gen. 20.

¶ Item, Canones prohibent, quòd sacerdotes & clerici non ferant testimonium in causa sanguinis. Ergo in quacunque causa non tenetur quilibet ferre testimonium.

¶ Item, dicit Synodus Eugenij Papę: *Quamquam testimonium sacerdotum credibile habeatur: tamen in ipsis secularibus negotijs pro conficiendis instrumentis ad testimonium non cogentur: quia eos talibus rebus interesse non conuenit.* Synodus Eugenij Papę. dist. 14 q. 2.

RESOLVTIO.

Iuxta varios casus, rerumq́; discrimina & quilibet, & non quilibet tenetur.

¶ Solutio. Dicendum, quòd confessio veritatis in testimonio aliquando requiritur ad purgationem innocentiæ; aliquando ad correctionem culpæ; aliquando ad condemnationem personæ: aliquando ad recuperationem rei suæ. In primo casu si pro defectu testimonij veritatis condemnaretur innocens pro nocente: tenetur quilibet ferre testimonium illo præcepto, quo dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Similiter in secundo casu, cùm agitur ad correctionem; vt coram iudice Ecclesiastico similiter tenetur quilibet ferre testimonium: quia quilibet tenetur pro loco & tempore ad correctionem fratris ex præcepto Domini Matth. 18. Item in tertio casu, quando agitur ad condemnationem: vt in causa sanguinis, vel causa criminali coram iudice seculari, non tenentur: immò prohibentur vniuersaliter cleri à testimonio ferendo, sicut prohibentur ab accusatione: & in hoc casu intelligitur Canon beati Fabiani, 2. quæst. 7. Sicut sacerdotes vel reliqui clerici à secularium laicorum excluduntur accusatione: ita & illi ab istorum sunt excludendi criminatione. Item, in quarto casu, vbi est periculum pecuniæ, vel possessionis; sacerdotes requisiti à iudice ecclesiastico tenentur ferre testimonium; & similiter quælibet persona: vbi propter defectum probationis res proximi amittitur: aliàs verò non tenentur. Et hoc est, quod dicit Synodus sub Eugenio celebrata, 14. quæstio. 2. Si euentu aliquo secularibus pactis interfuerint: & aliquid viderint, vel audierint, vbi nullæ idoneæ secularium inueniantur personæ, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur: in prouidentia proprij sit Episcopi, vt aut coram se, & competētibus * iudicibus, aut aliter veritatem honorificè testificentur. Prou. 24. Matt. 18. Canon B. Fabiani. 2. quæst 7. * al. indicijs.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM II.

An vnius testimonio standum sit?

Deinde quæritur de numero testium. Ad quod lex Num. 35. *Ad vnius testimonium nullus condemnabitur.* Num. 35. Deut. 19.

¶ Item, *Non stabit testis vnus contra aliquem; quicquid peccati vel facinoris illud fuerit.*

¶ Item, sicut sancti Patres diffiniunt: nullius personę confessioni fides est adhibenda, nisi competentes probationes adhibeat, vnde Concilium Carthaginense: *Episcopus, si clerico vel laico crimen imposuerit, deducatur in probationem in Synodum.* Ex hoc patet, quòd non est credendum Episcopo: ergo nec testi multo fortiùs credendum erit, si solus est. dist. 6. q. 2.

¶ Contra, arguitur populus Israëliticus; eo quòd diu nus

nis promissionibus non crediderit Moysi: ergo & multo magis arguendus esset, si in humanis actibus non crederet testimonio Moysi: ergo in casu potest sufficere vnus tantùm testis.

RESOLVTIO.

Extra iudicium vnius testimonio (probata tamen persona) stari potest. In iudicio autem (praeterquam in baptismate & ecclesia consecratione ad minus duorum vel trium ex ordine; quidquid fit ex priuilegio.

¶ RESPONSIO. Secundùm legem diuinã & humanam non est credendum soli testi.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de Moyse. Dicendũ, quòd non arguitur populus, eo quod non crediderit homini soli: sed ex hoc quod non crediderit Deo confirmãti verba Moysi sequentibus signis, vnde Numer. 14. *Vsque quo detrahet mihi populus iste: vsque quo non credet mihi in omnibus signis, quae feci coram eis?* dixit Dominus ad Moysen. Vnde dicit Decretal. *Licet plures sint causae, quae plures quam duos exigant testes: nulla est, quae vnius tantùm testimonio valeat termi nari * quamuis legitimo.* Excipiuntur tamen secundùm Canones duo casus, in quibus creditur testimonio vnius. Primus est in baptismo. Secundus in consecratione ecclesiae: vt in tractatu de consecrat. dist. 4. c. placuit, & c. sequenti: & in omnibus ijs, in quibus alteri praeiudicium non infertur, vt in casibus praedictis.

Num. 14. — Decretal. tit de test. lib. — * al. quãtumuis.

¶ ITEM, distinguitur duplex status. Vnus est in forma iudicij, & in illo (vt dictum est) non creditur vnius testimonio. Alius est extra iudicium: & in illo statu vnius probatae personae testimonio creditur: sicut habetur 86. dist. vbi dicitur, quòd dominus Papa credidit cuidam Abbati de delicto cuiusdam Episcopi, & eum grauiter puniuisset: nisi simplicitati illius & senectuti pepercisset.

dist. 86.

¶ POSTEA quaeritur: An duo testes: vel tres ad omne testimonium sufficiant? Ad quod lex: *In ore duorũ, vel trium stabit omne verbum.*

Quaestio lateralis. Deut. 19.

¶ ITEM Saluator Iudaeis: *In lege vestra scriptum est: quia in ore duorum hominum testimonium verum est: ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, pater.*

Ioan. 8.

¶ ITEM: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur.*

Hebr. 10.

¶ CONTRA, Canon Syluestri: *Praesul non condemnetur, nisi cum 72. testibus: presbyter Cardinalis nisi in 40. diaconus Cardinalis vrbis Romae nisi in 26. subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius nisi in septem testibus: testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia.*

Canon Syluestri 2. q. 5.

¶ AD quod respondetur, quòd Canon B. Syluestri & consimiles intelliguntur de clericis Romanae ecclesiae ratione priuilegij specialis. Vel propter improbitatem quorundam, qui cùm non sint spectatae vitae & scientiae, in accusationem ministrorum Dei repentè prosiliunt. Quorum vita adeò laudabilis est, vt in omnibus appareat imitanda; de quorum assertione nulla dubitatio nasci potest; eorum testimonio duorum vel trium quilibet iure cõuinci poterit, atque damnari.

MEMBRVM III.

An qualibet persona idonea sit ad testimonium perhibendum?

DEINDE quaeritur de idoneitate testium. Dicitur autem idonea omnis persona ad testimonium perhibendum, quae iure non prohibetur. Lege autem diuina nõ prohibetur expressè prohibitio alicuius personae: ergo secundùm legem diuinam quaelibet persona erit idonea. Cùm ergo diuina lex sit suprà humanam: non poterit humana lex aliquam personam inidoneam facere ad testimonium ferendum.

¶ CONTRA, secundùm canones & leges humanas plures personae prohibentur. Prohibentur enim infideles per Concilium Toletanum, vbi sic arguitur: *Non potest ergà homines esse fidelis, qui Deo extitit infidelis*: Iudaei ergo, qui dum Christiani effecti sunt, & nunc in Christi fide praeuaricati sunt; ad testimonium ferendum admitti non debẽt; quia sicut in fide Christi suspecti sunt; ita in testimonio humano dubij habentur. Et iterum: *Infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur: nec eis credendum est, qui veritatis fidem à se abiecerunt.*

Concil. Tol. dist. 2. q. 7. — Idem.

¶ ITEM, prohibentur infames, vnde B. Gregorius de examinatione testium dicit: *Quod si vilissimi testes sunt exhibiti contra Episcopum nullius sunt momenti.* Quales autem, vel cuius opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimae leges ostendunt: vnde lex * canonizata ff. dicit: *Si testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sint: sequenda sunt omnia testimonia.* Item in eodem: *In testibus fides, dignitas, morum grauitas consideranda est.*

Greg. de exam. testiũ. dist. 2 q 1. — * al Canonica. — Lex can. — Can eodem, dist. 4. q. 3.

¶ ITEM, prohibentur minores aetate, dicit enim Canon: *Ad testimonium infra annum quartumdecimum aetatis suae constituti non admittantur.* Item in eodem: *In criminali causa accusator esse non debet, qui in publico crimine reus erit, aut qui minor * 20. annis erit.* In eadem autem quaestione dicitur: *Testes ad testimonium admittendos non esse censemus, qui nec ad accusationem admitti iussi sunt.*

Canon 4 quaest. 3. — Ibidem. — * aliàs 15. — Ibidem.

¶ ITEM prohibentur mulieres, vt auctoritas August. ex libro Quaestionum veteris & noui Testamenti: Mulierem constat esse subiectam viri sui dominio, & nullam auctoritatem habet: nec docere potest, nec testis esse; nec nec fidem dare, nec iudicare. Item decretum Fabiani Papae: *Mulieres nec sacerdotes accusare, nec in eos testificari valent.*

Can dist 32 q. 5. — Decretũ Fabia Papae, dist. 5 q 3.

¶ ITEM, prohibentur serui, vnde lex canonizata: *Liberi testes ad causas postulantur alienas.* Item, *idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, vt testes fiant.* Cùm ergo seruis potest imperari, vt testes fiant; non possunt esse testes idonei.

Lex canonica dist. 4. q. 3.

¶ ITEM, prohibentur pauperes, vnde B. Gregorius: *De personis testificantibus subtiliter quaerendum est, cuius conditionis sint: & ne inopes sint.*

Greg. dist 2. q. 1.

¶ ITEM, prohibentur mente alienati: quia (sicut dicit Canon) *à testimonio repelluntur, qui repelluntur ab accusatione*: ab accusatione autem & iudicio dictando prohibentur alienati mente, sicut habetur 3. q. 7.

Canon.

¶ ITEM, prohibentur inimici, vnde B. Gregorius: *De personis testificantium quaerendum est, ne fortè aliquas inimicitias habuissent.*

Greg. 2 quaest. 1.

¶ ITEM, prohibentur familiares, & domestici, vnde lex canonizata: *In iure ciuili domestici testimonij fides improbatur.* Item; *idoneus testis pater filio, aut filius patri non est.* Item, *Testes ad testimonium non admittendos esse censemus, quos accusator de domo sua produxit.*

Lex canonizata 4. quaest 3. — Ibidem. — Ibidem.

¶ ITEM, prohibetur testimonium alicuius in re sua: vnde lex canonizata: *Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.*

Lex can. dist. 4. q 3.

¶ ITEM, prohibentur laici contra clericos ferre testimonia: sicut & ab accusatione. 2. q. 7. Sed istud intelligitur in causa criminali.

¶ ITEM, prohibentur accusatores, & iudices, vnde: *Nullus vnquam praesumat accusator simul, & iudex esse, & testis.* Ex his igitur patet: quod duodecim genera personarum prohibentur à testimonio: videlicet infideles, infames, pueri, mulieres, serui, pauperes, alienati, inimici, domestici, idem in re sua, laici contra clericos, & cum accusatoribus iudices.

dist. 4. q 4.

¶ QVAERITVR ergo, qua ratione huiusmodi personae, & non aliae secundum canones & leges nõ idoneae ad testimonium iudicentur.

¶ ITEM, obijcitur contra hoc, quod dicitur de seruis, nam dicitur: *Serui responsio tunc credendum est: cùm alia probatio ad erudiendam veritatem non est.* Ergo seruus non est repellẽdus à testimonio generaliter.

dist. 4 q 3.

¶ ITEM, obijcitur contra hoc quod dicitur de mulieribus. Nam cùm maius sit incomparabiliter esse testẽ veritatis diuinę, quàm veritatis humanae: mulieres autem inueniantur idoneae ad testimonium veritatis diuinae, vt Elisabeth, Luc. 1. & Anna, Luc. 2. & multae aliae in veteri testamento. Ergo multo fortiùs inuenientur idoneae ad testimonium veritatis humanae.

¶ ITEM, lex canonizata dicit: *Ex eo quod prohibet lex Iulia de*

Lex can. dist 15. q 3.

lia de adulterio condemnatam mulierem testimonium dicere, colligitur mulieres testimonium in iudicio ius dicendi habere.

Ibidem. ¶ ITEM eadem quæst. lex alia: *In quæstionibus læsæ maiestatis audiuntur mulieres: coniurationem Sergij Catilinæ Iulia mulier detexit, & Marcum Tullium Consulem in iudicium eius instruxit.* Relinquitur igitur, secundùm sanctionem diuinam & humanam mulieres in testimonio idoneitatem habere.

¶ ITEM, obijcitur cõtra hoc, quod dictum est de pueris. Nam B. Brixius voce pueri triginta dies abortu habentis, innocens probatus est: ergo multo magis voce pueri duodecim, vel tredecim annorum poterit testimonium dici.

¶ ITEM obijcitur de pauperibus. Nam si pauperes sũt à testimonio repellendi: ergo sancti viri, & religiosi, & etiam Apostoli erunt à testimonio prohibendi: quia pauperes sunt, nihil habentes.

¶ ITEM, obijcitur contra hoc quod dicitur, quòd domestici non sunt ad testimonium admittendi. Nam dicitur: *Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo * computet: sed propinqui, ad quorum notitiã pertinent, vt pater & mater, & soror & frater, patruus & auunculus, amita & matertera.* Ergo domestici non sunt à testimonio generaliter repellendi.

dist. 35. q. 6.

* al. confutet.

¶ ITEM obijcitur de hoc quod dicitur: quòd laici nõ possunt testificari contra clericos. Nam Christus summus Sacerdos in testimonium contra se quemlibet admittebat, cùm vni dixit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo.* Ergo multo fortiùs quilibet sacerdos, & clericus poterit à quolibet accusari.

Matt. 26.

¶ ITEM obijcitur de hoc, quod dicitur: quòd nullus potest esse testis in causa propria: nam dicit Decretalis, tit. de testib. quòd Canonici nõ sunt in testimonio super negotio suæ ecclesiæ repellendi, nisi aliqua alia rationabilis causa impediat.

RESOLVTIO.

Non quælibet persona ad testimonium ferendum idonea est: quinimmò duodecim personarum genera excluduntur: scilicet infideles, infames, pueri, mulieres, serui, pauperes, alienati mente, inimici, domestici, idem in re sua, laici contra clericos, accusatores ipsi, & iudices.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod cùm dicat lex Dei,
Exod. 23. Exod. 23. *Non in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ.* Et ite-
Deut. 19. rum Deut. 19. *Cùm sacerdotes diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem contra fratrem suum dixisse mendacium: reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit.* Canones & etiam humanæ leges rationem legis considerãtes: omnes personas quæ possunt haberi suspectæ de mendacia in testimonio ferendo, vel de veritate supprimenda inidoneas ad testimonium censuerunt.

¶ AD hoc autem discernendum cõsiderauerunt quinque in personis testificantium, mores, naturam, fortunã, animum, statum.

¶ CIRCA mores considerauerunt duo, propter quæ non debebat fides adhiberi testificanti: errorem, & malitiam: propter errorẽ, infideles: propter malitiam infames repellendos à testimonio sanxierunt.

¶ CIRCA naturam duo considerauerunt, ætatem, & sexum: in pueris defectus ætatis obnubilat rationem, in mulieribus sexus emollit voluntatem. Inde tam pueros, quàm mulieres idoneos ad testimonium non censuerunt.

¶ CIRCA fortunam considerauerunt duo, conditionem seruitutis, & aduersitatem paupertatis: seruitus habet annexum dominationis timorem, paupertas temporalitatis amorem: q̃ duo maximè solent homines ad mendacium inclinare. Vnde secundùm Canones, & humanas leges (nisi in casibus determinatis) seruorũ, & pauperum testimonia reprobantur.

¶ CIRCA animum duo considerauerunt principaliter, intellectum, & affectum: & in intellectu alienationẽ rationis, in affectu libidinem voluntatis. Item libidinem discreuerunt per libidinem iræ, quæ est in odio: & libidinem concupiscentiæ, quę est in desiderio. Item, libidinem concupiscentiæ considerauerunt dupliciter, quò ad se, & quò ad alios. Et secundùm hanc distinctionem vitiorum contingentium ex parte animi testificantis, quatuor genera personarum indigna decreuerunt: furiosos propter alienationem rationis, inimicos propter libidinem voluntatis in irascendo, seu in audiendo (sicut enim dicitur 4. q. 3. propter inimicitias testes repelli leges præcipiunt,) propter libidinem postea voluntaris in concupiscentia respectu alterius inidoneos iudicant domesticos, propter verò libidinem cõcupiscentiæ respectu sui iudicant quemlibet testem inidoneum in re sua.

¶ CIRCA demum statum considerauerunt duo, statum personarum extra iudicium, & statum personarum in iudicio. Extra iudicium quidem considerauerunt statum laicorum & clericorum; & quòd consueta est æmulatio status laicorum respectu status clericorum: & ideo in criminali causa remouentur laici ab accusatione, & testimonio clericorum secundùm distinctionem, quæ iam dicetur. In iudicio autem considerauerunt personarum distinctionem, quæ consistunt in iudicio: & conditiones earum non concurrentes in aliquam vnam personam: secundùm quod dicit beatus Fabianus 4. q. 4. *Nullus vnquam præsumat accusator simul esse, & testis, & iudex.* Item B. Damasus quæst. eadem. *Per se accusatores, per se iudices per se testes, per se accusati, vnusquisq; in suo ordine.* Patet ergo qualiter iuxta legem Dei Canones, & humanæ leges personas prædictas inidoneas ad testimonium decreuerunt.

B. Fab. distin. 4. q. 4.

Damasus eadem q.

¶ DIFFINIAMVS igitur idoneitatem & inidoneitatem personæ testificantis; idoneitas personæ testificantis est dignitas personæ, cuius verbis debet fides adhiberi, absque omni suspicione mẽdacij. Inidoneitas verò est defectus dignitatis in persona, cuius verbis non debet fides adhiberi propter suspicionem mendacij.

¶ AD primum ergo, quod obijcitur de seruis. Respondetur per distinctionem: aut enim seruus manet in seruitute, aut manumittitur transiens ad libertatem. Si manumissus est, potest recipi in testimonium eorum, quæ vidit in tempore seruitutis, secundùm quod dicunt leges humanæ. Si verò est manens in seruitute, aut ergo interrogatur de his, quæ pertinent ad suum dominum: aut de alijs. In primo casu non est recipiendus in testimonium, vnde 4. quæst. 3. *Serui non pro domino suo, nec aduersus dominum, sed pro facto suo interrogari possunt.* (Exceptis tamen criminibus tribus: videlicet crimine adulterij, crimine fraudati census, crimine maiestatis, vnde 12. quæst. 2. Serui in patronos testificari non possunt, nisi in quibusdam casibus. Et postea exprimuntur secundùm legem. Exceptis adulterij criminibus, fraudati census accusationibus, & crimine maiestatis, quod ad salutem Principis pertinet. Quidam etiam addunt duos casus: vnus est, cùm maritus dicitur occidisse vxorem secundùm legem humanã de sicarijs: alius est, cùm agitur de occiso domino.) Si verò interrogatur seruus de his, quæ pertinent ad alium quã ad suum dominum, aut est defectus probationis, aut non. Si est defectus, recipitur ad testimonium: vnde, 4. quæst. 3. *Serui responso tũc credendum est, cùm alia probatio ad eruendam veritatem non est.* Si verò non sit defectus probationis, non erit admittendus.

dist. 4. q. 3.

dist. 12. q. 2.

Eadem q.

dist. 4. q. 3.

¶ AD illud, quod obijcitur de mulieribus. Respondent quòd regulariter mulier non est admittenda ad testimonium, nisi in quibusdam casibus: in quibus etiam mulieri conceditur accusare. Vnde distinguitur [illegible] sis: aut enim causa criminalis est, aut non criminalis. Si criminalis, non admittitur, nisi suam aut suorum iniuriam prosequatur, & in crimine læsæ maiestatis: in quibus permittitur ei accusatio, sicut habetur 15. quæst. 3. Si verò non sit criminalis causa, vt pecuniaria, vel matrimonialis, admittitur mulier in testimonium.

¶ AD illud verò, quod obijcitur: quòd [illegible] testimonium admittitur veritatis diuinæ. Dicendum [illegible] non est generale, nec regulare, [illegible]

pitu.

priuilegia verò paucorum non faciunt legem communē. Datus est autem spiritus prophetię mulieribus ea ratione, qua de muliere virgine natus est Christus: ne sc. contēnatur muliebris sexus: & ne propter culpam Euæ credatur à Domino reprobatus; & ideo non est ad consequentiam trahendum speciale priuilegium mulierum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de pueris: dicendum, quòd pueri infra decimumquartum annum non sunt recipiendi ad testimonium, quamdiu sunt infra illam ætatē. Cùm verò illam pertrāsierint, possunt ferre testimonium de his, quæ in minori ætate viderunt: quemadmodum & docere ea, quæ in minori ætate didicerūt, sicut dicitur 37. dist. auctoritate B. Clementis: Absurdum non erit, si aliquid ex eruditione communi ac liberalibus studijs, quæ fortè in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis inferat.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de puero triginta dierum testificante innocentiam B. Brixij: Respondetur, miracula diuina sunt admiranda, non in exemplum humanę actionis trahenda.

¶ Ad illud verò, quod quęritur de pauperibus: dicendum est, quòd est pauper voluntate, & pauper necessitate. Pauper necessitate solùm cupit diuitias; pauper verò spiritu, seu voluntarius, contemnit diuitias temporales propter æternas. In primo præsumptio est, vt pro pecunia mentiretur, & ideo est à testimonio repellendus. In secūdo verò nulla præsumptio est; & ideo ad testimonium est maximè idoneus; cùm de eius fide, & de veritate maximè præsumatur.

¶ Ad illud verò, quod de domesticis obijcitur: aut quod idoneus pater filio, vel patri filius testis non est. Generaliter conceditur, exceptis casibus tribus. Primum est in testamento; vnde pater potest esse testis in testamento filij testantis. Secundus est in successione, pater enim & mater admittuntur ad probandum genus, vel ætatem filij, secundùm quod dicit Decretalis, tit. de legitimitate, quæ ponit casum de quodam, qui nutriebat puerum, quē dicebat esse filium suum nō legitimum, sed spurium: processu temporis duxit vxorem quandam mulierem, quam, dum nutriret puerum, tenebat in domo: & susceptis ex ea liberis, prædictus puer dicit se hæredem, & cum eis hæreditatem debere impertiri: quæritur, quomodo illud possit* improbari? & respondit Papa, quod credendum est verbo mulieris & viri. *al. probari.

¶ Tertius casus est in matrimonio: vnde dicit Decretalis, quòd parentes, fratres, cognati vtriusque sexus in testimonium filij & filiæ ad matrimonium coniungēdum sunt admittendi.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de laicis, quod possunt contra clericos testificari. Intelligitur in causa ciuili, in causa verò criminali nō admittuntur, nisi eum distinctione, quæ supra habita est Quæstione de persona accusatoris, Membro 2. Vtrùm inferiores possint accusare superiores. Quæstione 42.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur: quòd homo non potest esse testis in causa sua. Dicendum, quòd cùm clerici introducuntur testes pro ecclesia sua; non intelliguntur esse testes in domestico negotio, vel in proprio: sed pro ecclesia, quæ mater est omnium pauperum. Et ratio est: quia causa ecclesiæ non est causa singulorum Canonicorum; sed causa Christi & pauperum; secundùm quod dicitur 14. quæst. 2.

MEMBRVM IIII.

De fide testibus adhibenda.

Postea quærendum esset de fide testibus adhibenda. Sed hæc Quæstio competentiùs determinabitur infrà. Quæstione (videlicet) quadragesima quinta immediatè sequenti, cùm quæretur de processu iudicij. Membro sexto, Articulo secundo: ideo illucusque transferatur.

(* * *)

MEMBRVM V.

An testis pro testimonio ferendo licitè pecuniam recipere possit?

Vltimò quæritur: Vtrùm licitum sit testi pro testificando pecuniam recipere? Ad quod sic Augustinus: *Non debet iudex vendere verum iudicium: aut testis verum testimonium.* Aug. ad Macedoniū ep. 54.

¶ Rursus: *Cùm iudicia & testimonia, quæ nec vera, nec iusta vendenda sunt: iniqua & falsa venduntur, multo sceleratiùs pecunia sumitur: quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur.*

¶ Contra, lex canonizata: *Venturis ad iudicium per accusatorem, vt ab his, per quos fuerunt postulati, sumptus competēter ministrentur; etiam si in pecuniaria causa testes sunt ab alterutra parte producendi.* Lex can dist. 4. q. 3.

RESOLVTIO.

Non est licitum testi pro testimonio accipere munus: sed benè licitum est accipere sumptus.

¶ Sed ad hoc responsio facilis est. Nam aliud est pro testificatione munus accipere: aliud sumptus necessarios percipere. Primum enim nefas est & præuaricatio, vnde dicit B. Gregorius: *Si spes muneris subtrahitur, confestim à confessione institia recedunt:* vnde acceptio munerum præuaricatio est veritatis, vnde & pro iusto dicitur: *Qui excutit suas manus ab omni munere, iste in excelsis habitauit.* Et hoc quidem intelligitur de iudice, sicut habetur 11. quæst. 3. vnde Beda super Marcum: *Abijs Iudas ad summos sacerdotes, & constituerunt illi pecuniam, &c.* Cùm pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt: quia profectò qui pro pecunia veritatem negant, Dominum pro pecunia vendunt. Ipse enim dixit: *Ego sum veritas.* Secundum verò licitum est, scilicet sumptus necessarios percipere in prædicto casu: cùm oporteat ad locum remotum pro testimonio ferendo procedere: nemo enim tenetur proprijs stipendijs militare. Isai. 33. Beda super Marc. cap. 14. Ioan. 14.

¶ Si verò quæratur, an teneatur restituere ea, quæ pro testimonio ferendo recepit: determinabitur infrà, cùm agetur de Restitutionibus.

QVÆSTIO XLIV.

De Aduocatis.

In tria Membra diuisa.

Pertractatis quęstionibus circa personas, quę quasi essentiales sunt in constitutione iudicij: consequenter quærendum est de personis quæ quasi accidentaliter assistunt iudicio: vt ex parte iudicis Assessores, & officiales: & ex parte partium Aduocati & procuratores. D. Tho. 2.2. q. 71.

¶ Circa quod plura quæruntur: Primò, vtrùm aduocatus teneatur ad iustum patrocinium: & iurisperitus ad iustum consilium indigenti conferendum? Secundò, vtrùm iurisperitus possit vendere iustum consilium, & aduocatus? Tertiò, quæ requiruntur ad legitimum aduocatum.

MEMBRVM I.

An Aduocati & Iurisperiti teneantur ad iustum patrocinium & consilium ferendum indigentibus?

Ad primum sic Ambrosius: *Grādis culpa est, si te scienteste, fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, & famem tolerare: ærumnas perpeti, qui egere erubescit: si in* causam ceciderit, aut captiuitatis suorum, aut calumniæ: & non adiuues.* Ergo grandis culpa est iurisperito miserabilibus personis subtrahere iuris consilium: & aduocato subtrahere patrocinium. Ambr. in lib. de officijs. *al. casū.

¶ Item, medicus tenetur pauperi languido impendere curam & consilium medicinæ, secundùm quod dicit B. Symmacus: *Nō est grandis differētia, vtrùm lethū inferas, vel admittas:* Symmachus.

mittas: mortem enim languidis probatur infligere, qui hãc cùm possit excludere, non excludit, 83. dist. Ergo pauperi oppresso iniustè; tenetur Aduocatus impendere patrocinium pari ratione.

Exod. 23 ¶ ITEM dicit lex Dei, Exod. 23. *Si occurreris boui aut asino inimici tui erranti, reduc eum.* Sed (sicut dicit Apostolus:)
1. Cor. 9 *Nunquid de bobus cura est Deo?* aut propter nos vtique hoc dicit? Si ergo boui inimici erranti tenemur subuenire, ergo multo fortiùs Iurisperitus pauperi ignoranti tenetur consulere.

Exod. 23. ¶ ITEM dicit lex in eodem: *Si videris asinum odientis te cecidisse sub onere, non pertransibis; sed subleuabis cum eo.* Si ergo oppresso asino inimici tenetur quilibet impendere adiutorium secundùm legis literam: ergo multo fortiùs oppresso pauperi tenebitur Aduocatus impendere patrocinium ad tuendam causam.

RESOLVTIO.

Et quidem, tum maximè lege illa naturali & euangelica. Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.

¶ QVOD absolute concedendum est. Tenentur enim miserabilibus personis, quæ non habent quid tribuant, & propter defectum consilij & patrocinij amittunt causas suas, & grauantur iniustè, legisperiti consilium, & Aduocati patrocinium. Et hoc per legem, qua tenentur subuenire indigenti: per legem naturalem, & Euangelicam,
Matt. 7. qua dicitur: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, facite illis.*

MEMBRVM II.

An liceat Aduocatis, Procuratoribus, Assessoribus, & huiusmodi officialibus pro sua aduocatione, &c. pecuniam recipere.

CONSEQVENTER quæritur: vtrùm officiales, Assessores, & Aduocati possint pro consilio iuris seu dictamine & patrocinio pecuniam recipere? Ad quod sic: Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale. Si ergo consilium iuris seu dictamen & patrocinium spiritualia sunt: hæc vendere, vel pro istis pecuniam sumere, simoniacum erit.

Aug. ad Macedonium, epistola 54 ¶ ITEM, secundùm Augustinum: *Non debet iudex vendere iustum iudicium: nec testis verum testimonium.* Ergo nec aduocatus poterit vendere iustum patrocinium: vel iurisperitus iustum consilium. Probatio; sicut enim iustum iudicium iudici, & verum testimonium testi est gratis concessum à Deo: & ideo gratis impendendum, iuxta illud
Matt. 10 præceptum, Matth. 10. *Gratis accepistis gratis date.* Similiter iustum patrocinium Aduocato, & iustum consilium legisperito.

Gregor. ¶ CONTRA; Gregorius: *Iustum est, vt illi consequatur stipendium, qui tempore suum cõmodare reperiuntur obsequium.* Ergo cùm Aduocati & Assessores suum commodent obsequium: iustum erit, vt consequantur stipendium.

Aug. ep. 54. ad Macedoniũ loco ante [illegible] ¶ ITEM Augustinus: *Sunt aliæ personæ inferioris loci, quæ ab vtraq; parte non insolenter accipiunt: sicut officialis, à quo amouetur & cui admonetur officium.*

¶ ET iterum: *Non ideo debet iudex vendere iudicium, aut testis testimonium: quia vendit aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium.*

RESOLVTIO.

Aduocatus, & cæteræ huiusmodi personæ quasi accidentales iudicio si certum stipendium sibi assignatum non habeant, possunt pecuniam recipere, sed moderatè iuxta quantitatem causæ, laboris, scientiæ vel facundiæ eorum, & regionis consuetudinem.

¶ RESPON. secundùm August. ad eundem Maced. verbis prætactis: De personis inferioris loci, vt officialibus, & assessoribus, & aduocatis, quòd non insolenter tales personæ accipiunt: & ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem consuetudinem non solent: magisque reprehendimus, quia talia insusitata reperiuerunt, quàm qui ea de more sumpserunt: quoniam necessariæ personæ rebus humanis vel inuitatur huiusmodi commodis, vel tenentur.

¶ DISTINGVIMVS ergo circa officiales. Aut enim habent certum stipendium sibi assignatum; aut non habent. Si habent, nihil omnino possunt recipere, sicut dicit Augustinus de verbis Domini super illud Luc. 3. *Neminem concutiatis, &c.* Quicunque stipendia publica decreto consequitur: si ampliùs quærit, tanquam calumniator & cõcussor Ioannis sententia condemnatur. Si verò non habet, distinguendum, quòd secundùm consuetudinem & amorem recipere potest, per immoderatam verò improbitatẽ non poterit licitè: vnde Aug. quod extorta per immoderatam improbitatem ab his repeti solent. Circa assessorem verò & aduocatum distinguitur; quod moderatum salarium recipere possunt licitè: immoderatè non possunt. Moderatum autem salarium attendi debet per considerationem quatuor: primum est quantitas causæ: secundum labor: tertium scientia in assessore, & facundia in aduocato, quartum cõsuetudo regionis. Secundùm horum quatuor considerationem salarium maius vel minus debet taxari. Sicut enim dicit B. Leo: *Pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis præmium debetur.* Et iterum sicut dicit lex canonizata, *arceantur à professione aduocatorum, qui cum graui damno litigatorum & depredatione poscentes inueniuntur.* Nota tamẽ, quod postquam causa incepta est; nullum pactum debet aduocatus facere cum litigatore: secundùm ꝙ dicitur in Canone: Non licet aduocato illi cõtractum inire cum eo litigatore, quem in propriam recepit fidẽ: nec ex industria iurgium protrahere.

Luc. 3.

August.

Leo dist. 61.

Lex canonizata.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur primò: quòd iustum consilium & patrocinium res spirituales sunt. Dicendum, quod verum est secundùm se considerata: tamen labor in disceptando & in disputando de his, quæ pertinent ad iuris consilium, & ad causæ patrocinium, corporalia sunt. Et ideo ratione istorum dicit August. quòd aduocatus potest vendere iustum patrocinium, & legisperitus iustum consilium. Si autem sine labore posset legisperitus respondere petenti consilium: nõ est aliqua ratio quare possit recipere: imò quod gratis accipit, debet gratis dare, secundùm ꝙ dicitur: *Gratis accepistis, gratis date.* Matt. 10.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de iudice & teste: qui nihil possunt recipere, pari ratione nec aduocatus, nec legisperitus. Respondendum, quod non est simile. Nam sicut dicit Augustinus, iudex & testis inter vtramq; partem ad examen adhibentur: Iurisperitus autem & aduocatus ex vna parte consistũt, & ideo non debet iudex iustum vẽdere iudicium, aut testis verum testimonium: licet aduocatus vendat patrocinium iustum, aut legisperitus iustum consilium.

Aug. ad Macedonium.

¶ SI autem obijciatur, quòd officialis aut assessor secundùm hanc rationem non possunt recipere salarium: quia adhibentur ad examen iudicij inter vtramque partem. Dicendum, quòd non debent accipere salarium sicut pretium iudicij vel examinis, sed solùm sicut stipendium laboris: iuxta illud Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Matt. 10.

MEMBRVM III.

Aduocato cuiq;, vt legitimus dicatur; quæ requirantur.

DEINDE quæritur, quæ requiruntur ad legitimum aduocatum. Ad ꝙ breuiter notandum, quòd requiruntur ad officium legitimum aduocati, persona cõgrua, causa iusta, modus debitus, affectus pius.

¶ CIRCA personæ congruitatem debet considerari bonitas, status, gradus, officium. Propter defectum bonitatis prohibentur, infames, hæretici, pagani, excommunicati: vnde 3. q. 7. *Infames non possunt esse procuratores, vel causarum patroni.* Et iterum dicit Concilium: Quod omnes infamiæ maculis respersi, id est histriones; aut turpitudinibus subiectæ personæ; hæretici etiam seu pagani ab accusatione prohibẽtur. Itẽ propter defectũ status prohibẽtur mona- dist. 3. q. 7 dist. 4. q. 1

Eugenio dist. 16. quæst. 1. Ibidem.

monachi, vnde dicit Eugenius: *Placuit nostro communi consilio, nullus monachus pro lucro terreno nefandissimo ausu de monasterio exire præsumat.* Et sequitur: *Neque in quibuscunque negotijs sese implicans: sit claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus: sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo est mortuus, Deo autem viuus: agnoscat nomen suum: monos enim græcè latinè vnus; achos tristis: vnde monachus dicitur, id est vnus & tristis: sedeat igitur tristis, & officio suo vacet.* Ex hoc intelligitur, quòd non possunt esse Aduocati monachi: nisi fortè in causa sui monasterij: & hoc Abbate imperante, sicut dicit Decretalis Innocentij. Et idem intelligitur de regularibus Canonicis, sicut dicitur ibidem.

μοναχός ἀπὸ τῆ μόνος, καὶ ἄρχος.

Innocen. ext. de postul. c. 1.

Item, propter idoneitatem gradus prohibentur clerici in sacris Ordinibus constituti, & etiam in minoribus beneficiati, & hoc coram iudice seculari, vnde dicit Concilium Lateranense: *Clerici in subdiaconatu, in ordinibus etiam minoribus si beneficijs ecclesiasticis sustententur, coram iudice seculari in negotijs secularibus Aduocati fieri non præsumant: nisi propriam causam, vel suæ ecclesiæ fuerint prosecuti: aut pro miserabilibus personis fortè, quæ proprias causas administrare non possunt.* Coram verò iudice ecclesiastico dicunt non esse prohibitos ab Aduocatione, nisi sacerdotes solos, vnde Decretalis Gregorij X. *Cùm sacerdotis sit nullis nocere, omnibus velle prodesse: non nisi pro se ipso & ecclesia sua; vel si necessitas immineat pro personis coniunctis sibi vel miserabilibus est licitum postulare.* Item, propter distinctionem officij prohibetur iudex: *Quia*, sicut dicit B. Damasus, *accusatores, & iudices non ijdem sint: sed per se accusati, per se iudices, per se testes, per se accusatores: vnusquisque in suo ordine.* Aduocatus autem stat in causa, aut pro parte accusatoris, aut pro parte accusati: & hæc distinctio habetur secundùm Canones. Nota tamē secundùm legem humanam canonizatam, ff. tit. de postul. distinctionē aliam. Quidam enim prohibentur omnino postulare, vel propter ætates minores octodecim annis, vel propter casum, vt surdus, qui prorsus non audit. Alij prohibentur, ne pro alijs postulent, vel propter sexum, vt fœminæ: vel propter casum, vt vtroque lumine orbati: vel propter notam infamiæ, & turpitudinis. ijs personis pro se allegare permittitur: pro alijs postulare prohibetur: nisi fortè pro certis personis: vt. pro parentibus, pro liberis, pro fratribus, & sororibus, & huiusmodi: quæ determinantur à iure 3. q. 7. Hæc igitur sunt attendenda quantum ad congruitatem personæ.

Concilium Lateran. extr. de postul.

Decretal. Greg X.

Damasus

¶ Ex parte causæ requiritur iustitia, vt non foueat causam iniustam, vnde dicitur Leuit. 19. *Nō facies quod iniquum est.* & Eccles. 4. *Pro iustitia agonizare.*

Leuit 19. Eccles. 4.

¶ Ex parte modi debiti requiritur iustus ordo, & modestus sermo, vt non producat falsos testes, vel subornatos; nec falsa instrumenta, nec alleget leges falsas, sed faciat, sicut præcipitur. Iustè, quod iustū est exequeris: in quo præcipitur iustus ordo. Item modestus sermo requiritur, secundum quod præcipitur Eccles. 28. *Aurum, & argentum tuum confla: & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos: & attende, ne fortè labaris in lingua.* Item Eccles. 22. propter hoc dicitur: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ex ipsis, & labia mea perdant me.*

Eccles. 28

Eccles. 22.

¶ Item, requiritur præter prædicta affectus pius; vt scilicet pauperes, & pupillos oppressos tueantur: secundùm quod præcipitur Esai. 1. *Subuenite oppresso, defendite viduam.* Inde est, quod præcipitur in lege, Exod. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Si ergo hæc lex seruabatur in asino odiētis oppresso, multo magis erit seruanda in persona pauperis, vel pupillo per iniuriam oppresso. Ex hac igitur lege, tenetur Aduocatus oppressum pauperem releuare.

Esai. 1. Exod 23.

¶ Sic igitur terminatur hæc pars, in qua agitur de personis, quæ constituuntur in iudicio.

QVÆSTIO XLV.

De Processu Iudicij.

In septem Membra, & duos Articulos.

D Tho. 2. 2 q. 6. Leuit. 19

ORDINIS consequentia requirit inquirere de processu iudicij. Propter quod datur lex Leuit. 19. *Iustè iudica proximo tuo: non facies, quod iniquum est: nec iniustè iudicabis.* Et in Psalm. 57. *Iustè iudicate filij hominum, &c.* in quibus manifestè processus debitus iudiciorum præcipitur: & iniustus seu indebitus prohibetur.

Psalm. 57.

¶ PRÆTER autem prædictas conditiones, quæ ... sunt circa personas iudicis, rei, & accusatoris, & ... pertinent ad debitum processum iudicij, inquirenda ... ista. De triplici processu iudicij. De ordine processus iudicij. De inquisitionibus & purgationibus. De confessionibus. De probationibus in generali. De probationibus in speciali per testes. De probatione per præsumptionem.

MEMBRVM I.

De triplici processu iudicij.

DE triplici processu iudicij dicit Innocentius Tertius in Concilio generali: *Ad corrigendos excessus, vt de notorijs excessibus taceatur; tribus modis potest procedi, per accusationem, denunciationem, & inquisitionem. Et tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela: ne forte per leue compendium ad graue dispendium veniatur. Sicut accusationem legitimam præcedere debet inscriptio: sic denunciationem charitatiua admonitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.*

Innocen. III.

¶ SED quæritur in primis, ex quibus sanctionibus diuinæ legis accipitur iste triplex processus. Nam sicut dicit Hieronymus; *sicut illud, quod introducitur ad probandum fidem, non habet fidem, nisi ex testamento nouo, vel veteri deriuetur: ita nec iudicialis sanctio auctoritatem videtur habere, nisi per nouam vel veterem legem confirmetur.*

Hieron.

¶ ITEM, qua ratione iste triplex iudicij processus distinguitur, meritò dubitatur. Nam Iurisperiti distinguunt sic: quòd in accusatione agitur ad degradationem, & ideo accusator debet se obligare ad talionem: vnde propter hoc dicit Innocentius, quòd accusationem præcedat legitima inscriptio. Item in denunciatione agitur ad pœnitentiam, & correctionem; & ideo debet præcedere charitatiua admonitio. Item in inquisitione agitur ad amotionem ab administratione: sed quia in prælatis maximè esset periculosum, si quæcunque delatio admitteretur: ideo inquisitionem debet præcedere clamosa insinuatio, vt (sicut dicit Innocent.) falsæ & malignæ criminationi ianua præcludatur.

Innocen.

Idem.

¶ SED obijcitur. Dicit enim B. Augustinus, quòd in iudicijs, seu plectendo, seu ignoscendo hoc solùm benè agitur, vt vita hominū corrigatur. Ergo in processu accusationis malè agitur, nisi agatur ad correctionem. Non ergo cōuenienter distinguunt processus denunciationis, & accusationis: quia in vno agitur ad correctionem, in alio ad degradationem.

August.

¶ ITEM dubitatur, si inquisitionem debet præcedere clamosa insinuatio, ergo inquisitionem videtur præcedere denunciatio. (Non enim videtur differre clamosa insinuatio, & denunciatio.) Ergo in processu inquisitionis includitur processus denunciationis.

¶ ITEM quæritur, quantum ad quid intelligatur insinuatio clamosa? Nam si intelligatur quocunque modo: ergo ad voces vulgi debet prælatus descendere ad inquisitionem: cùm tamen dicant iura, quòd voces vulgi vanæ sunt.

¶ RESPON. ad primum; quòd iste triplex processus iudicij accipitur ex legibus noui, & veteris Testamenti. Processus inquisitionis ex Luc. 16. vbi dicitur de villico, quod diffamatus est apud dominum suum, quasi dissipasset bona illius, cui dixit dominus: *Quid hoc est, quod audio de te: redde rationem villicationis tuæ.* Et ex Genes. vbi dicitur. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Ex quibus manifestè probatur, quòd non solùm cùm subditus, verum etiam cùm prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris peruenerit: debet coram ecclesiæ senioribus veritatem diligentiùs perscrutari: vt si ita poposcerit qualitas, canonica districtio culpam ... delinquentis.

Luc. 16.

Genes. 18

¶ ITEM, processus denunciationis accipitur ex ...

Leuit. 5. Leuit. 5. vbi dicitur. *Anima quæ audierit vocem iurantis: testisq; fuerit, quod vidit aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.* Super quem locum dicit August. quod indicari debet ei, qui potest prodesse & non obesse: cùm (scilicet, August. Ibidem. est tale crimen, de quo aliquis potest esse testis: quod dicit lex. Testisque fuerit, &c. Erit ista indicatio est denunciatio; quamuis istud habeat dubitationem; sicut infra dicetur. Matt. 18. Item, iste processus accipitur manifestè ex Matth. 18. vbi dicitur. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si non te audierit, adhibe vnum vel duos: quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ.*

Deut. 25 ¶ Item, processus accusationis ex lege accipitur Deut. 25. *Si causa fuerit inter aliquos, qui interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt, quem impium condemnabunt impietatis.*

¶ Ad secundùm verò quod quæritur: dicendum, quod processus prædictus distinguitur sic: in inquisitione enim proceditur ad correctionem ex officio seu auctoritate iudicis: Vnde Innocentius III. *Denuntiante fama, vel deferente* Innocen. tertius. *clamore, Prælatus officij sui debitum exequatur, descendendo, scilicet ad inquisitionem.* In denunciatione verò, & accusatione proceditur ad correctionem, sed ex alterius delatione: quæ fit dupliciter, vel ad correctionem secundùm seueritatem iustitiæ, qualis debet esse in accusatione, vel ad correctionem secundùm affectum misericordiæ, qualis debet esse in denunciatione. Et inde est, quod accusator, quia correctionem quærit secundùm seueritatem obligat se ad talionem: denunciator verò non, quia correctionem intendit secundùm misericordiam seu pietatem. Præterea, in inquisitione consideratur discretio veritatis in denunciatione affectus charitatis: in accusatione terror seueritatis. Secundùm hoc ergò dicendum, quod in hoc triplici processu semper intenditur correctio delinquentis, si sit ordinatus processus.

¶ Ad tertium dicendum, quod clamosa insinuatio, & denunciatio differunt: nam denunciatio fit per determinatam & certam personam: clamosa verò intimatio indeterminate per famam. Vnde sicut in processu denunciationis persona denunciantis est loco accusatoris, & in processu accusationis persona accusantis est loco actoris: ita in processu inquisitionis loco auctoris est fama seu delatio clamoris, vnde dicit Innocent. III. quod in inquisitione est idem actor & iudex: sed denunciante fama, vel deferente clamore Prælatus officij sui debitum exequatur. Idem. Ex hoc igitur patet, quod processus inquisitionis non includit in se processum denunciationis.

¶ Ad vltimum verò dicendum, quod clamosa insinuatio non intelligitur secundùm voces varias vulgi: sed secundùm voces personarum grauium, & honestarum: Idem. vnde Innocentius Tertius. *Si excessus per clamorem, & famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis & maledictis, sed à prouidis & honestis, nec semel tantum, sed sæpe, quod clamor innuit* (Gen. 18.) *& diffamatio manifestat* (Luc. 16.) *debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari.*

MEMBRVM II.

De ordine processus iudicij.

Secundo quæritur de ordine processus iudicij. Circa quod notandum est, quod variatur ordo multipliciter: aut enim factum est notorium, & euidens, aut latens. Si euidens est, tunc proceditur in iudicio sine accusatione accusatoris: sicut declaratum est supra *Quæstione de officio iudicis*, vtrum possit iudex sine accusante iudicare. Si verò factum sit latens: proceditur ordine priùs determinato. Quia aut defertur crimen per clamorem famæ, & tunc (sicut supra dictum est) proceditur ordine inquisitionis. Aut defertur per actionem determinatæ personæ: & hoc vel secundùm viam charitatis, & tunc proceditur per denunciationem, quam præcedere debet charitatiua admonitio: aut secundùm viam seueritatis, & tunc proceditur per accusationem, quam debet præcedere inscriptio. Viam ergò denunciationis relinquimus inquisitioni sequenti, cùm de præceptis Euangelicis agetur, quia ibi pleniùs potest inquiri. Viam verò inquisitionis determinabimus in sequentibus: quia ipsa propriè accipitur ex lege Moysi: similiter, & accusationis.

¶ In præsenti tamen generaliter de ordine iudicij quæritur: in quo, sc. constituitur actor, reus, & iudex. Nam secundùm humanas sanctiones, & canones ordo iudiciarius sic dispositus est: vt primò actori determinetur requisitio iudicis, secundò determinetur auctoritas iudicis: tertiò sequatur citatio rei, & punitio contumacis: quartò concedantur exceptiones: quintò concedantur recusationes: sextò formetur libellus: septimò determinentur satisdationes; octauò concedantur dilationes, nonò sequatur litis contestatio cum iuramento de calumnia, deinde verò sequantur partium interrogationes: & si reus negat, introducuntur probationes: quibus examinatis sententia fertur.

¶ Sed videtur iste ordo multipliciter peccare. Primò quia ferè omnia, quæ antecedunt interrogationem partium, non determinantur in iure diuino, & tamen ibi præcipitur. *Non addes quicquam vel minues ad verba, quæ ego loquor.* Deute. 4.
Deuter. 4.

¶ Item, per ista, quæ præcedunt, antequam possit discuti veritas, differtur iustitia, & frequentissimè impeditur: vt videatur ferè in omnibus causis impletum illud Esa. 59. Esa. 59.
Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.

¶ Item, cùm lex Dei plena sit, & perfecta (vnde Deut. 4. dicit. *Hæc est nostra sapientia, & intellectus coram populo.* Et Deute. 4. sequitur. *Quæ est alia gens, vt habeat iusta iudicia, & vniuersam legem?*) ergò ad omne iudicium terminandum sufficiunt præcepta iudicialia Dei: superfluere igitur videntur præcedentia, & ad nocumentum introducta.

¶ Item, vnde habuerunt homines: quod supra diuinas leges possent alias leges condere. Nam in Psalm. 9. per reprobationem de Antichristo dicitur. *Constitue Domine legislatorem super eos: sciant gentes, quoniam homines sunt.* Psalm. 9.

¶ Responsio. dicendum, quod quædam introducuntur ad ordinem iudiciarium propter necessitatem: quædam propter vtilitatem, quædam ad repellendam iniquitatem. Propter necessitatem ordinis iudiciarij introducuntur ea, sine quibus non potest iudicium terminari: & hæc determinantur in lege diuina, vt in præparatorijs ad iudicium, requisitio iudicis, & auctoritas iudicis, & citatio rei cum pœna contumacis. De requisitione iudicis dicitur, Deute. 17. *Si difficile & ambiguum iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Leuitici generis ad iudicem, qui fuerit in loco, quem elegerit* Deut. 17.
Dominus, &c. & Exod. 18. *Cùm acciderit aliqua disceptatio, veniant ad me, vt iudicem inter eos.* Est autem necessaria requisitio Exod. 18.
iudicis, quia nullus potest esse iudex in sua causa. De auctoritate verò iudicis habetur in Deuter. 16 *Iudices & magistros constitues in portis tuis*, &c. Auctoritas verò est ex ipsa Deut 16.
constitutione: secundùm quod dicitur ad Hebr. 4. *Nemo sibi sumit honorem*, &c. & ex iurisdictionis determinatione Hebr. 4.
secundùm determinatum locum: vnde dicitur Deuter. 16. Deut. 16.
In omnibus portis tuis, & per tribus tuas, vt iudicent populum. De citatione verò rei, & pœna contumacis habetur Num. 16. Num. 16.
quod misit Moyses, & vocauit Dathan & Abyron, citando eos, vt compareret coram ipso in iudicio: ibi etiam exprimitur contumacia, qua dixerunt. *Non venimus*, &c. & Ibidem.
sequitur pœna grauissima, quia ad sententiam Moysi absorpti sunt à terra. Citatio autem necessaria est: quia nullus absens nisi per contumaciam debet iudicari: sicut supra dictum est.

¶ Item, in progressu iudicij necessaria sunt interrogatio partiū: introductio probationum: diffinitio causarum. Inquisitio necessaria est ad sciendam partium intentionem: probatio ad veritatis discussionem, diffinitio ad causæ terminationem, secundùm quod dicitur Deuteron. 17. Deut. 17.
Cùm audieris transgredientes pactum, & inquisieris diligenter, & verum esse repereris: educes ad portam ciuitatis, &c. ibi etiam sequitur. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*

¶ Propter vtilitatem verò, & repellendam iniquitatem non discordantia à lege Dei introducta sunt secundùm canones, & humanas leges quædam in fauorem

actoris, quædam in fauorem rei, quædam in suffragium vtriusque. In fauorem enim actoris introducitur modus requisitionis iudicis & locus & auctoritas iudicantis, modus citationis, & punitio contumacis: quæ tria; quamuis possint extrahi à iure diuino, tamen modificantur à iure humano. In fauorem verò rei introducuntur exceptiones, recusationes, libellus: exceptiones, quæ elidunt actionem actoris principaliter, contra malignitatem voluntatis: recusationes, quæ sunt declinationes iudicis propter suspitionem oppositam contra oppressionem potestatis: libellus qui continet intentionem actoris, ne possit postea immutare, contra * peruersitatem veritatis. [* Alias, peruersionem.] In suffragium verò actoris, & rei introducuntur satisdationes, dilationes, & in litis contestatione de calumnia iuramentum: satisdationes, quæ dantur à reo, & à procuratoribus actoris, & rei, quod vsque ad finem litis permaneant, contra iniustam declinationem iudicij: dilationes, quæ principaliter dantur ad deliberandum, contra præcipitationem consilij: iuramentum de calumnia, quo iurant partes se non animo calumniandi agere vel respondere, contra peruersitatem doli.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur. Dicendum, quod quamuis hæc non determinentur in iure diuino; tamen quia sunt persona iuri diuino, & ad conseruationem iustitiæ, auctoritatem recipiunt à iure diuino, cùm per legem [Leuit. 19.] præcipiatur Leuit. 19. *Iuste iudica proximo tuo.*

¶ Ad secundùm verò, quod obiicitur: quod per id cõtingit veritatẽ iustitiæ impediri. Dicendum, quod hoc nõ est ex actu prædictarum constitutionum: sed ex ab vsu iniquorum, pro quibus dicitur Esa. 1. [Esai. 1.] *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.*

¶ Ad tertium dicendum: quod lex Dei sufficiens est ad omnia, quæ sunt necessaria: tamen quia est infinita hominum malitia, ideò minister legis reliquit statuere, & determinare, quæ sunt expedientia: vnde Deuter. 17. [Deut. 17.] *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis, morietur.*

¶ Ad quartum dicendum, quod ministri legis cum ministerio recipiunt potestatem condendi leges de his, quæ expediunt iustitiæ: vnde Prouerbior. 8. diuina sapientia. [Prouer. 8.] *Per me reges regnant; & legum conditores iusta decernunt.*

MEMBRVM III.

De Inquisitionibus & Purgationibus.

CONSEQVENTER quærendum est de Inquisitionibus, & Purgationibus: Quo autem ordine sit à Prælato inquisitio facienda: ex prædictis manifestum est. Inquisitionem enim debet clamosa insinuatio peruenire, secundùm quod dicitur Genes. 18. [Gen. 18.] *Clamor Sodomorum venit ad me.* & Deuter. 17. [Deut. 17.] *Cùm reperti fuerint vir, & mulier, qui faciant malum in conspectu Domini, & transgrediantur pactum illius: & hoc tibi fuerit nunciatum: cùm audieris, inquires diligenter.*

¶ De purgatione autem notandum est, quod purgatio est de obiecto crimine innocentiæ ostensio: vnde sicut inquisitio pertinet ad Prælatum: ita purgatio ad reum. Purgationis autem duæ ponuntur species, canonica, & vulgaris: canonica est, quæ fit per iuramentum, & bonorum testimonium: vulgaris est, quæ à vulgo est inuenta, vt ferri candentis, aquæ feruentis, & monomachiæ siue duelli.

¶ Circa purgationem canonicam dubitatur, vtrum videlicet debeat fieri per iuramentum? & vtrum ad purgationem possit quis cogi.

¶ Ad primum introducitur lex. Deuter. 21. [Deut. 21.] vbi dicitur de inuento cadauere hominis occisi in aliqua ciuitate: quòd maiores natu ciuitatis illius venient ad interfectum, & lauabunt manus suas, & dicent: manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem: nec oculi nostri viderunt: & hoc super vitulam cæsam. Ex qua lege auctoritas purgationis per iuramentum manifestè accipitur.

¶ Item, dicit Canon ex cõcilio * Meldensi: [Canon ex Concilio Meldens. 2. q. 4. * Alias, Veldensi.] *Presbyter si à plebe sibi commissa infamatus fuerit, ad arbitrium sui Episcopi septem collegas sibi adiunget: & iurabit in sacro Euangelio coram posito, quod crimen illatum non perpetrauit.*

¶ Item, in eodem. [Ibidem.] *Si mala fama de presbytero exierit, & accusatores, vel eius testes legales defuerint cùm denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus nolle periurare: Sacramento suo famam suam purget.*

¶ Contra. Canon B. Cornelij. [Canon B. Cornelij.] *Sacramentum hactenus à summis Sacerdotibus, vel reliquis exigi, nisi pro rata fide minime cognouerimus: nec sponte eos iurare reperimus.* 2. q. 4.

¶ Item, in eodem. [Ibidem.] *Nos Sacramentum ab Episcopis nescimus esse oblatum.*

¶ Ad quod respondetur: quod ex his auctoritatibus non prohibentur omnimoda iuramenta fieri à Sacerdotibus: sed tantum incauta, & ea quæ pro qualibet causa temporali in iudicio offeruntur. Cùm autem populari infamia Sacerdotes opprimuntur: tunc ad innocentiæ suæ ostentionem iuramenta debent offerre. Vnde Gregorius: [Gregor.] *Si quis Episcopus, aut quilibet Sacerdos à populo accusatus fuerit: & certi testes inuenti non fuerint, qui criminis illati veritatem dicant: iusiurandum in medio fiat: & illum testem proferat de innocentia suæ puritate: cui nuda, & aperta sunt omnia.*

¶ Item dubitatur, vtrum quis ad purgationem per iuramentum compellendus sit. Visum autem fuit quibusdam, quod non, propter religionem iuramenti: item propter Canonem Leonis Papę. [Canon Leo Pap. 2. q. 2.] *Auditum est fratres, qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt: quamobrem ego Leo Pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ purifico me: hoc autem facio, non legem præscribo cæteris: qua id facere cogantur.* Ecce summus Pontifex se ipsum purgat, nec tamen cæteris necessitatem purgandi præscribit: vnde datur intelligi, quod satisfactio purgationis in voluntate consistit accusati, non in arbitrio iudicis.

¶ Contra. Canon eiusdem: [Idem in eodem. q. 4.] *Sacerdos si suspitiosus aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis & iustis de suo populo hominibus fuerit, ne in crimine, aut prædicta suspitione remaneat, cum tribus, aut quinque, aut sex bonis ac vicinis Sacerdotibus exemplo Leonis Papæ, qui 12. Episcopos in sua purgatione habuit: si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse esse propter tumultum populi perspexerit, cum iustis & bonis hominibus se Sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat.*

¶ Respon. Dicendum, quod in arbitrio iudicis, non in voluntate accusati consistit satisfactio purgationis: vnde dicit decretalis Alexandri Tertij: [Decretalis Alexãdri III.] *quod si de aliquo crimine laborat infamia: accusatore & testibus deficientibus: parochianus Episcopus ad purgationem est per ipsum Episcopum compellendus: nisi fortè super ipso ad superiorem iudicem duxerit appellandum.* Illud verò quod dicit Canon Leonis, intelligitur de successoribus summi Pontificis: qui non habent superiorem iudicem, sed relinquuntur Domino iudicandi.

¶ De forma verò iuramenti canonicæ purgationis, & reliquis circumstantijs, quæ sunt quærenda Iurisperitis prætermittimus.

¶ De vulgari verò purgatione meritò quærendum est. [Quæst. lateralis.] Nam illa videtur ortum habere ex diuina lege: vnde in Numer. 5. datur lex contra mulierem suspectam de adulterio, quod offeratur sacrificium zelotypiæ, & oblatio inuestigans adulterium: & accipiantur aquæ: in quibus cum execratione congerantur maledicta: & multa, quæ ibi determinantur: & sic dentur mulieri ad bibendum aquæ illæ, & si rea est, computrescet fœmur eius: si innoxia, illæsa erit, & faciet liberos. Ex qua lege videntur examinationes per ferrum cadens, & aqua feruentem probari.

¶ Item, examinatio filij Ahor facta est per sortes. Iosue 7. [Iosue 7.] & inquisitio inobedientiæ seu transgressionis Ionathæ. 1. Reg. 14. [1 Reg. 14] Ex quo videtur idem probari.

¶ Item, probatio per monomachiam, & per duellum videtur approbari per conflictum Goliat, & Dauid. 1. Reg. 17. [1 Reg. 17.]

¶ Item, dicit Concilium * Garimanensi 2. q. 4. [Concil Garimanen 2. q 4. * Alias, Garmenense.] *Sæpe contingit, vt monasterijs monachorum furta perpetrentur; idcirco statui-*

tuimus; vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debēt: Missa ab Abbate, vel ab alio celebretur, præsentibus fratribus: & sic expleta Missa, omnes communicent in hac verba (corpus Domini sit tibi ad probationem hodie.)

Canon ibidem.

¶ ITEM, in eodem dicit Canon. *Statuit sancta Synodus: vt si duo de adulterio accusati fuerint & ambo negauerint: & orant sibi concedi, vt alter illorum vtrosq; diuino purget iudicio: si vnus inde ceciderit, ambo rei habeantur.* Ex his igitur manifestè probari videtur: quod deficientibus probationibus, & negante reo, possint si inualescit suspitio, crimina per prædicta indicia inquiri.

¶ ITEM, ratione arguitur: cum nullo modo credendum sit, aliquo tempore Ecclesiam errasse, nec in fide, nec in decretis iustitiæ: in veteri autem testamento concessæ sunt huiusmodi examinationes per exempla, & leges: & in nouo testamento per Canonum sanctiones: ergò non erit aliquo modo dicere in examinatione istorum iudiciorum contineri errorem: nec erunt sicut illicita reprobanda.

Canon B. Stephani Papæ 2. q. 5. cap. Consuluisti.

¶ CONTRA, dicit Canon. B. Stephani Papæ. *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent Canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa ad inuentione non est præsumendum.*

¶ ITEM, idem ibidem. *Spontanea confessione, vel testium approbatione publicata delicta, commissa sunt nostro regimini iudicanda: occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.* Cùm ergò examinatio per huiusmodi iudicia non fit de his, quæ possunt iudicari per propriam confessionem, vel testium approbationem: ergò in omnibus his iudicijs vsurpamus nobis ea, quæ diuino iudicio fuerant reseruanda: quod est tentare Deum: cùm tamen prohibitum sit Deute. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* (Deut. 6.)

Canon Nicolai Papæ 2. q. 5. Monomachiam.

¶ ITEM, decretum Nicolai Papæ in eodem. *Monomachiam in lege non assumimus; quam præceptā fuisse non reperimus: quam licet iniisse quoddam legamus, sicut sanctum Dauid, & Goliam; vt sacra prodit historia.* 1. Reg. 17. *nusquam tamen vt ex lege teneatur, alicubi diuina sanciuit auctoritas: cum hi, & huiusmodi sectantes Deum solùm tentare videantur.* Ergò huiusmodi iudicia sunt penitus reprobanda, & purgatio per talia.

Decretal. Innocentij Tertij.

¶ QVOD concedendum est secundùm Decretalem Innocent. III. in qua de Templarijs, qui in subditos huiusmodi exercebant, dicit. *Fratres Templariorum quosdam subditos, quando de aliquo crimine infamātur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt: quibus si qua exinde sequatur exustio: ciuilem pœnam infligunt:* cùm tamen huiusmodi iudicium sit penitus interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur.

¶ AD illud ergò, quod primo obiicitur de sacrificio zelotipiæ. Dicendum, quod lex illa introducta est secundùm permissionem, non secundùm concessionem; secundùm quam diuina lex, & humana permittit minora mala fieri, ne fiant peiora: in quem modum oblatio libelli repudij introducta est propter sæuiciam Iudæorum, qui erant proni ad interfectionem vxorum: simili modo & lex zelotipiæ, ne valescente suspitione adulterij, perimerent vxores. Quod autem per permissionem introductum est, non debet trahi ad imitationem.

¶ AD illud verò, quod obiicitur consequenter de Achor, & Ionatha, & Dauid. Dicendum, quod illa facta scripta sunt, non ad exemplum rei faciendæ: sed in figuram rei futuræ. 1. Cor. 10. *Omnia in figuram contingebant illis.* (1. Cor. 10.) inquisitio enim per sortem, quæ facta est ad inuestigādum peccatum Achor, & inobedientiam Ionathæ figurat futurum, & generale iudicium quod ex insperato peccatoribus superueniet: sicut iudicium quod per sortem est, ab homine præuideri non potest. vnde. 2. Petr. 3. *Dies Domini veniet sicut fur.* (2. Petr. 3.) Similiter conflictus Dauid, & Goliæ signat mysterium passionis Dominicæ, in quo spiritualis Dauid Christus de Goliath, id est, diabolo velut duelli certamine triumphauit, vnde & omnia huiusmodi facta sunt diuina inspiratione in figuram rei futuræ.

¶ AD ea verò, quæ obiiciūtur secundùm Canones. Respondendum sicut de sacrificio zelotipiæ: quod omnes illi Canones introducti fuerūt, non secundùm concessionem boni, sed secundùm permissionem minoris mali, ne peiora mala contingerent. Inde est, quod iudicia ferri candentis, & huiusmodi in iudicium per communionem corporis Domini mutuauerunt; & maximè, quia in culpa erat hominum multitudo: quam propter peius vitandum oportebat tolerari in minori malo. Vnde & secundùm hoc intelligitur Canon Gregor. *Si vir, qui frigidæ naturæ esse dicitur, per verum iudicium probare potuerit, vxorem suam nunquam se cognouisse, separetur ab ea:* quod intelligit de iudicio vulgari: quæ tamen postea diminuta malitia per sequentes Canones non permittuntur. Ad vltimum verò, quod obiicitur, dicendum: Ecclesiam nunquam errasse: quia nec huiusmodi concessit, vt approbaret, sed permisit, ne peius fieret: secundùm quod & ipsa lex æterna facit: quæ permittit multa mala fieri, non solùm, vt ex eis eliciat bona, sed etiam ne fiant peiora.

MEMBRVM IV.

An quis ex propria confessione damnandus sit?

CONSEQVENS est inquirere de conuictione per cōfessionem: quia prædicto modo procedendum est contra reum, cùm crimen non potest conuinci. Conuincitur autem duobus modis, aut per propriam confessionem, aut per probationem: ideò primò quærendum est de confessione rei. Vtrum scilicet, quis ex confessione propria sit damnandus. Quod probatur per illud, quod dicit Iosue ad Achor. *Confitere atque indica quod feceris.* Iosue 7. & facta confessione furti, lapidatus est. (Iosue 7.)

¶ ITEM, idem probatur per illud, quod legitur 2. Reg. 1. de puero Amalechita: qui dixit se interfecisse Saul. cui ait Dauid. *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te dicens. ego interfeci Christum Domini,* & iussit eū Dauid interfici. (2 Reg. 1.)

¶ ITEM, in Euangelio dicit Dominus seruo, qui abscōdit pecuniam Domini sui. *De ore tuo te iudico, serue nequam.* (Luc. 19.)

¶ ITEM, dicit lex humana. *Confessos in iure pro conuictis haberi placet.*

¶ ITEM, lex alia. *Cōfessus pro iudicato habetur: quia quodammodo sententia sua damnatur.* Cui etiam concordat Euangelium Matth. 12. *Ex verbis tuis iustificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.* (Matt. 12.)

¶ CONTRA, humanum iudicium, quantum possibile est, debet imitari diuinum. Sed in diuino iudicio confitens contra se, non damnatur, sed misericordiam consequitur: vnde in Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meā Domino: & tu remisisti iniquitatem meam.* Et Esa. 43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris.* Ergò nec in humano confitens contra se, erit condemnandus. (Psal. 31. Esai. 43.)

¶ ITEM, potest aliquis falsò confiteri in iudicio humano: vt si aliquis confiteatur se vnum hominem occidisse, qui postea apparet viuus, constans est, quod talis non esset damnandus: ergò non quæcunque confessio contra se facit ad damnationem.

¶ ITEM, dicit lex humana: *Si quis vltrò maleficia confiteatur, non est ei fides adhibenda: nonnunquam enim aut metu, aut aliqua quis causa in se* (hoc est contra se) *alia confitetur.* (Digest. de quæst.)

RESOLVTIO.

Ex propria confessione potest quispiam damnari, nisi in certis casibus.

¶ RESPONSIO. secundùm quod dicit Canon. *Contra se quisque potest testari, pro se verò minimè.* Dicendum ergò, quod exceptis casibus, qui determinantur à iure, quilibet potest per propriam confessionem damnari. Plures autem casus in iure excipiuntur: vnus est in pueris: alius in ignorantibus seu errantibus: tertius in inuitis, quartus cùm confessio fit extra ius; & quædam talia. (Canon 14. q. 2.)

¶ AD illud ergò, quod primo obiicitur de confessione quæ fit in foro diuino. Nam sicut in foro humano distinguitur confessio in iure, & extra ius: confessio facta extra ius

actoris, quædam in fauorem rei, quædam in suffragium vtriusque. In fauorem enim actoris introducuntur modus requisitionis iudicis & locus & auctoritas iudicantis, modus citationis, & punitio contumacis: quæ tria; quamuis possint extrahi à iure diuino, tamen modificantur à iure humano. In fauorem verò rei introducuntur exceptiones, recusationes, libellus: exceptiones, quæ elidunt actionem actoris principaliter, contra malignitatem voluntatis: recusationes, quæ sunt declinationes iudicis propter suspitionem oppositam contra oppressionem potestatis: libellus qui continet intentionem actoris, ne possit postea immutare, contra * peruersitatem veritatis. In suffragium verò actoris, & rei introducuntur satisdationes, dilationes, & in litis contestatione de calumnia iuramentum: satisdationes, quæ dantur à reo, & à procuratoribus actoris, & rei, quod vsque ad finem litis permaneant, contra iniustam declinationem iudicij: dilationes, quæ principaliter dantur ad deliberandum, contra præcipitationem consilij: iuramentum de calumnia, quo iurant partes se non animo calumniandi agere vel respondere, contra peruersitatem doli.

* Alias, peruersionem.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur. Dicendum, quod quamuis hæc non determinentur in iure diuino; tamen quia sunt persona iuri diuino, & ad conseruationem iustitiæ, auctoritatem recipiunt à iure diuino, cùm per legem præcipiatur Leuit. 19. *Iuste iudica proximo tuo.*

Leuit. 19.

¶ Ad secundùm verò, quod obiicitur: quod per id contingit veritatē iustitiæ impediri. Dicendum, quod hoc nō est ex actu prædictarum constitutionum: sed ex ab vsu iniquorum, pro quibus dicitur Esa. 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.*

Esai. 1.

¶ Ad tertium dicendum: quod lex Dei sufficiens est ad omnia, quæ sunt necessaria: tamen quia est infinita hominum malitia, ideò minister legis reliquit statuere, & determinare, quæ sunt expedientia: vnde Deuter. 17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis, moriatur.*

Deut. 17.

¶ Ad quartum dicendum, quod ministri legis cum ministerio recipiunt potestatem condendi leges de his, quæ expediunt iustitiæ: vnde Prouerbior. 8. diuina sapientia. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.*

Prouer. 8.

MEMBRVM III.

De Inquisitionibus & Purgationibus.

CONSEQVENTER quærendum est de Inquisitionibus, & Purgationibus: Quo autem ordine sit à Prælato inquisitio facienda: ex prædictis manifestum est. Inquisitionem enim debet clamosa insinuatio peruenire, secundùm quod dicitur Genes. 18. *Clamor Sodomorum venit ad me.* & Deuter. 17. *Cùm reperti fuerint vir, & mulier, qui faciant malum in conspectu Domini, & transgrediantur pactum illius: & hoc tibi fuerit nunciatum: cùm audieris, inquires diligenter.*

Gen. 18. Deut. 17.

¶ De purgatione autem notandum est, quod purgatio est de obiecto crimine innocentiæ ostensio: vnde sicut inquisitio pertinet ad Prælatum: ita purgatio ad reum. Purgationis autem duæ ponuntur species, canonica, & vulgaris: canonica est, quæ fit per iuramentum, & bonorum testimonium: vulgaris est, quæ à vulgo est inuenta, vt ferri causa dentis, aquæ feruentis, & monomachiæ siue duelli.

¶ Circa purgationem canonicam dubitatur, verum videlicet debeat fieri per iuramentum? & vtrum ad purgationem possit quis cogi.

¶ Ad primum introducitur lex. Deuter. 21. vbi dicitur de inuento cadauere hominis occisi in aliqua ciuitate: q̄ maiores natu ciuitatis illius venient ad interfectum, & lauabunt manus suas, & dicent: manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem: nec oculi nostri viderunt: & hoc super vitulam cæsam. Ex qua lege auctoritas purgationis per iuramentum manifestè accipitur.

Deut. 21.

¶ Item, dicit Canon ex cōcilio * Meldensi: *Presbyter si à plebe sibi commissa insimulatus fuerit, ad arbitrium sui Episcopi septem collegas sibi adiunget: & iurabit in sacro Euangelio coram posito, quod crimen illatum non perpetrauit.*

Canon ex Concilio Meldens. 2. q. 4. * Alias, Veldensi.

¶ Item, in eodem. *Si mala fama de presbytero exierit, & accusatores, vel eius testes legales defuerint cùm denominati sibi viciniis presbyteris, quos scimus nolle periurare: Sacramento suo famam suam purget.*

Ibidem.

¶ Contra. Canon B. Cornelij. *Sacramentum hactenus à summis Sacerdotibus, vel reliquis exigi, nisi pro rata fide minime cognouerimus: nec sponte eos iurare reperimus.* 2. q. 4.

Canon B. Cornelij.

¶ Item, in eodem. *Nos Sacramentum ab Episcopis nescimus esse oblatum.*

Ibidem.

¶ Ad quod respondetur: quod ex his auctoritatibus non prohibentur omnimoda iuramenta fieri à Sacerdotibus: sed tantum incauta, & ea quæ pro qualibet causa temporali in iudicio offeruntur. Cùm autem populari infamia Sacerdotes opprimuntur: tunc ad innocentiæ suæ ostentionem iuramenta debent offerre. Vnde Gregorius: *Si quis Episcopus, aut quilibet Sacerdos à populo accusatus fuerit: & certi testes inuenti non fuerint, qui criminis illati veritatem dicant: iusiurandum in medio fiat: & illum testem proferat de innocentia suæ puritate: cui nuda, & aperta sunt omnia.*

Gregor.

¶ Item dubitatur: vtrum quis ad purgationem per iuramentum compellendus sit. Visum autem fuit quibusdam, quod non, propter religionem iuramenti: item propter Canonem Leonis Papę. *Inditum est fratres, qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt: quamobrem ego Leo Pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ purifico me: hoc autem facio, non legem præscribo cæteris: qua id facere cogantur.* Ecce summus Pontifex se ipsum purgat, nec tamen cæteris necessitatem purgandi præscribit: vnde datur intelligi, quod satisfactio purgationis in voluntate consistit accusati, non in arbitrio iudicis.

Canon Leo. Pap. 2. q. 2.

¶ Contra. Canon eiusdem: *Sacerdos si suspitiosus aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis & iustis de suo populo hominibus fuerit, ne in crimine, aut prædicta suspitione remaneat, cum tribus, aut quinque, aut sex bonis ac vicinis Sacerdotibus exemplo Leonis Papæ, qui 12. Episcopos in sua purgatione habuit: si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse esse propter tumultum populi perspexerit, cum iustis & bonis hominibus se Sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat.*

Idem in eodem. q. 4.

¶ Respon. Dicendum, quod in arbitrio iudicis, non in voluntate accusati consistit satisfactio purgationis: vnde dicit decretalis Alexandri Tertij: *quod si de aliquo crimine laborat infamia: accusatore & testibus deficientibus: parochianus Episcopus ad purgationem est per ipsum Episcopum compellendus: nisi fortè super ipso ad superiorem iudicem duxerit appellandum.* Illud verò quod dicit Canon Leonis, intelligitur de successoribus summi Pontificis: qui non habent superiorem iudicem, sed relinquuntur domino iudicandi.

Decretalis Alexādri III.

¶ De forma verò iuramenti canonicæ purgationis, & reliquis circumstantijs, quæ sunt quærenda Iurisperitis prætermittimus.

¶ De vulgari verò purgatione meritò quærendum est. Nam illa videtur ortum habere ex diuina lege: vnde in Numer. 5. datur lex contra mulierem suspectam de adulterio, quod offeratur sacrificium zelotipiæ, & oblatio inuestigans adulterium: & accipiantur aquæ: in quibus cum execratione congerantur maledicta: & multa, quæ ibi determinantur: & sic dentur mulieri ad bibendum aquæ illæ, & si rea est, computrescet fœmur eius: si innoxia, illæsa erit, & faciet liberos. Ex qua lege videntur examinationes per ferrum cadens, & aqua feruentem probari.

Quæst. incidentalis.

¶ Item, examinatio furti Achor facta est per sortes. Iosue 7. & inquisitio inobedientiæ seu transgressionis Ionathæ. 1. Reg. 14. Ex quo videtur idem probari.

Iosue 7. 1 Reg. 14.

¶ Item, probatio per monomachiam, & per duellum videtur approbari per conflictum Goliat, & Dauit. 1. Reg. 17.

1. Reg. 17.

¶ Item, dicit Concilium * Garimanensi 2. q. 4. *Sæpe contingit, vt monasterijs monachorum furta perpetrentur; idcirco statu-*

Concil. Garimanen. 2 q. 4 * Alias, Gatinense.

tuimus; vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debēt: Missa ab Abbate, vel ab alio celebretur, præsentibus fratribus: & sic expleta Missa, omnes communicent in hac verba (corpus Domini sit tibi ad probationem hodie.)

Canon ibidem. ¶ Item, in eodem dicit Canon. *Statuit sancta Synodus: vt si duo de adulterio accusati fuerint & ambo negauerint: & orant sibi concedi, vt alter illorum vtrosq; diuino purget iudicio: si vnus inde ceciderit, ambo rei habeantur.* Ex his igitur manifestè probari videtur: quod deficientibus probationibus, & negante reo, possint si inualescit suspitio, crimina per prædicta indicia inquiri.

¶ Item, ratione arguitur: cum nullo modo credendum sit, aliquo tempore Ecclesiam errasse, nec in fide, nec in decretis iustitiæ: in veteri autem testamento concesse sunt huiusmodi examinationes per exempla, & leges: & in nouo testamento per Canonum sanctiones: ergò non erit aliquo modo dicere in examinatione istorum iudiciorum contineri errorem: nec erunt sicut illicita reprobanda.

Canon B. Stephani Papæ 2. q. 5. cap. Consuluisti. ¶ Contra, dicit Canon. B. Stephani Papæ. *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent Canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa ad inuentione non est præsumendum.*

¶ Item, idem ibidem. *Spontanea confessione, vel testium approbatione publicata delicta, commissa sunt nostro regimini iudicanda: occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.* Cùm ergò examinatio per huiusmodi iudicia non sit de his, quæ possunt iudicari per propriam confessionem, vel testium approbationem: ergò in omnibus his iudicijs vsurpamus nobis ea, quæ diuino iudicio fuerant reseruanda: quod est tentare Deum:
Deut. 6. cùm tamen prohibitum sit Deute. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Canon Nicolai Papæ 2. q. 5. Μονομαχίαν. ¶ Item, decretum Nicolai Papæ in eodem. *Monomachiam in lege non assumimus; quam præceptā fuisse non reperimus: quam licet inijsse quoddam legamus, sicut sanctum Dauid, & Goliam; vt sacra prodit historia. 1. Reg. 17. nusquam tamen vt ex lege teneatur, alicubi diuina sanciuit auctoritas: cum hi, & huiusmodi sectantes Deum solùm tentare videantur.* Ergò huiusmodi iuditia sunt penitus reprobanda, & purgatio per talia.

Decretal. Innocentij Tertij. ¶ Qvod concedendum est secundùm Decretalem Innocent. III. in qua de Templarijs, qui in subditos huiusmodi exercebant, dicit. *Fratres Templariorum quosdam subditos, quando de aliquo crimine infamātur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt: quibus si qua exinde sequatur exustio: ciuilem pœnam infligunt:* cùm tamen huiusmodi iudicium sit penitus interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur.

¶ Ad illud ergò, quod primo obiicitur de sacrificio zelotipiæ. Dicendum, quod lex illa introducta est secundùm permissionem, non secundùm concessionem; secundùm quam diuina lex, & humana permittit minora mala fieri, ne fiant peiora: in quem modum oblatio libelli repudij introducta est propter sæuiciam Iudæorum, qui erant proni ad interfectionem vxorum: simili modo & lex zelotipiæ, ne valescente suspitione adulterij, perimerent vxores. Quod autem per permissionem introductum est, non debet trahi ad imitationem.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur consequenter de Achor, & Ionatha, & Dauid. Dicendum, quod illa facta scripta sunt, non ad exemplum rei faciendæ: sed in figuram rei futuræ. 1. Cor. 10. *Omnia in figuram contingebant illis.*
1. Cor. 10. inquisitio enim per sortem, quæ facta est ad inuestigādum peccatum Achor, & inobedientiam Ionathæ figurat futurum, & generale iudicium quod ex insperato peccatoribus superueniet: sicut iudicium quod per sortem est, ab homine præuideri non potest. vnde. 2. Petr. 3. *Dies Domini*
2. Petr. 3. *veniet sicut fur.* Similiter conflictus Dauid, & Goliæ signat mysterium passionis Dominicæ, in quo spiritualis Dauid Christus de Goliath, id est, diabolo velut duelli certamine triumphauit, vnde & omnia huiusmodi facta sunt diuina inspiratione in figuram rei futuræ.

¶ Ad ea verò, quæ obiiciūtur secundùm Canones. Respondendum sicut de sacrificio zelotipiæ: quod omnes illi Canones introducti fuerūt, non secundùm concessionem boni, sed secundùm permissionem minoris mali, ne peiora mala contingerent. Inde est, quod iudicia ferri candentis, & huiusmodi in iudicium per communionem corporis Domini mutuauerunt; & maximè, quia in culpa erat hominum multitudo: quam propter peius vitandum oportebat tolerari in minori malo. Vnde & secundùm hoc intelligitur Canon Gregor. *Si vir, qui frigidæ naturæ esse dicitur, per verum iudicium probare potuerit, vxorem suam nunquam se cognouisse, separetur ab ea:* quod intelligit de iudicio vulgari: quæ tamen postea diminuta malitia per sequentes Canones non permittuntur. Ad vltimum verò, quod obiicitur, dicendum: Ecclesiam nunquam errasse: quia nec huiusmodi concessit, vt approbaret, sed permisit, ne peius fieret: secundùm quod & ipsa lex æterna facit: quæ permittit multa mala fieri, non solùm, vt ex eis eliciat bona, sed etiam ne fiant peiora.

MEMBRVM IV.

An quis ex propria confessione damnandus sit?

Consequens est inquirere de conuictione per cōfessionem: quia prædicto modo procedendum est contra reum, cùm crimen non potest conuinci. Conuincitur autem duobus modis, aut per propriam confessionem, aut per probationem: ideò primò quærendum est de confessione rei. Vtrum scilicet, quis ex confessione propria sit damnandus. Quod probatur per illud, quod dicit Iosue ad Achor. *Confitere atque indica quod feceris.* Iosue 7. & Iosue 7.
facta confessione furti lapidatus est.

¶ Item, idem probatur per illud, quod legitur 2. Reg. 1. de puero Amalechita: qui dixit se interfecisse Saul. cui ait Dauid. *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum* 2 Reg 1.
est aduersum te dicens. ego interfeci Christum Domini, & iussit eū Dauid interfici.

¶ Item, in Euangelio dicit Dominus seruo, qui abscōdit pecuniam Domini sui. *De ore tuo te iudico, serue nequam.* Luc. 19.

¶ Item, dicit lex humana. *Confessos in iure pro conuictis haberi placet.*

¶ Item, lex alia. *Cōfessus pro iudicato habetur: quia quodammodo sententia sua damnatur.* Cui etiam concordat Euange- Matt. 12.
lium Matth. 12. *Ex verbis tuis iustificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.*

¶ Contra, humanum iudicium, quantum possibile est. debet imitari diuinum. Sed in diuino iudicio confitens contra se, non damnatur, sed misericordiam consequitur: vnde in Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meā* Psal. 31.
Domino: & tu remisisti iniquitatem meam. Et Esa. 43. *Narra, si* Esai. 43.
quid habes, vt iustificeris. Ergò nec in humano confitens contra se, erit condemnandus.

¶ Item, potest aliquis falsò confiteri in iudicio humano: vt si aliquis confiteatur se vnum hominem occidisse, qui postea apparet viuus, constans est, quod talis non esset damnandus: ergò non quæcunque confessio contra se facit ad damnationem.

¶ Item, dicit lex humana: *Si quis vltrò maleficia confitea-* Digest. de quæst.
tur, non est ei fides adhibenda: nonnunquam enim aut metu, aut aliqua quis causa in se (hoc est contra se) *alia confitetur.*

RESOLVTIO.

Ex propria confessione potest quispiam damnari, nisi in certis casibus.

¶ Responsio. secundùm quod dicit Canon. *Contra se* Canon 14. q. 2.
quisque potest testari, pro se verò minimè. Dicendum ergò, quod exceptis casibus, qui determinantur à iure, quilibet potest per propriam confessionem damnari. Plures autem casus in iure excipiuntur: vnus est in pueris: alius in ignorantibus seu errantibus: tertius in inuitis, quartus cùm confessio fit extra ius; & quædam talia.

¶ Ad illud ergò, quod primo obiicitur de confessione quæ fit in foro diuino. Nam sicut in foro humano distinguitur confessio in iure, & extra ius: confessio facta extra

ius non inducit damnationem, sed confessio facta in iure inducit. Ita dicendum, quod confessio de peccatis, quæ fit in præsenti, extra ius est: quia ante diuinum iudicium, quod est in morte, vel ante iudicium generale: & ideò ista confessio voluntaria, & animæ pœnitentis meretur misericordiam: sed confessio, quæ fiet post mortem, vel in futuro iudicio: nullam omninò consequitur misericordiam, sed reatum damnationis ostendit de qua confessione: Sapient. 5. *Dicent intra se pœnitentiam agentes,* &c. *hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum.* Et sequitur. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.* Similiter humanum iudicium confitentes in iudicio damnat, sed confitentibus extra iudicium voluntariè & cum compunctione, parcit: quemadmodum confitentibus extra ius ex peruersa gloria pœnam infert. Vnde dicit Decretalis de quodam, qui confitebatur se adulteratum cum quadam (sicut quidam fatui solent interdum, cùm malefecerint, gloriari) licet iura dicant regulariter confessionem extra ius factam non operari præiudicium confitenti: iste tamen debet ab officio, & beneficio suspendi.

Sap. 5.
Decretal.

¶ Ad secundùm iam patet responsio: quia illud est de casibus exceptis à iure.

¶ Ad illud quod obiicitur de illo, qui vltro maleficia confitetur. Dicendum, quod intelligitur de confessione per cruciatum extorta: de qua dicit lex, quod reorum confessiones pro exploratis criminibus non habentur. Et dicit Canon. 16. q. 6. *Omnis confessio, quæ fit ex necessitate, fidelis non est:* confessio enim in talibus non debet extorqueri: pessimum enim est de suspitione, aut extorta confessione quemquam iudicare: cùm enim magis cordis inspector sit Deus, quam operis: non potest humano condemnari examine, quem Deus suo reseruauit iudicio. Illud ergò quod dicitur, *vltro confitetur*, intelligitur de voluntate absoluta, non inducta per metum, vel dolores. Causa autem, quare talibus confessionibus non creditur, est quia homines in tormentis multoties aguntur tanta impatientia: quod magis volunt mentiri, quam tormenta pati.

Canon 16. q. 6.

MEMBRVM V.

De probationibus in generali.

POSTEA quæritur, de probationibus. Et primo de probationibus in generali. Est autem probatio conuictio per argumentum, rei dubiæ faciens fidem. Sex autem modis ad faciendum fidem sumitur argumentum probationis, scilicet per euidentiam facti, per famam, per iuramentum, per instrumenta, per præsumptionem, per testimonium. Per euidentiam facti probatus est Cain interfecisse fratrem. Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Gloss. *Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Item, per famam probatur Matrimonium contractum: vnde dicit Decretalis, *quod si fama vicina habet, quod quidam vir quandam mulierem tanquam vxorem habuit; cum Matrimonium sit coniunctio maris, & fœminæ; cogenda est mulier, vt eidem viro affectu seruiat coniugali.* Item, per iuramentum est probatio seu testimonium innocentiæ: sicut dictum est de purgationibus secundùm legem Deuter. 21. & Exod. 22. dicitur. *Si quis commendauerit proximo suo asinum suum, & mortuus fuerit, iusiurandum erit in medio, quod non extenderit manus suas ad rem proximi sui: suscipietq; Dominus iuramentum, ille reddere non cogetur.* Item, de probatione per instrumentum legitur in Hierem. 32. accepisse librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata ad probationem factæ emptionis. Item de probatione per præsumptiones habetur. 3. Reg. 3. vbi Salomon adiudicauit filium mulieri, quæ compassa est interfectioni ipsius. De probatione verò per testes Numer. 35. Homicida sub testibus punietur. Hæc autem distinctio probationum assignatur à iurisperitis.

Genes. 4.
Glossa.
Decretal.
Deuter. 21.
Exod. 22.
Ierem. 32.
3. Reg. 3.
Num. 35.

¶ CIRCA quam primò quæritur, quæ sit ratio prædictæ distinctionis. Nam non videtur distingui probatio, quæ est per iuramentum, à probatione, quæ est per testimonium: cum testimonium non feratur sine iuramento.

¶ ITEM, dubitatur de probatione, quæ est per facti euidentiam: an interueniente tali probatione, seruandus sit ordo iuris: quia sicut dicit Canon. 2. q. 1. *Manifesta accusatione non indigent.* Et iterum dicit Decretalis, quod in criminibus notorijs, nec accusator, nec testis necessarius est: cum huiusmodi crimina nulla possint tergiuersatione celari. Ergò prætermisso omni iuris ordine, potest sententia ferri, vbi est probatio per euidentiam facti.

Canon 2. q. 1.
Decretal.

¶ CONTRA Deuter. 1. *Audite illos, & quod iustum est iudicate.* Gloss. *Nullus debet iudicari, nisi prius auditus.* Ergò necesse est, vt præcedat citatio rei, & interrogatio.

Deuter. 1.
Glossa.

¶ ITEM, dubitatur de probatione, quæ est per famam. Nam si per famam sufficiens est probatio, & instans iusta fuit damnatio Saluatoris à Pilato cum fama esset, & per Principes, & Scribas, & plebem Iudæorum, quod esset malefactor: quod falsissimum est. Relinquitur igitur, quod non est per famam sufficiens probatio, nec iusta condemnatio.

¶ ITEM, dubitatur de probationibus per præsumptiones, & testimonium, & per instrumenta. Sed de præsumptionibus, & testimonio infra specialiter quæretur. De probatione autem seu fide instrumentorum, non est nostri negocij: & ideò Iurisperitis relinquendum est.

¶ DICENDVM igitur ad primum; quod ratione prædictæ distinctionis est: quia omnis probatio, aut procedit ex facto, aut ex scripto, aut ex verbo. Item ex facto duobus modis: aut ex manifesto facto, aut ex facto præsumpto. Item ex verbis tribus modis: quia aut est probatio honesti, aut innocentiæ, aut maleficij. Secundum hoc ergò accipiuntur prædictæ differentiæ: nam probatio ex facto manifesto est probatio per euidentiam facti: probatio ex facto præsumpto est probatio per præsumptiones: probatio verò ex scripto est probatio per instrumenta. Probatio maleficij requirit probationem testimonij. Probatio innocentiæ requirit probationem iuramenti. Probatio verò honesti admittit probationem per famam.

¶ AD illud, quod obiicitur primò: distinguitur; nam probatio per iuramentum supra distinguitur à probatione per testimonium; quia ad probationem admittitur iuramentum rei ad purgationem innocentiæ, quæ non * admitteretur ad probationem culpæ: probatio verò per testimonium, quod etiam est iuramento firmatum, & personarum differentium ab actore, & reo, requiritur ad conuictionem culpæ: sicut autem ad purgationem innocentiæ sequitur absolutio accusati, ita ad conuictionem culpæ sequitur condemnatio. Iura autem proniora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum. Patet ergò, qualiter differt probatio, quæ est per iuramentum, à probatione, quæ est per testimonium.

* Alias, quod.

¶ AD aliud, quod quæritur de probatione, quæ est per facti euidentiam. Dicendum, quod quamuis non sit ordo seruandus, qui est in occultis inquirendis: est tamen quidam ordo iuditiarius ibi seruandus: sicut dicit Decretalis, quia reus debet citari, & interrogari: & eo præsente, vel per contumaciam absente; sententia debet dari. Vnde B. Zephenus. 3. q. 9. *Absens nemo iudicetur, quia diuinæ, & humanæ hoc prohibent leges.* Quod intelligitur, nisi absens fuerit ex contumacia: *pro præsenti namque contumacia eum habere facit:* sicut dicit Gratianus.

Decretal.
B. Zephe. 3. q. 9.
Gratian.

¶ SI autem quæratur, quid dicatur factum euidens in criminibus? Distinguendum quod est notorium iuris, & notorium facti. Notorium iuris est illud factum, de quo quis canonicè condemnatus est: sicut dicit Decretal. *Notorium iuris est, de quo aliquis canonicè condemnatur, vel quando crimen notorium non desistetur.* Notorium verò facti dupliciter aut præsumpti, aut manifesti: notorium facti præsumpti est, vt paternitas, filiatio; sicut dicit lex, quia semper mater certa est, etiam si virgo conceperit; pater verò est, quem nuptiæ demonstrant: notorium verò facti manifesti est, de quo fama publica firmum præstat adminiculum, & ipsa rei euidentia protestatur, nec potest aliqua tergiuersatione celari: sicut dicit Decretalis. Quocunque istorum modorum crimen notorium sit, potest iudex ex officio

Decretal

suo

uo punire criminosum, quamuis coram eo non accusetur, nec testibus conuincatur.

¶ Ad vltimum verò, quod obiicitur de probatione per famã: dicendum: quod probatio per famam non admittitur ad conuictionem maleficij quæ est ad condemnationem: admittitur tamen ad probationẽ honesti, vt Matrimonij propter religiositatem. Iura enim facilia sunt ad recipiendum probationem religiositatis, & honestatis: difficilia verò sunt ad probationem recipiendam turpitudinis; & vnde sit reatus condemnationis. Ideo (sicut patet ex prædictis) ad conuincenda maleficia non est admittenda probatio per famam solùm.

MEMBRVM VI.

De probatione per testes.

CONSEQVENTER quæritur, de probatione per testes. Circa quod quæruntur duo. Primò, an ad probationem admittatur testimonium de auditu. Secundò quæritur de fide testibus adhibenda.

MEMBRVM. I.

An ad probationem admittatur testimonium de auditu.

Canon B. Calixti. 3 q 9.

AD primum obiicitur. Dicit Canon B. Calixti. 3. q. 9. *Testes per quamcunque scripturam testimonium non proferant: sed præsentes de his, quæ viderunt, vel nouerunt, testimonium dicant: nec proferant testimonia, nisi de his, quæ sub eorum præsentia acta esse norunt.* Ex quo videtur relinqui, quod testimoniũ de auditu nihil probat in iure.

Leuit. 5.

¶ CONTRA, Leuit. 5. *Anima, quæ audierit vocem iurantis, testisq; fuerit,* &c. Ergò potest ferre testimonium de auditu.

¶ ITEM, de omni eo, quod certissimè cognoscimus, testificari possumus. Sed sicut ea, quæ audimus in factis, certissimè scimus: ita ea, quæ audimus in verbis: ergò de verbis testificari, quæ audimus, possumus.

RESOLVTIO.

In his, quæ per se spectant ad auditum, admittitur: in his autem, quæ sola aliorum relationem innotescunt, non admittitur.

¶ RESPONSIO. Auditu dicitur aliquid per se, aliquid per accidens. Per se audimus sonos, & verba, & de his testificari possumus: vt si audiamus, quod aliquis dicat verba contumeliosa contra aliquem: quem aliquem confiteri pecuniam talem esse solutam: vel tonitrua esse facta tali die: in huiusmodi verè accipitur probatio testimonij de auditu. Item per accidens audimus factum aliquod, quod nobis aliquo narrante refertur: & quia non potest certissimè sciri, nisi alio modo fuerit cognitum, non valebit in huiusmodi testimonium de auditu. Vnde quemadmodum distinguitur *in lib. ad Paulinam de videndo Deo,* inter scire, & credere; his, quæ scimus, nosipsi testes sumus, his verò, quæ credimus, alijs testibus mouemur ad fidem: ita pariter in his, quæ verè possunt sciri per auditum, valet testimonium de auditu, hoc est in verbis, quia talium possumus esse veri testes: in his verò, quæ solùm alieno testimonio cognoscimus, testes esse non poterimus.

Ioan. vlt. Exod 20.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur, quod testimonium debet perferri de visu. Dicendum, quod nomine visus intelligitur quilibet sensus, sicut dicit August. super Ioann. vltimo. *Palpate, & videte.* Exod. 20. dicitur etiam. *Populus videbat voces.*

ARTICVLVS II.

De fide testibus adhibenda.

DEINDE quæritur de fide testibus adhibenda.

Decretal. tit. de tel

¶ CIRCA quod nota, quod dicit Decretalis: quod diligenter testes sunt examinandi: & debent de singulis circumstantijs prudenter inquiri: videlicet de causis, personis, loco, tempore, auditu, visu, scientia, vel credulitate, vel fama. Hæc autem examinatio ideò facienda est, vt sciatur, quanta fides sit dictis testium adhibenda.

¶ QVÆRITVR ergò primò de illis, quæ ponuntur derogare fidei testium: quæ sunt tria principaliter, res, tempus, & locus; cum in his dissentiunt. Res, vt cum vnus testificatur de vna re, vel persona, alius de alia: ex quo enim non conueniunt, nihil probant, sicut dicit Canon 35. q. 6. Tempus, & cum vnus testificatur aliquid factum in vno tempore, alius in alio: sicut dicit Canon Leonis Papæ. 4. q. 9. *Testium voces tanquam plurium non admittantur, quos temporum diuersitas simul esse prohibuit.* Locus, vt cum vnus testificatur aliquid factum esse in vno loco, alius in alio: in quẽ modum reprobauit testimonium senum contra Susannam Daniel. 3. quia vnus dixit factum esse sub prino, alius sub schino crimen, seu adulterium, quod imponebant Susannæ.

Canon 35. q 6. Canon Leo. Pap. 4 q 9. Daniel. 3.

¶ QVÆRITVR, quæ sit ratio: quare diuersitas in huiusmodi fidem testimonij excludit.

¶ ITEM, non videtur diuersitas temporis testimonium vitiare; non potest ferri testimonium, quod vnus dicat factum esse tempore sereno, alius tempore nubiloso.

¶ ITEM, potest contingere (sicut frequenter accidit) quod recordabitur de facto, & non tempore; hoc est die, vel mense, quo factum est.

¶ Ad quod respondendum, quod ratio, quare prædicta diuersitas, quantum ad rem, tempus, & locum, fidem testimonij euacuat, est: quia siue diuersæ sint res, aut diuersa tempora, aut diuersa loca, de quibus testificantur, quilibet de se asserit solummodo: & (sicut dicit Decretalis,) quod vbi quilibet asserit de se, licet plures fuerint; non est eis credendum: cum quilibet sit in suo testimonio singularis: & dicit lex Deuter. 19. *Non stabit testis vnus contra aliquem.*

Decretal. Deut. 19.

¶ Ad secundum dicitur, testem esse interrogandum de anno, mense, & die celebrati contractus: sed non vtrum tempus erat serenum, aut pluuiosum. Si autem profiteatur testis, se non recordari de tempore: nihilominus ei creditur: & sicut vnus dicat hoc esse factum tali tempore, alius expræssè dicat contrarium; tunc neutri est fides adhibenda.

¶ ITEM, quæritur de diuersitate testium: vt sciatur, quibus sit fides adhibenda. Nam aliquando introducuntur testes contrarij: aliquando diuersi, & interdum vnus vni, plures pluribus: aliquando testis sibiipsi est contrarius. Quæritur ergò de teste, qui sibiipsi dissidet; vtrum sit ei fides adhibenda. Quod videtur: nam (sicut supra dictum est) testis interrogatur de credulitate, & fama, sed per considerationem differentem coniecturarum probabilium potest moueri ad differentem credulitatem, differenti tempore interrogatus. Ponatur ergò, quod idem interrogatus de credulitate differenti tempore, diuersa respondeat: interrogatus de visu, & scientia vniformiter respondeat constans est, quod ipse respondet secundùm veritatem conscientiæ: ergò si sibiipsi dissideat, vt dictum est: nihilominus erit ei fides adhibenda.

Canon dis. 4. q 3.

¶ CONTRA. 4. q. 3. *Qui falsè vel variè testimonia dixerint, à iudicibus puniantur* (& intelligitur in causa criminali) ergò non solùm ille, quę falsò testatur: verumetiam ille, qui variè, puniendus est.

¶ RESPON. Dicendum, quod prædictus non debet dici sibiipsi dissidere: quia secundùm conscientiam profert, quamuis differenter propter differens tempus, & credulitatem. Sed si respectu eiusdem temporis de scientia siue visu sibi contraria vel diuersa diceret: testimonium eius omninò non valeret, sicut dicit Canon. 3. q. 9. (& est Ambros. *in lib. de Paradiso.*) Pura & simplex testimonij series intimanda est: plerumque testis, cum ad seriem gestorum aliquid ex suo adiecit, totam testimonij fidem patris mendacio decolorat.

Ambros. Canon dis. 3 q 9

¶ ITEM, quæritur, vtrum pluribus testibus ex vna parte productis & concordantibus, sit fides adhibenda? Quod videtur, quia plures sunt, & concordant, sicut dicit lex Deuter. 19. *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*

Deut. 19

Canon nil 4. q. 3. ¶ CONTRA. Possunt testes esse corrupti, & vnum, & eundem meditatum sermonem afferre; ergò non erit eis credendum: nam (sicut dicit Canon.4.q.3.) de testibus considerandum est * qui similiter in testimonium dicant, vtrum vnum eundemque meditatum sermonem afferant.

* Alias, quod.

¶ RESPONDEO secundùm legem humanam canonizatam *digest.de testib.4.q.3.* Si testes omnes eiusdem honestatis, & æstimationis sunt, & negotij qualitas, ac iudicis motus cum ijs concurrit: sequenda sunt omnia testimonia. Recurrendum est igitur ad omnes conditiones, quæ requiruntur ad testem idoneum, de quibus habetur supra. Quæstione de Idoneitate testium.

¶ ITEM, quæritur si ex testibus productis quidam aliud dixerunt, & quidam aliud; licet impari numero: quibus fides sit adhibenda?

¶ RESPONDEO. secundùm legem digest. canonizatam 4. q.3. quod si diuersa, seu contraria testes dixerint, credendum est dictis eorum, qui dicunt, quod naturæ negotij conuenit: & quod inimicitiæ, aut gratiæ suspitione caret: confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei esse aptiora, & veritati proximiora esse comperit.

¶ ITEM, quæritur de testibus ex vtraque parte productis sibimuicem contradicentibus, quibus adhibenda sit fides, ex qua parte sunt plures. Contra, lex. *Non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram fidem & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit.*

Lex dige. ten n. 7. dis. 4. q. 3.

¶ ITEM, possibile est multos esse viles, & corruptos ex vna parte; & tamen numero plures: & constans est, quod tunc non est standum talium testimonio, quia (sicut dicit B.Gregor.2.q.1., *Si vilissimi testes sint exhibiti, nullius sunt momenti.* Quales autẽ vel cuius opinionis ad testimoniũ admittẽdi sũt, habetur supra quæstione de Idoneitate testiũ.

Greg. dis. 2 q 1.

¶ RESPONDEO non est standum pluralitati: sed æstimationi maiori, & honestati. Vnde dicit Canon secundùm legem canonizatam (vt supra dictum est) quod non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem. Inde etiam est quod dicitur. Exod.23. *Non in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à verò deuies: nec sequeris turbam ad faciendum malum.* Vnde iuxta hoc dicit lex canonizata: *semper iuniori seniorem, & amplioris honoris inferiori, & mares fœmina & ingenuum liberto præferemus.* (Intellige alijs bonis conditionibus paribus.)

Exod. 23

Lex Canoniz.

¶ ITEM, quæritur: si omnes testes producti ex vtraque parte sint eiusdem conditionis; honestatis, & honoris, quibus erit credendum?

¶ RESPONDENDVM: quia tunc stabitur pluralitati testium: secundùm quod dicit Decretalis *Si testes vtrinque producti, honestatis eiusdem, & æstimationis extiterint; cùm constet testes monachorum esse testibus Archidiaconi numero pauciores: pro Archid. sententiam proferatis.* Loquitur in casu cuiusdam causæ, quæ vertebatur inter quendam Archid. & quosdam monachos.

Decretal Innoc. III tit. de Testibus.

¶ ITEM, quæritur: si tot sint ex vna parte, quod ex alia, & eiusdem honestatis, & æstimationis: vel ex vna parte plures, & ex alia digniores, ita quod numero possit dignitas adæquari, & econuerso: quid erit tunc iudici faciendum. Respondetur secundùm decretalem. Si ambarum partium testes sunt * equè idonei peccatoris, sine re pars alteri præferatur: cum promptiora sint iura ad soluendum quam ad condemnandum. Præter quàm in liberali causa, in qua si vtriusque partis testes æquales fuerint, pro liberali causa sententia proferatur. Generaliter ergò in iudicijs pro reo sententiandum est, cùm in testibus æqualitas est: sequendi enim sunt testes, qui ad humanam declinant sententiam. Et hoc nisi fauorabilior sit pars actoris; quia (videlicet) stat pro libertate, vel pro dote, vel pro testamento, vel pro pupillo, vel pro vidua: hæc enim declinant ad humanam sententiam. Propter quod dicitur: *Esto pupillis in iudicando misericors vt Pater, & pro viro matri illorum.*

* Alias, & æquè.

Ecclesi. 4.

MEMBRVM VII.

An in iudicijs admitti debeat probatio per præsumptiones?

CONSEQVENTER quæritur de probatione per præsumptiones. Est autem præsumptio coniectura vnius facti per aliud factum, seu argumentum ad credendum vnum factum per probationem alterius facti.

¶ QVÆRITVR ergò, vtrum in iuditio debeat admitti probatio per præsumptiones. Et quod sic, ostenditur per iuditium Salamonis. 3.Reg.3. in quo adiudicauit puerum mulieri, quæ compassa fuit ipsius interfectioni, & ex affectu compassionis præsumptum est sufficienter, quod esset eius mater, & alterius, quæ compassa non est, quod non esset mater ipsius.

3 Reg 3.

¶ ITEM, Prouerb.20. *Ex studijs suis intelligetur puer, si munda sunt, & recta opera eius,* &c. super quem locum dicit Hier. *Quemcunque virtutibus studere cum molestia continentiæ auditionis sapientiæ, obseruantia diuinorum mandatorum; maximè simplicitati, & * humanitati videris: huius munda opera. & recta intellige.* Et quo relinquitur, quod sicut ex compassione affectus; ita ex studio, & exercitatione intellectus præsumitur de qualitate personæ, & actus.

Prou 20. Hierony.

* Alias, humilitati.

¶ ITEM, Ecclesi.19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Ex quo relinquitur, quod ex habitu, & modo conuersationis probatur habitus mentis.

Eccle. 19.

¶ ITEM, dicit Canon.30.1.q.2. *Non est præsumendum, quod per vnum hominem Rex cogeretur ad aliquid faciendum.* Ex quo relinquitur, quod præsumitur non coactus, sed voluntarius fecisse. Ex ordine igitur status & gradus præsumptio surgit ad probandum conditionem actus.

Canon 30.q.2.

¶ ITEM, dicit Canon.27.q.1. *Certè ipse concubitus, ipse cõplexus, ipsa confabulatio, & osculatio cohiacentium duorum turpis, & fœtida dormitio dedecus criminis confitentur.* Ergò genus, & qualitas actus præsumptionem inducunt.

Idem. 27 q.1.

¶ ITEM, dicit Decretalis B. Greg. scribens quibusdam. *Africa qualiter mortalitate, & languoribus vastetur, quantò viciniores estis, credo quod subtiliùs cognouistis.* Ex quo relinquitur, quod præsumptio notitiæ accipitur ex loco.

Decretal. Greg.

¶ ITEM, idem B.Gregor. scribens Victori Episcopo. *Latere te in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo peruenit.* Ex quo relinquitur idem.

Idem. Greg.

¶ ITEM, Hieronym. super illud Oseæ 8. *Scribam eis multiplices leges meas. Et priùs datis, & neglectis apparet, quod has negligent.* Ergò ex circumstantia temporis præteriti præsumitur qualitas status futuri.

Oseæ 8. Hierony.

¶ ITEM, B.Greg. scribens Maximo Episcopo. *Ex transactis in te rita didicimus, quod de subsequenti tua conuersione præsumamus.* Ex his igitur in simul congregatis relinquitur: quod argumenta probationem in iuditio accipiuntur per præsumptiones, tum ex affectu, tum ex studio, tum ex conuersatione, tum ex gradu, tum ex actione, tum ex loco, tum ex tempore: & simili modo ex alijs circumstantijs. Si ergò ex talibus sumuntur argumenta probationum, ex talibus est iudicandum.

Idem.

¶ CONTRA. 1.Cor.5. *Si quis frater nominatur inter vos, & est fornicator,* &c. super illud dicit Augustinus. *Noluit hominem ab homine iudicari per arbitrium suspitionis, siue extra ordinario vsurpatorioque iudicio: sed legitimè conuictum, aut spontè confessum.* Si ergò probatio, quæ est per præsumptiones, quantum est de se, non generat nisi suspitiones facti: ergò per præsumptiones non erit iudicandum.

1.Cor.5. August.

¶ ITEM, nõne possibile est; sicut legitur de socio cuiusdam sancti, qui nudus cum nuda, & in amplexus & in oscula cuiusdam mulieris processit: & tamen (sicut dicitur) animo simplici & innocenti: & constans est: quia (sicut supra dictum est) huiusmodi actus introducunt vehementissimas præsumptiones de coitu, & fornicatione. Cùm ergò præcipiatur in lege iudici: quod iudicent secundùm veritatem; cùm contingat secundùm omnes præsumptiones fallere; non erit iudicandum per præsumptiones.

RESOLVTIO.

Non qualibet probatio per præsumptiones in iudicijs admittenda est ad ferendam sententiam: sed ea tantùm quæ ex præsumptione violenta desumpta est.

¶ RESPONDEO. Præsumptio quadrupliciter accipitur: est enim præsumptio temeraria, violenta, leuis, probabilis: & secundùm hoc ex præsumptionibus inducitur quadruplex suspitionis genus secundùm easdem differentias.

¶ ITEM

¶ TEMERARIA ergò præsumptio est, quando apparet coniectura boni, & non mali: & quando omnia signa sunt boni, & nulla mali: & ex tali præsumptione surgit suspitio temeraria, & iudicium temerarium, quale fuit iudicium
Luc 7 Pharisæi. Luc. 7. qui dicebat intra se. *Hic si esset propheta, sciret vtique qualis est, quia peccatrix est*: iudicando Christum, quia
Matth. 9. permittebat se contingi à muliere. Et simili modo Matth. 9. Suspitio, & iudicium scribarum, dicentium. *Hic blasphemat*: cùm Dominus dixerat paralytico. *Remittuntur tibi peccata tua.*

¶ PRÆSVMPTIO verò violenta contraria huic est: quādo sc. apparet coniectura mali, & non boni: quia videlicet omnia signa sunt mala, & nulla bona; & ex tali præsumptione surgit suspitio violenta. Talis fuit præsumptio in iudicio Salomonis, cùm adiudicauit puerum mulieri, quę compatiebatur morti eius nulla enim præsumptio erat, quod mater esset pueri in alia muliere, immo omninò contraria quæ petebat puerum interfici contra humanam, & naturalem pietatem, nolens, quod viueret in manu alterius di-
3 Reg 3. cens, *nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.*

¶ PRÆSVMPTIO leuis est, in qua est coniectura parua mali seu facti, & magna boni: vt quia multa signa boni sunt, & parua tamen, aut nulla mali, & ex tali præsumptione surgit suspitio leuis, & iudicium leue: quale videtur
3. Reg 2. fuisse iudicium Salomonis. 3. Reg. 2. cùm adiudicauit fratrem suum interfici, quia petiuerat Abysag Sunamitem. Quamuis enim Salomon ex præcedenti facto ante suam in Regno confirmationem, quo Adonias fecerat sibi currum, & equites, habuisset signum, quod voluit regnare: tamen post confirmationem suam non legitur factum aliquod, nisi solum quod petijt Abysag. Sunamitem: propter quod videtur Salomon in iudicio ex leui suspitione fratrem morti adiudicasse. Si tamen aliter videtur, nihil derogat præsenti intentioni. Leuis enim suspitio est (sicut dictum est) quando est coniectura parua mali, & magna boni, vt si vir bonæ famæ videatur semel loqui cū muliere in loco suspecto, in talibus enim dicitur, quod dubia sunt in meliorem partem interpretanda.

¶ PRÆSVMPTIO verò probabilis contraria est huic sc. quando coniectura est ex pluribus, & ferè omnibus signis malis, & parua, aut exilia signa sunt boni: & ex tali surgit suspitio probabilis ad cautelam, & euitationem mali: in
Matth 7. quo casu dicit Dominus Matth. 7. *attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus autem dicit actus plures: ex quibus sumitur probabilis maliciæ coniectura, quāuis aliquod signū appareat simplicitatis animæ.

¶ Ex præsumptione ergò temeraria, quæ prouenit ex peruersitate accusantis, & ex præsumptione leui, quæ prouenit ex indiscretione accusantis, non est argumentum probationis in iudicio, nec debent talia mouere animum iudicis, & iudicium ex talibus præsumptionibus prohibe-
Ibidem. tur. Matth. 7. *Nolite iudicare*, &c. Ex præsumptione probabili non debet induci iudex ad ferendam sententiam, sed ad inducendam purgationem, vt dicit Decretalis de purgatione. Si quis verisimilibus rationibus de raptu pulsatus fuerit, canonicè se purget. Ex præsumptione verò violenta sumitur argumentum probationis ad ferendam sen-
3 Reg 3. tentiam; vt in prædicto exemplo iudicij Salomonis 3. R. 3.

¶ AD illud ergò: quod obijcitur, quod nullus iudicādus est arbitrio suspitionis. Dicendum, quod in criminibus suspitio violenta surgit ex specie mala; vt ex osculis, & amplexibus supradictis: quæ mala species prohibetur ab
1 Tess 5. Apostolo, cùm dicit: 1. ad Thes. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Crimē ergò est in suspitione, sed mala species in certitudine, quę punitur multotiens sicut crimen: & ideò pro probato crimine mala species, quæ est suspitio violenta, accipitur: & ideò in huiusmodi non est iudicium ex arbitrio suspicionis.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de illo exemplo, dicendum, quod non est trahendum ad consequentiam: & quod approbata sanctitas personæ minuit contrarias circumstantias in prædicto casu, vt non sit ex eis pręsumptio violenta: tamen potius credendum est, quod nullo modo sanctus vir talibus turpitudinibus se exponeret.

¶ ET in hunc modum terminatur pars, in qua inquiritur de progressu iudiciorum quantum pertinent ad Theologicam inquisitionem.

QVÆSTIO XLVI.

De Legibus Permissionis.

In tria Membra, & vndecim Articulos diuisa.

CONSEQVENS est inquirere de sententijs iudiciorum. Dicitur autem sententia iudicialis tribus modis propriè, communiter, & communissimè. Propriè sententia diffinitionis: cōmuniter sententia præcepti seu iussionis: communissimè sententia excommunicationis seu punitionis.

¶ SENTENTIA autem diffinitionis est ipsa causæ determinatio, quæ controuersijs finem imponit: pronunciatione iudicis, absolutionem continens & condemnationem: secundùm quod dicit lex humana, & etiam diuina. Deut. Deut. 25.
5. *Si causa fuerit inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt: quem impium condemnabunt impietatis.* Quantum ad primam quidem partem legis ostenditur, qualiter sententia iudicis debet contineri absolutionem iusti: quantum ad secundam autem qualiter condemnationem rei.

¶ SENTENTIA verò præcepti seu iussionis est decretum seu mandatum principis, seu sacerdotis ex auctoritate iudiciariæ potestatis. De qua Deuter. 17. *Sequeris sententiam* Deut. 17.
sacerdotum & iudicis: & qui præsunt loco, quem elegerit Dominus: qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & iudicis decreto, morietur.

¶ SENTENTIA verò excommunicationis est ex auctoritate iudiciaria separatio à communicatione populi fidelis: quæ propriè quantum ad separationem spiritualem pertinet ad Euangelium: quantum verò ad separationem corporalem & in figura pertinet ad legem. Separatio autem ista pœna est, quæ non infertur, nisi contumaci: huius autem exemplum habetur. Numer. 16. vbi determinata Num. 16.
contumacia Corhan & Abyron, sententiam profert iudex Moyses, dicens: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum: & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Simili modo dicendum, quod sententia punitionis est ex auctoritate diuinæ legis pœnæ delinquentis determinatio.

¶ OMISSIS igitur eis, quæ inquirenda sunt circa sententia diffinitionis: quæ inquisitio pertinet ad Iurisperitos: & his, quæ pertinent ad inquisitionem sententiæ præcepti; quæ inquisitio pertinet ad Tractatum de obedientia. Omissis insuper his, quæ pertinent ad inquisitionem sententiæ excommunicationis: quæ inquisitio propriè pertinet ad iudicialia nouæ legis, vel ad quæstionem de clauibus. Quantum ad præsentem inquisitionem, inquirendum est de sententia punitionis, seu legibus; per quas pœnæ materiales determinatur peccatis: vel per rationabilem considerationem suspenduntur, vt non inferantur peccatis.

¶ SCIENDVM igitur, quod in lege erant quædam mala permissa: quædam mala punita. Et secundùm hoc variabantur leges iudiciales: nam quædam erant in permissionibus: quædam in punitionibus. Primò ergò quærendum est de legibus permissionis. Secundò de legib⁹ punitionis.

MEMBRVM. I.

De triplici genere permissionis legis.

CIRCA leges permissionis primò in genere decl[illegible] dum est triplex genus permissionis legis. Secun[illegible] quirendum est specialiter de lege repudij odio[illegible] Tertiò specialiter de lege zelotipiæ, siue inue[illegible] adulterij.

¶ TRIPLEX autem malum inuenitur [illegible] tum, sed permissum. Exactio vsurarum [illegible] fratribus: Deuter. 23. *Non fœnerabeFris* [illegible]

Deut. 24 *niam, nec quamlibet aliam rem: sed alieno. Odiosæ vxoris repudium.* Deuter. 24. *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij.* &c. *Inuestigatio per sacrificium, & maledictio culpæ suspectæ*
Num. 5. *vxoris.* Numer. 5. *Si spiritus zelotipiæ concitauerit virum contra vxorem, &c. offeret oblationem, &c.*

¶ Circa quod quæruntur duo. Primò, quæ fuerit ratio huius triplicis permissionis. Secundò, an culpa fuerit permittentis.

ARTICVLVS I.

An iure veteribus Iudæis tria istæc impunita permissa sint, scilicet exactio vsurarum ab alienis, repudium odiosæ vxoris, & inuestigatio culpæ suspectæ vxoris; magis quàm alia mala.

BREVITER quantum ad primum quæritur: cùm multa alia mala in illo populo extiterunt, quare potiùs ista permissa sunt impunita, quam alia.

¶ Ad quod obiicitur sic. Quod est minus peccatum, minus est puniendum. Ergo lege iustitiæ, quæ sunt peccata minora, magis debent relinqui impunita quam peccata maiora. Cùm ergo minus peccatum sint colligere ligna in Sabbato, quam vsura: quod tamen peccatum puniuit lex
Num. 15. morte. Numer. 15. & furtum bouis vel ouis minus peccatum sit, quam repudium vxoris; quod est contra Sacramentum fœderis coniugalis: & tamen furtum punitum est in restitutione in quadruplum pro oue, & in quintu-
Exod. 22. plum pro boue. Exod. 22. Ergò lege iustitiæ debuerunt vsuræ & repudia magis puniri. Ergò iniustum est impunita relinqui: ex quo minora puniuntur.

RESOLVTIO.

Et quidem, cùm esset duræ ceruicis: & summopere circa talia afficeretur.

¶ Respons. quod iustissima ratione permissa sunt prædicta mala illi populo, & in lege non punita. Erat enim ille
Exod. 32. populus duræ ceruicis. Exod. 32. & ideò permittenda erant ei minora mala, ne inciderent in peiora: peruersus enim erat ille populus quantum ad vehementiam cupiditatis ex parte concupiscibilis, quantum ad vehementiam iræ ex parte irascibilis, quantum ad errorem suspitionis ex parte rationabilis: inde est, quia sciebat legislator tantam eorundem cupiditatem & auaritiam; vt nec fratribus, hoc est, Hebræis ab vsuris parcerent; nisi alienis ad vsuram dare permitterentur: permisit exactionem vsurarum ab alijs, quam à fratribus. Item quia sciebat tantam eorundem iracundiæ malitiam; vt vxores odiosas; cum ab eis non nisi per mortem separari posset; occiderent: permisit repudium odiosæ vxoris. Item, quia sciebat in eisdem tantum inualescere erroris suspitionem; vt sola suspitione adulterij vera siue falsa, contra vxores insurgerent, permisit inuestigationem criminis; quod nisi diuino miraculo inuestigari non potest: propter quod institutum est sacrificium zelotipiæ: in quo manifestè miraculosè Dei virtus operabatur: vt illa, quæ culpabilis esset, inflato ventre & fœmore putrefacto, periret: quæ verò esset innocens, innoxia permaneret: Fecit igitur legislator per huiusmodi permissiones, quod in tali populo fieri potuit: videlicet per minorum malorum permissionem: eos à maioribus auerti.

¶ Ad illud ergò, quod obiicit, dicendum, quod legislator quædam minora mala grauissimè puniri præcepit, illa proculdubio de causa: quia licet minora; frequentius tamen in illo populo contingebant, & sua frequentia tranquillitati & paci illius populi plusquam alia maiora nocebant, & sine scandalo, & dissidio illius populi puniri poterant. Quædam verò maiora mala minus puniri decreuit, vel penitus impunita relinqui: aut quia minus paci, & tranquillitati nocebant, quam minora, & ideò decreuit minus puniri: aut quia sine scandalo, & scissione concordiæ & pacis puniri non poterant: & ideò decreuit impunita relinqui, diuino iudicio punienda. Hoc autem iustum
August. in lib. 1. de Libero arbitrio. est: sicut dicit August. *Videtur mihi legem istam, quæ populo regendo scribitur, rectè quædam mala permittere: quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.* Hæc ergò de causa fœnerari alieno, & repudiare odiosam vxorem, & inuestigare adulterium suspectum per diuinum iudicium à lege relicta sunt impunita.

ARTICVLVS II.

An Moyses in aliquo culpandus sit, quòd tria præfata antiquis Hebræis in lege permiserit.

POSTEA quæritur. Vtrum ista mala dimittere impunita, fuerit culpa permittentis, vt legislatoris & iudicis?

¶ Ad quod sic: Ad Rom. 1. *Non solùm qui talia agunt, digni sunt morte: sed qui consentiunt facientibus.* Gloss. *Consentire est, tacere: cùm possis redarguere.* Rom. 1. Glossa.

¶ Item, Decretalis. *Dicitur consentire: qui manifesto facinori desinit obuiare.* Cùm ergò prædicta mala sint manifesta facinora; legislator Moyses diceretur consensisse: cum istis facinoribus non obuiaret. Decretal.

¶ Item, dicit auctoritas Canonis. *Error, cui non resistitur, approbatur.* Cùm ergò Moyses cuius erat resistere prædicto errori, non resisteret: approbabat errorem: ergò peccabat. Canon.

¶ Item, ad Rom. 3. *Faciemus mala, vt veniant bona? absit.* Rom. 3. Si ergò non sunt facienda mala, vt veniant bona: ergò nec toleranda sunt mala, vt non accidant seu eueniant mala.

¶ Item, permisit repudium, quod erat peccatum: ergò consensit fieri peccatum.

¶ Item, ille facit ad, cuius auctoritate fit. Si ergò auctoritate Moysi fiebat repudium (quia sicut dicitur Matt. Matt. 19. 19.) *Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere*: ergò ipse Moyses dicitur fecisse, & introduxisse repudium, pari ratione, & vsuras, & fœnerari alieno, & inuestigationem adulterij per diuinum iudicium, quod est tentare Deum.

RESOLVTIO.

Minimè, cùm vt sic magno opere essent talia ad conciliationem pacis hominum imperitorum.

¶ Respons. Cùm pateat ex præcedentibus, quod iusta causa prædicta mala in illo populo debebant relinqui impunita, diuino iudicio punienda: non fuit culpa legislatoris seu iudicis permittentis prædicta: quia (sicut dicit August. *Lex temporalis, quæ regendo populo scribitur, ea iudicanda sibi assumit, quæ satis sint concilianda paci hominibus imperitis, & quantum possunt per hominē regi.* Illa autē (sicut ostensum est) non erant ad conciliationem pacis hominum imperitorum, si per iudicium punirentur, & ideò erāt permittenda. August. lib. 1. de Libe. arb.

¶ Ad auctoritates ergò, quæ primò, & secundò obiiciuntur. Dicendum est: quod intelliguntur illo casu, quando iudex Prælatus potest vtiliter, & sine periculo schismatis publici obuiare, vel resistere. Moyses autem prædictis facinoribus & erroribus non poterat vtiliter obuiare. quia multitudo, & cordium duritia erat in causa. Respiciendo ergò ad pacem, & vnitatem tribuum Israel, quæ multo melior est, quam pax inter hanc personam, vel illam, quæ posset turbari, si ex odio vxorum, vel suspitione incorrigibili interficerent, vxores, decreuit iustè, vt permitterentur prædicta, & relinquerentur impunita: sicut in præsenti Ecclesia, quia non potest vtiliter resistere militibus, qui detinent decimas: quia si resisteret, maius malum accideret in Ecclesia, scilicet scissura: permittit eos decimas detinere.

¶ Ad illud quod obiicitur tertiò. Dicendum, quod non sequitur, non sunt facienda mala, vt veniant bona: ergò non sunt permittenda: quia qui facit mala, peccat: sed non qui permittit fieri, cùm non possit vtiliter resistere, vel cum nō debeat rationabili ex causa resistere: sicut ipse Deus, qui permittit multa fieri mala, tamen ex rationabili causa: vt, scil. ex eis eliciat bona.

¶ Ad

¶ Ad quartum distinguendum: quod permissio dicitur multipliciter. Dicitur enim promissio concessionis, quando licita conceduntur: vt cum religioso conceditur visitare patrem à suo Prælato. Item, est permissio dispensationis, quando non licita, per dispensationem facta licita, conceduntur, vt cum Abbas dispensatiuè, concedit, seu permittit Monacho comedere carnes. Et est permissio indulgentiæ, quando aliquid licitum, cuius oppositum melius est, conceditur, vt secundæ nuptiæ ab Apostolo & tamen melior esset continentia vidualis. Item, est permissio tolerantiæ: quando simpliciter illicita, ne peius eueniat, tolerantur: sicut in prædictis casibus repudij, fœnoris, & inuestigationis adulterij: & in his non sequitur, permittit, ergò consentit: nisi diceremus consensum impropriè, & secundùm quid, & ex comparatione: & tunc propriè nō est consensus in hoc, scilicet vt faciat repudium, fenus (scilicet) in alio, quod est, ne peius fiat, scilicet occasio vxoris, fœnorari fratri. Est iterum permissio sustinentiæ: sicut dicitur Deus permittere multa mala fieri, vt ex eis eliciat bona: sicut dicit August. *Nullum malum permittit Deus fieri in republica, nisi ex eo eliciat bonum.* (August.)

¶ Ad vltimum dicendum: quod auctoritate Moysi nō fiebat repudium, nec ex auctoritate legis: sed ex auctoritate legis & Moysi scribebatur libellus: vt per hoc retraherentur. & hoc est, quod ostendit August. Illud de vxore non dimittenda, quod Dominus præcepit, cum antiquis dictum sit. *Quicunque dimiserit vxorem suam, det illum libellum repudij.* Matth.5. *si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium: vtique nolebat dimitti vxorem à viro: qui hanc interposuit moram vt dissidium animus praeceps, & libelli conscriptione confractus, absisteret: sed quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret: præsertim, quia (vt perhibent) apud Hebræos scribere literas Hebræas nulli fas erat, nisi soli Hebræis scribis.* Et addit. *Libellum vir bonus prudensque, non scriberet, nisi in animo nimis aduerso atque peruerso consilium concordia inuenire nullatenus valeret.* (August. contra Faustum.)

MEMBRVM II.

De lege repudij odiosæ vxoris.

Consequenter inquirendum est specialiter de lege repudij: de qua dicitur Deuter. 24. *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam in oculis eius propter aliquam fœditatem,* &c. Prænotandum est igitur: quod in hac lege duo erant permissa, & duo præcepta. Permissum enim erat vxorem dimittere. Vt vnde dicitur ibi, *dimittet eam de domo sua.* permissum etiam erat vxori dimissæ cum alio controhere: vnde ibi dicitur, *cùm egressa alterum maritum duxerit,* &c. Item præceptum erat ante repudium libellum scribere; vnde dicitur ibi, *scribet libellum repudij; & dabit in manu illius, & dimittet,* præceptum etiam erat post repudium repudiatam non recipere in vxorem: vnde ibi sequitur: *non poterit prior maritus recipere eam in vxorem.* (Deut. 24. — Ibidem.)

¶ Circa ergò partem istam quæruntur plura. Quantum ad proximò permissum: an repudium de se sit peccatum, & an ex lege factum sit non peccatum. Quantum ad secundò permissum. An licitum sit repudiatæ viro viuente cum alio contrahere: & an in repudio vir & mulier debeat patificari, & ad paria iudicentur. Quantum ad præceptum de libello scribendo, quæritur de causis repudij, & de effectu repudij. Quantum ad præceptum de repudiata non recipienda, quæritur, an licitum sit viro pœnitenti repudiatam vxorem iterum recipere.

ARTICVLVS I.

An repudium de se peccatum sit.

Quæritur ergò primò. An repudium de se sit peccatum. Ad quod sic. Matth.5. *Dico vobis, quod omnis, qui dimiserit vxorem suam (excepta causa fornicationis) facit eam mœchari.* Ergò cùm repudians propter fœditatem dimitteret vxorem, non causa fornicationis, faciebat eam mœchari: ergò peccabat. (Matth.5.)

¶ Item, Augustinus: *Illicitum est, quod illa lex prohibet, qua naturalis ordo seruatur.* Sed repudium prohibetur lege, qua naturalis ordo seruatur: ergò repudium est illicitum. Minor patet, quoniam de lege naturali est Matrimonium in indiuiduam vitæ consuetudinem: Repudium autem contra indiuiduam vitæ consuetudinem. (August. contra Faustum.)

¶ Item, Ioan. Chrysost. *Qui secundùm legem dimittit vxorem, quatuor committit iniquitates: quia quoad Deum existit homicida: & quia dimittit non fornicantem: & quia facit eam adulterari, & illum cui ipsa copulatur.* Ex quo requiritur, quod repudium secundùm se est mortale peccatum. (Chrysost.)

¶ Contra, Matth.5. dictum est. *Quicunque dimiserit vxorem, det illi libellum repudij.* Gloss. *Abundantior iustitia: quia ibi licet dimittere, hic non nisi causa fornicationis.* Si ergò secundùm legem licet dimittere: ergò dimittere non est peccare, nec dimissio peccatum. (Matth.5. Glossa.)

¶ Item, Rom.7. *Lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonū.* &c. inde arguitur. Operans secundum legem sanctam, & secundùm sanctum mandatum, & iustum, non peccat, sed repudians vxorem secundùm legem, operabatur secundùm legem & mandatum legis: ergò repudians non peccabat. (Rom.7.)

¶ Item, legem repudij dedit Moyses à Spiritu sancto: ergò, qui dabat libellum repudij, dabat illum secundùm legem datam à Spiritu sancto: ergò non peccabat.

¶ Item, qui repudiabat vxorem, scribebat causas repudiationis; propter quas dimittebat vxorem, & deferebat ad iudicem: & si iudex iudicabat illas causas esse sufficientes, dimittebat vxorem. Cùm ergò secundùm sententiam legis iustam pro se datam à iudice dimittebat vxorem: non peccabat dimittendo, vel repudiando vxorem.

¶ Item, diuortium in noua lege ex causa concessa in eadem lege, quæ est causa fornicationis, est licitum: ergò repudium ex causa concessa in veteri lege est licitum.

RESOLVTIO.

Repudium de se prorsus peccatum fuit repudianti: minimè autem permittenti.

¶ Responsio. Secundùm August. super illud Matth. 5. *Dictum est, qui dimiserit vxorem,* &c. Scripsit Moyses in Deuter. quod si vxor non placet viro propter aliquam fœditatem, dimittet eam: quod Christus exponit propter duritiam maritorum Matth.19. Super quem locum dicit etiam Rabanus. *Maluit repudium indulgere, quàm odium, & homicidium permanere.* Item Ioan. Chrysost. super Matth.5. dicit. Quod permittendo repudium, non Dei iustitiam monstrauit, vt quasi secundùm legem agentibus, peccatum non videatur esse peccatum. Ex his ergò patet, quod repudium repudianti peccatum est: permittenti verò repudium ex comparatione maioris mali vitandi nōn est peccatum, vt patet ex supradictis. (Matth.5. — Deut. 24. — Matt. 19. Rabanus. Chrysost. super Matth.5.)

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: dicendum, quod in lege dicitur licitum, quod lege non prohibetur. Distinguendum ergò, quod est licitum simpliciter, quod nulla lege prohibetur, nec naturali, nec Moysi, nec Euangelij: & hoc modo repudium illicitum est: quia prohibitum est ex lege naturali, & ex lege Euangelij. Et est licitum secundùm quid: quod aliqua lege non prohibetur: & hoc modo repudium dicitur licitum, quoad legem veterem: quia ibi non prohibebatur.

¶ Ad secundùm dicendum, quod operari secundùm legem est dupliciter; secundùm legem permittentem, & secundùm legem præcipientem. Operari verò secundùm legem permittentem, non est operari bonum, immò potius malum: sed tamen minus in comparatione peioris. Vnde dicit Ioan. Chrys. *Permisit Moyses dare libellum repudij, ne propter odium repudij funderetur sanguis: permisit fieri mala, ne fierent peiora.* Operari verò secundùm legem præcipientem est bonum: quo modo non operatur, qui repudiat, sed præ licto modo. (Idem. Chrysost.)

¶ Ad tertium dicendum, quod lex de libello repudij quoddam tolerabat scilic. separationem: & ad quoddam obligabat, tamen sub conditione, scilicet ad hoc vt si vellet quis dimittere vxorem, non dimitteret, nisi propter causas

causas scriptas in libello repudij. Dare ergò libellum, in præcepto erat sub conditione, scilicet vellet dimittere: nõ simpliciter. Non sequitur ergò, dabat libellum repudij secundùm legem datam à spiritu sancto: ergò non peccabat: dabat enim secundùm legem ex tolerantia conditionali, non ex auctoritate, & simpliciter à iudice.

¶ Ad quartum dicendum: quod non valet hæc argumentatio: secundùm sententiam legis datam pro se dimittebat vxorem, ergò non peccabat: quia iudex non dicebat in illa sententia, quod vir posset dimittere vxorem, sed quod posset sine pœna legali. Et ponunt exemplum: si litigarent sacerdotes contra milites de decimis; iudex non daret sententiam pro militibus, quod ipsi decimas detinerent: sed diceret sacerdotibus, quod tacerent, & non puniret milites, ne fieret scissura.

¶ Ad quintum dicendum, quod non est simile de diuortio in noua lege, & repudio in veteri. Quia in noua lege causa diuortij potest esse iusta, interueniente zelo iustitiæ: sed in veteri lege causa repudij semper est iniusta, cùm concernat odium, & affectum nequitiæ: & opponatur Sacramento, & fidei coniugali. Et ideò repudium semper est malum secundùm se.

ARTICVLVS II.

An repudium de se quidem existens peccatum ex lege fieret non peccatum.

Chrysost. super Matth.5. Chrysost. POSTEA quæritur. Ad repudium ex lege fiat non peccatum? Ad quod sic: dicit Ioan. Chrysost. super illud Matt.5. *Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij*, &c. *Hoc permittendo, non Dei iustitiam demonstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccandi.* Ergò per legem factum est non peccatum.

Idem. Ibidem. Idem. ¶ Item, idem ibidem: *Permissum est repudium malum quidem, tamen licitum.* Et iterum. *Hac ratione Apostolus præcepit secundas nuptias propter incontinentiam hominum: permisit, non præcepit: quod enim permittimus, nolentes præcepimus, quia malas hominũ voluntates ad plenum prohibere non possumus.* Si ergò secundæ nuptiæ ex permissione Apostoli fiunt sine peccato: ergò repudium ex permissione legis factum est sine peccato.

¶ Item, occidere malum est in se, sed tamen per legem Exod.22. iudici fit non peccatum, cùm dicatur Exod.22. *Maleficos non patieris viuere.* Ergò quamuis dimittere siue repudiare siue repudiare vxorem, in se sit malum: tamen interueni- Deut.24 ente lege fit non peccatum: cùm dicitur, Deuter.24. Volentidimittere vxorem, det illi libellum repudij. Maius enim malum est occidere quam repudiare: quia opponitur maiori bono, videlicet vnitati naturæ: quæ est essentialis homini: repudium verò opponitur vnitati Sacrament, quæ est accidentalis.

¶ Contra, Matth.19. est verbum Domini, & communis animi conceptio. *Quod Deus coniunxit, homo non sepa-* Matt.19. *ret*, & etiam de iure naturali est, quod illi qui sunt coniuncti auctoritate diuina; non separentur auctoritate humana: ergò repudium erat contra ius naturale, sed quod est contra ius naturale nõ recipit dispensationem, nec potest fieri licitè: ergò repudium non potest fieri licitè.

¶ Item, ibidem dicit Dominus, quod ad duritiam cordis Iudæorum permisit Moyses dimittere vxores: ab initio Ibidem. autem non sic. Ergò Iudæi repudiando, peccabant contra legem datam ab initio: hoc est contra legem naturalem: ex quo relinquitur idem.

RESOLVTIO.

Repudium de se profectò peccatum & malum non factum est per legem non peccatum vel licitum, sed benè permissum permissione tolerantiæ.

¶ Respons. Dicendum, quod repudium ex lege non August. est factum licitum: immò (sicut dicit August.) legem de dimissione vxoris, Christus exponit propter duritiam maritorum datam: vt non conceda tur dissidium, sed vt tollatur homicidium.

¶ Ad illud ergò: quod obicitur primò, quod à peccato abstulit culpã. Nota quod (propriè loquendo) aliud est dicere peccatum, aliud dicere culpam. Accidentale enim est peccato esse culpam: peccatum enim dicit inordinationem contra diuinum mandatum: culpa verò dicit inordinationem puniendam secundùm legem. Abstulit ergo culpam à peccato, cum data lege repudij non puniebantur pro huiusmodi peccato.

¶ Ad secundùm simili modo intelligendum est illud, quod dicitur repudium malum, tamen licitum: vt licitum non excludat reatum æternæ pœnæ, sed reatum pœnæ legis.

¶ Ad tertium dicendum, quod in repudio, & in secundis nuptijs est permissio comparatiua: Ideò Chrysost. Chrysost. dicit: quod hac ratione, id est consimili quodammodo Apostolus secundas nuptias præcipit, tamen differenter. Nam (sicut patet ex præcedentibus) secundæ nuptiæ permittuntur permissione indulgentiæ: qua conceditur licitum imperfectum respectu status perfectioris. Repudium verò permittitur permissione tolerantiæ, qua toleratur illicitum, quod est minus malum, comparatione deterioris, secundùm quod dicit Augustinus. Melius est enim di- August. uidi (hoc est minus malum est repudium fieri) quam per odium sanguinem fundi. Et ideò Chrysostomus: super illud idem Matth. 19. *Permisit fieri mala, ne fierent* Chrysost. super *peiora.* Matt.19.

¶ Ad quartum verò dicendum: quod occisio & repudium possunt comparari dupliciter: quantum ad effectum, & quantum ad causam. Quantum ad effectum occisio magis malum est; sicut dictum est ex August. Melius August. est diuidi, quam per odium sanguinem fundi. Quantum verò ad causam repudium simpliciter maius malum est: quia occisio potest esse ex affectu virtutis, & iustitiæ: repudium autem semper est ex affectu iniustitiæ, sicut dictum est: & patebit inferius. Præterea occisio malefici fiebat auctoritate diuinæ legis: repudium verò ex promissione legis: causa autem, & affectus operi nomen ponit quantum ad bonitatem & malitiam.

ARTICVLVS III.

An repudiata ab vno licitum erat secundùm legem alium ducere, priori, illo adhuc superstite?

QVÆRITVR consequenter. Vtrum licitum esset secundùm legem repudiatæ, viuente priore viro, aliũ ducere? Quod videtur: quod quia dicit lex de repudiata. Deut.24. Deuter.24. Cùm egressa, virum alterum duxerit. Ergò lex concedit ei maritum alterum ducere.

¶ Item, dicit August. de duabus vxoribus: quod quando mos erat, peccatum non erat. Non peccabat ergò vir ducendo aliam vxorem, viuente priore: quando mos erat. Si ergò mos erat repudiatæ à priore viro, alium ducere, non erat peccatum.

¶ Item, ex parte viri secundam vxorem ducere tempore legis, non erat malum secundùm se: quia sancti Patres duxerunt secundas vxores sine peccato. Ergò repudiata vxore, non erat peccatum viro aliam ducere; ergò nec mulieri alium virum.

¶ Contra. Matth.5. *Qui dimissam duxerit, adulteratur.* Matth.5.

¶ Item, lex puniebat illam, quæ ducebat alium maritum: quia non poterat redire ad priorem: quia (sicut dicit lex) polluta & abominabilis facta est ducendo alium: ergò non erat licitum secundùm legem alium ducere.

RESOLVTIO.

Licitum erat materialiter: non licitum autem spiritualiter.

¶ Responsio. Dicendum, quod non erat licitum secundùm legem: ita quod licitum excludat culpã, & quamcunque pœnam: erat tamen licitum, secundùm quod licitum excludit materialem pœnam. Dicendum ergò; quod licitum erat repudiatæ secundum legem alium ducere: quia lex non puniebat eam materialiter, vt more adulteræ

la pida-

lapidaretur. Non erat autem licitum secundùm legem, quia lex puniebat eam spiritualiter, vt ad priorem virum tanquam poluta redire non posset, cùm à secundo viro repudiata esset: sicut dicitur Deuter. 24. Et hoc modo puniebat lex, aliquando materialiter, aliquando spiritualiter. Deut. 24.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: quod lex concedebat sibi alium virum ducere. Dicendum, quod hæc erat concessio permissionis, non dispensationis, vt dictum est.

¶ Ad secundùm dicendum: quod August. de pluribus vxoribus, quando mos erat, peccatum non erat: intelligitur quantum ad illas personas, cum quibus dispensatum erat: in bigamia autem interuenit dispensatio, sed nunquam in repudio. Et causa est, quia ex parte viri habere plures vxores, poterat esse ex charitate prolis acquirendæ, & ad multiplicationem cultus diuini: sicut fuit in sanctis Patribus: sed in repudio viro habere secundam vxorem post primam repudiatam, non poterat esse ex charitate; cùm repudium processisset ex odio: & ideò in repudio ex parte viri nunquam cadit dispensatio. Item, ex parte mulieris habere plures viros, nunquam fuit dispensatum, quia deficit causa sc. multiplicatio prolis. Non enim multiplicatur proles à pluribus viris in vna muliere, sicut in pluribus mulieribus per vnum virum: multo fortiori ratione, nec in repudiata curret dispensatio, vt post primum virum haberet alium.

¶ Ad tertium dicendum: quod in bigamia manent bona Matrimonij, & quod diminuitur in vno, reconpensatur in alio in sanctis Patribus. Tria autem sunt bona, fides in affectu mutuæ castitatis: proles in affectu propagationis ad honorem Dei: Sacramentum inseparabilitatis. De bono autem fidei fiebat diminutio: quia bonum fidei requirit, vt non cum altera, vel altero coëtur: quod ex parte mulieris manebat integrum: ex parte verò viri propter melius ex dispensatione ampliabatur, vt non cum alijs quam cum suis vxoribus coiret. Sed ex parte boni prolis fiebat recompensatio ex vehementia affectus multiplicandæ prolis ad cultum Dei: quod fiebat per plures vxores ampliùs, quam per vnam solam: manebat autem affectus inseparabilitatis, quod est bonum Sacramenti. Et ideò bigamia non erat malum secundùm se: sed recipiebat in sanctis Patribus rationabilē dispensationem. In repudio verò bona Matrimonij tollebantur, cùm contrahebatur secundùm coniugium: tollebatur enim bonum fidei per abolitionem fœderis coniugalis ex affectu odij: bonum prolis propter affectum libidinis: bonum Sacramenti propter affectum separationis, quam intendebat repudium: intendebat enim separari ab vxore, quod opponitur bono Sacramenti.

ARTICVLVS IV.

An vir & mulier quò ad legem repudij ad paria iudicari debuerint.

Deinde quæritur. An in repudio vir, & mulier debuerunt parificari? Quod videtur per ipsum vinculum Matrimonij, quod quasi in vnum redigit virum, & mulierem: iuxta illud Genes. 3. *Erunt duo in carne vna:* & per ipsam rationem Matrimonij, quæ est legitima coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ergò quod erit ius viri semper mulierem quantum ad vanitatem copulæ carnalis, & cohabitationis: idem erit ius mulieris super virū. Ergò sicut vir poterat repudiare mulierem, quod erat contra vnitatem vinculi coniugalis; eadem ratione mulier poterit repudiare virum. Gen. 3.

¶ Item, hoc idem videtur astrui per legem talionis, quæ habetur. Leuit. 34. *Oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Leuit. 24.

¶ Item, in nouo testamento iudicantur ad paria vir & vxor in causa diuortij, quæ est propter culpam fornicationis. Ergò in veteri lege debent iudicari ad paria in causa repudij.

¶ Contra, Non iudicatur ad varia vir accusans stuprum vxoris. Deuter. 22. *Si duxerit vir vxorem, obijciens ei nomen pessimum: vxorem hanc accepi, & non inueni virginem:* sicut ibidem dicitur. Si falsò accusat, iubetur cædi, & mulctam, id est, pœnam pecuniariam soluere: puella verò si culpabilis sit, lapidari. Deut. 22.

¶ Item, in zelotipia non iudicantur ad paria: sicut patet ex lege Numer. 5. vbi dicitur, quod si spiritus zelotipiæ concitauerit virum contra vxorem suam, adducet eam ad sacerdotem, &c. vbi instituitur oblatio ad inuestigationem adulterij suspectæ mulieris à viro: non autem econuerso. Ergò pari ratione, nec ad paria debent iudicari in repudio ipso. Num. 5.

RESOLVTIO.

Vir & mulier quò ad repudium ad paria iudicari non debuerunt, idq; potissimè propter robur sexus.

¶ Responsio. Sicut dicit B. August. super illam legem Deuter. 22. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit,* &c. *Apparet quomodo subditas viris fœminas, & penè famulas lex esse voluerit vxores: quia dicens aduersus vxorem vir testimonium, vnde lapidetur illa, si verum constat: ipse non vicissim lapidatur.* Et hoc est quod introducit Apostolus. 1. ad Cor. 14. Non permittitur mulieribus loqui in Ecclesia, sed subditas esse sicut lex dicit. Huius autem ratio est triplex: dignitas naturæ, reatus culpæ, robur sexus. Dignitas naturæ, quia (sicut dicit Apostolus. 1. ad Corinth. 11.) *Caput mulieris est vir:* & assignat causam. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro: sicut dicitur Genes. 3. Reatus culpæ: quia per fœminam initium peccati: vnde subiectio fuit, ei inflicta pro pœnalitate. Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Robur sexus, quia robustior est sexus virilis, quam fœmineus: vnde est quod maior pronitas ex parte mulieris est: licet maior feruor ex parte viri: quia sexus ille calidior est: & hoc signatur Gen. 2. cùm dicit Adam de vxore. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne.* Propter dignitatem naturæ non iudicati sunt ad paria in lege zelotipiæ: detulit enim lex viro, sicut digniori: cùm ex zelotipia siue amore per suspitionem accusabat vxorem. Propter reatum culpæ non iudicati sunt ad paria lege accusationis stupri ex odio viri in vxorem: quia (sicut dicit gloss. super illam legem Deuter. 22.) per fœminam initium peccati, quæ virum seduxit, & dupliciter peccauit, priùs in Deum, postea in virum, vir verò tantum in Deum: in accusatione criminis non iudicantur ad paria vir & fœmina. Propter verò robur sexus virilis non iudicantur ad paria in permissione repudij: nam cum muliebris sexus sit infirmior, & maior in eis pronitas, pronissimæ essent mulieres ad repudiandum viros. Præterea, cùm robustior sit sexus virilis, timendum est maleficium viri, plus quam mulieris. Et cùm magis ferueat, præsumendum, quod ex odio interficeret sibi displicentem vxorem: non autem econuersò. August. super Deut. 22. August. 1. Cor. 14. 1. Cor. 11. Gen. 3. Ibidem. Gen. 2.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur? Dicendum, quod secundùm legem naturæ, & legem gratiæ, quòad societatem cohabitationis, & coniunctionem copulę carnalis iudicantur ad paria vir & mulier, vnde 1. ad Corinth. 7. dicitur. *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & econuersò.* Quantum verò ad ordinem regiminis non iudicantur ad paria, immò vir est caput mulieris, prout dicitur: 1. ad Corinth. 11. vnde secundùm legem præcipientem naturæ & gratiæ, in regimine debet mulier viro esse subdita, in mutua verò corporis seruitute par. Secundùm verò legem Moysi in pœna fornicationis, quæ opponitur vnitati copulæ carnalis, iudicantur ad paria, quia adulter, & adultera lapidabantur, Deut. 22. In accusatione verò stupri vxoris ante coniugium, & zelotipia, & repudio, non iudicantur ad paria propter causas prædictas: immò in accusatione parcit lex viro, plus quam mulieri per dispensationem: in zelotipia præfert virum mulieri quasi per priuilegium: in repudio concedit viro, quod nō mulieri, per permissionem minoris mali, quod minus nocet in viro, quàm in muliere publicæ vtilitati; Patet ergò ex his, quod non est paritas iuris mulieris super virum, & vir super mulierem. 1. Cor. 7. 1. Cor. 11. Deut. 22.

¶ Ad secundùm dicendum secundùm B. August. quod lex talionis non extenditur ad causam viri contra mulierem,

rem, ſed in alijs cauſis, vt qui teſtimonio falſo alteri nocere noluit, eadem pœna plectitur, qua fuerat alter plectendus. Et hoc eſt, quod dicit Auguſt. ſuper prædictam legem Deuter.22. & cauſa eſt: quia non ſunt perſonæ pares, viri & mulier. (Auguſt. ibid ſup Deut. 22)

¶ Ad dicendum, quod (ſicut dicit Apoſtolus Rom.8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, &c. lex vetus, lex ſeruitutis eſt, lex noua, lex libertatis.* Inde eſt, quod in noua lege ſuperinducta ſeruitus ex parte debiti carnalis, & cohabitationis, vt in permiſſione repudij, per legē veterem tollitur: quia (ſicut dicitur, Gal.3.) *In Domino non eſt ſeruus, vel liber, nec iſt maſculus, vel fœmina: omnia enim vos vnum eſtis in Chriſto.* Hac ratione in noua lege paritas eſt in cauſa diuortij: quamuis in veteri lege non fuerit paritas in cauſa repudij. (Rom. 8. Galat. 3.)

ARTICVLVS V.

De præcepto ſcribendi libellum repudij.

Postea quæritur de præcepto ſcribendi libellum repudij, de quo dicitur Deut.24. *Si vxor non inuenerit gratiam in oculis viri propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij.* Dixerunt autem quidam, quod in hoc libello ſcribebantur cauſæ, propter quas eam repudiabat. Quæritur igitur, ſi ex quacunque cauſa poterat vir repudiare vxorem? Quod videtur, quia ex quacunque cauſa bona ſiue mala, turpi vel honeſta, poterat ſurgere odium in malo viro. Nam probitas virtutis multoties eſt cauſa, quare boni odioſi ſunt malis; vnde dicit Auguſtin. *Oculis ægris odioſa eſt lux: ſicut Iudæis eſt Chriſtus.* Sap.2. *Grauis eſt nobis ad videndum, &c.* quia in veritate ſunt viæ eius. Ergò ex bonitate vxor poterat eſſe odioſa viro: ſed propter odium, quo timebatur homicidium, permittebatur repudium: ergò propter bonitatem vxoris poterat vir ipſam repudiare. Nam (ſicut dicit Rabanus ſuper Matth.19. *(maluit repudium indulgere, quam deſiderio ſecundarum nuptiarum fieri homicidium, vel perdurare odium,* (Deut. 24. Auguſt. Sap. 2. Rabanus ſup. Matth. 19.)

¶ Contra. Deuter.24. *Cùm non inuenerit gratiam coram oculis eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum.* Gloſſ. *fœditatem, id eſt, peccatum, quod cognoſcit in ea.* Ergò ſolùm propter peccatum poterat repudiare. (Deut. 24. Gloſſa.)

¶ Item, quæritur, vtrum odium perſeuerans debuit eſſe cauſa repudij? Quod videtur, quia (ſicut dicit Chryſ.) *Omnis res per eas cauſas per quas naſcitur, diſſoluitur.* Si ergò Matrimonium naſcitur per conſenſum amoris: diſſoluitur per oppoſitum diſſenſum odij. (Chryſoſ.)

¶ Item, ad idem eſt auctoritas Deuter.24. *Cùm egreſſa, alterum maritum duxerit: & ille quoque eam oderit: dederitq; libellum repudij,* &c. (Deut. 24.)

¶ Contra, Deuter.22. *Si duxerit vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, & obiecerit ei ſtuprum ante coniugium: ſi defecerit in probatione, verberatur, & condemnatur 100. ſiclis argenti, & non poterit eam dimittere omni tempore vitæ ſuæ.* Ex hac ergò lege iubetur vir retinere perpetuò odioſam mulierem: odium igitur non eſt in lege vniuerſaliter cauſa repudij. (Deut. 22.)

¶ Item, cū in Euangelio, nec odium, nec perſeuerantia odij, nec timor homicidij, ſint cauſa diuortij, ſed ſolùm fornicatio: vnde eſt, quod in lege ſunt cauſa repudij? Nam fornicatio opponitur in Matrimonio vnitati copulæ carnalis; per quam conſummatur Matrimonium: odium verò opponitur vnitati conſenſus, per quam efficitur Matrimonium: magis ergò opponitur vinculo Matrimonij odium, quam fornicatio: ergò magis debet eſſe cauſa diuortij in noua lege: aut ſi ibi non eſt cauſa diuortij, nec in lege veteri debet eſſes cauſa repudij.

¶ Item, cauſa repudij ponitur diſplicentia, cùm dicitur Deuter.24. *Cùm non inuenerit gratiam ante oculos vir propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum.* Item ponitur cauſa odium: vnde ibidem ſequitur de ſecundo marito repudiante. Cùm oderit eam, dederitque ei libellum, &c. Item ponitur cauſa timor homicidij: vnde ibidem dicit gloſſ. *Scripſit Moyſes præceptum illud, ſ. i. de ſcribendo libello, malens indulgere diſſidium, quam committi homicidium.* Præter has cauſas neceſſarium erat aſſignare repudianti cauſam diſplicentiæ (ſicut dicit lex) aliquam fœditatem: quæ erat prima, & principalis cauſa repudij. Quæritur igitur quomodo ordinatur hæc cauſalitas fœditatis, diſplicentiæ, timoris, homicidij? (Deut. 24. Gloſſa. ibidem.)

¶ Item, quæritur: ſi huiuſmodi cauſæ in libello ſcriberentur.

¶ Item, cùm poſſibile eſſet, quod ſcribere neſciret repudians: quomodo dicitur Scribet libellum repudij.

¶ Respons. quod non habemus determinatum in lege de his, quæ ſcripta erant in libello repudij; ſed tamen (ſicut dicit Ioſephus) ſcriptura erat talis. *Promitto quòd nunquam tecum conueniam:* & ſic habebat poteſtatem ex promiſſione legis mulier alij copulari: habebat autem libellum repudij ſcriptum: quia ſine eo nō crederetur ei, quod eſſet repudiata. Sed ſecundùm B. Auguſt. præcipiebatur ſcribi libellus, vt mora interueniente, & concilio ſcribarum diſſuadente, vir à propoſito repudiandi deſiſteret. Quæ autem fuerit ſcriptura, ſufficiat quod dixit Ioſephus. (Ioſephus. Auguſt. contra Fauſtum.)

¶ Ad illud ergò, quod primo quæritur: vtrum ex cauſa bona in muliere poſſet vir eam repudiare? Dicendum, quod non: ſecundùm legem enim oportebat, quod cauſa in muliere eſſet fœditas aliqua, quæ poteſt intelligi, vel in corpore aliqua infirmitas, vel turpitudo notabilis, vel in moribus reprehenſibilis honeſtas: propter quas poſſet mulier meritò diſplicere: vnde dicit Auguſt. *Multa erant in lege cauſæ dimittendi vxores:* Chriſtus ſolùm fornicationem excepit. (Matth.19.) ceteras moleſtias iubet pro fide de caſtitate coniugij ſuſtineri. (Idem in Deut. 24. Matt. 19.)

¶ Ad illud ergò, quod obiicit, quod ex bonitate efficitur aliquis odioſus. Dicendum, quod hoc non eſt per ſe, ſed per accidens: bonitas enim per ſe amabilis eſt, ſed ex malitia animæ diſſentientis à bono: lex verò non reputat talem cauſam eſſe odij, vel diſplicentiæ.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur ex oppoſito: quod fœditas intelligitur peccatum. Si peccatum accipiatur propriè pro culpa, moraliter accipitur, & ſumitur ex gloſ. morali. Greg. qui exponit illud de fœditate repudiandæ actionis terrenæ. Si verò peccatum accipiatur communiter, pro defectu: ſicut ſolet dici peccatum in artificio, cùm deficit ab arte; vel in corpore, cùm deficit à debita diſpoſitione: ſecundùm hoc fœditas dicitur defectus aliquis enormis in corpore, ſiue moribus mulieris.

¶ Ad illud verò, quod poſtea quæritur: vtrum odium debuerit eſſe cauſa repudij. Dicendum, quod ſic, ſed non propter hoc, quod opponitur conſenſui Matrimonij, ſed propter præſumptionem violentam maioris mali ſecuturi, ſcilicet homicidij: ex quo totaliter deſtruitur vinculum Matrimonij, & in illo populo duræ ceruicis, & ad maleficia prono: ex hoc (ſicut ſupradictum eſt) accideret diuiſio, pugna, & contentio: quæ ex cauſis minoribus frequentius contingebant.

¶ Quod ergò dicit Chryſ. quod omnis res per eas cauſas, per quas naſcitur, diſſoluitur. Non facit ad hoc, quod per diſſenſum debeat ſolui Matrimonium: quia & ſi Matrimonium cauſetur per conſenſum: hoc tamen non eſt, niſi interueniente diuina auctoritate approbante conſenſum. Inde eſt etiam, quod inter illegitimas perſonas interueniens conſenſus non efficit Matrimonium: quia deeſt auctoritas diuinæ probationis. Diſſenſus igitur ſequens Matrimonium non poterit ſoluere Matrimonium contractum per conſenſum, diuina auctoritate approbatum. Vnde Matth.19. dicit Saluator. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* (Matt. 19.)

¶ Ad illud verò, quod ex oppoſita parte obiicitur: quod odium non erat generaliter cauſa repudij. Dicendum, quod in duobus caſibus fallebat permiſſio repudij. Primus erat in falſa accuſatione vxoris de ſtupro perpetrato ante coniugium. Secundus in defloratione puellæ, quæ non habebat ſponſum: quia tunc tenebatur eam accipere in vxorem: & in his duobus caſibus non poterat vxorem dimittere cunctis diebus vitæ ſuæ, ſicut habetur Deuter.22. quod introductum eſt in fauorem Virginitatis. (Deut. 22.)

Et

Et data est prohibitio repudij in casu speciali, cùm esset permissio in generali: quia per hoc non timebatur malū publicum euenire, sicut timeretur: si esset prohibitio repudij generalis, vt suprà dictum est.

¶ Ad illud verò, quod objicitur, quòd odium in noua lege debet potiùs esse causa diuortij, quàm fornicatio: Dicendum, quòd in fornicatione est libido voluntatis, & actus inordinatus ex parte carnis. Libido voluntatis opponitur amori voluntatis, & consensui, per quem efficitur matrimonium, quia ille consensus est, vt habeat istam vt suam, & non aliam, & econuerso. Actus verò inordinatus ex parte carnis, per quam violatur fides thori; opponitur fœderi copulæ carnalis, per quam consummatur matrimonium. Inde est quod Saluator, manente vinculo coniugali, inter coniuges posuit fornicationē causam diuortij quo separentur quantum ad cohabitationem; & absoluitur debitum mutuæ seruitutis: non autem sic est de odio, quia (sicut supra ostensum est) nō per se opponitur ipsi cōsensui, per quem efficitur matrimonium.

¶ Ad illud verò, quod quæritur de ordine causalitatis. Dicendum, quòd cùm quatuor concurrerent ad causalitatem repudij, fœditas, displicentia, odium, timor homicidij: fœditas (sicut dictum est) attendebatur in defectu, displicentia in aspectu, (vnde Deut. 24. dicitur: *Et non inuenerit gratiam ante oculos eius.*) odium autem in affectu, homicidium verò timebatur in effectu. Deut. 24.

¶ Ad illud verò, quod quæritur, vtrùm ista in libello repudij scriberentur? secundùm Iosephum dicendum, quòd non: quia (sicut ipse dicit) scribebatur promissio de nunquam simul conueniendo: sic enim habebat potestatem alij copulari.

¶ Ad illud verò, quod objicitur, *scribet libellum*, cùm possibile esset, quòd nesciret: intelligendum est scribere, vel aliàs scribi facere. Ibi.

ARTICVLVS VI.

An iure viro pœnitenti repudiatam recipere antiquitùs non licuerit.

VLTIMÒ quæritur de præcepto non repudiandæ vxoris post repudium: de quo dicitur Deut. 24. *Non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino, ne peccare facias terram tuam:* quod dicitur de repudiata, quæ contraxerit cum alio. Deut. 24.

¶ Sed objicitur, cùm repudiata duxerit alterum maritum, priori viuente, de iure nullum fuit matrimonium: quia (sicut dicitur Rom. 7.) *quæ sub viro est mulier: viuente viro, alligata est legi.* Ergo de iure stabat primum matrimonium. De iure ergo matrimonij tenebatur vir illam recipere, si ipsa vellet. Rom. 7.

¶ Item, eadem sunt moralia in veteri lege, & in noua lege. Sed in noua lege morale est, si pœnitet, indulgere. (Vnde Matth. 18. cùm Petrus quæsiuisset à Domino, *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies? Respondit ei Dominus. Non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies*) ergo, & in veteri lege si repudiata pœniteret de hoc, quod nupserat alij, debebat vir indulgere: ergo debebat eam recipere. Matt. 18.

¶ Item sicut dicit Interlinear. super illud: *Quia polluta est & abominabilis* (scilicet) *ipsius iudicio. qui eam quasi pollutam prius dimisit.* Ergo ex repudiatione facta est polluta: nō ex eo quod nupserat alij. Cùm ergo sine culpa sua posset repudiari; sine culpa sua dicitur pollui: ergo interueniente ex parte viri pœnitentia de odio, quo eam repudiauerat, maximè debet recipi. Deut. 24 Glos. ibi.

¶ Item objicitur de hoc, quod dicitur, ne peccare facias terram tuam, videtur enim quod non recipiendo, maius esset peccatum: quia si non poterant continere, & coibant, peccabant mortaliter. Ibidem.

(***)

RESOLVTIO.

Quàm maximè, idq; in onus & pœnam.

RESPON. In lege repudij quoddam erat in permissione, vt viro repudiare, & repudiatæ cum alio contrahere. Quoddam in mali retardationem, vt præceptum de libello scribendo. Quoddam verò in punitionem, vt præceptū de non recipienda vxore post repudium: hoc enim introductum in onus & pœnam.

¶ Ad illud ergo, quod objicitur primò, dicendum, quod mandatum superioris soluit debitum iuris inferioris: sicut dicitur super illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita.* Inde est, quòd ius matrimonij, quo tenetur vir vxorem recipere, pari existente conditione vtriusque, soluitur per mandatum Dei, qui est superior: qui prohibet ipsam non recipi à viro. Rom. 13.

¶ Ad secundum dicendum, quòd in vtraq; lege pœnitenti tenetur quilibet indulgere: sed hoc intelligitur quātum ad dimissionem rancoris, qui rancor est ex affectu iniustitiæ, non quantum ad dimissionem iustæ punitionis, quæ procedit ex zelo iustitiæ. In prædicto autem casu iusta erat punitio vtriusque, scil. viri & mulieris: in hoc quod prohibuerat Deus post repudium virum vxorem non recipere. Vterq; enim peccauerat contra matrimonium: & ille repudiando, & illa alium ducendo.

¶ Ad tertium dicendum: quòd illa Interlin. moralis est: & sumitur de quadam glos. Greg. in qua dicitur quòd mulier, quam vir repudiauerat, est terrena actio: hanc vir suo iudicio polluit: eo enim ipso quod ipsam repudiat, pollutam iudicat. Terrena verò actio non potest redire ad priorem virum; quia nemo mittēs manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Ad literam autem, polluta fiebat mulier, quia ducebat alium, sicut patet: *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit alium: nunquid non polluta & contaminata est mulier illa?* Et, *Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro.* Ierem. 3. Rom. 7.

¶ Sed quæritur de illa, quæ non contrahebat cū alio: nūquid talis poterat recipi? Videtur quod sic: aliter enim iniustè agitur cum illa, quia punitur sine culpa.

¶ Ad quod dicendum, quòd contingit benè aliquem puniri sine culpa, nō tamen sine causa: sicut sanctum Iob, propter intuitum maioris meriti. Ita etiam prædicta mulier in prædicto casu punietur propter deuitationem mali maioris, ne scil. si passim reciperentur repudiatæ, proniores fierent viri ad repudiandum.

¶ Ad vltimum dicendum: quod ita intelligendū est, *ne peccare facies terram*, id est vt facias non peccare: vt videlicet ex hoc alij terreantur à dandis libellis repudij. Deut. 24.

MEMBRVM III.

De lege zelotypiæ.

INQVISITO de lege repudij: inquirendum est de lege zelotipiæ, seu inuestigationis adulterij specialiter: quāuis hoc tactum sit supra Quæstione de vulgari purgatione. Est igitur lex Num. 5. talis: Si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem, &c.

¶ Circa quam legem quæruntur tria: Primò, vtrùm sic inuestigare adulterium fuerit licitum, vel illicitum. Secundò, vtrùm in noua lege aliquid consimile sit licitum. Tertiò, quare in lege determinetur inuestigatiuum adulterij, & non furti?

ARTICVLVS I.

An, & quomodo licita fuerit lex zelotypiæ veteribus Hebræis?

AD primum sic objicitur: Illicitum est tentare Dominum, cùm hoc sit prohibitum: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed sic inuestigare adulterium, est tentare Deum: quia hoc est quætere signum virtutis, & efficaciæ diuinæ, quod reprehenditur: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Et, cùm dictum est Achaz. *Pete tibi signum à Domino* Deut. 6. Matt. 16. Esai. 7.

mino Deo tuo. Reſpondit: non petam, & non tentabo Dominum. Quaſi dicat ſi ſignum peterem, Deum tentarem. Cùm ergo in hac inueſtigatione peteretur ſignum a Deo: vt ſi rea eſſet mulier, putreſceret femur eius, & tumens vterus rumperetur: ſic inueſtigare, erat Deum tentare.

¶ ITEM, ſi hoc eſſet licitum, poſſet trahi ad conſequẽtiam, & in noua lege manere. Cùm ergo lege in noua videatur damnari, relinquitur fuiſſe illicitum.

¶ ITEM, quod fit contra charitatem, & rectitudinem veritatis, ſimpliciter eſt illicitum: ſed quod fit ſpiritu zelotypiæ, concitante virum contra vxorem, quæ etiam falſa ſuſpicione appetitur, fit contra concordiam charitatis, & rectitudinem veritatis, ergo ſimpliciter eſt illicitum; factũ eſt igitur ex lege permittente, non ex lege præcipiente ſeu approbante, ſicut repudium.

¶ CONTRA, Omne quod eſt à Deo inſtitutum, & de ſe ordinatum ad finẽ bonum, ſimpliciter eſt licitum. Sed talis eſt huiuſmodi inueſtigatio: quia (ſicut dicitur in tex-
Num 5. tu Num. 5.) *Mulier ſi rea eſt, erit in maledictionem, & in exemplum omni populo: & ita videntes punitam, abhorrebunt committere adulterium.*

¶ ITEM, in eodem cap. in fine dicitur: quòd maritus abſque culpa erit: & illa recipiet iniquitatem ſuam, ſi rea fuerit. Sed ſi hoc eſſet illicitum, non eſſet maritus qui hoc faceret abſque peccato.

¶ ITEM, Dominus ſacrificium, per quod fiebat inquiſitio, recipiebat; & per ſuum miniſtrum ſacerdotem. Sed ſi talis inquiſitio eſſet illicita, quod ipſa, vel circa ipſam fieret, non ſuſciperetur à Deo: quia (ſicut dicitur Eccleſiaſti-
Ecclef. 35. ci 35.) *Noli offerre munera praua: non enim ſuſcipiet illa.* Et ite-
Ecclef. 34. rum: *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationibus iniquorum.*

RESOLVTIO.

Lex zelotypiæ non magis licita quàm permiſſa fuiſſe veteribus Hebræis dicenda eſt: eo præcipuè ſi non zelo iuſtitiæ, & reuerenter (vt decebat) ſed libidine vindictæ, & curioſè potiùs exquir[…]tur.

¶ RESPON. ſecundùm diuerſas conſiderationes poſſet dici, quòd quãtum ad ſtatum veteris legis licita poteſt dici huiuſmodi inueſtigatio in aliquo caſu: illicita verò in alio. Si enim aliquis zelo iuſtitiæ motus contra peccatum, attendẽs inſtitutionẽ diuinam ſecundùm formã prædictæ legis, cũ ſupplicatione & reuerẽtia p huiuſmodi ſacrificiũ volens inueſtigare adulterium, non peccabat. Si verò libidine vindictæ, & irrationabili ſuſpicione commotus ad huiuſmodi inueſtigationem procederet; peccabat. In primo ergo caſu licitum, in ſecundo verò illicitum.

¶ AD illud ergo, quod primò obijcitur, quòd ſic inueſtigare erat Deum tentare: quia hoc erat ſignum virtutis diuinæ & efficaciæ quærere. Diſtinguendum, quòd tentare Deum dicitur duobus modis: Vno modo ſe præſumptuoſè ex toto Deo ſe exponere, cùm poſſit habere quid fa-
Aug. ſup 2. Cor. 12. ciat: vnde Auguſt. ſuper illud, *Per feneſtram in ſporta dimiſſus*
Auguſt. *ſum*, dicit: *Nõ debet aliquis expectare diuinum auxilium, dum habeat, quid faciat: ne videatur tentare Deum.* Alio modo tentare Deum, dicitur ſignum diuinæ virtutis cum irreuerentia, ſeu incredulitate quærere, ſicut Matth. 16. *Acceſſerunt ad Ie-*
Matt. 16. *ſum Phariſæi tentantes, & rogauerunt vt ſignum de cœlo oſtenderet eis.* Item, peti ſignum à Deo poteſt duobus modis. Vno modo licitè, cùm ſcilicet petitur ex fide, cum reuerentia, &
Gen. 15. ſupplicatione: ſicut Abraham petijt ſignum à Domino de terra promiſſa ſibi poſſidenda, dicens: *Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus eam ſim. &c.* & ſicut Gedeon petijt
Iudic. 6. ſignum à Domino in vellere. Alio modo illicitè: cùm (ſcilicet) petitur ſignum cum irreuerentia, & ex incredulitate. Et hoc modo ſignum petere, eſt Deum tentare, vt dictũ
Eſai 7. eſt Eſaiæ 7. dicit Achab: *Non petam* (ſignum ſcilicet) *& non*
Iudic. 6. *tentabo Dominum.* In primo ergo caſu petebatur ſignum ex fide, cum reuerentia, & zelo iuſtitiæ: quod non eſt Deum tent[…].

¶ AD ſecundum verò dicendum: quòd lex iſta non manet in noua lege: non quia non fuerit in prædicto caſu licita, ſed quia eſt cum obſeruantijs cærimonialibus data, q̃ in noua lege ſunt euacuatæ.

¶ AD tertium dicendum, quod in prædicto caſu non erat inueſtigatio contra charitatem, nec contra veritatis rectitudinem. Vnde notandum, quòd ſpiritus zelotypiæ dicitur duobus modis: Vno modo pro affectu libidinis vindicandi ſuſpicatum adulterium vxoris, & ſuſpicatione irrationabili: & iſto modo in primo caſu nõ accipitur ſpiritus zelotypiæ. Alio modo ſpiritus zelotypiæ accipitur pro affectu virtuoſo ex zelo iuſtitiæ vindicandi probabiliter ſuſpicatum vxoris adulterium: quomodo accipitur in primo caſu. Nec eſt ſimile de repudio, & lege zelotypiæ: nam repudium contrarium eſt legi naturæ, & legi gratiæ: lex verò zelotypiæ ſecundùm prædictum modum non.

¶ AD ea verò, quæ ex oppoſito obijciuntur quantum ad caſum ſecundum. Reſpondendum ad primum, quòd aliquid dicitur à Deo inſtitutum duobus modis: Vel ab ipſo permittente, ſicut lex repudij, & ſicut lex zelotypiæ, quantum ad ſecundum caſum: & tunc non ſequitur, q̃ ſit licitum, imò magis quod illicitum. Vel ab ipſo præcipiente, ſicut lex de probatione per teſtes: *Non ſtabit teſtis vnus cõ-* Deut. 19.
tra aliquem, ſed in ore duorum, vel trium, ſtabit omne verbum, & ſimilia: & de tali inſtituto ſequitur, quod ſit licitum. Item, aliquid ordinatum ad finem bonum, dicitur duobus modis. Vel ab hominis intentione, & hoc modo in ſecundo caſu inueſtigatio nõ erit ordinata ad bonum. Vel à diuina diſpoſitione, quæ etiam ipſa mala, quæ permittit fieri, ordinat ad bonum, vnde Auguſtinus: *Nõ permitteret Deus ma-* Auguſt.
la fieri, niſi ex eis eliceret bonum. Et hoc modo non ſequitur, eſt ordinatum ad bonum; ergo bonum, vel licitum. In quem modum intelligitur inueſtigatio prędicta ordinata ad bonum: quia ex illa eliciebat Dominus bonum terroris, quo timerent committere adulterium.

¶ AD aliud verò, quod dicitur: *quòd maritus abſque culpa* Num. 5.
erit, intelligendum eſt, id eſt abſque reatu pœnæ legalis. Differt enim dicere peccatum, & culpam: peccatum enim dicitur ex defectu boni, culpa ex reatu pœnæ: quia ergo huiuſmodi inueſtigatio non puniebatur, ſed permittebatur à lege: dicitur maritus abſque culpa eſſe, quamuis non abſque peccato in ſecundo caſu.

¶ AD vltimum dicendum, quòd in ſacrificio zelotypiæ duplex concurrebat actus; actus viri zelotypiæ ſpiritu concitati; & hic actus erat permiſſus nõ approbatus à Deo in caſu ſecundo: & actus ſacerdotis, qui ſecundùm diuinã inſtitutionẽ quaſi coactus offerebat: ne vir peius faceret, hoc eſt, ne ſuſpicioni illectus vxorem interficeret: & iſte actus erat acceptus à Deo, & approbatus.

ARTICVLVS II.

An, & in noua hac noſtra lege conſimilis inueſtigatio liceret?

DEINDE quæritur: Vtrùm in noua lege conſimilis inueſtigatio ſit licita? Et ad iſtud argumentatum eſt ſupra, Quęſtione de Purgatione vulgari: & auctoritatibus euidenter oſtenſum eſt, quòd talis inueſtigatio in noua lege illicita eſt, vnde iudi[…]a aquæ feruentis, & ferri candẽtis ſunt ab eccleſia condemnata.

¶ SED adhuc obijcitur. Nam ſi eſſet aliquod inueſtigatiuum mali ſuſpicati, vt poſſent homines puniri de malo occulto, ſicut de manifeſto, multo magis ſibi timerent peccantes, & à malo declinarent: ſed iſtud eſſet valdè vtile ſaluti humanæ: ergo talis inueſtigatio neceſſaria eſt in noua lege.

¶ CONTRA, 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quò ad vſque Dominus veniat: qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ.* Ergo occulta mala diuino iudicio ſunt reſeruanda.

¶ ITEM, Auguſtinus in Homilia de Pœnitentia: *Multi corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi neſciuntur, donec veniet Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.*

¶ Inueſtigatio igitur occultorum eſt diuino iudicio reſeruanda.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cùm veritas nobis illuxerit; dominumq́; nostrum Christum Iesum expectemus huiusmodi occultorum omnium illuminatorem.

¶ RESPON. Malum occultum dicitur duobus modis. Vno modo malum, quod non potest conuinci, nec per cōfessionem, nec per probationē facti: tamen habētur coniecturæ, & quædam præsumptiones facti. Alio modo dicitur malum occultum, quod latet, & quantum ad factum, & quantum ad coniecturam. In primo casu in noua lege fit inuestigatio per inquisitionem, & propter coniecturam probabilem * inducitur purgatio: sicut supra dictum est Quæstione de Inquisitionibus & Purgationibus. In secundo casu nullum debet esse inuestigatiuum. Vnde Augustinus: *Ad hoc in scripturis sunt exempla proposita, velut in messe, vt palea sufferatur vsque ad vltimum ventilabrum: vel inter illa retia, vbi pisces mali cum bonis vsque ad segregationem, quæ futura est in littore*, id est in fine seculi (Matth. 13.) æquo animo tolerent. Item, est inuestigatio per diuinum iudicium supra actum humanæ inuentionis, & huiusmodi inuestigatio veritate illucescente tempore gratiæ debet cessare, sicut supra ostensum est Quæstione de vulgari purgatione. Et est inuestigatio secundùm discretionem diuinæ legis & Canonum secundùm statum humanæ inuentionis: & hęc est determinata per Canones & diuinas leges: sicut supra ostensum est Quæstione de Inquisitionibus & purgationibus.

* al. indicitur.

August. in hom. de pœnitentia.

¶ AD hoc ergo quod obijcitur: quòd huiusmodi inuestigatio incuteret timorē, & faceret multos cessare à peccato, &c. Dicendum, quòd & si alicui fortasse expediret: non tamen congrueret statui temporis moderni, scilicet gratiæ: quo, illucescente veritate, debet cessare inuestigatio, quæ est supra humanam inuentionem; & iudicio diuino relinqui.

ARTICVLVS III.

Quare in veteri lege positum est inuestigatiuum adulterij, in noua furti: non autem econuersò?

POSTEA quæritur: quare in veteri lege non posita est lex de inuestigatione furti, sicut de inuestigatione adulterij: in noua autem lege secundùm antiquos Canones, secundùm permissionem posita sunt iudicia inuestigatiua furti: sicut supra dictum est Quæstione de vulgari purgatione.

RESOLVTIO.

Quia illa ætas pronior ad concupiscentiam carnis: hæc ad concupiscentiam oculorum.

¶ RESPOND. Dicendum, quòd in statu legis veteris proni erant homines ad concupiscentiam carnis: in noua verò lege proniores ad concupiscentiam oculorum: ideo ad repressionem bonitatis secundùm vtrumq; statum appositum fuit remedium secundùm permissionē, vt in lege veteri inuestigatiuum ad coertionem concupiscentiæ carnis, in noua lege antiquitùs inuestigatiuū furti ad coertionem concupiscentiæ oculorum. Sicut enim contigit in ætate hominis, sic in ætate mundi: sic aūt est, quòd in ætate iuuenili pronior est homo ad concupiscentiam carnis propter abundātiam caloris incitantis, quā ad concupiscentiam oculorū: in ætate verò senili pronior est ad cōcupiscentiam oculorum propter intentionē frigiditatis, q̄ habet virtutē congregatiuam: secundùm aūt dispositionē naturæ contingit pronitas cōcupiscentiæ. Simili modo in ætate iuuenili mundi, q̄ erat tempore legis: pronitas erat maior ad concupiscentiam carnis: in ætate verò senili, quæ est tempore gratiæ pronitas maior est ad concupiscētiam oculorum. Vnde Apostolus: *Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt.*

1. Cor. 16.

¶ SIC igitur terminata est inquisitio de iudicijs permissionis: nam de permissione vsuræ terminatum est supra Quęstione de illo mandato: *Non furtum facies.*

Exod. 20.

QVÆSTIO XLVII.

De Legibus Punitionis.

In quinque Membra & octo Articulos diuisa.

CVM (sicut suprà dictum est) in lege quædam mala fuerint punita, quædam verò permissa: in parte præcedenti inquisitum est de legibus permissionis: in hac verò parte inquirendum est de legibus punitionis.

¶ NOTANDVM ergo, quòd pro culpis in lege duplex genus pœnæ infligebatur: corporalis, & temporalis. Corporalis, quæ inducebat passionem in corpore: temporalis, quæ inferebat detrimentum in possessione. Item, corporalis pœna in lege triplex erat: secundùm misericordiam in pœna flagellationis: secundùm æquitatem in pœna talionis: secundùm seueritatem in pœna impugnationis, seu interfectionis. De pœna quidem flagellationis dicit lex: *Si iudices eum, qui peccauerit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro peccati mensura erit & plagarum modus*: ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedat, ne fœdè laceratus antè oculos tuos abeat frater tuus. De pœna talionis dicit lex: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, vulnus pro vulnere, &c.* Et, *Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Et subditur: *Aequum iudicium sit inter vos: &c.* *Cùm inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo cogitauit facere.* Et subditur: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede exiges.* De pœna demum impugnationis siue interfectionis dicit lex: *Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi: nec parcet eis oculus tuus.* Et, *Maleficos non patieris viuere.* Et, *Quando accedes ad expugnandum ciuitatem, offeres ei primum pacem: si autem fœdus inire noluerint, & cœperint contra te bellum; oppugnabis eam.* Et subditur: *Percuties omne, quod in ea est, in ore gladij, absque mulieribus, & infantibus.* De pœna verò temporali, siue pecuniaria dicit lex: *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem: & occiderit, vel vendiderit: quinq; boues pro vno boue restituet: & quatuor oues pro vna oue. Si inuentum fuerit, quod furatus est, apud eum viuens, duplum restituet.*

Deut. 25.

Exod. 21.

Leuit. 4.

Ibidem.

Deut. 19.

Deut. 7.

Exod. 22.

Deut. 20.

Ibidem.

Exod. 22.

¶ SECVNDVM hoc ergo, in parte ista inquirendum est: Primò de lege flagellationis. Secundò, de lege talionis. Tertiò, de lege belli, & impugnationis. Quartò, de lege occisionis. Quintò, de lege satisfactionis per pœnam temporalem.

MEMBRVM I.

An mali per flagella cogendi sint ad bonum?

CIRCA legem flagellationis incidit quæstio: Vtrùm mali per flagella sint ad bonum cogendi? Et videtur quod non: multipliciter. Primò, quia nullus potest esse inuitè bonus, ergo hoc ipsum cogi ad bonum, non est ei bonum: nec cogenti (constat) hoc bonum est: relinquitur ergo, quòd nullus erit cogendus ad bonum.

¶ ITEM, sicut dicit beatus Dionysius: *Non coactam habemus vitam*: immò (sicut dicitur Eccles. 15.) *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur ei: & reliquit illum in manu consilij sui.* Si ergo Deus concessit homini liberum arbitrium ad bonum, & ad malum: ergo non debet homo cogi ad bonum.

Dionys. Ecclesiastici 15.

¶ ITEM, nemo est cogendus ad id, quod inutiliter cogitur. Sed ad bonum quisque inutiliter cogitur: quia Deus coacta seruitia aspernatur, vnde dicit Apostolus: *Si necessitate euāngelizo, non est mihi gloria: si autem volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.*

1. Cor. 9.

¶ ITEM, cùm de eleēmosynis Apostolus hortatur: *Vnusquisque det, prout destinauit in corde suo: non ex tristitia, aut ex necessitate.* Ex quo datur intelligi, quòd qui inuitus dat propter præsentem pudorem, & rem, & meritum perdit.

2. Cor. 9.

¶ ITEM, scribens Apostolus legalia non esse tenenda, dicit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Ex quo apparet

Galat. 5.

eum, qui sub lege, id est qui timore pœnæ, non amore iustitiæ seruit, nõ duci spiritu sancto. Si autem spiritu sancto non ducitur, Deo placere minimè valet.

1. Ioan. 4. ¶ ITEM, 1. Ioan. 4. *Timor non est in charitate, sed charitas foras mittit timorem.* Sed ille, qui cogitur, timore agitur: qui non est in charitate: qui manus comprimit, non animum mutat, quo pœna timetur, & iustitia non amatur. Ergo relinquitur, quòd inutiliter quisque ad bonum cogitur.

¶ ITEM, multi ex coactione efficiuntur impatientiores; ergo & deteriores; ergo coactio vergit eis in deterius. Cùm ergo de omnibus malis istud p̃sumatur; nullus malus ad bonum est cogendus.

Tob. 4. ¶ ITEM, de lege naturæ est, non facere alij, quod non velimus nobis fieri, Tob. 4. *Si* ergo nullus vult cogi; quia nullus vult contrarium eius, quod vult: ergo de lege naturali nullus debet alium cogere.

¶ ITEM, si Christus & Apostoli nobis imitandi proponuntur, sed Christus Iudæos malos in se credere non coëgit: similiter nec Apostoli aliquos coëgerunt, ergo vniuersaliter mali non erunt cogendi: & maximè per flagella,

Matt. 5. cùm dicat Saluator Matt. 5. *Qui percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram.*

¶ CONTRA, Augustinus Vincentio Donatistæ: *Putas neminem debere cogi ad iustitiam: cùm legas patremfamilias dixisse*

Luc. 14. *seruis* (Luc. 14.) *Quoscunq; inueneritis, compellite intrare? postea verò Paulum ad veritatem cognoscendam & tenẽdam magna violentia Christi cogentis esse compulsum.*

¶ ET iterum: *Flagellauerunt Christum Iudæi, Iudæos flagel-*

Matt. 21. *lauit & Christus, Matt. 21. Traditi sunt Apostoli ab hominibus humanæ potestati; tradiderunt Apostoli homines potestati satanæ: vt*

1. Cor. 5. *Paulus Corinthium.*

¶ IDEM Augustinus Donato presbytero ostẽdit multipliciter, quòd mali sunt ad bonum cogendi. Primò sic; *si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati: quare Israëlitæ recusantes, & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur?*

¶ RVRSVS: *Si voluntas mala permittenda est libertati: quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam? Sed prostratus est, vt cæcaretur: cæcatus, vt mutaretur.*

¶ ET iterum: *Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati: quare pater monetur in scripturis sanctis filium durum nõ solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere: vt ad disciplinam bonam coactus, ad bonum dirigatur?*

Eccles. 30 Eccles. 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute: tunde latera eius, dum infans est: ne fortè induretur, & non credat tibi.*

¶ ET paulo pòst: *Si mala voluntas suæ libertati permitten-*

Ezech. 34 *da est; quare corripiuntur negligentes pastores* Ezech. 34. *& dicitur eis: Errantem non reuocastis, perditum non requisistis?*

¶ ET paucis interpositis: *Quòd te in puteum misisti, quo morereris vtique libera voluntate: nonne crudeles essent serui Dei, si huic malæ voluntati te permitterent: & non de illa morte liberarent? Si ergo salus ista corporalis sic custodienda est, vt etiam in nolentibus ab eis qui eos diligunt, seruetur: quanto magis illa spiritualis, in cuius desertione mors æterna metuitur?*

¶ IDEM Augustinus ad Bonifacium Comitem: *Quærunt, cui vim Christus intulit? quem coëgit? ecce habent Paulum Apostolum: agnoscant prius eum cogentem Christum, & postea docentem: priùs ferientem, & postea consolantem.*

¶ ITEM eidem: *Cur ecclesia non cogeret filios perditos, vt redirent: si perditi filij coëgerunt alios, vt perirent.*

¶ RVRSVS Vincentio Donatistæ: *Si quisquam inimicum suum periculosis febribus freneticum factum, currere videret in præceps: nonne potiùs malum pro malo redderet, si sic eum ire permitteret; quàm si corripiendum curandumq; ligaret? & tunc ei molestissimus videretur, quando misericordissimus extitisset.*

¶ ITERVM Bonifacio: *Molestus est medicus furenti frenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo: sed ambo diligendo. Si autem istos negligant; & perire permittant; ista potiùs falsa mansuetudo est & crudelitas.*

¶ IDEM eidem: *Si duo aliqui in vna domo simul habitarẽt; quam certissimè sciremus ruituram: nobisq; prænunciantibus nollẽt recedere, atque in ea manere persisterent: si eos possemus eruere, vel inuitos vt vlteriùs redire sub eius periculum nõ auderent, puto nisi faceremus, non immeritò crudeles iudicaremur.* Ex his igitur relinquitur: quòd mali sunt etiam per flagella cogendi ad bonum, & corrigendi.

RESOLVTIO.

Mali etiam per flagella ad bonum cogendi sunt: quia misericordiæ & charitatis est eorum saluti etiam sic prouidere.

¶ QVOD concedendum est. Dicendum igitur, quòd lex flagellationis lex misericordiæ est & charitatis. Vnde Augustinus in expositione Sermonis Domini in monte, dicit: *Certè perfectio dilectionis ipsius Dei patris nobis imitãda proponitur, cùm dicitur: Diligite inimicos: benefacite his qui oderunt vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est:* & tamen de ipso dicitur Prouerb. 3. *Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quam auctoritatem accipit Apostolus Hebr. 12. Vt is, cui rerum ordine potestas est data; ea voluntate vindicet, qua pater filium flagellat; quem tamẽ per ætatem non potest odisse.

¶ AD primum ergo respondet Augustinus in epistola ad Vincentium: *Vides (vt opinor) nõ esse inconsiderandum, quod quisque cogitur: sed quale sit illud, ad quod cogitur: vtrùm bonum, aut malum: non quòd quisq; bonus possit esse inuitus.* Ad illud ergo quod dicit, quòd ipsum cogi, non est ei bonum: intermẽdum est. Nam per hoc faciliùs ducitur ad bonum: quia cùm primò cogitur inuitus: postmodum de inuito faciliùs fit voluntarius: sicut ostendit idem Augustinus in epist. ad Bonifacium Comitẽ, in Paulo; qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, & plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit.

¶ AD secundum dicendum secundùm sanctum Anselmum: quòd libertas ad peccandum non est dicenda libertas, nec pars libertatis: cùm ipsum malum non sit nisi defectus. Vnde coercere voluntatem à malo; hoc non est impedire libertatem, sed ipsam adiuuare.

¶ AD ea, quæ postea obijciuntur, quòd inutiliter cogitur quis ad bonum. Dicẽdum, quòd si bonum, ad quod mali coguntur, semper inuiti tolerarent, & nunquam voluntarij fierent: inutiliter cogerentur ad bonum. Sed quia humanæ naturæ est ea, quæ in dissuetudinem ducunt, abhorrere, & consueta magna custodia diligere: ideo per assuetudinem de inuitis fiunt voluntarij. Vnde August. in Psal. 127. dicit: *Cùm per timorem gehennæ continet se homo à peccato, fit consuetudo iustitiæ: & incipit quod durum erat, amari: incipit timor excludi à charitate et succedit timor castus* (de quo hic dicitur) *quo timemus, ne discedat, ne eo careamus.*

¶ AD illud, quod obijcitur: quòd multi fiunt deteriores ex coactione. Respõdet Augustinus Vincentio Donatistæ, dicens: *Nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilẽtia,* quasi dicat, non. Ita nec negligenda est coërtio, quamuis sequatur in aliquibus deterioratio. Nec est verum, quod de omnibus taliter sit præsumẽdum: immò de quolibet præsumendum est ratione diuinæ gratiæ, quæ omnibus se offert; quod sit emendandus.

¶ AD aliud, quod dicit: quod de lege naturali est velle non cogi. Verum est velle non cogi ad illud, quod non decet, vel expedit: cogi autem ad bonum, expedit & decẽs est: & ideo non est contra legem naturalem: quia & si alienatæ à ratione menti per malitiam odiosum sit bonum, ad quod cogitur: tamen postea sanatæ menti fit amabile. Et hoc est quod dicit Augustinus contra Faustum: *Frenetici nolunt ligari, lethargici nolunt excitari: sed perseueret diligentia charitatis freneticum ligare, lethargicum stimulare: ambo offendũtur, sed ambo diliguntur: ambo molestati, quamdiu ægri sunt, indignantur: sed ambo sanati gratulantur.*

¶ AD illud verò, quod vltimò obijcitur de Christo & Apostolis, iam responsum est: nam (sicut dicit Augustinus contra Petilianum) tradidit Apostolus hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini, 1. Corin. 5. Tradidit Hymæneum & Alexandrum satanæ, vt discerent non blasphemare, 1. Timoth. 1. Et Dominus flagello expulit de templo improbos negotiatores, Matth. 21. Marc. 11.

Margin: August. — Prouer. 3. — Hebr. 12. — 1. Cor. 5. — 1. Tim. 1. — Matt. 21. — Marc. 11.

MEMBRVM II.

An liceat expetere vindictam.

CONSEQVENTER quæritur de lege talionis: circa quam quæritur vtrum vindicta sit expetenda. Quod videtur per Augustinum, qui dicit contra Faustum: *Illud, quod antiquis dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. non est contrarium ei, quod dicitur Matth. 5. Dico vobis, non resistere malo. Immoderatæ, ac per hoc iniustæ vltioni lex iustum modum figens, pœnam talionis instituit: vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat.* Et subdit: *Cum peccet, qui per immoderationem iniuste vult vindicari: non peccet autem, qui modum adhibens iuste vindicari vult: remotior est à peccato iniustæ vindictæ, quæ non vult omnino vindicari.* Peccat enim qui exigit vltra debitum; nō peccat autem qui exigit debitum. Ergo velle vindicari secundum iustitiæ debitum, est licitum.

(Aug. contra Faust. — Matth. 5.)

¶ ITEM, lex talionis cōtinet iustum & æquū. Sed velle, quod iustū & æquum est, cuilibet licitum est: ergo velle eruitionem oculi illius, qui mihi eruit oculum, mihi licitum erit.

¶ ITEM, August. in expositione Psalm. 108. dicit: *Sex differentiæ sunt, reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis* (hæc bonorum sunt, sed primum melius) *non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis* (hæc duo malorum sunt, sed posterius est deterius) *reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis* (hæc duo mediocrium sunt. Prius propinquum bonis est, quod Christus non arguit: sed plus oportere dicit, quia ethnici hoc faciunt, Matth. 5. posterius propinquum est malis; conuenit tamen & bonis: vnde lex modum vltionis statuit, oculum pro oculo.

(Aug. sup. Psal. 108. — Matth. 5.)

¶ CONTRA, Leuit. 19. *Non quæres vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Item Deut. 32. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Item Ecclesiast. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.* Item in Psalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis.* Item 1. Petr. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed econtrariò benedicentes.* Item Augustinus: *Lex talionis* (*si dici potest*) *iustorum iustitia est: non quia iniqua est vltio, quam lex statuit: sed quia vitiosa est libido vlciscendi.* Et hoc idem habetur super Matth. 5.

(Leuit. 19. — Deut. 32. — Ecclesi. 28. — Psalm. 7. — 1. Petr. 3. — Aug. super Psal.)

¶ ITEM, obijcitur de æquitate legis talionis. Nam dicit lex: *Qui furatus fuerit bouem, & interfecerit, vel vendiderit; quinque boues restituet*: vbi dicit Glos. *Quantò minor in possessione commoditas, tantò minor in amissione dolor*: sed quantò maior est, quod aufertur, tanto dolor amplior de amissione: & ideo quia plus dolet homo de amissione bouis, quàm ouis, plus punitur fur bouis, quam ouis. Ergo pari ratione cum maior dolor sit de amissione oculi, quam bouis; cùm non satis sit secundùm legem in furto bouis reddere bo- uem pro boue; multo fortiùs non satis erit secundùm legem reddere oculum pro oculo: imò qui eruit oculum, si haberet quinq; oculos, deberet pro oculo eruto reddere.

(Exod. 22. — Glossa.)

RESOLVTIO.

Personæ publicæ ex charitate tamen & iustitia zelo, licet: personæ autem priuatæ non licet.

RESPON. sicut dicit Augustinus: *Modum vltionis, quam lex statuit, ad iudicem pertinet, magis ipsius est hoc inter homines discernere, quam bonum hominem sibi expetere: hic enim redderet malum pro malo, iudex verò non: sed delectatione iustitiæ illum pro iniusto, quod etiam Deus facit.* Secundum hoc ergo dist[in]guendum est; quod expetere vindictam priuatæ personæ non est licitum: expetere verò vindictam personæ iudicis, vno modo est licitum, alio modo illicitum. Licitum ex charitate & zelo iustitiæ: illicitum ex odio & libidine iræ: sicut desiderio correctionis, illicitum desiderio afflictionis. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Non prohibetur vindicta, quæ fit ad correctionem; sed hæc etiam non conceditur, nisi ei, cui potestas ordine rerum data est, & sine ira; vt pater in filium.*

(Aug. super Matt. — Idem super ibi.)

¶ AD primum ergo: quod primò obijcitur, quòd nō peccat, qui vult vindicari: nec qui exigit debitum. Dicēdum, quòd si priuata persona per se vellet vindicari, cum non habeat iudiciariam potestatem, vellet vindicari iniu- ste: iniusta enim est vindicatio, quæ à non habente iudiciariam potestatem infertur. Item, si desiderio libidinis hoc appeteret, iniuste vellet vindicari: desiderium autem inordinatum potest esse vel se ipsum nimis amando, vel alium odiendo. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Iniuriæ propulsatio, licet iuste petatur: iuste tamen probatur ab ipso scilicet iudice: quanquam & ipsa postulatio nō usquequaque iusta probatur.* Aliud est enim iniuriam propellere, vt sibi liceat viuere: aliud, vt illorum vtilitati liberè possit vacare. Item (sicut idem dicit) *Iudex vult illum quem vindicat, nō pœna miserum, sed correctione beatum esse*: cum scilicet iuste vindicat. Idcirco reprehendit Dominus discipulos petentes ignem de cœlo ad consumendum eos, qui nolebant eos recipere, animaduertens eos nō amare correctionem, sed odio desiderare vindictam.

(Idem super Psal. — Idem in ser. Domini in mōte.)

¶ AD secundum iam patet responsio ex prædictis: quia lex talionis quantum ad iudicem, qui ex zelo iustitiæ punit, secundum hoc continet iustum: quantum verò ad priuatam personam, vel quæ libidine vindictæ hoc expeteret; contineret iniustum. Vnde dicit Aug. *Si bonus homo hoc expeteret, malum pro malo redderet: iudex verò nō, sed delectatione iustitiæ iustum pro iniusto, quod est reddere bonum pro malo.*

(Idem.)

¶ AD tertium, quod dicitur, quòd reddere mala pro malis, propinquum malis est, conuenit tamen bonis. Dicendum, quòd hoc non est simpliciter dictum: sed debet intelligi malum pœnæ; nō tamen ex malo affectu seu mala intētione: quemadmodum dicit Augustinus, quod petere vel præstare subsidium, vt voluptuosè quis viuat in crimine, damnabile est: petere verò vel præstare, vt mali facultas adimatur; vt ecclesia pacem adipiscatur, vt aliquis multorum vtilitati seruetur, vtile & honestum est. Inde est, quòd Paulus cōtra insidias inimicorum petijt milites à Prætore, vt illæsus ab iniuria seruaretur. Hinc in Euangelio mercenarius vocatur, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.

(Idem. — Act. 22. — Ioan. 10.)

¶ AD vltimum dicēdum: quod in læsionibus & damnis lex quærebat vtilitatem læsi, & correctionem aliorum: vt scilicet ex pœna lædentis timerent peccare. Vnde 1. Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Glos. *Vt pœna vnius metus sit multorum.* Cùm ergo in eruitione vnius oculi pro oculo ad correctionē vitius punitus sit, qui læserat, & alij perterriti: nec aliquid vtilitatis accresceret læso, si lædens altero oculo priuaretur: decreuit lex non vltra procedere in inflictione pœnæ. In restitutione verò quinque boum pro vno, vel quatuor ouium pro vna; læso vtilitas accedebat: quamuis lædens plus quā læserat, grauaretur.

(1. Tim. 5. — Glossa.)

MEMBRVM III.

De lege belli, & impugnationis.

POSTEA quærendum est de legibus bellorum, seu impugnationis.

¶ CIRCA quam partem quæruntur tria. Primò, vtrùm mali possint licitè debellari: quod est, an licitum sit bellare. Secundò, de circunstantijs belli. Tertiò de exercitio, quod est in tyrocinijs.

ARTICVLVS I.

An licitum sit bellare?

QVÆRITVR ergo: Vtrum bellare sit licitum. Ad quod Augustinus: *Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti, vt Iosue, cui dicitur: Egressus, pugna contra Amalech, &c.* Item in his erat ille Centurio, qui domino dixit: *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

(Aug. ad Bonifac. — Exod. 17. — Matth. 8.)

¶ ITEM August. *Ioanne[s] ab armis non iubet discedere milites: & Christus tributa Cæsari monet reddi: quod propter bella necessaria militi stipendium præbeatur.*

(Aug. eidē. — Matt. 22.)

¶ ITEM, *Si Christiana disciplina omnia bella culparet: hoc potius consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seq; militiæ omnino subtraherent: dictum autem est eis* [illegible]

(Idē Aug. in ser. de puero Cē- turionis. — Luc. 3.)

Neminem concutiatis: estote contenti stipendijs vestris, &c. quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare vtique non prohibuit.

Ambr. li. 1. de offic. ¶ Item Ambros. lib. 1. de Officijs: *Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.*

Aug. Vincētio Donatistæ. ¶ Item Augustinus Vincentio Donatistæ: *Si semper esset culpabile persecutionem facere: nō scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.*

Psal. 100. Idē cōtra Petilian. Psal. 100. ¶ Idem contra Petilianum: *Qui peccat, nō peccat legis auctoritate, sed contra legis auctoritatem. Inde rogo te, cùm vox sit in Psalm. dicentis: Detrahentem secretò proximo suo, &c. Quære itaq; causam & modum persecutionis: & noli generaliter persecutionem reprehendere. Non enim persequimur vos, nisi quemadmodum veritas persequitur falsitatem.*

Idem ad Bonifacium Comitem. epistola 50. Psal. 14. ¶ Item ad Bonifacium Comitem: Cuius putant vocē esse, vbi dicitur: *Persequar inimicos meos, & comprehendā illos, & non conuertar donec deficiant?* Ex his igitur relinquitur, q malis licitè sunt persequendi, & impugnandi.

¶ Contra; Omne bellum fit, vel propter iniuriam propulsandam à se, vel à socio: vel propter vindictam inferendam. Sed propulsatio propriæ iniuriæ prohibetur Matth. 5. *Si quis percusserit te in vnam maxillam, &c.* & propulsatio iniuriæ sociorum prohibetur in Petro, cùm ei dictū est: *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Matth. 26. illatio verò vindictæ prohibetur 1. Pet. 3. *Non reddes malum pro malo, &c.* Cùm ergo omnis causa belli prohibita sit: bellare illicitum erit.

Matth. 5. Matt. 26. 1. Petr. 3.

Gregor. ¶ Item B. Gregorius: *Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent: nunquam (vt opinor) Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere; ab Apostolis legendi traditi fuissent.*

Idem. Ioan. 14. Rom. 12. 1. Cor. 6. ¶ Item, *Quomodo discipulis Christi bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur à Iesu: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis:* Et, *Non vos ipsos iudicantes, sed magis iniuriam percipite, & fraudem patimini.*

Idē Greg. Ephes. 6. ¶ Et iterum: *Sciens Apostolus nobis iam vltra bella non esse carnaliter peragēda, sed animæ certamina contra spirituales aduersarios: præceptum militia dat militibus Christi, dicens: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*

Matt. 26. ¶ Item, *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* Ex his igitur videtur manifestè probari: quod tempore gratiæ omnino bellare sit prohibitum.

Galat. 14. ¶ Item, quod omni tempore licitum sit bellare, & persequi, probatur. Nam (sicut dicit B. Hieron. super illud: *Is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundū spiritum.*) Qui secundùm carnem natus est, persequitur spiritualē, nunquam verò spiritualis carnalem persequitur.

Matt. 5. ¶ Item de membris Ecclesiæ dicitur: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Cùm ergo iustorū sit persecutionem pati, non facere: relinquitur quod persequi malos erit illicitum.

Tob. 4. ¶ Item, præceptum innocentiæ est de lege naturali, contentum sub illo præcepto: *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne aliquando alteri facias.* Cùm ergo persecutione & bello corporaliter & temporaliter noceatur: contra præceptum innocentiæ erit bellare, vel persequi.

RESOLVTIO.

Licitum est bellare: modò ex parte indicentis bellum sit iustus affectum, iustaq; auctoritas, ex parte peragentis debita intentio, & debita conditio: ex parte sustinentis dignum meritum; ex parte demum eius, pro quo bellum fit, legitima causa.

¶ Respon. Bellare iustè secundùm legem diuinam est licitum: & etiam in præcepto Regibus & Principibus terræ: secundùm quod dicit Augustinus super illum locū: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore.* Quomodo ergo Reges seruiunt in timore; nisi ea, quæ contra Dei iussa sunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia Rex est: quia enim homo est seruit, viuendo fideliter: quia Rex est secundùm legem iustitię pugnando viriliter. Iniuste verò bellare illicitum est, & prohibitum:

Aug. ad Bonifac. Comitē. super Psal. mum 2.

secundùm quod ostenditur in Baruch 3. vbi dicitur de gigantibus, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neq; viam disciplinæ inuenerunt, propter ea perierunt.

¶ Nota autem ad hoc, vt discernas quod bellum iustum sit, vel iniustum) autoritatem, affectum, intentionē, conditionem, meritum, & causam. Affectus & autoritas debent considerari in persona indicentis bellum: conditio & intentio in persona peragentis bellum, meritum in persona sustinentis bellum, causa in persona, pro qua agitur bellum.

¶ Dicendum ergo: quòd ad hoc quod sit iustū bellum, requiritur, quòd persona indicēs bellum, habeat iustum affectum, & autoritatem iustam. Iustum quidem affectum, declarat Augustinus: *Esto bellando pacificus: vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas: beati enim pacifici, quia filij Dei vocabuntur.* Et, *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi: hæc sunt, & si quæ similia; quæ in bellis iure culpantur.* Iustam verò autoritatem, hoc est ordinatam, explicat idem Augustinus: *Deo, siue aliquo alio legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur; vt eos vel iubere aliquid tale, vel in talibus obedire iustè ipse ordo constringit.* Et post subdit: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit: vt suscipiendi belli auctoritas atq; consilium penes Principes sit.*

Idem ad eundem. Idē cōtra Manich. Idē cōtra eosdem. Aug. de verbis domini.

¶ Item, in persona peragentis bellum, duo requiruntur: debita intentio, & debita conditio. Debita intentio exponitur ab Augustino: *Militare non est delictum, sed militare propter prædam peccatum est: nec rem publicam agere criminosum est, sed vt diuitias augeas; damnabile est.* Debita autem conditio, vt non sit persona clericalis: vnde Canon Ioan. Papæ: *Secularem militiam exercere, terram defendere, de prælijs tractare, & de armis; terrena potestatis est.* Et iterum ibid. dicit Canon Cōcilij Melden. *Quicunq; ex clero videntur esse, arma militaria non sumant: quia non possunt simul Deo & sæculo militare.*

Can. Ioā. Papę. dist. 23 q. 8. Can. Concilij Meldensis.

¶ Item, in persona, contra quam agitur bellum, considerandum est meritum iustum, vt scil. iustè meruerit impugnari, vel persecutionem pati. Vnde Augustinus: *Est persecutio iniusta, quam faciunt impij ecclesiæ Christi: ista namq; beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam: illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam: proinde ista persequitur diligendo, illi sæuiendo: ista vt corrigat, illi vt euertāt.* Item idē Aug. *Duo ista nomina, cùm dicimus* (homo peccator) *vtiq; non frustra dicuntur: quia peccator est, corripe: quia homo, miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi persecutus fueris peccatorem.*

Aug. ad Bonifac. Comitē. Idē super Psalm.

¶ Item, in persona illius, pro quo pugnatur, attendenda est iusta causa: quæ est subleuatio bonorū, coërtio malorum, pax omnium. Vnde Aug. de diuersis ecclesiæ obseruationibus: *Apud veros Dei cultores etiam bella * illa pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate; sed pacis studio geruntur: vt mali coërceantur, & boni subleuentur.*

Idē Aug. * al. ipsa

¶ Ad illud, quod secundò objicitur; quòd bella carnalia discipulis Christi traduntur legēda solùm propter bella spiritualia, quæ designant. Dicendum, quòd discipulos Christi appellat, nō generaliter Christianos, sed viros ecclesiasticos, quibus interdicta sunt bella & arma. Vnde beatus Ambrosius contra Imperatoris edictum dicit: *Aduersus milites Gothos lacrymæ meæ mea arma sūt: talia enim sunt munimenta sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.*

Ambros.

¶ Ad tertium, quod objicitur, quod à Iesu dicitur: pacem meam do vobis. Dicendum, quòd bellum iustum nō repugnat paci: imò finem habet pacem. Vnde Aug. ad Bonifacium: *Bellum debet esse necessitatis, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace: non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur.*

Aug. ad Bonifac.

¶ Ad quartum, quod dicit Greg. quod bella vlteriùs non sunt carnaliter peragenda. Intelligendum est, sicut priùs, ab ecclesiasticis personis: quibus in veteri Testamēto licebat pugnare; non licet autem in nouo.

¶ Ad quintum, quod objicitur: qui acceperit gladium, gladio peribit, scribit Augustinus: *Ille gladium accipit, qui nulla superiori, ac legitima potestate vel iubente, vel concedente, in sanguinem alterius armatur.*

Aug. contra Manichæos.

¶ Ad

¶ Ad sextum, quod dicit Hier. quia spiritualis nunquam persequitur carnalem. Respondet Aug. & Pelagius Papa. *Non vos hominum vaniloquia retardent, dicentium quod persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quae committuntur, reprimit, vel animarum salutem requirit. Errant huiusmodi fabulatores: non persequitur, nisi qui ad malum cogit: qui verò malum factum iam punit vel prohibet, ne fiat; non persequitur iste, sed diligit.*

Idem & Pelagius Papa 23. q. 4.

¶ Ad septimum respondet Aug. *Si Ecclesia vera est ipsa, quae persecutionem patitur, non quae facit: quaeratur ab Apostolo, quam Ecclesiam signabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillae? Gen. 21. Liberam quippe matrem coelestem Hierusalem, id est, veram Dei Ecclesiam in illa muliere dicit esse figuratam.* Gal. 4. *Quae affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm Sara eam coercendo. illa dominae faciebat iniuriam, ista imponebat superbae disciplinam.*

Idem Aug. ad Bonifacium. Contra...

¶ Ad octauum, quod dicit: bellum esse contra praeceptum innocentiae. Interimendum est: vnde Aug. *Pertinet ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre: verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum: vt delinquens corrigatur experimento, aut alij terreantur.*

Aug. in li. de ciu. Dei

¶ Ad primum verò, quod obijciebatur: quod omnis causa belli prohibita est: quia prohibita est vindicta inferenda, & iniuria propulsanda. Iam ex superioribus patet responsio: nam vindicta inferenda non est prohibita, nisi priuatae personae, & ex libidine vindictae: sed iudici praecipitur inferenda ex zelo iustitiae. Vnde Aug. dicit: *Si ea, quibus Deus vehementer offenditur, insequi vel vlcisci differimus; ad irascendum diuinitatis prouocamus patientiam. Nonne Achor filius Zare praeteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit: & ille erat vnus homo: atque (vtinam) solus periisset in scelere suo.* Simili modo iniuria propulsanda in praecepto est ei, qui vtiliter potest eam propellere ab alio. Vnde B. Amb. *Qui non repellit à socio iniuriam, si potest: tam est in vitio, quàm ille qui facit:* vnde S. Moyses, cùm vidisset Hebraeum ab Aegyptio excipientem iniuriam defendit: ita vt Aegyptium prosterneret. Salomon quoque ait: *Erue eum, qui ducitur ad mortem.* Sed istud vltimum dubitationem habet: quae determinabitur infrà Quaestione de illo praecepto Euangelij. Dico vobis, non resistere malo.

Idem sup. Iosue 7.

Ambr. li. 1. de Offi. c. 35.

Eccl. 10. Prou. 24.

ARTICVLVS II.

De circumstantiis belli.

CONSEQVENTER quaeritur de circumstantijs bellandi. Et hoc quantum ad quatuor: quantum ad praeceptum bellandi: quantum ad personam bellantis: quantùm ad opus belli: quantùm ad modum bellandi.

An Regibus sacrilegis indicentibus & iubentibus bellum, teneantur subditi milites obedire? §. 1.

¶ QVANTVM ad praeceptum bellandi quaeritur: Vtrùm sacrilegis Regibus indicentibus & iubentibus bellum, teneantur subditi milites obedire? Quod non, videtur: nam non tenentur obedire, nisi potestati ordinatae à Deo. Sed potestas malignantium non est ordinata à Deo, vel sub Deo (posito quod affectu cupiditatis bellum moueat) ergo non est ei obediendum: quia (sicut dicit Apost.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quae autem à Deo sunt ordinata sunt.*

Rom. 13.

¶ ITEM, non est obediendum indicenti bellum, nisi in bello iusto: sed non est bellum iustum (sicut patet ex praedictis) vbi est affectus iniustus. Si ergo sit in principe affectus cupiditatis, vel affectus dominandi, vel affectus vlciscendi; non erit ei parendum.

¶ CONTRA: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quod intelligitur non solùm de bonis Principibus, sed etiam de malis. Vnde, *Serui subditi estote in omni timore dominis, non solum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Et iterum: *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, siue Regi quasi praecellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Sed non determinatur hic, quod sit obediendum bono potiùs, quàm malo: ergo, &c.

Ibidem.

1 Petri 2.

¶ ITEM, sacrilegi Principes, & affectu corrupti, sunt ministri Dei: vt competat, quod dicit Apostolus: *Ministri Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Vnde Hieron. *Non solùm homines ministri Dei sunt, & vltores irae Dei hi, qui malum operantur.* vnde Rom. 13. *Non sine causa gladium portat. Dei enim Minister est,* &c. Sed contrariae fortitudines

Rom. 13. Hieron. super Iohelem. Rom. 13.

RESOLVTIO.

Tenentur admodum: modò vice pacis bellent; nec contra Dei praeceptum bellum illud inditum esse certè sciant: aut saltem, vtrùm sit, certò scire nequeant.

¶ RESP. Secundum Aug. *Iustus, si sub Rege, homine sacrilego, militet, rectè potest, illo iubente, bellare: si vice pacis ordinem seruans; quod iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum, certum est: vel vtrùm sit, certum non est.*

August. contra Manichaeum.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: quod potestas sacrilegi principis indicentis bellum ex cupiditate, non est ordinata à Deo, vel sub Deo. Dicendum, quod est ordo potestatis quantùm ad auctoritatem; & hoc modo ordinata est: & quantùm ad executionem: & hoc dupliciter, vel quantùm ad affectum executionis, & hoc modo inordinata est: vel quantùm ad effectum executionis; & hoc modo ordinata est, dummodo quod iubetur, licitum sit, & contra Dei praeceptum non sit. Affectus autem inordinatus executionis potestatis non tollit ordinem potestatis, quin sit ei parendum. Vnde Aug. *Si humana cupiditate bellum geritur* (supple à principe) *non nocet Sancto* (id est subditis) *in quo non habet quisquam potestatem, nisi de super datam: non enim est potestas nisi à Deo siue sinente, siue iubente.*

Idem contra eundem.

¶ Ad secundum dicendum: quod in praedicto casu bellum iniustum est ex parte imperantis: sed iustum bellum est ex parte militis obedientis. Vnde Aug. In praedicto casu loquens, dicit: *Reum facit Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendit ordo seruiendi.*

An Episcopi & caeterae huiusmodi ecclesiasticae personae possint arma mouere? §. 2.

¶ QVAERITVR postea de persona bellantis? Vtrùm Episcopi, & ecclesiasticae personae possint arma mouere. Nam Canon. Nic. Papae prohibet Episcopos saeculari militia occupari: nec contra piratas permittit eos accedere ad pugnam.

Canon Nicolai Papae dist. 23. q. 8.

¶ ITEM, vniuersaliter clericos Concilium Toletanum & Concilium Meldense prohibent arma sumere.

Greg. ibidem.

¶ CONTRA: sicut dicitur in eodem cap. q. 8. B. Greg. ciuibus Tusciae, vt contra Longobardos arma pararent, mandauit: & militantibus stipendia decreuit.

¶ ITEM, Leo Papa aduersus Saracenos Vrbem egreditur, vt eos procul à littore arceat, & populum armatum congregat.

RESOLVTIO.

Episcopis, sacerdotibus, & reliquis huiusmodi personis ecclesiasticis non licet aut manu, aut iussu arma mouere, sed tantùm nutu.

¶ Ad hoc distinguit Gratianus: quod sunt quidam Episcopi Leuitica solùm portione contenti: qui possunt dicere. *Dominus pars haereditatis meae:* his enim nihil est commune cum Principibus saeculi, talibus nulla actio relinquitur militiae saecularis: qui à decimis & primitijs viuentes, in omni regno à terrenis exactionibus liberi sunt: ita vt dicere valeant. *Venit princeps mundi huius: & in me non habet quicquam.* Alij sunt, qui non sunt contenti decimis & primitijs: praedia, villas, & castella, & ciuitates possident: ex quibus debent tributa & obsequium militare: quibus à Domino dicitur: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari: & quae sunt Dei Deo.* quibus dicit: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Gratianus. Psalm. 15.

Ioan. 14.

Matt. 22. Rom. 13.

¶ SED contra est expressè, quod dicitur Petro: *Conuerte gladium tuum in vaginam: omnis, qui gladium acceperit gladio peribit.* Ac si apertè diceret: hactenus tibi tuisque praecessoribus inimicos Dei corporali gladio licuit persequi: deinceps in exemplum patientiae gladium in vaginam conuerte. Ex quo relinquitur, quod nulli Episcopo licet materialem gladium seu arma sumere ad bellandum.

Matt. 26.

¶ ITEM, dicit B. Ambro. quod arma Episcoporum sunt lachrymae & orationes.

Ambros.

¶ Propterea dicendum ſecundũ diſtinctionẽ B. Bernardi ad Eugenium: ꝙ eſt mouere arma, ſiue accipere materialem gladium, manu, iuſſu, nutu. Manu à milite iuſſu à Principe, nutu ab Epiſcopo, ſeu ſacerdote. Et verba ſunt. [Ambroſ. Matt. 20.] *Qui materialem gladium tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis. Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe; tuo forſitan nutu, & ſi non manu euaginãdus: vnde dicentib. Apoſtolis. Ecce duo gladij: reſpõdit Dominus. Satis eſt.* [Lucæ 22.] Vterq; ergo gladius Eccleſiæ eſt, materialis & ſpiritualis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille ſacerdotis, hic militis manu: ſed ſanè ad nutum ſacerdotis & iuſſum imperatoris.

An omni tempore liceat bellum gerere? §. 3.

¶ Qværitvr poſtea. An omni tempore poſſit bellũ agi. Et videtur, quòd diebus ſolennibus & feſtiuis illicitũ ſit bellare: propter præceptum de ſabbato: de quo dicitur. [Leu. 23.] *Omne opus ſeruile non facietis in eo.* Etiam [Deut. 5.] Deut. 5. *Non facietis in eo quicquam operis.* Ergo cum bellare ſit opus ſeruile: diebus feſtiuis non erit licitum.

[Eſa. 58.] ¶ Item, cum reprehendat, ꝙ in diebus ieiunij repetuntur debita, & committuntur lites: dicens. In diebus ieiunij omnes debitores veſtros repetitis: ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Ex quo videtur, quòd non ſit licitum in diebus ieiuniorum, & quadrageſimali tempore litigare vel pugnare.

¶ Contra. Poſtquam interfecti ſunt illi viri, qui habebant conſcientiam pugnandi in diebus ſabbatorum: ſalubriori conſilio cogitauerunt, qui remanſerunt dicentes. [1. Mach. 2.] *Si omnes fecerimus, ſicut fratres noſtri: & non pugnauerimus pro animabus noſtris & iuſtificationibus: diſperdent nos de terra: & cogitauerunt dicentes. Omnis homo, quicunq; venerit ad nos in bello in die ſabbatorum, pugnemus aduerſus eum.*

¶ Item, ipſe Dominus monſtrat, ꝙ neceſſitas facit licitum, quod aliàs non eſſet licitum: & ſine peccato ſoluitur [Matth. 12.] ſabbatum in caſu neceſſitatis. *Nonne legiſtis, quid fecit Dauid, quando eſurijt, & panes propoſitionis comedit; quos non licebat eos comedere?* Et ſubdit: *Quis ex vobis homo habens ouẽ; & ceciderit ſabbato in foueam; nonne leuabit eam: quantò magis melior eſt homo oue: itaq; licet ſabbatis benefacere.*

RESOLVTIO.

Omni tempore bellare non licet: quia non diebus vacationi diuinæ inſtitutis: niſi neceſſitas cogat & vrgeat.

¶ Resp. Diebus, qui deputati ſunt vacationi diuinæ ſine neceſſitate vrgente, illicitum eſt pugnare: neceſſitate [Canon Greg. Papæ diſt. 23. q. 8.] verò cogente, fit licitum. Et hoc eſt, ꝙ dicit Canon. Nicolai Papæ, ad conſulta Bulgarorum. *Si nulla vrget neceſſitas: nõ ſolùm quadrageſimali tempore, ſed etiam omni tempore eſt à prælijs abſtinendum: ſi autem ineuitabilis vrget importunitas: nec quadrageſimali tempore pro defenſione tam ſua, quàm patriæ ſeu legum paternarum, bellorum eſt procul dubio præparationi parcendum: ne videlicet Deum tentare videatur homo, ſi habet quid faciat, & ſuæ ac illorum ſaluti conſulere non procurat, & ſanctæ religionis detrimentum non præcauet.*

An inſidiæ, ſtratagemataq; militaria licita ſint? §. 4.

¶ Vltimò quæritur de modo pugnandi. Vtrùm requiratur in bello iuſto excluſio fraudis. Quod videtur [Deut. 16.] per illam legem. *Iuſtè quod iuſtum eſt, exequeris.* Ergo iuſtum bellum peragendum eſt iuſtè: ergo & ſine fraude.

¶ Item, dicit Auguſt. ad Bonif. quod fides hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur: ſed infidelitas excludit fraudem.

[Aug. ad Bonifacium. Idem ſup. Ioſue 8.] ¶ Contra. Auguſtinus: *Dominus Deus noſter iubet ad Ieſum Naue, vt conſtituat ſibi retrorſum inſidias, id eſt inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus: hinc admonemur hoc non iniuſtè fieri ab his, qui iuſtum bellum gerunt.*

RESOLVTIO.

Quàm maximè: modò non ſint contra fidem hoſti præſtitam.

¶ Qvod concedendum eſt.

¶ Ad primum ergo, ꝙ obijcitur: dicendum, ꝙ in iuſto bello pugnare fraude, hoc eſt p inſidias, non eſt pugnare iniuſtè: ſed pugnare fraude, hoc eſt animo fraudulento, id eſt amore iniquitatis, eſt iniuſtè pugnare. Et hoc eſt, ꝙ dicit Aug. *Iuſtus, cui bellare fas eſt, cùm iuſtum bellum ſuſceperit: vtrum apertè pugnet, an ex inſidijs, nihil ad iuſtitiam intereſt.* [Auguſt. in quæſtionib. ſuper Ioſue 8.] Iuſta autẽ bella definiri ſolent, quę vlciſcuntur iniurias. Sed ſine dubio iuſtum bellum eſt, quòd Deus imperat: qui nouit, quid cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipſe populus non tam auctor belli, quàm miniſter iudicandus eſt.

¶ Ad ſecundum verò dicendum: ꝙ fides hoſti ſeruanda eſt, quando promittitur. Et hoc eſt, quod dicit Auguſt. Vnde omnis fraus contra promiſſionem factam hoſti; illicita eſt.

ARTICVLVS III.

An tyrocinia licita ſint?

Consequens eſt inquirere de exercitio bellorum in tyronibus, vtrùm ſit licitum? Quod videtur: nã bellicum exercitium de ordine Dei relictum eſt & conceſſum filijs Iſraël. [Iudicum 3.] *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem: & oẽs, qui nõ nouerant bella Chananæorum: vt poſtea diſcerent filij Iſrael certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.* Ergo illis, quibus fas eſt bellare, vt militibus; bellicum exercitium licitum erit.

¶ Item, ſi aliquis actus bonus eſt & licitus; eruditio & exercitium ad faciendum illum actum licita erunt: ſi ergo bellare pro fide vel pace ſeruanda, licitum eſt: diſciplina belli ad eundem finem ordinata, licita erit. Si ergo miles aliquis hac intentione vadat ad tyrocinium: vt addiſcat artem & induſtriam bellicam ad pugnandum pro fide vel pace, cum neceſſe fuerit; non peccabit.

¶ Contra. Oſtentatio virium peccatum eſt. Sed exercitium tyrociniorum fit ad oſtentationem virium: ergo illicitum & peccatum eſt.

¶ Item, Lex tyrociniorum eſt illa, quàm mali habent. Sap. 1. Sit fortitudo noſtra Lex iuſtitiæ, vt fortior ſpoliet debiliorem. Sed hoc iniuſtum eſt, &c.

¶ Item, exercentes tyrocinia excommunicantur ab Eccleſia ſed Eccleſia non infert talem pœnam. Niſi pro peccato mortali: ergo mortale peccatum eſt.

RESOLVTIO:

Tyrocinia ſi fiant cùm moderamine, abſq; periculo ſalutis, & adhibita diligentia debita, vt tandem habeatur idoneitas bellandi; (cùm res expoſtulauerit) pro fide & pace Eccleſiæ; licita ſunt: ſecus ſi aliàs effecta fuerint: aut ſcil. ad oſtentationem, ad quæſtum, aut cum vitæ diſcrimine, & nulla prehabita cura.

¶ Resp. Secundũ quoſdam. Cùm tale exercitium fit ad oſtentationem; & in diſcrimen vitæ exercitantiũ vergens, ſimpliciter illicitũ eſt: & quicquid ex tali exercitio ſequitur, vt vulneratio, vel infectio; ſunt taliter ſe exercitantibus imputanda. Et quod conceſſum eſt filijs Iſraël, non conceditur eis, niſi vigente neceſſitate; nec contra ſe inuicem, ſed contra illos, quos debebant expugnare ſcil. Chananæos.

¶ Ad illud verò, ꝙ obijcitur: dicerent, ꝙ addiſcere artem bellicam illicito modo, & cum diſcrimine ſalutis, ex quacunq; intentione, illicitum eſt: cum debito verè modo, & ſine periculo ſalutis, licitum erit: ſed hoc non eſt in tyrocinijs.

¶ Alijs verò videtur diſtinguendũ: ꝙ exercitium tyrociniorum poteſt fieri cum moderamine conflictus, qui ad inuicem eſt, abſq; diſcrimine ſalutis; ſi adhibetur diligẽtia debita cautelæ, & in præparatione; & in executione. Et tunc diſtinguendũ; quia aut tale exercitium fit ad oſtẽtationẽ roboris & potentiæ, ſeu vanæ gloriæ; vel quæſtum

auari-

auaritię;& tunc simpliciter illicitum. Vel fit propter experientiam propriæ fortitudinis,& vsus armorum,& bellicæ industriæ; vt habeatur idoneitas bellandi pro fide & pace Ecclesiæ:& hoc modo tale exercitium licitum est. Si verò tale exercitium ageretur sine prædicto moderamine, & diligentia cautelæ. Illicitum est: quia hoc est discrimini se committere.

¶ Ad illud verò, ꝙ obijcitur de lege tyrociniorũ. Dici potest;ꝙ si acquisitio spoliorum fit ex cupiditate vel auaritia;manifestè est iniusta:sed si fit non ex auaritia, sed ex ipsa conuẽtione proposita:vt ille,qui capitur, amittat spolia,cum ex tali conuentione omnes iudicentur ad paria, non est iniusta: nec secundum illam legem iniquorum, quibus fortitudo est Lex iustitiæ.

¶ Ad illud verò,ꝙ obijcitur, ꝙ Ecclesia excõmunicat tales. Dicendum est, quod falsum est exceptis temporibus famis, & necessitatibus Ecclesiæ: cũ sc. necesse habet pugnare contra hæreticos, vel paganos: his temporibus excommunicantur;quia nocent saluti publicę,vel impediũt commune bonum Ecclesiæ: negatur tamen morientibus in tyrocinijs ab Ecclesia sepultura,ad terrorem tyrocinantium:ne scil. sic vires experiantur,vt aliquis incurrat mortem,vel mortis periculum.

MEMBRVM IV.

De lege occisionis.

QVÆRENDVM est cõsequenter de legibus occisionis. Et quamuis supra disputatum sit,an occisio hominis sit licita: & quis sit occidendus: & cui licitum sit occidere:
Exod.20. & Deut. 5. & hoc in inquisitione de illo præcepto Decalogi. *Non occides*, tamen ad maiorem legis huius veritatis euidentiam inquirenda sunt tria.

¶ Primò, an pœna mortis sit homini inferenda. Secundò de generibus mortis secundùm legem inferendis. Tertiò, de causis mortis secundùm iudicium legis.

ARTICVLVS I.

An pœna mortis sit homini inferenda?

AD primum. Quod mors maleficis sit inferenda,sicut
Exod. 22. dicit Lex. *Maleficos non patieris viuere:* multipliciter ꝓbatur. Primò sic:si enim de iustitia leuiores pœnæ inferendæ sunt alicui pro culpa aliqua: cum ipse per eas nondum corrigatur, sed addat præteritæ culpæ contumaciam;manifestum est,cum contumacia sit graue peccatum;ꝙ merito contumaciæ debet crescere pœna; aut contumacia remanere impunita. Non potest autem de iure contumacia remanere impunita: quia igitur crescere potest quantumlibet contumacia:crescere potest de iure quantumlibet & pœna. Quare necesse est,vt ipsa vel sit mors corporalis, vel æqualis illi: cum mors corporalis nõ sit pœna infinita. Per hanc autem viam à leuibus flagellis venietur ad grauia,& à grauibus ad vulnera; ab illis ad tormẽta, à tormentis ad ipsam mortem per similia contumaciæ crementa.

¶ Item, cum proportionales sint culpæ & pœnæ illis debitæ: si ergo alicui culpæ debeatur flagellatio, maiori culpæ duplo maior flagellatio: & decuplæ decuplo maior & centuplæ centuplo maior: & tanta potest esse flagellatio;quod inducet mortem. Sequitur ergo de necessitate, quòd mors corporalis pro aliqua culpa possit infligi.

¶ Item,si alicui culpæ debetur mutilatio: quod etiam
Deut. 25. verum est,sicut dicit Lex Deut.25. De muliere,quæ apprehendit verenda viri, ꝙ abscindatur manus eius. Et Lex ta-
Deut. 19. lionis. *Oculum pro oculo, manum pro manu.* Arguitur sic: certa est comparatio mortis totius corporis ad oculum, & ad quodlibet membrum: similiter certa est comparatio mortis totius corporis ad mortem oculi:ponamus igitur quod pro aliqua culpa debeatur eruitio, seu mors oculi. Si ergo mors oculi vel eruitio pro tanta culpa debeatur: ergo pro culpa duplo maiori debetur eruitio duorum oculorum:& præter hoc mutilatio alicuius membri,vel aliquorum membrorum æquiualentium duobus oculis. Etiam per augmentum culpæ de necessitate iustitiæ perueniretur ad aliquam culpam ita magnam, pro qua debeatur omnium membrorum mutilatio,& mors.

¶ Item,esto quod aliquis occiderit hominẽ iniustè:aut iste est puniendus pœna mortis,aut pœna minori. Si pœna mortis, non solũ igitur licitum, sed etiam iustum est occidere occisorẽ. Si pœna minori: ergo vel finito minori,vel infinito. Si infinito minori,nullius ergo comparationis est id ꝙ intulit, ad id ꝙ patitur: est igitur ista iustitia, quẽadmodum si quis damnificasset alium in millibus marcarũ, & puniretur in amissione vnius festucæ: ꝙ ridiculum est. Si verò finito minori:minori igitur redimit maius:& idem est ac si damnificasset proximum in viginti marchis,& ipse absolueretur pro vna:quod iniustissimum est.

¶ Item,cum mors æterna infligenda sit ꝓ aliqua culpa: sicut dicitur. *Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum: & infernus & mors in stagnum ignis:* hæc est mors secunda. Ergo multò fortiùs mors temporalis. Apoc.20.

¶ Item, mors corporalis,aut est pœna maior omni culpa,aut nõ. Si maior omni culpa:ergo iniustus est Deus:qui eam inflixit ꝓ comestione fructus ligni scientiæ boni & mali: iustus est Christus, qui eã inferet Antichristo:sicut dicitur: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Si verò 2. Thess. 2.
non est maior omni culpa, inferenda est ergo pro aliqua culpa.

¶ Item, Aug. *Helias multos morte affecit propria manu, & igne diuinitus impetrato; quem constas spiritusancto repletum:* sicut dicitur. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ* dicitur de Ioanne Baptista) *& alij multi magni & diuini eodem spiritu consulendo rebus humanis non temere id fecerunt.* Aug. in sermone Domini in monte: Lucæ 1.

¶ Idem, *Verbis Apostoli Petri Ananias & vxor eius (sicut in Actibus Apostolorum legimus) exanimes ceciderunt.* Idem in eodem.

¶ Contra: Obijciunt peruersi hæretici illud: *Ego dico vobis non resistere malo.* Sed istud intelligitur de iniuria ꝑsonali vindicanda libidine vindictæ: non de iniuria Dei, vel Ecclesiæ vindicanda zelo iustitiæ: de qua dicitur Roman.13. (vbi loquitur de principe terreno) *Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum facit.* Matth. 5. Rom.13.

¶ Item,obijciunt illud Mat.13. ꝙ dicitur de zizanijs nõ eradicandis ꝑ prohibitionem saluatoris: qui præcipit, vt sinantur crescere zizania vsq; ad messem; ne simul eradicetur & triticum. Ad quod respondendum: ꝙ manifestum est illud non præcepisse saluatorem; nisi solum vt tritico parceretur: non enim voluit parci zizanijs, sed tritico solum;quia noluit parci zizanijs in tritici detrimentum. Vbi ergo crescunt zizania in detrimentum & suffocationem tritici; nullatenus voluit eis parci. Cùm ergo impij in subuersione populi Dei crescunt:nullatenus crescere sinendi sunt:sed per mortem corporalem eradicandi. Præterea nõ simpliciter prohibuit zizaniorum eradicationem; hoc est, impiorum perditionem: sed eradicationem generalẽ dubiam & suspectam:ne sc. de ambiguo iudicemus. Sicut.n. inter lolium & triticum non discernitur,quamdiu est in herba:ita & de errore alienius,dum de eo dubium est,non est temere iudicandum: sed quando peruenitur ad messẽ, vt certissimè possit discerni inter triticum & lolium;tunc faciendum est, quod dicit Angelis. Colligitè primum zizania ad comburendum. Matth 13.

¶ Item,obijciunt. Qui occidunt, aut occidunt malos, aut bonos:si bonos,faciunt contra illud præceptum. *Innocentem & iustum non occides:* si occidunt malos, tollunt eis causa damnationis æternæ:quia subtrahunt eis tempus pœnitẽtiæ, quòd concedit eis benignitas Dei, sicut dicit Apost. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et, *Misereris omnium, quia omnia potes: & dissimulas peccata hominum ꝑpter pœnitentiam.* Ad quod respondet B. Aug. *Magni & sancti viri; qui optimè sciebant mortem istam, quæ animam dissoluit à corpore, formidandam non esse; secundùm eorum animum qui illam timerent; nonnulla peccata morte punierunt; quo & viuẽtibus timor vtilis incuteretur; & illis, qui puniebantur; non ipsa mors noceret; sed peccatum, quòd augeri posset, si viuerent, diminueretur.* Nec temere illi, quibus Deus donauerat tale iudicium, iudicabant: quia (sicut dicit idem Aug. *Non ipse occidit, qui ministeriũ debet iubenti, sicut adminiculũ gladius est vtẽti: ideo nequaquam contra præceptum, quo dictum est,* (non occides) Exod. 23. Rom. 2. Sap. 11. Aug. in sermone Domini in monte. Idem in 1 de ciuit. Dei, c.21

fece-

fuerunt, qui personam gerentes publicæ potestatis secundùm legem Dei, hoc est, iustissimæ rationis imperio sceleratos morte punierunt. De hac materia satis inueniens disputatum supra in inqui-
Quæst. 24. sitione de illo præcepto. Non occides.

ARTICVLVS II.

Quæ, & quot genera occisionis vel mortis inflixit Lex vetus?

POSTEA inquiritur de generib. occisionis. Quatuor aũt genera occisionis determinantur in lege; lapidatio, suspensio, crematio, gladiatio. De lapidatione, Exod. 19. & Leu. 24. & Num. 15. & Deut. 22. De crematione Leu. 21. De suspensione in ligno sc. crucis, Deut. 21. De gladiatione Deut. 20. Quæritur igitur, quare Lex ista quatuor genera mortis elegit, & non alia?

¶ ITEM: Videtur Lex misericordius punire, quã in noua
Deut. 21. lege malefici puniantur: nam dicitur. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendus est: & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo; non pmanebit cadauer eius in ligno; sed eadem die sepelietur.* Modo verò à iudice sæculari secundùm approbationẽ Ecclesiæ, siue non reprobationem, præcipitur damnatus diu in patibulo remanere. Ex quo videtur Lex mitiùs punire.

RESOLVTIO.

Quatuor sc. lapidationem, in cruce suspensionem, cremationẽ, & gladiationem, iuxta quatuor pœnæ conditiones, timoris potissimè inductiuas.

¶ RESP. Quatuor sunt conditiones pœnæ, q̃ potissimè sunt causæ inductiuæ timoris: diuturnitas pœnæ, acerbitas pœnæ, ignominia pœnæ, irremediabilitas pœnæ. Quia ergo in pœna quidam maximè timent diuturnitatem: ideo Lex, vt timore à peccato cessarent, instituit lapidationem:
Leu. 24. vnde, *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum populi multitudo* (diuturnum .n. genus martyrij lapidatio est. Item, quia in pœna timẽt alij acerbitatem;
Leu. 21. ideo ipsa Lex instituit cremationem. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, flammis exuretur* (crematio autem est genus martyrij acerbissimum. Item, quia sunt alij, qui timent in pœna ignominiam, seu vilitatem: ideo excogitauit Lex suspensionem in patibulo, seu cruci affixionem; quod ignominiosissimũ mortis genus est; secundum quod dicit Lex.
Deut. 21. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Item, quia sunt alij, qui timent in pœna irremediabilitatem: ideo instituit Lex gladiationem: ex qua consequitur passio irremediabilis, de qua dicitur. Loquens de captione ciuitatis rebellantium.
Deut. 20. *Percuties in ea omne, quòd est generis masculini, in ore gladij: sic facies cunctis ciuitatibus: quæ à te procul sunt.* Et subdit: *De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere.*

¶ ET per hoc patet responsio ad primum.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de lege suspensionis, quæ obseruatur districtiùs nunc, quàm tempore legis. Dicendum, quòd hoc facit multitudo delinquentium, & prauitas consuetudinis maior: contra quam secundum diuersitates temporum necessaria est districtior seueritas iudiciorum. Attamẽ genus passionis patibuli multò grauior erat tempore legis: erat enim per distractionem membrorum, & distensionem neruorum: in quibus maxima passio doloris inest, & cum maiori passionis diuturnitate.

ARTICVLVS III.

De causis occisionis.

POSTEA quæritur de causis occisionis. Sciendum igitur, quòd Lex puniebat morte, verba, & facta.

¶ VERBA tripliciter, blasphemiæ, contumeliæ, calum-
Leuit. 24 niæ. Blasphemiæ in Deum. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur.* Contumeliæ in maledictione parentum.
Exod. 21 *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Calumniæ in mendaci accusatione reatus mortiferi in proximũ. *Cùm*
Deut. 21 *inuenerint iudices falsum testem dixisse contra fratrem suũ mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit.* Et subditur: *Non* Ibidem.
misereberis eius: sed animam pro anima, oculum pro oculo, &c. exiges.

¶ ITEM, facta punit multipliciter morte. Punit .n. scelera dupliciter, quæ committuntur in Deum, & quę committuntur in proximum. Scelera, q̃ committuntur in Deũ, duobus modis: quæ committuntur per errorem, & per inobedientiam. Per errorem, idololatriam in cultu diuinæ maiestatis. Exod. 22. *Qui immolat Dijs præter Domino soli, occidetur.* Exod. 22.
Pseudoprophetiam in contumeliã diuinæ veritatis. *Propheta, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Deut. 18.
Et: *Vir, seu mulier, in quibus phytonicus, seu diuinationis spiritus fuerit, morte moriantur.* Leuit. 21.
Maleficia, vt in operibus necromantiæ, quæ sunt in contumeliam diuinæ bonitatis. *Maleficos non patieris viuere.* Exod. 22.
Item, quæ committuntur per inobedientiam, vt præuaricationẽ sabbati. Num. 15. De homine ligna die sabbati dixit Dominus ad Moysen. *Morte moriatur homo iste, lapidibus obruat eum omnis turba.* Num. 15.

¶ ITEM scelus, quòd punitur morte, & committitur in proximum; duobus modis contingit: vel per inordinationem irascibilis, vel per inordinationem concupiscibilis. Per inordinationem irascibilis committitur contumacia in contemptum superioris, percussio, & interfectio ex motu iræ & perturbationis. Punitur igitur contumacia morte dupliciter: vel quæ est inobedientia respectu parẽtum. *Si genuerit homo filium contumacem & protriuum: qui non* Deut. 21.
audiat fratris ac matris imperium: & coërcitus obedire contempserit: apprehendent eum. Et subditur: *Lapidibus obruet eum populus, & morietur,* &c. Vel quæ est inobedientia respectu prælatorum. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio & decreto iudicis, morietur.* Deut. 17.
Item, percussio citra mortem puniebatur morte dupliciter. Vno modo propter magnitudinem reatus ex parte percussi: vt si percuterentur parentes. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem: morte moriatur.* Exod. 21.
Alio modo propter magnitudinem reatus ex parte percutientis: quia percutit cum voluntate occidendi. *Qui percusserit hominem volens occidere eum, morte moriatur.* Ibidem.
Item, occisio puniebatur morte: cum per industriam quis occidebat. *Si quis per industriam occiderit proximum, ab altari meo euelles eum; vt moriatur.* Ibidem.
Item, scelera commissa per inordinationem concupiscibilis, puniebantur dupliciter. Nam quædam committebantur per inordinationem concupiscentiæ oculorum: quædam per inordinationem concupiscentiæ carnis. Per inordinationem concupiscentiæ oculorum puniebatur furtum hominis. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit; conuictus noxæ, morte moriatur.* Ibidem.
Item, per inordinationem concupiscentiæ carnis puniebantur scelera multipliciter. Fornicatio cum menstruata. *Qui coierit cũm muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo.* Leuit. 20.
Adulterium. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, moriatur mœchus & adultera.* Ibidem.
Item, *Stuprum virginis, quæ fornicata est in domo patris.* Deut. 22. Deut. 22.
Si nõ est in puella inuenta virginitas; lapidibus obruent eam, & morietur: quoniam nefas fecit in Israel, vt fornicaretur in domo patris. Ibi.
Simili modo & de puella desponsata, quæ deflorata est in ciuitate, & non declamauit: sicut dicitur. *Simili modo de virgine filia sacerdotis, si deprehensa fuerit in stupro, comburitur.* Ibidem.
Leu. 22. Item incestus multiplex, vel cum nouerca sua, hoc est vxore patris: vel cum sorore: vel cum matre vxoris: vel cum vxore patrui, vel auunculi: vel cum matertera: vel cum amita: sicut habetur. Leu. 20. Peccatum sodomiticum, vel cum persona suæ speciei. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, morte moriatur.* Leu. 22. Leu. 20. Ibidem.
Vel cum indiuiduo alterius speciei: vnde in eodem. *Qui cum iumento vel pecore coierit, morte moriatur.* Idem, Exod. 22. Ibidem & Exod. 22.
Secundum hanc ergo diuisionem habes omnes differentias peccatorum, quæ secundùm legem puniebantur morte.

¶ CIRCA prædicta obijcitur. Nam in aliquibus peccatis videtur Lex excedere iustitiæ seueritatem, vt puniat supra merita: vt in illo casu de colligendis lignis in Sabbato. Numer. 15. Nam (sicut probat ipse Dominus. Matth. 12.) In casu necessitatis potest solui sabbatum sine peccato: si ergo aliquis ex necessitate collegisset ligna in sabbato, videretur puniri sine peccato. Numer. 15. Matt. 12.

¶ ITEM,

¶ ITEM, videtur in aliqua prædictarũ legum mors interii pro peccato voluntatis: cùm tamen dicat Aug. super Rom. 3. illud: *Legem factorum*. Lex prohibet manum, non animum. Ergo punit opus, non voluntatem: quomodo ergo dici- Exod. 21 tur. *Qui percusserit hominem, volens occidere, moriatur*?

¶ ITEM, videtur ipsa Lex punire quantum ad aliqua mitius, quàm nunc. Nam furtum non puniebat morte, nisi in duplici casu tantum: per iudicium, vt *furtũ hominis: vel per concessionem, vt *furem nocturnum. *Si effringens fur domum; & accepto vulnere, mortuus fuerit; percussor non erit sanguinis reus: quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit*. Nunc verò puniuntur fures morte: ergo seuerior est punitio furti nunc, quàm tempore legis.

*Alias, furem. *Alias, furtum. Exod. 22.

¶ ITEM, q̃ iustitia est nunc, vt pro detrimento pecuniæ patiatur mortem, & detrimentum vitæ: cum nullo modo sit comparabile detrimentum detrimento.

¶ ITEM, quæritur de percussione seruorum. Nam dicit Exod. 21. Lex: *quod si quis percusserit seruum. & mortuus fuerit in manibus eius, criminis reus erit*. Si aũt vno die superuixerit, vel duob⁹, non subiacebit pœnæ: quia pecunia illius est. Circa quod objicitur. Si sic se habet seruus ad Dominum, sicut pecunia: sed pecuniam suam secundum libitum suum potest perdere: ergo & seruum secundum libitum poterit perdere.

¶ ITEM, si seruus pecunia Domini est: ergo qui furatur seruum, furatur pecuniam: sed qui furatur pecuniam, non est puniendus morte: ergo nec qui furatur seruum. Contra Exod. 21. autem est illa Lex. *Qui furatus fuerit hominem, morte morietur*.

¶ ITEM quare distinguit Lex de seruo percusso: qui aut statim moritur, aut superuiuit vno die, vel duobus. Quæ .n. est iustitia, si superuiuat vno die percussus: quod percussor Dominus non subiaceat pœnæ?

¶ ITEM quæritur de percussione mulieris prægnantis, Ibidem. de qua dicit Lex. *Si quis percusserit mulierem prægnantem*, &c. August. & Orig. Et litera. 70. est, quàm ponit Aug. & Orig. *Qui percusserit mulierem prægnantem, & exierit infans nondum formatus; detrimentum patietur. quantum indixerit vir mulieris: quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima*. Formatum verò infantem appellat animatum. Et subditur ibi in litera. *Animam pro anima, oculum pro oculo*. &c.

¶ SED objicitur: quomodo infans in ventre potest dici oculum perdidisse. Præterea constat, quod dentes omnino non habuit.

¶ ITEM, si dicetur iuxta nostram litteram, quod hæc referuntur ad matrem. Quomodo abortiens mulier dicitur oculum perdere, aut dentem.

¶ SI autem dicatur, quod sic percussa fuit; vt oculum perderet. Objicit Origenes: quid dicemus, *combusturam pro cõbustura*? Nunquid litigantibus viris, mulier assistens comburi potuit; vt combustura pro combustura consoluatur? Ibi Exod 21. Sic. n. dicitur: *Si rixati fuerint duo viri: & percusserit quis mulierem prægnantem*, &c.

¶ ITEM, dubitatur de stupro virginis: vtrùm sit morte Exod. 22. puniendus secundum legem. Nam dicit Lex: *Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam: dormieritq́; cum ea: dotabit eam, & habebit in vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis*.

¶ SED in contrarium sunt prædictæ leges. Ibi. n. dicit Deut. 22. Lex. Quòd si vir poterat probare de illa, quàm acceperat in vxorem, quod non esset virgo; lapidabatur. Et de illa, quæ in ciuitate deflorabatur & non clamabat.

¶ ITEM, objicitur contra pœnam incestus. Nam Tha- Genes. 38 mar. Gen. 38. Ex industria commisit incestum: quia concubuit cum patre mariti sui.

¶ ITEM, videtur ipse Iudas peccasse contra legem, qui 3. Reg. 20 eam dimisit impunem. *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius*.

¶ ITEM quæritur de peccato sodomitico: vtrùm magis sit puniendum nũc, quàm tempore legis. Nam cũ verbum caro factum sit: & apparuerit benignitas & humanitas saluatoris: plus tenemur ad munditiam & pudicitiam naturæ nostræ conseruandum, quàm ante tempus gratiæ: in quo nondum erat Dominus vnitus naturæ nostræ: ergo incomparabiliter plus peccant hostes & corruptores naturæ sodomiticè, nunc quàm ante incarnationem Dei. Si ergo ante legem puniti sunt incendio. Gen. 19. & in lege Gen. 19. gladio: multomagis nunc exterminandi sunt, & puniendi igne & gladio.

¶ ITEM, post incarnationem ostendit Apostolus rea- 1. Cor. 6. tum fornicationis incõparabiliter, q̃ ante: *Nescitis quoniam membra vestra membra sunt Christi: tollens membra Christi faciam membra meretricis: absit*. Ergo fornicator Christianus secundùm Apostolum polluit membra Christi: quod non diceretur facere ante incarnationem Christi. Ergo incomparabiliter magis sceleratus sodomita peccat, plus polluens & dehonestans corpus, quòd per incarnationem factũ est mẽbrum Christi; q̃ ante incarnationem: ergo multomagis igne & gladio puniendus. Quid est igitur quod sacri Canones, qui incestuosos & adulteros grauissima pęna feriũt: sodomitarum verò pœnam indeterminatam derelinquunt.

¶ ITEM, cùm Lex ciuilis puniat eos decapitatione, velut hostes pessimos humanæ naturæ: cum sacri Canones debeant flagitia seueritate punitionis arcere, magis quàm leges ciuiles, maxima ecclesiastica coërctione: ergo illud peccatum præ alijs debuerunt punire.

¶ AD hoc per ordinem respondendum est. Ad primum quod objicitur de punitione præuaricationis sabbati. Dicendum est, quòd pro leui peccato quantùm ad genus præuaricationis iustè infligitur pœnam multò grauior, quàm pro genere peccati grauioris; duplici de causa: vna est contemptus peccantis, alia exemplum delinquendi in alijs. Contemptus. n. auget reatum ex parte peccantis: exemplum delinquendi multiplicat peccatum in cæteris. Propter cõtemptum solùm legimus igne consumptos quinquagenarios duos ad verbum Heliæ. 4. Reg. 1. Propter exemplum 4. Reg. 1. delicti deducendi ad posteros legimus igne consumptos Nadab & Abiu, filios Aaron; offerentes ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Leu. 10. Inde est quod in Num. colli- Leu. 10. gens ligna in sabbato lapidatus est, iudicante Domino Num. 15. contemptum delinquentis, & ponderante exemplum delinquendi in alijs. Pronissimi enim ad seruilia opera mũdi & carnis iudæi, durissimi ad vacationem & cultum Dei: ad violationem sabbati præcipites erant: sicut patet. Ex. 16. v- Exod. 16. bi arguuntur in Moyse, quod in collatione mannæ, quæ duplicabatur eis sexta feria, & sabbato subtrahebatur; ex gulositate & auaritia deliquerunt contra diuinum mandatum: vnde ibidem dicitur. *Venit dies septima, & egressi de po-* Ibi. *pulo, vt colligerent, non inuenerunt: dixitq́; Dominus: vsquequo non vultis custodire mandata mea*, &c.

¶ AD secundùm, quod objicitur, quod Lex puniebat voluntatem morte. Dicendum, quod non: nisi voluntatem propalatam & progredientem in actum: ad quam quantum in agente erat, sequeretur mors: vt si quis molarem lapidem impelleret ad percutiendum aliquem studiosè: qui in casu vel declinatione aliqua non percuteretur: vel si quis propinasset, venenum ad interficiendum aliquem, quod tamen ipse non sumeret: in huiusmodi voluntas pro facto occisionis secundũ legem puniebatur: quia talis fecerat, quicquid in ipso est, ad hoc quod occideret.

¶ AD illud, quod objicit de punitione furti. Dicendum, quòd nec tempore legis, nec nunc furtum punitur morte: sed aut pro præsumptione homicidij, aut contumaciæ. Pro præsumptione homicidij, sicut fur nocturnus, de quo incertum est; vtrùm venerit ad furandum, an ad occidendum; & ideo propter præsumptionem, quæ solet accidere in nocturnis furibus; quia interficiunt homines; Lex dixit. Exod. 22. Quod percussor furis noctur- Exod. 22. ni non esset reus sanguinis: simili modo fures diurni, qui procedunt cum armis & gladijs; & si debeant deprehendi defendunt se, vel impetunt gladijs. Pro contumacia, sicut fures à iudice signati & cauteriati, semel vel secundò; tertiò deprehensi in furto, suspenduntur, secundùm illam legem. Deuteronomij 17. *Qui voluerit obe-* Deut. 17. *dire decreto iudicis, morietur*. Aliter enim fur non punitur morte, nisi præsumatur latro: latro enim est, qui vi & gladio, si facultas datur, spoliat: vnde etiam in regionibus, vbi fures solent latrones esse; iustè morte puniuntur.

¶ AD

¶ Ad quartum, quod quæritur de percussione seruorum ad mortem à Dominis, quæ videtur licita: quia serui sunt eorum pecunia. Dicendum, quod seruus pecunia Domini est ad vsum seruitij, sed non ad vsum occisionis. Seruus enim habet naturam, & conditionem: quantum ad conditionem, subiectus est ad seruitium Domini: sed quantum ad naturam, quia homo est; par est ipsi Domino: nec potest Dominus adimere vitam serui, quia non eius est: solus .n. Deus, qui dat vitam seruo, Dominus vitæ eius est: nec potest iustè eam auferre, nisi solus Deus, vel gerens auctoritatem Dei, vt iudex. Vnde Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.*

Deut. 32.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de furto hominis serui. Dicendum, quod non est par conditio hominis serui, & hominis liberi: nam furtū hominis liberi puniebatur morte: & hoc modo intelligitur Lex illa. Ex. 21. Et causa est: quia secundùm existimationem libertatis apud liberos seruitus mors quædam est: vnde & secundū leges humanas seruus interpretatur ad oēs actus velut mortuus. Furtum verò serui non puniretur nisi pœna pecuniaria: & hoc quantum existimaretur apud Dominum serui officium: & præter hoc satisfactio supra restitutionem damni: quia (sicut dicit Ans.) *in ablatis non solum sufficit restituere ablata: sed etiam satisfacere de iniuria.*

Exod. 21.

Anselm.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de distinctione legis in seruo percusso. Notandum, quod aut Dominus occidit seruū iusta de causa: & tunc non tenetur, quia iudex eius est secundùm leges: aut sine causa: & tunc distinguitur, aut voluntate, aut casu. Si voluntate, vt puta telo, vel ictu lapidis: tenetur tanquam si liberum hominem occidisset. Si casu, & non voluntate: vt si verberauerit eum, vel in vinculis posuerit, quod sibi licet: vel fame afflixerit; secundùm leges humanas, si fuerit moderatè, non imputatur: si autem immoderatè, potest seruus ad iudicem confugere, vt compellatur Dominus seruum vendere bonis conditionibus; ita vt non reuertatur vltra in Domini potestatem: secundùm quod dicitur Codice de emendatione seruorum. Secundùm hoc ergo diuina Lex distinxit in Domino, qui percutit seruum virgâ, & non baculo, vel gladio. Quia aut statim sequitur mors, & tunc dicitur criminis reus; non tamen dicitur quod moriatur Dominus: quia non præsumitur, quòd voluntate occidendi ipsum percussit, cùm percusserit eum virga, quæ est instrumentum castigandi, non occidendi. Aut seruus superuiuit vno die: & tunc præsumitur, quòd non ex actu verberationis mortuus sit: quia non est præsumptio, quòd ex percussione virgæ receperit passionem lætalem: ideo ex alia causa præsumitur mortuus.

¶ Ad quintum, quod objicitur de percussione mulieris prægnantis. Conuenienter distinxit Lex, cum ex percussione illa patitur aborsum: quia si puerperium formatum est, id est, animatum, iudicatur percussor homicida: & ideo secundum legem talionis debet exoluere animam pro anima. Quod verò sequitur: *oculum pro oculo, dentem pro dente.* Determinatio legis talionis est: secundum quod iustum est, vt inferens alicui detrimentum, patiatur & ipse, secundū quod intulit, *vt oculum pro oculo*, &c. Vnde illud, quod additum est, *oculum pro oculo*, &c. Non refertur ad infantulum: sed est determinatio æquitatis talonis. Si verò fuerit informe, id est inanimatum; Lex non iudicat percussorem homicidam: quia puerperium non fuit homo: & ideo punitur pecunia percussor.

Exod. 21.

¶ Ad sextum dicendum, quòd de stupro virginis distinguendum est: quia secundùm legem aut erat desponsata, aut non. Si erat desponsata; tunc aut violabatur in ciuitate, aut in agro: si in ciuitate, cùm per clamorem posset euitasse corruptionem, præsumitur consensisse stupro, & ideo lapidabatur: si verò in agro, in quo per clamorem non posset à corruptione liberari, non iudicatur rea; sed corruptor interficitur. Deut. 22. Item, si non erat desponsata, aut ergo erat de stirpe sacerdotali, & tunc deprehensa in stupro, comburebatur: aut de stirpe alia, & tunc distinguendum: quia aut erat manens in domo patris, aut erat seducta per sponsionem coniugij, & extracta de domo patris: sicut dicitur Deut. 22. Primo modo (sicut diciturDeut. 22.) lapidabatur: & hoc quia dehonestauerat domum patris, sicut dicit Lex. *Fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris*, in secundo casu non lapidabatur: excusabatur .n. per seductionem, & per ignorantiam: & sic intelligitur Lex. cum dicitur. *Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam*, &c. Ignorantia enim attenuabat peccatum, & excusabat à pœna legis: vnde Num. 15. *Si anima nesciens peccauerit, offeret capram pro peccato, & dimittetur illi:* vna Lex erit omnium, qui peccauerint ignoranter.

Deut. 22.

Ibidem.

Ibidem

Exod. 22.

Num. 15.

¶ Ad septimum, quod objicitur de incestu Thamar. Dicendum, quòd (sicut patet) Iudas grauissimè punire voluit morte incestum Thamar: sed propter duo dimisit, propter reatum consimilem ex parte sua, & propter piam intentionem prolis suscipiendæ ad diuinum amorem ex parte Thamar. Quia ergo in Iuda erat consimilis reatus, non debuit ipsam occidere; sicut dicitur in Gl. super illud: *Qui sine peccato est, primus mittat in eam lapidem.* Gl. *Si Lex iubet reū occidi: non tamen ab his, qui sunt similiter puniendi.* Item, quia Thamar erat pius (quamuis illicitus & inordinatus) affectus; debuit misericordiam inuenire: sicut Paulus. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci, & in incredulitate*, &c. Zelo .n. legis, sed secundum scientiam persequebatur Ecclesiam: sicut ipse dicit Galat. 1. *Persecutus sum Ecclesiam Dei, paternarum traditionum abundantiùs emulator existens.*

Genes. 38.

Ioan. 8.

Glossa.

1 ad Tim. 1.

Ad Gal. 1.

¶ Ad vltimum, quod quæritur de sodomitico vitio. Dicendum est, quòd tempore gratiæ peccatum grauius est incomparabiliter, quàm ante: & ideo non solum igne & gladio, sed omni genere tormentorum est istud flagitium exterminandū à sæculari potestate: quæ non sine causa gladium portat: *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Ab ecclesiastica verò potestate omni genere coërctionis & abiectionis ab Ecclesia velut membra putridissima sunt huiusmodi flagitiosi à corpore præscindendi.

Rom. 13.

¶ Ad illud verò, quod objicitur: quare Lex ciuilis armatur gladio contra sodomitas: sacri verò Canones pertranseunt in silentio. Dicendum, quòd hoc est in detestationem & cautelam huius flagitij: nam huiusmodi flagitij nominatio & ipsum aërem quodammodo polluit, & mentes quodam miserabili modo inficit: & per consequēs diuulgatio aërem corrumpit. Vnde ad hoc respiciens Apost. dicit: *Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Tamen ex comparatione pœnarum aliquorum flagitiorum, quæ determinantur secundùm Canones; quia deficiunt omnes canones in determinatione pœnæ sodomitarum, excogitare debet iudex ecclesiasticus maiori pœna præ cæteris ipsos esse plectendos.

Ad Eph. 5.

MEMBRVM V.

De lege satisfactionis punitionisq; per pœnam temporalem, siue per damna rerum.

CONSEQVENS est quærere de legibus punitionis per damnum rerum. Legitur enim ex lege diuini mandati filios Israël spoliasse Ægyptios. Item, *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & vendiderit, quinq; boues pro vno boue, & quatuor oues pro vna oue restituet*, &c. Ex quibus legibus habetur, quòd mali possunt spoliari, & pro damno illato pœna damni in rebus puniri.

Exod. 11. & 12.

Exod. 22.

¶ QVÆRITVR ergo primò: vtrùm iustè possint boni malos spoliare. Secundò, quomodo Lex per damna rerum damnificatores iustè puniret.

ARTICVLVS I.

An boni iustè malos bonis suis spoliare possint?

AD primum sic objicitur: sicut dicunt Sancti in illo præcepto. *Non furtum facies:* prohibetur omnis contractatio rei alienæ inuito Domino. Si ergo spoliare hæreticos & paganos, est res eorum contractare: non erit licitum spoliare hæreticos & paganos, & generaliter quoslibet malos.

Exod. 20.

¶ ITEM, *Qui aufert tua, ne repetas.* Qui ergo præcepit non repetere sua: multomagis prohibitum rapere aliena: ergo nullo modo Christianis erit licitum rapere res hæreticorum, vel paganorum, vel aliorum malorum.

Matth. 5.

¶ ITEM, Corinthios reprehendit Apost. de repetitione suarum rerum, dicens. *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* [Ibi.]

¶ ITEM obijciebant hæretici Aug. Quomodo illi Catholici erant ausi; res, in quibus non laborauerunt ipsi, vsurpare; cum dicat: *Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es*, &c. Et cum præcisione loquitur scriptura, vt ostendat illum miserum & infelicem, qui manducat alienos labores. [Psal. 127.]

¶ CONTRA, Aug. *Si consideremus, quid scriptum est in Libro Sapientiæ. Iusti verò tulerunt spolia impiorum*, &c. Item, quod legitur in Prou. (*nostra litera.*) *Custoditur iusto substantia peccatoru*(& *alia littera.*) *Thesaurizant iusti diuitias impiorum*, &c. *Tunc videbimus non esse quærendum, qui habent res hæreticorum: sed qui sunt in societate iustorum.* [Aug. ad Vincentium. Sap. 10. Prou 13. dist. 23 q. 7.]

¶ IDEM, Aug. *Ad omnes iniquos & impios illa vox Domini valet. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur facienti fructus eius.* [Idem cōtra Petilianum eadem quæstione. Matth. 21]

¶ ET iterum: *Si quæ iam præcisi possidere cæpistis, quæ à vobis ablata, nobis Dominus dedit; non ideo concupiscimus aliena: quia illius imperio, cuius sunt omnia, facta sunt nostra. Et iustè nostra sunt: vos enim vtebamini ad præcisionem, nos autem ad vnitatem. Alioquin primò populo Dei possent obijcere alienæ rei concupiscentiam, qui diuina potestate ab eorum facie, qui ea terra malè vtebantur, expulsi sunt.* [Idem.]

¶ ITEM in eodem: *Ipsi Iudæi, à quibus ablatum est regnum secundùm verba Domini, & datum est genti facienti iustitiam; possent obijcere alienæ rei concupiscentiam: quia Christi Ecclesia possidet, vbi persecutores Christi regnabant.* [Idem in eodem.]

¶ RVRSVM, *An frustra scriptum est. Labores impiorum iusti edent? qua propter magis admirari debetis, quòd adhuc aliquid tenetis, quàm quod aliquid amisistis.* [Idem cōtra Petilianum.]

RESOLVTIO.

Mali de vnitate Ecclesiæ, & si non merito, saltem numero existentes, sicuti sunt peccatores omnes, rebus suis à bonis iustè spoliari non possunt. Mali autem ab vnitate Ecclesiæ præcisi, puta hæretici, & infideles vniuersi licitè à bonis rebus omnibus spoliari possunt, præterquam Iudæi, id q; de misericordia.

¶ RESP. Dicunt quidam, quia aut mali sunt in vnitate Ecclesiæ, aut sunt præcisi, vel extra vnitatem Ecclesiæ. Si sunt de vnitate Ecclesiæ quantū ad numerum; q̄uis non quantum ad meritum; non sunt suis rebus spoliandi. Vnde Aug. *Si corpus Christi tollit spolia impiorum, & corpori Christi thesaurizant diuitias impiorum; non debent impij foras remanere, vt calumnientur.* In Christi ergo compagem corporis veniant, & labores suos non dominandi cupiditate, sed benè ex necessitate possideant. [Idē Aug. in Epistola ad Vincentium.]

¶ Si verò quæratur de iudæis, quare non auferuntur ab eis omnia? Respondent, quòd Ecclesia de misericordia parcit eis.

¶ AD illud verò quod primò & secundò obijcitur. Dicendum, quod auferre res hæreticorū & Saracænorum ex edicto Principis habentis legitimam potestatē; non est cōtractare rem alienam, nec recipere. Vnde Aug. *Quamuis quæq; res terrena non rectè à quoquam possideri possit, nisi vel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt. (Omnia nostra sunt) vel iure humano, quod in potestate est Regum terræ: ideo vos hæretici falsò res appellatis vestras: quas nec iustè possidetis, & secundùm leges terrenorum Regum amittere iussi estis.* [Idem. 1. Cor. 3.]

¶ AD tertium verò dicendum; quod Apostolus reprehēdit Corinthios, qui repetebant sua iniustè & illicitè. Iniustè, quia cum fraude & dolo: vnde dicitur: *Vos iniuriam facitis, & fraudatis.* Illicitè, quia coram iudice infideli: vnde in eodem dicitur: *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos?*

¶ AD quartū respondet Aug. secundū prædicta, dicēs hæreticis. *Frustra dicitis, quod vos in diuitijs congregandis laborastis, cùm scriptum legatis, Labores impiorum iusti edent.* Quæ sentētia videtur accipi ex Eccl. *Peccatori dedit Deus afflictionem, & curā superfluam, vt addat & congreget, & tradat ei qui placuerit Deo.* Et, *Hæc est pars hominis impij.* Et subditur: *Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutū præparauerit vestimenta: præparabit quidem, sed iustus vestietur illis. & argentum eius innocens diuidet.* [August. Ecclef. 2. Iob 27.]

ARTICVLVS · III.

An, & quomodo Lex vetus damnificato res rerum iustè puniret?

POSTEA quæritur? quomodo Lex damnificatores puniat iustè per damna rerum? Nam dicitur: *Qui furatus fuerit ouem, vel bouem, quinq; boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue, & boc si occiderit, vel vendiderit: si verò inuentum fuerit viuens, quòd furatus fuerat, duplum restituet.* Quæritur ergo ratio huius legis, quare (scil.) pro furto bouis restituendi sunt quinque, pro furto ouis quatuor. [Exod. 22.]

¶ SI dicatur, quod hoc est: quia bos melior est oue, & ideo plus damnificatur fur bouis, quàm ouis, & ideo plus puniendus. Contra. Fur pecuniæ quantæcunq; non tenetur restituere secūdum legem nisi duplum: vnde, *Si inuenitur fur pecuniæ, duplum reddet pro furto.* Ergo centum librarū non teneretur reddere nisi duplum: & constans est, quòd centum libræ maioris valoris sunt, quàm plurimi boues: ergo pro furto bouis secundùm hanc rationem non debet restitui nisi duplum. [Ibidem]

¶ ITEM, constans est: quod maius peccatū est rapina, quàm furtum: quia in rapina violentia est, in furto non: rapina. n. est contractatio rei alienæ violentæ, furtum autem est cōtractatio rei alienæ non violenta, sed occulta. Sed rapina non puniebatur, nisi per restitutionem eius, quòd ablatum est, & quintæ partis, quæ in satisfactionem daretur Domino (secundum quod dicit Lex: *Anima, quæ vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit; conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra: & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat.*) Ergo non videtur Lex iusta, vt pro furto puniatur in pœna maiori, vt in duplum, vel in quadruplum, vel quintuplum. [Leuit. 5.]

¶ ITEM, idem videtur ex lege: *Vir siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere* (& loquitur de contractione rei alienæ) *reddent ipsum caput, quintamq; partem insuper ei, cui peccauerunt.* Non videtur igitur, quod teneatur reddere, nisi quod ablatum est: & quintam partem pro satisfactione. [Ibidem.]

¶ CONTRA: Dicit Zacheus ad Dominum. *Ecce dimidiū bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Ergo videtur, quod furtum & quælibet contractatio puniretur in quadruplum secundum legem. [Lucæ 19.]

¶ ITEM: *Non grandis culpa est, cùm quis furatus fuerit: deprehensus quoq; reddet septuplum.* Ergo non solùm quadruplum, immò plus *vel quintuplum. [Prou. 16.] [*Aliàs, vt septuplū.]

¶ QVÆRITVR ergo vnde est ista varietas secundum legem in pœna restitutionis, & detrimenti rerum.

¶ RESP. Ad primum dicitur secundū quosdam: quod quatuor oues pro vna oue debentur, propter quatuor commoda, seu vtilitates, quas habet ouis; duas pellis & carnis, & alias duas fructus & fœtus: fructum aūt intelligunt lac, caseum, & butyrum. Has etiam quatuor vtilitates habet bos, & insuper quintam, vid. laboris in agricultura & in euectione onerum: ideo quinq; boues pro vno boue. Quia igitur quinq; damna irrogat, qui bouem furatur: quatuor verò tantummodo qui ouem: meritò quinq; boues pro vno restitui, & quatuor oues pro vna oue reddi tantùm præcepit.

¶ SED cōtra. *Si hæc est causa*, cùm inueniretur alia causa vtilitatis bouum in terra promissionis præter prædictas, videl. triturationes segetum; (propter quod dictum est. *Non ligabis os bouis triturantis*) secundum numerum vtilitatum sex boues pro vno restitui præcepisset. [Deut. 25.]

¶ AD quod forsitan diceretur, quòd vtilitatem triturationis non reputauit aliam ab vtilitate agriculturæ. Probabiliùs tamen videtur distinguendo secundum legem: quod ista aut non inueniebantur apud furem, quia comesta seu vēdita erant: aut inueniebantur viua & integra. Si inueniebantur viua, non nisi duplum restituere cogebantur: & hoc duabus de causis: prima lege talionis, quæ iustissima videtur; vt tantùm damnificetur fur, quantùm damnificare volebat alium: secunda est, quia dupliciter peccauerat fur in eum, cui aliquid furatus fuerat; tenetur enim vnusquisq; non solùm se innocentem seruare erga alium,

sed etiam te esse paratum ad exhibendum beneficium: fur autem contra vtrumq; delinquit. Si autem non inueniebatur, puniebatur (vt dictum est) fur bouis in quintuplo, fur autem ouis in quadruplo. Et hoc, respiciente legis iustitia, non solùm ad maioritatem damni, sed etiam ad maioritatem audaciæ furantis: maioris scil. audaciæ & improbitatis est furari bouem, quàm ouem: & ideo seueriùs puniendus. Talem autem pœnam statuit omnipotens Deus: quia vidit eam sufficere ad deterrendam & corrigendam improbitatem & audaciam populi illius ab huiusmodi malis.

¶ Ad secundum verò, quod obijcitur de furto pecuniæ: quod non punitur nisi in duplo. Dicendú, quod multiplici de causa plus punitur fur bouis, quàm pecuniæ secundùm legem. Prima est propter facilitatem maiorem furandi bouem vel ouem, quàm pecuniam: & hoc est, quoniam bos vel ouis faciliùs inueniuntur: pecunia verò arctiùs custoditur. Secunda est, quia armenta & greges non solùm vtilia, sed etiam necessaria sunt victui & vestitui humano per semetipsa: pecunia verò & aurum quantum ad hoc superfluum & inutile est; meritò ergo magis custodienda erant, & furta & rapinæ eorum seueriori pœna plectenda. Tertia causa est, quia de bobus & ouibus sacrificabantur Domino; & aliqua offerebantur in sacrificijs ex necessitate: & propter hoc quasi partem habebat Dominus in gregibus & armẽtis: de auro verò non ita, præterquam in constitutione tabernaculi, & ædificatione templi, & fabricatione vasorũ. Voluit ergo furta illorum seueriùs vindicari, de quibus pars ei de necessitate debebatur: quàm ea, de quibus nihil ei debebatur, sed voluntariè tantùm offerebantur.

¶ Ad illud verò, quod obijcit de pœna raptoris. Dicendum, quod quamuis rapina sit maius peccatum, quàm furtum: tñ furtum secundùm legem magis puniebatur: & iustè, propter inclinationem & cõsuetudinem maiorem ad furtum, quàm ad rapinam. Fur.n. habet locum furandi in ciuitate & extra: vnde in omni loco procliuitas & opportunitas fori est ad furandum: raptori autem non ita; immò in ciuitate & in cetu hominum non est oportunitas raptori ad rapiendum: ideo maiori pœna coërcendum iudicauit Lex furem, quàm raptorem. Tamen illa Lex. Leui. non intelligitur de rapina quacunq;, sed de rapina, quæ est in calumnia, vel in extorsione: quæ solet fieri in exactionibus tributorum; vel in defraudationibus, quæ solent fieri in contractibus negotiatorum: quia in omnibus his est species aliqua iustitiæ, & non est manifesta iniustitia, iudicauit Lex rapinam talem (& iustè) minus puniendam.

August. ¶ Ad quartum verò, quod obijcitur per auctoritatem. Num. 5. Respondet Aug. super illum locum eundẽ, distinguendo: quia peccatum vel furtum, aut committitur per negligentiam aut per industriam. Si per negligentiam, vt si trajeciat rem alienam in suam; quod si diligenter attenderet, non faceret: hoc voluit capite & quinta restitui: non sicut furta mulctari. Si verò per industriam: tunc voluit aut duplo, aut quadruplo, vel quintuplo (secundùm distinctionem positam) puniri. De furto ergo per negligentiam loquitur Lex. Numer. Vnde dicit: *Vir siue mulier, si fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & transgressi fuerint per negligentiam*, &c. Item distinguit Aug. quia furtum, aut erat conuictum, aut sponte confessum. Si erat conuictum, tunc secundùm legem. Exod. 22. Tenebatur restituere de pecunia in duplum, de oue in quadruplum, de boue in quintuplum. Si verò erat sponte confessum, tunc non tenebatur restituere, nisi ablatum & quintam partem. Et hoc est secundum legem. Num. 5. Vnde ibidem dicitur: *Confitebuntur peccatum, & reddent ipsum caput & quintam partem desuper et, in quem peccauerant.* Aug. *Quia annunciauit, non eo damno plectendus fuit, quo furem comprehensum & conuictum plebi oportet.*

Leuit. 5.

Aug. ibidem.

Num. 5.

August.

Lucæ 19. ¶ Ad quintum verò, quod econtra obijciebatur ex Lucæ 19. de restitutione Zachei in quadruplum. Dicendum, quod verbum fuit supererogationis: ex quo enim delictum sine conuictione sponte confitebatur, paratus satisfacere, non tenebatur secundùm legem ad restitutionem quadrupli.

¶ Si autem obijceretur de hoc, quod dicit ibi Gloss. quod prius est secundũ legem reddere, deinde quod remanet, pauperibus erogare: ac si vellet, quòd ad istud secundum legem teneretur Zacheus. Dicendum, quod Gl. Moralis est, declarans ordinem in restituendis, & erogandis. Vnde idem est, ac si diceret: prius est restituendum alienum, & deinde quod relictum est, erogandum.

¶ Ad sextum verò & vltimum, quod obijcitur ex libro Prou. quod reddet septuplum. Dicendum, quod intelligendum est septuplum, id est, perfectè & integrè: quemadmodum accipitur. *Purgatum septuplum.* id est, perfectè. Et quod iste sit sensus, patet ex hoc, quòd sequitur. Reddet septuplum: & omnem substantiam domus suæ tradet: quod in nulla lege præceptum est. Nota ergo quod iste motus loquendi ponitur ibi: quia vult ostendere, quod furtum minimum peccatum est respectu adulterij: quia fur patitur detrimentum quò ad suæ possessionis substantiam: & hoc per expressionem ostendit, dicens. Deprehensus reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, quousq; scil. plenè satisfecerit. Adulter verò patitur detrimentum maximum quò ad animam suam: vnde ibidem dicit. Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Psalm. 11.

¶ Ex hunc ergo modum determinatur pars, in qua est inquisitio de iudicialibus, quæ pertinent ad coërctionem iniuriæ.

QVÆSTIO XLVIII.

De Præceptis Iudicialibus. Et primò de præceptis iudicialibus circa personas.

In quatuor Membra, & octo Articulos diuisa.

Consequenter tractandum est de Præceptis Iudicialibus, quæ pertinent ad conseruationem iustitiæ. Horum autem quædam respiciunt statum personarũ: quędam debitum rerum: quædam ordinem actionum. Omnis enim ordo iustitiæ inter homines conseruandus: aut respicit personas, aut res, aut actiones. Primò ergo quærendum est de præceptis iudicialibus circa personas. Secundò de præceptis iudicialibus circa res. Tertiò de præceptis iudicialibus circa actiones. D. Tho. 1. 2. q. 104. 105.

¶ Item, personarum quædam sunt superiores, vt Sacerdos & Rex: quædam inferiores, vt serui & ancillæ: quędam pares & coniunctæ, vt vir & vxor secundùm mutuam seruitutem: quædam dispares & disiunctæ, vt aduersarij & infames. Et secundùm hæc variantur leges iudiciales circa personas.

¶ Primò ergo quærendum est de legibus iudicialibus circa personam & Regis Sacerdotis. Secundò de legibus circa seruos. Tertiò de legibus circa virum & vxorem. Quartò & vltimò de legibus circa infames & aduersarios legis.

MEMBRVM I.

De præceptis iudicialibus circa personam Regis, & Sacerdotis.

De institutione autem, & consecratione Sacerdotis est Lex expressa. *Applicate Aaron cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi*, &c. Et de institutione verò Regis est Lex. *Cum habitaueris in terra, & dixeris, constituam super me Regem: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum*, &c. Circa quod quæruntur tria. Primò, vtrùm iustum sit hominem dominari homini. Secundò, vtrùm necessarium sit in statu dominationis duas esse potestates Regis, & Sacerdotis. Tertiò, de comparatione vtriusque potestatis Sacerdotalis, scilicet, & Regalis. Exod. 28. & Leu. 8. 9. & 10. Deut. 17.

)*(

ARTICVLVS I.

An iustum sit, hominem homini dominari.

Gen. 9. CIRCA primum sic objicitur: *Sit terror vester ac tremor super cuncta animantia terræ.* Beda in gl. Homo in retrorem est cæteris animantibus præpositus: vt sciat se irrationabilibus non rationabilibus dominari.

Gregor. ¶ ITEM, Greg. *Homo non rationabilibus, sed irrationabilibus prælatus est natura: ideo dicitur ei, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur: quia contra naturam superbire, est ab æqualibus velle timeri.*

Sap. 7. ¶ ITEM, *Omnibus vnus est introitus ad vitam, & similis exitus: & nemo ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.* Omnes igitur conditione naturæ sunt pares: contra naturam igitur est hominem homini dominari.

Rom. 13. ¶ CONTRA, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non.n. est potestas nisi à Deo: itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ex quo relinquitur: quod hominem homini dominari & præesse, est ex diuina ordinatione: quod autem tale est, iustum est & irreprehensibile.

RESOLVTIO.

Hominem homini dominari, iustum est; non conditione naturæ, sed meriti imparitate.

Greg. super Gen. 9. ¶ RESP. Secundũ B. Greg. in Gl. *Omnes homines natura æquales genuit: sed pro varijs meritis alijs alios dispensatio Dei iusta, sed occulta, præponit: vt humana formidine peccare mutuant, qui diuina iudicia non formidant: non.n. hominibus sed bestijs dominantur: quia ex qua parte bestiales sunt, ex ea formidini substrati sunt.* Rom. 13. Rom. 13. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis non timere potestatem, bene fac.*

¶ ET per hoc patet responsio ad primum.

¶ AD secundũ dicendum, quod velle timeri à peccatore, in Principe non est superbire: quia, sicut vbi non delinquimus, pares sumus: ita per delictum à iustis impares efficimur.

¶ AD tertium simili modo dicendum est: quia & si vna sit conditio omnium hominum secundũ dignitatem naturæ & progressum: tñ dispar est conditio secundũ voluntatem & meritum. Vnde dicitur in Ps. 48. Psal. 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: & similis factus est illis.* Vnde & qui per naturam factus est rationalis, per peruersitatem voluntatis factus est animalis.

ARTICVLVS II.

An necesse sit in gradu superioritatis vel dominationis duas esse potestates, Regalem, scilicet, & Sacerdotalem?

SECVNDÒ quæritur: Vtrùm in gradu superioritatis necessarium sit esse duas potestates, Regalem & Sacerdotalem. Math. 6. Ad quod sic: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Ex quo relinquitur, quod ordo subiectionis requirit vnitatem dominationis. Inordinatum igitur erit duas dominationes esse in prælatione Ecclesiæ, Regalem, & Sacerdotalem.

¶ ITEM, regalis potestas ex permissione diuina, nõ præcepto vel constitutione filijs Israël concessa est. Sed omne tale culpabile & illicitum est: relinquitur igitur non esse necessariam potestatem regalem. Quod autem ex permissione solùm concessa sit, probatur: nam super illud: Deut. 17. Glossa. Ibi. *Cùm dixeris, constituam super me Regem,* &c. dicit Interlinearis. *Constituunt sibi Regem contra voluntatem, non Deum, sed hominem.* Itẽ super illud, quod sequitur ibidem: *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Glossa. Gl. *Permittit, non committit.* Itẽ, quærit Aug. August. super eundem locum. 1. Reg. 10. c. 12. *Cur populus Deo displicuit, cùm Regẽ desiderauit (vnde dicit Samuel. Vos proiecistis Dominum hodie, qui solus vos saluauit.* Et, *Videbitis, quia grande malum feceritis) cũ hic inueniatur esse permissus:* Et rñdet Aug. Idem August. *Intelligendũ est, non fuisse secundùm voluntatem Dei: qui hoc fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit.* Ex his igitur videtur potestatem regalem ex sola permissione Dei indultam. Sed quod ex permissione est, vt repudium, (maximè tempore gratiæ) abolendum est; ergo tempore gratiæ culpabile est habere potestatem regalem, vel subijci regali potestati.

¶ CONTRA, Hug. *Duæ vitæ sunt: vna terrena, alia spiritualis, ad vitam terrenam pertinent omnia, quæ terrena sunt: ad vitam spiritualem, quæ spiritualia sunt. Vt autem in vtraq; vita iustitia seruetur, & vtilitas proueniat: primùm ad vtrumq; distributi sunt, qui vtriusq; bona secundùm necessitatem vel rationem studio ac labore acquirant: deinde alij, qui ea potestate officij commissi secundùm æquitatem dispensent, vt nemo fratrem suum in negotio supergrediatur; sed iustitia inuiolata seruetur.* Hugo de S. Victore in lib. 2. de Sacramentis par. 2. c. 4. Si ergo non potest humana societas sine vtraq; vita manere; necessaria est duplex potestas ad conseruationem iustitiæ: vna, quæ præsit in terrenis ad ordinandam vitam terrenam: alia, quæ præsit in spiritualibus ad ordinandam vitam spiritualem.

¶ ITEM, de spirituali potestate siue sacerdotali non est dubium secundũ scripturas, quin fuerit ex institutione & voluntate diuina: de potestate verò regali probatur idem, per illud: Vbi loquitur Dei sapientia. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Prou. 8.

¶ ITEM, Rom. 13. dicitur de Principe & Rege. *Dei minister est, vindex in iram.* Rom. 13.

¶ ITEM, *Elegit Dauid seruum suum,* &c. Et constat, quod Psal. 77. ista electio fuit ad honorem & potestatem regalem ergo, &c.

RESOLVTIO.

Cùm duo sint latera corporis Ecclesiæ, laici sc. atq; clerici: ijs vnam videl. sacerdotalem, illis alteram, hoc est, regalem dignitatem præesse omnino oportuit.

¶ RESP. Secundũ Hug. *Vniuersitas Ecclesiæ duos ordines cõplectitur, laicos & clericos, quasi duo latera corporis vnius. In laicis,* Hug ibi sup. a cap. 3. & 4. *ad quorum studium & prouidentiam ea, quæ terrenæ vitæ necessaria sunt, pertinent; potestas est terrena: in clericis autem, ad quorum officium pertinent ea, quæ spirituali vitæ sunt bona, potestas est diuina. Illa potestas sæcularis dicitur: ista spiritualis nominatur. In vtraq; potestate diuersi sunt gradus: sub vno tamen vtrinq; capite distributi: terrena potestas caput habet Regẽ, spiritualis potestas caput summum Pontificem. Ad potestatem regis pertinent, quæ ad terrenã vitam sunt necessaria: ad potestatem summi Pontificis, quæ spirituali vitæ attributa sunt, vniuersa.* Secundum hoc ergo patet, quare in nouo & veteri Testamento, ex quo multiplicatus est Dei populus; necessaria erat potestas regalis, quæ præesset terrenis ad ordinandam vitam terrenam: & potestas sacerdotalis, quæ præesset in spiritualibus ad ordinandam spiritualem vitam.

¶ AD illud ergo, quod primò objicitur: quod nemo potest duobus dominis seruire. Intelligitur, cùm sibi inuicem dissident & discordant: potestas autem regalis, cùm ordinata est; nunquam dissidet à potestate sacerdotali; sed ipsi congruit & concordat: nam sicut vita terrena subministrat vitæ spirituali, & vita spiritualis collaborat terrenæ: sic potestas regalis sacerdotali, & sacerdotalis regali: vnde Hugo. *Deus noster pacis amator est: & nihil inordinatum approbare potest vera iustitia: spiritualis si quidem potestas non ideo præsidet, vt terrenæ in suo iure præiudicium faciat: sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpa vsurpat.* Idem vbi suprà c. 7.

¶ AD illud verò, quod secundò objicitur: quod solùm ex diuina permissione indulta est terrena potestas; non ex commissione, vel concessione, aut non secundũ voluntatem Dei. Dicendum, quòd voluntas Dei & concessio dicitur absolutè respectu bonorum conferendorum: respectu verò malorum dicitur permissio, & voluntas Dei in comparatione, & secundùm quid: & hoc siue illud sit malum culpæ, siue malum pœnæ. Malum.n. culpæ non est ex voluntate Dei operante, sed voluntate Dei sinente: & hoc ne peius fiat, vel vt meliùs eueniat. Item, malum pœnæ nõ est per se ex voluntate Dei operante secundũ rationem misericordiæ, quæ propria ipsius est. (Vnde Coll.) *Deus, cuius propriũ est misereri semper, & parcere)* Collect. & secundùm ipsum: sed est ex volũtate operante secundùm rationem iustitiæ, ordinante ea, quæ inordinantur secundùm nos. Vnde dicitur: *Non ex corde suo abiecit, & humiliauit filios hominum.* Thren. 3. Siue ergo sit

malum culpæ, siue malum pœnæ; non fit voluntate Dei absoluta, nec secundùm acceptationem &*approbationē bonitatis, quæ in nobis secundùm ipsum est: ideo ex permissione Dei id dicitur esse: vel ꝙ toleratur in culpam, ne peius fiat: vel quod infertur in pœnam, ne malum fiat. Primò modo ex permissione Dei dicitur fieri* quod secundū se illicitum & malum est, vt repudium: secundo modo ex permissione Dei dicitur fieri, ꝙ secundum se illicitum non est, sed tñ pœnale est; in quem modum dicuntur fuisse ex permissione Dei sacrificia & legis onera: vt sicut repudium permissum est, ne peius fieret; ita onera sacrificiorum imposita sunt iudæis, ne malum fieret. Vnde, *Immolent hostias pacificas Domino: & nequaquam vltra immolabunt hostias suas dæmonijs.*

* Aliàs, approbationem.
* Aliàs, quod illicitum, & secundū se malum est.
Leu. 17.

¶ Secvndvm hoc ergo dicendum, ꝙ dominatio potestatis regalis ex permissio diuina est, & non secundum voluntatem: non quia culpabilis sit, sed propter hoc quod in pœnam introducta sit; & hoc ad onus, & punitionem. In punitionem (inquam) culpæ eorum, qui petiuerunt sibi dari Regem ex inordinata voluntate, qua minus confidebant de Deo, quàm de homine: & hoc signat Lex, cum dicit: *Cùm dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes.* Et 1. Reg. 8. cùm peterent regem filij Israël, dictum est Samuel, *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Item, in correctionem culpę eorum, qui non nisi timore potestatis cessant malefacere. *Principes non sunt timori boni operis; sed mali.* Hinc dicitur: *Rex, qui sedet in solio iudicij, intu suo dissipat omne malum.*

Deut. 17.
1. Reg. 8.
Rom. 13.
Prou. 20.

¶ Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS III.

De comparatione potestatis regalis ad sacerdotalem.

Tertiò quæritur de comparatione potestatis Regalis ad sacerdotalem. Habetur autem, quomodo cōparentur secundum ordinem; quæ illarum sit superior supra Quæstione de differentia iudicum. Habetur etiā, qualiter comparentur quantùm ad executionem potestatis: vtrùm, sc. sacerdotes possint occidere: supra in inquisitione de illo præcepto. *Non occides:* Quæstione vtrùm in isto præcepto prohibentur occidere, qui habent spiritualem potestatem. Habetur pariter, vtrùm sacerdotes possit arma mouere, supra.*

Quæstio 34.
Exod. 20 & Deut. 5.
* Quæstione de lege bellorum.

¶ In hac verò parte quæritur? Vtrùm potestas sacerdotalis obnoxia sit potestati Regali? Nam supra determinatum est, qualiter potestas regalis obnoxia & subiecta sit potestati sacerdotali.*

* In inquisitione de persona iudicis Quæstione de differentia iudicum.

An sacerdotalis potestas regali potestati obnoxia sit censūs, vel tributi? §. 1.

¶ Qværitvr ergo, vtrùm per aliquod seruitium potestas sacerdotalis sit obnoxia regali? Ad ꝙ sic obijcitur Hug. *Sicut prælatorum debitum est subiectis possidenda debitè dispensare, & eos contra iniustitiam defendere: sic subiectorum debitum est in se & in suis prælatis seruitium exhibere.* Est autem seruitium aliud determinatum, sicut census & tributum; quæ annuatim soluuntur: aliud fortuitum, ꝙ pro culpis & casu accidentibus exigitur. Cùm ergo potestas sacerdotalis teneatur regali soluere tributum de suis; hoc est, de rebus, quas possidet: ergo est obnoxia potestati regali.

Hugo de S. Victore in lib. 2. de sacramentis par. 2. c. 6.

¶ Item, ad hoc videtur facere, quod dicit Apostolus: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: & cui vectigal, vectigal.*

Rom. 13.

¶ Item, dicit Canon B. Vrbani. *Tributum in ore piscis piscante Petro inuentum est.* (Matth. 17.) *Quia de exterioribus suis quæ palam cunctis apparent, tributum Ecclesia reddit.*

Can. Vrbani dist. 23 q. 8. ex Matth. 17

¶ Item, idem B. Vrbanus: *Non totum piscem dare iussus est, sed tantum staterem, qui in ore eius inuentus est:* Mat. 17. *Quia non Ecclesia dari Imperatori; non pontificalis apex, qui in ore capitis Ecclesiæ præeminet, subijci potest Regibus: sed sanè quod in ore piscis inuenitur, pro Petro & Domino dari iubetur: quia de exterioribus Ecclesiæ (quod constitutum est antiquitus pro pace & quiete, qua tueri & defensare debent) Imperatoribus persoluendum est.*

Idem Vrbanus ex Matth. 17

¶ Item, B. Ambros. *Tributum Cæsaris est, Cæsari non negatur: Ecclesia Dei est, Cæsari vtiq; non debetur.*

Ambrof.

¶ Item, Hug. Ad potestatem regis pertinent, quæ terrena sunt, & ad terrenam vitam facta omnia. Ergo si Ecclesia possideat aliqua terrena; pertinebunt ad Regis potestatem: ergo de terrenis, quas possidet potestas sacerdotalis, obnoxia est, & debet seruitium potestati regali.

Hugo de S. Victore vbi supra c 4.

¶ Contra, *Emit Ioseph omnem terram Ægypti: subiecitq; eam Pharaoni, præter terram sacerdotum.* Gloss. *Hic signat; Ecclesiæ terram, in qua veri sunt sacerdotes; liberam esse à censu mundiali.*

Gen. 47. Glossa.

¶ Item, *Cùm tempore famis cunctorum Ægyptiorum terram emeret Pharao.* Gen. 47. *Atq; sub eadem fame sua seruituti cunctos subijceret: sacerdotibus ita necessaria ministrauit; vt nec possessionibus, nec libertate nudarentur: Domino ex tunc prænunciante, sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.*

Canon dist. 23 q. 8. ex Gen. 47.

¶ Item, *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis:* Et dixit Petrus, *ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij.* Hieron. in Gloss. *Liberi sunt filij, Regis in omni regno: multòmagis liberi sunt filij illius regni, sub quo sunt omnia regna, in quolibet terreno regno.* Ex his igitur relinquitur: quod in nullo, nec in possessionibus, nec in personis potestas sacerdotalis sit obnoxia regali.

Matt. 17.
Hieron.

RESOLVTIO.

Sacerdotalis dignitas regali dignitati obnoxia est censūs vel tributi de ijs, quæ temporali sorte possidet: de his autem quæ spirituali sorte, vel diuino iure retinet, nequaquam.

¶ Resp. Quædam possidet Ecclesia sorte spirituali & iure diuino: vt decimas, & oblationes. *Filijs Leui dedi omnes decimas in possessionem.* Et iterum: *Locutus est Dominus ad Aaron. Dedi tibi custodiam primitiarum mearum: omnia, quæ sanctificantur à filijs Israël, tibi tradidi pro officio sacerdotali, & filijs tuis.* Et subdit: *Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato redditur mihi; tuum erit, & filiorum tuorum.* Simili modo loca deputata ad diuinum cultum, vt territoria ecclesiarum: & alia loca deputata ad spirituale officium, vt cimiterium. Vnde dicitur sacerdotibus: *Excubate in custodiam tabernaculi, & in ministerio altaris: omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur.* De his dicit Canon. *Iuxta leges canonizatas de ecclesiastico agro, & manso; vel si quislibet pro loco sepulturæ aliquid Ecclesiæ largitus fuerit: de decimis etiam & oblationibus fidelium nullus presbyteros censum persoluere cogat. Alia verò, quæ possidet sorte temporali; vt titulo concessionis (saluo debito seruitio) de his potestas sacerdotalis Principibus consueta debet obsequia: vt & annua eis persoluat tributa.*

Num. 18.
Ibidem.
Num. 18.
Canon Concilij Parisien sis dist. 23 q 8.

¶ Ad ea verò, quæ obijciuntur. Dicendū, quod auctoritates, quæ dicunt: ꝙ potestas sacerdotalis non est obnoxia censūs, vel tributi: intelliguntur de his, quæ possidet sorte spirituali, & titulo iuris diuini. Auctoritates verò cōtrariæ intelliguntur de his, quæ possidet sorte temporali, & titulo iuris humani. Illa enim quæ possidet sorte spirituali, dicuntur spiritualia; quia annexa sunt & attributa iure diuino officio spirituali: quemadmodum alia dicuntur terrena; quia obnoxia sunt obsequio temporali: ideo ista subiecta sunt terrenæ potestati, illa verò minimè.

¶ Notandvm tamen ad plenam euidentiam prædictorum, distinctionem Hugo de his, quæ Ecclesia possidet sorte temporali: distinguit enim sic. *Terreni principes in terrenis possessionibus, quas in subiectis, vel sine subiectis possident, Ecclesiæ aliquando concedunt solum vtilitatem, aliquando vtilitatem & potestatem. Vtilitatem sine potestate concedunt; quando fructum quidem possessionis ad vsum Ecclesiæ transferri* discernunt: sed potestatem iustitiæ exercendæ in ipsa possessione ad eius ditionem transire non permittunt. Aliquando vtilitatem & potestatem simul tribuunt.* Vbi tamen diligenter attendendum, quòd Ecclesia licet fructum terrenæ possessionis in vsum recipiat; potestatem tamen exercendæ iustitiæ per ecclesiasticas personas aut sæcularia iudicia exercere non potest: potest tamen habere ministros laicas personas, per quas iura & iudicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum & debitum iuris terreni exerceat. Sic tamen, vt & ipsum quod potestatem habet, à iudice ter-

Hugo de Sacramētis lib 2. par. 2 c. 7.
* Aliàs, decernūt.

reno

reno se habere cognoscat: & ipsas possessiones nunquam ita à regia potestate elongari posse intelligat; quin si ratio postulauerit, & necessitas; & illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illi ipsi possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regia potestas patrocinium, quòd debet, alteri non potest dare: sic ipsa possessio, etiam ab ecclesiasticis personis obtenta, obsequium, quod regiæ potestati pro patrocinio debetur, iure negare non potest: sicut scriptum est. (Matth. 12. & Lucæ 20.) *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

An personæ ecclesiasticæ subdantur punitioni potestatis regalis? §. 2.

¶ Item quæritur? Vtrùm pro peccatis personæ ecclesiasticæ seu sacerdotales obnoxiæ sint potestati regali? (Rom. 13.) Quod videtur per illud: *Vis non timere potestatem, bene fac: si autem malefeceris time: non enim sine causa gladium portat.* id est, iudiciariam potestatem: *sed ad hoc* (vt dicit Gloss.) (Glossa ibi.) *vt malos puniat.* Si ergo Sacerdos vel clericus malefecerit, poterit puniri à sæculari potestate.

¶ Item, quilibet delinquens sortitur forum ratione delicti: si ergo Sacerdos vel clericus delinquat in his, quæ terrena sunt; vel quæ pertinent ad terrenam vitam; sortietur forum potestatis sæcularis: quia (sicut dicit Hug.) (Hugo vbi suprà c. 4.) *Ad potestatem Regis pertinent omnia, quæ terrena sunt, & ad terrenam vitam ordinata.*

¶ Contra: sic se habet potestas sacerdotalis ad regalem, sicut vita vel homo spiritualis ad animalem, secundum q́ dicit Hug. Sed ita est, quòd animalis vita non potest iudicare spiritualem, etiam delinquentem: quemadmodum animal non habet iudicare hominem delinquentem. Ergo relinquitur, q́ potestas regalis non habet diiudicare personam ecclesiasticam, vel sacerdotalem. Vnde, (1. Cor. 2.) *Spiritualis iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur.*

RESOLVTIO.

Summa sacerdotalis dignitas cum à Deo primùm instituta sit; ab eo solo, nec ab alio quoquam terreno Rege in quauis causa iudicari habet.

¶ Resp. (Hugo de S. Victore.) Secundum Hugo. Spiritualis potestas terrenam potestatem & instituere habet vt sit: & iudicare habet, si bona non fuerit: ipsa verò à Deo primum instituta est: & cum deuiat, à solo Deo iudicari potest: sicut scriptum est. (1. Cor. 2.) *Spiritualis diiudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur.* Inde est, quòd summa potestas sacerdotalis, qualis est in Summo Pontifice; non potest ab homine iudicari: sed habet de omnibus iudicare: & de personis, quæ vitæ spirituali deputatæ sunt; vt vniuersaliter sunt omnes personæ ecclesiasticæ: & de personis, quæ ad vitam terrenam deputatæ sunt sub terrena potestate; vt personæ laicæ: & hoc in causis spiritualibus animarum. Vnde in typo Ieremiæ (Ierem. 1.) potestati spirituali summæ dicitur: *Ecce constitui te super gentes, & super regna: vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes.* Potestas verò terrena non habet iudicare nisi de personis, quæ terrenæ vitæ sunt deputatæ; vt personæ laicæ.

¶ Vnde ad solutionem obiectorum nota determinationem (Hugo de S. Victore.) Hug. de Sancto Vict. *Sciendum est: quod iustitia illa, quæ terrenæ potestati in subiectis data est; quinq; modis determinatur: secundùm personam, secundùm causam, secundùm modum, secundùm locum, secundùm tempus. Secundùm personam igitur iustitia violaretur, si iudex sæcularis in ecclesiasticam personam manum mitteret. Secundùm causam: si ecclesiastica negotia examinanda susciperet. Secundùm mensuram: si mendacium, vel maledictum suspendio puniret. Secundùm locum: si loca sacra violare præsumeret: & confugientibus ad illa, etiam reis & pro sceleribus suis condemnandis inordinatè violentiam inferre tentaret. Secundùm tempus: si sacris & solennibus diebus reuerentiam non exhiberet; quando & iis parcendum est, quibus pro culpis suis supplitia debentur.*

* *

MEMBRVM II.

De legibus circa seruos, vel seruitutis.

Consequens est inquirere, de legibus seruitutis.

¶ Circa quas quæruntur tria. Primò, vtrùm boni secundùm legem diuinam debeant subijci malis? Secundò de manumissione propriorum seruorum. Tertiò de receptione serui alieni.

ARTICVLVS I.

An boni teneantur subijci malis?

Primò igitur quæritur? Vtrùm boni teneantur subijci malis? Quòd non, videtur. (Gen. 9.) *Sit terror vester super cuncta animalia*: vbi dicit Gloss. (Glossa.) *Homo non rationabilibus, sed irrationabilibus subiectus est natura.* Vnde ex illa parte, qua homo est irrationalis, secundum quod dicit Greg. (Gregor.) ex illa parte homini est subijcibilis. Si ergo bonus vir ex nulla parte irrationalis est: malus verò inquantum malus est irrationalis: ergo bonus vir nunquam tenetur vel debet subijci malo.

¶ Ad idem est, quod dicit Greg. (Idem.) *Vbi non delinquimus, pares sumus.* Ergo nullus bonus est alicui subditus.

¶ Contra, (Rom. 13.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Gloss. (Glossa.) *Videbatur quibusdam, q́ mali Domini, maximè infideles, non deberent fidelibus damnari: & si boni & fideles essent, bonis & fidelibus deberent esse pares: quam etiam superbiam remouet hic Apostolus. Omnis anima potestatibus*, &c. Id est: (Ibi.) Omnis homo subditus sit, vt etiam voluntate seruiat potestatibus sæcularibus bonis vel malis, scilicet Regibus, Principibus, &c.

¶ Item, (1. Petri 2.) *Serui subditi estote in omni timore Dominis: non tantùm bonis & domesticis, sed etiam dyscolis: hæc est enim gratia.*

¶ Item, (Ephes. 6.) *Serui obedite per omnia Dominis carnalibus: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.*

¶ Item, ad idem sunt rationes Apostoli: (Rom. 13.) *Non est potestas nisi à Deo*, &c. Ergo &c.

RESOLVTIO.

Non pudeat bonos malorum potestati humiliter colla subijcere, saltem propter debitum diuinæ ordinationis & propter vtilitatem suæ purgationis.

¶ Resp. Dicendum, q́ Lex seruitutis aliam causam habet suæ institutionis, & aliam causam habet suæ obseruantiæ. Causa enim institutionis fuit irrationalitas siue brutalitas, sicut supra dictum est: causa verò obseruantiæ etiam tempore gratiæ est humilitas. Inordinatio enim voluntatis humanæ in modum irrationabilis bestiæ necessarium habuit arceri à malo timore dominationis: inde est, quòd per Cham. Gen. 9. (Genes. 9.) Est seruitus introducta: Lex igitur seruitutis introducta est ad coërtionem malorum. Item ordo bonæ voluntatis per humilitatem debet custodiri: & in ampliorem gratiam & meritum promoueri: & ideo Lex seruitutis etiam tempore gratiæ à bonis obseruanda est. Vnde, (1. ad Cor. 7.) *Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed si potes fieri liber, magis vtere.* Gloss. (Glossa.) *seruitute:* quia hæc est causa humilitatis; quæ ad eam, quæ in Domino est, pertinet libertatē: quia quantò quis despectior est in hoc sæculo propter Deum: tantò magis exaltabitur in futuro.

¶ Ad illud ergo, quod primum obijcitur: Dicendum, quòd boni debent subijci etiam malis potestatibus, propter debitum conseruandæ diuinæ ordinationis. Vnde, (Rom. 13.) *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Gloss. (Glossa.) *id est, habenti potestatem Dei ordinatione.* Et subdit: (Eadem ibidem.) *De potestate bona patet, q́ eam præfecit Deus rationabiliter: de mala etiam videri potest, dum & boni per eam purgantur, mali verò damnantur.* Dicendū ergo, quòd mali debent subijci potestati propter vitium suæ irrationabilitatis. Boni verò propter debitum diuinæ ordinationis & vtilitatem suæ purgationis. Vnde Ambr. (Ambros. super Rō. 13.) super illud: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Si bonus est princeps, benè operantem non punit, sed diligit: si malus est, non* (Ambros.)

note: bono, sed purgat eum: & ideo non est ad timorem ei, qui benè operatur: Malus verò debet timere, quia instituti sunt principes, vt mala puniant.

¶ Ad secundum quòd obijcit: quod vbi non delinquimus, pares sumus. Intelligitur de paritate quantum ad meritum & dignitatem conscientiæ: non quantùm ad paritatem conuersationis siue conditionis huius vitæ. Vnde super illud: *Ideoq; necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Gloss. Ambros. *Licet omnes fideles inquantùm fideles sint vnum in Christo: in cuius fide non est* distantia Iudæi & Græci, Domini & Serui.* Gal. 3. *Differentia tamen est in conuersatione mortali: & eius ordinem in huius vitæ itinere seruandum esse Apostoli præcipiunt.*

Rom. 13. super ibi Glossa. * Aliàs, differentia. Galat. 5.

ARTICVLVS II.

An Christiani permittendi sint seruire, vel potius manumittendi sint?

Deinde quæritur de manumissione seruorũ. De quo dicit Lex: *Si Hebræum seruum emeris, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis.* Habetur idem: *Cùm venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit tibi; in septimo anno dimittes eum liberum.* Ergo secundùm legem septimo anno seruus Hebræus debebat manumitti: Et constans est quòd manumissio serui & donatio libertati pietatis est: ergo maximè debet tempore gratiæ obseruari.

Exod. 21. Deut. 15.

¶ Item, secundum legem Hebræus propriè non poterat esse seruus Hebræi. Vnde dicit Lex: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus: non eum opprimes seruitute famulorum: sed quasi mercenarius & colonus erit vsq; ad Iubilæum.* Et subditur: *Mei enim serui sunt: & ego eduxi eos de terra AEgypti: non veniant conditione seruorum.* Ergo multò fortius secundum libertatem legis Euangelicæ Christianus non debet esse seruus Christiani.

Leuit. 25.

¶ Item, *De filijs Israël non constituit Salomon seruire quenquã.* Ergo multo fortius Christiani, *qui sunt filij Dei* (Ioan. 1.) *Non debent constitui serui.*

3. Reg. 9. Ioan. 1.

¶ Contra super illud: *Septimo anno dimittes eum liberum.* Gloss. *Ne hoc serui Christiani à Dominis flagitarent: iubet seruos Dominis esse subditos; ne doctrina Dei blasphemetur.* 1. Tim. vlt. *Quicunq; sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Domini & doctrina blasphemetur: qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt.*

Deut. 15. Glossa. 1. Tim. vl.

RESOLVTIO.

Cùm seruilis conditio Christianæ libertati nullatenus aduersetur, quinimmò magnoperè opituletur; seruire permittendi sunt ex Christianis, qui noluerint, nec manumitti cogendi.

¶ Resp. Conditio seruitutis non euacuatur per libertatem Christianitatis triplici ratione. Primò, quia confert ad meritum & humilitatem, quæ est custodia virtutum: vnde dicitur. *Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed si potes fieri liber; magis vtere scil. seruitute, &c. Quia* (sicut dicit Gloss.) *Hoc confert ad humilitatem.* Et, *Serui subditi estote in omni timore Dominis: non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis: hæc est enim gratia.* Secundò; quia confert ad retributionem gloriæ futuræ: vnde, *Serui obedite per omnia Dominis carnalibus.* Et subditur: *Scientes, qui à Domino recipietis retributionem hereditatis.* Tertiò ad euitandam blasphemiam nominis Dei, & scandalum fidei. Vnde dicit Apostolus: *Quòd serui Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini: & doctrina blasphemetur.* Propter has causas Apostoli tempore gratiæ seruos Christianos Dominis suis subiectos esse decreuerunt.

1. Cor. 7. Glossa ibi. 1. Petri 2. Coloss. 3. Ibidem. 1. ad Timoth. 6.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: quod septimo anno seruus Hebræus manumittebatur: quod pietatis est. Dicendum, quòd illa manumissio septimi anni erat figuralis: significat enim (sicut dicit Isidorus.) Quòd in sex ætatibus huius sæculi seruientes, septimo anno, id est, æterno sabbato liberabuntur: quod autem figurale est, non est ad literam tempore gratiæ obseruandum.

Isidorus sup Deut. 15.

¶ Ad secundum verò, & tertium dicendum: quod melioris conditionis est seruus Christianus tempore gratiæ, quàm seruus Hebræus tempore legis. Seruus .n. Hebræus erat conditionis seruitutis mercenariæ. (*Non opprimes fratrem tuum seruitute: sed quasi mercenarius & colonus erit*) seruus verò Christianus subiectus est seruitute charitatis & obedientiæ. Vnde Apost. Scribit de Onesimo seruo suo. *Obsecro te pro filio meo Onesimo: tu illum sicut mea viscera suscipias.* Et subdit: *Iam non seruum, sed pro seruo charissimum fratrem maximè mihi, quantò magis tibi, & in carne, & in Domino: si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.*

Leuit. 25. Ad Philemonem. Ibidem.

ARTICVLVS III.

An liceat recipere & retinere seruum fugitiuum?

Tertiò quæritur de receptione serui alieni: de quo dicit Lex: *Non trades seruum suum Domino suo, qui ad te confugerit.* Ex qua lege videtur, quòd fugitiuus seruus à subiectione sui Domini possit ab aliquo licitè recipi.

Deut. 23.

¶ Contra Exod. 21. dicit Lex. Quòd seruus pecunia Domini sui est. Si ergo pecunia alterius contra voluntatem Domini non potest licitè teneri vel recipi: ergo nec seruus.

Exod. 21.

¶ Item, dicit Lex: Quòd bos & ouis fratris debet ad ipsum reduci, & sine detrimento sibi seruari: & simili modo de vestimento, & omni re proximi faciendum est. Ergo cum seruus sit res Domini sui; seruus fugiens debet Domino suo restitui.

Deut. 22.

¶ Item Apostolus restituit. Onesimum seruum Philemoni Domino suo: qui ad Apostolum confugerat; de quo dicit Apostolus Philemoni. *Sine consilio tuo nihil volui facere,* scilicet de Onesimo retinendo.

Ad Philemonem.

RESOLVTIO.

Iuxta variam fugæ causam, ac Domini conditionem & licet & non licet recipere vel retinere.

¶ Resp. Distinguendò. Seruus aut est seruus singularis personæ, aut est seruus personæ publicæ, vt Regis. Si est seruus singularis personæ: aut ergo fugit à Domino suo, volente ipsum perdere, propter vitandum periculũ salutis: aut fugit à Domino volente ipsum perdere, propter subtractionem debiti seruitij seu subiectionis. In primo casu intelligitur Lex: *Non trades seruum Domino suo,* supple volẽti ipsum perdere, vnde dicit Aug. Super illum locum: quòd alienigena Achis Rex Geth seruauit hanc legem; quando ad eũ fugit Dauid à facie Domini sui, id est, Regis Saul. 1. Reg. 21. Qui scil. volebat ipsum perdere. In secundo verò casu intelliguntur leges contrariæ.

Deut. 23. August ibi. 1 Reg. 21.

¶ Item, si est seruus personæ publicæ, vt Regis: aut igitur est seruus gentis infidelis, aut gentis seu populi fidelis. Si est seruus gentis infidelis, & fugit ad populum fidelem, propter perniciem erroris præcipit Lex, quòd non reddatur; sed suscipiatur: & hoc modo intelligitur (sicut dicit Aug.) prædicta Lex: *Non trades seruum Domino suo.* Vnde Aug. *Quomodo hoc putari potest, nisi genti vel populo intelligamus ista dici, non vni homini? ex alia vtiq; gente à Domino suo, id est, Rege seruum refugientem ad hanc, cui loquebatur; reddi prohibuit.*

Deut. 23. August.

MEMBRVM III.

De Legibus Iudicialibus circa virum & vxorem.

Consequenter quærendum est de legibus iudicialibus circa virum & vxorem? Erat aũt Lex permissionis de vxore repudianda. Deut. 24. De qua tactũ est priùs. Erat iterum Lex de vxore alienigena ducenda, de puella capta in prælio. Deut. 21. Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, volueris'q; eam habere in vxorem; radet Cæsariem, & circumcidet vngues, deponet vestem: sedens'q; in domo tua, flebit patrem vno mense; postea intrabis ad eam, eritq; vxor tua. Item erat Lex de duplici vxore habenda. Si habuerit homo vxores duas: vnam dilectam, & alteram odiosam: si fuerit filius odiosæ primogenitus, non poterit filium dilectæ præferre filio odiosæ.

Deut. 24. Deut. 21. Ibidem.

)*.(

ARTICVLVS I.

An tempore legis licitum esset alienigenam ducere?

QVÆRITVR ergo iuxta primam legem: Vtrùm tempore legis licitum esset ducere alienigenam? Quod videtur per prædictam legem.

Ruth vlt. ¶ ITEM Ruth vlt. *Tulit Booz Ruth, & accepit vxorem, &c.* &(ficut patet per illam historiam) secundùm legem illam accepit, vt suscitaret semen fratris, Deut. 25. Ruth autẽ erat Moabites, & alienigena. Deut. 25.

Deut. 7. ¶ CONTRA, Deut. 7. dicitur Israeli: *Non inibis fœdus cũ eis, nec associabis cum eis coniugia:* dicit de alienigenis.)

2. Esd. vlt. ¶ ITEM 1. Esdræ vlt. *Nunquid non in huiusmodi re peccauit Salomon Rex Israel?* Et sequitur: *Ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ: nunquid & nos inobedientes faciemus peccatum grande hoc, vt præuaricemur, & ducamus vxores peregrinas.*

¶ ITEM, secundùm hanc legem tempore gratię dispar cultus impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

RESOLVTIO.

Alienigenam quampiam infidelem manentem infidelem non licuit veteribus ducere: sed benè ad fidem conuersam.

¶ RESPON. Ducere alienigenam de illis septem gentibus, quæ inhabitabant terram promissionis, propter periculum idololatrię & erroris, prohibitum erat secundùm legem, Deut. 7. *Filiam tuam nõ dabis filio eius: nec filiam eius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Ducere Deut. 7. verò alienigenam de gente alia manente in errore idololatriæ, adhuc ex eadem prohibitione erat illicitum secundùm legem. Ducere verò alienigenam conuersam ad fidẽ, & obseruantiam legis diuinæ, licitum erat ex prædicta lege de ducenda captiua puella. Vnde Booz duxit Ruth Moabitem conuersam ad fidem, & legem Hebræam, & Ruth vlt. Salomon duxit Raab.

ARTICVLVS II.

An & eodem legis tempore licitum esset plures vxores habere?

ITEM quæritur de secunda lege, qua videbatur esse cõcessum in lege habere plures vxores.

¶ AD est, quòd Patriarchæ habuerunt plures vxores: vt Abram Gen. 25. & Iacob Gen. 29. & 30.

¶ ITEM, lege data, pater Samuelis habuit plures vxores; nec in hoc reprehenditur: similiter Dauid legitur habuisse plures vxores; quas non habuisset, si ei licitum non fuisset.

Aug. sup Gen 29. ¶ ITEM, dicit August. super Genes. *Obijciunt Iacob quatuor vxores. Sed quando mos erat, crimen non erat.*

Gen. 2. ¶ CONTRA, Gen. 2. *Erunt duo in carne vna* (hoc dicitur ad præcisionem) ergo non possunt esse tres: ergo vnus non potest habere duas vxores.

Matt. 19 Glossa. ¶ ITEM, Matth. 10. *Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam creauit eos.* Glos. *Non ait fœminas, vt & vnũ coniugium sit, non plura.*

Deut. 17. ¶ ITEM Deut. 17. de Rege dicitur: *Nõ habebit vxores plurimas.* Ergo secundùm legem non erat licitum habere plures vxores, siue dicamus legem naturalem, siue legem Moysi.

RESOLVTIO.

Licuit, verùm non ex iure, sed ex dispensatione: non omnibus, sed aliquibus: nec tamen plurimas, sed plures.

Aliorum sententia ¶ AD hoc volunt quidam dicere, quòd de pluribus vxoribus habendis aliquando fuit dispensatum; & hoc ex causa, propter Dei populum multiplicandum: & hæc dispẽsatio occurrit ante legem, & in lege; cùm adhuc populus paucus erat colentium Deum. Vnde hæc causa multiplicationis (scil.) prolis ad cultum diuinum dispensabat cum illis, vt haberent plures: postea verò multiplicato populo, cessauit causa & dispensatio.

¶ SED obijcitur: nam secundùm hoc Dauid peccauit habendo plures; quia iam populus colẽtium Deum multiplicatus erat. Item Deut. 21. super illud: *Si habuerit homo duas vxores, &c. non poterit præferre filium dilectæ, &c.* dicit Glo. Deut. 21. Glossa. *Hoc ad literam faciendum est: ne sequatur quis animi sui motum, amorem, vel odium; sed naturam.* Si ergo ex illa lege concedebatur prioribus habere plures: ergo cùm ad literam obseruanda sit, modernis lege eadẽ concessum erit habere plures: quod falsum est.

¶ IDEO dicendum, quòd solis Regibus, & quibusdam Sententia propria. alijs certis personis dispensatione diuina concessum erat habere plures, sed non plurimas. Certis verò personis, vt Patriarchis & Iudicibus, & quibusdam Prophetis concessum est plures habere ex causa prædicta: quia necessarium erat, vt ex eis multiplicaretur proles ad ampliandum cultum Dei. Regibus verò cõcessum est pluribus habere rũc: ne propter defectum successionis regni populus insolescens recederet à religione diuina. Vnde August. super illã Aug. sup Deut. 17. legem de Rege Deut. 17. *Non habebit vxores plurimas, &c.* dicit: *Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse: Dauid autem plures habuit, nec præceptum præteriuit: permissio est enim habere plures, & non plurimas: multiplicatio vxorum generaliter prohibita est: permissum est autem Regi plures habere, sed non multiplicare: ne multiplicando perueniat ad alienigenas.*

¶ ET per hoc patet responsio ad primò obiecta.

¶ AD illud verò, quod obijcit vltimò: quòd hęc lex ad literam seruanda est. Dicendum, quòd cùm lex ista nõ dicat, *si habeat homo duas vxores:* sed dicit de præterito, *si habue-* Deut. 21. *rit homo duas vxores:* habuisse autẽ duas vxores, potest pertinere ad diuersa tẽpora, in quibus aliquis habuit vxores duas successiuè, vnam post aliam priùs mortuam; non ad idem tempus; in quo aliquis simul habuerit duas vxores. Et hoc modo lex ista ad literam à modernis coniugatis obseruanda est.

MEMBRVM III.

De legibus iudicialibus circa infames, & aduersarios legis.

POSTEA quæritur de legibus circa personas infames. Reputauit autem lex personas infames, quosdam ratione culpæ propriæ, vt meretrices, & scortatores: quorũ quęstum prohibuit offerendum, Deut. 23. *Non erit meretrix* Deut. 23. *de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel.* Et postea subdit: *Nõ offeres mercedem prostibuli: nec pretium canis in domo Domini.* Et (sicut dicit Augustinus) super illum locum: ex prima parte legis prohibentur manifestè viri & fœminæ fornicari: & monstratur peccatum esse commixtio cum non coniuge. Vnde litera LXX. habet: *Nõ erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicans de filijs Israel.*

¶ SED obijcitur Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Mo-* Hebr. 10. *si sine vlla miseratione, sub duobus vel tribus testibus moritur.* Cùm ergo fornicatio nõ puniatur morte secundùm legem (vnde Leuit. 19. *Si dormierit homo cum muliere coitu seminis, &c. vapulabunt ambo, & non morientur.*) Ergo qui fornicatur, non Leuit. 19 facit irritam legem Moysi; ergo in lege Moysi non prohibetur fornicatio.

¶ RESPON. Dicendum secundùm Augustinũ, quòd hic prohibetur meretricium, & etiam fornicatio. Meretricium enim est publica fornicatio, vnde dicit Augusti- August. nus: *Ad eas prohibet accedere, quarum publicè venalis est turpitudo:* & hæ sunt meretrices. Fornicatio verò est commixtio cum non sua coniuge, siue sit publica & venalis, siue non: & hoc etiam prohibetur hic, vt dicit Augustinus, quia dicit litera LXX. (vt dictum est.) *Non erit fornicans de filijs* Deut. 23. *Israel.*

¶ AD illud ergo, quod dicit Apostolus: Dicendum, quòd non quascunque præuaricationes mandatorum legis puniebat lex morte corporali; imò quasdam puniebat verberibus, seu flagellatione, quasdam verò pœna pecuniaria, sicut patet ex præcedentibus. Et ideo illud, quod dicit Apostolus, intelligitur de præuaricatione illarum legum, in quibus pœna mortis erat statuta, non de alijs. Vel intelligit Apostolus de transgressione legis sanctificatorũ, pro qua determinabatur pœna mortis in lege: *Anima polluta,* Leuit. 17.

qua ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de pop. lis suu. Et iterum: *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* Et iterum: *Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit.* De hac igitur præuaricatione intelligit Apostolus, vnde dicit: *Irritam quis faciens legem Moysi, &c.* moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamẽti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? Ex quo patet, quod intelligit de lege sanctificatorum, quę significabant sacrificium Christi, & sacramentum sanguinis.

Ibidem. Ibidem. Hebr. 10.

¶ Item obijcitur de alia parte legis: *Non offeres mercedẽ prostibuli, nec pretium canis.* Nam qđ meretrici datur, repeti non potest: ergo iustè possidet, quod sibi datur: ergo de illo potest eleëmosynam facere, & Deo offerre.

Deut 23.

¶ Item, dicit lex humana: *Turpiter facit meretrix, cùm sit meretrix: non tamen turpiter accipit.* Si ergo non turpiter accipit: de accepto sine turpitudine offerre potent.

Lex humana.

¶ Respon. Ad primum: iustè possi... dicitur duobus modis: vel iusta causa, vel iusto modo. M... ...ge, quod possidet ex meretricio, non possidet ex ... ...; quia ex peccato recipit illud stipendium: po... ...eu iusto modo: quia possidet vt proprium, non vt alien... Propter hoc ergo, quia merces prostibuli est ... peccati, prohibetur offerri in detestationem & abo... ...tionem meretricij.

¶ Ad secundum verò, quod dicit: quòd non turpiter recipit. Similiter intelligitur duobus modis: turpiter enim recipit, quia ex turpi causa & actu stipendium percipit: nõ turpiter verò recipit quantum ad hoc, vt restituendum sit.

¶ Item, quærit Augustinus, quare prohibuit offerre pretium canis. Nam commutationem primogenitorum, quam iubet fieri de immundis animalibus, Exod. 13. id est, equis & asinis, quæ adiuuant hominem (vnde & iumenta dicuntur) de cane & de porco noluit fieri. Quærit ergo, si de omnibus talibus commutationem voluit: quare hic solum canem excipit.

Exod. 13.

¶ Respon. In lege quædam offerebantur de animalibus, nec redimebãtur, vt animal immolabile, Leuit. vlt. *Animal, quod immolari potest Domino, mutari non poterit: vt bos, & ouis.* Quædam verò non offerebantur, sed redimebãtur: vt animalia immunda, quæ dicuntur iumẽta, eo quod sint homini in adiumentum. *Si immundum animal est; redimet, qui obtulerit.* Exod. 24. *Primogenitum asini redimes oue.* Quædã verò nec offerebantur, nec redimebantur, vt canis. Et hoc duplici ratione: vna est literalis, quia talibus animalibus maximè vtebantur idololatræ in sacrificijs, & cultu idolorum: & ideo ad detestationem idololatrię huiusmodi animalia & eorum pretium Dominus offerri prohibuit. Alia verò ratio est moralis: quia per canẽ significatur rapacitas: de rapina autem non potest fieri oblatio, Eccles. 34. *Dona iniquorum non probat altißimus.* Et iterum: *Qui offert sacrificium de substantia pauperum: quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

ca. vlt. Exod. 24. Eccl. 34.

¶ Item secundum legem quædam personæ reputabantur infames, non ex culpa propria, sed ex defectu significante culpam, vel conditione consequente culpam alienam. Ex defectu significante culpam infamis erat carens membris genitalibus: vnde lex Deut. 23. *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro ecclesiam Domini.* Item ex conditione consequẽte, culpam alienam reputabantur quidam infames ratione natiuitatis; vt de illegitimo thoro nati, vnde lex Deut. 23. *Non ingredietur Mamzer, hoc est de scorto natus in ecclesiam Domini vsque ad decimam generationem.* Quidam verò ratione gentis seu generis, vnde lex Deut. 23. *Amonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in ecclesiam Domini in æternum.*

Deut. 23. Ibidem. Ibidem.

¶ Circa quas leges obijcitur multipliciter: Primò, quia non videntur cõtinere iustitiam istæ leges: nam cùm exclusio ab ecclesia Domini pœna sit; defectus autem genitalium potest in aliquo esse sine culpa: similiter nasci de scorto, non est culpa nascentis, ergo lex infert pęnam sine culpa, quod iniustum est.

¶ Item quæritur, quid dicatur ecclesia? Nam si ecclesia dicitur congregatio fidelium; sine culpa autem nullus debet excludi de congregatione fidelium, ergo nõ est iustum, vt aliquis excludatur ab ecclesia propter defectum genitalium, vel propter defectum natalium.

¶ Item quæritur: cur simpliciter dicitur de eunucho, quod non intrabit ecclesiam Domini: de illo verò, qui de scorto natus est, dicitur; quod non intrabit vsque ad decimam generationem.

¶ Item quærit Aug. de alia lege: Amonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam in æternum. Cùm ergo Ruth fuerit Moabites, cõtra hanc prohibitionem admissa videtur.

¶ Si dicatur secundùm literam LXX. quam ponit Augustinus: *Amonites & Moabites nõ* intrabunt ecclesiam Domini vsque ad decimam generationem: & non intrabit vsque in æternum:* quod fortè prophetizauit, mysticè Ruth intraturam, cùm ait: *vsque ad decimam generationem.* Computantur enim ab Abrahã, cuius nepos fuit Loth, qui genuit Amonitas & Moabitas generationes decem vsque ad Salmon, qui genuit Booz maritum Ruth, videlicet Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naason, Salmon. 1. Paralipom. 2. qui genuit Booz, cui Ruth in ecclesia Domini peperit filios. Ruth vlt. cap. Sed obijcit idem Augustinus: *Cur ergo dictum est (vsque in æternum) per additionem? an quia post nulla anima de Amonitis & Moabitis intrauit in illam ecclesiam Hebræorum? quod videtur inconueniens.*

* Aliàs, intrabit. 1. Paralip. 2. Ruth ca. vlt. August. Deut. 23.

¶ Si verò dicatur aliter, sicut dicit Aug. quòd Amonitas prohibuit, & non Amonitidas, id est viros admitti, nõ fœminas, & reddit rationem; quia cùm euertissent Israëlitæ illam gentem; omnes viros occidere iussi sunt, fęminas autem non nisi eas, quæ nouerant virum: quoniam ipsæ in fornicationem subduxerunt populum: virgines verò dimiserunt, non eis imputantes culpam, qua euerti gens illa meruit, quam etiam hic commemorauit. Obijcitur etiam: ...am, sicut habetur Iudith 5. Achior erat dux omnium filiorum Amon: &, sicut dicitur cap. 14. relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circuncidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius. Ergo Achior contra hanc prohibitionem in Dei ecclesiam est receptus.

Num. 31. Num. 25. Iudith 5. & cap. 14.

¶ Item, obijcitur de hoc, quod Amonite & Moabite subdit lex: *Non facies cum eis pacem: nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ vsq; in sempiternum.* Nam hæc prohibitio videtur manifestam iniquitatem inducere: quia (sicut dicit Apostolus) *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et, *Pacem sequimini cum omnibus.* Item iuxta auctoritatem Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.*

Deut. 23. Rom. 12. Hebr. 12. Rom. 12. Prouer. 25.

¶ Respon. Ad primum dicendum: quòd pœna iustè infertur sine culpa, non tamẽ sine causa, sicut patet in multis exemplis, vt in Cæco nato, & Paulo. Dicendum igitur, quòd ecclesia excluditur secundùm prædictam legem eunuchus & spurius, non pro culpa ab eis commissa: sed pro culpa significata excluditur eunuchus: significat enim illũ qui molliter viuit, nec virile opus perficit: & hęc causa sufficiens est legi, quę deseruit figuræ: quamuis alia iterũ causa sit: sicut iam dicetur. Pro culpa verò detestanda, sed non propria excluditur spurius, in detestationem (videlicet) illegitimi coitus.

¶ Ad secundum verò dicendum: quòd excluditur quis à societate fidelium simpliciter, cùm non recipitur ad communionem orationis beneficentię ritus, quem habent fideles: & hoc modo sine culpa non excludebantur à communione fidelium, siue ecclesia. Item excluditur quis, cùm non recipitur ad pactum confœderationis fidelium, vt ad matrimonium: & hoc modo eunuchus propter impotentiam generationis, quæ est opposita bono matrimonij, quod est bonum prolis, dicitur excludi ab ecclesia: hoc est, ne per matrimonium ecclesiæ Dei seu cõgregationi fidelium adiungatur. Simili modo mamzer, seu spurius, propter infamiam generationis efficitur irregularis, & excluditur; ne per pactionem coniugalem ecclesiæ societur.

¶ Ad

¶ Ad tertium dicendum, quòd eunuchus simpliciter excludi dicitur, quia nec in se, nec in successore potest per coniugium ecclesiæ sociari. Spurius verò, quamuis non in se copulari possit propter infamiam; tamen potest in successore: veruntamen non copulabitur filiabus Israël, nec filius eius de legitima, nec nepos, vsq; ad decimũ successorem: quando memoria antiqui opprobrij, seu infamiæ penitus erit extincta.

¶ Ad quartum, quod obijcitur de Amonite & Moabite secundùm Augustinum: Cùm Amonites & Moabites nomina sint generis masculini, per hos viri tantùm, non mulieres intelliguntur exclusi: & ideo Ruth non est copulata ecclesiæ contra hanc prohibitionem.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de Achior, dicunt quidam, quòd quamuis legatur dux filiorum Amon; non tamen legitur Amonites fuisse: ex quo accipiunt, quod quãuis Amonitis imperaret; tamen ex alia gente & natione erat, vt Ægyptius, vel Idumæus. Alijs verò videtur, quòd per susceptionem circuncisionis & rituum gentis Hebreæ specialiter dispensatum est cum Achior, vt aggregaretur ecclesiæ & collegio Hebræorum, quamuis esset de genere Amonitarum.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod illla legis particula: non facies cum eis pacem, non quæres eis bona: (Deut. 23.) intelligitur duobus modis: Vno modo secundùm acceptionem animæ carnalis, & sic accipitur literaliter: & dicitur secundùm permissionem, non secundùm perceptionem: & secundùm hunc sensum accipitur illud quod dicit Domin⁹: *Odio habebis inimicũ tuum, dictum est antiquis.* (Matt. 5.) Alio modo secundùm acceptionem animæ spiritualis: & tunc intelligitur spiritualiter: vt non quæratur pax, nec bonum; quo foueantur in malis, sed aduersemur eis inquantum mali sunt, & odio habeamus, secundùm quod dicitur: *Perfecto odio oderam illos:* (Psal. 138.) quamuis diligamus eos, inquantum homines sunt. Vnde Augustinus: *Ista duo nomina, cùm dicitur* (homo peccator) *non frustra dicuntur: quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere: nec omnino liberabis hominẽ, nisi cùm persecutus fueris peccatorem.*

¶ Sic igitur terminatur hæc pars, in qua quæritur de legibus iudicialibus circa gradus & differentias personarum.

QVÆSTIO XLIX.

De Præceptis Iudicialibus, circa possessiones rerum.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER quærendum est de legibus circa possessiones rerum. Res autem quædam sunt acquisitæ, quædam hæreditariæ: & de vtrisque dantur leges iudiciales. De rebus ergo acquisitis datur lex, loquens de Rege, Deut. 17. (Deut. 17.) *Non habebit Rex auri & argenti immensa pondera.* De rebus hæreditarijs datur lex, Deut. 18. (Deut. 18.) *Non habebunt sacerdotes & Leuitæ partem & hæreditatem cum reliquo populo Israël.*

MEMBRVM I.

An licitum sit thesaurizare?

PRIMÒ quæritur quantum ad primam legem, quæ est de rebus acquisitis, seu rebus mobilibus: Vtrùm licitũ sit thesaurizare? Quòd nõ, videtur: per prædictam legem. Nam si prohibitum est Regibus thesaurizare, de quibus maximè videtur, & hoc per prædictam legem: *Non habebit auri & argenti immensa pondera:* (Deut. 17.) ergo multo magis prohibitum est cæteris.

¶ Item, Matth. 6. (Matt. 6.) *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c.* quod omnibus generaliter dicitur.

¶ Item, per reprehensionem dicitur in Psal. 38. (Psal. 38.) *Thesaurizat, & nescit cui congregabit ea.*

¶ Contra, dicit Apostolus, quòd parentes debent (2. Cor. 12.) thesaurizare filijs, non filij parentibus: quod non diceret, si non esset licitum thesaurizare.

¶ Item: *Vtilior est sapientia cum diuitijs; & magis prodest videntibus solem: sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia.* (Eccles. 7.) Ergo propter protectionem & defensionem Regi licitum erit thesaurizare.

RESOLVTIO.

Thesaurizare affectu auaritiæ & cupiditatis, nemini licitum est, nec laicis, nec clericis. Thesaurizare autem ex solertia prouidentiæ propriæ necessitatis, vel publicæ vtilitatis, licitum quidem est laicis; sed non propriè clericis.

RESPON. Thesaurizat aliquis ex affectu auaritiæ & cupiditatis, absque omni intentione necessitatis propriæ, vel alienæ: & hoc modo thesaurizare omnibus est prohibitum. Vnde dicit Glos. supra prædictam legem *(non habebit auri & argenti immensa pondera,)* (Deut. 17. Glos. ibi.) *vltra mensuram necessitatis.* sugillat enim auaritiam, & secundùm hoc dicit B. Iacobus: (Iacob. 5.) *Agite nunc diuites, plorate, &c.* & subdit: *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit, &c.* & subdit: *Thesaurizastis vobis iram.* Item thesaurizat quis ex solertia prouidentiæ: & hoc vel consideratione necessitatis, vel consideratione publicæ vtilitatis. Consideratione necessitatis conceditur parentibus secularibus ob necessitatem filiorum educandorum, vel filiarum coniugio tradendarum, non autem ditãdarum: sed seruato modo & statu personæ. Consideratione publicæ vtilitatis, vel regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi; concessum est Regibus thesaurizare. Vnde de causâ regni defendendi loquitur auctoritas prædicta Ecclesiastici 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Causa verò cultus diuini ampliandi, hoc est, ædificandi templum Deo, legitur thesaurizasse Dauid, 1. Paralipom. 29. (1. Paral. 29.) *Locutus est Rex Dauid, &c. ego totis viribus præparaui impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea, & argentum ad argentea, &c.*

¶ Personis verò ecclesiasticis propriè nunquam thesaurizare licet; quia non licet eis accumulare pecunias, nec pecuniam tenere intentione seruandi; vnde beatus (Amb. lib. de offic. dist. 12. q. 2.) Ambrosius: *Aurum ecclesia habet, non vt seruet; sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus: quid enim opus est custodire, quod nihil iuuat?* Item Hieronymus: (Hieron.) *Cùm Socrates Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit: neq; enim putauit se posse virtutes simul & diuitias possidere: nos subfascinati auro, Christum pauperem sequimur.* Et subdit: (Idem.) *Quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reseruamus* (loquitur contra clericos.) Qualiter autem clerici absq; superfluo possidere debeant huiusmodi temporalia, inquiretur infra, cùm de præceptis Euangelicis disputabitur.

MEMBRVM II.

An Sacerdotes & Leuitæ veteris Testamenti potuerint, possintq; nunc, qui noui Testamenti sunt, hæreditarias res possidere?

ITEM quæritur de secunda lege circa res hæreditarias: Vtrùm sacerdotes & Leuitæ, siue personæ ecclesiasticæ possunt res * hæreditarias possidere? (* al. hæreditatẽ.) Quòd non, videtur per prædictam legem.

¶ Item, dixit Dominus ad Aaron: (Num. 18.) *In terra eorum nihil possidebitis: nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.*

¶ Item: *Filijs Leui dedi omnes decimas Israël, &c.* (Ibidem.) & subdit: *Nihil aliud possidebunt, &c.* Ergo cùm incomparabiliter sacerdotes & Leuitæ Euangelici teneantur esse perfectiores sacerdotibus & Leuitis veteris Testamenti: nihil poterunt hæreditariè possidere.

¶ Item Rabanus super illam legem: (Raban. su per Deut. 18.) *Non habebunt sacerdotes, &c.* dicit: *In veteri & nouo testamento ministris altaris præceptum est de oblationibus & decimis viuere: nec terrenis possessionibus acquirendis concessum est tubiare.* (Raban. Matt. 10.) Vnde, *Nolite possidere aurum, neq; argentum.*

¶ Item Hieronymus: (Hiero. ad Nepotianum.) *Qui Dominum possidet, & dicit cum propheta: Pars mea Dominus; nihil extra dominum habere potest: quòd si quippiam aliud præter Dominum habuerit; pars eius non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellecti-*

supellectilem, cum istis partibus Dominus non dignatur fieri pars eius.

Idem ad eundem. ¶ IDEM Hieronymus: *Si ego Domini pars sum, & funiculus hæreditatis eius; propriè non accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & sacerdos viuo de decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor: habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* (1. Tim. 6.) Ex his ergo videtur, quòd clerici ecclesiarum nullo modo possunt terras habere, vel iustitias seculares.

Deut 18. ¶ ITEM ad idem: *Sacrificia Domini, & oblationes eius comedent: & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum.*

Iosue 13. ¶ ITEM Iosue 13. *Tribui Leui non dedit Dominus possessionem: sed sacrificia & victima Domini Dei Israël, ipsa est eius hæreditas.*

Num. 35. ¶ CONTRA, Num. 35. *Præcipe filijs Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana pecoribus ac iumentis.* Ergo ex lege Dei Leuitæ possidebant ciuitates, & suburbana.

Leuit. vlt. ¶ ITEM Leuit. vlt. *Si quis agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino, & non fuerit redemptus: cum iubilei venerit dies, sanctificatus Domino erit: & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum.* Ergo ex hac lege sacerdotes veteris legis poterant possidere agros, & alia, quæ Domino vouebantur.

¶ IDEM Act. 4. *Ioseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, &c.* quod non faceret nisi dominium agri suum esset.

Can. Concilij Agathen. dist. 12. q. 1. ¶ ITEM, dicit Canon Concilij Agathen. *Episcopi de rebus proprijs, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant.* Ergo Episcopi, qui inter personas ecclesiasticas seculares videntur esse perfectiores: possunt hæreditaria possidere.

¶ ITEM, Sacerdotes & Leuitæ orientalis Ecclesiæ vxores habent, & filios generant. Si ergo paterna successione, vel alio modo nihil hæreditariè possiderent; filij eorum legitimè nati exhæredati remanerent: quod est inconueniens.

¶ ITEM, in Canonibus Apostolorum legitur: quòd Episcopus habet potestatem moriens, de rebus proprijs, quibus voluerit, & sicut voluerit, relinquere: fortassis enim aut vxorem habet, aut filios, aut propinquos. Iustum enim est apud Deum & homines: vt nec Episcopus, vel eius propinqui proscribantur, sub obtentu Ecclesiæ. Ex quibus relinquitur, quòd Episcopi & cæteri clerici maximè possunt hæreditaria possidere.

¶ ITEM, Reges terræ possunt vouere terram aliquam & dominium ad conferendum Ecclesiæ. Ergo secundùm legem, Leu. vlt. Poterit Ecclesia seu personæ ecclesiasticæ terram illam & dominium possidere. Possunt ergo præter decimas & oblationes possidere alia: quod quidem videtur esse contra leges prædictas.

RESOLVTIO.

Sacerdotes & Leuitæ veteris testamẽti præter particulam illam terræ sorte cum cæteris tribubus obtentam: Sacerdotes pariter & Leuitæ noui testamenti præter hæreditatem à parentibus sibi legatam; nihil hæreditariè possidere dicendi sunt.
Si quidem omnes (tum maximè hi) omnia cum pauperibus habere debent communia.

¶ RESPONDEO. In veteri testamento possidebatur terra ratione factæ distributionis & diuisionis secundùm sortes per tribus, quæ per successionem iure hæreditario debebat ad posteros pertinere: & secundùm hoc intelliguntur prędictæ leges, quòd sacerdotes & Leuitę non habebant partem nec hæreditatem cum reliquo populo Israël: & similiter quod dicitur: *Præter sacrifitia & oblationes nihil aliud accipient*, supple, ratione diuisionis terræ primò factæ per tribus. Item possidebatur terra ratione & titulo donationis, subsequentis diuisionem terræ: & secundùm hoc Leuitæ possidebant vrbes & oppida ad manendum, & suburbana ad pascẽdum pecora: sicut habetur Num. 35. (Num 35.) Item, possidebatur terra ratione & titulo oblationis factæ Deo: & secundùm hoc Leuitæ possidebant agros, qui vouebantur Deo, & non redimebantur infra iubileum, Leuit. vlt. (Leuit. vl.) Item, possidebatur terra titulo emptionis, seu acquisitionis: & hoc modo poterant Leuitæ acquirere terras: nec tamen propter hoc diceretur hæreditatem accepisse inter fratres: quemadmodum dicitur Gen. 23. quod Abraham plantauit nemus: vbi dicit Glos. *Abraham* (sicut Stephanus dicit Actuum 7.) *non acceperat hæreditatem ibi, nec spatium pedis: intelligenda est ergo hæreditas, quam Deus erat sibi daturus, & suis posteris, ex gratia, non pretio empta.* (Gen. 23. Gl. ord. & est Aug.) Ex his igitur patet; quod illa, quæ possidebant Leuitæ ratione donationis subsequentis ad diuisionem terræ promissionis; vel quæ possidebant nomine eleëmosynæ, seu oblationis; vel quę possidebant titulo emptionis; non dicebantur iure hæreditario possidere.

¶ ITEM, Leuitæ & sacerdotes noui Testamenti quædam possident titulo & nomine ecclesiæ: & ista non possident hæreditariè, sed titulo commendationis: commendata enim sunt eis temporalia ecclesiæ sicut dispensatoribus & procuratoribus, vnde Augustinus ad Bonifacium: (Aug. ad Bonifac.) *Si priuatim ea, quæ nobis sufficiunt, possidemus: non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus: non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* (priuatum verò appellat beneficium ecclesiasticum separatum, & singulari personæ commissum.) Quædam verò possident titulo emptionis, & nomine acquisitionis: vt ea, quæ eis proueniunt solertia sua, & exercitio sui laboris: & etiam ista nõ dicuntur hæreditariè possidere. Item quædam possident ratione successionis à suis parentibus: & hæc tãtùm dicuntur iure hęreditario possidere. Res autem, quas possident nomine ecclesiæ; nec possident hæreditariè, nec possunt hæredibus relinquere: secundùm quod dicit Canon Concilij Agathen. (Can. Cõcilij Agathen. Idem dis. 12. q. 1.) *Res verò, quas possident per acquisitionẽ, non possident hæreditariè, sed possunt ea hæredibus, vel quibuscunq; relinquere:* vnde Canon dicit: *Episcopi de rebus acquisitis, quod habent, hæredibus suis si voluerint, derelinquant. Res verò, quas possident ratione paternæ successionis; possident hæreditariè, nec possunt hæredibus non relinquere.* Vide Hierem. 32. (Ierem. 32.) *Posside agrum meũ, qui est in Anathoth: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt possideas.*

¶ AD illud ergo, quod obijcitur: quòd perfectiores debent esse Leuitæ & sacerdotes noui Testamenti, quàm veteris. Concedendum est: quia tam illa, quæ possident nomine ecclesiæ (quæ possidentur titulo pauperum, sicut dicit Hieronymus, quòd res ecclesiæ res pauperum sunt) (Hieron.) quàm alia, quæ possident sicut propria, vel per acquisitionem, vel hæreditariè, debent habere sicut communia cũ pauperibus; quamdiu ipsa possident: vt ea, quæ possident propria, possideant sicut communia. Et hoc modo intelligitur Canon Vrbani Papę: (Can. Vrbani Papæ dist. 12. q. 1.) *Scimus, quia hactenus vita communis inter Christianos viguit: & adhuc gratia Dei maximè viget inter eos, qui in sorte Domini sunt electi*, id est clericos: sicut legitur in Apostolorum Actibus: *Erant illis omnia communia.* (Act. 4.)

¶ SIMILI modo ad illud quod dicit Rabanus, dicendum; quòd Leuitis noui vel veteris Testamenti non est cõcessum possessionibus acquirendis inhiare, affectu scilicet cupiditatis, vel studio secularis negotiationis.

¶ AD illud, quod dicit beatus Hieronymus, respondent, quod intelligitur de clericis, qui seculo abrenunciauerunt. Sed potest dici, quod intelligitur de omnibus: quia debent possidere, quæ possident, quasi non possidẽtes per contemptum rerum, & sollicitudinum terrenarũ; prout dicit Apostolus: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* (2. Cor. 6.)

¶ AD alia verò obiecta patet solutio. Nam si clerici possident terram & iustitiam secularem; ex ea parte, qua sunt clerici, non possident ista hæreditariè. Aut enim ista possident titulo ecclesiæ: & tunc non hæreditariè, quia titulo eleëmosynæ vel oblationis ista possidet Ecclesia. Aut paterna successione: & tunc non possident ista, inquantum clerici; id est, in sortem Domini vocati.

(***)

MEMBRVM III.

An leges iudiciales de communicandis, distribuendisq́; rebus antiquitùs apud Hebræos obseruatæ, & nunc apud nos obseruandæ sint?

INQVISITO de rebus possidendis; quærendum est de legibus iudicialibus in rebus distribuendis, seu communicandis: de quibus datæ sunt plures leges iudiciales. [Exod.23.] Nam Exod. 23. dicitur: *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius: septimo autem anno dimittes eam, & quiescere facies: vt comedant pauperes populi tui.* Constans autem est, quòd lex ista plena pietate est; qua præcipitur, vt in septimo anno communicent suas possessiones. Cùm ergo præcepta pietatis semper sint obseruanda: istud erit modò obseruandum.

[Leuit. 23.] ¶ ITEM, similis lex est de die octauo Scenophegiæ, de quo dicitur; quod erat sanctissimus atq; celeberrimus: est enim cœtus atq; collectę. Et intentio huius præcepti erat, vt illo die fieret collecta ad sustentationem pauperum, & ędificationem tabernaculi: & constat quòd istud similiter plenum pietate est, ergo esset seruandum.

[Leuit. 25.] ¶ ITEM Leuit. 25. datur præceptum, quòd in anno iubileo debeat fieri restitutio possessionum, manumissio seruorum: quod similiter plenum pietate est.

[Leuit. 25.] ¶ ITEM, Leuit. 25. dicitur: *Postquam messueritis segetē terræ vestræ, non secabitis eam vsq; ad solum; nec remanentes spicas colligetis: sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas.* [Glossa.] Glos. *Hæc pietate plena sunt.*

[Deut.15.] ¶ ITEM Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Cùm ergo istud præceptum sit piissimum, maximè erit obseruandum.

[Galat.4. Glossa.] ¶ CONTRA, Gal. 4. *Dies obseruatis & annos.* Glos. Hieron. *Puto equidem hoc de septimo remissionis anno dici, Deut. 15. & de quinquagesimo, qui ab illis dicitur Iubileus.* Ergo ipse Apostolus reprehendit Galatas de obseruantia prædictarum legum; ergo non sunt obseruandæ tempore gratiæ.

[Ioan 12. Deut 15.] ¶ ITEM Ioan. 12. dicitur: *Pauperes semper habebitis vobiscum.* Et iterum Deut. 15. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Ergo non est seruandum prædictum præceptum, [Ibidem.] *omnino indigens & mendicus non erit apud te.*

RESOLVTIO.

Non omnes obseruandæ sunt, sed quædam.

¶ RESPONSIO. In præceptis iudicialibus de rebus communicandis quædam erant figuralia, quædam literalia & moralia, sed tamen imperfecta: & hoc dupliciter. Nam quædam sic erant imperfecta, vt adueniente perfectione, essent mutanda: quædam verò sic erant imperfecta, vt adueniente perfectione essent perficienda: quædam verò erant perfecta secundùm illum statum; sed adueniente perfectione maiori, per statum quasi contrarium erant euacuanda. Dicendum ergo, præceptum de obseruatione anni septimi, & octauæ diei Scenophegiæ, & anni iubilei erant præcepta figuralia, quantum ad formam pręcepti; quæ erat de obseruantia temporis in figura: quamuis determinatio præcepti esset moralis, vt scilicet pauperes sustentarentur & fouerentur: & ideo, sicut ostendit A[Galat.4.]postolus Gal. 4. non sunt ad literam obseruanda: adueniēte enim veritate, debet cessare figura.

¶ ITEM, præceptum de non secanda segete vsque ad solum, & de spicis remanentibus pauperibus dimittendis, ad literam præceptum pietatis est: sed adueniente perfectione Euangelij, qua tenemur non solùm spicas remanentes, sed ipsum frumentum de horreo tenemur indigētibus pauperibus cōmunicare in necessitate; dum facimus quod plus, cessat id quod minus est.

¶ ITEM, præceptum de mutuando fratri, secundùm literam pietatis: sed imperfectum est in hoc, quod solùm [Deut.15.] præcipitur mutuum dandum fratri, Deut. 15. *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.* Adueniente verò perfectione Euangelij, non euacuatur, sed perficitur: cùm dicitur Luc. 6. *Diligite inimicos vestros, & benefacite, &c.* & *Mutuum date, nihil inde sperantes:* in quo [Luc.6.] iubet mutuum dari, etiam inimico, in casu (scilicet) necessitatis. Et similiter Matth. 5. dicitur generaliter: *Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris.* [Matt.5.]

¶ ITEM, præceptum, quo dictum est: *Non erit indigens & mendicus inter vos*, id est destitutis auxilio, & quærens panem per ostia: perfectum est quantum ad statum perfectionis illius populi, qui per bona temporalia ad salutem attrahebantur: vnde eis fiebat promissio temporalium, Esai. 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Adueniente verò perfectione maiori populi Christiani, quibus paupertas & abdicatio temporalium beatitudo est, Matth. 5. *Beati pauperes, &c.* cessat istud præceptum: quia in vita Christiana esse indigentem & mendicum: non est esse miserum, sed beatum, vnde dicit Origenes super Genes. *Terra sacerdotum à Rege tradita fuit eis, quibus statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: Pharao terras suis concessit, Christus abstulit suis. Iosue tribui Leui non dedit possessionem, quia Dominus Deus ipse est possessio eius: Christus dicit. Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. [Deut.15.] [Esai 1.] [Matt.5.] [Orig. super Gen. 47.] [Luc. 14.]

¶ PER hæc igitur patet solutio ad obiecta: nam ad illud, quod primo obijcitur de communicatione terræ in septimo anno quantum ad formam præcepti, qua præcipitur obseruatio temporis, figura est. Vnde Exod. 23. super illud præceptum dicit Glos. In senario perfectio operum, in septenario requies animarum exprimitur. Vnde ergo sex annis seminare terram, & congregare fruges eius præcipimur: quia in præsenti vita, quæ sex ætatibus constat, terram carnis nostræ exercere, & virtutum semen in ea serere debemus: vt in futuro vitam æternam accipiamus. Et ideo quantum ad formam præcepti non est obseruandum: quantum verò ad rationem determinationis, quæ est communicatio bonorum pauperibus: non solùm anno septimo, sed omni tempore, cùm necessitas est, obseruandum est. [Glos. super Exo. 23.]

¶ SIMILI modo ad illud, quod obijcit de octaua die Scenophegiæ: quod est cœtus atque collectæ. Dicendum, quod figura est octauę resurrectionis: in qua suppletur defectus meritorum in imperfectis per abundantiam meritorum in perfectis.

¶ SIMILI modo dicendum de Iubileo: quod figura fuit remissionis faciendæ per Christum: per quam patres sancti de limbo inferni redierunt. Quod verò præcipitur de manumissione seruorum, quod pietatis est, & restitutione possessionum: ratione abundantioris perfectionis in statu Christianitatis: in quo beatificatur paupertas & cōtemptus possessionum, & prædicatur humilitas & subiectionis meritum, non seruatur.

¶ AD reliqua verò omnia patet solutio ex iam dictis.

¶ SED tamen adhuc quæret aliquis de illo iudiciali pcepto pietatis, Deut. 24. *Non pernoctabit apud te pignus fratris tui, si pauper est; sed statim reddes ei.* Et iterum: *Cùm repetis à proximo tuo rem aliquam, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille proferet.* Quæret ergo, cur non potiùs præcepit creditori, vt non auferat pignus: quod eodem die restituendum est? Si dicatur, quod ad compellendum debitorem hoc fieri voluit. Obijcitur: quomodo ergo debitor vrgetur ad reddendum, cùm sciat se pignus eadem die recepturum. [Quæstio lateralis. Deut. 24. Ibidem.]

¶ RESPON. secundùm Augustinum: quòd propter memoriam hoc fieri voluit lex, ne scilicet debitor obliuiscatur reddere: maximè qui misericordia creditoris vincitur (cui non debet esse ingratus) si pignus receperit, in [illegible] dormiat. [August.]

(*,*)

QVÆSTIO L.

De Præceptis Iudicialibus, circa actiones.

In tria Membra diuisa.

D.Tho. 22. q.70 Sco in 4. d.15. q.2. art.1. & 2.

QVÆSITO de legibus iudicialibus pertinentibus ad ad statum personarum, & ordinem rerum: quærendum est de legibus iudicialibus circa ius & debitum actionum. Actiones autem hic dicimus, per quas inter homines mutua indigentia supplebatur: vt negotiationes, & contractus venditionis, & emptionis, mutui, commēdationis, & conductionis, siue locationis.

Leuit. 19. Deut. 25.

¶ CIRCA contractum venditionis data est lex Leuit. 19. *Statera sit iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius.* Et iterum Deut. 25. *Pondus habebis æquum, & iustum: & modius æqualis & verus erit tibi.*

Deut. 23. Ibidem.

¶ CIRCA contractum mutui dicit lex Deut. 23. *Fratri tuo absque vsura ad, quod indiget, commodabis.* Et iterū in eodem: *Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram, sed alieno.*

Exod. 22.

¶ CIRCA contractum commendationis seu depositionis dicit lex Exod. 22. *Si quis commendauerit pecuniam amico suo, vel vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint; si inuenitur fur, duplum reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos: & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui, &c. & si illi iudicauerint, duplum restituet.* Et sequitur ibidem alia lex: *Si quis commendauit proximo suo omne iumentum ad custodiendum, & debilitatum fuerit, vel mortuum, aut captum ab hostibus iusiurandum erit in medio, quod non extenderit in rem proximi manum, & reddere non cogetur:* & cætera, quæ ibi distinguit lex.

Ibidem. Deut. 24.

¶ CIRCA contractum conductionis, & accommodationis, & locationis dicit partes lex Exod. 22. *Qui à proximo suo iumentum aliquod mutuò postulauerit: & debilitatum, seu mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur: quòd si dominus præsens fuerit, non restituet: maximè si conductum venerat pro mercede operis sui.* Item, dicit lex Deut. 24. *Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui.*

¶ CIRCA partem istam quæritur primò generaliter: vtrùm negotiatio sit licita? Secundò, vtrùm clericis in aliquo casu sit licita? Tertiò specialiter de prædictis contractibus multipliciter dubitatur.

MEMBRVM I.

An negotiatio, siue negotiari licitum sit?

Chrysost. super Matt. 21.

QVÆRITVR ergo primò: Vtrùm negotiatio, siue negotiari sit licitum? Ad quod sic Ioan. Chrysost. *Ejiciebat vendentes, & ementes,* dicit: *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, significauit quòd mercator nunquam potest Deo placere: & ideo nullus Christianus debet esse mercator.*

Idem in eodem. Psal.

¶ IDEM Chrysostomus: *Si quis voluerit esse mercator, proijciatur de ecclesia, dicente Propheta:* (secundùm interpretationem LXX.) *Quoniam non cognoui negotiationes: introibo in potentias Domini.*

Idem ... mil. 28.

¶ ET iterum: *Ostendam, qui non est negotiator: vt qui talis nō fuerit, eum intelligas, non esse negotiatorem.* Et subdistinguit sic: *Quicunque rem comparat, non vt integram & immutatam vendat: sed vt materia sit sibi inde aliquid operandi: ille nō est negotiator: & ponitur exemplū, vt iste emit tabulas vt faceret scrinium: vel chartas vt facerent librum. Qui verò rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator qui de templo Dei ejicitur.* Si ergo ferè omnes negotiatores sunt tales, negotiari erit illicitum vniuersaliter.

Cassiod. super Ps. 70. Ioan. 2.

¶ ITEM Cassiod. super illum locum Psalm. 70. Quoniam non cognoui literaturam, dicit: *Quid est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius velle distrahere?* Et subdit: *Negotiatores tales eiecit Dominus de templo, dicens: Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Ex quibus videtur relinqui, quòd negotiari vniuersaliter sit illicitum.

Aug in lib. quæst. noui & vet. testam.

¶ CONTRA, Augustinus: *Fornicari hominibus semper nō licet, negotiari aliquando licet, aliquando non.*

* al. debitè. * al. ex illo. Psalm. 70 August. Luc. 10.

¶ ITEM, negotiatio potest fieri * licitè, vnde Aug. * in illo loco Psal. 70. Quoniam non cognoui negotiationes, &c. arguit sic: Ergo non negotientur Christiani, (& respōdet) Sed ait negotiator; affero ex longinquo merces, mercedem laboris mei, vnde viuam, quæro: dignus est autem mercenarius mercede sua. Ex hoc ergo relinquitur, quod iustè possum aliquid viliùs comparare, & cariùs velle vendere.

Psalm 70 August. super ibi.

¶ IDEM in Glos. super istud idem Psal. 70. Quoniam non cognoui literaturam (alia litera negotiationem,) &c. *Non approbaui quæ faciunt auidi negotiatores: nam auidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretijs rerum mentitur, & peierat: sed hæc vitia sunt hominis, non artis: quæ sine his vitijs agi potest: sicut & in omnibus artibus malè agitur, non ex eis, sed ex hominibus* De alia ergo negotiatione hoc dicit, &c. negotiatores ergo dicit de suis actibus præsumentes. Relinquitur ergo, quòd negotiari est licitum: si fiat sine mendacijs, & periurijs.

Cassiod super Ps. 70. August. in exposit. eiusdem Psalm.

¶ ITEM, si propter mendacia & periuria culpantur negotiatores, sicut dicit Cassiodorus super prædictum locū: *Negotiatores illi abominabiles existimentur, qui per immoderatam ambitionem pecunia polluuntur: merces suas plus periurijs onerando, quàm pretijs.* Objicit Augustinus super eundem locum in Originali, loquens in persona negotiatoris sic: *Ego mētior, non negotium: possum enim sine mendacio dicere; tanto vendam: si placet, eme? quomodo ergo reuocas me à negotiatione: quò enim vocas, quando hinc reuocas? omnes namque artifices mentiuntur: sutores; agricolæ, &c.* Si ergo propter mendacia sutorum & agricolarum non culpatur ars sutoria, vel agricultura: ergo propter mendacia negotiatorum non debet culpari negotiatio.

Idem super Ps 70.

¶ ITEM, si propter auiditatem & cupiditatem acquirēdi culpatur negotiatio; quia scilicet negotiatores optant tempus carum, vt possint cariùs vendere annonam, quam seruauerunt. Objicit Aug. super eundē locum in originali: *Hoc non faciunt boni negotiatores, sicut nec boni agricolæ: ista enim enim sunt peccata hominum, non rerum. Negotiatio igitur non me facit malum: sed iniquitas mea, & mendacium meum.*

Philosop. ex 1 Poli. c. 5. & 6. Idem.

¶ ITEM, dicit Philosophus: *Cùm quilibet homo quampluribus rebus indigeat, quas non potest per se ad sufficientiam vitæ perquirere, vt victu, vestitu, domo, & huiusmodi: non est homini vita, nisi fuerit aggregatio* (supple cum alijs hominibus) *& non erit aggregatio hominum vtilis in vita, nisi fuerit connegotiatio. Connegotiatio est supplens defectū vniuscuiusque, cōnegotiantium: qui sūt diuersificati in arte; vt agricola indiget medico, cùm est ei necessaria medela: & medicus indiget agricola propter cibum: similiter domificator indiget artificio calceamentorum, & econuersò.* Et iterum: *Quod est apud vnum deficit apud alterum: vnde habens vinum, indiget tritico, & ecōuersò?* Cùm ergo connegotiatio inter homines sit ad supplendam indigentiam mutuæ necessitatis; negotiatio non erit illicita: nec mala; imò ea iure naturali ea ipsa approbabitur.

RESOLVTIO.

Negotiari cum debitis circunstantijs, personæ scilicet, causæ, modi, temporis, loci, & consortij, licitum est: absque his, illicitum.

RESPON. distinguendo: quod aliquid dicitur illicitum pluribus modis.

August.

¶ VNO modo illicitum dicitur, quod est secundùm se malum ex ipsa inordinatione actus; qualis est fornicatio, & vsura: & hoc modo negotiatio propriè accepta non est illicita, vnde Augustinus secundùm hoc dicit: Fornicari hominibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet.

¶ ALIO modo dicitur illicitum, quod est ex aliqua circunstantia malum: quod contingit pluribus modis, ex circunstantia personæ, ex circunstantia causæ, ex circunstantia modi, ex circunstantia temporis, ex circunstantia loci, ex circunstantia consortij: & omnibus istis modis

contingit negotiationem fieri illicitè, vel etiam licitè: illicitè, cum ista inordinatè in negotiatione contingunt, licitè verò cum ordinatè. Ex circumstantia ergò personæ illicita est negotiatio: cùm negotiatur Clericus: vnde August. Idem in lib. quæst. noui & vet. Test. *Antequam Clericus quis fit, licet ei negotiari: factus, iam non licet.* Ex circumstantia verò causæ illicita est negotiatio laico: cùm scilicet propter cupiditatem, vel aliquem malum finem negotiatur: in quem modum dicit Cassiodorus: Cassiod. sup. Ps. 70 *quod negotiatores abominabiles existimantur, qui per immoderatam pecuniæ ambitionem polluntur*: & sicut dicit August. August. *illi, qui optant carum tempus: vt possint cariùs vendere.* Et circumstantia etiam modi negotiatio illicita est: quando exercetur cum mendacijs & periurijs; Chrysost. super Matt. 21. secundùm quod dicit Chrysosto. *mercator sine mendacio & periurio esse non potest*, id est, vix potest. Ex circumstantia verò temporis illicita est negotiatio cùm fit diebus solennibus & festiuis, orationi & vacationi diuinæ deputatis; quia est contra præceptum de sanctificatione Sabbati, id est, vacationis Deo. Exod. 20. Deuter. 5. Exod. 20. & Deu. 5. *Non facies in ea quicquam operis*, &c. Ex circumstantia loci Matth. 21. illicita est, cùm fit in loco diuino cultui deputato. Matth. 21. Dominus eiecit ementes & vendentes de templo. Ex circumstantia etiam consortij est negotiatio illicita, cùm scilicet carius venditur res transeuntibus, quam manentibus: Concil. Alban. vnde dicit Concilium Alban. *Presbyteri plebes suas moneant, vt hospitales sint: & non cariùs vendant transeuntibus, quam mercato vendere possent.* Licitè verò negotiatio fit, cùm exercetur à congrua persona, vt laica; & necessaria vel pia causa, vt scil. possit sibi & suæ familiæ in necessarijs prouidere, aut opera misericordiæ exercere; & debito modo, scil. sine mendacio & periurio, & tempore competenti, vt die non festiua, & loco concesso & tali exercitio apto; & iusta existimatione rei & commertio, prout communiter venditur in illa ciuitate vel loco, in quo negotiari contingit: & secundùm hoc dicit Canon ex Epistola Clemētis: quod negotia mundana, & secularia opera sibiinuicem exhibeant vacantes laici. Et iterum in alio Canone ex eadem Epistola. Canon ex epist. Clement. *Vnicuique laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi in his, quæ ad communis vitæ vsum pertinent, operam fideliter dederint*: fideliter autem dare operam est; cum debita causa, debito modo, &c. negotiatio exercetur.

¶ Ad primum ergò, quod dicit Chrysost. quod mercator nunquam potest Deo placere: & quod proiiciatur de Ecclesia. Intelligitur de illo, qui cum mendacijs & periurijs negotiatur: vnde statim subdit. Chry sost. *Mercator sine mendacio & periurio esse non potest*, id est, vix potest. Hoc ergò dicit propter illicitum modum negotiandi.

¶ Ad aliud, quod dicit: quod qui comparat rem, vt integram & immutatam vendendo lucretur; ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur. Facienda est vis in eo, quod dicit: Idem. *rem integram & immutatam*, & in hoc quod dicit, *vt lucretur.* Nam in cuius intensione est prouisio propriæ necessitatis, & etiam attentio publicæ vtilitatis; cui conferunt negotiationes: vel affectu pietatis, vt habeat vnde sustentet pauperes: in eius intentione non est finis vltimus lucrum: sed magis sustentationis necessitas, vel vtilitas, vel pietas. In quibus verò intentio est, vt ex auaritia pecunias congregent, & diuitias acquirant: in eorum intentione finis vltimus negotiationis est lucrum: & ideò de illis intelligitur, quod dicit Chrysost. Item, si quis rem aliquam de vna regione cum labore suo transferat ad regionem aliam, quæ res in nullo deteriorata sit; rem vtique transfert integram & immutatam quantum ad substantiam: non tamen quantum ad locum: & ideò quia ratione sui laboris potest licitè quærere mercedem, non intelligetur de tali verbum Chrysost.

¶ Item, si quis rē sic comparat: vt attendat rei publicū in seruando: quia pōt deteriorari, vel igne consumi, vel à fure subtrahi: si tñ cum pdictis circūstantijs intendat ex venditione talis rei lucrari: iam ex consideratione incertitudinis euentus futuri, & susceptione periculi in emptione talis rei certitudinaliter, non cōparat rem istam, vt integram & imutatam vendendo lucretur: & ideo non de tali intelligitur, qđ dicit Chrys. Intelligitur ergo de illo, in cuius intentione finaliter lucrum est: & sine labore & sollicitudine ex auaritia acquirendi superflua sine termino & mensura, negotiatur.

¶ Ad vltimum verò, quod dicit Cassiodorus, quod negotiatio est comparare vilius; & cariùs velle distrahere: quæ reprobatur à Deo. Dicendum, quod intelligitur de illis cupidis diuitibus, qui frequenter forum rerum venalium totum sibi accipiunt; vt postea secundùm voluntatem suam cariùs alijs vendant, quàm venderetur in foro, si ipsi no emissent: & hoc faciunt de frumento, & de alijs rebus vitæ humanæ necessarijs: tales sicut Deo abominabiles: exemplo Domini essent ab Ecclesia & diuinis templis eiiciendi.

MEMBRVM II.

An Clericis in casu aliquo negotiari liceat?

Quæritvr postea. Vtrum Clericis in aliquo casu negotiatio sit licita, siue negotiari? Quod non, videtur ex prædicta auctoritate August.

¶ Item, Hieronym. *Negotiatorem Clericum, ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Hierony. in epist. ad Nepotianum.

¶ Item, Canon. Gelasij Papæ reprehendit Clericos negotiationibus intendenres, & sine pudore recolentes, quod in Euangelio Dominus negotiatores verberatos ex templo legitur expulisse. Matth. 21. Item, nec apostolica verba recensentes, quibus ait. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* 2. Timoth. 2. Item quos Dauid surda aure 2. Tim. 2. dissimulant audire cantantem. *Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini.* Psalm. 70. Ex his igitur Psal. 70. idem Gelasius, ab omnibus secularibus negotijs Clericis dicit esse cessandum: quoniam domus Dei domus orationis esse debet: ne per officia negotiationis potiùs fit spelunca latronum.

¶ Contra. dicit Canon: Canon Conc. Carth. g. dist. 91. *Clericus victum vel vestitum sibi artificiolo, vel agricultura (absque officij sui detrimento dumtaxat) preparet: Clericus enim qui absque corpusculi sui inæqualitate vigilijs deest, stipendio priuatus excommunicetur.*

¶ Item, ex Concilio: Concil. Carth. 4. *Clericus quilibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat.*

¶ Et iterum. *Omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola & litteras discant.*

¶ Item, Apostolus pro se & alijs dicit: *Laboramus, operantes manibus nostris.* 1. Cor. 4.

¶ Item, *Labores manuum tuarum: quia manducabis beatus es, & benè erit tibi.* Psal. 127. Ergò ipsi Apostoli & Prophetæ ex labore suo supplebant quòad aliqua aliorum hominum indigentiam: vt ipsi per eos in alio supplerēt suam indigentiam: vt in cibo, siue alio. Sed hoc est (sicut dicit Philosophus) cōnegatio: relinquitur igitur, quod Clericis siue quibuscunque licitum erit negotiari. Philos. 1. Polic. 5.

RESOLVTIO.

Clericis, quinimo & Monachis, si quo casu negociari licet, hoc non est, nisi de rebus dono datis, vel de rebus, quarum totus valor est, aut ex artificio, aut ex materia & artificio.

¶ Respon. Negotiatio seu mercatio dicitur pluribus modis. Communiter & impropriè circa contractum acquisitionis per mutuum: propriè circa acquisitionem per contractum emptionis & venditionis: minus propriè circa acquisitionem in contractu venditionis. Primò modo vsura dicitur mercatio seu negotiatio: vnde Chrysost. super illud. *Eiecit ementes & vendentes de templo. Super omnes mercatores maledictus est plus vsurarius: ipse namque rem datam à Deo vendit, non comparatam: post fœnus rem suam repetit, tollens aliena cum suis*, &c. mercator enim rem non repetit rem venditam, &c. Chrysost. super Matth. 21. & hæc negotiatio degradatione punitur in Clerico; sicut dicit Canon. *Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere: placuit degradare.* Canon dist. 47. Secundò modo negotiatio dicitur in emptione rei alicuius, vt postea vendatur: & quia (sicut patet ex præcedentibus) vix potest exerceri sine peccato: ideò interdicta est illis, qui debet præbere alijs exemplum virtutis vt Clericis: dicitur enim in Eccles. 26. *Difficile exuitur à* Eccle. 26.

negligentia sua negotians. Et iterum 27. de illo, qui quærit locupletari. *Inter medium emptionis & venditionis angustiabitur peccatis.* Tertiò modo minus propriè dicitur negotiatio in acquisitione per venditionem. Circa quod distinguendũ est: quia aut venditur res, cuius valor totus est ex artificio, non ex materia: vt storiæ, quæ fiunt ex iuncis * & asurium, quod fit ex quibusdam quasi impreciabilibus: & huiusmodi venditio seu negotiatio est concessa simpliciter clerico, & etiam monacho: sicut dicit Hieronym. *Si habentes potestatem Apostoli de Euangelio viuere, laborant manibus suis, ne quem grauarent: cur tu in vsus tuos successura non praepares: vel fiscellam texe iunco, vel canistrum plecte viminibus: fabricare aluearia apum, ad quas te mittunt Prouerbia Salomonis: ac Regiam disciplinam in paruis disce corporibus.* Item aut venditur res, cuius valor ex materia & artificio: vt si contingat emere materiã vt melioretur, & fiat præciosior per artificium, vt si quis emat pergamenum, vt idem faciat librum: vel tabulas, vt inde faciat scrinium: & hęc iterum negotiatio concessa est Clerico in necessitate, & etiam Monacho. Vnde Hieron. *Scribantur libri, vt manus operetur cibos, & anima lectione saturetur: texantur & elina capiendis piscibus: AEgyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absq; labore suscipiant.* Et de tali negotiatione dicit Chrysost. *Quicumque rem comparat, vt materia sibi sit aliquid operandi: ille non est negociator* (supple) propriè. Item aut venditur res, cuius valor totus est ex seipsa, non ex artificio, quod vendens superaddat: & tunc aut emitur, vt vendatur: aut non emitur, sed donata vel alio modo, acquisita venditur. Si emitur vt vendatur, sic est negotiatio prædicta, quæ interdicta est Clerico. Si verò non est empta, sed donata, vel acquisita alio modo, venditur; sic est negotiatio minus propriè dicta: quæ omnibus est concessa: de qua loquitur Philosophus.

Margin: * Alias, alurium. — Hierony. ad Rusticum Monachum. — Idem ad eundem. — Chrysost.

¶ Ex his igitur patet responsio ad obiecta.

¶ NOTANDVM tamen est, quod quamuis Clericis secundùm distinctionem prædictam non liceat negotiari: & licet sibi proprijs manibus quærere victum secundùm formam Apostoli: non tamen licet eis, vt per hoc subtrahant se ab Ecclesiasticis officijs: sicut dicit Canon. Quod præcipuè intelligitur de beneficiatis, & in sacris Ordinibus constitutis: nam illi sunt diuinis obsequijs mancipati; vnde dicitur. Num. 18. Aaron & alijs sacerdotibus. *Ego dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel: & tradidi donum Domino, vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius.*

Margin: Canon dist. 91. Num. 18.

MEMBRVM III.

De plurium generum contractibus, scilicet acquisitionis per mutuum, emptionis, & venditionis.

QVÆRITVR postea specialiter de contractibus prædictis. Et primo de cõtractu venditionis & emptionis. Nam volens lex seruare iustitiam in vendendo & emendo, sicut dictum est: dedit legem de ponderibus & de mensuris: vnde Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, minus & maius: nec erit in domo tua modius maior & minor,* &c. Quæritur ergò, cùm quædam res vendatur in pondere, quædam in mensura, quædam in numero: quare lata est lex iudicialis de seruanda iustitia in ponderibus & mensuris, & non in numero?

Margin: Quæstio. — Deut. 25.

¶ AD quod breuiter dicendum est: quod circa ista, circa quæ contingit error, & deceptio, necessaria est lex & ars rectificans actionem, & eliminans errorem seu fraudem: vbi verò non contigit errare, nec decipi habentem rationem: non erit necessaria lex, seu ars. Quia ergò in ponderibus & mensuris contingunt deceptiones & fraudes: in numero verò non: data est lex iudicialis de ponderibus & mensuris, & non de numero.

¶ ITEM, quærendum esset circa contractum mutui: quia videtur lex concedere, vt possit dari mutuum ad vsuram alieno, quamuis non fratri. Deut. 23. Sed de hoc quæsitum est supra.

Margin: Quæstio. — Deut. 23. Quæst. de mandato leg. Non furtum facies quæst. 26. Exod. 22.

¶ ITEM, quæritur circa contractum commendationis seu depositi: nam per distinctionem legis. Exod. 22. Si deposita pecunia furto ablata esset, & non inueniretur fur: ille, qui receperat depositum; aliquando iudicabatur ad duplum. Si verò commendatum vel depositum esset iumentum, asinus, vel bos: & furto ablatum esset: nunquam iudicabatur nisi ad restituendum damnum. Plus ergò puniebatur in deposito amissio pecuniæ, quam amissio bouis, vel ouis.

¶ SED contra: plus puniebatur furtum bouis vel ouis, quam furtum pecuniæ: nam furtum bouis in quintuplum: furtum quis in quadruplum: furtum verò pecuniæ non nisi in duplum Exod. 22. Ergò & in deposito plus debuit puniri amissio pecuniæ. Ibidem.

¶ RESPONS. In amissione depositi punitur negligentia, in amissione depositi punitur audatia: quia ergò in amissione pecuniæ depositæ seu commendatæ maior accidit negligentia, si furto distrahatur; quam in amissione bouis, vel ouis commendatæ: quia pecunia solet & debet arctius custodiri, vt in arca, & sub claui; quàm bos, vel ouis; ideò minor est oportunitas furi ad furandum pecuniã, quam ad furandum bouem vel ouem: maior autem negligentia in depositario, cùm amittit pecuniam, quam cùm amittit bouem vel ouem. Item, quia in amissione furti punitur audacia malefaciendi: maior autem audatia contingit in maleficijs, vbi maior pronitas; & ibi maior pronitas, vbi maior oportunitas: maior autem oportunitas est ad furandum bouem, vel quæ leuiter custodiuntur, quam ad furandum pecuniam, quæ arctissimè custoditur: ideò plus puniri debet fur bouis vel ouis, quam fur pecuniæ.

¶ ITEM, quęritur specialiter circa contractum locationis. Nam videtur contractus locationis similis esse contractui vsurario: nam qui locat agrum, vel domum, vel equum: rem suum commodat, vt accipiat præter sortem. Si ergò contractus vsurarius ideò peccatum est, quia ex mutuo accipitur supra sortem, vel speratur accipi: ergò similis est contractus locationis contractui vsurario. Si ergò contractus vsurarius secundùm legem illicitus est, ergò contractus locationis. Quæstio.

¶ RESPONDEO secundùm Io. Chrys. super illud: Eiecit ementes & vendentes, &c. dicentem sic. *Qui agrum locat, vt agrariam accipiat: aut domum suam, vt pensionem accipiat: non est similis ei, qui pecuniam dat ad vsuram: absit. Primò quidem: quoniam pecunia non est disposita, nisi ad emendum. Secundò, quoniam agrum habens, arando accipit ex eo frumentum: habens domum, vsum mansionis capit ex ea: & ideò qui locat domum vel agrum suũ, vsum dare videtur, & quodammodo videtur mutare cum lucro lucrum: ex pecunia reposita nullum vsum capit. Tertiò, ager vel domus veterascit: pecunia verò non.* Chrysost. super Matth. 21.

¶ ITEM, quæritur circa contractum conductionis mercenarij: de quo dicit lex: quod eadem die reddet ei precium. Deuter. 24. & Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane,* id est, operis merces. Quæritur ergò, si mercenarius damnificetur, nisi illa nocte receperit mercedem, aut quia non habet, vnde sustentetur: aut quia totũ tenetur eadem nocte soluere: nunquid cum restitutione mercedis tenetur etiam restituere damnum, quod passus est, ille qui conduxit mercenarium? Quæstio. — Deut. 24. & Leu. 19.

¶ PRÆTEREA, quantũ tenetur restituere. Nam dicitur. Ec. 24. *Qui defraudat mercedẽ mercenarij: & qui effundit sanguinẽ fratres sunt.* Et Iacob. 5. dicitur diuitibus. *Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.* Eccl. 24. Iacob. 5.

¶ RESPONS. Dicendum, quod tenetur restituere damnum, & etiam tantum quantum mercenarius sustinuit. Vnde Leuit. 19. super illud. *Non facies calumniam,* &c. Aug. *Omnia, quæ prohibentur committi in proximum; ad hoc vnum referenda sunt. Non nocebis proximo.* Dicendum ergò, quod quantum nocuit, tantum etiam restituere debet. Leuit. 19. August.

QVÆSTIO LI.

De Decimis.

In octo Membra, & quindecim Articulos diuisa.

DICTO de legibus iudicabilis circa communicationem rerum respectu proximi: dicendum est de legibus iudicialibus circa distributionem rerum ad ho- D Tho. 2. 2. q. 87.

norem Dei,& sustentationem sui ministri. Circa quæ erãt leges de decimis,& primitijs,& oblationibus: vnde Exod. 22. dicitur. *Decimas tuas,& primitias non tardabis offerre*. Et ca. 23. de oblationibus subditur. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Quærendum ergò primò est decimis, deinde de primitijs, tertiò de oblationibus.

Exod.21. Ibid.c.23.

¶ Circa decimas primò quæritur generaliter de institutione earum,& primitiarum,& oblationum. Secundò, specialiter: vtrum decimæ sint in præcepto, vel consilio. Tertiò, an præceptum de decimis sit morale, vel cæremoniale. Quartò, de quibus debeat dari decima. Quintò, quando debeat dari decima. Sextò, quibus debeat dari decima. Septimò, qui teneantur dare decimã. Octauò, de emptione & venditione decimarum.

MEMBRVM. I.

An institutio decimarum de iure naturali sit: tum quo tempore istbæc earum & oblationum & primitiarum institutio cæperit.

Circa institutionem decimarum primò quæritur. Vtrum emanauerit institutio decimarum & aliorum à iure naturali? & de tempore institutionis. Quantum ad primum obijcitur sic. Differunt ea, quæ pertinent ad ius naturale;& positiuum; per hoc quod decreta iuris positiui variantur secundùm tempus & locum; nec seruanda sunt semper & vbique: decreta verò iuris naturalis non variantur: immò seruanda sunt semper & vbique. Si ergò decretum de dicimis soluendis, & etiam de oblationibus seruandis & semper,& ante legem, & in lege, & tempore gratiæ,& etiam vbique apud omnes: relinquitur quod eorum institutio est à iure naturali.

Prouer.3. ¶ Item, de dictamine iuris naturalis est illud Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia: & de primitijs frugum tuarum da pauperibus.*

¶ Item, de iure naturali etiam est, quod sustentandus est minister Dei de nostra substantia: cum seminanti spiritualia debeamus ministrare carnalia seu temporalia: sicut dicitur: 1. Cor. 9. Si ergò non aliud est institutio decimarum, primitiarum, & oblationum: nisi de nostra substantia honoretur Deus, & sustenteiur minister eius, seu pauper proximus: ergò institutio horum est à iure naturali. Sicut enim dicuntur esse artis alicuius, quæ ordinantur ad finem illius artis immediatè: ita & dicentur esse iuris naturalis, quæ ordinantur ad finem illius.

1 Cor.9.

Rom.2. ¶ Contra, Quæ sunt iuris naturalis, sunt scripta in corde hominis. Rom. 2. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Quamuis autem in corde hominis scriptum sit: quod de propria substantia honorandus sit Deus, & sustentandus minister eius: non tamen scriptum est de quota parte: vt nec de prima vel decima, sicut nec de secunda, vel tertia. Si ergò institutio de decimis determinat aliquotam partem: non est de iure naturali.

Hugo de S. Victore ¶ Item, quæritur de tempore institutionis decimarum & primitiarum. Nam dicit Hugo, quod decimæ erant institutæ in remediũ originalis peccati: vt medicina morbi. Si ergò quam citò incidit morbus, necessaria est institutio medicinæ: sed statim post peccatum Adæ inualuit morbus originalis peccati: ergò statim debuerunt institui decimæ.

Genes.4. Genes.14. ¶ Contra. Primitiæ institutæ sunt vel cæperunt ab Abel: sicut patet Gen. 4. decimæ verò non cæperunt, nisi à tempore Abrahæ: sicut patet ex Genes. 14. post victoriam Regum; ergò non à principio instituta est decima.

¶ Item, quæritur: quare non à principio instituta est decima, sicut primitiæ: nam primitiæ institutæ sunt ante diluuium in Abel: decimæ verò post diluuium in Abrahã.

¶ Item, quæritur de oblationibus. Nam oblatio secundùm quod distinguitur à primitia,& decima: instituta legitur à Cain, de quo dicitur Gen. 4. quod obtulit de frugibus terræ munera Domino. Et iterum in Noë, de quo legitur: Genes. 8. de pecoribus & volucribus mundis obtulit holocaustum Domino. Item in Melchisedech Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum: erat enim sacerdos Dei summi.* Quæritur ergò, vnde varietas ista oblationum in lege naturæ?

Genes.4. Genes.8. Genes.14.

Genes.8 ¶ Item, quæritur, quare in Canone Missæ petimus oblationem nostram acceptam fieri; sicut oblationem Abel, & Abraham, & Melchisedech: & non ipsius Patriarchæ Noë, de quo legitur: Gen. 8. quod obtulit holocaustum super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.

RESOLVTIO.

Decimarum institutio simpliciter de iure naturali quidem est: secundùm autem talem ac talem aliquotam, minimè: sed tales Abraham præcisè cæpere: sicut primitiæ ab Abel, & oblationes à Noë.

¶ Responsio. Ad primum dicendum, quod decretũ de decimis intelligi potest duobus modis: secundùm determinationem, & secundùm indeterminationem. Secundùm determinationem in taxatione talis partis soluendæ Deo: & sic accipitur in ratione propria: secundùm indeterminationem, in solutione alicuius partis substantiæ soluendæ Deo, vel eius ministro: & sic accipitur in ratione vniuersali. Dicendum ergò, quod secundùm primum modum secundùm quid & simpliciter institutio decimarum est à iure naturali: secundò modo simpliciter est à iure naturali. Nam ius naturale dictat (sicut ostendebatur) quod honorandus sit Deus de propria substantia: & quod dentur temporalia ministranti spiritualia. Quod verò talis pars, hoc non dictat simpliciter, sed secundùm quid, vt cùm adiuuatur ratione, vel arte, vel gratia, seu inspiratione: tunc enim quodammodo inclinatur natura ad solutionem talis partis.

¶ Nota ergò, quod cum similiter per dictamen iuris naturalis teneret homo, quod honorandus esset Deus de propria substantia; quod ipsum in solutione decimæ honoraret, instinctum quẽdam habuit ex arte. Nam cùm sciret Deum honorandum, vt principium & auctorem bonorum, consummatorem & finem bonorum, in solutione primitiæ protestabatur ipsum esse bonorum principium & actorem: ex arte verò notitiæ numerorum instinctum habuit, vt offerret decimam ad protestandum ipsum Deum consummatorem & finem bonorum. Nam ab vnitate numeris coordinatis primus limes, & terminus numerorum & denarius numerus: & per replicationem vnitatis & cæterorum numerorum ad ipsum formantur numeri consequentes. Vnde Isid. super illud Exod. 22. *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre*, dicit. *Per primitias frugum vel primogenitorum principia bonorum operum ostenduntur: in decimis verò denarius perfectionem signat; quia vsque ad ipsum numerus crescit: ideoq́, sicut in primitijs principia voluntatum, ita in decimis consummationes nostrorum operum ad Deum referre præcipimur; à quo & boni operis initium & perfectionis donatur effectus.* Isidor. super Exo. 22.

¶ Item, quem instinctum habuit ex ratione: nam cùm conferret ratio, quæ vniuersaliter erant necessaria sustentationi vitæ humanæ, inueniebat secundùm exigentiam naturæ octo partes necessarias sustentationi personæ, & suæ familiæ. Nam secundùm decursum naturę communiter tunc viuere poterant homines vsque ad quartam generationem: quatuor autem generationes ad minus ponunt octo personas: patrem & matrem, filium & filiam, nepotem & neptem, pronepotem & proneptem. Octo ergò partes iudicauit necessitas sustentationis propriæ,& familiæ: nonam verò partem necessariò iudicauit retinere pro semente & recolitione: de decima verò, quæ super excrescebat, iudicare debuit honorandum Deum.

¶ Item, quendam instinctum habuit ex inspiratione, seu reuelatione facta Adæ: cum fuit raptus in extasi ad curiam Angelorum: ex quo notum fuit homini creaturam Angelicam nouem ordinibus distinctam: & ipsum hominem in decimo ordine rationalis creaturæ cõditum. Si ergò homo in substantia, qua honorabat Deum, debuit protestari ordinem suæ conditionis, ad laudem & gloriam conditoris veniebat offerre decimam, & non partem aliam: iuxta parabolam de dragma decima, Luc. 15.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: quod decretū de decimis semper est seruandum. Distinguēdum est: quia *seruandum* potest dicere, vel debitum seruari, vel dignum seruari. Si seruandum dicat debitum seruari: dico quod nō semper erit seruandum; quia non omni tempore fuit præceptum seruari; nec etiam omni tempore seruabatur, vt ante tempora Abrahæ. Si verò seruandum dicat dignum seruari: concedendum, quod omni tempore seruandum est; non tamen sub tali aliquota, vel tali simpliciter, & in ratione determinata est iuris naturalis: sicut patet ex dictis.

¶ Similiter ad illud, quod secundò obiicitur, patet respōsio. Nam secundùm indeterminationē decretum de decimis & scriptum in corde hominis: secundùm verò determinationem non est scriptum in corde hominis simpliciter: sed tantùm secundùm quid.

¶ Ad secundùm verò, quod quæritur de tempore institutionis. Dicendum, quod cum sine fide Saluatoris implicita vel explicita nulli homini post peccatum poterit esse salus: vt dicunt B. August. & B. Petrus Act. 4. per successum temporis demonstrabatur persona Saluatoris. Primò in natura deitatis, seu substantia conditoris, propter quod honorari debuit primitijs & primogenitis gregis ab Abel: vt significaretur, quod ille, qui erat principium conditionis & primogenitus Filius Dei, esset principium reparationis. Secundò, persona Saluatoris reuelabatur in natura creata: in qua assumeret officium mediatoris, & oblationem offerret & sacrificium placationis pro hominibus ad Deum: propter quod honorari debuit in oblatione & sacrificijs. Tertiò quia nesciebatur adhuc, in qua natura, vtrum Angelica, vel humana: facta est reuelatio, quod in humana natura, in qua expleret officium redemptionis: ideò honorari debuit in decima: in qua designatur humana natura. Luc. 19. Quia ergò à principio facta est Abel reuelatio personæ Saluatoris, vt conditoris in substantia deitatis; ideò instituta est primitia. Quia verò Noë facta est reuelatio indeterminatè in natura creata, vt mediatoris: ideò in ipso legitur institutio oblationis acceptæ Deo. Quia verò Abrahæ primò determinatio & demonstratio personæ Saluatoris in natura humana, cùm dictum est ei Gen. 26. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: in Abraham instituta est decima.

(Margin: August. Actuu. 4. — Luc. 9. — Genes. 26.)

¶ Et per hoc patet respōsio ad primum: & etiam ad secundum: quare, scilicet non à principio instituta est decima: Nam (sicut dicit Hugo) oportuit, vt secundùm successum temporum spiritualium signa gratiarum magis euidantia ad eam declarandam formarentur: vt cum affectu salutis cresceret cognitio veritatis.

(Margin: Hugo de S. Victore 1 libr. de Sacramentis.)

¶ Ad tertium verò de oblatione, dicendum, quod oblatio duplici de causa instituta est. Vna in protestationem beneficij Conditoris: alia in protestationem beneficij Saluatoris. Ex prima causa Cain intelligens omnes fructus esse beneficia conditoris; obtulit de frugibus munera Domino. Genes. 4. sed quia ex cupiditate meliora sibi retinuit, sicut patet per aliam literam; Deum non sicut decuit, honorauit: & ideò dicit Scriptura: quod Deus ad munera eius nōn respexit. Ex secunda verò causa Noë à Deo inspiratus, & Melchisedech obtulerunt: sed Noë sacrificium animalium in signum sacrificij semel fiendi per Christum: Melchisedech verò panem & vinum in signum sacrificij corporis & sanguinis Domini continuandi & iterandi vsque ad iudicium; quamdiu indigeret homo sustentatione, quæ est per panem & vinum.

(Margin: Genes. 4.)

¶ Ad vltimum dicendum: quod in Canone Missæ illos tres specialiter nominamus, Abel, Abraham, Melchisedech: quia in oblatione istorum expressa est persona Saluatoris: vt Conditor in primitijs Abel, vt Mediator in sacrificio Melchisedech Sacerdotis, vt Redemptor in decima Abrahæ. Noë autem Patriarchæ sacrificium omittimus, & Melchisedech recitamus: quia Noë obtulit sacrificium pecoris secundùm ritum legis veteris: Melchisedech sacrificium vini & panis secundùm ritum nouæ legis: in qua tradendum erat Sacramentum Dominici corporis & sanguinis.

MEMBRVM II.

An decimæ sint in præcepto, vel in consilio.

Deinde quæritur. Vtrum decimæ sint in præcepto, vel in Consilio? Et quod sint in Consilio, videtur: quia Gen. 14. legitur, quod Abraham dedit decimas Melchisedech: nunquam tamen legitur sibi fuisse præceptum. Genes. 14.

¶ Item, Gen. 28. dicitur de Iacob. Votum vouit dicens: *si fuerit Dominus mecum*, &c. & sequitur. *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Cùm igitur votum non sit de his, quæ sunt in præcepto: sed solùm de his, quæ sunt in consilio propriè: ergò solutio decimarum est in consilio. Gene. 28

¶ Item, non est ratio: quare dicantur esse in præcepto, nisi quia seminantibus spiritualia debetur merces, seu sustentatio temporalis: secundùm illud Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*: & 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus: non magnum est si vestra carnalia metamus.* Et super illud Psalm. 80. *Sumite psalmum, & date tympanum.* Gloss. *Sumite spiritualia, & date temporalia, seu carnalia.* Sed constat quod hæc ratio non determinat hanc aliquotam, scil. decimam: ergò videtur, quod dare decimam non sit in præcepto: licet dare aliquid, scilicet sustentationem temporalem ministro Dei, sit in præcepto. Luc. 10. 1. Cor. 9. Psalm. 80 Glossa.

¶ Contra. Leuit. vlti. datur præceptum de decimis: vbi dicitur: *Omnes decimæ, terræ, seu de frugibus, seu de pomis arborum, Domini sunt.* Et infra loquens de pecoribus dicit: *Quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* Leuit. vlt. Ibidem.

¶ Item, dicitur. Num. 18. *Filijs Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Num. 18.

¶ Item, Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum.* Malac. 3.

¶ Item, Matth. 23. dicitur: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam*, &c. & sequitur. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Super quo dicit gloss. *Præcepit Dominus omnium rerum decimas offerri propter alimoniam sacerdotum.* Matth. 23. Glossa. Ibidem.

¶ Item, Exod. 23. *Decimas & primitias non tardabis offerre*: dicit August. *Si tardiùs dare peccatum est: quantò magis peccatū est non dedisse.* Igitur tum ex auctoritate legis, tùm ex auctoritate prophetarum, tùm ex auctoritate Euangelij, tùm ex auctoritate Sanctorum videtur esse in præcepto solutio decimarum. In iure autem Canonico in multis locis expressiùs hoc habetur. Exod. 23. August.

¶ Forte dicet aliquis; quod in veteri lege erat hoc in præcepto, sed in noua lege non est in præcepto quantum ad istam aliquotam. Sed contra. Ratio huius præcepti in veteri lege erat propter sustentationem ministrorum Domino seruientiū: sicut dicunt prædictæ auctoritates Num. 18. Malach. 3. Cùm igitur in noua lege maxime nunc temporis multiplicentur ministri Ecclesiæ: ergò nunc multò magis danda est eis aliquota æqualis, vel etiam maior.

¶ Præterea. Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et iterum Luc. 18. *Decimas do omnium, quæ possideo* (dicit Pharisæus) Ergò ad hoc, vel ad amplius tenentur Christiani, si volunt iam in regnum cœlorum intrare. Matth. 5. Luc. 18.

RESOLVTIO.

Et in præcepto & in consilio, iuxta variâ tempora, diuersasq; considerationes.

¶ Responsio. Cùm distinguantur tempora, ante legem, in lege, post legē, in gratia Euangelij. Dicendum est, quod secundùm indeterminationem, vt sc. aliquota pars substantiæ, daretur ad sustentationem ministrorum Dei, semper fuit in præcepto, & de iure naturæ: vt dictum est Gen. 47. Sacerdotibus Ægypti cibaria ex horreis publicis præbebatur. Secundùm determinationem verò talis parti sc. decimæ ante legem, fuit in consilio: in lege verò fuit in præcepto simpliciter. Exod. 23. & Num. 18. In tempore verò gratiæ factæ sunt in præcepto: cùm necessitas est, vt petantur à ministris: vel etiam si non petuntur, dum tamen sit consuetudo Regionis. Decretal. *Mandamus, quatenus Parochianos* Decretal. Alexand. extrauag. de deci. & primitijs

rochianos vestros monere curetis: & si opus fuerit sub excommunicationis districtione compellere, vt de prouentibus molendinorum, piscariorum, fœno, & lana Ecclesijs, quibus debentur, cum integritate persoluant. Item Decretalis. *Illa quippe decima necessariò sunt soluenda, quæ debentur ex lege diuina, vel consuetudine approbata:* quod infra pleniùs determinabitur. Decretal. Innocen. III. Conc. Lateran.

MEMBRVM III.

An præceptum de decimis morale, vel cærimoniale præceptum sit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum præceptum de decimis sit morale, aut cærimoniale? Probatur quod cæremoniale: quia non est scripum in corde hominis (non enim est scriptum in corde hominis, quod debeat dare decimam, vel vndecimam, & sic de alijs aliquotis) sed præcepta moralia scripta sunt in corde hominis: vt dicit Aug. ergò præceptum de decimis non est morale: ergò est cærimoniale. August.

¶ ITEM, præceptum de Sabbato est cærimoniale, eò quòd per illud significabatur Sabbatum, hoc est, quies pectoris seu mentis. Similiter præceptum de circumcisione fuit cærimoniale: eò quod per illud significabatur circumcisio cordis. Ergò eadem ratione præceptum de decimis est cærimoniale: quia significat, quod consummatio bonorum operum danda est Deo: sicut dicit gloss. Isidor. super Exod. 22. vt dictum est supra.

¶ ITEM, præceptum fuit Iudæis dare decimas & primitias Leuitis: vt scil. esset cibus in domo Domini. Ergò cum præceptum de primitijs fuerit cærimoniale, quia iam non remanet: similiter & pręceptū de decimis est cęrimoniale.

¶ ITEM, dicit B. Iacobus: *Visum est Spiritui sancto & nobis: nihil vltro imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolaticijs simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Sed dare decimas onerosum est: ergò non est præceptum credentibus de gentibus: ergò secundùm hoc modò non tenentur Laici dare decimas: ergò præceptum de decimis non fuit morale. Actu. 15.

¶ CONTRA: August. *Decimæ sunt tributa animarum egentium: quod si decimam dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed corporis sanitatem.* Si ergò decimæ sunt tributa: ad illas tenentur homines secundùm illud Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Et ad Rom. 13. *Cui tributum, tributū,* &c. Sed non tenemur nunc ad cærimonialia: ergò præceptum de decimis non est cærimoniale. August. Matt. 22. Rom. 13.

¶ ITEM, quæ sunt de lege naturæ, non sunt cærimonialia. Sed oblatio decimarum videtur de lege naturæ: quod apparet per hoc, quod in tempore legis naturæ obtulit Abraham decimas, & Iacob: nec videtur aliquid dictasse eis, nisi natura: ergò non sunt cærimonialia.

¶ PRÆTEREA, de iure naturæ est: vt faciat homo id, quod ordinatur ad salutem animæ. Decimæ verò ordinantur ad salutem animæ: vt patet in prædicta auctoritate August. ergò sunt de iure naturali decimæ: ergò non est præceptum de decimis cærimoniale.

¶ ITEM, August. *Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri: reddat decimam: & de nouem partibus pauperibus faciat eleemosynam.* Ergò decimæ sunt ad salutem animæ, & inde vt priùs. August.

¶ IDEM August. *Nolumus cum Deo partiri decimas: & ideò totum tollitur.* Ex quo etiam videtur, quod solutio decimarum sit morale, & non cærimoniale præceptum. Idem.

RESOLVTIO.

Nec cærimoniale, nec morale, sed iudiciale.

¶ RESPONSIO. Præceptum de decimis est præceptum iudiciale. Vnde nō est dicendum morale, quia secundùm suam determinationem non est scriptum in corde hominis: nec cærimoniale, quia non est datum principaliter in figuram significationis: sed iudiciale, quia datum principaliter secundùm rationem æquitatis mutuæ distributionis: vt sit æqualitas dati & accepti inter seminantem spiritualia, & dantem temporalia: secundùm quod possibile est. Nam in carnalibus, id est in temporalibus necessaria fuit determinatio, quia illa partibilia sunt: in spiritualibus verò fuit impossibile: nam spiritualia totaliter erogantur absque diminutione substantiæ donatoris.

¶ AD primò ergò obiectum dicendum est, quod præceptum de decimis quantum ad substantiam suam scriptum est in corde hominis: cuilibet enim dicit conscientia, quod danda sunt temporalia eis, qui ministrant spiritualia: sed non est scriptum, quota pars sit danda: sed Dominus taxauit decimam multis de causis, sicut dictum est supra.

¶ AD secundùm verò obiectum dicimus: quod non est simile de decimis, & Sabbato, & circumcisione carnali: & est duplex dissimilitudo. Prima est: quia nec Sabbatum nec circumcisio carnalis instituta sunt principaliter propter Sabbatum * pectoris, & circumcisionem cordis: imò principaliter propter allegoricam intelligentiam. Præceptum enim de Sabbato datum est ad significandum æternitatis Sabbatum dandum per Christum: vnde cùm venit Sabbatum æternitatis dandum per Christum, debuit cessare literalis obseruantia: sicut dicit August. Sabbatum verò ęternitatis tunc venit: quando Christus captiuam duxit captiuitatem. Vnde ex tunc debuit cessare literalis obseruantia Sabbati. Similiter circumcisio carnalis præcipue significat generalem circumcisionem: quæ est à culpa, & à corruptione carnis, & hæc circumcisio erit in resurrectione: quando verò venit hæc circumcisio debuit cessare circumcisio carnalis: sed venit, quando Christus surrexit: ergò ex tunc debuit cessare carnalis circumcisio. Non est ergò verum, quod propter moralem significationem fuerit præceptum de circumcisione, vel Sabbato cærimoniale, sed propter allegoriam. Præceptum autem de decimis nō habet nisi moralem significationem: & propter hoc nō est simile. Alia causa dissimilitudinis est: quòd ipsa literalis obseruantia Sabbati, vel circumcisionis carnalis non est moralis de se: sed ipsa literalis intelligentia vel obseruantia pręcepti de decimis, est moralis. * Alias, peccatoris. August. contra Faustum

¶ AD tertium dicendum, quod præceptum de primitijs morale fuit: nec cessauit, sed manet ampliatum. Primitiæ enim paruum quid erant; nec erat determinatum quātum daretur pro primitijs: sed pro libito suo dabat quis inter 40. & 60. partem. Loco autem primitiarum subierunt quotidianę oblationes, & præcipuè oblationes, quę fiunt in tribus magnis festiuitatibus, scil. Pascha, Pentecoste, & Natiuitate Domini. Non dicitur ergò * cessare pręceptum de primitijs, cùm loco illius subierit maius. * Alias, cessasse.

¶ AD quartum similiter dicendum, quod dare decimas non est onerosum in se: licet onerosum sit peruersis & incredulis. Fidelibus autem, qui credunt Deum esse veracē: facile est, & leue soluere decimas: dicitur enim per Malac. Prophetam. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum: vt sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effundero benedictionem vsq; ad abundantiam; & increpabo pro vobis deuorantem: & non corrumpet fructus domus vestræ.* Hæc promissio facit, quod soluere decimas non sit onerosum fidelibus. Non reddētibus autem promittit cœlum ferreum, & terram æream. Soluendum est ergò per interemptionem. Malac. 3.

MEMBRVM IV.

De quibus decima dari debeat?

QVÆRITVR postea: de quibus debeat dari decima? Et quæruntur circa hæc tria principaliter. Primò vtrum de turpiter acquisitis debeat dari decima. Secundò, vtrum decimæ personales sint in præcepto. Tertiò, vtrum decimæ prædiales de minutis sint in præcepto.

ARTICVLVS I.

An de turpiter acquisitis debeat dari decima.

PRIMÒ igitur quæritur. Vtrum de turpiter acquisitis, vt de meretricio, & fœnore, seu rapina debeat dari decima? Quòd non, videtur: nam dicitur Prouer. 21. *Hostiæ impiorum abominabiles; quæ offeruntur ex scelere.* Super quem locum Prouer. 21.

Greg sup. cum dicit B. Greg. *Quicquid in Dei sacrificio ex scelere offertur; omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.*

Ibidem. Idem. ¶ ITEM, Greg. *Scriptum est Honora Deum de tuis iustis laboribus:* quod forsitan sumptum est de Prouerb. 3. Qui ergò malè accipit, vt quasi benè præbeat, constat sine dubio, quod dominum non honorat. Si ergò tam meretrix quam vsurarius malè accipit: ergo de illo non potest Deum honorare: ergò nec decimam dare.

Eccles. 34. ¶ ITEM, Eccles. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis; quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Super quem locum dicit Greg. *Ex hoc facilè cognoscitur, quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.* (Greg. sup. Ibidem.)

Eccle. 34. ¶ ITEM, Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.*

In eodem. ¶ ITEM, in eodem. *Dona iniquorum non probat altissimus: nec respicit in oblationibus iniquorum.*

Gregor. Syagrio Episcop. ¶ ITEM, Gregor. *Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur.* Si ergò ex illicitis rebus non potest fieri eleemosyna: ergò nec dari decima.

¶ CONTRA, dicit humana lex: quod turpiter facit meretrix, quia est meretrix; non tamen turpiter accipit: ergò mercedem meretricij iustè possidet: sed de iustè possesso potest iusta fieri tributio: ergò & dari decima.

August. ad Aurel. ¶ ITEM, sicut dicit August. *delictum non debet immunitatem tribuere: & communis animi conceptio est, quod non debeat esse conditionis melioris aliquis in eo, quod deterior est: nec commodum consequi, vnde pœnam meretur.* Si ergò vsurarius & meretrix tenentur de iusto negotio decimam tribuere, & etiam de prædialibus: ergò propter delictum meretricij, vel vsuræ non absoluentur à decima.

¶ SI verò dicatur, quod à fœneratoribus & raptoribus non debet accipi decima, nisi de iustè possessis. Obiicitur. Esto aliquis vsurarius, nihil habeat, nisi de vsura agrum seminet: aut tenetur ad decimam de fructibus illius agri: aut non. Si datur, quod tenetur: in contrarium est illud, quod ei ex fructibus acquisitum est, ex vsura est: & ita totum funebre, & morticinum est: ergò nec de illo poterit dari decima. Si verò dicatur, quod non potest dari: ergò nec de possessionibus, nec territorijs, quas colunt Iudæi, dabunt decimas: & lucrum ex sua impietate & peccato reportant.

RESOLVTIO.

Decimæ prædiales indistinctè etiam de turpiter acquisitis, tùm dari, tùm recipi possunt ab Ecclesia. Personales autem diuerso respectu interdum dari, sed non recipi; interdum, nec dari, nec recipi, interdum autem & dari, & recipi possunt.

¶ RESPON. Dicendum & distinguendum, quod decimarum aliæ sunt prædiales, aliæ personales. Si personales distinguendum est: quia aut est translatum dominium pecuniæ decimandæ in accipientem, & non competit repetitio: vt in meretrice & histrione, aut non est translatum, vt in fure, symoniaco raptore, & vsurario. Si non est dominium translatum; non tenetur dare, nec Ecclesia recipere potest: vnde secundùm hoc dicitur Eccles. 35. postquam dixit: *Sanctifica decimas tuas:* subiunxit. *Noli offerre munera praua: non enim suscipiet illa Deus.* Si verò transfertur dominium, tenetur dare: sed Ecclesia non debet recipere, quamdiu persona illa est in scelere: ne videatur eius approbare delictum: hinc dicitur Deuter. 23. *Non offeres mercedem postribuli; nec precium canis* (& canis potest dici histrio.) Si verò pœnitentiam accipiat, & deserat prauam vitam: poterit Ecclesia & ab histrione & à meretrice præteritas decimas recipere: quia (sicut dicit B. Gregor. super illud Iob 28. *Ferrum de terra colitur,* &c.) *non debet despici quis separans se ab accusatione terrena in eò quod fuit: quia iam incipit esse quod non fuit.* Si verò sunt decimæ prædiales: indistictè quilibet peccator, & Iudæus, & inuasor tenetur decimas dare: & Ecclesia licitè potest recipere. Et ratio est: quia illæ non dantur intuitu personæ: sed quasi ex censu debito prædiorum. Vnde Decretal. *De terris, quas Iudæi colunt respondemus, vt eos ad decimas soluendas vel possessioni penitus renunciandos omni districtione compellas: ne fortè illa Ecclesia iure suo valeat defraudari.*

(Margin: Eccles. 35. — Deute. 23. — Iob 28. Greg sup. Ibidem. — Decretal. Alexand. III extra de decim. & prim.)

¶ VNDE ad illud, quod obiicitur de agro seminato de vsura: quamuis quidam dixerunt, quod Ecclesia non debet de talibus decimas recipere; quia sicut qui seminat in benedictione, de benedictione metet: ita qui seminat in maledictionibus maledictionem metet. Tamen dicendum est, quod ipse vsurarius tenetur dare, & Ecclesia licitè potest recipere: quia ipse prouentus fructuum non prouenit ex actione vsurarij, sed ex diuina largitate & opere, quo multiplicatur semen. Præterea, hoc est debitum ratione prædij: non ratione personæ.

ARTICVLVS II.

An decimæ personales sint in præcepto.

DEINDE quæritur. Vtrum decimæ personales sint in præcepto. Quod non, videtur: nam in lege Domini non videntur præcipi, nisi decimæ prædiales siue de alimentis. Leuit. vlt. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum Domini sunt.* Et iterum. *Omnium decimarum ouis, & bouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt: quicquid decimum venerit, sacrificabitur Domino.* Leuit. vlt. Ibidem.

¶ ITEM, dicit Decretal. *Illa decimæ necessariò sunt soluendæ, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata.* Si ergò ex lege diuina non præcipiuntur decimæ personales: nec etiam in locis aliquibus, nisi raro, scilicet vbi est consuetudo: ergò non tenetur quis ad decimas personales. Decretal. Innocen. III. conc. Lateran.

¶ ITEM, vis consuetudinis tanta est; vt videatur secundùm Innoc. à culpa liberare non soluentes decimas etiam prædiales: ergò multò magis non soluentes decimas personales.

¶ CONTRA. Genes. 14. Abraham de his, quę iustè acquisierat in bello, dedit decimas Melchisedech de omnibus. Si ergò exemplo Abrahæ, in quo primò institutio facta est de solutione decimarum, soluendæ sunt decimæ: ergò personales decimæ debentur. Gene. 14.

¶ ITEM, August. iuxta hoc dicit. *De militia, de artificio, de negotio redde decimas.* August.

¶ ITEM, Cælestinus III. *Reuera, sicut sancti Patres in suis tradunt scriptis; de vino, grano, & fructibus arborum, pecoribus, hortis, de ipsa negotiatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Cælestin. III. extra de decim. & primitijs.

¶ ITEM, Idem ibidem. *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur, & debet.* Idem ibi.

RESOLVTIO.

In decimis personalibus soluendis consuetudo pro præcepto sit, quin imo & sacerdotis indigentia.

¶ RESPON. Dicendum, quod decimæ tam personales, quam prædiales sunt in præcepto. Est autem differentia inter præceptum affirmatiuum, & negatiuum (sicut patet ex alijs alibi dictis) * quia præceptum negatiuum semper obligat & ad semper: præceptum verò affirmatiuum, & si obligat semper; non tamen ad semper: sed pro tempore & loco. Vnde illud præceptũ, *Honora patrem,* in quo præcipitur sustentatio patris; obligat quemlibet filium semper: nõ tamen ad semper, nisi cum tempus & locus se offerant: vt si pater indigeat, vel à filio debitum obsequium requirat. Ita dicendum, cum præceptum de decimis sit affirmatiuũ, semper obligat: non tamen ad semper. Dico ergò iuxta decretalem Innoc. quod vbi consuetudo est, tenentur soluere decimas personales, sicut & prædiales. Item, si consuetudo non est, & indigeret minister, sc. sacerdos, à quo recipiunt Sacramenta; & peteret propter indigentiam seu sustentationem: dico quod hunc tenerentur non solum ad decimas prædiales, sed etiam ad personales. Sunt enim aliquæ ciuitates, in quibus habitant homines, qui non habẽt prædia: vt in insulis maris, in quibus si non soluentur decimæ personales, cogerentur ministri Dei ex defectu mendicare: & per hoc minus vacare diuinis: quod est contra illud Psalm. 80. *Sumite psalmum, & date tympanum* (dicitur laicis) hoc est, sumite spiritualia à ministris Dei: & date tẽporalia, vnde sustententur.

(Margin: * Supra q. 38 mẽ. 5 — Exod. 20. & Deut. 5. — Psal. 80.)

¶ AD illud verò, quod obiicitur: quod in lege diuina non est præceptum. Respondendum per interemptionem: quia & si in illa parte Leuit. vlt. non sit præceptum: tamen

alibi

Exod. 23. & Eccl. 35 alibi dicitur vniuersaliter. Decimas & primitias non tardabis offerre. Exod. 22. & Eccles. 35. *Sanctifica decimas tuas.* Ibidem. Et post. *Da altissimo secundùm donatum eius.* Si ergò ex dono Dei possidentur omnia, quæ acquiruntur iusto negotio, vel arte: de illis decimæ dandæ erunt.

¶ Ad alia verò patet responsio ex iam dictis.

ARTICVLVS III.

An decima minuta in præcepto sint?

Postea quæritur. Vtrum minutæ decimæ sint in præcepto. Ad quod sic. Præceptum est, vt de omnib⁹, quæ pertinent ad victum humanum, homines dent decimas Leuit. vlt. *Omnes decimas terræ*, &c. vt de frumento, & vino, Leuit. vlt. & huiusmodi. Si ergò eadem est ratio in vno & in omnibus; ergò de omnibus tenentur dare decimas: ergò & de oleribus & de granis.

¶ Item, Matth. 23. postquam dicitur de decimatione menthæ & anethi; subdit Dominus. *Oportuit ipsa facere, & illa non omittere.* Ergò de omnibus istis & consimilibus Matt. 23. minutis danda est decima.

¶ Item, Malach. 3. dicitur: *Inferte omnem decimam in hor-* Malac. 3. *reum meum*: qui *omnem* dicit, nullam omnino excipit.

¶ Item, nos tenemur dare decimam de tempore Deo. Vnde dicit. B. Gregor. quod quadragesima summa obser- Gregor. uatione est obseruanda: quia illi dies decima sunt anni. Si ergò de diebus decima danda est: multò fortiùs & de quibuslibet alijs.

¶ Contra. Dicit Innoc. III. quod illæ decimæ necessariò sunt soluendæ, quæ debentur ex lege diuina, vel cō- Innocen. Tertius. suetudine approbata. Si ergò solutio decimarum minutarum non percipitur in lege diuina: quia in Vet. Test. nihil determinatur, nisi tantum de frugibus & pomis arborum Leuit. vlt. nec in plurimis locis consuetudo est: ergò ad solutionem minutarum decimarum non tenentur homines vbi non est consuetudo.

¶ Item, si dicatur quod propter illud Euangelij. *Decimatis mentham, & anethum*, &c. Et post. *Hæc oportuit facere,* Matt. 23. *& illa non omittere*; teneatur Christiani ad minutas decimas. In contrarium est, quod Dominus non loquebatur, nisi de Iudæis, & secundùm illum statum. Vnde per hoc non potest haberi, quod propter hoc teneantur Christiani ad minutas decimas.

¶ Item, si omnes decimæ, & minutæ, & maiores, essent necessariò soluendæ, nihil esset dictum, quod ad distinctionem faciendam dicit Concilium Lateran. quod illæ decimæ necessariò sunt soluendæ, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata.

RESOLVTIO.

Et in præcepto, & in consilio: iuxta approbatam patriæ consuetudinem, & vniuersalem Ecclesiæ institutionem.

¶ Ad hoc dixerunt quidam: quod de omnibus, quæ renouantur quolibet anno, non tenentur homines dare decimas: non tamen peccant, si nō reddant veri nominis decimas: quia taxatio ralis partis, moralis non est, ideò relinquitur arbitrio & determinationi Ecclesiæ. Simili modo dicunt, quod non peccant, qui non reddunt minutas decimas: vbi non est consuetudo reddere tales decimas, nec petere: qua ratione optimè dixit Papa, quod peterentur secundùm consuetudinem patriæ. Si tamen indigeret Ecclesia, vt peteret veri nominis decimas: peccarent, si nō redderent.

¶ Ad illud, quod primò obiicitur: quod eadem est ratio in vno & in omnibus. Respondent per interemptionē dicentes: quod magis expressum est de maioribus decimis quam de minutis: ita quod maiores decimæ sunt in præcepto, minores in consilio: nisi cum determinatione prædicta; si peterentur in necessitate Ecclesiæ.

Matt. 23. ¶ Ad illud verò quod obiicitur de Euangelio. *Oportuit ista facere*, &c. dicendum, quod referendum est ad illum statum, in quo Dominus loquebatur: quod erat tempus legis, sicut opponebatur: quo tempore minutæ decimæ, ratione generalis præceptionis legis, & Prophetiæ. *Inferte omnem decimam*, &c. erat in præcepto. Habebat enim lex Malac. 3 præcepta iudicialia grauiora & magis onerantia, quam Euangelium. Vel potest dici: quod istud, quod dicit *oportuit* non sonat in debitum, sed in conuenientiam: vnde sensus est: oportuit, id est, conueniens fuit.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur de tempore. Dicendum, quod solutio decimæ temporis non habetur expressè ex iure legali, nec ex iure prophetico, nec ex iure Euangelico: habetur tamen ex interpretatione iuris legalis, ex ieiunio Moysi: & ex interpretatione iuris prophetici, ex ieiunio Heliæ: & iuris Euangelij, ex ieiunio Christi, de quibus habet interpretari Ecclesia. Tamen ex talibus nō potest argui, quod teneamur ad cōsimilia: cum ista in præceptis iuris diuini non inueniantur expressa: sed si ex institutione & decreto Ecclesiæ.

¶ Sed contra hoc, quod dictum est supra: quod tenentur homines dare de omnibus, quæ renouantur quolibet anno obiicitur. Nam diuersis temporibus anni in eodem horto vel agro agricolæ diuersa semina serunt: ergò non tenerentur tales ad decimam, nisi semel in anno. Cùm tamen dicat Decretalis, quod cum agricultores in eodem a- Decretal. Clement. Tertij. extrauag. de deci. & primitijs. gro vel horto diuersa semina serunt, de omnibus decimas absque diminutione persoluant.

¶ Item, pari ratione nec fructus animalium, quæ pluries fœtant in anno, tenerentur decimare: quod est contra legem, Leuit. vltim.

¶ Propterea dicendum, quod cum decretum decimarum ante legem fuerit in consilio vniuersaliter: sicut patet ex voto Iacob: in lege verò fuerit in præcepto: tempore gratiæ est partim in consilio, partim in præcepto. In præcepto cùm petitur & exigitur ab Ecclesia secundùm consuetudinem approbatam, vel Ecclesiæ institutionem: in consilio verò, cùm non petitur, nec ex cōsuetudine habetur: nec ab vniuersali Ecclesia iubetur. Et hoc dico generaliter quantum ad decimas minutas.

MEMBRVM V.

Quando debeat dari decima.

Consequenter quæritur: quando debeat dari decima? Et cùm dare decimas sit præceptū affirmatiuum: nec obliget ad semper: ergò non tenemur semper statim decimam soluere.

¶ Item, aliquis ex negotiatione non lucratur vno die forsitan, nisi denarium vnum. Simili modo nec in vna septimana, nisi paucos denarios, qui vix & cum parua vtilitate Ecclesiæ possunt decimari: ergò de ratione non est decimanda negotiatio statim: quia ex hoc vel paruum, vel nullum commodum Ecclesiæ proueniret: ergò fructibus perceptis, vel acquisitis non tenemur statim soluere decimas.

¶ Contra. Quod sine determinatione temporis debetur, statim soluere tenemur: ergò statim fructibus præceptis tenemur decimam soluere.

¶ Item, dicit Decretalis Alexan. III. *Mandamus, vt decimas statim fructibus collectis, persoluant.* Decretal. Alexand. Tertij extra de decimis & primitijs.

¶ Item quæritur. Vtrum licitum sit, priusquam soluatur decima, mercenarios, vel seruientes pro seruitio suo de frugibus remunerare. Quod videtur, quia commune est emolumentum fructuum possessoris & Ecclesiæ: ergò cōmuniter debent remunerationem seruientium, secundùm quod competit: vt sit æqualis ratio dati & accepti.

¶ Contra. Decretalis Alexandri. *Quidam homines ser-* Decretal. Alexand. *uientibus & mercenarijs de frugibus non decimatis debita totius anni pro laboribus suis impendunt; tunc demum de residuo decimam persoluentes. Mandamus, vt decimas statim fructibus collectis persoluant: ac de subtractis dignam satisfactionem exhibere procurent.*

¶ Item quæritur. Vtrum deductis expensis priùs, decimæ debito modo soluantur. Quod videtur, quia quicunque est particeps in prouentu & lucro, debet particeps esse in expensis, de æquitate naturali: ergò cum Ecclesia sit particeps in prouentu, debet etiam particeps esse expensarum: ergò ante decimam deducendæ sunt expensæ.

Decretal. Cælestin. Tertij.

¶ CONTRA. Decretal. *Districtè præcipimus, antequam deducatis expensas, decimas Ecclesijs, ad quas pertinent, cum integritate debita persoluatis.*

¶ ITEM quæritur. Vtrum priùs sit soluendus census, vel tributum Domino temporali, quam decima Sacerdoti? Quod videtur: nam potestas terrena (sicut patet ex præcedentibus) primatum habet in possessione terrena: ergò & primatum debet habere in tributo sibi debito possessionis terrenæ. Primò ergò erit soluendum tributum, quam decima Sacerdoti: quod etiam innui videtur ex ordine verborum Domini Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.*

Matt. 22.

Concil. generale sub Innoc. extra de decimis & primitijs.

¶ CONTRA Concilium: *Statuimus, vt exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum.*

¶ ITEM, quæritur: si furtiue vel violenter rapiatur totus aceruus de area ante solutionem decimarum: vtrum teneatur possessor ad decimam illius acerui soluendam Ecclesiæ. Ad quod sic. Dominum decimæ residet penes Ecclesiam, etiam ante separationem: nec tenetur rusticus eam custodire, nisi sicut suam: ergò si amittitur, vel aufertur: Ecclesiæ aufertur.

Alexand. Tertius.

¶ ITEM, *Statim collectis fructibus, debet decima dari:* sicut dicit Alexan. III. sed quia statim non soluitur rusticus, ideò ablata est: ergò rusticus est causa subtractionis: ergò tenetur Ecclesiæ.

¶ ITEM quæritur: si aliquis vendat aceruum ante solutionem decimæ: vtrum teneatur ad solutionem. Et sicut dicit Concilium generale quia (*res indecimata transit cum suo onere*) cùm res ista sit indecimata: emens eam tenetur ad decimam.

Concil. ibidem supra.

¶ CONTRA, vendens vendit rem propriam & decimam: ergò fraudat Ecclesiam à decima: ergò tenetur Ecclesiæ de decima.

¶ ITEM, si vterque tenetur ad decimam: ergò Ecclesia habebit duplicem decimam: cùm ei non debebatur, nisi vna: ergò Ecclesia suum recipiet cum augmento, quod est magnum inconueniens.

¶ RESPON. Distinguendum, quod sunt decimæ personales, & prędiales. Decimę personales debēt dari eo tempore, quo maior commoditas prouenit Ecclesiæ: & ideò dicunt, possunt dari in fine anni, vt sic maior commoditas proueniat Ecclesiæ, quam si per minutias soluerentur. Decimæ verò prædiales statim debent dari, cum fructus percipiunt: & antequam soluantur mercenarij: & antequam deducantur expensæ: & antequam soluatur census vel tributum: & antequam per negligentiam inde aliquid furto vel rapina possit auferri: & antequam res indecimata alienetur, vel vendatur: sicut dicunt iura prædicta.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur: quod affirmatiuum est, & propter hoc non obligat ad statim. Dicendum, quod non sequitur: quia sic est præceptum, vt cùm decima soluitur, tali tempore soluatur. Vnde ipsa circumstantia temporis includitur in præcepto secundùm determinationem Ecclesiæ.

¶ AD aliud verò, quod obiicitur de personalibus decimis: responsum est: quoniam non est simile. Nam de voluntate Ecclesiæ est: vt personales decimæ non soluantur statim, sed cùm magis expedit: de voluntate verò Ecclesiæ est, vt prædiales soluantur statim: quia hoc magis sibi expedit: nullus autem potest rem vltra voluntatem Domini sui detinere.

¶ AD verò, quod quæritur de solutione mercenariorum, & etiam de deductione expensarum. Respondendum secundùm Decretalem Innocen. III. repræhendentis illos, qui sumptus agriculturæ ante solutionem decimæ deducunt, & portionem fructuum in mercedem cultorum separant: dicentis sic. *Cùm Deus, cuius est terra & plenitudo eius, orbis terrarum*, &c. *deterioris conditionis esse non debeat, quam Dominus temporalis: cuius statutum de terris, quas exhibet alijs excolendis, non quidem deductis sumptibus aut semine separato, necessariò cùm integritate persoluitur: nimis profectò videtur iniquum, si decima, quas Deus in signum vniuersalis domini sibi reddi præcepit; suas esse decimas asseuerans, occasione præmissa diminui valeant: cum debita sit solutio decimarum.* Et subdit. *De cunctis omninò prouentibus decima sunt reddenda: sicut* * *colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ; sic & Dominus de portione, quam percepit ratione terræ, decimam reddere tenetur.*

Decretal. Innocen. Tertij extrauag. de deci. & primitijs.

Idem.

* Alias, colonis.

¶ AD ea verò, quod obiiciuntur. Dicendum, quod Ecclesia non percipit decimas, sicut communem prouentum: immò sicut censum Domini generalis auctoritate diuina: & ideò ab omni conditione & debito est liberum stipendium decimarum.

¶ SI autem quæratur, vtrum circa res acquisitas, prius sint expensæ deducendæ, quam soluatur decima? Respondet Innocen. III. extra de decim. quia aut acquiruntur de pecunia decimata, aut non. Si non acquiruntur de pecunia decimata, non sunt deducendæ expensæ ante solutionem decimæ. Si verò sunt acquisitæ de pecunia decimata, priùs sunt deducendæ expensæ.

¶ SI autem quæratur similiter: vtrum expensæ, quæ fiunt pro fructibus percipiendis de pecunia decimata, sint deducendæ? Respondet iisdem Innocent. III. quod non. Et ratio est, quia semper fructus transeunt in dominium illorum, salua decima: nec possunt alienare fructus, nisi cum onere decimarum. Et hoc est, quod per distinctionem dicit Innocent. III. Licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cùm ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas: & de residuo quasi de lucro decimas persoluendas: vt si vendatur domus, ager, vinea, clybanus, molendinum, grex, aut quælibet merces: expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructibus proueniunt, non credamus deducendas, etiam si fuerint decimatæ: quoniam salua decima fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas. Fructus autem alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum: nec pro restaurando detrimento quorumlibet rerum, ex quibus decimæ persoluuntur; credimus deducendas expensas de prouentibus decimandis: quia penes * dominium res permanent restaurandæ.

Idem Innocenti. Tertius

Idem. Ibidem.

* Alias, dominū.

¶ AD illud verò, quod obiicitur; vtrum solutio census vel tributi debeat præcedere solutionem decimæ? quia temporalis dominus primatum habet in terrenis. Dicendum quod non: & ratio est: quia quæ est comparatio Domini terreni ad cælestem: ea est comparatio dominij ad dominium. Terrenus enim dominus habet dominium particulare & transitorium, & subiectus Domino cælesti: dominium verò cœleste est perpetuum & generale. Quia ergò decima soluitur Sacerdoti Vicario Dei in signum cęlestis & generalis dominij: ideò solutio decimæ debet prędere solutionem census: & etiam ipse census & tributū decimari debet: quia & ipsum dominium temporale obnoxium est dominia cœlesti; si receptus fuerit census ante solutionem decimæ. Vnde Inno. III. *Cùm in signum vniuersalis dominij quasi quodam titulo speciali Dominus decimas reseruauit: nos & Ecclesiarum dispendijs, & animarum periculis obuiare volentes, statuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quod census vel tributa indecimata peruenerint: quoniam res cum onere suo transit, ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de iure debentur.*

Innocen. Tertius in Later. Concilio. Lateran. extrauag. de decim. & primitijs.

¶ AD illud verò, quod quæritur: si furtiuè vel violenter rapiatur totus aceruus de area ante solutionem decimæ, vtrum teneatur possessor ad decimam acerui soluendam Ecclesiæ? Respondetur; quod si rusticus erat in mora per negligentiam, vel per causam aliam indebitam tempore violentiæ, vel furti: tenetur ad totam decimam totius acerui soluendam Ecclesiæ, quia secundùm iura si ex mora soluendi debiti accidat periculum rei, quæ debetur periculū & detrimentū est eius, per quē fit illa mora: tñ Ecclesia dabit rustico suas actiones cōtra violentū. Si verò Ecclesia erat in mora: aut propter morā illā amisit rusticus suum: aut non. Si non, sed quia ita contigit: Ecclesia de residuo recipiet tātum decimam. Si sic: vt quia propter moram Ecclesię euenit periculum: quia non audebat rusticus tangere fructus non decimatos: & ideo non reposuerat fructus, quos aliter reposuisset in locum securum; tunc decima (sicut dicunt) totaliter cedit in periculum Ecclesiæ: Ecclesia enim non debet petere lucrum cum dānis aliorū.

¶ AD

¶ Ad vltimum, quod quæritur de venditione aceruí ante solutionem decimarum. Respondetur, quod tam vendens, quàm emens tenetur ad decimas: vendens propter dolum, quem commisit: emens, quia habet rem, quæ obnoxia est decimæ: & sicut dicit Innocent. fructus non possunt alienari, nisi cum onere decimarum. Vnde potest Ecclesia petere à quo maluerit: tamen si obtinuerit à venditore, quo ad Ecclesiam liberatus est emptor, vel econuersò. Absit enim quod Ecclesia suum recipiat cum augmento.

¶ Si tamen quæratur, si vnus soluit decimam, emptor, vel venditor, vtrum vnus teneatur alteri. Distinguitur, si emptor fuerit bonæ fidei, & soluit decimam; tenetur ei venditor. Si fuit malæ fidei, non tenetur, nisi expressè dictum fuerit, & cautum: sed tamen vterq; debet agere pœnitentiam de dolo, & quasi furto: quia contrectauerũt decimam inuito Domino. In foro tamen pœnitentiali tutum est, quod si emptor soluit decimam, venditor sibi restituat, nisi fortè in casu, sci. si emptor non inuenitur deceptus in re: quia adhuc benè valet precium.

MEMBRVM VI.

Quibus decima dari debeant?

POSTMODVM quærendũ est: quibus danda sit decima: seu qui possunt decimã recipere, vel possidere. Et quæruntur plura. Primò, vtrum laici possint decimas recipere. Secundò vtrum Religiosi. Tertiò vtrum Clerici, qui habent aliunde sufficiens stipendium. Quartò, vtrum vna Ecclesia possit accipere decimas de territorio, vel persona alterius Ecclesiæ. Quintò, vtrum pauperibus sit soluenda decima. Sextò, vtrum domino Papæ sint soluendæ (quæ dicuntur) decimæ decimarum.

ARTICVLVS I.

An Laici recipere possidereve possint decimas.

Hierony. ad Dam. Papam. PRIMÒ quęritur. Vtrum Laicus possit decimam recipere, seu possidere. Ad quod sic Hieronym. *Quod tua beatitudo quæsiuit; vtrum vsus decimarum, & oblationum possit secularibus prouenire. Nouerit vestra sanctitas, omninò non licere, protestantibus hoc hominibus diuinis auctoritatibus canonum paternorum: quamobrem ab his sunt male detenta, quæ diuini iuris esse noscuntur.*

Gregor. ¶ ITEM, Gregor. *Decimas à Laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus, siue enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint: nisi Ecclesiæ reddiderint: sciant se sacrilegij crimen committere: & æternæ damnationis periculum incurrere.*

Num. 18. ¶ ITEM, Num. 18. *Filijs Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo.* Ergò possessio decimarum iuris Leuitici est: ergò quicunque Laici decimas possident: vsurpant quod est iuris ministrorum Dei.

Innocen. Tertius in Conci. Lateran. ¶ ITEM, Innoc. *Prohibemus, quod ne Laici decimas cum animarũ periculo detinentes, in alios Laicos possint aliquo modo transferre: si quis verò receperit, & Ecclesiæ non reddiderit Christiana sepultura priuetur.*

Idem in extrauag. in Later. Concilio. ¶ CONTRA, videtur dicere expressè Innocen. Tertius, quod Laici possunt tenere decimas in feudum ab Ecclesia extra de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. Cap. In Lateran. Concilio est inhibitum: ne quælibet persona Religiosa Ecclesiastica decimas de manu Laicorum sine consensu Episcopi recipiat. Per quod indirectè datur intelligi: quod sufficit consensus Episcopi, vt licitum sit Ecclesię decimas recipere de manu Laicorum: Hoc autem intelligimus de illis decimis, quæ Laicis in feudum perpetuò sunt concessæ.

¶ ITEM, consuetudo Generalis habet, quæ est optima legum interpres (sicut dicit Innocen. extra de consuetudine) quod milites decimas recipiant, & habeant: ergò vi consuetudinis poterunt decimas recipere.

Matth. 18. ¶ ITEM, super illud Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. dicit Gloss. *peccat, qui fratrem peccantem videt, & tacet: sicut qui peccanti non indulget.* Si ergò Laici percipiendo decimas, peccant mortaliter: peccat generalis Ecclesia tacendo, & non repetendo. Si ergò generalis Ecclesia non peccat, relinquitur, quod Laici retinendo decimas ex consuetudine, non peccant.

¶ ITEM, si dicatur, quod Ecclesia tacet propter scandalum: timet enim, quia si exigeret decimas à militibus, ne scandalum Ecclesiæ veniret. Contra sicut dicunt auctoritates: veritas iustitiæ non est propter scandalum dimittenda. Sicut nec veritas vitæ, nec veritas doctrinæ. Si ergò de veritate iustitiæ est, vt detentores rerum Ecclesiasticarum per censuram Ecclesiasticam easdem res Ecclesiæ restituere compellantur Ecclesiæ: ergò non obstante aliquo tenetur Ecclesię Laicos ad restitutionem compellere: & si non facit, peccat: ergò cùm hoc non faciat, non est contra veritatem iustitiæ Laicos decimas possidere.

RESOLVTIO.

Quidam penitus Laicis decimas negant: quidam quodammodo affirmant.

¶ Ad hoc dixerunt quidam Iurisperiti, distinguentes, quod decimæ duplici iure debentur Ecclesiæ. Intuitu diuini obsequij in eis præstiti, vnde Num. 18. *Filijs Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et post. *Solis filijs Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi; legitimum sempiternum erit.* Et hoc iure, cùm sit mere spirituale, non possunt à Laico detineri; quia tale ius non cadit in Laicum. Item debentur in signum vniuersalis dominij, vt habitum est supra Quæstione proxima: & hoc iure, cùm sit ciuile, cadere possunt in Laicum: non tamen vniuersaliter, id est, non quòad proprietatẽ, sed quòad fructuum perceptionem. Hodie tamen à tempore Lateran. Concilij sub Alexan. nullo modo valet collatio decimarum facta eis: cùm talis alienatio, vel infeudatio ibi prælatis fuerit penitus interdicta: vnde non ius spirituale, nec proprietatis: sed percipiendi fructus temporales fuit concessum ante dictũ Cõcilium militi in feudum Et si ipse benè viuat, & defendat Ecclesia sicut fidelis vasallus: potest excusari: aliàs si vnum istorum defuerit; in periculo animæ suę tenet. Num. 18. Ibidem.

¶ ALII dicunt, quod nullo tempore potuerunt dari in feudum etiam quò ad ius temporale seu ciuile: ita quod transirent ad hæredes sicut feudum. Inutiliter enim tunc ius spirituale residet apud Ecclesiam: quia sicut sine anima non potest viuere corpus; ita sine temporalibus spiritualia non possunt consistere.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur per decretalem Inno. quod decimæ Laicis in feudum perpetuò concessæ sunt: Intelligitur de concessione, quæ est de facto: non de confessione, quæ est de iure.

¶ Ad secundùm verò, quod obiicitur de consuetudine dicendum, quod consuetudo non potest præualere contra ius diuinum, nec etiam contra ius canonicum: vt dicit Hieronym. Traditiones Ecclesiasticæ obseruandæ sunt: Hierony. ad Lucin. nec aliorum consuetudine, aliorumve contrario more possunt subuerti. Et Nicol. Papa: *Consuetudines obseruandæ sunt, si illis non obstat Canonica auctoritas.* Nic. Pap. distin. 12. Præterea, cùm Laicos recipere decimas sit contra Canonicam sanctionem: nullo modo fit licitum propter consuetudinem.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur, quod videtur peccare Ecclesia, quod non arceat, vel corrigat detentores decimarum: neque debet dimittere propter scandalum. Dicendum, quod est scandalum particulare, & scandalum generale: propter scandalum particulare non est veritas iustitiæ dimittenda, nec differenda: sed propter scandalũ generale, quo sc. timetur schisma, vel generale periculum; differenda est, & mitiganda, quia in talibus (sicut dicit Augus.) hoc solùm benè agimus, vt vita hominum corrigatur. In generali autem scandalo non sequitur correctio, Augu. vel delinquentis, vel aliorum: ideò propter generale scandalum suspendenda est repetitio decimarum: quod sequeretur, si vniuersaliter à militib⁹ fieret repetitio per Ecclesiasticam censuram. Vnde Augus. *Quando crimen notum est, & ab omnibus execrabile; apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.* Itẽ Aug. *Vbi per graues dissensionũ scissuras, nõ huius aut illius hominis sed plurimorũ strages iacent: detrahendum* Augus. cont. ep. Parmen. Augus. ad Bonif.

est

est aliquid seueritatis, vt maioribus malis sincera charitas subueniat. Propter hoc ergò salubriter, & meritoriè cessat Ecclesia à repetitione decimarum, quæ à laicis detinentur.

¶ Sed quæritur, de soluentibus decimas militibus. Nam cum milites detineant decimas, quæ debentur Clericis, raptores sunt: sed si ita esset, quod aliquis raptor raperet de aceruo frugum, quæ sunt in campo; nihilominu tenetur agricola residium decimare. Ergò cum milites raptores sint decimarum; & hoc sciant agricolæ: videtur quod data decima militibus; debeant de residuo dare decimam Ecclesiæ.

¶ Ad hoc dicendum, quod non est simile: Ecclesia enim sustinet, quod milites habeant, & dissimulat, & quamdiu Ecclesia dissimulat, non tenetur quis Ecclesiæ residium decimare: excusatur enim per dissimulationem Ecclesiæ: dummodo sit in hac voluntate, quod si Ecclesia peteret, libentiùs daret Ecclesiæ quam militibus.

¶ Item, quæritur de militibus Cataloniæ, qui nituntur se tueri priuilegio Apostolicæ sedis indulto (vt dicunt) Comiti Barchinonen. in fauorem Christianitatis & fidei Catholicæ: vt sc. decimas omnium locorum, quæ paganis expulsis reduceret ad cultum Dei: posset licitè retinere, & inter milites, & principes terræ, qui eum iuuarent ad hoc, diuidere.

¶ Item, posito quod possint: nunquid ex illa generali ex priuilegio perceptione poterunt petere decimas noualium, quę facta sunt postea, vel fient; vel illarum rerum, de quibus antiquitus non consueuerunt dari decimæ: vt de olmis, & similibus?

¶ Ad hoc dicendum (saluo meliori iudicio) quod si priuilegium fuit sibi concessum in perpetuum, & suis successoribus: ita quod fuit reale, & propter tam fauorabilem causam, & à sede Apostolica, possunt licitè tenere, vel ad tempus, vel in perpetuum iuxta formam in priuilegio expressam. Fallit tamen hoc in quatuor casibus. Primus, si postea abusi sunt priuilegio: impugnando, scil. Ecclesiam, quam defendere tenebantur: vel non iuuando pro posse ad ampliandum contra paganos cultum fidei Christianæ. Secundus, si fecerunt scienter postea contra priuilegium. Tertius, si per illud priuilegium grauata est enormiter Ecclesia, in cuius Parochia prædia sita sunt. Quartus, si renunciauerunt illi priuilegio. Ad de quintum casum, videlicet, si commiserunt aliquid enorme contra Ecclesiam, à qua tenebant feudum, videlicet occidendo, vel mutilando ausu temerario per se vel per alios rectorem, vel alium Clericum eiusdem Ecclesiæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod non possunt petere decimas noualium, immò debent solui Ecclesiæ: quia talia priuilegia arctanda sunt, non amplianda. Decimas autem aliarum rerum, quæ non consueuerunt decimari, videtur aliquibus, quod possunt petere ipsi milites: eò quod eis ab antiquo terra illa fuit decimabilis, & vna, & eadem res
Decretal. Innocen. non debeat duplici iure censeri, sicut dicit Decretalis Innoc. Sed dicendum: quod illud verum est in monasterio, vel Ecclesia: secus forte posset dici in Laico & similitudinem eius: quod dictum est de noualibus. Vnde dicit lex humana: quod fundo vendito exceptis *lapicidinis, non videntur per illam exceptionem exceptæ, nisi *lapidicinę, quæ tunc apparebāt, licet plures aliæ essent in fundo, quæ non apparebant. Sed quia in ambiguo semper tutior via est tenenda: consulendum est, vt soluantur Ecclesiæ Parochiali.

* Alias, lapicidinis.
* Alias, lapicidinæ.

ARTICVLVS II.

An Religiosi decimas recipere possint?

DEINDE quæritur. Vtrum Religiosi possint recipere decimas. Et quæritur de Templarijs, & Hospitalarijs: quia si solùm Leuitis ex iure diuino pertinet receptio decimarum Num. 18. cum Templarij & Hospitalarij non (Num. 18.) sunt Leuitici generis: recipiendo decimas vsurpant, quod est iuris alieni.

¶ Simili modo obiicitur de monachis: quia si decimę debentur ministris, eò quòd seminant spiritualia: cum ipsi non seminent spiritualia: iniustum est, quod ipsi percipiant decimas.

¶ Item, expressè dicitur Num. 18. *Solis filij Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi, dedi decimas Israel.* Ergò cum Religiosi non sint Leuitę, qui portent peccata populi: quia non habent curam: relinquitur quod contra ius diuinum recipiunt decimas. (Ibidem.)

¶ Item, dicit Canon: *Decimas, iusto ordine non tantum nobis, sed & maioribus omnibus visum est; Plebibus tantum, vbi sacrosancta baptismata dantur, debere dari.* Si ergò baptismali Ecclesię tantum debent dari decimæ; cùm Religiosi non ministrent Sacramenta, nec conferant baptisma: ergò contra Canones est, si recipiant decimas. (Canon Leonis Pap. dist. 16. q. 1.)

¶ Contra, Hieronym. *Liberum est Monachis, & spiritualibus viris Deum timentibus, & colentibus; decimas & oblationes, cunctaq; remedia concedere, & de iure suo in Dominium illorum & vsum transferre: nec tam in pauperibus paupertatem, quam Religionem attendere.* (Hierony. ad Dam. Papam.)

¶ Item, idem ad eundem. *Quicquid habent Clerici, pauperum est.* Et subdit: *Ideò maximè curandum est illis, vt de decimis, & oblationibus, qualem & voluerint, & potuerint, cœnobijs sustentationem impendant.* Ex quibus relinquitur, quod Religiosi decimas possunt recipere, & iusto titulo possidere. (Idem.)

RESOLVTIO.

Cùm Religiosi Leuitarum ordine, & munere computentur, decimas recipere possunt: sed quæ sibi concessæ sunt.

¶ Respon. Dicendum, quod decimas concessas sibi auctoritate Ecclesię: (quod infra determinabitur) possunt Religiosi recipere; decimas verò sibi nō concessas, vt quæ pertinent ad iura aliarum Ecclesiarum, non possunt recipere.

¶ Ad illud: quod obiicitur; quod non conceduntur decimæ, nisi Leuitis secundùm ius diuinum. Dicendum, quod Religiosi in Leuitico ordine cōputantur; verè enim Leuita est: cui conuenit illud, quod dicitur de Leuitis Deuter. 33. *Qui dixerit patri suo, & matri, nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos.* (Deut. 33.)

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur de Monachis. Dicendum quod debent seminare spiritualia dupliciter, per se, & per alios, per se orando, per alios verò ministros, & Sacerdotes instituendo. Sunt enim patroni Ecclesiarum, & debent Sacerdotibus ibidem ministrantibus Sacramenta beneficium competens assignare: quòd si ista non fecerint, raptores sunt, & decimas detinent iniustè.

¶ Ad tertium verò dicendum, quod portare peccata populi, est tripliciter. Vno modo curam animarum suscipiendo: vnde Num. 18. dicit Aaron & Sacerdotibus: *Tu & domus patris tui sustinebitis peccata Sacerdotij vestri.* (Num. 18.) Alio modo pro peccatis orando. Num. 8. *Tradidi Leuitis, & Aaron, & filijs eius, vt seruiant mihi in tabernaculo: & orent pro eis, ne sit in populo plaga, &c.* (Num. 8.) quomodo Monachi, & alij Religiosi portant peccata populi. Tertiò modo contra peccatores zelo Dei pugnando, & fidem Christianam supportando, & defendendo, secundùm quem modum de Leuitis dicitur. Exod. 32. cùm ipsi vindicassent idololatriam vituli conflatilis. (Exod. 23.) *Consecrastis manus vestras Domino, vt detur vobis benedictio.* Per hunc modum Templarij & Hospitalarij, qui pugnant contra hostes fidei Christianæ; consecratas habent manus Domino: vt meritò possint benedictionem percipere decimarum.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod quamuis decimæ debeantur Ecclesiæ baptismali, si patronatum illius habeant Religiosi, vt dictum est, possunt percipere decimas. Si verò non habeant patronatum, & Ecclesia illa superabundet in decimis, potest de illa superabundantia auctoritate Ecclesiæ & consensu (pro vt dicit Hieronym.) indigentia Religiosorum suppleri. (Hierony.)

ARTI-

ARTICVLVS III.

An Clerici sufficienter vnde viuant habentes decimas recipere queant

POSTEA quæritur. Vtrùm Clerici, qui habent sufficiens stipendium, vnde viuant: possint decimas recipere. Quod videtur: quia auctoritate diuinæ legis indistinctè dantur omnibus Leuitis.

¶ CONTRA: institutio decimarum fuit ad hoc, quod haberent sustentationem sufficientem ministri Dei (vnde Malach.3. *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.*) Si ergò habet sustentationem sufficientem: non debent recipere decimam. Malach.3.

¶ ITEM, decimæ præcipiebantur dari Leuitis legis veteris: quia in terra promissionis nihil possidere debebant: vnde Num.18. de Leuitis dicitur: *Nihil aliud possidebunt: decimarum oblatione contenti: quas in vsus eorum & necessaria separaui.* Si ergò possidet multa Clerici, vel de patrimonio Christi, vel de rebus alijs Ecclesiæ, vnde possunt sufficienter sustentari: non debent decimas appetere. Num.18.

¶ ITEM, Hieronym. *Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari; quibus parentum & propinquorum nulla bona suffragantur: qui autem bonis parentum & operibus sustentari possunt; si quod pauperum est, accipiunt; & sacrilegium faciunt & committunt: & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt.* Hierony. ad Dam. Papam.

¶ ITEM, August. *Decimæ tributa sunt egentium animarum.* Si ergò ipsi non egent; non debent recipere decimam: quę est tributum & debitum egentis. August.

RESOLVTIO.

Possunt, at non vt possessores, sed vt procuratores, vt dispensatores pauperum.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod Clericus habens sufficiens stipendium vel redditum; vnde possit aliter quam de decimis sustentari sufficienter, & secundùm statum personæ: potest recipere decimas, vt procurator, in necessitates pauperum, vel vtilitates Ecclesiæ expendendas: non autem potest recipere in vsus proprios conuertendas, vel in malos vsus distrahendas: immò si in proprios conuertant, committunt sacrilegium: si in malos vsus expendunt, incurrunt iudicium. De ipsis enim intelligitur, quod dicit. August. *Si priuatim quæ nobis sufficiant; possidemus: non illa nostra sunt, sed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabilem vendicamus.* Et secundùm hanc distinctionem intelliguntur obiecta. August. ad Bonif.

ARTICVLVS IV.

An vna Ecclesia alterius Ecclesiæ decimas, auctoritate sui Episcopi ab aliquo laico redemptas, retinere possidereve possit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum vna Ecclesia possit accipere decimas de territorio, vel persona alterius Ecclesiæ. Quæritur ergò: posito quod Ecclesia auctoritate Episcopi redimat decimas ab aliquo, quæ sunt in territorio alterius Ecclesiæ, quæ non potest illas redimere: vtrum possit tales decimas perpetuò possidere? Quod videtur: quia hæc Ecclesia est in possessione istarum decimarum secundùm ordinationem Episcopi, cuius est de decimis ordinare: ergo de iure suo sunt.

¶ CONTRA, de iure Canonico & diuino est, quod decimæ soluantur Ecclesiæ, in cuius sunt territorio: quia (sicut de iure diuino est) quod Leuitæ habeant decimas: ita de iure diuino est, quod isti Leuitæ habeant istas decimas: ergò illa Ecclesia, in cuius territorio sunt, poterit eas repetere.

¶ ITEM, raptores sunt, qui metunt carnalia, vbi non seminant spiritualia: sed hæc Ecclesia, qua homo habet istas decimas, non seminat spiritualia in illa Parochia, vt habet decimas: ergò non debet eas possidere: vel si possidet, rapit.

RESOLVTIO.

Potest, sed non nisi in casu.

¶ AD hoc respondetur à quibusdam: quod si Ecclesia illa in cuius territorio sunt illæ decimæ, sufficientem cibum habeat, hoc est sustentationem: & noluerit illas decimas redimere: potest alia Ecclesia de ordinatione Episcopi illas decimas redimere, & etiam possidere. Ad illud verò, quod obiicitur, dicunt: quod de iure diuino est, quod dentur Leuitis decimæ: sed de iure humano est, quod istæ decimæ istis Leuitis dentur. Reliquit enim Dominus ordinationi Ecclesiæ, quæ Leuitæ, quas decimas habeant, & quantum: & ideò non est rapina, si illa Ecclesia prædictas decimas possidet de ordinatione Episcopi, cuius est de talibus ordinare.

¶ SED contra hoc obiicitur. Nam dicit Decretalis. *Si terræ, quæ arabiles sunt, intra certam alicuius parochiæ terram fuerint: decimas earum tua parte retenta facies eidem Ecclesiæ assignari* (scribit cuidam Episcopo) Ergò Episcopus non poterit alteri Ecclesiæ illas decimas assignare. Decretal. Alexand Tertij.

¶ ITEM, de decimis noualium dicit Decretalis. *Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de iure communi pertineat; decimæ noualium, quæ fiunt in parochijs eorundem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur.* Decretal. Innocen.

¶ PROPTEREA dicunt alij melius: decimas noualium, & illas quæ possunt redimi à militibus, etiam aliarum rerum, quæ non consueuerunt decimari, pertinere ad ius Ecclesiæ, in cuius Parochia sunt: nec potest Episcopus, nec ad opus suum retinere, nec alij Ecclesiæ assignare: nisi cum illa noualia, vel illæ decimæ: quæ rediniuntur, non sunt intra terminos alicuius parochiæ determinatæ: vel sit aliquod priuilegium sedis Apostolicæ, per quod posset ostendi, quod illæ decimæ ad aliam Ecclesiam pertinerent: & hoc sumitur ex Decretali Alexand. III. & ex Decretali Innnoc. III.

¶ ITEM, quæritur de illo, qui habet domicilium in vna Parochia, & in alia colit prædia: cui Ecclesiæ decimæ sint soluend. Nam si vna & eadem res non debet diuerso iure censeri: vt dicit Innoc. ergò iste debet decimas vni Ecclesiæ, vel alteri tantùm.

¶ CONTRA. Ratione domicilij tenetur vni Ecclesiæ: ratione prædiorum tenetur alteri: ergò tenetur vtrique.

¶ ITEM quæritur:, aliquis pascit agnos in medietate anni in vna Parochia, in medietate alia in alia Parochia: cum decima debeat dari de agnis & lana; cui Parochiæ dabitur? Videtur quod illi, in cuius Parochia continentur oues.

¶ CONTRA, de omnibus, quæ renouantur inquantum renouantur, debet dari decima: sed lana in duabus Parochijs renouatur: ergò in duabus debet dari decima de lana.

¶ ITEM, quæritur de illo, qui habet caulam seu ouile in vna Parochia: in alia verò pascit oues: cui debet dare decimam. de lacte & lana? Et videtur argui, sicut prius.

¶ RESPONDEO. ad primum secundùm Decretalem Lucij: *Æquum est, vt illæ Ecclesiæ decimæ personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiasticæ percipiunt Sacramenta. Decimæ verò messium, fructuum, vel arborum; si coluerint in aliæ Parochia, quàm in ea, in qua habitant, quoniam à diuersis diuersa consuetudo tenetur: tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noueris obseruatum.* Decretal. Lucij extrauag. de decimis.

¶ AD secundùm dicendum, quod secundùm ius commune, cum reuocatio fiat in duabus Parochijs, duobus sacerdotibus debet dari decima.

¶ AD aliud dicendum, quod de lacte, fœno, lana dari debet decima illi Ecclesiæ, in cuius Parochia sunt pascua: quia cùm inde suscipiant totum nutrimentum: eius tales decimæ prædiales esse censentur.

* * *

ARTI-

ARTICVLVS V.

An pauperibus danda sint decimæ?

Hierony. sup. Ezec. in extra. de decimis & primitijs. QVÆRITVR postmodum. Vtrum pauperibus sint decimæ tribuendæ. Nam dicit Hieronym. super Ezech. *Decimam partem omnium frugum Leuitica tribui populus ex lege debebat:* Rursum ex ipsis decimis Leuitæ, hoc est inferiorum ministrorum gradus decimas debebant sacerdotibus Num.18. Erant quoque aliæ decimę, quas vnusquisque de populo Israel in suis horteis separabat; vt comederet eas, cùm iret in templum in vrbe Hierusalem. Deut.14. Erant aliæ, quas pauperibus recondebant. *Anno tertio separabis aliam decimam, & repones inter ianuas tuas: venietq́, leuites, qui aliam non habet partem, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, & comedent, & saturabuntur.* Si ergò decima conferenda in vsus pauperum maximè pertinet ad pietatem: sed præcepta legis, quæ pietate plena sunt; sunt tempore gratiæ obseruanda: ergò, & præceptum de decima danda pauperibus erit ad literam obseruandum tempore gratiæ.

¶ ITEM, de decima, quæ dabatur ad opus sacrificiorũ, patet ratio; quare tempore gratiæ non sit soluenda: quia sacrificia cessant. De decima verò, quæ dabatur à populo Leuitis: manifestum est, quod tempore gratiæ est seruandum mandatum, ex dictis. De illa verò, quæ dabatur sacerdotibus à Leuitis, iam quæretur. Sed de illa, quæ dabatur pauperibus, cùm simpliciter sit opus morale: maior erit ratio, quare debeat obseruari.

¶ ITEM, pro maiori parte Leuitæ Ecclesiæ, & sacerdotes sufficienter abundant, & habent redditus ad sustentationem: & dotata est Ecclesia temporalibus possessionibus plus, quam in lege veteri: in qua Leuitæ non habebant in terra promissionis hæreditatem; nũc autem abundant pauperes, & plures quam in tempore legis: ergò cum maiori indigentiæ de ordine charitatis subueniendum sit, potius erit denda decima pauperibus quam Clericis & sacerdotibus; & amplius erit debitum soluendi decimam ad sustentationem pauperum in tempore gratiæ, quam in veteri lege: minus verò ad sustentationem Clericorum.

August. ¶ ITEM, dicit August. quod decimæ sunt tributa egentium animarum: ergò sunt debitæ pauperibus.

RESOLVTIO.

Cum quidquid habeamus, pauperibus debeamus, haud quaquam eis decima secundùm determinationem danda sunt: sed secundùm indeterminationem.

¶ RESPONS. Dicendum, quod tempore gratiæ mandatum de decima danda pauperibus anno tertio secundùm determinationem legis non debuit seruari: quia illud mandatum imperfectæ pietatis est, vnde adueniente lege perfectæ pietatis, non debet manere quantum ad imperfectionem: quamuis substantia mandati maneat ampliata; cum dictum est: Math. 5. Math. 5. *Omni petenti à te, tribue.* Vnde Christianus non tantum decimam debet pauperibus: immò totum, quod sibi super est. Luc. 11. Luc.11- *Quod super est, date eleemosynam.*

¶ ET per hæc patet responsio ad primum, & secundum.

¶ AD tertium dicendum: quod Leuitis, & Sacerdotibus tempore gratiæ, qui habent stipendium sufficiens, dãdæ sunt decimæ, quia ipsi sunt pauperum procuratores, & quæcunque habent, communia debent habere cum pauperibus. Hierony. ad Dam. Papam. Vnde dicit Hieronym. *Quicquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes.*

¶ AD vltimum dicendum, quod decimæ sunt tributa egentium animarum: vnde illæ, quæ dantur Clericis; illis dantur: vel quia indigentes sunt, vel vt dispensent egenibus. Res verò Christianorum, quæ superfluunt, eiusdem obligationis censentur: Ambrof. a lib. de officijs. vnde Ambros. *Grandis culpa est, si sciente te, fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat.*

* *
*

ARTICVLVS VI.

An summo Pontifici soluendæ sint decimæ decimarum.

POSTMODVM quæritur: Vtrùm Domino Papæ summo Pontifici soluendæ sint decimæ decimarũ. Et videtur, ꝙ sic: *Præcipe Leuitis, atq; denuncia: cùm acceperitis à filijs Israël decimas: primitias eorum offerte Domino.* id est, decimã partem decimæ, *& date Aaron sacerdoti omnia, quæ offeretis ex decimis.* Num.18. Præceptum ergo de decimis duas partes habuit: sc. vt filij Israël darent decimas Leuitis: & vt Leuitæ darent decimã decimarũ summo Pontifici. Qua ergo ratione prima pars obseruanda est: quod laici dant decimas clericis: eadem ratione, & alia sc. quod clerici debent decimas omnium decimarum dare summo Pontifici.

¶ ITEM videtur, quod magis debeat obseruari secunda: quia summus Põtifex noster toti Christianitati prouidet: sed minoribus sacerdotibus ideo dantur decimæ, vt possent legi Dei vacare, & spiritualia ministrare: sed summum Pontificem oportet magis vacare legi Dei, & dare magis spiritualia: ergo oportet eum magis habere decimas. Videtur ergo quod minores sacerdotes teneantur dare decimam decimarum suarum Domino Papæ.

¶ ITEM, si dicatur quod summum sacerdotium translatum est: & propter hoc nõ tenentur sacerdotes dare decimas summo sacerdoti. Hoc nihil est: quia similiter sacerdotium, & officium Leuiticum mutatum est: quia in vet. lege solebant offerre carnales hostias: modo aũt offerunt spirituales. Si ergo propter mutationem, & translationem non tenentur minores sacerdotes dare decimas summo sacerdoti: ergo similiter propter mutationem sacerdotij, & officij Leuitici non debent Laici dare decimas sacerdotibus, & Leuitis: quod tamen falsum est.

RESOLVTIO.

Quidam dandas volunt, quidam nolunt.

¶ AD hoc dicunt quidam: ꝙ non tenentur clerici dare decimas decimarũ Domino Papæ: propter hoc quod Dominus Papa prouidet toti Christianitati, & difficillimum esse congregare decimam decimarum, ideò ordinauit Ecclesia, vt habeat suam propriam Diœcesim, cui præest immediate, in qua habet decimas, si vult: & iterum habet multa regalia, quæ dederunt Imperatores, vnde sufficientem cibum habet in domo sua. Præterea, omnia bona Ecclesiæ sua sunt: & accipit inde quantum vult; vnde non oportet sibi fieri hanc taxationem, vt solùm, sc. accipiat decimam.

¶ ALIIS verò videtur, quod Summo Pontifici debentur decimæ decimarum, si petat, & sit necessitas Ecclesiæ; si verò non petat, nec sit necessitas Ecclesiæ, cui ipse habet prouidere, non tenentur inferiores sacrdotes dare.

MEMBRVM VII.

Qui teneatur dare decimam.

QVÆRITVR consequenter, qui teneatur dare decimam. Circa quod quæruntur tria. Primò, vtrum omnes vniuersaliter teneantur dare decimam. Secundo vtrũ Clerici teneantur dare. Tertio, vtrum Religiosi teneantur dare.

ARTICVLVS I.

An vniuersaliter omnes ad decimas teneantur?

PRIMÒ quæritur. Vtrum omnes vniuersaliter teneantur ad decimam, qui non sunt Leuitici ordinis. Quod probatur: quia sicut dicit Greg. Papa,) *oportet decimas, quas iure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere: quas fideles, Domino præcipiente, offerunt:* Greg. 15. q. 7. cap. Decimas. *iuxta illud* Malach. 3. Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meũ.* Ex quo videtur relinqui, quod omnes Laici, tam diuites, quam pauperes teneantur ad decimam.

¶ CONTRA, dicit August. quod decimæ sunt tributa egentium animarum: ergò si aliquis ita pauper est, quod August.

non

non sufficiat sibi, & filijs quod habet, etiam cum decima: sacerdos verò suus in nullo egeat, sed superabundet: ergo istius pauperis plus debet esse decima, quàm sacerdotis.

RESOLVTIO.

Vniuersaliter omnes ad Deo decimas soluendas tenentur, sicut generaliter omnes ad censum Cæsari reddendum obligantur.

¶ RESPON. Dicendum, quòd tam pauperes, quàm diuites, tenentur ad decimam: quia decima est pars, quæ Deo debetur; à quo tam pauper quàm diues recipit totũ: vera autem est promissio Dei, quòd propter solutionem decimæ nunquam aliquis efficietur pauperior, vnde Malach. 3. *Inferte omnem decimam, &c. & probate, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero benedictionem vobis.* Vnde propter hoc dicit Augustinus: *Maiores nostri ideo omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddedant.* Dicendum ergo, quòd sicut aliquis laicus tam pauper, quàm diues, non absoluitur à censu Cæsaris: ita nec à solutione decimæ, quæ redditur Deo in signum generalis dominij.

Malach. 3. Augufst.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur, quòd decimæ sunt tributa egentium: patet responsio ex prædictis. Nam decima non redditur sacerdoti, nisi aut propter supplendam suam paupertatem, si pauper est: aut propter procuratione pauperum, quæ ad sacerdotem, vel clericum pertinet. Ideo in prædicto casu cùm egens, & pauper offert sacerdoti diuiti decimam: ipse pauper tenetur dare, & ipse sacerdos, vt redonandam ei recipere; quia & ipse tenetur maximè pauperes de superabundantia sua sustentare.

ARTICVLVS II.

An clerici teneantur ad decimas soluendas?

SECVNDÒ quæritur de personis Leuitici ordinis; vtrùm teneantur ad decimas? Quæritur ergo de clericis, vtrùm teneantur? Ad quod obijcitur; nam dicit Decretalis Paschalis: *Nouum genus exactionis est, vt clerici à clericis decimas exigant: cùm nusquam in lege Domini hoc legamus.*

Paschalis in decret. lib. 3. tit. 30 cap. 2.

¶ ITEM Num. 18. dicitur: *Filijs Leui dedi omnes decimas Israelis.* Si ergo eis debentur decimę, secundùm legem Dei non tenentur ad decimam.

Num. 18.

¶ CONTRA, dicit Canon Concilij * Tabilon. *Ecclesia antiquitùs constituta, nec decimis, nec vlla possessione priuentur.* Si ergo clerici, vel per successionem patrimonij, vel per acquisitionem emptione, vel donatione obtineant prædia, quæ tenebantur ecclesijs ad decimam: antequam ad possessionem eorum peruenirent: tenebuntur de illis prædijs dare decimam.

* al. Cebilonensis.

¶ ITEM, maioris perfectionis tenétur esse Leuitæ Euangelici, quàm Leuitæ legis veteris: sed Leuitæ legis veteris tenebantur dare decimas de decimis acceptis ipsis sacerdotibus: sicut dicit Hierony. & habetur Num. 18. ergo multo fortiùs Leuitæ Euangelici.

Hierony. super Ezechiel.

RESOLVTIO.

Clerici de ijs, quæ iure ecclesiæ possident, decimas soluere non debent: secus de ijs, quæ vel patrimonio, vel sui acquisitione detinent.

¶ RESPON. Clerici aut possident res titulo ecclesiæ, aut titulo patrimonij, seu donationis, vel emptionis. Dicendum ergo, quòd de his, quæ possident titulo ecclesiæ, non tenentur: quia ratione ministerij, quo deseruiunt ecclesiæ, percipiunt etiam decimas à laicis: vnde res illas, quas possident titulo ecclesiæ, non tenentur decimare iure eodem: Et hoc modo intelligitur decretalis Paschalis, & etiam ipsa lex de decimis dandis, & etiam canon Paschalis. A clericis communiter viuentibus nulla ratio sinit, vt Episcopi, aut quælibet personæ decimas accipiant de laboribus seu nutrimentis proprijs. Et intelliguntur viuentes communiter, non solùm Regulares, sed etiam Canonici seculares, qui accipiunt de rebus ecclesiæ, quæ sunt communes, stipendium: & de illis dicunt Iurisperiti, quod non debent decimas dare: nisi esset consuetudo, quod de his in morte testari possunt: & tunc dicunt, quod tenentur dare decimas de prædijs ecclesiæ, sicut de proprijs. De rebus verò prædialibus patrimonialibus, vel acquisitis: dicunt quidam, quod tenentur dare decimam illi ecclesiæ, cui debebatur, antequam ad ipsos possessio perueniret indistinctè. Alij verò distinguunt, quod aut deseruiunt illi ecclesiæ, cui debentur illæ decimæ, aut nõ: si deseruiunt illi ecclesiæ, dicunt quod non tenentur: si nõ deseruiunt, non tenentur: & secundùm hoc intelligunt p̃dictos canones.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de maiori perfectione Leuitarum Euangelij, quàm veteris legis. Dicendum, quòd decimæ sunt dandæ secundùm determinationẽ ecclesiæ. Determinat autem ecclesia perceptionem decimarum per indistinctionem quantum ad sacerdotes, & Leuitas: ita quod non separat ius sacerdotale à Leuitico; propter quod non tenentur Leuitæ ad decimas dandas sacerdotibus, nisi secundùm distinctionem prædictam: quod iam ampliùs declarabitur.

ARTICVLVS III.

An & religiosi teneantur ad solutionem decimarum?

TERTIÒ quæritur: An religiosi tenentur ad solutionem decimarum? Quod probatur: nam secundùm canonem Concilij Magotieñ. 16. q. 1. *Nulli licet decimationum prouentum à priori ecclesia, cui assignatus fuerat, abstrahere.* Cùm ergo decimæ baptismalibus ecclesijs dandæ sint, sicut dicit canon Leonis: ergo monachi & religiosi alij ex proprijs decimas dare tenentur.

¶ ITEM, obijcitur sicut priùs: Religiosi veteris Testamenti tenebantur ad decimas, Luc. 18. *Decimas do omnium, quæ possideo:* dicit Pharisæus. Luc. 18.

¶ ITEM Matth. 23. *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis menthã & anethum:* & hoc oportuit facere; ergo multo magis religiosi noui testamenti tenentur ad decimam. Matt. 23.

¶ CONTRA, canon Concilij Magotien. 16. q. 1. Decreuit sacer iste cõuentus, vt Episcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad vsum suum, & fratrum stipendium, habent, ad ecclesias suas decimas deferri faciant.

¶ ITEM Canon Paschalis: *A monachis seu clericis communiter viuentibus nulla ratio sinit, vt Episcopi, siue aut persona quælibet de laboribus seu nutrimentis suis proprijs decimas extorquere debeant.* Ex quibus relinquitur, quòd non tenentur ad decimam.

RESOLVTIO.

Quidam de quibusdam tenentur, quidam de quibusdam non tenentur, idq; ex priuilegio, & in casu.

¶ AD hoc respondetur, quòd priuilegio sedis Apostolicæ tenentur religiosi ad decimas aliquas persoluendas. Vnde distinguitur inter religiosos: quia Monachi albi, Templarij & Hospitalarij Hierosolymitani non tenentur dare decimas de possessionibus suis, quas proprijs manibus vel sumptibus excolunt: secùs est, si tradunt terras excolendas ad firmam: sicut dicit Decretalis Alexandri III. extra, de decim. Licèt de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum: vt de laboribus, quos proprijs manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas soluére teneamini: propter hoc tamen non est licitum decimas de terris vestris subtrahere, quas alijs traditis excolendas. Monachi verò nigri, Canonici Regulares, & alij religiosi, tenentur dare decimas de omnibus possessionibus suis: exceptis noualibus, ortis, nutrimentis animalium suorum: vt dicit Decretalis Alexandri Tertij. Indulsit Adrianus monachis nigris, cæterisque religiosis, vt de noualibus, quæ proprijs manibus, vel sumptibus excolunt: & de nutrimentis animalium suorum, & de ortis suis decimas non persoluant. Quare hi, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de alijs rebus ecclesiæ suę non possunt sub-

subtrahere: vel sibi ad aliquid vlterius vendicare.

¶ Adhvc tamen distinguendũ est: quòd illud, quod dictum est de Monachis albis, Templarijs, & Hospitalarijs: intelligendum est de possessionibus quas habebãt ante generale Cõcilium: de illis enim quę postea gratis sunt collatæ sibi, vel quas ipsi emerunt: etiam si illas proprijs manibus, vel sumptibus excolunt, tenentur soluere decimas ecclesijs, quibus ratione prædiorum antea soluebantur: sicut dicit decretalis Innocẽtij Tertij in Concilio generali. Decreuimus, vt de alienis terris, & amodò acquirendis, etiam si eas manibus proprijs ac sumptibus excolunt; decimas persoluant ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur; nisi cum ipsis ecclesiis aliter duxerint componendum.

¶ Sed obiicitur in contrarium: quia antequàm dominus Papa clericis, & religiosis personis dedisset priuilegiũ de non soluendis decimis (vt dictum est) de terris, quas ipsi excolunt, ipsi tenebãtur dare decimas ex lege Dei. Sed contra legem Dei non potuit dominus Papa dispensare: ergo adhuc tenentur de illis decimas dare.

Respon. Præceptum de decimis iudiciale fuit, & ideo de illis potuit ecclesia ordinare, quæ quas decimas debeant recipere, & qui soluere: & ideo benè dominus Papa potuit cum religiosis, & clericis dispensare, vt nõ debeant decimas soluere, maximè cùm Leuitici ordinis religiosi cẽseantur: sicut & de aliis iudicialibus potest ecclesia immutare ratione necessitatis, vel vtilitatis.

¶ Notandvm tantùm est: quòd omnia hæc priuilegia de decimis non dandis, non defendunt in quibusdam casibus. Vnus casus est; cùm pactione, vel communi actione tenentur ad eas soluendas: sicut dicit Decretalis Adriani, extra de decimis, & primit. cap. Ex multiplici, &c. Alius casus est, cùm Parochialis ecclesia, in cuius parochia sita sunt prædia, enormiter læditur. Tertius est, cùm soluendo eas, renunciant tacitè priuilegio secundùm iura.

MEMBRVM VIII.

De emptione, & redemptione decimarum.

Consequenter quæritur de emptione, & redemptione decimarum. Quæruntur ergo circa hoc negotium tria. Primò, vtrùm possint emi? Secundò, vtrùm possint redimi? Tertiò, vtrùm possint sub pignore recipi?

ARTICVLVS I.

An decimæ emi possint?

Ad primum sic obiicitur: Altare, & decimas, per pecuniam dare, & spiritum sanctũ vendere, simoniacã hæresim esse, nullus fidelium ignorat, dicit Canon Paschalis 1. quæst. 3. ergo nullo modo possunt vendi vel emi, nisi simoniacè.

¶ Contra, Ius percipiendi decimas temporale, & transitorium est, & est dos ecclesiæ carnalis: ergo est pretiabile, ergo ponere ipsum sub pretio non est peccatum, ergo licet emere decimas.

¶ Si dicatur, quod non licet: quia quamuis ius percipiendi decimas non sit spirituale, est tamen annexum spirituali. Contra: Similiter ius percipiendi redditus in hac villa est annexum spirituali: quia sicut ecclesia habet ius percipiendi decimas in hac villa, ita & alios redditus: ergo qua ratione non licet emere decimas, quia sunt de possessionibus ecclesiæ, ita nec licet emere villas ecclesiæ, quod falsum est.

RESOLVTIO.

Decima, vt fructus emi possunt, vt ius percipiendi emi non possunt.

¶ Solvtio. Decima dicitur ius percipiendi: decima etiam dicitur ipse fructus. Primo modo non potest emi: secundo modo potest. Ius enim percipiendi decimas est annexum spirituali naturali ordinatione, & diuina. Naturalis ordinatio est, vt qui seminant spiritualia, metãt carnalia, hæc enim est ratio dati, & accepti, de qua inquit Apostolus ad Philippens. vltim. & hæc est æqualitas mannæ, vt qui plus collegit, non magis: nec qui minus collegit, minus habeat. Laici enim qui plus colligunt de temporalibus, debent dare clericis, qui minus colligunt: vt sit æqualitas, & possint vacare legi Dei, quæ vacatio spiritualis est.

¶ Ad primum ergo dicendum: quòd sicut corpus hominis impretiabile est, quia adiunctum animæ rationali, quæ est impretiabilis: ita decima est impretiabilis, quia est adiuncta officio, & ministerio spirituali.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Dominus ordinauit, vt pro carnalibus, quæ debentur seminantibus spiritualia, darẽtur decimæ. Vnde patet, quòd ius decimarum annexum est spirituali naturali ordinatione, & diuina: alij autem redditus sunt annexi spirituali ex accidenti. Et propter hoc non est simile.

ARTICVLVS II.

An decimæ licitè à Laicis redimi possint?

Secvndò quæritur: Vtrùm decimæ possint licitè à laicis redimi. Nam dicit Innocent. extra de simon. Ecclesia, sicut non potuit emi, ita nec redimi. Si ergo decimæ non possunt sine periculo simoniæ emi: ergo nec redimi.

¶ Item, canon Concilij Magotien. 16. q. 7. Decimas, quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo redimãtur: ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Ex quo relinquitur, quod non possunt licitè redimi.

¶ Contra, quilibet potest redimere ius suum: ergo si ius decimarum pertinet ad clericos, non ad laicos: licitè possunt decimas clerici à laicis redimere.

RESOLVTIO.

Diuersi diuersa hoc sentiunt.

¶ Respon. Circa hoc sunt diuersæ opiniones. Nam quidam dicunt, quod non licet alicui ius suum spirituale redimere, sicut nec emere. Et quod dicitur, quòd licet cuilibet redimere ius suum, intelligitur de iure non spirituali. Vnde ita intelligunt prędictum canonem. Prohibẽdum est Episcopis, ne fiat ab eis: supple, vt redimant. Vnde dicit Decretalis Lucij de quodam canonicè electo à maiori parte Capituli, paucis sibi contradicentibus, qui ad sedandam turbationem pecuniam dedit, quod incurrit labem simoniæ: & tamen videbatur dedisse pecuniam, vt redimeretur ius suum.

¶ Alii verò dicunt quod potest quis redimere vexationem suam, & detrimentum, quod habet circa ius spirituale. Vnde Cõcilium Vrbani Papæ 1. quæst. 3. dicit, quòd monachi possideant decimas sibi iustè collatas: quas tamẽ ab Episcopis redimere pecunia compellebantur. Et argumentum habẽt ad hoc ex autoritate Aug. qua videtur, quod aliquis potest emere iustum iudicium; quando iudex non vult ei sine pecunia iustè iudicare. Vnde Augustinus: *Ille solet malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit: quoniam venale esse non debuit.* Et hoc exponunt ipsi canonem prædictum. Decimas, quas populus non vult dare, &c. prohibendum est, ne fiat: supple, prohibendum est laicis ab Episcopis, ne hoc faciant: hoc est, ne aliquid accipiant pro redemptione decimarum à clericis. Secundùm hoc dicunt, quòd potest redimi decima: cùm scilicet redimens scit, vel credit nullum ius habere detentorem: & tamen dicunt, quòd potest repetere, quod dat pro redemptione, de iure. Aug. ad Macedonium.

¶ Alii verò tenent viam mediam, dicentes: quòd ex pacto partium, hoc est clerici & laici non possunt redimi decimæ, sicut nec aliqua spiritualia, vel spiritualibus annexa; sed auctoritate episcopi, ad cuius dispositionem spectant decimæ, potest fieri, vt ecclesia, vel clericus recipiat decimam, & det laico aliquam pecuniam: & hoc dicunt

iuxta

iuxta decretalem Vrbani, qui dicit, quòd commutationes præbendarum de iure fieri non possunt pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel annexa spiritualibus labé semper continet simoniæ; si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de vno loco ad alium transferre personas. Simili modo dicunt, quod auctoritate Episcopi modo prædicto possunt clerici redimere decimas. Illum verò canonem Vrbani 1. quæst. 3. de monachis redimentibus ab Episcopis decimas: intelligunt, quòd monachi non dabant pecuniam, vt nouum ius decimarum acquirerent; sed vt iam acquisitum retinerent pacificè.

ARTICVLVS III.

An decimæ impignorari possint?

TERTIÒ quæritur de impignoratione decimarum. Et dicitur communiter, quòd possunt clerici eas recipere sub pignore à laicis: sicut & quamlibet aliam possessionem, quam laicus detineret violēter, & iniustè. Nec tenetur in talibus fructus computare in sortem: dum tamen non pertineant huiusmodi decimæ ad alienas ecclesias: quia tunc prohibitum est per Decretalem Gregorij, quod non recipiantur à laicis, extr. de decim. *Interdicimus personis ecclesiasticis vniuersis: vt decimas detentas, ad alienas ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.*

¶ SED obijcitur: quia in prædicto casu clericus accipit illos fructus præter sortem ex vi mutui: cùm ergo vsura sit acceptio rei alicuius ex vi mutui præter sortem: prædictus erat vsurarius.

¶ CONTRA, illi fructus erant ecclesiæ, & ecclesia dedit ei (supponatur hoc) ergo non peccat accipiendo illos fructus: ergo non est vsurarius contractus.

RESOLVTIO.

Decimæ in pignus accipi possunt, modò adsit intentio recta.

¶ QVOD concedimus hac ratione: nec valet argumentatio: accipit aliquid præter sortem ex vi mutui, vel pignoris, ergo est vsurarius: nisi addatur, aliquid alienū: ille verò non accipit aliquid alienum immò suum: quia sibi datum est ab ecclesia seu prælato, qui dare poterat.

Casus. ¶ AD maiorem autem euidentiam ponatur casus in mutuo. Ponatur, quòd aliquis laicus habeat in aliquo territorio 40. modios de redditibus, 20. de decima, & 20. de censu, & contrahat mutuum cum aliquo clerico; quò dat ei mutui centum libras; vt habeat quolibet anno decem modios in illis redditibus. Quæritur, vtrùm ille contractus sit vsurarius? Probatur quod non: quia liceret clerico illi quolibet anno percipere totam decimam, scilicet 20. modios: ergo multo fortiùs decem modios.

¶ SED contra. Accidat sterilitas terræ: ita quod in territorio illo, in quo solent esse 40. modij, non sint ibi, nisi duodecim, iste clericus accipit de illis duodecim decem, & non sunt in decima nisi sex, ergo quatuor accipit de cēsu: ergo aliquid accipit de alieno præter sortem ex vi mutui.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd si clericus fecit contractum suum hoc modo, & hac intentione, vt quicquid cōtingat, habeat de redditibus illis decem modios: vsurarius fuit ille contractus. Si verò hac intentione cōtractum fecit, vt de decima habeat decem modios, si ibi sint: non est vsurarius.

QVÆSTIO LII.

De Primitijs.

In duo Membra diuisa.

D.Tho. 2.2.q.89. POSTEA ordine consequente quæritur de Primitijs. Est autem primitia prima pars frugum: vel fœtuum, Domino offerenda. Quæruntur autē circa hanc materiam præcipuè duo. Primò, vtrùm primitiæ sint in præcepto? Secundò, quanta debeat esse?

MEMBRVM I.

An primitiæ sint in præcepto?

AD primum sic obiicitur, Exod. 22. *Decimas tuas: & primitias non tardabis offerre.* Ergo qua ratione decimę sunt in præcepto, & primitiæ. Exod. 22

¶ ITEM, Exod. 23. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Dei tui.* Exod. 23.

¶ ITEM, Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Et subditur: *Quicquid primitijs est in pecoribus tuis, sanctificabis Domino.* Exod. 13

¶ ITEM, Ezechiel. vlt. *Erunt Leuitis, & sacerdotibus primitiæ de primitijs terræ sanctum sanctorum.* Ezech vlt.

¶ ITEM, Malach. 3. *In quo confiximus te: in decimis, & primitijs. Et in penurias vos maledicti estis.* Malac. 3

¶ ITEM, Canon Gregor. 16. quæst. 7. *Oportet decimas, & primitias quas iure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere.* Can Gregor dist. 16. q. 1 c. decimas

¶ ITEM, Canon Alexand. dist. 32. *Decimæ, & primitiæ seu oblationes viuorum & mortuorum ecclesiæ Dei fideliter reddantur à laicis: quas qui retinuerint, ab ecclesiæ sanctæ communione separentur.*

¶ ITEM, Innocen. extr. de decim. *Deus in signum vniuersalis dominij decimas sibi reddi præcepit: suas esse decimas, & primitias asseuerans.* Ex his ergo manifestè relinquitur, probatum admodum quòd primitiæ sunt in præcepto.

RESOLVTIO.

Primitiæ, quemadmodum & decimæ in præcepto sunt, sed diuerso: secundùm substantiam quidem in præcepto morali, & naturali: secundùm determinationem verò in iudiciali, vel in figurali: nunc verò temporis etiam in præcepto ecclesiæ.

¶ QVOD quidam absolutè concedunt. Aliorum opinio.

¶ CONTRA, Exod. 13. cùm lex primogenitorū datur, subditur: *Erit quasi signum in manu tua.* Si ergo eadem est ratio legis primogenitorum, & primitiarum: lex primitiarū in signum est, ergo præceptum de primitijs fuit cærimoniale; ergo tempore gratiæ non est seruandum: quemadmodum nec alia præcepta significatiua. Exod. 13.

¶ FVERVNT alij, qui dixerunt: quòd præceptum de primitijs morale est: nec cessauit, sed remanet ampliatum in oblationibus quotidianis, quæ fiunt ecclesiæ.

¶ CONTRA: Pari ratione posset dici, quòd præceptū de decimis remanet ampliatum: cùm oblationes, & redditus, quos modò habent ecclesiæ, sint maiores quàm decimæ legis veteris: ergo in illis redditibus, quos accipiunt ecclesiæ, seruaretur præceptum de decimis: sicut dicitur seruari præceptum de primitijs in oblationibus, quod falsum est.

¶ ITEM de iure naturali simpliciter est: quòd honorādus est Deus de propria substantia, & ante omnia honorandus: sed in exhibitione primitiarum secundùm se, non aliud ostenditur, quàm honor Dei de propria substantia ante alia, ergo pręceptum de primitijs secundùm formam præcepti simpliciter est de iure naturali: præceptum verò de decimis propter taxationem partis decimæ non est de iure naturali simpliciter, quò ad formam taxationis: ergo præceptum de primitijs secundùm formam præcepti potiùs est seruandum, quàm præceptum de decimis: cùm ea, quæ sunt iuris naturalis, simpliciter maneant immutabilia, & vno modo semper ab omnibus sint obseruanda.

¶ RESPON. Præceptum de primitijs, & præceptum de decimis, quantum ad substantiam præcepti sunt iuris naturalis simpliciter: & substantia præcepti est, vt honoretur Deus de propria substantia, vt dicitur Prouerb. 31. & sustentetur minister eius, sicut dicitur Malach. 3. & secundùm hoc manet literaliter immutatum. Quantum verò Prouer. 3. Malac. 3.

ad determinationẽ præcepti fuit præceptum iudiciale per legem, & etiam præceptum figurale per inspirationem. Cùm enim ex lege naturali haberetur sicut morale simpliciter, quòd honoraretur Deus:& sustentaretur minister eius; non tamẽ determinatũ esset, quo ordine, vel in quota parte; necessaria fuit determinatio per legis datæ iudicium: determinatum est ergo, quo ordine in primitijs, & in quota parte in decimis, sequendo instinctum rationis naturæ:sicut supra dictum: & sic factum est iudiciale præceptum. Item, cùm per culpam originalem sentiret se posteritas Adæ eiectam de paradiso: in qua mansisset, si non fuisset peccatum:in paradiso autẽ duo sunt: vnum est obtinere hæreditatem cœlestem, quod est proprium primogenitorum:&hoc est per comparationem ad Deum, aliud obtinere societatem Angelorum, & hoc est respectu conciuium:per inspirationem ostensum est homini, quòd natura humana erat reparabilis quò ad vtrunq;, scilicet quò ad primogenituram, seu obtinendam hæreditatem cœlestem;& quò ad obtinendam societatem Angelicam: Inde est, quòd inclinata est ratio hominis & natura ad hoc: vt faceret ea, quæ essent signa huius reparationis faciendæ. Facta est igitur à principio significatio restituendæ primogenituræ;seu hæreditatis:& hoc per oblationem primitiarum, & primogenitorum in Abel. Secundò verò facta est significatio restituendæ Angelicæ societatis in oblatione decimarum per Abraham: homo enim erat drachma decima perdita:sicut dicit Dominus Luc. 15. Vnde dicit Augustinus: *Redde decimam Deo, alter non deduceris ad decimã Angelorum.* Præterea, cùm ex lege naturali teneret homo, quòd honorandus est Deus de propria substantia; teneret etiã, quod honorandus sit vt auctor & principium, & honorãdus vt conseruator & finis, ex inspiratione cum ratione in oblatione primitiarum significauit honorandum Deum sicut principium & auctorem bonorum: in oblatione verò decimarum sicut conseruatorem & finem bonorum, sicut dicit Isid. super illud Exod. 22. *Decimas, & primitias, &c.* Et istis duabus de causis vltimò assignatis factum est præceptum de decimis & primitijs præceptum figurale.

Luc. 15. August.

Isid super Exod. 22.

¶ RESPONDENDVM igitur de primitijs, sicut responsum est de decimis: quod secundùm substantiam, & indeterminationem est præceptum morale, & semper seruandum: secundùm verò determinationem ordinis præceptum de primitijs simpliciter iudiciale est, vel figurale, quantum ad tempus ante incarnationem: quemadmodum præceptum de decimis quantum ad taxationem talis partis. Illa ergo ratione, qua figurale est, non manet tempore gratiæ:sed in illa qua iudiciale. Iudicialia autem præcepta cùm instituta sint propter vtilitatem publicam, relicta sunt potestati ecclesiæ, vt secundùm eius arbitrium, vel seruentur, vel determinentur, vel etiam mutentur: secundùm quod expedit cõmuni vtilitati. Sicut ergo dictum est de decimis, quod ante legem quò ad taxationẽ talis partis erant in consilio, adueniente lege in præcepto, tempore verò gratiæ quantum ad aliquid sunt in consilio, quantum ad aliquid sunt in præcepto; vt suprà ostensum est: ita & de primitijs dicendum est.

¶ SOLVITVR ergo præcedens quæstio, vt dicatur quòd solutio primitiarum secundùm determinationẽ ecclesiæ est in præcepto tempore moderno: determinat autem, vt secundùm consuetudinem approbatam soluantur primitiæ; & secundùm legem diuinam, vbi consuetudo est soluere primitias:præterea, vbi indigentia ministrorum Dei est, quibus secundùm legem debetur sustentatio, soluendæ sunt primitiæ. Dico secundùm formam præcepti, si ab ecclesia requirantur.

¶ PATET ergo responsio ad prædictas autoritates, quibus ostenditur:quod primitiæ sunt in præcepto.

¶ SIMILI modo patet responsio ad secundum, quod obijciebatur; quòd primitiæ erant in signum. Erant enim primitiæ in signum vno modo, alio modo non:secundùm quod erant in signum, erant in signum rei futuræ, scil. reparandæ primogenituræ, & cœlestis hæreditatis: erant etiam Iudæis in signum rei præteritæ, scilicet beneficij liberationis ab Ægypto per interfectionem primogenitorum Ægypti, saluatis primogenitis Israëlis: erant etiam in signum rei faciendæ, vt scilicet initium nostrorum operum Deo auctori tribuamus. Sed quò ad has rationes significationis non manet præceptum de primitijs, sed manet quò ad aliam rationem, & immutabiliter secundùm rationem moralem & indeterminatam, & mutabiliter secundùm rationem iudicialem determinatam; quia arbitrio ecclesiæ relinquitur.

¶ AD vltimum verò quod dicitur: quòd præceptum de primitijs secundùm determinationem præcepti est de iure naturali; quia de iure naturali est, quòd honoretur Deus ante omnia. Dicendum, quod non sequitur: nam & de iure naturali ante omnia honorandus est Deus in quolibet ordine distributionis substantiæ, vt sicut in primitia, ita & in vltima, & media.

MEMBRVM II.

Quanta debeat esse primitia?

SECVNDÒ quæritur: quanta debeat esse primitia? Ad quod nota, quòd non inuenitur expressum in libris Moysi, dicit tamen Hieronymus: *Maiorum traditione introductum est: qui plurimum, quadragesimam partem dabant sacerdotibus: qui minimum, sexagesimam: inter quadraginta, & sexaginta licebat offerre quodcunque voluissent; & hoc in aridis, & liquidis: in fœtibus autem primogenitum dabatur.* Standum est autem consuetudini; vt quælibet ecclesia seruet consuetudinem suam, si habet:si non habet, recurrat ad consuetudinem vicinarum ecclesiarum. Si inuenit ibi diuersam consuetudinem, illam consequatur, quæ magis tendit ad mediocritatem: vel quæ à pluribus obseruatur. Si tamen ecclesia esset tenuis: nec haberet Sacerdos vnde posset sustentari: satis tunc dicerem illam consuetudinem eligendam, quæ amplius soluit: vel saltem mediam inter illas. Hierony.

QVÆSTIO LIII.

De Oblationibus.

In duo Membra diuisa.

RESTAT inquirere de oblationibus. Prætermissis autem generibus oblationum legalium, de quibus infra quæretur: generali sermone quæruntur ista. Primò, vtrùm oblationes sint in præcepto tempore gratiæ. Secundò, cui sit danda oblatio? Tertiò, à quo recipienda sit oblatio; sed de hoc suprà Quæstione de legibus Iudicialibus circa personas infames. Et iterum supra Quæstione de decimis: vtrùm de iniustè acquisitis posset dare decimas? D. Tho. 2 2 q. 86.

MEMBRVM I.

An oblationes nunc temporis (scilicet) gratiæ, in præcepto sint?

CIRCA primum sic obijcitur Exod. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus:* super quem locum dicit Canon Gregorij: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

¶ ITEM, Ecclesi. 35. *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus:* hæc enim omnia propter mãdata Dei fiunt. Et subdit immediatè: *Oblatio iusti impinguat altare.*

Exod. 23. Can. Gregor. de consecr. d. 1. ca. omnis Christianus. Ecclesi. 35.

¶ ITEM, Anastasius 16. q. 1. *Statuimus, vt si quis oblationes ecclesiæ, vel decimas, quas populus dare debet, tenere cõtenderit, communione priuetur.* Ex his manifestè relinquitur, quod oblationes sint in præcepto.

¶ ITEM dicit Canon Carthag. Concilij 13. q. 2. *Qui oblationes defunctorum, aut negãt ecclesiis, aut difficulter reddunt, tãquam necatores egentium excommunicentur.*

¶ CONTRA, in Euangelio oblationis exhibitio non ponitur per modum præcepti, sed solùm per modum consilij,

Matth.5. filij, cùm dicitur Matth.5. *Si offers munus tuum ad altare, &c.* secundùm quem modum proponuntur alia cōsilia, Matt.
Matt.19. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Ergo lex Euāgelij iudicat oblationes dandas pro consilio, non præcepto.

¶ ITEM, de oblationibus non est dictum in Euangelio, quemadmodū & de decimis, *oportuit ista facere, Matt.23.* Matt.23.

¶ ITEM si dicatur iuxta canonem Greg. quod est præceptum ex lege veteri Exod. 23. *Non apparebis in cōspectu meo vacuus.* Ergo pari ratione pręceptum erit tribus vicibus per singulos annos festa celebrare, solennitatem Azimorum, & Pentecostes, & Scenophegiæ, iuxta eandem legem, intra quam prædictum præceptum includitur, ita enim ibi dicitur: *Tribus vicibus festa celebrabitis, solennitatem Azimorum, &c.* & subditur: *Non apparebis in conspectu meo vacuus: & solennitatem messis primitiuorum*: hoc est Pentecosten; solennitatem quoque quę in exitu anni est, Scenophegiam. Si ergo obseruare ista secundùm ritum legis nō tenemur tempore gratię, quia hoc esset iudaizare: ergo non tenemur ad illud, quod includitur in eis, scilicet, *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Exod. 23.

RESOLVTIO.

Alia atq; alia ratione, & in præcepto, & in consilio.

¶ RESPON. Communiter distinguuntur tres species oblationum secundùm consuetudinem ecclesiæ. Vna est alicuius rei donatio gratis facta inter viuos Deo, vel ecclesiæ. Alia est alicuius rei donatio, Deo vel ecclesiæ facta causa mortis. Tertia est quotidiana & vsualis, quam faciūt fideles ad altare, seu manum sacerdotis. Dicunt autem Iurisperiti: quòd in prima, & secunda specie oblationes necessariò sunt soluendæ Deo, vt quicunque non soluerint debeant communione priuari; secundùm quod dicit Canon Alexan. dist. 32. *Oblationes viuorum, & mortuorum ecclesiæ Dei fideliter reddantur à laicis, quas qui retinuerit, à sancta ecclesiæ communione separetur.* Et iterum Canon Concilij Vatensis 13. quæst. 2. *Qui oblationes defunctorum retinent, & ecclesiæ tradere morantur, vti infideles ab ecclesia sunt abijciendi.* Has ergo oblationes dicunt necessariò soluendas: quia istæ sunt ex dono, merè pertinentes ad proprietatem ecclesiæ, & ideo sacrilegus erit, qui ista non reddit. In tertia verò specie oblationum diuersificantur opiniones. Nam quidam dicunt quòd oblationes quotidianæ sunt in præcepto, & necessariò soluendæ, secundùm quod dicit Canon Gregorij: *Omnis Christianus, &c.* vt supra. Alij verò dicunt, quotidianas oblationes voluntarias esse, & in consilio: Canonem verò Gregorij intelligunt de oblatione interiori, vel bonorum operum. Similiter illud, quod dicitur Exod. 23. &
Exod. 23. & Ecclesi. 25. Ecclesi. 25. *Non apparebis, &c.* si intelligatur in præcepto: vel intelligunt illud esse dictum per modum consilij, nō præcepti. Alios verò canones intelligunt de oblationibus alijs, de quibus suprà dictum est.

¶ SED obijcitur: nam quæstio de oblatione soluenda potest duobus modis intelligi: aut de oblatione facta, aut de oblatione fienda. De oblatione iam facta ecclesię quocunq; modo, nullus dubitabit, quin necessariò, si habeatur, sit soluenda: quia (sicut dicit canon) ecclesiam fraudare sacrilegium est. De oblatione igitur fienda nullus similiter dicet, quod in prima specie vel secunda necessariò sit soluenda, cùm purè sint voluntariæ, antequam fiant. De oblatione verò quotidiana, cùm dicant canones, q; fiat: videtur magis dicendum, quod necessariò esset soluenda, propterea prædicta distinctio nulla est.

¶ DICENDVM igitur, quòd oblatio fienda in prima, & secunda specie non est in pcepto, sed in consilio: sed postquā facta est solutio, est in præcepto. Oblatio verò in tertia specie, aliquando est in præcepto, aliquando in consilio. In pręcepto secundùm consuetudinem approbata: vel si indiget minister Dei, vt de decimis, & primitijs dictū est. In hoc tamen concordant, quòd si esset pauper sacerdos, nec haberet vnde sustentaretur; posset eis subtrahere diuina officia, subtractis oblationibus, quia nemo cogitur (vt dicit Apostolus) suis stipendijs militare. 1. Cor. 9. Item
1. Cor. 9. dicunt, quòd si de consuetudine solent parochiani in certis, & præcipuis aliquibus festis annalibus offerre: possunt cogi ad consuetudinem tenendam.

¶ SED contra sexta synodus 1. q. 1. *Nullus, qui sacram communionem dispensat, à percipiente gratiam aliquid exigat.* Et subdit: *Si verò aliquid exegerit, deponatur sicut imitator simoniacæ fraudis.*

¶ ITEM, canon Gelasij ibidem: *Quod gratis accipimus, gratis dare mandamur*, Matth. 10. Et ideo sacerdotes nihil prorsus in baptizandis exigere moliantur. Ex quibus videtur relinqui, quòd sacerdos non potest oblationes exigere; nec diuina eis subtrahere, si nollent oblationes dare.

¶ SI verò diceretur, quod secundùm consuetudinem possent oblationes exigere, & diuina subtrahere. Contra, Decretalis Alexand. III. extr. de simon. *Pro sepultura, chrismatis, & olei perceptione, nulla pretij exactio attentetur; nec sub obtentu cuiuscunq; consuetudinis reatum suum quisq; tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.*

¶ ITEM Decretalis Concilij Lateranens. *Horribile nimis est, vt pro sacramentis aliquid requiratur:* putant autem plures & hoc licere, quia legem mortis de longa inualuisse cōsuetudine arbitrantur; non attendentes, quòd tanto grauiora sunt crimina, quāto diutius infelicem animā tenuerint alligatam. Ergo consuetudo nullo modo faciet, vt per subtractionem sacramentorum cogantur laici ad oblationes sine periculo simoniæ.

¶ PROPTEREA dicendum, quòd sacerdos non poterit subtrahere diuina: tamen ad conseruandas pias consuetudines circa oblationes possunt cogi laici, non per sacerdotem subtractione sacramēti, sed per Episcopum loci secundùm decretalem Innocent. III. extr. de simon. *Super his prauas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcimus obseruare, statuentes, vt liberè conferant sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur; qui malitiosè laudabilem consuetudinem nituntur immutare.*

MEMBRVM II.

An solis sacerdotibus animarum curam habentibus oblationes dari debeant?

POSTEA quęritur, cui danda sit oblatio, vtrùm solum sacerdotibus, qui habēt curas animarum, debeant dari oblationes: Quod manifestè habetur ex lege Num. 28. Num. 18.
Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato, aut delicto redditur mihi, erit Aaron, & filiorum suorum.

¶ ITEM Hieronymus: *Sacerdotes pro omnibus orare debēt, quorum epulas, & oblationes accipiunt: qua ergo fronte præsumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel ipsi comedere, vel alijs concedere?* Hierony. ad Damasum.

¶ ITEM Canon Damasi Papæ 10. quæst. 1. *Oblationes, quæ infra sanctam ecclesiam offeruntur, tantummodò sacerdotibus, qui quotidiè Domino seruire videntur, liceat comedere, & habere; quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filijs Israël, nisi tantummodò Aaron, & filijs eius.*

¶ ITEM Canon Bonifacij 12. q. 2. *Quicquid semel fuit Domino cōsecratum, sanctum sanctorum erit: & ad ius pertinet sacerdotis, &c.* & est sumptum ex Leuit. c. vlt. Ex his ergo videtur: quòd nec laicis, nec alijs quā sacerdotibus parochialibus licet oblationes recipere, vel comedere.

¶ CONTRA, nos videmus, quòd laici emunt oblationes, vt candelas, & panes, qui offeruntur in ecclesijs, & hoc de voluntate ecclesiæ, ergo possunt vti illis candelis, & panes comedere.

¶ ITEM, nos videmus; quòd monachi in multis parochijs recipiunt, vel partem habent in oblationibus, & videtur esse contra legem, & canones supradictos.

RESOLVTIO.

Et ipsis, & comministrantibus.

¶ SOLVT. Solis sacerdotibus sunt oblationes offerēdæ, & comministrātibus fideliter dispensandæ, iuxta illud Apostoli: *Qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altario deseruiunt, cum altario participant.* 1. Cor. 9.

¶ Ad illud, quod objicitur de laicis. Dicendum, quod non est contra canones, sed ipsi de manu sacerdotum ea, quæ oblata sunt, recipiant; & per donationem vel emptionem: sed si propria autoritate vellent sibi vsurpare laici ea, quæ oblata sunt: vel etiam ius oblationum contra diuinam legem, & canones vendicare, sacrilegium committerent.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de monachis. Nõ est contrarium: nam aut sunt coadiutores sacerdotis ministerio altaris; & ideo de altario possunt viuere: aut habẽt curam sicut alij parochiales sacerdotes; & tunc maximè (sic-
Ambrof. ut dicit Ambros.) possunt decimarum, primitiarum, & oblationum iusta perfrui portione: secundùm Apostolum, de altario, cui seruiunt, viuentes: vel orant pro populo, sicut & sacerdotes, quibus pro officio orationis secundùm
Hierony. legem Dei (vt dicit B. Hieron.) conferuntur oblationes.

QVÆSTIO LIV.

De Præceptis Cæremonialibus, in generali.

In duo Membra diuisa.

D.Tho. 1.2 q.101. & inde. EXPEDITA inquisitione moralium, & iudicialium præceptorum: cum adiutorio Christi ad inquisitionẽ cæremonialium procedamus. Primò inquirentes generaliter. Secundò specialiter.

¶ Generaliter autem quæruntur duo. Primò, de intellectu cæremonialium, vtrùm in cæremonialibus vniuersaliter sit sensus, siue intelligentia literalis. Secundò, qualiter in præceptis cæremonialibus sit intelligentia spiritualis.

MEMBRVM I.

An vniuersaliter omnium præceptorum cæremonialium assignare sit sensum, intelligentiamve literalem vltra spiritualem?

PONVNT quidam, quod in cæremonialibus legis est intelligentia literalis. Hoc autem probant deducendo ad plura inconuenientia, si contrarium poneretur. Primum inconueniens est abusio sermonis: nã sermo interpres animi est. Si ergo sermo legislatoris non esset animi sui interpres, sed magis absconditor, & celator, si ita esset, quòd in sermone cæremonialium nulla esset intelligentia literalis: relinquitur quod legislator vsus est sermone inordinatè: quod magnum vitium est & inconueniens.

¶ Secundum incõueniens est fraus doctrinæ: nam vbi est doctrinæ simulatio, ibi est doctrinæ fraus, & non veritas, quantum ad hoc; sed vbi per sermonem quiddam designatur, & aliud intelligitur; ibi simulatio est. Si ergo in doctrina cæremonialium quod literaliter significant, non intelligitur: simulatio doctrinæ erit, & fraus.

¶ Tertium inconueniens est, stultitia legislatoris: Quid enim (inquiunt) stultiùs sentiri potest de Propheta sapientissimo, & legislatore, quam ea locutum fuisse populo, & seruanda mandasse, quæ populus non intelligeret. Ex hoc enim sequitur, quòd legislator ipse quasi barbarus loqueretur, cùm à populo non intelligeretur: secundùm quod dicit Apostolus 1. Corint. 14. *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquar, barbarus: & is, qui mihi loquitur, barbarus.* 1.Cor.14.

¶ Quartum inconueniens est culpa latoris. Nam cùm esset dux, & rector populo illi datus, qualiter impleбat doctoris officium; cùm ipsam legem ad populum ferebat, quem docere debebat, & ipsam non exponeret, sed velaret? hoc enim facere nihil aliud erat, quàm populum in errorem inducere: proponere enim literam mandatorũ literalem intelligentiam non habentem, & hoc populo non exponere: nihil aliud est, quàm populum in literalem intelligentiam, vbi ipsa non est, inducere: & hoc est facere errare, quod est magna culpa doctoris.

¶ Quintum inconueniens est, omissio doctorum & prophetarum. Nam tot & tanti legis doctores, & prophetæ in illo populo præcesserunt: & in isto errore populum reliquerunt, videlicet in literali intelligentia cæremonialium: nec de alio intellectu quàm de literali populum monuerũt. Cùm ergo missi essent à Deo ad directionem, & instructionem populi, in hoc per omissionem deliquerunt.

¶ Item, si dicatur, quod talibus præceptis, & prohibitionibus non loquebatur lex illi populo, sed populo Christiano, cui talium spiritualis intelligentia seruabatur. Objiciunt per auctoritatem Apostoli ad Rom. 3. *Scimus, quia quæcunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur.* Item, Rom.3. quæ necessitas erat, vt nobis lex spiritualem intelligentiam loqueretur, cùm nondum essemus? Ex his igitur concludunt; quòd modis omnibus necesse est cæremonialia omnia literalem intelligentiam habuisse.

¶ Sed in partem contrariam objicitur. Nam ea, quæ ponunt ad concludenda inconuenientia, non videntur esse inconuenientia: imò conuenientia doctrinæ sapientiæ, seu legis diuinæ. Nam (sicut dicit beatus Dionysius) Dionyf. in cœlesti hierarch. angelica. c.1. *Decentissimum est eloquijs diuina ænigmata occultare: & in viam multis ponere sacram supermundanorum intellectuum veritatem: est enim non omnium sacer, neque omnium (vt eloquia dicunt) scientia.* Et iterum: Idem. *Valde artificialiter Theologia sacris poëticis formationibus etiam non figuratis intellectibus vsa est; nostrum intellectum respiciens: etenim non est possibile aliter nobis lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogicè circumuelatum.*

RESOLVTIO.

Cæremonialium præceptorum plurium (paucis quibusdam exceptis) assignare est præter spiritualem & literalem etiam intelligentiam.

¶ Ex quibus manifestè relinquitur, quòd conueniens est sermoni legis diuinæ ænigmaticè, & transumptiuè loqui, non literaliter, duplici de causa. Prima est dignitas veritatis diuinæ, quæ debet celari hominibus malis. Secũda est imbecillitas intellectus humani in comprehensione diuinorum deficientis: non est igitur inconueniens vti sermone abscondito, vel celato in cæremonialibus præceptis.

¶ Item, quod secundo loco ponunt pro inconuenienti: videlicet, quòd in doctrina aliud literaliter designetur, & aliud intelligatur: non est inconueniens in doctrina, nec in præceptis sapientiæ diuinæ: cùm ad excitationem & exercitium nostri intellectus talibus verbis in præceptis Euangelicis ipsa veritas aliquando vsa sit, Matth. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum: si dextera manus, abscinde eam:* quod nullus dicet secundùm literalem significationẽ debere accipi. Math 5.

¶ Item, quod tertiò ponunt pro inconuenienti: sapientem legislatorem loqui in præceptis ænigmaticè, & talibus verbis, quibus populus rudis quod diceretur, non intelligeret: est contra sententiam Salomonis, qua manifestè ostendit, quòd in rebus, & rationibus eminentibus veritatis, sapientis est loqui ænigmaticè: & taliter, quod ab illis, qui sunt rudes, & incapabiles veritatis, non intelligantur, sed solùm à sapientibus, & perceptibilibus veritatis. Vnde Prouerbiorum 1. *Audiens sapiens sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit: animaduerte parabolam, & interpretationem eius, verba sapientum, & ænigmata eorum.* Prouer.1.

¶ Item, quod quartò ponunt pro inconuenienti: legislatorem proponere præcepta non habentia intelligentiam literalem, & non exponere ea populo: inconueniens non est doctrinæ diuinæ, nec culpa doctori: cùm propter defectum auditorum ipsa Dei sapientia, hoc est Christus taliter, id est parabolicè doceret, & loqueretur ad turbas: sicut patet ex Matth. 13. vnde & post parabolam Matt.13. seminis dixit Apostolis: Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, cæteris autem in parabolis, &c. & ratio erat defectus amoris veritatis, secundùm quod ibi exprimitur.

¶ Item

¶ ITEM, quod quintò concludunt pro inconuenienti; quòd sancti Prophetæ, & Doctores non sunt locuti illi populo nisi de literali intelligentia præceptorum; manifestè falsum est reuoluenti scripturas. Nam ipse Moyses Legislator de spirituali intelligentia circumcisionis non tacuit, cùm dixit: *Circumcidite præputium cordis vestri:* Et, *Circumcidimini Domino: & auferte præputia cordium vestrorum.* Et iterum: *Omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Iuda incircumcisi sunt corde.* Item nec Dauid tacuit de spirituali intelligentia sacrificiorum, cùm dixit: *Sacrificium spiritus contribulatus.* Et iterum: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et iterum: *Sacrificium laudis honorificauit me:* & multa talia, & alij Prophetæ similiter.

[Deut. 9.] [Ierem. 4.] [Ibi cap. 9.] [Psal. 50.] [Psal. 140.] [Psal. 49.]

¶ ITEM, ad illud, quòd dicunt iuxta Apostolum, quòd quæcunque Lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur. Dicendum, quòd verùm est, non tamen omnia omnibus: immò cum in lege essent perfecti & imperfecti, sapientes & rudes, digni & indigni: perfectis, sapientibus, & dignis nota tantùm esse debuit arcana intelligentia, & sublimis cæremonialium, & figuralium præceptorum: secundùm normam Apostoli. 1. ad Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et subdit: *Sapientiam Dei loquimur in mysterio, quæ abscondita est.* Et postea subdit: *Animalis aut homo non percipit ea, quæ Dei sunt: stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Ideo subdit tertiò. *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Ex his ergo manifestè relinquitur non esse necesse in præceptis cæremonialibus legis vniuersaliter esse sensum seu intelligentiam literalem. Propterea dicendum breuiter est (& clarius erit in sequentibus) quod in aliquibus, & pluribus præceptorum cæremonialium præter spiritualem intelligentiam sensus & ratio literalis fuit: in aliquibus verò, & paucis tantum ratio spiritualis, propter rationes prædictas: quod ampliùs infra manifestabitur.

[1. ad Cor. 2.] [Ibi.]

MEMBRVM II.

An & generaliter omnium cæremonialium præceptorum sit intelligentia spiritualis?

DEINDE quæritur? qualiter in præceptis cæremonialibus sit intelligentia spiritualis. Nam conuenienter quidam probauerunt per auctoritates, & rationes, & exempla in lege quantùm ad cæremonialia contineri intelligentiam spiritualem. Legitur Deuteronom. 4. *Hæc est nostra sapientia, & intellectus coram omnibus populis, vt audientes vniuersa præcepta hoc dicant: En populus sapiens, & intelligens.* Quis enim propter literalem intelligentiam solam legis sapientem, & intelligentem censeat populum illum.

[Deut. 4.]

¶ PRÆTEREA, si nihil haberet intimæ intelligentiæ Lex: Non haberet apud eam locum scrutatio: quid ergo esset dicere. *Beati, qui scrutantur testimonia eius?* Et iterum: *Scrutabor legem tuam?* scrutata enim in animalibus intestina vel interiora sunt.

[Psal. 118.]

¶ AMPLIVS, si non haberet nisi istum exteriorem sensum Lex; quare Dauid orasset ad Dominum: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua?* Cuius enim oculi à Deo velati sunt, vt ista exteriora legis videre non valeat.

[Ibidem.]

¶ AMPLIVS, quæ sunt ista mirabilia, de quibus dicebat. Considerabo mirabilia de lege tua? Quid enim admirationis habet carnificina sacrificiorum, inspectio leprarum, & insimilibus circuitus expiationum?

¶ AMPLIVS mandata, iudicia, testimonia, totaque fabrica Tabernaculi, totaque supellex eiusdem, quid (inquam) habent admirationis hæc omnia exterius? quid philosophicæ subtilitatis? quid sapientialis profunditatis? Nunquid propter hæc consideranda exteriùs vir prophetici spiritus Dauid, qui super senes se intellexisse gloriabatur, petebat reuelari oculos suos?

¶ AMPLIVS, quem intellectum petebat sibi dari, cùm dicebat. Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Naturalem enim intellectum habebat, qui vtique sufficientissimus est ad omnem literalem legis intelligentiam: sublimiorem intellectum igitur petebat: ergo & propter sublimiorem intellectum, vel intelligentiam: habent igitur mandata legis sublimiorem intelligentiam: quàm literalem.

¶ AMPLIVS, qualiter B. dicit Dauid virum, qui in lege illa meditatur die ac nocte? cùm meditatio exteriorum quantùm ad maiorem sui partem etiam onerosa, & tædiosa videatur.

¶ ITEM, Inconueniens est, & omnino superuacuum, rudibus; & iam doctis eandem lectionem proponere. Quis enim magister hoc faciat in schola, vt non vnicuique discipulorum suorum pro captu suo seu capacitate lectionem proponat? Quantò magis ergo omnium eruditorum Deus in schola, in qua tantus populus erudiendus, & docendus erat: vnicuique de populo, prout capacitati eius congruebat, lectionem proposuit, & rudibus initialia, & prouectis vlteriora, & doctis sublimiora proposuit? Et iterum quia in eis, qui docti erant, diuersi gradus inueniebantur: ita vt alij essent eminentes, alij eminentiores, & in his etiam multa varietas; necessariò prouisum est omnibus in Schola Dei de conuenienti vnicuique doctrina: non est autem eis prouisum nisi in vno libro, qui solus in Schola Dei legebatur: in illo ergo libro concessit Deus tantam varietatem ac multitudinem lectionum, quantam requirebat varietas ac multitudo intellectuum & expositionum: & quantam requirit varietas ac multitudo reficiendorum, id est, docendorum.

¶ ITEM, Prouerbiorum 14. *Multi cibi in noualibus patrum.* id est, multa refectio in expositionibus circa scripturam sanctorum Patrum. [Prouerb. 4.]

¶ ITEM, Apparet scriptura velut minera esse venas habens omnium metallorum: Vnde Prouerbiorum 2. [Prouerb. 2.] Dicitur de sapientia. *Si quæsieris eam, quasi pecuniam & quasi Thesauros effoderis illa.* Propter hoc dictum est etiam. Sapient. 8. [Sap. 8.] *Infinitus est Thesaurus omnibus.* Thesaurus autem iste sapientiæ non potest esse in intelligentia literali; relinquitur igitur, quòd est in intelligentia spirituali.

¶ CIRCA HOC MVLTIPLICITER OPPONITVR. Primò, quia dicit Augustinus in Lib. de doctrina Christiana. [August. in lib. 1. de doctrina Christiana ca. 1.] *Quod omnis doctrina Christiana, vel est de rebus, vel est de signis:* Et est diuisio per immediata. Doctrina ergo cæremoniarum aut est rerum tantùm, aut signorum tantùm. Si rerum est, secundùm illos qui ponunt vniuersaliter in eis sensum literalem: ergo non est signorum: ergo non erit in eis significatio intelligentiæ spiritualis. Si verò signorum, non erit rerum: nec erit in eis intelligentia literalis.

¶ ITEM, Abusio est res in signa trahere, quæ nunquam ad significandum facta sunt. Si ergo multiplicia facta narrantur in lege, quæ non propter hoc fiebant, vt significarent: relinquitur quod abusio erat, in talibus significationem spiritualis intelligentiæ quærere.

¶ ITEM, Hierem. 18. dicitur: [Ierem. 18.] *Nunquid non sicut facit figulus ille, potero vobis facere, domus Israël, dicit Dominus?* Dissipatio enim vasis, quòd prius fiebat, & formatio vasis alterius, non ad hoc factæ sunt, vt significarent: & tamen ad significandum eis vsus est Dominus. Non offenderetur autem quis audiens huiusmodi expositiones seu interpretationes; si diceretur ei hoc modo: quemadmodum ibi dixit Dominus: Nunquid non sic vobis facere potero? vbi de * significatione nihil locutus est, sed de similitudine tantùm, quemadmodum & Hierem. Thren. 3. Non dixit quicquam de signatione, sed de similitudine, & hunc modum tantùm expressit, dicens: [*Aliàs, significatione.] [Thren. 3.] *Quomodo, si mulier contemnat amatorem suum: sic contempsit nec domus Israel*, &c. Non dixit quia contemptus huiusmodi mulieris significaret contemptū filiorum Israël. Nec dixit, quòd amator huiusmodi mulieris significaret ipsum; nec dixit q̄ dissipatio

aut reformatio vasis prophetia esset, vel parabola eis, quòd ipse hoc operatutus esset in populo Israël: vel quod figulus esset figura ipsius: sed expressit modum seu similitudinem notam inter opus suum, & opus figuli, & inter factum mulieris contemnentis amatorem suum, & factum populi Israël. Restat igitur, quòd inconueniens est res, quæ non ad hoc factæ sunt, ad spiritualem intelligentiam conuertere.

¶ Item, conuenientiùs, & certiùs signat, quòd designat vniuoce, quàm quod designat æquiuocè: & quod signat vno vnum, quàm quod vno signat multa. Ergo cùm intellectus spiritualis sit conuenientissimus: non erit in vno facto, vel dicto legis, nisi vnus intellectus spiritualis. Errant igitur omnes sacri expositores, qui in vno ponunt multiplices intellectus.

¶ Item, conuenienter signatur per bonum bonum, & per malum malum. (Nam conuenientia debet esse signi ad signatum) inconuenienter ergo designabitur malo bonum: ergo inconuenienter dicitur à B. Greg. ꝙ legitur: 2. Reg. 11. Dicit enim B. Greg. ꝙ Dauid, qui vtiq; proditor erat in facto illo, & adulter, atq; homicida, signat Christũ: Vrias autem vir fidelis & sanctus Diabolum. Et iterum: Adulterina illa copula Dauid, & Bersabeæ proditione & homicidio execrabili, signat matrimonium sanctissimum, & immaculatissimam copulam Christi, & Ecclesiæ de gentibus. — Gregor.

RESOLVTIO.

Generaliter omnium præceptorum cæremonialium est assignare spiritualem intelligentiam, tametsi aliter, atq; aliter: quinimmò plurium eorum & literalem etiam.

¶ Resp. Dicendum, ꝙ doctrina cæremonialium quantùm ad plura est rerum, & signorum; sed differenter. Rerum ordinatarum ad latriam conditoris: signorum verò gratiæ saluatoris.

¶ Vnde ad solutionem primò, & secundò obiectorum notandum: quòd significationes non literales sunt institutione, collatione, natura. Institutione duobus modis, rebus, & dictis: collatione per consequentiam rationis ex rebus, vel dictis: natura per ipsam rerum similitudinem. Vnde quidam conuenienter dixit: scito quia significationes literales quatuor modis fiunt. Primum facto ipso, videl. cùm res ad hoc factæ sint, vt significent: sicut factum factum illud Esaiæ, quo iuit nudus, & discalceatus. cap. 20. & factum Ezechielis, quo fecit sibi vasa transmigrationis. Ezech. 12. quæ vtiq; ad hoc facta sunt, vt significarent. In his ergo manifestum est: quia alia figuratio vel significatio, quàm literalis quærenda est in eis. Propter hoc dixit: *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Deus in signum & portentum*. Similiter & Ezech. 4. *Signum est domui Israël*. Et iterum: *Ego portentum vestrum*, &c. Et bene apparet in eodem Cap. per totum: quia quicquid factum est in Ezech. significat mala, quæ futura erant domui Israël. — Isa. 20. Ezech. 12. Isa. 8. Ezech. 4. eiusd. c. 2.

¶ Secvnda significatio est dicti: quando scil. aliquid dicitur ad significandum expressè: sicut illud. *Aquila grandis magnarum alarum*, &c. Et propter hoc vocatur idem ænigma, & parabola ibidem. Et istæ duæ significationes neminem offendunt: cùm enim exprimitur in scriptura de facto quoquo, quòd ipsum fiat, vel factum sit ad significandum: & de dicto similiter quod ad hoc dicatur, vel dictum sit, vt significet aliud, quàm literalis sensus habeat: nemo offenditur, si aliud in his, quàm literalis sensus habeat, requiratur. — Ezech. 17.

¶ Tertivs modus est per consequentiam: quemadmodum dicimus, ꝙ vbi corporalis, & exterior idololatria prohibetur: intelligitur secundùm consequentiam prohibita spiritualis. Et iste intellectus similiter neminem offendit: cùm enim dixerimus, quòd vbi Deus prohibuit adorari idolum aureum. Exod. 20. quòd vtiq; similitudinem habet viuentis & iuuare potentis: insinuauit, & intelligi dedit, se nolle quod aurum nudum, hoc est absque forma idoli adoraretur: & propter hoc prohibitio auaritiæ secundùm consequentiam in illa prohibitione intelligitur: est enim auaritia idolorum seruitus: sicut legitur. ad Eph. 5. Similiter, & vbi prohibuit falsum testimonium dicitur contra proximum in causa modica pecuniaria. Ex. 20. prohibuit per consequens, & in causa famæ. cũ fama preciosior sit quam pecunia. Eodem modo vbi prohibuit, ne os ligaretur boui trituranti. Deut. 25. Prohibuit ꝑ consequens, vt operarius non fraudetur cibo suo: si enim hãc æquitatem voluit seruari in bobus, vt collaborantes comederent; multòfortiùs in hominibus. Hunc ergo modum significationis quilibet intellectus recipit. — Exod. 20. Ephes. 5. Exod. 20. Deut. 25.

¶ Qvarta significatio est per rerum similitudinem, quæ non ad hoc factæ sunt, vt significent. Et hæc est, quæ multos offendit: & hoc quia abusiuum videtur eis, res in signa trahere: quæ non ad significandum factæ sunt: quale est illud. *Nunquid sicut facit figulus iste, non potero vobis facere domus Israël, ait Dominus?* Quanquã verùm sit quod omnium duorum similium, quorum alterum est intellectui nostro propinquius, nobisq; notius; signum naturale est minus noti, atq; ab intellectu nostro remotioris: signum (inquã) naturale est illius: & velut liber; in quo legitur; vnde & communi natura docente, altero ad alterum docendum vtimur. Et hoc patet responsio ad primò, & secundò obiecta. — Ierem. 18.

¶ Ad tertium dicendum: quod conuenientissimè vno significantur multiplices intellectus: vt * intentio legis diuinæ conformetur bonitati eiusdem, vt quemadmodũ ex Dei bonitate factum est, & absq; vlla dubitatione credendum, quòd omnia bona sua fecerit propter omnem bonum vsum & vtilitatem, quæ ex eis quacunq; industria elici possunt: & dicta voluit esse, & scripta. Quare propter omnem illuminationem intellectus humani: ac propter omnem ædificationem Ecclesiæ suæ, quæ inde elici possunt; ea voluit esse, & dicta, & scripta. — * Aliàs, intentũ.

¶ Ad quartum dicendum: quod sacri Doctores, & expositores sanè, & absq; vllo offendiculo dicere possunt: quia factum illud de Bersabeæ, factum significauit Ecclesiæ de gentibus: significauit (inquam) propria significatione tanquam naturali designatione. Licet autem spiritui sancto & expositoribus suis, notioribus similibus vti ad minus nota significanda & declaranda.

QVÆSTIO LV.

De Præceptis Cæremonialibus in Speciali.

In quinque Membra, & quindecim Articulos diuisa.

Consequens est quærere de præceptis cæremonialibus in speciali; idq; hoc ordine. — D. Tho. 1. 2. q. 102.

¶ Primò, quæretur de causa siue ratione cæremonialium præceptorum. Secundò de numero, & differentia cæremonialium præceptorum. Tertiò, de obseruantia cæremonialium circa immunditias. Quartò, de ritu sacrificiorum legalium. Quintò, de cessatione cæremonialium præceptorum.

MEMBRVM I.

An præcepta Cæremonialia rationem causamve suæ obseruantiæ habeant.

Qværitvr igitur primò de ratione, siue causa cæremonialium præceptorum, an (scilicet) habeant causam obseruantiæ literalem, vel solùm mysticam & figuralem: idque tum in generali, tum in speciali.

¶ Et in generali obijcitur sic: Cùm enim præcepta sint ad literam obseruari ab ipsa summa sapientia: Non autem est conueniens summæ sapientiæ iubere vel prohibere aliquid sine optima ratione: ergo obseruantiæ literalis cæremonialium fuit optima ratio.

¶ Item, si nihil fit in terris sine causa: sicut dicitur Iob. 5. Et hoc exigit diuina prouidentia: ergo multòfortiùs — Iob 5.

nihil præcipitur in diuina lege sine causa. Ex his quidam inducti sunt ad quærendas rationes litterales cæremonialium legis.

Ephes. 2. Glossa ibi. ¶ CONTRA, Eph.2. Euacuans decretis legem mandatorum. Gloss. *Id est, euacuans legem veterem quantum ad ea, quæ mandabat, id est carnales obseruantias, non quantum ad veritatē, quàm præsignabat: Euacuans* (dico) *decretis, id est præceptis Euangelicis, quæ ex ratione sunt.* Si ergo mandata carnalium obseruantiarum sunt cæremonialia, & euacuantur per præcepta Euangelica, quæ ex ratione sunt: relinquitur quod cæremonialia quoàd literam non sunt ex ratione, ergo in eis non erit ratio literalis.

Psal.118. Hebr.10. ¶ ITEM, *Lex tua veritas*: Lex (scil.) Euangelij veritas, non vmbra, non figura: sicut Lex Mosayca. Heb.10. Sed constans est, quòd de lege Mosayca dicitur, quòd sit vmbra, & figura, maximè quò ad cæremonialia: ergo non in eis erit quærenda ratio veritatis quoàd literam.

¶ IN speciali autem quæritur? & obijcitur de pluribus. *Genes.18.* Et primò de præcepto circumcisionis; de quo Gen.18. q datum est Abrahæ in signum & signaculum: sicut habetur *Rom. 4.* Rom.4. Ergo non est in præcepto circumcisionis, quòd est præceptum sacramentale, nisi ratio mystica: igitur non ratio literalis.

¶ ITEM, similiter obijcitur de præcepto Phase, id est, *Exod. 13.* immolationis agni: q etiam est in signum datum: Vnde, *Erit quasi signum in manu tua: & quasi monimentum ante oculos tuos*, &c. Quòd est præceptum cæremoniale simpliciter se- *Exod. 12.* cundùm quod dicitur: *Seruabitis cæremonias istas.* Non est igitur quærenda in isto præcepto ratio literalis.

¶ ITEM, de victu & amictu sunt quam plura præcepta in lege, quæ videntur habere absurditatem, vel vanitatem secundùm sensum literæ. Vanitatem, quemadmodum, & illud: *Non coques hædum in lacte matris*, &c. *Exod. 23.* Nam vtrumq; licitum erat eis comedere; qua de causa igitur coniunctio amborum esset eis prohibita sc. lactis, & hædi: non.n. est adeo lautus, & delicatus cibus, vt propter hoc prohiberi deberet. Ergo quantum ad literam videtur variam habere rationem.

Deut. 25. ¶ ITEM, simili modo: *Non alligabis os bouis triturantis.* A quo præcepto nititur Apostolus rationalem literalem ex- *1. Cor. 9.* cludere, dicens: *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos hoc dicit?*

Deut. 22. ¶ ITEM, simili modo illud præceptum. *Si ambulans per viam, in arbore vel terra nidum auis inueneris, & matrem pullis desuper incubantem; non tenebis eam cùm filijs: sed abire patieris, vt bene sit tibi.* Sed quæ potest hic esse ratio literalis: vt pro dimissione vnius auiculæ tanta promittatur merces: quanta pro vniuersorum mandatorum legis obseruatione?

¶ SI diceretur, sicut quidam pueriliter dixerunt: hoc esse præceptum causa pietatis: quia in hoc Deus insinuare voluit filijs Israël, quàm misericordes debent esse in homines, & cauere ab eorum afflictione: quando & auibus sic parcere voluit à læsione. Obijcitur: Si pietas hic locum haberet, cùm filij nec sibi nec alijs possunt consulere, & adhuc matre indigerent, ipsa verò non indigeret eis, maiori crudelitate detinentur, & occiduntur filij in hoc casu, quàm mater.

Leuit. 19. ¶ ITEM, obijcitur simili modo de illo præcepto: *Cùm plantaueris ligna pomifera, auferes præputia eorum.* i. prima germina, *& immunda erunt vobis, nec edetis ex eis: quartò anno sanctificabitur fructus: quinto anno comedetis fructus eius.* Cuius rei non videtur esse aliqua ratio literalis: nunquid non æquè sani sunt ad vsum primo anno, secundo, vel tertio: sicut quarto, & quinto?

Deut. 22. ¶ ITEM, simili modo obijcitur de præcepto illo. *Non seres vineam tuā altero semine.* Hic.n. non videtur esse ratio ad literam, nisi illa ratio, q omnib. manifesta est: quia collatio seminis non posset fieri absq; vineæ detrimento: sed ridiculum est in hoc Dominum voluisse consulere illi populo, in quo nullo consilio indigebant: cuilibet enim manifestum est huiusmodi detrimentum.

Ibidem. ¶ ITEM, simili modo obijcitur de alijs prohibitionib. commixtionis rerū. *Nō indueris vestimento, q ex lana linoq; contextū est: funiculos in fimbrijs facies*, &c. Itē in eodē dicitur: *Nō arabis simul in boue, & asino*, &c. In qb. nulla videtur ratio literalis.

¶ ITEM, eiusdem rationis videntur esse prohibitiones commixtionis animalium: *Iumenta tua non facies coire cū alterius generis animantibus.* *Leuit. 19.* Et confusionis habituum. *Non induetur mulier veste virili, & vir non vtetur veste feminea.* *Deut. 22.*

¶ ITEM, obijcitur de præceptis cæremonialib. cauendarū immunditiarum; in quibus videtur contineri maxima inhonestas, vel inutilitas. Et primò quidē de illo præcepto cauendæ immunditiæ corporalis. *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, gerens paxillum*, &c. *Deut. 23.* Et subdit: *Egesta humo operies*: quod videtur ad literam ridiculosum.

¶ ITEM, obijcitur de alijs immunditijs, q sunt interpretatiuę seu irregularitatis: vt immunditię puerperę. Leu.12. *Leuit. 12.* Item, immunditia lepræ, q multiplex erat in corpore. Leu. 13. *Leuit. 13.* In veste. Leu. in eodem c. q maximè videtur ridiculosa ad literam, cū dicitur: *Vestis lanea seu linea, quæ leprā habet in stamine*, seu sub tegmine. *Ibidem.* Aut pellis, & quicquid ex pelle confectum est, ostendetur sacerdoti. In domo, q ad literā super omnes ridiculosè in præcepto ponitur, cum dicitur: *Cū inuenerit Sacerdos circuitu lepram domum, vid. bit erui lapides, in quibus lepra est.* *Leuit. 14.* Item, immunditia semin. flu: de qua Leu.15. *Leu. 15.* Et nocturna pollutione sordidati, de qua ib. Item, immūditia menstruatæ mulieris, & patientis fluxum sanguinis, de qua Leu.15. *Leuit. 15.* Circa quas immunditias personarum cauendas dantur plura præcepta, quæ ad literam vana & risu digna videntur.

¶ ITEM, sunt immunditiæ, q caueri iubentur circa tactum: sicut vas fictile, in quo aliquid ex nominatis ibi reptilibus cecidisset: aut quod aliquid de morticinijs eorum tetigisset: & propter hoc frangendum. Eodem modo clibani, fontes, & cisternæ, & omnis aquarū congregatio, sicut legitur ibidem. *Ibidem.* Simili modo vas, q non habebat operculum nec ligaturam desup: sicut legitur. Num.19. *Num. 19.* Simili modo generaliter, contactus mortui inducebat immunditiam cæremonialem. Leu. 22. *Leuit. 21.* In quib. omnibus videtur deficere ratio literalis. Item, qui cōbusserant vitulam rufam, vel cineres eius portauerant: vel qui alios aqua expiationis asperserat, quib. aliæ immunditiæ purgabantur, reputabatur immundus: quod ad literā inconueniens videtur, quod sc. ex re munda & mundatiua immunditia contraheretur.

¶ ITEM, Obijcitur de immunditijs cæremonialib. quantum ad esum, seu gustum. Nam iudicauit Lex. Leu.11. *Leuit. 11.* immunda gressibilia, q non ruminant: aut nō findunt vngulam. Item, aquatilia, quæ non habent pennulas, & squamas. Item, volatilia rapacia, vt Aquilam, & coruinum genus, & quædam alia. Leu.11. *Ibidem.* Et vniuersaliter omnia reptilia, sicut stellio, lacerta, & alia quæ in terra mouentur, vt mustela, mus, & similia. Leu.11. *Ibidem.*

¶ ITEM, obijcitur de cæremonijs purificationis immūditiarū: & primo de cæremonijs in sacrificio vitulæ ruffæ: ex quo erat purgatio generalis. Nū.19. *Num. 19.* in quo præcipitur, vt adducatur vacca ruffa: cuius rei non videtur esse ratio literalis. Item, quòd immoletur extra castra, & totaliter comburatur: & de eius sanguine septies fores tabernaculi aspergantur. Item præcipitur, vt in crematione vaccæ ponatur lignum cedrinū, & hyssopus, & coccus bis tinctus, quæ secundùm literam risu digna videntur.

¶ ITEM, obijcitur de cæremonijs & mundatione leprosi & domus leprosæ. Leu.14. *Leuit. 14.* Ad quorum purificationē sumi præcipiebantur duo passeres, lignum cedrinum, vermiculum, & hyssopus: & immolato vno passere in aquis viuis, fiebat aspersorium, & aspergebatur domus siue leprosus: quo facto, passer alius viuus in agrum volare permittebat: cuius rei ridiculosa videretur ratio literalis. Item, præcipiebatur in emundatione leprosi, vt sanguine agni immolati, & de oleo poneretur super extremum auriculæ dextræ, & pedis, & manus: cuius rei nulla videtur esse ratio literalis.

¶ ITEM, obijcitur de absurditatibus circa oblationes sacrificiorum, in quib. non videtur ratione habere: q solùm tria genera animaliū gressibiliū iussit sibi Deus offerenda in vtroq; sexu, bouem, ouem, & capram. Simili modo duo genera præcipuè volatiliū sc. turturem, & columbam. Leu. 2. *Leuit. 2.* Passer verò additus est in emundatione leprosi. Leu.14. *Leuit. 14.*

¶ ITEM

¶ Item, propter quid animalia ista volebat interfici & cremari vel in parte vel in toto: sicut habetur ex Leu. 1. 2. 3. 4.

¶ Item, ꝓpter quid in omni sacrificio iussit sal apponi: Leuit. 2. sicut habetur ex Leu. 2. Mel verò, & fermentum apponi prohibuit.

¶ Item, ꝓpter quid sanguinem hostiarum superfundi Ibidem, & 1. 2. 3. & 4. iussit, & sibi offerri? sicut habetur ex Leu. 1. 2. 3. & 4. per totum.

¶ Item, propter quid adipem sacrificiorum & renes, & Leu. 3. renunculos sibi retinuit Leu. 3.

¶ Simili modo, q̃ causa erat differentis modi immolandi animalia, & gressibilia, & volatilia, occidendi, iugulandi, decollandi, & collum retorquendi.

¶ Item, quare pceptum est, vt animalia offerenda absq; macula corporis offerrentur, nulloq; membro carerent, nec aliquod vitium in membro haberent.

¶ Item, q̃ritur ratio literalis de solenni sacrificio hir- Leuit. 16. corum: ꝙ offerebatur in festo ꝓpitiationis. Leu. 16. quorũ alter vocabatur Domini, alter emissarius; & sup quẽ cadebat sors, ꝙ esset Domini, cõburebatur extra castra cũ & vitulo; ita ꝙ nihil remaneret in combustum: hircum verò emissarium statuebat Sacerdos coram Domino, & cõfitentes vniuersa peccata filiorum Israël, imputabat capiti eius, & postea emittebatur p hominem paratum in desertũ: & credunt Iudæi, ꝙ hircus ille portaret omnia peccata eorũ in desertum: & q tangebat illum (sicut dicit Lex) & q ducebat in desertum, immundus erat, quomodo (inquiunt Iudæi) mundus esset qui portantes tot immunditias, contigeret. Sed ridiculum maximè videtur, ꝙ capiti hirci peccata imputem cum innocentissimus sit, & immunis ab eis. Item, quomodo portaret peccata populi, cũ ipsa peccata proprium subiectum mutare non possunt.

¶ Si dixerit quis, ꝙ non portabat peccata, sed pœnam debitam pro illis. Non videtur verum, quia liber & sanus in desertum mittebatur.

¶ Item, si portabat omnia peccata: vt quid offerebatur hircus alius pro peccatis populi totius?

¶ Item, quare Aaron pro se & domo sua iubetur vitulum in holocaustum offerre, qui extra castra cum hirco cremetur?

¶ Item, q̃ritur de sacrificio zelotypiæ, de quo legitur Num. 5. Num. 5. in quo pcipiebatur offerri modicũ farinæ hordeaceæ, & non superfundi oleum, nec poni thus: quę erat oblatio inuestigantis adulterium.

¶ Item, q̃ritur de sacrificio similæ conspersæ oleo, & panum: quorum nulla ratio videtur literalis, de quib. habetur. Leuit. 2. Leu. 2. Sunt aũt q̃ plurima alia cæremonialia circa differentiam sacrificiorum (de quib. infrà plenius tãgetur) quæ non videntur habere literalem rationem.

¶ Item, quæritur de præceptis cæremonialibus tabernaculi, & altaris. Et primò quæritur de altari: de quo pcipitur. Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi.* Et iterum: Ibidem. *Quòd si altare lapideum feceris: illud mihi non ædificabis de lapidibus sectis*: cuius rei nulla videtur literalis ratio.

Ibidem. ¶ Item, ꝙ ibi præcipitur: *Non ascendes ad altare meum per gradus.*

Ibidem. ¶ Item, quod dicitur: *Ne appareat turpitudo tua.* Nam nõ est verisimile tunc vsum bracharum non fuisse: vel sacrificantes brachas deponere: immo etiam præcipiebatur, vt Exod. 28. sacerdotes sacrificantes fæmoralibus vterentur. Exod. 28.

¶ Item, q̃ritur: quare altare holocaustorum ponebatur sub dio? hoc est, sub aëre libero, altare verò thymiamatis Exod 40. intra tabernaculum. Exod. 40.

¶ Item, quare positio tabernaculi erat ex parte sancti sanctorum ad occidentem: ex parte verò ingressus ad orientem? ita ꝙ necesse erat adorare ad occidentem: cum e- Sap. 16. contrariò dicatur: *Oportet solem præuenire ad benedictionem tuam: & ad ortum solis te adorare.*

¶ Quæritur item: q̃ erat ratio opturæ tabernaculi literalis: cum infimã opertură haberet ex cortinis quatuor colorũ, hiacynthi, purpuræ, cocci bis tincti, & byssi retortæ: secundũ verò erat ex sagis cilicinis: tertium erat ex pel- Exod. 26 libus rubricatis: supremum verò ex pellibus hiacynthi?

¶ Item, quæritur: quæ erat ratio literalis distinctionis tabernaculi per velum quatuor colorum, in Sancta sanctorũ. Nam dicit Apost. ad Hebr. quod parabola est temporis præsentis. Hebr. 9.

¶ Item, quæ ratio dispositionis candelabri septem lucernarum in parte australi tabernaculi, q̃ dicitur Sancta: & mensæ propositionis in parte septem trionali? Exod. vlt. & Num. 8.

¶ Item, quæ ratio adiunctionis altaris thymiamatis cum candelabro & mensa?

¶ Item, q̃ ratio literalis collocationis Archæ, & Cherubin in abdito: hoc est, in Sanctis Sãctorum. Nam Apost. Hebr. 9. expresè dicit, per allegoriam esse factum: ergo non erit requirenda ratio literalis.

¶ Item, quæ ratio compositionis thymiamatis & olei vnctionis. Exod. 30. Nunquid hic poterit inueniri ratio li- Exod. 30. teralis?

¶ Item, quæritur de cæremonijs circa ordinationem, & ornatũ, & officium ministrorum. Nam habens maculã non poterat ad ministerium promoueri. *Si cæcus, si claudus, si* Leuit. 21. *grandi aut torto naso*, &c. Et ponuntur ibi irregularitates, q̃ etiam à ministerio seu sacerdotio nouæ legis non repellunt: vt albuginem habens in oculo, & huiusmodi.

¶ Item, quæ ratio: ꝙ in consecratione sacerdotum de sanguine arietis linitur extremũ auriculæ dextræ, & pollex manus dextræ, & pedis dextri: Leu. 8. Leuit. 8.

¶ Item, quæ ratio effusionis olei, seu vnctionis supra caput Aaron consecrandi? Ibidem.

¶ Item, quæ ratio oblationis trium animalium; vituli ꝓ peccato, arietis vnius in holocaustum, arietis alterius in consecrationem, & canistri azymorum?

¶ Item, quæ ratio, ꝙ traduntur sacerdoti ordinato de ariete consecrationis adeps, armus dexter, & pectusculũ, & panes de canistro azymorum, vt eleuet ea coram Do- Ibidem. mino? Leu. 8.

¶ Item, q̃ ratio vestimentorum Aaron: quæ sunt fœminalia linea; tunica linea; quæ cingitur baltheo; tunica hiacynthina; super humerale; ꝙ astringitur cingulo; cui adnectitur rationale cydaris super caput; cui adnectitur lamina aurea: de quibus omnibus. Exod. 28. Exod. 28.

¶ Item, quæ ratio ornatus minorum sacerdotum; qui vestiuntur * fœminalibus lineis; tunicis lineis, cinguntur * Aliàs, fœmoralibus. baltheis, mitras accipiunt in capitibus suis? Leu. 8.

¶ Item, quæ ratio ordinationis Leuitarum, qui asper- Leuit. 8. guntur aqua lustrationis, & radunt oẽs pilos carnis suæ, & lauant vestimenta, & cum sacrificio offeruntur & consecrantur in oblationem Deo? Num. 8. Num. 8.

¶ Item, quæritur de cæremonijs solennitatum. Erat. n. solennitas septimanæ, scil. Sabbatum: erant iterum solennitates anni, Pascha, decimaquarta die mensis primi, Pentecoste, quinquagesima die, à Pascha. Item prima die mẽsis septimi solennitas Tubarum. Decima die eiusdẽ mensis solennitas Propitiationis. Decimaquinta die solennitas Tabernaculorum septem diebus. Octauo verò die consequente solennitas Collectæ. Et ita in vniuerso septem erant solennitates legales, secundùm quod enumerantur. Leu. 23. Et additur solennitas Neomeniæ. Num. 28. quæ Leuit. 23. fiebat in Kal. hoc est, in prima die mensis. Quæritur igitur harum solennitatum ratio: prætermissis cæremonijs sacrificiorum & multiplicium obseruantiarum in solennitatibus, de quibus nullo modo posse videtur reddi ratio literalis.

¶ Solvtio. Et primo ad ea, quæ obiecta sunt in generali: deinde verò ad ea, quæ obiecta sunt in specialis.

¶ Ad obiecta verò in generali, generali responsione dicendum: quòd cæremonialium hoc est figuralium præceptorum quò ad genera præceptorum duplex est ratio, literalis, & spiritualis: literalis refertur ad latriam conditoris, spiritualis verò pertinet ad figurationem gratiæ redẽptoris. Quantum verò ad circumstantias præceptorũ non videtur aliquo modo, ꝙ vniuersaliter possit assignari ratio literalis, vt quare talia animalia offerantur in tali solennitate, & quare in tali numero, & quare in tali modo: quia hoc vt holocaustum, illud vt hostia pacifica, & huiusmodi. Num. 28. & Leu. 23. Sed dico, ꝙ vniuersaliter est omniũ Num. 28. & Leuit. 23. istorũ ratio spiritualis: vnde, *Scimus quoniã Lex spiritualis est.* Rom. 7.

Lex Moysi Lex spiritualis dicitur: quia spiritualiter intelligenda est, dicit ibi Gloss.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: quòd præcepta summæ sapientiæ debét habere optimam rationem. Dicẽdum, sicut dicit Aug. de præcepto dato Adæ. Gen. 3. *De ligno scientiæ non comedas*, &c. *Causam iussionis huius* (dicit) *non requiramus: sed hæc magna vtilitas est homini, quòd Deo seruit in iubendo: Deus enim vtile facit, quicquid iubere voluerit: de quo metuendum non est, ne iubere, quòd inutile est, posit.* Secundum hoc ergo dicendum: quod obseruantiæ literalis cæremonialium hæc sufficiens ratio est, vtilitas, & meritum obedientiæ: sicut in præcepto dato Abrahæ de immolando filio. Gen. 22. Cuius præcepti nulla alia literalis ratio est, nisi probatio obedientiæ Abrahæ.

Genes. 3. August.

Gen. 22.

¶ Ad secundum verò, quod obijcitur: quod nihil iubetur seruari in lege sine causa. Concedendum est: tamen aliquando iubetur aliquod fieri causa significandi: sicut præceptum est. Isa. quod iret nudus & discalceatus in signum & portentum aduersitatis venturæ super Ægyptũ. Ita vniuersaliter præcepta cæremonialia iussa sunt ad literam fieri, in signum futuræ gratiæ per Christum: cùm etiam alia, quæ in illo populo contingebant; contingerẽt in figura: quemadmodum dicit Apost. *Omnia in figura contingebant illis.* Præter autem rationem, quæ dicta est, scil. meritum obedientiæ conditoris; sufficiens erit ista ratio, scil. significatio gratiæ redemptoris: & istæ erant rationes principales præceptorum cæremonialium legis. Non tamen negandum, quin quantum ad genera præceptorum ratio literalis sit; quare talia præcepta illo tempore deberent illi populo dari: quando erat ferè totus mundus idololatriæ deditus, vt per hoc reuocaretur ab idololatria, & alliceretur ad latriam conditoris: secundùm quod iam manifestabitur.

Isa. 20.

1. Cor. 10.

¶ Ad illud, quod obijcitur primò in partem contrariam: quod præcepta Euangelij ex ratione sunt, & non pcepta cæremonialium obseruantiarum. Dicendum, quòd aliquid dicitur faciendum ex ratione dupliciter: simpliciter, & secundùm quid. Faciendum simpliciter ex ratione est, quod secundùm se bonum est, & semper, & apud omnes: secundùm quem modum præcepta euangelica sunt ex ratione facienda, quia sunt bona secundùm se, & semper, & ab omnibus facienda. Faciendum verò ex ratione secundum quid, est: quod secundùm se bonum non est, sed tantum ex causa, & pro tempore, seu aliquibus bonum est: hoc est, vtile vel expediens: secundùm quem modum cæremonialia legis ad literam facienda erant: quia causa reuocationis ad latriam conditoris tempore, quo vigebat idololatria; illi populo, qui ad idololatriam pronus erat, vtilia & expedientia erant.

¶ Ad secundũ verò dicendum: ꝙ in lege Moysi vmbra est & figura respectu futuræ gratiæ redemptoris: secundũ quod dicitur: *Vmbra habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Ibi tamen erat veritas præsentis latriæ conditoris, seu obedientiæ: ex qua cæremonialium præceptorum sumitur ratio literalis. Et per hoc patet, responsio ad obiecta in generali.

Hebr. 10.

¶ Ad obiecta verò in speciali pnotandum est: ꝙ qdam præcepta cæremonialia necessaria fuerunt illi populo ad inchoationem religionis: quędam verò ad cautelã vitandi erroris: quædam verò, vt allicerentur ad cultum & latriam conditoris.

¶ Necessariũ quidem ad inchoationem religionis fuit pceptum circumcisionis, & ritus phase: circumcisio.n. erat ad distinctionem principaliter: ritus phase ad communionem: quæ duo necessaria erant inchoationi religionis. Primò, vt ille populus p circumcisionem à cæteris populis idololatriæ deditis distingueretur, ferens signaculum diuinæ religionis: secundò, vt inuicem communione religionis vniretur per ritum agni paschalis.

¶ Necessaria verò ad cautelam erroris principaliter fuerunt præcepta omnia cæremoniarum: quæ videntur continere absurditatem, siue in victu, siue in habitu, siue in actu. In victu multipliciter: vt de non arando in boue & asino, de non seminando agrum diuerso semine, de non infrenando bouem in trituratione, de abijciendo prima germina arborum in fructuum collectione, de non coquendo hædum in lacte matris in carnium præparatione. Item in habitu duobus modis: vt de non induendo vestem, lana linoq; contextam; de non confundendo habitus virorum & mulierum. In actu indifferenti de dimittenda matre incubante super pullos.

¶ Item, necessaria propter prouocationem ad latriam conditoris principaliter fuerunt præcepta cæremonialia circa decoram dispositionem tabernaculi & altaris, & circa honorificam & honestam dispositionem ministrorum, & iocundam institutionem solennitatum: vt per aspectum & considerationem altaris & tabernaculi attraherentur pulchritudine, per considerationem ordinis ministrorum attraherentur honestate, per considerationem solennitatum trahererentur & allicerentur iocunditate ad cultum & latriam conditoris: hæc enim tria miro modo alliciunt & attrahunt animam rationalem scil. decorum, honestum, iocundum.

¶ Item, necessaria propter vtrumq;, scil. cautelam erroris, & prouocationem ad latriam conditoris; fuerunt præcepta cæremonialia de cauendis & purificandis immunditijs, & præcepta de sacrificijs: & præcepta de cauendis immunditijs pertinebant ad immunditiam conuersationis, quæ multiplicia sunt, sicut iam ostendetur: præcepta de sacrificijs pertinebant ad cultum religionis; quæ etiam multiplicabantur, sicut supra dictum est: & iam ratio dicetur.

¶ Respondendum igitur erit per ordinem ad supra obiecta in speciali.

¶ Ad primum, quòd obiectum est de circumcisione, & ritu phase. Dicendum est, ꝙ quamuis ista duo instituta sint ad significationem: nihilominus tamen iussionis & obseruantiæ istorum est ratio literalis. Vnde & de circumcisione ratio est, quare sic fieret, & quare octauo die fieret. Gen. 17. Et quare dilata est ab exitu de Ægypto vsque ad ingressum terræ promissionis. Iosue 5. Et quare præcepta est fieri cultris lapideis. Ibidem: & quare non fuit instituta ante tempus Abrahæ.

Genes. 17.

Iosue 5.

¶ Quare autem circumcisio præcepta sit hoc modo fieri, hoc est, per ablationem extremitatis pelliculæ membri virilis, quinque rationes assignantur. Prima ratio est debilitatio libidinosæ concupiscentiæ, quæ viget in membro illo virili, & ex vulnere circumcisionis, & ex effusione sanguinis, quæ in ea fit. Secunda est expositio illius partis, id est, pulpæ membri illius frigori & defricationi vestium; ex quibus omnibus efficitur minus sensibilis: quemadmodum & manus duris operibus assuetæ, minus sensibiles, minusque passibiles inde redduntur: nihil autem in parte magis minuit ac debilitat concupiscentiam, quàm diminutio sensualitatis & passibilitatis illius. Tertia ratio est in deletionem sacrorum Veneris & Priapi: in quibus illa tanquam pars & occupatio Veneris in corpore humano, non parum ornabatur & colebatur: hæc enim erat pars carnis, quæ maximè pugnabat contra spiritum: maximeque contaminauerat populos illarum terrarum: ita vt in omnia flagitia non solùm masculorum, sed etiam brutorum animalium prorumpebant: sicut legitur: Leuit. 18. *Omnes execrationes istas fecerunt accolæ, qui fuerunt ante nos, & polluerunt eam.* Et iterum: Cap. 20. *Omnia hæc fecerunt, & abominatus sum eos.* Hæc plaga effrenatæ ac flagitiosæ libidinis gentes illas septem execrabiles, quæ terram promissionis ante aduentum filiorum Israël inhabitauerant, in idololatria nutriebat, & potissimum detinebat. Quarta verò causa seu ratio est fortitudo impressionis memoriæ creatoris: est enim circumcisio signaculum & stigma inseparabile, grauissimoque dolore impressum: & propter hoc fortissimum est memoriale Saluatoris. Quinta causa est firmitas pacti cùm Deo: sicut legitur. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno.* Et iterum: *Hoc est pactum meum: circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Quare manifestum est: quòd hoc signaculo profitetur omnis circumcisus, se huiusmodi pactum seu fœdus inijsse cùm Deo, & ipsa susceptione

Leuit. 18.

Ibi ca. 20.

Genes. 17.

huius

huius signaculi intrat in pactum ac fœdus Abrahæ: & ipsa susceptione illius obligat se, ac debitorem se constituit vniuersæ legis, quæ data est semini Abrahæ: sicut dicit Apost. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersa legis facienda*, &c. Quemadmodum suscipiens signaculum, hoc est tonsuram & habitum cuiuscunq; religionis, ad eam se obligat vniuersam. Galat. 5.

¶ QVARE autem iussa est fieri circumcisio octaua die à natiuitate paruuli. Ad hoc ratio est: quoniam ante octauam diem teneritudo infantium tam graue vulnus absq; periculo mortis non facilè sustineret. Si autem differretur vsq; ad annos pueritiæ vel maioris ætatis, multi declinarēt eam suscipere propter grauitatem doloris.

¶ QVARE autem dilata fuerit ab exitu de Ægypto vsq; ad ingressum terræ promissionis; ratio talis assignatur: quia fortè non vacabat eis: quia vel bellis concutiebantur, vel pestibus vastabantur, vel seditionibus diuidebantur, vel à murmurationibus exagitabantur, vel alijs incommodis vrgebantur: secundùm ꝙ dicit Ioan. Damasc. *Locus autem fuit circumcisionis facienda firmato populo in fide Abraha, & obtentis pro parte promissionibus eidem factis.* Tunc enim innouandum fuit pactum Abrahæ, & firmandum ex parte seminis eius; cum firmum apparebat ex parte Dei: & hoc per exhibitionem promissorum. Damasc.

¶ QVARE autem fiebat cultro lapideo; causa est, quia malefici ferro faciebant incisiones in corporibus suis: & maximè in sacris Martis: metallum enim ferri metallum Martis, & partem eius in metallis opinabatur idololatrarum vanitas. Voluit ergo ritum istum per aliud, quàm per ferrum exerceri: vt saltem hac dissimilitudine aliquātulum eos ab idololatria abduceret. Alia ratio est: vt fœdus, quòd cum eis pepigerat Dominus in petra Oreb; eis per hoc ad memoriam reduceretur: vel quod aqua eis de petra produxerit, in aspectu cultrorum lapideorum recordarentur. Tertia ratio est, vt lapideorum cordium suorum duritiam in huiusmodi cultris lapideis legerent in ipsa hora circumcisionis: vt sic in pœnitudinem emollirentur: & cordium suorum duritiam sentirent interius per compunctionem: quemadmodum cultrorum huiusmodi duritiam corporalem per circumcisionem.

¶ QVARE verò præceptum fuerit primò Abrahæ, & non ante: ratio est: quia exuberante errore idololatriæ. Abraham primus fuit (sicut narrant antiquæ historiæ) qui reuocauit homines ab idololatria ad latriam conditoris. Quia ergo circumcisio ad hoc erat, vt per ipsam distinguerentur cultores creatoris à cultoribus idolorum: dabatur Abrahæ primò præceptum faciendæ circumcisionis. Præterea, ratio alia est: quia Abrahæ primò facta est promissio expressa, quòd de eius stirpe nasceretur redemptor: cum dictum est. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Conueniebat autem signaculum sanctificationis generationi, de qua debebat nasci redemptor: inde est quod Abrahæ & semini suo tantum præceptum circumcisionis est datum. Genes. 22.

¶ AD illud verò, quod quæritur de Phase, hoc est, de agno paschali; notanda est ratio immolationis & comestionis: de quibus Exod. 12. Nota ergo, quòd in hoc quod agnum in exitu de Ægypto immolare iussi sunt, & sanguine eius super liminaria domorum linire: apertè ab idololatria Ægyptiorum iussi sunt recedere, & contrarium cultum suscipere. Ægyptij enim arietem colebant: & propter hoc comestionem arietis aut agni, & ipsum sanguinem mortiferum sibi existimabant. Inde & virtute diuina miraculosè factum est: vt virtutem sanguinis filij Dei sibi salutarem probarent: tum per ipsum sanguinem ab Angelo exterminatore liberati sunt. Ista autem comestio agni Deo iussa est, vt in ipso ritu vniformi & communionis initiarentur ad vnitatem & conformitatem religionis: memores beneficij conditoris, qui miro modo ab Ægyptiaca seruitute & tribulatione eos liberauit. Inde est, quòd præcipiebatur comedi cum lactucis agrestibus & assatus igne: vt imprimeretur eis memoria amaritudinis per lactucas agrestes, & tribulationis per ignem; quas passi erant in Ægypto: & propter hoc gratiores essent Deo liberatori. Simili modo præcepti sunt comedere azymam, hoc est panem absq; fermento, in memoriam gratuitæ liberationis ab afflictione Ægyptiaca; quæ signatur in fermento. *Comedes absq; fermento afflictionis panem.* Exod. 12. Deut. 16.

¶ AD ea, quæ postea obiecta sunt circa cærimonias in victu. Respondendum est: & primò ad illud, ꝙ obijciebat de illo præcepto: *Non coques hædum in lacte matris.* Aliquam consuetudinem idololatriæ voluisse Deum per hoc remouere, vt Dei populus dissimilis esset idololatris, non solùm ritu, sed etiam vescendi consuetudine. Huius autem signum validum est, quòd ista prohibitio repetitur. Exod. 23. & Deut. 24. vt fortiùs ei imprimeretur. Et generaliter habendum est pro regula: quod ea, quæ apertam videntur habere absurditatem in cæremonialibus mandatis, & nullam secundùm litteram vtilitatem: intenditur in eis elongatio ab idololatria. Exod. 23.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de primis præputijs arborum auferendis. Dicendum, ꝙ hoc fuit præceptum contra errorem idololatrarum, qui de primis fructibus Genio. i. Deo naturæ sacrificabant; & primitiuos fructus faustos & fortunatos esse putabant: & propterea dictum est. *Poma, quæ germinant huiusmodi ligna, immunda erunt vobis* (tribus annis, subaudi) credebant enim idololatræ, quod nisi Cereri, & Genio, & alijs quibusdam dæmonijs de pomorum trium annorum fructibus iuxta suam superstitionem offerrent; arbores illæ vel omnino arescerent vel steriles efficerentur: & ideo dictum est: proijcietis ea, in detestationem talis erroris, nihil faustæ virtutis in eis credentes. Leuit. 19.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de illo præcepto. *Non alligabis*, &c. Dicendum, quòd huiusmodi præcepto ratio fuit elongatio ab idololatria Ægyptiorum; qui vsq; adeo boues abominabantur, vt de frugibus suis eos non sinerent comedere: ipsi enim colebant Serapin, qui apparebat eis in specie bouis. Præterea, in mandato isto ostensa est æquitas: quia iustissimum est, vt qui participat in labore, participet in comestione: sicut dicit Apostolus. 1. Corinth. 9. Deut. 25. 1. Cor. 9.

¶ AD illud, ꝙ obijcitur de illo præcepto. *Non arabis in boue & asino.* Dicunt, quòd istas coniunctiones diuersorum generum animalium in operibus suis idololatræ faciebant iuxta coniunctiones planetarum, & quasdam alias constellationes: credentes ex hoc opera prosperari. Voluit ergo Deus per hoc remouere falsitatem credulitatis istius, ne per eam, creatore relicto, ad stellarum seruitia traherentur. Deut. 22.

¶ HAC eadem causa prohibuit Deus commixtiones fieri animalium diuersi generis. *Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus.* Nam idololatræ nefanda opera & maleficia de fœtibus ex huiusmodi commixtione procreatis faciebant: & in ampliationem idololatriæ Veneris & Priapi commixtiones huiusmodi procurabāt: sicut legitur in Libro quodam maleficiorum, qui vocatur. *Leges Platonis.* Præter hanc autem causam assignant aliam scil. vt ordo naturæ in populo Dei commendaretur, & per consequens flagitium sodomiticum damnaretur: & ne homines commiscendo se in huiusmodi operibus vilissimis, contaminarentur. Leuit. 19.

¶ AD aliud verò, quod obijcitur de illo præcepto. *Non seres vineam altero semine.* Dicendum, quòd causa huius præcepti fuit idololatria Cereris & Bacchi: quorum cultores, sicut ritus & culturas coniungebant atq; commiscebant: sic & fructus, quos de beneficentia eorum se obtinere credebant, in eodem agro coniungere consueuerant: vt cum in eadem terra radices haberent vites & fruges, Bachum & Cererem cultu & operibus sociarent. Et hæc eadem ratio est eius, quod dicitur: *Agrum non seres diuerso semine.* Nam idololatræ in venerationem maximè elementorum; ex quorum commixtione huiusmodi gignebātur, commixtiones seminum faciebant. Deut. 22. Leuit. 19.

¶ QVOD verò additur: *Non seres agrum diuerso semine; ne & sementis, quàm seuisti, & quæ nascuntur ex * ea, pariter sanctificentur:* Sensus est, hoc est, ne pariter decimæ eorum & primitiæ reddantur: voluit enim Deus decimas horum & Deut. 22. * Alias, vinea.

primi-

[illegible] temporibus [illegible], sicut & diuersis temporibus colliguntur.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt circa cæremonias [illegible]. Dicendum est: & primo ad illud, quod obijcitur de illo præcepto, *Vestem, ex lana & lino contextam non indueris*, &c. (Ibidem.) Quod [illegible] huius præcepti fuit, ne Dei populus assimilaretur idololatris, qui [illegible] putabant prouenire fœcunditatem & copiam [illegible] in animalibus, & fertilitatem in agris. Vnde propter hoc linum & lanam simul in vestibus contingentes [illegible] profitebantur se ad [illegible] cultum, & [illegible] obligatos.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de illo præcepto, *Non induetur mulier veste virili: neq; vir veste fœminea.* (Ibidem.) Dicendum, quòd huius prohibitionis vna ratio fuit exterminatio sacrorum Martis & Veneris. Dicunt .n. quod in sacris Martis non solum in virili veste induebantur mulieres, sed etiam armabantur, vt ipsum tanquam belli & victoriæ datorem colerent: similimodo in sacris Veneris viri effœminabantur: videlicet in vestibus muliebribus sacra Veneris exercentes pro huiusmodi sacrilego ritu Marti & Veneri se placere credentes. Alia vero causa est, vt occasio prouocationis libidinis auferretur. Magna enim prouocatio libidinis viris est vestitus muliebris, & econuerso: & hoc est, quoniam vestis muliebris viro circumdata vehementer refricat mulierem, & commouet imaginationem mulieris: & econuerso. Tertiam verò causam assignant, vt tolleretur erronea credulitas, qua credebant idololatræ applicationes vestium muliebrium in sacris Veneris commingi sibi amore fortissimo corda mulierum, propter quas hoc facerent: vel quæ postea vestibus huiusmodi vterentur. Similiter mulieres id ipsum credebant de viris, & virilibus vestimentis. Voluit ergo Deus hunc errorem auferre, ne per illum ad cultum Veneris traherentur.

¶ Ad illud verò, quod prohibetur de prohibitione cæremoniali circa actum indifferentem scil. de matre incubante super oua vel pullos, dimittenda. Deut. 22. (Deut. 22.) Dicendum, quod ratio huius præcepti fuit elongatio ab idololatria: qua sperabatur prosperitas vel longæuitas ab alio, quàm à Deo: sicut enim malefici explorabant coitus seu commixtiones quorundam animalium, vt in illa hora interficerent ea, & de corporibus eorum vel puluere darent eis, quos vellent ardore suæ libidinis inflammare: credentes, corpora eorum vel puluerem, si hora illa occiderentur, hanc virtutem habere: sic & de matre ouis incubante, vel pullis: si ea hora caperetur, fœcunditatem & fortunam in nutriendis filijs posse præstare. Et hoc scimus ex multis similitudinibus, quas legimus in libris maleficorum. Voluit ergo remouere [illegible] Deus à cordibus eorum, ne aliunde fœcunditatem quærerent, generisque sui multiplicationem ac longæuitatem aliunde quærere vel sperare, quàm ab ipso: & propter hoc dixit: *vt longo viuas tempore.* (Deut. 5.) Præterea alia ratio est: quia obseruatores augurio[illegible] faustam & fortunatam reputabant inuentionem nidorum cum matre, & filijs, & ouis. Et ideo dogmatizabant non esse offendendam matrem, neque filios, neque separandos esse abinuicem: sed nidum cum omnibus in eo sic inuentis seruari præcipiebant, tanquam causam bonæ fortunæ quandam: vnde & quamdiu seruabant nidum [illegible] cum omnibus in eo inuentis sic illæsum, tamdiu eis benè esse & viuere: si verò dissiparent, aut quid de inuentis læderent, dissipari domos, & quod matri, filijs, vel ouis mali facerent, hoc se, vel filios eorum esse passuros pro certo sciebant.

¶ Postea verò respondendum est ad ea, quæ obiecta sunt circa cæremonias cauendarum immunditiarum: Erant autem immunditiæ multiplices cauendæ: quarum quædam erat immunditia vulgaris, vt in egestione: quædam vero erat immunditia legalis: & hæc variabatur multipliciter. Nam quædam erat immunditia, quæ in erat personis [illegible] causa [illegible]: quædam vero contrahebatur [illegible]. Item immunditia ab intrinseca causa, [illegible] ex vitio naturæ intendentis salutem speciei siue vniuersalis: aut ex vitio naturæ intendentis salutem singularis. Ex vitio naturæ intendentis salutem speciei siue vniuersalis, erant immunditiæ accidentes circa opus generationis: vt immunditia seminifluí, vel pollutionis [illegible], & immunditia mulieris menstruatæ, & patientis fluxum sanguinis, & immunditia parientis. Circa actum generatiuæ virtutis viri accidit immunditia pollutionis naturalis, vel innaturalis: naturalis in pollutione nocturnæ: innaturalis in seminifluis. Similimodo in mulieribus immunditia pollutionis naturalis accidit circa consummationem partus in menstruis: innaturalis in patientibus fluxum sanguinis: de quibus omnibus Leuit. 15. (Leuit. 15.) Item immunditia circa consummationem actus generatiuæ in partu accidit in pollutione sanguinis mulieris parientis. Leu. 12. (Leuit. 12.) Et hæc est ratio distinctionis immunditiarum ex vitio naturæ intendentis conseruationem speciei. Immunditia verò, quæ est ex vitio naturæ intendentis salutem singularis, est ex vitio lepræ: quæ distinguitur secundùm legem triplex: quia aut est in corpore. (Leu. 13.) aut in veste (Leu. eodem) aut in domo seu habitatione. Leu. 14. (Leuit. 13. Ibi 14.) Item, immunditia contracta ex causa extrinseca duobus modis est: aut enim contrahitur mediante gustu, aut mediante tactu: isti enim duo sensus sentiunt per applicationem ad sua obiecta. Item, immunditia circa tactum extendebatur ad animata & inanimata. Ad inanimata, vt ad vasa, & aquas: quæ contingebant aliquod de reptilibus immundis. Leu. 11. (Ibi 11.) Vel ad lectum, siue vestitum, in quo seminifluus iaceret. Leu. 15. (Ibi 15.) Ad animatum vero, vt ad hominem multipliciter. Nam aut contrahebatur ex tactu rei sacræ sanctæ & mundæ: aut ex tactu rei execrandæ seu immundæ. Ex tactu rei sacræ, vt in contingente cineres rufæ vitulæ. Num. 19. (Num. 19.) Ex tactu rei execrandæ, vt ex tactu illorum, quæ secundùm legem reputabantur immunda. Et hoc differenter, vel mortui, vel viuentis; viuentis rationalis, vt ex contactu seminiflui & aliorum. Leu. 15. (Leuit. 15.) Vel irrationalis, vt ex tactu animalis, quod habet vngulam, sed non diuidit eam, nec ruminat: & similiter aliorum immundorum. Leu. 11. (Ibi 11.) Item, ex contactu mortui dupliciter, vel ex contactu cadaueris hominis. Num. 19. (Num. 19.) Vel ex contactu morticinij immundi animalis. Leu. 11. (Leuit. 11.) Item, immunditia circa gustum variabatur. Nam quædam erat circa gressibilia: quædam circa aquatilia, quædam circa natatilia, quædam circa reptilia. Leu. 11. (Ibidem.) prout obijciebatur.

¶ His ita distinctis propter faciliorem intelligentiam respondendum per ordinem ad obiecta.

¶ Ad illud ergo, quòd obijciebatur de immunditia vulgari: vt de egestione operienda. Deut. 23. (Deut. 23.) Dicendum, quod huius præcepti ratio fuit honor Dei, & prouocatio gentium ad latriam conditoris: vt videntes gentes populum Israël munditiæ sectatorem, & omnium immunditiam declinare, prouocarentur ad consuetudines & ritus ipsorum. Præterea, vt intuitu Dei tantus honor seruaretur castris eorum, vt ex hoc in ipsis castris, quæ Deus speciali prouidentia custodiebat, aliquid turpe facere non auderent: vnde, *Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum.* (Deut. 23.)

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de immunditia lepræ. Dicendum, quòd ratio fuit prouocatio ad latriam conditoris: cùm enim lepra morbus contagiosus sit & infectiuus: cohabitatio leprosi inter alios corrumperet multos, & consimili ægritudine inficeret: ex quo sequeretur, quòd horribilis esset societas, & cohabitatio populi Israël cæteris gentibus. Per oppositum ergo separatio leprosorum à societate Israël prouocatiua erat aliarum gentium ad cohabitationem cum eisdem propter salubritatem & sanitatem, & ita per consequens ad imitationem ritus & consuetudinis in cultu conditoris.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de lepra in veste, vel pelle, & de lepra in domo, quod ridiculosum videtur. Dicendum, quòd causa [illegible] immunditiæ declinandæ fuit cautela idololatriæ declinandæ. Sicut enim [illegible]

mtor

morbus corrosiuus capillorum & pilorum in corpore humano, consumens & putrefaciens eos paulatim: quemadmodum lepra putrefacit carnem & consummit: simili modo accidit passio in veste & pelle, quæ dicta est lepra, & est passio corrosiua pilorum & substantiæ pellis. Similis passio inuenitur in lapidibus, qui in seipsis ex abundantia siccitatis consummuntur: vnde dicuntur lapides cancerosi: & per consequens in ipsis parietibus domorum: quemadmodum nos videmus consumptionem fieri in ipsis lignis. Dicunt igitur, quòd pro huiusmodi passionibus colebantur Dij Pænates, & Lares: vt vel secundùm eorum falsam credulitatem tales passiones tollerentur à domibus & vestimentis: vel ne eas inferrent. Inde est, quòd voluit Deus, vt ad sacerdotes pro his passionibus recurrerent: & nouo ritu voluit istas passiones mundari: vt à ritibus superstitionis idololatriæ longè fierent. Inde etiam est, quòd aqua expiationis per sacerdotes in emundatione voluit adhiberi: per quam huiusmodi dæmonia exterminarentur.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditijs puerperæ, & mulieris fluxum sanguinis patientis. Dicunt, quòd ratio fuit, vt horrerent sanguinem filij Israël. In detestationem enim idololatriæ, in cuius ritu humanus sanguis dæmonijs multipliciter offerebatur; voluit Dominus horrorem humani sanguinis ingerere: in ritu enim idololatriæ humanus sanguis effundebatur; sicut habe-
3.Reg. 18. tur. 3. Reg. 18. De Prophetis & sacerdotibus Baal. Incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguinis.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditia menstruatæ. Dicunt, quòd hoc fuit in detestationem idololatriæ: solebant enim menstruatæ mulieres audaciùs se Lunæ cæremonijs immiscere; quia fluxus menstruorum Lunæ cursui deputatur: ideo deputabant se menstruatæ tempore menstruorum eo ipso sacris Lunæ digniores: quia in ipsis Luna eo tempore manifestiùs operaretur. Multa autem auiditate & studio à mulieribus idololatris
Ierem. 7. Luna colebatur; sicut legitur. Hierem. 7. *Mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli.* Propter hanc ergo causam menstruatas Lex Dei iudicauit immundas. Alia causa fuit ipse menstruus sanguis, de quo malefici multa horrifica faciebant. Tertia verò causa fuit, honor & reuerentia Tabernaculi: in quo posset mulieribus fluxus contingere, si ad illud eo tempore admitterentur.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditia seminiflui. Dicendum, quòd seminifluus iudicabatur immundus propter abominationem idololatriæ Veneris; in qua semen ipsum humanæ generationis sacrificijs miscebatur. Simili modo patiens pollutionem nocturnam iudicatus est immundus: vt horrorem induceret Lex fluxus humani seminis alibi, quàm in opere generationis: & hoc propter execrationes idololatriæ, & sodomiticas abominationes; quas omnino voluit abolere.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditia vasis: & aquarum ex contactu reptilium, seu animalium im-
Leuit. 11. mundorum. Leuit. 11. Et simili modo de vase, quòd non habebat operculum. Num. 19. Dicendum, quòd ratio fuit declinatio idololatriæ: credebant enim idololatræ, simiæs, aut mustelæ, atque lacertæ, & huiusmodi, quæ idolis immolabant; in vasis vel in aquis caderent, quòd essent gratiosiora Dijs, & ad immolandum conuenientiora: sicut electa ab ipsis. Et ideo volebant vasa carere operculis. Adhuc tamen apud aliquos stultos remanent reliquæ idololatriæ istius: qui credunt quædam nocturna numina frequentare domos: & vasa, quæ discooperta inuenerint, postquam inde comederint & biberint, denuo repleri: si verò operta inuenerint ea vel clausa, inde offendi: & ex hoc domui periculum imminere.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditia ex contactu mortui. Dicendum, quòd ratio fuit elongatio ab operibus maleficis & necromanticis: quæ in cadauere mortuorum exercentur: & ideo qui tangeret mor-
Num. 19. tuum, secundum legem iudicatur immundus. Num. 19. Inde est, quòd sacerdotes summi prohibiti sunt ingredi ad mortuos, præterquam ad propinquos. Leuit. 21. Ad propinquos autem ingredi permissi sunt, ne inhumana videretur Lex. Leuit. 21.

¶ Ad illud verò, quod objicitur de immunditia ex contactu cinerum vitulæ: ex quibus positis in aquis expiationis aliæ immunditiæ purgabantur: quod videtur inconueniens, si ex re purificante immunditia contrahatur. Præterea videtur sequi circulario ridiculosa, quia si quicunque alium aspergit aqua expiationis immundus efficitur. Num. 19. Oportuit igitur, ad hoc vt mundetur, Num. 19. quòd aspergatur ab alio. Aut ergo ab eodem quem aspersit, aut ab alio: si ab eodem, iterum ille immundus efficitur: si ab alio, ille alius indiget alio aspersore, & ita erit circulatio ridiculosa, aut in infinitum processio ibit immunditiæ. Ad hoc dixerunt quidam: quod in hoc voluit Deus reuerentiam & honorem exhiberi sanctificatis ab ipso, & propter hoc vnumquemque, qui tangeret aliquid de sacris, indignum se reputare ex huiusmodi contactu: & timere ne indignè tetigisset, & propter hoc peccato irreuerentiæ se reputare pollutum; intelligitur igitur ista immunditia de immunditia reputationis. Alij verò dicunt, quòd cùm sacrificium vitulæ ruffæ fieret in memoriam idololatriæ adorationis vituli, quàm commiserunt filij Israël. Exod. 32. Vsque adeo voluit populum suum Exod. 32. peccatum idololatriæ abhorrere: vt non solùm hostia, quæ pro illo offerebatur, & illud significabat, immunda reputaretur, & polluens contingentes: sed etiam ipsæ reliquiæ, vt cineres, & quicquid haberet aliquid ipsorum ad mixtum; vt aqua lustrationis: non tamen huiusmodi immunditia per ipsas aquas lustrationis necesse habebat purgari: sed per ablutionem vestimentorum, & abstinentiam ab ingressu Tabernaculi: sicut ibi dicitur. Et ideo ibi non accidit inconueniens, quòd objiciebatur.

¶ Ad illa verò, quæ objiciuntur de præceptis cæremonialibus circa immunditias contractas ex gustu. Dicendum, generali responsione: quod ratio fuit elongatio ab idololatria. Illa enim animalia, quæ præcipuè Lex iudicauit immunda, idololatræ assumpserant vel in ritus sacrificiorum, vel in venerationem. Patet enim quod ex gressibilibus, & volatilibus, & aquatilibus idolorum imagines figurabant: vnde Exod. 20. Propter hoc dicitur: *Non facies* Exod. 20. *eorum similitudinem, quæ in cœlo desuper; vt volatilium: nec eorum, quæ in terra deorsum, vt gressibilium: nec eorum, quæ sunt in aquis, vt natatilium.* Item patet, quòd simili modo faciebant idola reptilium: vnde Isa. 2. *Proijciet homo idola: quæ* Isa. 2. *fecerat, vt adoraret talpas, & vespertiliones.* Et Ezech. 8. *Ingressus, vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abo-* Ezech. 8. *minatio, & vniuersa idola ibi depicta,* &c. Inde est, quòd Lex omnia huiusmodi iudicauit immunda. Vel quia in talibus idolis sacrificabant: vnde porcus, qui non ruminat, sed findit vngulam, iudicatur immundus: quia adhuc Pagani porcos immolabant, & fœdera sua sacrificio porcorum firmabant: non aliter ratum existimantes, nisi ipsi, qui paciscuntur aut fœderantur, per intermedium partium huius sacrificij transierint. Simili modo camelum, qui ruminat, sed non findit vngulam; sacrificant idololatræ & malefici: sicut legitur in *Lib. de Annulis 7. planetarum:* ita etiam de alijs intelligendum est. Sicut nunc enim ex necessitate statuendum esset in regionibus, vbi cattus dicitur adorari, ne ibi inueniretur; & apud quem inueniretur, grauiter puniretur. Eadem ratione & in regionibus, in quibus buffo dicitur adorari: si quis buffonem inueniens, non statim occideret, graui animaduersione plectendus esset: ita & prædicta animalia, quæ vsurpauerat sibi idololatria; voluit esse abominabilia Deus suo populo, vt nec ea comederent, nec contingerent. Dicunt autem quidam, quòd concessionis cuiusdam generis locustarum ad esum filij Israël. Leuit. 11. Ratio est Leuit. 11. memoria auxilij diuini quod eis impensum est ad puniendum Ægyptios, cælitus per locustas. Exod. 10. Exod. 10.

¶ Respondendum est postea ad ea, quæ objiciuntur circa cæremonias purificationis immunditiarum.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur de sacrificio vitulæ, ruffæ, quòd erat ad expiationem generalem. Dicunt, quòd istud sacrificium præceptum est offerri pro peccato ad orationis vitulæ, in quo Aaron populo communicauit: propter hoc factum est præceptum, vt ruffa esset, colorem habens vituli adorati: vt ipsi Aaron & toti populo per substantiam & colorem, rememorationem peccati illius, pro quo offerenda, erat faceret; & pudorem eius peccati ingereret. Vacca autem in sexu fœmineo, non vitulus offerebatur: quia ipse Dominus Synagogam vaccam seu vitulam appellare consueuit: vnde Oseæ 5.

Oseæ 5. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israël.* Et iterum in eodem

Eodē ca. 10. 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Ratio autem vocationis, quia (ad litteram) iuxta morem Ægypti vaccæ idolum forsitan coluerunt: vnde, Oseæ 10. *Vaccas Bethauem coluerunt.* Vaccæ igitur vacantur irrisoriè, iuxta illud Psalm. 113. *Similes illis fiant, qui faciunt ea; & omnes, qui confidunt in eis.*

Ibidem 10.

Psal. 113.

¶ Ad illud ergo, quòd quæritur: quare præcipiatur, vt extra castra comburatur. Ratio est: vt cùm illa vacca offerretur generaliter pro peccato idololatriæ; significaretur peccatum idololatriæ maximè abominandum, & detestandum, & eliminandum à castris Israël. Quod verò præceptum est de sanguine eius. 7. Vicibus Tabernaculi fores aspergi. Ratio est, vt significaretur per hoc sacrificij emundatio ab vniuersitate peccatorum: quæ vniuersitas in septenario intelligitur: vel quæ tota in septenario dierum committitur. Fiebat autem huiusmodi aspersio contra ritum idololatriæ: quæ sanguinem immolatitium totum apponebat dæmonibus ad edendum vel bibendum, & offerentibus.

¶ Ad illud verò, quòd præcipitur in crematione vaccæ poni lignum cedrinum, hyssopus, & coccus. Respōdetur, quòd propter hoc, vt in his virtus significatiua sacrificij ostenderetur. Per lignum enim cedrinum, quòd putredinem non recipit, sed à se eam perpetuò repellit, & odorem habet suauitatis: per hyssopum enim quæ pectus purgat, & bonum odorem spargit; per coccum bis tinctum, qui colorem suum indelebilem seruat: ostenditur, quòd sacrificium illud cùm sequela sua conseruatiuum erat filiorum Israël à putredine peccatorum, & fœtore atque decoloratione; ex fide, & deuotione offerentium, non virtute ipsius sacrificij: & ideo legitur. Numer. 19. De cineribus sacrificij, *vt sint multitudini filiorum Israël in custodiam.* Secundum Iosephum verò in cocco semper intelligitur ignis: ergo iuxta ipsum in cineribus quatuor elementa quodammodo signata sunt: in cedro terra; quia ex terra crescit; & valde terrestris substantiæ est ac solidæ: in hyssopo aqua, quia ex pluuia sola gigni & nutriri videtur hyssopus: in odore amborum aër, maximè secundùm eos, qui odorem non nisi vaporem esse dicunt, seu credunt. Comburuntur autem ista quatuor in rememorationem, quòd Deus in igne apparuit Moysi primum: & quod in igne data est Lex. Quasi ergo de quatuor elementis sacrificium illud offerebant Deo altissimo, tanquam auctori elementorum. Vel propter hoc, vt quicquid immunditiæ ex quocunque quatuor elementorum contractum esset; propter hoc sacrificium expiari intelligeretur.

Numer. 19.

¶ Ad illud verò, quod postea obijcitur de cæremonijs purgandæ immunditiæ spiritualis scilicet lepræ. Dicendum: & primò ad illud, quare in emundatione leprosi adhiberentur, lignum cedrinum, hyssopus, & coccus siue vermiculus, & passer vnus viuus; vt ex eis faciat aspersorium. (Leuit. 14.) Hoc modo, vt filo coccineo ligarentur passer & hyssopus, & alligarentur ligno cedrino; ita vt lignum cedrinum esset quasi * manubrium aspersorij, hyssopus & passer essent id, quòd de aspersorio tingendum erat in sanguine alterius passeris immolati in aquis viuis.

Leuit. 14.

* Aliàs, manubrium.

¶ Notandvm igitvr, quòd cum sint quatuor corruptionis, quas lepra inducit; prima est putredinis, secunda fœtoris, tertia insensibilitatis, quarta decolorationis: lignum cedrinum ponitur, quòd est odoriferum, ad significandum abolitum fœtorem: hyssopus, quæ purgat pectus à putredine, ponebatur ad significandum purgatam putredinem: passer verò viuus, qui etiam postmodum auolare permittebatur; significat sanatam insensibilitatem, & restitutam mobilitatis, & sensibilitatis viuacitatem: vermiculus verò addebatur ad significandum restitutum colorem rediuiuum, & hoc per beneficium creatoris. Quòd verò passer alligatus aspersorio viuus auolare in agrum dimittebatur, cùm passer sit de auibus gregatim volantibus, significabat leprosum à castris separatum, & extra castra aliquanto tempore detentum, post aspersionem talem & emundationem ad castra reuerti, & in societatem sanorum ac mundorum admitti.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare de sanguine & oleo præceptum est extremum auriculæ, pollicesq; manus dextræ, & pedis dextri mundandi tingerentur. Assignatur ratio iuxta literam: quia in his partibus primum lepra dignoscitur & sentitur, videlicet in extremo auriculæ dextræ, & in pollicibus illis scilicet in eorum insensibilitate, sicut dicitur: propterea præceptum est tale fieri in emundatione, vt idem cognosceretur esse ordo purgationis, qui erat infectionis.

¶ Nota etiam, quòd tres liquores huic ritui adhibebantur, videlicet sanguis, oleum, aqua viua. Et hoc propter tria, quæ comitantur lepram: infectio sanguinis, vehementia morbi, spurcitia seu immunditia carnis. Contra corruptionem sanguinis abolendam ponebatur sanguis: ad sanitatem morbi oleum: ad emundationem spurcitiæ, aqua viua. Dicunt autem, quòd per ista non solùm mundabatur leprosus ab immunditia irregularitatis: immò etiam aliquando ab ipsa corruptione ægritudinis per miraculum creatoris.

¶ Consequenter respondendvm est ad obiecta circa cæremonias sacrificiorum. Et primò ad ea, quæ obijciuntur circa cæremonias sacrificiorum in generali.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur? quare in quadrupedibus electa sunt bos, ouis, & capra, in vtroque sexu? Assignatur multiplex ratio: quia ista sunt, quæ totum, quòd viuunt, & sunt, necessitati hominis tribuunt: hoc est, victui & vestitui. Si igitur rectè humana necessitas respiciatur, sola ista de animalibus necessaria sunt hominibus in victū & vestitum: cætera verò superflua sunt, quantùm ad necessitatem vitæ, vt porcus, canis, & equus. Eo ergo ipso quod noluit alia sibi offerri in sacrificijs; abstulit eis occasionem quærendi non necessaria; dum eis non voluit honorari. Amplius, quia de quadrupedibus ista mundissima sunt: quia & mundissimis viuunt pastibus: & eorum immunditiæ etiam mundæ sunt. Præterea, inter omnia quadrupedia ista mansuetissima sunt, & minori rebellione sustinent mortem: & ideo minori periculo immolantium. Insuper, quia istis animalibus maximè vtebantur: & in his erat largior beneficentia conditoris erga eos: conueniebat igitur de his animalibus conditori regratiationē & honorificentiam pro beneficentia exhibere.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare elegit de auibus turturem & columbam; quæ & præcepit Abrahæ, vt sibi offerret in sacrificium. Genes. 15. Dicendum, quòd Genes. 15.
hæc præcipuè electa sunt ad sacrificium, quia inter omnes aues ista munda, & mansueta, & vtilia vsibus humanis sunt: & etiam castitas quasi coniugalis in columbis, quasi vidualis in turturibus inuenitur. Vnde per hoc expressè dabatur intelligi, quòd si huiusmodi requirit in auibus sibi offerendis, quantò fortiùs in hominibus sibi offerentibus? De hoc verò quod passer additur in emundatione leprosi; præter rationem, quæ supra dicta est; posset specialis ratio assignari: quia dicitur passer secundùm modum suum morbum consimilem aliquando pati. Ratio autem generalis, quare alia animalia ab istis voluit Deus sibi offerri, est: quia omnia alia genera animalium, aut idololatræ sacrificijs suis execrabilia fecerant: aut augures vanitate obseruationum suarum prophanauerant:

uerant: aut magi veneficis maleficijs suis abominabilia reddiderant.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? propter quid ista præcepit interfici, & cremari Deus. Respondetur, quòd crematio & consumptio sacrificiorum: mortem & consummationem designabat peccatorum: vt ille, qui animalia immolabat & cremabat, facto vt etiam verbo (creditur) dicebat. *Sicut moriuntur & consummuntur ista animalia: sic moriantur & consummantur peccata, pro quibus illa offero.* Præterea, intentio offerentium erat, vel esse debebat, vt sic protestaretur. *Mortis & cremationis, quàm patiuntur hæc animalia, iudicium: ostendit, quòd merui supplicium per peccatum meum: veniam autem peto à Deo per hoc sacrificium.*

Leuit. 2. ¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare in sacrificio præcipiebatur offerri sal, non mel, vel fermentum. Leuit. 2. Respon. Dicendum: quia mel in idolorum sacrificijs ponebatur, similiter fermentum: sal verò non.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare sanguinem fundi iussit, & comedi prohibuit. Dicendum, quòd causa fuit & consuetudo idololatrarum, qui non solùm sanguinem animalium, sed etiam sanguinem filiorum & filiarum suarum immolabant dæmonijs: secundùm quod dicit in Psalm. 105. *Effuderunt sanguinem innocentem sanguinem filiorum: & filiarum suarum*, &c. Insuper & opinabantur idololatræ, ex hoc se placere Dijs suis: quod circa sanguinem immolantium de sacrificijs comedebant: putantes eadem hora Deos suos ad bibendum sanguinem conuenire. Dicunt autem quidam, quòd hæc est causa potissima, quare prohibiti sunt comedere animal captum à bestia vel suffocatum: videlicet, propter sanguinis admixtionem. Namque suffocatio modus quidam erat immolandi dæmonijs: & ideo prohibuit comedi suffocatum.

Psal. 105.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? propter quid adipem sacrificiorum sibi soli de sacrificijs Deus retinuit? Triplex causa assignatur. Prima, quia idololatræ faciebant contrarium. Deuteron. 32. *De quorum victimis comedebant adipes.* Secunda, vt in Dei sacrificijs gulæ detraheretur: & offerentibus sobrietas seruaretur. Tertia, honorificentia Dei: qui in oblatione porcorum, & pinguium, debuit honorari: minueretur autem eius honor in sacrificijs, si pars ei deterior offerretur.

Deut. 32.

¶ Si autem quæratur? quare pectusculum & armum dextrum in partem voluit cedere sacerdotum: assignatur ratio literalis: videlicet elongatio ab idololatria. & specialiter ab ea parte, quæ adhuc Spatulomantia nuncupatur: quam maximè in spatulis animalium immolatiorum exercebant.

¶ Ad illud verò, quòd quæritur de modo immolandi & occidendi. Respondetur iuxta literam; nullam aliam fuisse causam quam elongationem ab idololatria, quia alios modos habebant idololatræ occidendi animalia immolanda.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare in animalibus sacrificandis præcepit, vt absque macula essent. Respondetur, quòd ratio huius fuit honor Dei: qui debet de præcipuis honorari: secundùm quod dicitur: *Si offeratis cæcum, claudum, vel languidum: Nonne malum est offerre illud Duci tuo? si placuerit ei?* Quasi dicat, non placebit ei.

Malach. 1.

¶ Postea respondendum est ad id, quòd obijcitur de sacrificijs in speciali. Et primò ad illud, quòd obijcitur de sacrificio solenni hircorum & vituli in Festo Propitiationis: de quo Leu. 16. Notandum igitur, quòd illud erat generale sacrificium ad expiationem omnium peccatorum totius populi semel in anno. Ad hanc autem expiationem assumebantur hirci duo: & conuenienter assumebatur hircus: quia fœtidus est in se, & de pilis eius fiunt vestimenta pungentia: vt facilè ex hoc intelligeretur fœtor, & immunditia* aculei peccatorum. Horum autem hircorum alter cremabatur, alter in desertum mittebatur: vt insinuaretur duo modi abolitionis peccatorum: vnus est declinando seu fugando per cautelam, & hoc significabatur in hirco, qui emittebatur in desertum; vnde dictus est emissarius: alius modus est consumptio peccatorum per pœnitentiam; & hic significabatur per sacrificium alterius hirci, qui cremabatur in holocaustum.

Leuit. 16.

*Aliàs, aculeus.

¶ Ad illud ergo, quòd quæritur de hirco emissario: quomodo portare peccata dicebatur. Dicendum, quòd signū pro veritate, hoc est, signato accipitur: quemadmodum aliquis dicitur scribi, cùm eius nomen scribitur: & sicut supra dictum est, quòd hostiæ signa & figuræ erant peccatorum: ita electio seu fugatio hostiæ in hirco emissario fugationem & declinationem significabat peccatorū: quemadmodum mors & crematio alterius hirci exprimebat consumptionem peccatorum.

¶ Si autem quæratur? quid erat, quòd Sacerdos imprecabatur capiti hirci populi peccata: & quæ esset oratio, q̃ super eum fundebatur. Respondetur, quod sicut dicitur. Leu. 16. Sacerdos confitebatur omnes iniquitates filiorum Israël, posita vtraq; manu super caput hirci emittendi; & imprecans capiti eius. Quòd duobus modis intelligitur: vno modo, quia dicebat hic Sacerdos ad hircum. *Super caput tuum sint omnia peccata ista*: seu. *Capiti tuo imputet ea Deus, & non filijs Israël.* Alio modo, quia scripturam omnium peccatorum, id est, omnia peccata in vniuerso continentem imponebat vel ligabat super caput eius: & tunc emittebat eum per hominem paratum ad hoc: & sicut disparebat, vel deuoratus à bestijs, vel factus siluestris hircus ille: ita disparere credebant peccata sua per huiusmodi ritum.

¶ Ad illud verò, quod quæritur de oratione. Respondetur, quòd oratio, quæ fundebatur super hircum huiusmodi fuisse videtur. *Sicut tu eijceris, & longè efficeris à populo isto: ita fiat de peccato eorum*: vel. *Sicut tu liber & sanus & immunis à morte & à læsione euadis & emitteris: ita liber & immunis fiat populus iste à peccatis.* Eodem modo super vitulum. *Sicut tu crematus & consummeris: ita consummantur peccata populi istius.*

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quare emittebatur in desertum? Responsio, quia deserta omnia volebat Deus esse immunda, & abominabilia reddere per hircum emissarium: tum quia malefici & idololatræ deserta propter hoc maximè frequentabant, vt audirent ibi responsa dæmonum eisq; ibidem immolarent: sicut adhuc multi faciunt. (Vnde quidam Magus in libro suo de. Magijs, dicit se transisse causa philosophandi ad loca destituta omni habitatore: habitasseq; ibi cum inhabitantibus lucem sex lustris annorum; & ab eisdem didicisse, quæ in eodem libro conscripsit) tum forsitan propter hoc: quia in specie hircorum seu caprarum in desertis dæmones apparebant: sicut legitur in vita B. Antonij Abbatis: vnde propter Faunos & Satyros, qui ibi in specie hircorum frequenter hominibus illudebant, & adhuc illudere non cessant; voluit ibi insinuare Deus in hirco emissario, vt quemadmodum hircus emissarius absq; custode relinquebatur in deserto, expositus bestijs deserti ad deuorandum propter peccata, quæ in figura portabat: sic populus oneratus peccatis à Deo custode ac defensore suo derelictus; bestijs malorum regnorum seu principum inimicarum nationum, quasi quibusdam bestijs diripiendus ac dilacerandus esset.

¶ Ad illud verò, quod posset obijci, quare qui tangerent huiusmodi hostias, decernerentur esse immundi. Respondet, vt in hoc doceret eos Deus patenter, quàm longè eos vellet esse à peccatis: qui hostias, quæ figuræ peccatorum erant, tangere immundum esse iudicabat.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur? quare Aaron pro se & pro domo sua vitulum iubetur offerre? Dicendum, quòd iuxta literam volebat eum Deus esse sine metu de peccato vituli conflatilis: quem ipse filijs Israël conflauerat. Præterea, potuit esse in sugillationem idololatriæ: quia in Ægypto bos colebatur: vnde occisionem & immolationem bouis sibi pestiferam suspicabantur Ægyptij. Decenit autem Doctorem legis, & diuini cultus sacerdotem exemplo suo superstitionem huiusmodi eliminare.

¶ Si autem quæratur? Quare extra castra cùm

fimo & pellibus combureretur hircus & vitulus. Respondetur iuxta literam: quod hoc iussum est fieri in horrorem & abominationem peccatorum. Preterea, factum est contra idololatriam, qua colebatur ignis: in qua propter honorem ignis cremari sacrificia non sinebantur extra castra: ne Deum suum, id est, ignem à castris suis eijcere viderentur. Ampliùs factum est propter honorem tabernaculi, ne pelles & fimus talis sacrificij altaris honorem & reuerentiam minuerent.

¶ Ad illud verò, quod postea quæritur de sacrificio zelotypiæ. Notandum, quòd voluit Deus tali sacrificio reuelari occulta adulteria mulierum: vt adulterari meruerent, & ne mariti suspectas vxores occiderent: & notum erat accidere miraculum de inflatione ventris, & putrefactione fœmoris corruptæ mulieris.

¶ Ad illud, quod quæritur? quare farinæ ordeaceæ secundùm ritum aliarũ oblationum nõ adiungeretur thus, vel oleum. Respondetur iuxta literam: quod hoc fiebat, vt viris esset rubori huiusmodi sacrificium: tum propter hoc, quia Deo non offerri ex deuotione ostendebatur, per hoc ipsum quod nec oleum nec thus habebat: tum quia vile erat in se, & omnium sacrificiorum pauperrimum. Præterea noluit Deus sacerdotibus in parte ista dare occasionem cupiditatis: & hoc ne inuitarent homines ad huiusmodi sacrificium offerendum: quod non tam honorificentia Dei exigebat, quàm virorum malitia extorquebat.

Leuit. 2. ¶ Ad aliud verò, quod quæritur de sacrificio simile conspersæ oleo, & panum. Leu. 2. Respondent ꝙ huiusmodi sacrificij ad literam causa fuisse videtur: vt fieret filijs Israël rememoratio mannæ, quàm pluerat illis Deus in deserto: & quomodo manna pauerat eos. 40. Annis: habebat autem saporem, quàsi panis oleacei: sicut habetur.
Num. 11 Num. 11.

¶ Respondendvm est consequenter ad obiecta circa cæremonias tabernaculi, & altaris. Et primò ad illud, ꝙ obijcitur de altari: Notandum, quòd (sicut quidam conuenienter dixerunt.) Altare est diuini honoris titulus & memoriale, adorãtium propitiatorium, oblationum sanctificatorium, spiritualis communionis & refectionis mẽsa. In quibus quatuor altaris officia ostenduntur. Primum
Gen. 28. est honor Dei & memoria: secundùm ꝙ scriptum est. Gen. 28. Quòd Iacob erexit lapidem in titulum. Secundum est, vt in eo propitietur Deus ad ipsum fugientibus singulari-
Leuit. 3. & 4. ter, & in eo adorantibus: secundùm ꝙ ostenditur. Leu. 3. & 4. Tertium est sanctificatio munerum & offerentium in eo: vnde ipsa munera dicebantur sanctificata & consecra-
Eodem 22. ta. Leu. 22. Quartum est spiritualis refectio & communio,
1. ad Cor. 9. propter quod est ædificatum altare: vnde dicitur: *Qui altari deseruiunt, cùm altari participant.* Et, *Habemus altare, de quo*
Hebr. 13 *edere non habent potestatem, qui tabernaculo corporis deseruiunt.* Ratio autem distinctionis horum quatuor officiorum altaris, est impetratio à Deo perfectæ ordinationis per ministerium altaris, ad Deum, & ad seipsum, & ad proximũ: ad Deum per honorificentiam & memoriam ad seipsum per propitiationem: & remissionem peccatorum, & per sanctificationem in dispositione ad bonum: ad proximum per communionem religionis in participatione sacrificij secundùm diuinum cultum.

Exod. 20. ¶ Ad illud verò, quod obijcitur, quare præcipitur? Ex. 20. fieri altare de terra. Respondetur, ꝙ propter eliminationem consuetudinis idololatriæ: idololatræ namq; altaria magnificæ structuræ ædificabant idolis: vt ex hoc magis reuerendam idololatriam facerent. Eadem de causa prohibuit altare ex sectis lapidibus ædificare: & ne refricaret eis memoriam idololatriæ. Adeo enim voluit memoriam idolorum aboleri à cordibus eorum, vt nec aurum, nec argentum idolorum permitteret eos habere in
Deut. 7. aliquem vsum: sicut legitur. Deut. 7. Vnde nota, quòd ꝓpter eandem causam prohibuit nemus plantari iuxta alta-
Eodem 16. re. Deut. 16. Consuetudo enim erat idololatrarum, sub arboribus idololatriam exercere: vt ipsa locorum amenitas eos ad idololatriam prouocaret. In ipsis etiam arboribus sculpebantur vel pingebantur imagines dæmonum ad idololatriam exercendam.

¶ Ad illud verò, quod prohibuit gradus fieri ad altare: eadem ratio assignatur; quia scil. gradus habebant altaria idolorum, in quibus singuli singulas stationes & genuflexiones faciebant.

¶ Ad illud verò, quod quærebatur de hoc, quod additur. *Ne videatur turpitudo tua.* Dicunt, quòd temporibus il- Exod. 20.
lis nota erat hæc turpitudo in seruitio idoli, quòd vocabatur. Pauor: cui pudendis discoopertis sacrificabatur. Et secundùm hoc dicunt, quòd vnum mandatum est per se, Ibi.
ne videatur turpitudo tua. Qua etiam ratione ita arctissimè Exod. 28
præceptum. Exod. 28. Quòd sacerdotes habeant fœminalia linea, quibus operiant carnem turpitudinis suæ; quando appropinquant ad altare, vt ministrent: ne iniquitatis rei moriantur.

¶ Ad illud verò, quod quæritur de positione altaris holocaustorum sub dio. Respondetur, quòd hoc fuit propter dissimilitudinem cultus Dei ad idololatriam: quia altaria idolorum intra templa ipsorum erant. In constitutione duplicis altaris scil. altaris holocausti, & alteris thymiamatis: quorum vnum erat extra tabernaculum, super quod offerebatur sacrificium carnium scil. holocaustorum: aliud verò erat intra tabernaculum; super quod offerebatur incensum & thymiama: exprimebatur duplex sacrificium Deo offerendum: visibile exterius in crematione carnis: inuisibile interius in cõtritione seu deuotione cordis. Præterea, ostendebat, non sufficere sacrificium pecorum, quòd offerebat super altaré holocaustorum: sed necessaria erat fides & deuotio charitatis & orationis ad Deum: quæ designatur per incensum, vt in Psalm. 104. Psal. 104.
Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

¶ Deinde respondendum est ad obiecta circa cæremonias Tabernaculi: & primò ad illud, quòd quæritur de positione frontis tabernaculi ad occidentem. Ad quod dicendum, quòd ratio positionis fuit ad declinandam idololatriam Solis. Adoratores enim solis ipsum solem ad orienté incuruati adorabant, secundùm ꝙ legitur. Ezech. Ezech. 8.
8. Quòd inter vestibulum & altare erant. 25. viri, dorsa habentes ad templum, & facies ad orientem: & adorabat ad ortũ solis. Voluit ergo Deus adoratores suos dorsum vertere ad ortum solis, vt culturam solis abominabilem redderet.

¶ Ad illud verò, ꝙ quæritur postea; quæ fuerit ratio operimentorum quatuor tabernaculi; cortinarum (sc.) sagorum, pellium rubricatarum, pellium hyacinthinarum. Respondetur secundùm Iosephum: ꝙ cortinæ, quæ coloribus diuersis mira varietate erant intextę; exprimebant cælum sidereum: saga super cortinas, aquas, quę sunt supra firmamentum: pelles rubricatæ super saga, cælum empyreum, in quo sunt Angeli: pelles hyacinthinæ cœlum supremum, vbi Deus super omnia.

¶ Ad illud verò, quod quæritur? quæ erat ratio distinctionis Tabernaculi in duas partes per velum quatuor colorum in Sancta, & Sancta sanctorum. Respondetur secundùm Iosephum quod tabernaculum figuram totius mundi gerebat: & propter hoc adorantes in eo, se Deum & Dominum mundi eo ipso adorati profitebantur: vnde quasi tabernaculum Dei totus mundus dicitur: propter quod dicitur in Psalm. 17. *In circuitu eius Tabernaculum eius.* Psalm. 17.
Partes tabernaculi duos mundos, seu duas partes exprimebant vniuersi, videlicet mundum spiritualem seu sæculum altius, & mundum sensibilem seu sæculum inferius. Oraculum autem, seu SanctumSanctorum, quòd abscondebatur populo; vbi erat propitiatorium, arca, & duæ imagines Cherubin; in quarum medio Dominus apparebat: significabat sæculum altius, habitationem & patriam spiritualium substantiarum seu Angelorum, quibus Deus apparet, sicut est. Pars verò alia, quæ dicebatur Sancta; significabat mundum sensibilem, qui separatur & distinguitur à mundo spirituali per velum, hoc est, per ipsam naturam & varietatem quatuor elementorum: quod velut quoddam velum est ad velandum & abscondendum habitationem & patriam Angelorum: ita quod non poterit ab hominibus videri, donec ablatum fuerit

illud velamen: hoc est, variatio quatuor elementorum in generatione & corruptione: & hoc pro parte dicit Apostolus ad Hebr. 10. *Hoc significante Spiritusancto, nondum propalatam esse sanctorum viam.* Vnde secundùm Iosephum varietas quatuor colorum designabat varietatem quatuor elementorum: color coccineus præfigurabat ignem; purpureus aquam, quia ex sanguine muricis, qui est piscis marinus, tingitur: hyacinthinus, qui est aërij coloris, ipsum aërem: byssinus terram: quia byssus in terra gignitur. Ad Hebræ. 10.

¶ Ad illvd, quòd quæritur de positione candelabri, & mensæ. Respondetur iuxta literam: quia ideo ponebatur candelabrum & mensa in tabernaculo: vt adorantes in eo, lucem & nutrimentum; quæ maximè sunt homini salubria, à Deo per ipsum seruitium se obtinere sperarent: vnde horum se datorem, luminis, scilicet, & nutrimenti voluit designare; ostendendo quod in domo eius ista abundant. Vnde Baruch 3. *Disce, vbi sit longiturnitas vitæ, & victus: vbi sit lumen oculorum & pax*, &c. Longiturnitas vitæ & victus in panibus propositionis & renouatione ipsorum: lumen in candelabro luminis: pax verò potest intelligi in hoc, quòd adiungebatur scilicet in altari thymiamatis; quod erat specialiter institutum propter sacrificium orationis offerendum ad impetrandam pacem & reconciliationem populi ad Deum. Baruch 3

¶ Alii dicvnt ivxta Iosephvm: quod candelabrum luminis, quòd habebat septem brachia: figura erat. 7. planetarum: Mensa verò escæ & sustentationis. In hoc ergo voluit insinuare, Deum esse cui septem planetæ seruiunt, & quod ipse Deus est dator escæ, non Ceres: & propter hoc nec planetis, nec Cereri, sed soli Deo est seruiendum. Inde etiam erat, quòd candelabrum septem lucernarum ponebatur ad partem australem à sinistris adorantium & immolantium: ne si staret ante eos, adorationes & immolationes, quæ Deo fiebant, in idololatriam septem planetarum fieri viderentur.

¶ Simili modo mensa propositionis ponebatur ad partem aquilonarem. Nam in sacris Lunæ panes offerebantur: sicut ostenditur testimonio. Hieremiæ 7. vbi dicitur: quod mulieres faciebant placentas Reginæ cœli. Sed cùm mensa panis in idolio, vbi colebatur Luna; poneretur rectè ante ipsum idolum Lunæ: ideo in Tabernaculo Domini non posita est directè ante ipsum oraculum, sed ad aquilonem. Præterea, vnicuique panum illorum superposita est patena aurea, & pugillus thuris: propter dissimilitudinem à cultu idololatriæ. Ierem. 7.

¶ Ad illvd verò, quod quæritur de adiunctione altaris thymiamatis. Iam responsum est: nam mensa sustentationem vitæ à Deo quò ad vegetabilem: candelabrum verò luminis illustrationem à Deo quò ad sensibilem: altare verò thymiamatis pacem à Deo quò ad conscientiam animæ, & partem rationalem exprimebant.

¶ Ad alivd verò, quod quæritur? quæ erat ratio collocationis Arcæ & Cherubin in abdito. Responsio est: quia propter cautelam idololatriæ factum est: ne à populo, qui pronus erat ad idololatriam, leuissima occasione, si eis paterent, adorarentur. Qui enim imaginem vituli paulò ante adorauerant, qualiter se ab adoratione Arcæ, super quam Deus dabat responsa; & Angelorum imagine continerent; propterea eis dicitur: Deuteronom. 4. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus: ne forte decepti, faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem & adoretis eam.* Deut. 4.

¶ Ad illvd, quòd quæritur vltimò de ratione compositionis thymiamatis, & olei vnctionis. Breuiter dicendum: quod secundùm literam ratio fuit honorificentia Tabernaculi, & cultus diuini: vt scilicet fragrantia odoris thymiamatis attraherentur ad deuotionem, & frequentationem Tabernaculi, & ad adorandum Deum: vnctione verò olei, qua consecrabantur tabernaculum, & alia, quæ erant ad officium cultus, mouerentur ad reuerentiam cultus & sacrorum.

¶ Consequenter respondere est ad quæsita circa ordinationem ministrorum. Et primò ad illud, quòd quærebatur? quare habens maculam non poterat ad ministerium promoueri? Et ratio est honorificentiam cultus Dei: ne si minister haberet aliquam notabilem deformitatem, vilificaretur cultus Dei apud simplices: vnde & tunc plures deformitates introducebant irregularitatem, quæ modo non introducerent: quia faciliùs ille populus recederet à cultu Dei, quàm populus Christianus, si ministros eius contemptibiles iudicaret.

¶ Ad alivd verò, quod quæritur? quare in consecratione sacerdotis vngitur extremum dextræ auriculæ, & pollices manus dextræ & pedis? Respondendum, vt monstraretur, quòd ex consecratione deberet Sacerdos esse totaliter conuersus ad Deum: & quantùm ad attentionem seu intentionem intellectus, quæ designatur in dextra auricula: & quantùm ad approbationem affectus, quæ designatur in pollice pedis dextri: & quantùm ad intentionem effectus, quæ designatur in pollice manus dextræ.

¶ Ad alivd verò, quod quæritur de ratione effusionis olei super caput Aaron consecrandi. Respondendum, ad exprimendum quod ex vi consecrationis accipiebat potestatem alios consecrandi & ordinandi in sacerdotium: vt ab ipso deriuaretur auctoritas, qui erat summus Pontifex, in minores sacerdotes: sicut à capite oleum in membra defluebat.

¶ Ad alivd verò, quod quæritur de oblatione trium animalium, & Canistri azymorum. Leuit. 8. Dicendum, quòd vitulus pro peccato offerebatur in consecratione sacerdotis, in memoriam remissionis peccati adorationis vituli; cui consensit Aaron, & in detestationem erroris: Aries in holocaustum, offerebatur in memoriam obedientiæ & amoris: ex quo voluit Abraam filium immolare: sed tamen pro illo obtulit arietem: cuius amoris & obedientiæ sciret Sacerdos se debere esse imitatorem. Aries verò in consecratione, vt sciret Sacerdos se consecratum in honorem illius, qui per sanguinem agni, qui est arietini generis, in Ægypto saluauerit primogenita Israël: pro quibus primogenitis assumebantur ad diuinum cultum sacerdotes & Leuitæ. Numer. 3. Canistrum verò panis, vt sciret Sacerdos se assumptum ad illius seruitium; qui pane cœlesti, hoc est, manna aluit filios Israël in deserto. Exod. 16. Vt ergo quatuor firmissimè imprimerentur in animo sacerdotis; quatuor illa offerebantur: duo, vt imprimerentur timor & reuerentia iustitiæ: duo, vt imprimerentur spes & amor misericordiæ. Vitulus pro peccato reducebat memoriam iustitiæ diuinæ punientis malos adoratores vituli. Exod. 32. Aries in hocolaustum memoriam iustitiæ probantis seu tentantis bonos, vt Abraam. Genesis 22. Aries consecrationis amorem misericordiæ liberantis à malo, vt filios Israël per sanguinem agni. Exod. 12. Canistrum azymorum amorem misericordiæ sustentantis beneficio, vt filios Israël manna in deserto. Exodi 16. Genes. 22. Num. 3. Exod. 16. Exod. 32. Gen. 22 Exod. 12. Exod. 16.

¶ Ad alivd verò, quod quæritur? quare in consecratione tradebatur sacerdoti adeps, armus dexter, &c.

¶ Responsio est, quòd propter hoc vt sciret Sacerdos se accepisse ex consecratione duplicem potestatem scilicet potestatem Deo offerendi sacrificium, quàm significabat acceptio adipis: & potestatem accipiendi stipendium de sacrificijs ad suum victum: & hoc significabat acceptio armi & pectoris.

¶ Deinde respondendvm ad obiecta circa cæremonias ornatvs sacerdotvm: Et primò ad illud, quòd obijcitur de vestimentis Aaron: generaliter ergo dicendum, quòd omnis ornatus sacerdotum erat propter honorificentiam Dei: & vt ex ipsa honestate ministrorum attraheretur populus ad diuinum cultum. Tamen ipsa distinctio vestimentorum

su-

summi sacerdotis secundum Ioſephum, figurabat ipſum eſſe miniſtrum & pontificem conditoris vniuerſorum: vnde ſecundùm quod tangitur Sapient. 18. diſpoſitio totius orbis figurabatur in veſte pontificis: fœminalia linea & tunica linea ſeu byſſina terram figurabant: balthei verò circumuolutionem Oceani: tunica verò hyacinthina ipſo colore aërem præ ſe ferebat: per tintinnabula tonitruum: per malogranata coruſcationes ſignificabantur: ſuperhumerale ſui varietate cœlum ſydereum: duo ſardonices duo hemiſpheria, vel ſolem & lunam: duodecim gemmæ in pectore duodecim ſigna in zodiaco. Et pulchrè quod in medio erat, appellabatur Rationale: ratione enim cuncta ſunt plena, & terrena per cœleſtia diſponuntur,) cydaris cœlum empyreum: lamina aurea Deum omnibus præſidentem. Tamen non videtur hæc ſignificatio conuenire. Dicendum ergo, quòd varietas veſtimentorum deſignabat varietatem virtutum, quibus oportebat pontificem eſſe munitum: fœminalia ſignabant continentiam: tunica byſſina quod multis tonſionibus peruenit ad candorem; per mortificationem carnis munditiam interiorem: baltheus, qui ſtringit ventrem, continentiam aut abſtinentiam: tunica hyacinthina, quæ eſt exterior & ætherei coloris, conuerſationem cœlicam: cingulum verò, quo tunica ſtringitur, conuerſationis modeſtiam: ſuperhumerale mandatorum obedientiam: rationale verò diuinam ſcientiam: cydaris intentionem bonæ voluntatis: lamina, cui nomẽ Dei inſcribitur, memoria ſeu meditatio Dei iugis figurabatur.

¶ AD illud, quod quæritur de veſtimentis minorum ſacerdotum. Dicendum, quòd fœminalia continentiam: tunica linea munditiam, baltheus modeſtiam, mitra capitis intentionem rectam.

¶ AD illud, quod quæritur de Leuitis. Dicendum, quòd aſperguntur aqua luſtrationis, ad ſignificandum munditiam mentis ab immunditia culpæ. Radunt verò pilos, ad ſignificandum præciſionem ſuperfluitatis. Lauant veſtimenta, ad expreſſionem munditiæ in conuerſatione. Et hæc ſufficiant de cæremonijs circa diſpoſitionem miniſtrorum: nam magis pertinent ad moralem inſtructionem rationes talium, quàm ad diſputationem.

¶ VLTIMÒ BREVITER reſpondendum ad obiecta circa cæremonias ſolennitatũ. Dicendum igitur, quòd inſtitutiones ſolennitatum erant in memoriam potentię, ſapientiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ cõditoris. Ad memoriam potentiæ erant tria feſta, Sabbatum, Neomenia, Paſcha Sabbatum, in memoriam potẽtiæ creantis omnia ſex diebus, & ſeptima quieſcentis. Neomenia in memoriam potentiæ gubernantis, quæ gubernatio maximè apparet in principio cuiuſlibet menſis in renouatione curſus lunaris. Paſcha in memoriam potentiæ liberantis à malis Ægyptiæ ſeruitutis. Ad memoriam verò ſapientiæ Dei, quæ claruit in latione legis inſtituta eſt Pentecoſtes, quod eſt feſtum lationis legis quinquageſimo die poſt exitum de Ægypto. Ad memoriam verò iuſtitiæ inſtituta erat ſolennitas Tubarum, & ſolennitas Expiationis: ſed ſolennitas Tubarum in memoriam iuſtitiæ probantis bonos, (erat enim in recordationem probationis Abrahæ, quando prçceptum eſt ei immolare Iſaac: & aries pro eo immolatus eſt) ſolennitas Propitiationis in memoriam iuſtitiæ punientis malos, & propitiantis pœnitentibus (erat enim inſtituta in recordationem ſeueritatis in punitione populi pro adoratione vituli.) Ad memoriam verò miſericordię conſeruantis Iſraël in deſerto, ſolennitas Tabernaculorum. Memoriam miſericordiæ congregantis populum Iſraël in terra promiſſionis, ſolennitas Cœtus ſiue Collectæ.

MEMBRVM II.

De numero, & differentia cæremonialium præceptorum.

CONSEQVENTER quærendum eſt de numero, & differentia cæremonialium. Circa quod quæruntur plura. Primò de numeroſitate cæremonialiũ. Secundò de differẽtia in generali cæremonialiũ eorundem pceptorũ.

ARTICVLVS I.

An in veteri Lege debuit eſſe tanta numeroſitas cæremonialium præceptorum.

IN primis igitur quæritur de numeroſitate cæremonialium. Nam non videtur conueniens fuiſſe, vt populo rudi & ſimplici tanta numeroſitas præceptorum daretur. Nam multitudo præceptorum auget obligationem; maior autem obligatio exigit obedientiam perfectiorẽ: perfectior autem obedientia nõ debet exigi à populo imperfecto: ergo inconueniens eſt populo Hebræorum, quod tantùm multiplicarentur.

¶ ITEM, communis animi conceptio eſt: quòd in paucioribus maior via eſt, & ad proficiẽdum per intellectum in addiſcendo, & etiam ad proficiendum per affectum in operando: ergo in paucioribus mandatis maior eſſet profectus, & obedientia facilior.

¶ ITEM, experimẽto ſcitur, quòd ſubitas mutationes abhorret natura, & per conſequens ipſa ratio. Cùm autem in lege naturali mandata fuerint pauciſſima: incõueniens fuit, vt in lege ſequenti legem naturalem, ſcil. lege Moyſi multiplicarentur mandata, & pcipuè cæremonialia: quorum ratio non patet ratione, vel natura.

RESOLVTIO.

An abs re tanta cæremonialium præceptorum numeroſitas veteres Hebræos onerauit: & vt idololatricam ſuperſtitionem vitarẽt, & vt in latria veri conditoris ſeſe occuparẽt: & vt eſſent, quæ multiplicem Saluatoris gratiam commodè ſignificarent.

¶ RESPON. Dicendum, ꝙ numeroſitas cæremonialiũ introducta eſt cõueniente in lege triplici de cauſa. Prima eſt execrabilitas idololatriæ multiplicis, & ſuperſtitionis erroris: propter quam eliminãdam & cauendã neceſſariũ fuit in illo populo ad idololatriam prono, multiplicari pcepta cæremoniarum, per q reuocarentur, & cauerent idololatriam, ſicut patet ex præcedentibus. Secunda cauſa eſt exercitatio & occupatio in latria cõditoris: quia enim mẽtes carnales in vno quouis exercitio poſitæ ſtatim faſtidiunt: neceſſaria eſt eis, & ſalubris varietas exercitij: qua varietate excludatur faſtidium, & acceptabile reddatur ſeruitium cõditoris: propter quas duas cauſas dicit Domin᷑: *Scribam eis multiplices leges meas.* Tertia cauſa eſt multiplex ſignatio gratiæ Saluatoris: q non potuit vno ſigno, vel vna figura tantùm exprimi: imò quia multiplex eſt & incõprehenſibilis gratia, neceſſe fuit figuras multiplicari. Inde eſt ꝙ dicit Iſid. quod omnis hoſtiarũ diuerſitas Chriſti hoſtiã figurabat: & propter varietatẽ virtutum hoſtię Chriſti, introducta eſt varietas & diuerſitas ſacrificiorum, vnde ſubdit: Chriſtus in vitulo propter virtutem crucis offerebatur: in agno propter innocentiam: in ariete propter principatũ: in hirco propter ſimilitudinẽ carnis peccati, (Rom. 8.) in turture & columba, quia Deus & homo: mediator Dei & hominum, (1. Tim. 2.) in duarum ſubſtantiarum coniunctione monſtrabatur: in ſimilagine propter conſperſionẽ credentium per aquam baptiſmi collectam eccleſiam eſſe corpus Chriſti oſtendebatur. Item pro hac ratione dicitur Iob 11. *Vtinam Deus loqueretur tecum: & oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ ſuæ, & quod multiplex ſit lex eius.*

¶ AD illud ergo, quod primò obijcitur: ꝙ multitudo pceptorum non conuenit imperfectis. Dicendum, ꝙ multiplicantur pcepta dupliciter; aut cauſa multiplicãdorum meritorũ: quomodo non conuenit multiplicare mandata niſi perfectis: aut neceſſitate vitandorũ malorũ; quomodo expedit multiplicari pcepta imperfectis; cũ ſcil. multiplicãtur occaſiones in peccatis. Sicut nos videmus, quod multiplicãtur humanę leges & eccleſiaſticę cõſtitutiones cũ multiplicantur malorũ occaſiones: vnde & hoc modo conueniebat præcepta multiplicari populo Iudæorum.

¶ AD ſecundum quod obijcitur, ꝙ in paucioribus via maior eſt. Dicẽdum, ꝙ verum eſt, vbi per pauciora proceditur ad vnum: vbi verò proceditur ad multa vel multiplicia, non eſt via maior per pauciora, immò per multiplicia. Inde eſt, cùm conueniret figurari multiplicia beneficia, & numero ſam gratiã redemptoris; neceſſarium erat, vt multiplicarentur cæremoniæ figurarum legis.

Sap. 18.

Oſeæ 8.

Iſid. ſuper principiũ Leuitici.

¶ Ad tertium, quod obijcit: quòd subitas mutationes abhorret natura. Verum est, vbi est mutatio in cōtrarium. Vnde mutationem à paucioribus ad multa contraria, abhorreret natura, & ratio: non autem mutationem à paucioribus ad multa naturæ conuenientia. Conuenit autem naturę varietas exercitij: ideo ad * mutationem in ipsa varietate cultus diuini necessaria fuit multiplicatio cęremoniarum.

*al. imitationem.

ARTICVLVS II.

Quotuplicia fuerint cæremonialia legis?

QVÆRITVR postea in generali de differentia cæremonialium. Notandum igitur, quòd quidam cæremonialia legis in tres differentias distinxerunt, scilicet in sacramenta, sacrificia, & sacra. Et sacramenta dixerunt instituta ad sanctificationem: sacrificia ad propitiationem: sacra ad Dei honorationem. Sacramenta legis, vt circuncisio, & phase, & ordo, & huiusmodi: sacrificia verò ea, quæ offerebantur de animantibus & de inanimatis, vt simila, panes, & libamenta: sacra, vt ea, quæ erant sacrata ad cultum ratione loci vel temporis colendi Deum: vnde sacra erant vtensilia tabernaculi, & ornatus, & solennitates. Dicunt ergo, quod hæc tria necessaria erant: & hoc, quia primo necessarium erat, vt sanctificarentur vel sancti essent, quod fiebat per sacramenta. Secundò necessarium erat, vt iram creatoris declinarent, & pacem eius & gratiam obtinerent; quod fiebat per sacrificia. Tertiò necessarium erat, vt ipsum creatorem cultu placido, hoc est loco & tempore, prout congruit, honorarent: & hoc fiebat per sacra.

¶ Sed obijcitur contra: nam secundùm communem acceptionem cæremonialia non solùm consistunt in illis, quæ communiter dicunt, aut sacra * aut sacrata, aut sacrificia, immò in alijs obseruantijs, quæ compętunt personis: vt de cauendis immunditijs, & de cæteris, de quibus lex voluit decernere populum tam in victu, quàm in vestitu, atque in actu à nationibus cæteris; sicut suprà dictum est: vnde dicitur Deut. 4. *Mandauit mihi Deus, vt docerem vos cæremonias atq; iudicia, quæ facere debetis.*

al. sacramenta. *Deut. 4.*

¶ Item, non videtur vniuersaliter verum, quod dicūtur sacrificia in propitiationem. Nam erant sacrificia quæ offerebantur ex mera dilectione, vt holocausta, Leuit. 1. Iterum erant sacrificia, quæ offerebantur in gratiarum actione, vt hostia pacificorū pro pace collata, Leuit. 3. quēadmodum erant hostiæ pro peccato, Leuit. 4.

Leuit. 1. *Leuit. 3.* *Leuit. 4.*

¶ Item dixerunt quidam cæremonias principaliter esse circa custodias solennitatum: & hoc seruantes interpretationem vocabuli. Nam cæremoniæ dicuntur à cereis id est luminaribus, quæ in solennitatibus apponebantur: vel à careo & menè; quia tunc debent sordes in nobis deficere: vel cæremoniæ quasi carimuniæ, à carendo munijs, id est officijs seruilibus. Tamen extenso nomine dicuntur cæremoniæ sacrificiorum & aliorum.

¶ Sed in contrarium obijcitur, quod ante institutionem solennitatum, & ante legem legimus cæremonias, Genes. 26. dicitur de Abraham, quod custodiuit præcepta Dei, & mandata, & cæremonias. Item Exod. 12. de ritu agni Paschalis: *Cùm introieritis terram, obseruabitis cæremonias istas.* Ex quo relinquitur, quòd cęremoniæ nō principaliter dicuntur obseruantiæ solennitatum.

Gen. 26. *Exod. 12.*

¶ Alii dixerunt, quòd cæremoniæ dicebantur, quasi chere normæ, id est salutis regulæ: vnde quia ista, quæ instituta sunt ad diuinum cultum, & præcepta; sunt regulæ directiuæ in salutem; dicuntur cæremoniæ.

¶ Sed secundùm hoc, cùm ipsa pręcepta moralia maximè sint directiua in salutem; veræq; sunt regulæ salutis: ergo & cæremoniæ dicerentur.

¶ Dixervnt alij iuxta sententias sapientum Hebræorum, quod cæremoniæ dicerentur præcepta; quæ nō videntur habere rationem secundùm literam: vel quorum ratio occulta est, & latens simplicibus, nota verò solis sapientibus.

¶ Sed secundùm hoc, præceptum de immolatione agni Paschalis non esset cæremoniale: cùm ratio institutionis determinetur expressè Exod. 13. ita quod manifesta esset simplicibus, dicitur enim ibi: *Narrabis filio tuo in die illa, dicens: hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Aegypto: & erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos.* Et tamen contrarium habetur Exod. 12. *Cùm introieritis in terram, obseruabitis cæremonias istas.* Exod. 13. Exod. 12.

¶ Item, pari ratione nec festum Tabernaculorum esset cæremoniale: quia eius ratio expressa erat etiam simplicibus, Leuit. 23. vbi dicitur: *Mense septimo festa celebrabitis septem diebus: & habitabitis in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos, &c.* Leuit. 23.

RESOLVTIO.

Legis cæremonialia quadruplicia in genere fuêre; scilicet obseruantia, sacramenta, sacrificia, & sacra.

¶ Dicendvm autem, non solùm respicientes ad nomen, sed ad sententiæ rationem. Quod cæremonialia pręcepta erant omnia illa, quę introducta sunt propter ritum cultus, & latriam conditoris secundùm literalem rationem. Dicit autem Valerius Maximus, quod istud vocabulum, *cæremonia*, Latinum est: & sumptum fuit à Cærere oppido: in quo oppido Romani primò instituerūt ritum sacrorum. Inde est, quod Latini interpretes in lege diuina posuerunt hoc vocabulum; vbi debuit significari ritus colendi Deum; vnde Exod. 18. dixit Iethro ad Mosen: *Esto populo in his, quæ sunt ad Deum, &c. ostendasq; cæremonias ritumq; colendi.* Dicendum igitur, quòd præcepta cęremonialia cōsistunt in quatuor differentijs: prima est in obseruantijs, secunda in sacramentis, tertia in sacrificijs, quarta in sacris. Obseruantias autem hoc loco dicimus in præceptis circa diuinum cultum, quæ data sunt ad eliminationem superstitionis idololatriæ, & declinationem occasionis erroris: vt præcepta, quæ data sunt circa vestitum vel circa victum, & circa obseruantias immunditiarum, & huiusmodi: vt patet ex præcedentibus. Sacramenta autem, & sacrificia, & sacra, dicimus instituta secundùm literam ad latriam conditoris, sed referuntur sacramenta ad fidem veritatis: sacrificia ad spem salutis, seu pietatis: sacra verò ad honorem & reuerentiam maiestatis. In sacramentis enim est signum fidei veritatis: vnde circuncisio dicitur signaculum fidei Abrahæ, Rom. 4. & sacramentum agni Paschalis dicitur signum eiusdem, Exod. 13. *Erit quasi signum in manu, &c.* In sacrificijs verò, siue holocaustis, siue pacificis, siue hostijs pro peccato spes pietatis est, & obtinendæ salutis: sicut patet ex Leuit. 1. & 2. & 3. & 4. cùm dicuntur sacrificia oblatio suauis odoris Deo. In sacris verò honorificentia & reuerentia maiestatis Dei est. Sacra verò ista attendebantur in institutione solemnitatum, & ornatus tabernaculi, & vtensilium verisimiliter, quæ deputabantur ad diuinum cultum.

Vide Liu. lib. 5. Exod. 18. Rom. 4. Exod. 13. Leuit. 1. 2. 3. 4.

¶ Secvndvm hoc ergo cæremoniæ in quadruplici differentia sunt. Primò in obseruantia eorum, quæ præcepta sunt ad reuocationem & declinationem superstitionis erroris: secundùm quod dicitur 3. Regum 9. *Stauersi fueritis, nec sequentes me: nec custodientes cæremonias, quas proposui vobis: sed colueritis deos alienos: auferam Israël de superficie terræ.* Secundò in sacramentis: vnde & pro sacramento circuncisionis dicitur de Abraham Genes. 26. quod custodierit mandata, & cæremonias, & cætera. item de sacramento agni Paschalis dicitur, Exod. 12. *Cùm introieritis terram, obseruabitis cæremonias istas, &c.* præterea de sacramento Ordinis dicitur Leuit. 8. *Hæc est vnctio Aaron & filiorum eius in cæremonijs.* Tertiò in sacrificijs, vnde Leuit. 9. dicuntur oblata sacrificia super altare absque cæremonijs holocausti matutini, & Numer. 15. de peccante per ignorantiam, dicitur: quod offerat vitulum & sacrificia, ac libet, vt cæremoniæ eius postulant. Quartò in sacris, vnde Exod. 38. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonij in cæremonias Leuitarum. Ex quo patet, quòd vtensilia tabernaculi dicebantur cæremoniæ, vel inter cæremonias esse.

¶ Di-

¶ Dicendvm igitur quòd diminutè & imperfectè fuit prædicta assignatio cæremonialium legis.

¶ Sed obijcitur contra positam distinctionem. Nam dicit Augustinus, Quod sacrificium visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est, vt Psalmista inquit: *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.*

Aug in li. 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. Psal. 50. Idē Aug.

¶ Et iterum: *Quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij: porrò misericordia verum sacrificium est.* Secundùm hoc ergo videntur non distingui sacrificia & sacramenta legis: cùm ipsa sacrificia sacramenta sint.

Idem ibidem.

¶ Rvrsvs Augustinus: *Si sacrificia, quæ vult Deus: (quorum vnum est cor contritum & humiliatum) nollet legalibus sacrificijs significari: non vtiq; de his offerendis in lege veteri præcepisset.* Ex hoc ergo relinquitur, quòd non distinguuntur cæremoniæ sacrificiorum, & sacramentorum.

Idem in eodē lib. cap. 6.

¶ Contra. Sacrificium signum est veri sacrificij: verum autem sacrificium est opus meritorium. (Vnde Aug. *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo: relatum, scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.*) Cùm ergo sacramentum propriè non sit signum sacri operis, quod à nobis est: sed ipsius gratiæ sacræ, quæ à Deo est, & non à nobis, sicut dicitur Roman. 11. *Si gratia Dei, iam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia.* (Sacramentum enim est inuisibilis gratiæ visibile signum.) Relinquitur ergo, quòd sacrificium legis non est propriè sacramentum.

Rom. 11.

¶ Respon. Sacramentum dicitur cōmuniter, & propriè. Communiter signum sacræ rei: siue illa res sit opus sacrum, quod ab homine est: siue illud sit gratia, quæ est solum opus diuinum: & hoc modo dicit Augustinus sacrificia esse sacramenta. Propriè verò dicitur sacramentum signum sacræ rei, quæ est gratia, & non opus humanum. Et hoc modo distinguendum est: quia sacrificia duplicem intentionem significationis habebant: erant enim signa futurorum, & faciendorum. Vt erāt signa futurorum, significabant de futuris gratijs in Christo; vnde dicit Isid. super Leuiticum, quod omnes legales hostiæ Christi hostiam præ se ferebant; & isto modo sacrificia possunt dici sacramenta respectu gratiæ Christi: quia tñ sacramentū propriè dicitur, quod est signum gratiæ, quæ in nobis est à Christo, non dicentur secundùm modum proprium sacrificia sacramenta. Secundum verò, quod erant signa faciendorū; patet ampliùs, quod non possunt dici sacramenta propriè, exceptis quibusdam, quæ erant principaliter instituta ad significandam gratiam: vt forsitan sacrificium vitulæ rufæ, & sacrificium consecrationis sacerdotum.

Isidor super Leuiticum.

MEMBRVM III.

De obseruantia cæremonialium circa immunditias.

Consequenter quæritur in speciali circa obseruantiam cæremonialium de immunditijs. Et primò mò quæritur communiter: quid dicatur principium vel origo immunditiç. Secundò verò in particulari, quātum ad differentiam statuum ante legem, in lege, & post legem.

ARTICVLVS I.

A quo sint, vnde ve originem principiumq́, ducant legales immunditiæ.

Ad primum obijciunt sic: quia principium immunditiarum, aut dicitur esse à natura rerum; aut ab vsu illarum, aut ab institutione, aut à * signatione.

• al. significatione.

¶ Qvod autem à natura non habeat originem huiusmodi immunditia, ostendunt sic: Natura rerū potest cōsiderari tripliciter: primò simpliciter, & per se: & sic dicitur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Similiter dicit Augustinus, quod fuerunt omnia creata valde bona; & ita valde munda. Et Rom. 14. *Scio & confido in Domino Iesu Christo, quia nihil commune per ipsum.* Secundò considerarur natura rerum in comparatione earum ad inuicē, in respectu scilicet minùs nobilium ad magis nobiles: secundùm quod dicit Augustinus: *Omnia sunt munda naturaliter: sed ex comparatione meliorū naturæ, quædam reputantur immunda.* (Ex hoc accipitur huiusmodi immunditia, de qua loquuntur) cùm autem ferè omnes res comparati habeant ad nobiliores: ergo secundùm hoc huiusmodi immunditia ferè in omnibus esset: quod falsum est.* Præterea videretur contrarium, q; scilicet quædam res nobilioris naturç reputarentur immundç: vt aquila, & leo, & huiusmodi: quædam verò minùs nobilis naturæ reputarentur mundæ, vt ouis, capra, & huiusmodi. Tertio modo considerātur naturæ rerum non absolutè in se, nec in relatione earum ad inuicem secundùm ordinē vniuersi: sed in cōparatione ad peccatū rationalis creaturæ. Sed nec ex hac comparatione potest dici, q; habeat ortū huiusmodi immunditia per aliquid, scil. contractū ex huiusmodi peccato. Quia, si dicatur ex cōparatione ad peccatum hominis, secūdum quod dicitur super illud: *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter:* quod omnia deteriorata sunt propter hominem. Contra hoc est; quia secundùm hoc in omnibus esset ista immunditia. Ex his ergo relinquitur, quòd immunditia ortum non potuit habere ex natura.

Gen. 1. August. Rom. 14. August. • al. quia videtur. Isai. 30.

¶ Item, quòd ab vsu rerum non potuit habere ortum immunditia, ostenditur. Si enim dicerentur immunda, quæ vsui humanæ sustentationis inepta: secundùm hoc immūda essent, quæcunq; ad vsum humanæ sustentationis non congruerent: munda verò essent, quæcunq; vsui hominū cōgruerent: secundùm hoc ergo porcus, & multa alia, quę lex vocauit immunda, non reputarentur immunda.

¶ Item, si dicatur quod ex vsu malo hominū dicuntur ista animalia immunda: quia idololatræ eis vtebantur ad superstitiones idololatriæ: secundùm q; dicit Orig. *Phytonibus dracones & alij serpentes ministrare perhibentur: auguribus verò quædam aues, quæ lex reputauit immundas.* Contra. Tam boues, quàm oues, & huiusmodi multoties offerebātur idolis ab idololatris: vt de sacerdotibus Baal, qui obtulerunt ei bouem. Ergo secundùm hoc oues & boues reputarentur immūda. Item si dicatur, q; hoc dicitur propter abusum diaboli: quia aliqua animalia ex permissione diuina subijciuntur dæmonibus, sicut serpens Gen. 3. & sicut porci Matt. 8. Contra, secundùm hoc & boues & oues dicerētur immunda: cùm ex permissione diuina voluntati & potestati dæmonum concedantur. Iob 1. dixit Dominus ad Satan: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, &c.* ibi dicitur, quòd operatione dæmonis descendit ignis de cœlo, & cunctas oues puerosque consumpsit. Ex his ergo relinquitur, quòd ex vsu rerum non potest habere ortum immunditia.

Orig. super librū Numer. 3. Reg. 18. Gen. 3. Matt. 8. Iob 1.

¶ Item, si dicatur qđ ex institutione ortum habuerit huiusmodi immunditia. Contra. Constitutio circa immūditias animalium nulla emanauerat ante legem, Leuit. 11. & tñ ante legem, & etiam ante diluuium dicitur Noe Genes. 7. quod ex animātibus mundis tollat septena: de animantibus verò immundis duo. Ergo ante constitutionem legis erat immunditia in animalibus: non ergo ex constitutione immunditia. Si verò dicatur, quòd in Gen. dicūtur immunda: non quia tunc essent immunda; sed quia postea ex cōstitutione legis futura erant immunda. Contra: secundùm hoc ergo Moyses loquitur secundùm tempus legis. Si ergo ex constitutione legis facta est discretio mundorum ab immundis: & ante legem nō erat immunditia, ante legem nō poterat esse discretio mundorum ab immundis, ergo nec electio: ergo & inutiliter & in cassum diceretur ad Noe: *De animantibus mundis tolles septena; de immundis verò duo.*

Leuit. 11. Gen. 7. Gen. 8.

¶ Item, si dicatur, quòd immunditia ortum habuit à signatione: vt illç res dicantur mundæ, quæ per proprietates suas significatiuæ erant munditiuæ morum: illæ verò dicantur immundæ, quæ sunt significatiuæ immunditiæ peccatorum. Contra. Sicut dicit B. Dionys. secundùm eloquia diuina, Gen. 2. Omnia valdè bona: & ideo ex omnibus elicere est bonas speculationes. Relinquitur ergo, q; omnia essent munda, quia omnia possunt esse signatiua boni: vnde & ipse Dominus vocat se vermem, Psal. 21. *Ego sum vermis & non homo. &c.* & vocatur leo, Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* & tñ ista secundùm legē reputantur immūda.

Dionys. in cœlesti hierarch. cap. 2. Gen. 2. Psalm. 21. Apoc. 5.

Relin-

Relinquitur ergo, quòd propter signationem boni nō dicuntur munda.

¶ ITEM, cùm in omnibus rebus sit reperire aliquas proprietates signatiuas boni, aliquas signatiuas mali (vnde & per leonem aliquando signatur Christus, Apocal.5. *Vicit leo de tribu Iuda*: aliquando diabolus, 1.Petr.5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.*) Ergo secundùm hoc omnia essent munda & immūda ratione diuersorum. (Apoc.5. 1.Petr.5.)

RESOLVTIO.

Legales immunditiæ quodammodò sunt à rei natura vti à causa materiali: ab abusu veluti à causa formali: ab institutione sicuti à causa efficiente: à significatione tanquam à causa finali.

¶ RESPON. Dicendum, quod immunditia non accipitur ex vna sola, sed ex pluribus causis appropriatis quatuor generibus causarum. Causa enim materialis, seu dispositiua immunditiæ est ex parte naturæ, non tamen simpliciter, (Simpliciter enim secundùm naturam nihil est immundum, comparatione tamen aliquo modo immundum dicitur) secundùm quod dicit Augustinus: *Omnia naturaliter munda sunt, sed comparatione melioris naturæ quædam dicuntur immunda: sicut bos leone melior; quia homini necessarior, propter quem creata sunt omnia.* (Aug. sup Gen.7.) Causa verò formalis immunditiæ accipitur ex parte vsus, seu abusus: & hoc quia illis animalibus principaliter & præ cæteris, quæ lex vocauit immunda, abutebantur, aut idolis immolando, aut augurando, seu maleficia exercendo, secundùm quod dicit Origenes. (Origen.) Causa verò efficiens immunditiæ sumpta est ex parte institutionis: quæ institutio principaliter ortum habuit ex vsu, vel contra abusum data est: vt scilicet elongarentur ab idololatria, & puniretur inobedientia. Elongarentur ab idololatria in hoc, quod prohibebantur ab his vescendis vel contingendis, quæ idololatræ præcipuè habebant: quemadmodum prohibentur vti vestimento ex lana & lino cōtexto; ne esset similitudo colentium Deum cum idololatris: qui in venerationem idololatriæ vestimentis talibus vtebantur. Vt puniretur inobedientia: secundùm quod dicit Augustinus: *Escarum lex non in primordio legis data est: sed cùm, duce perfidia, Dei promissis fidem nollent dare; ad duritiam cordis sui acceperunt præcepta non bona: sicut dicit propheta Ezech. 20. superbis enim hominibus & contumacibus non debuit tota creatura subyci.* (Aug. in li. quæst. noui & vet. Testam. Ezech.20) Causa verò finalis fuit signatio: in signum enim fuerunt institutiones legalium immunditiarum, sicut & cæteræ leges obseruantiæ: vnde Hebr.10. dicitur: *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* & 1. Cor.10. *Omnia in figura contingebant illis*: qūia per huiusmodi munditiam vel immunditiam signatur aliquid circa Christum futurum, vel circa nos gerendum. (Hebr.10. 1.Cor.10.) Ex his igitur quatuor simul aggregatis, non ex vno tantùm determinatur ratio munditiæ vel immunditiæ.

¶ ET per hæc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS II.

De immunditijs in particulari secundùm differentiam statuum.

QVÆRITVR postea de immunditijs in particulari secundùm differentiam statuum. Primò igitur quæritur de immunditijs quantum ad statum ante legem, iuxta illud Genes. 7. *De animantibus mundis tolles septena & septena, de immundis verò duo & duo.* (Gen.7.) Secundò de immunditijs secundùm statum legis: de quibus Leuit. 11. 12. & 13. & in alijs. Tertiò de immunditijs post euacuationem legis, de quibus dicitur Act.15. vbi decreuit Concilium Apostolorum abstinere à suffocato & sanguine.

De immunditijs ante statum legis. §. 1.

¶ CIRCA statum ante legem, quæritur: quare ante tempus Noe non fuit mentio de immunditia. Nam cùm immunditia (secundùm quod dictum est) quodammodò ortum habuerit ex natura: natura autem semper eadē fuit in animantibus, ergo à principio mentio debuit fieri de immunditia, & immunditia animantium.

¶ SI diceretur, quòd ante tempus Noe non erat abusus animalium, quæ reputantur immunda. Simili modo poterit dici, quòd temporibus Noe non erat abusus; cùm temporibus eius non legatur idololatria.

¶ ITEM quæritur: cùm Dominus præcepit Noe Gen. 7. vt de animantibus mundis & immundis poneret in arcam, & septena de mundis, bina de immundis: ergo sciebat Noe quæ essent munda, & quæ immunda. (Gen.7.) Quæritur igitur, vnde habuerit hanc notitiam. Si dicatur ꝙ ex instinctu naturæ. Pari ratione & alij præcedentes hoc ipsum cognouissent: cùm instinctus naturæ idem maneat penes omnes habentes eandem naturam: quod tamen nusquam legitur. Si dicatur, quod ex inspiratione diuina. Eadem facilitate negari potest, qua & affirmari: cùm hoc non legatur.

¶ ITEM quæritur iuxta literam illius præcepti: quare plura iussit accipi de mundis, quàm de immundis: quia de mundis septena, de immundis tantùm duo, Gen.7. (Ibidem.) Item, quare in impari numero sumuntur munda: immunda verò & etiam rationalia in numero pari.

¶ SI dicatur secundùm Rabanum in Glos. quod impar numerus virtutis speciem prætendat: par verò infirmitatem. Contra: secundùm hoc ergo rationalia debuerunt sumi in impari numero, cùm rationalibus maximè cōpetat species virtutis.

¶ ITEM quæritur, an ante legem quod erat immundū quantum ad immolationem, esset immundum quantum ad comestionem. Quod videtur: quia indistinctè dicitur de animalibus mundis & immundis: generaliter antē immunditia extenditur respectu immolationis, & respectu comestionis.

¶ CONTRA, Gen.9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibū.* (Gen.9.) Ergo secundùm hoc omnia animalia erāt munda quantum ad comestionem. Sed constat, quod tunc nō erant omnia munda quantum ad immolationem; quia dicitur Gen. 8. *Tollens Noe de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta.* (Gen.8.) Ergo aliqua animalia erant immunda quò ad immolationem.

¶ ITEM ad idem est, quod dicit Augustinus: *Escarum lex non in primordio legis data est.* (Aug. in quæst. noui & vet. Testam.) Ergo multo magis nec ante legē: & tamen munditia & immunditia reputabantur in animalibus quò ad immolationem.

¶ ITEM quæritur: cùm in lege Leuit.3. (Leuit.3.) Adeps carnis & sanguinis reputentur immunda, quò ad comestionem: non tamen quantum ad oblationem: imò illa præcipuè, (scilicet) adipem & sanguinem præcipit Deus sibi offerri: quare ante legem, & temporibus Noe non reputaretur immunda comestio adipis: cùm reputetur immunda comestio sanguinis per illam diuinam constitutionem, qua dictum est Noe, Genes. 9. *Omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* (Gen.9.)

¶ ITEM quæritur: cùm in lege determinetur immunditia ex parte brutorum, & etiam hominum, Leuit.11.12. 13. & 15. ante legem verò legatur immunditia ex parte brutorum: vnde & ad Noe dictum est Genes. 7. *De animalibus mundis & immundis tolles, &c.* (Gen.7.) Quare ergo simili modo nō fit mentio de immunditijs hominum?

¶ RESPONDEO per ordinem ad obiecta.

¶ AD primum, quod quæritur: quare ante tempus Noe non fit mentio de immunditia vel munditia animalium, & specialiter quò ad immolationem? Respondetur, quod duplex ratio secundùm allegoriam concurrebat. Cùm enim oblatio sacrificij fieret propter expiationem originalis ante tempus circuncisionis, & propter expiationem actualis: duplex erat figura seu significatio; vna sacrificij passionis Christi, quod principaliter erat ad expiationem seu mundationem originalis: alia sacrificij pœnitentię, seu cordis contriti, quod propriè est ad emundationem actualis. Quantum autem ad significationem sacrificij passionis Christi conueniebat, vt secundùm discursum temporis magis & magis fieret declaratio veritatis. Vnde quia sacrificium redemptionis per Christum debebat fieri

in car-

in carne, & in munda carne, & etiam in carne humana: ad hoc in exordio primæ ætatis in sacrificio Abel figurabatur in carne fieri: postmodum in secunda ætate in exordio per sacrificium Noë ostendebatur futurum in carne munda: tertio in exordio tertiæ ætatis per Abraham, cui præcipitur filium immolari, ostendebatur futurum in carne munda & humana: propterea competebat, vt ratione sacrificij Noë, in quo incipiebat secunda ætas, & maior etiam debebat esse declaratio sacrificij redemptionis, quàm prius, fieret mentio de immunditia & mundicia carnis sacrificandæ. Quantum ad significationem sacrificij pœnitentiæ, seu cordis contriti, quod propriè est ad emundationem immunditiæ actualium peccatorum; conueniebat, vt tempore Noe, in quo maximè abundabant immunditiæ actualium culparum: quia *omnis caro corruperat viam suam*, Genes.6. fieret mentio de mundicia & immunditia materiæ sacrificiorum. Gen. 6.

¶ Ad secundum, quod quæritur: qualiter Noe habuit notitiam de mundicia, & immundicia. Dicendum, quòd partim ex natura, partim ex ratione, partim ex inspiratione. In animalibus, quæ secundùm legem reputantur immunda; quædam sunt homini nociua, quædam sunt homini inutilia, quædam verò non necessaria. Nociua sunt serpentes, & leones, & huiusmodi: quæ sua feritate hominibus frequenter nocent. Inutilia vero, vt quibus nō potest homo vti nec ad victum, nec ad vestitum, nec ad laboris adiutorium: sicut formicæ, stelliones, & infinita genera reptilium, & etiam animalium, & auium. Non necessaria, vt sine quibus vita hominis potuit sustentari: & secundùm hoc solùm in genere gressibilium ouis, & capra, & bos necessaria homini iudicantur: quia præbent homini victum, vestitum, & adiutorium potissimè, sine timore nocumenti. Alia verò, sicut canes, equi, &c. non se habent hoc modo: & ideo sine illis potest conuenienter vita hominis agi. Accedēte igitur ratione cum instinctu naturæ, & superueniente diuina inspiratione Noe habuit notitiam mundorum, & immundorum. Instinctu enim naturæ præternattendum est & quasi abijciendum, quicquid est naturæ nociuum, aut inutile, aut nō necessarium, velut immundum: pari verò ratione conferente, etiam talia abijciet velut immunda: *fortiori verò adueniente inspiratione ad declarationem sacrificij redemptionis in carne munda. Dicendum ergo secundùm Augustinum, ꝑ comparatione melioris naturæ in illis, quæ homini sunt salubria, vtilia, & necessaria; potuit ratione & natura quædam reputare immunda.

*al. fortius. August.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur, quòd pari ratione ꝑcedentes possent illud cognoscere. Dicendum, quod verum est, si instinctui personæ accessisset ratio, & inspiratio: ratio, quæ secundùm perfectionem naturæ solis necessarijs & vtilibus contenta esset. Inde est, quod ex priuilegio singulari de Noe dicitur, Genes.6. *Noe vir iustus, atque perfectus. &c.* inspiratio, quæ accessit ad Noe, cùm ei locutus est Deus: vt, sicut inspirauit ei, quod de mundis tolleret septena & septena, de immundis verò duo & duo: ita prius inspirauit, quæ deberet reputare immunda, & quæ munda. Gen. 6.

¶ Ad tertium, quod quæritur: quare præceptum est plura tollere de mundis, quàm de immundis. Respond. secundùm Augustinum, vt plura essent, quæ hominibus prodessent, quàm quæ nocerēt. Et alia ratione secundùm Rabanum: vt egressus Noe de arca haberet, quod immolaret, & manducaret. August. Raban.

¶ Ad quartum verò, scilicet quare in impari numero sumuntur munda: immunda verò & rationabilia in numero pari. Respond. secundùm Rabanum, impar numerus virtutis speciem prætendit: par verò infirmitatem. Sed cōtra hanc responsionem sic obijcitur: quòd secundùm hoc deberent rationabilia sumi in numero impari. Et ideo videtur aliter respondendum, dicendo, quòd irrationabilia sunt munda ad duo, seu ad duplicem vsum: ad vsum scil. propagationis naturalis, ad quā necessaria est paritas masculi & fœminæ & ad vsum sustentationis hominis, vel immolationis: & quantum ad hoc non est necessaria paritas maris & fœminæ. Ergo quæ erant ad vsum propagationis naturæ, & non ad vsum sustentationis, vel immolationi debuerunt esse in numero pari, sicut irrationabilia & immunda: quæ verò ad duplicem vsum, in impari.

¶ Ad quintum, scil. quare nullum animal reputatur immundum quo ad comestionem, sed quātum ad immolationem. Respon. quòd mundicia quò ad immolationem introducta est ad figuram sacrificij redemptionis futuri in carne munda; quæ competebat (vt dictum est) temporib^9 Noe: mundicia quò ad comestionem introducta est principaliter in pœnam contumaciæ, vt dicit Augustinus, vt dictum est: non autem punienda est contumacia ante legis præuaricationem. Aug. in quæst. ad ui & vet. testam.

¶ Ad sextum dicendum: quòd prohibitio sanguinis primò introducta est in horrorē effusionis sanguinis humani: ne propter assuefactionem comestionis sanguinis animalium minùs horrerēt hominum occisionem: & à comestione sanguinis animalis, inualescēte crudelitate, trāsirent ad comestionem humani sanguinis; quemadmodū de habitatoribus Terræ sanctæ dicitur Sap. 12. Illos antiquos habitatores terræ sāctę exhorruisti, filiorū suorū necatores, sine misericordia comestores viscerum hominum & deuoratores sanguinis. Et ideo paucis existentibus, & exemplo Cain pronis ad iram (Sap.10. *Per irā homicidij fraternitas deperyt.*) & iterum pronis ad superbiam & rixam, sicut patet in turri Babel, Gen. 11. introduci debuit prohibitio efus sanguinis. Secundò verò introducta est contra consuetudinem idololatriæ, quæ sanguinē immolatorum in venerationem idolorum bibebant, & adipes comedebant, Deut. 32. *de quorum victimis comedebant adipes, &c.* Et hoc modo inualescēte idololatria, per legem debuit prohiberi vtrunque. Sap 12. Sap.10. Gen.11. Deut 32.

¶ Ad septimum dicendum, quòd immunditia hominum introducta est in onus: vel causa eliminationis idololatriæ: sicut patet ex prædictis. Et ideo ante legem & inchoationem idololatriæ non debuit introduci. Ex causa verò introducta est immunditia, & mundicia, sicut patet ex prædictis.

An iure in lege determinetur mundicia & immunditia quò ad immolationem gressibilium, & volatilium animalium, non autem natatilium. §.2.

¶ Postea Qværitvr de immunditiarum obseruantia quantum ad statum legis. Omissis igitur his, quæ in prænotatis quæsita sunt circa istam materiam Quæstione de ratione cæremonialium præceptorum: quæritur, cùm in lege determinetur circa gressibilia & volatilia aliquid mundum & aliquid immundum quantum ad comestionem & immolationem (Leuit.11.) Quare non determinatur circa natatilia mundicia & immunditia quò ad immolationem, sed tantum quò ad commestionem? Leuit.11. Leuit. 11. Ibidem.

¶ Nam circà illa magis videntur determinanda, quia aquatilia aptiora videbātur ad immolandum: quàm gressibilia, vel volatilia; quia gressibilia ortum habent ex terra quæ maledicta est, Gen.3. aquatilia autem ex aqua quę benedicta est, Gen.1. & non postmodum maledicta. Gen. 3. Gen. 1.

¶ Præterea, volatilia & si habeant ortum ex aqua: magis tamen viuunt in terra siue ex terrę nascentibus, quā in aqua: pisces autem & generantur in aqua, & in aqua viuunt omnino. Ergo mundiora, & ad immolandum aptiora videbantur aquatilia, quàm reliqua: ergo potius de his determinandum erat.

RESOLVTIO.

Iure admodum idq; ratione figurati, quod ipsa figurabant.

¶ Ad respondendum secundùm Augustinum, qui sic dicit: *Promissum figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter cōmendationem futuræ carnis & sanguinis: per quā vnam victimam fieret remissio peccatorum de carne & sanguine cōtractorum.* Et est sensus: Quia sacrificia illa erant signa veri sacrificij futuri in carne Christi, per cuius immolationem August.

fieret remissio peccatorum: quæ quidem peccata contraximus à carne, secundùm quam propagamur à primis parentibus: ideo competebat, quod illa sacrificia fierent ex carnibus gressibilium vel volatilium, quæ propinquiorem habent similitudinem ad carnem humanam; & non ex piscibus.

An teneamur modò non comedere suffocatum, & sanguinem. §.3.

¶ DEINDE QVÆRITVR de obseruantia immunditiarum post euacuationem legis factam, vt de suffocatis & sanguine. Vtrùm scil. teneamur modò non comedere sanguinem & suffocatum?

Act.15. ¶ CIRCA quod sic obijcitur, Act. 15. determinatur contentio facta inter fideles conuersos de Gentibus, & conuersos de Iudæis de circuncisione: in cuius determinatione determinatum est primò à beato Petro, secundò à Iacobo, tertiò à toto Concilio Apostolorum: quòd fideles conuersi abstinerent se ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Ergo cùm alijs legalibus euacuatis, publicato iam Euangelio, remanserint ista, scilicet quòd obstineatur à suffocato & sanguine, & immolatis idolorum; quæ immunda reputabantur in lege: videtur quod adhuc remaneant istæ immunditiæ secundùm decreta illius Concilij. Ergo peccat adhuc, qui nunc facit contrarium.

Glossa ibi supra. ¶ ITEM, super illud Act.15. dicit Glos. Rabani: *Hac necessaria sunt, sine quibus non est salus: sed circuncisio necessaria non est.*

Bedæ glo. Ezech. 44. ¶ ITEM Glos. Bedæ: *Illud suffocatum morticinum, de quo dicit Ezech. 44. Omne morticinum, & captum à bestia de auibus & de pecoribus, sacerdotes non comedant illud, cuius sanguis non est effusus super terram. Hoc praceptum non conuenit illis, qui inuncti sunt oleo spirituali; quod Apostolorum epistola seruandum decreuit.*

Ibidem. Hierony. super ibi. ¶ ITEM, super istud idem Ezech. 44. Omne morticinum, &c. dicit Hierony. iuxta literam: *Omni generi electo regali & sacerdotali* (Christiano scilicet) *hac præcepta cõueniunt, vt morticinum non comedant, quod in Actibus Apostolorum dicitur suffocatum: qua necessariò obseruanda Apostolorum de Hierusalem epistola monet, Act.15.*

Act.15.

Gen. 9. Leuit. 2. Act.15. ¶ ITEM, præceptum fuit ante legem non comedere sanguinem, Gen.9. & in lege Leuit.2. & post legem Act.15. ergo semper est seruandum.

Rom.14. Ibidem. Tit.1. ¶ CONTRA, Rom.14. *Omnia munda sunt, &c.* Et in eodem: *Scio & confido in Domino Iesu, quod nihil est commune.* Et ad Titum 1. *Omnia munda mundis.*

Rom 14. Glossa August. ¶ ITEM super illud Rom.14. Omnia munda, &c. Glo. Augustini dicit, quòd nullus cibus culpabilis est vel immundus: sed solùm inordinatio concupiscentiæ in cibo culpabilis est, & verba sunt: *Creaturam Dei scimus nõ esse culpabilem; quia creatura Dei omnis bona est: sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem: non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo inuenit: & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noe omne genus carnis, quod pro cibo esset esui, manducare cõcessum: Heliam cibo carnis refectum, 3. Regum 16. Ioannem locustis non fuisse pollutum.*

Origen. ¶ ITEM Origenes: *Quicquid à Deo factum est, mundũ est: in animalibus mores hominum, & actus, & voluntates pinguntur.* Quasi diceret, nihil est immundum ad literam: sed quædã reputabantur immunda propter significationem immunditiæ vitiorum.

Matt.15. ¶ ITEM Matth.15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod de ore, &c.*

RESOLVTIO.

Cùm præceptum de suffocato & sanguine pro Euangelij promulgationem ad tempus ab Apostolis permissum fuerit: ablata occasione illa, vlterius nunc obseruari non debuit.

...iorum ¶ CIRCA istam quæstionem tres fuerunt opiniones. Vna dicit, præceptum Apostolorum de non comedendo sanguine & suffocato, semper seruandum est literaliter: alia dicit semper seruandum, sed metaphoricè & spiritualiter: tertia dicit seruandum non semper, sed secundũ statum ecclesiæ primitiuum, & literaliter.

¶ PRIMA opinio innititur verbis Bedæ super Act.15. Abstineant, &c. *Hoc præceptum seruare conuenit illis, qui vncti sunt oleo spirituali: ne comedant illud, cuius sanguis effusus non est.* Act.15. Beda.

Item verbis Hierou. super illud Ezech. 44. allegatis: Omne morticinum, &c. *Omni generi electo regali & sacerdotali* (id est) *Christiano hac præcepta conueniunt.* Item ibidem: *Condemnat sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gruibus, & cateris huiusmodi hac auiditate gula non custodiunt.* Ezec.44 Hieron. Idem ibidem.

¶ SECVNDA opinio innititur verbis Rabani qui exponit illud: Abstineant à suffocatis, id est ne inferiores se suffocent: & sanguine, id est effusionem sanguinis humani, & quæ sibi nolunt fieri, alteri non faciant. Vnde dicũt, quòd epistola Apostolorum continebat necessaria, sine quibus non est salus: quæ sunt tria, de quibus Tit.2. *Sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Sobriè in nobis: iustè ad proximum: piè ad Deum, id est epistola Apostolorum hęc tria continebat, quæ talis est: *Visum est spiritui sancto, & nobis nihil vobis vltra imponere oneris, quàm hæc necessaria; abstineatis vos ab immolatis simulachrorum: & suffocato & sanguine, & fornicatione.* Et hoc quod dicit, ab immolatis simulachrorũ, hoc est, quod dicit Apostolus, piè viuere, scilicet quantum ad Deum: idololatra enim Deo iniuriatur. Quod dicit, abstinere à fornicatione, hoc est, quod Apostolus dicit sobriè viuere: hoc est quantum ad nos. Et quod dicit, abstinere à suffocato & sanguine, hoc est quod dicit Apostolus iustè viuere, scilicet quantum ad proximum. Est ergo sensus: abstineatis à suffocato & sanguine, id est non effundatis sanguinem humanum, nec suffocetis homines minus potentes. Raban. Tit.2. Act.15.

¶ TERTIA opinio innititur verbis Bedæ super Act. 15. *Vt abstineãt se à suffocatis & sanguine, id est effundendo sanguinem, vel manducando cum sanguine: hæc quidem venientibus de gẽtilitate pro rudimentis fidei & inueterata gentilitatis consuetudine concessa sunt.* Ex quo arguunt, quòd non solùm erat præceptum Apostolorum abstinere à suffocato & sanguine spiritualiter, seu quò ad homicidium: sed literaliter quò ad esum animalium: & hoc quò ad statũ ecclesiæ primitiuum. Item innititur hæc opinio verbis Apostoli, qui hoc pręceptum in locis pluribus retractauit: vt suprà obiectum est, ergo non erit seruandum post retractationem. Act.15. Beda.

¶ CONTRA primam opinionem obijcitur. Nam abstinere à sanguine animalis & suffocato: aut est præceptũ cæremoniale, aut morale. Morale non est, quia non est in corde hominis scriptum, vel inditum rationi: omne autem præceptum morale est inditum conscientiæ: relinquitur igitur quod non est morale. Si cæremoniale, ergo constat, quod non erit tempore gratiæ obseruandum.

¶ ITEM, ad literam: Comedere cum sanguine, aut est prohibitum quia malum, aut malum quia prohibitum. Si esset prohibitum quia malum, non esset verum verbum Saluatoris, Matthæi 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem:* quod est falsum. Si malum quia prohibitum: ergo retractata prohibitione, non erit malum: sed retractatur ab Apostolo Roman. 14. *Scio & confido in Domino Iesu, quoniam nihil est commune,* id est immundum per ipsum. Ergo non erit vlterius obseruandum. Propter ista, & propter præcedentia patet primam opinionem non esse veram. Matt.15. Rom.14.

¶ CONTRA secundam opinionem obijcitur. Nam ipsa dicit: quod intelligitur de necessariò obseruandis, quantum ad ordinem, qui est ad Deum, & ad se, & ad proximum: & propter ordinem ad Deum est prohibitum abstinere ab immolatis simulachrorum: propter ordinem ad proximum est prohibitum abstinere à suffocato & sanguine: propter ordinem ad se est prohibitum abstinere à fornicatione. Nam si hæc sunt de necessarijs salutis, nullo modo potest fieri contrarium sine reatu culpæ mortalis: sed comedere de simulachrorum immolatis, hoc est, de idololaticis, hoc potest fieri licitè; cùm sit sine conscientia idoli, & sine scandalo: sicut ostenditur 1. Corint. 10. *Si quis infidelis vocat: omne, quod apponitur vobis, manducate, nihil* Vide plura ad hæc part.2 q. ... de sca... 1 Cor. 10.

interrogantes propter conscientiam : si quis autem dixerit, hoc est, immolatum idolis, nolite mãducare, propter illum, qui indicauit; & propter conscientiam, conscientiã autem non tuam, sed alterius. Ex quo relinquitur, quod hoc non est de necessarijs salutis.

¶ ITEM, sicut dictum est: Beda dicit, quod prohibitio est à sanguine fundendo, vel manducando cum sanguine. Igitur illa prohibitio non intelligitur tantum spiritualiter quantum ad cauendum homicidium; sed etiam literaliter quantum ad non manducandum sanguinem animalium.

¶ CONTRA tertiam opinionem obiicitur: ad Rom. 13.
Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ibi dicit glo.
Glossa. ibidem *quod mandatum inferioris non soluit mandatum superioris.* Cùm ergò cõcilium Apostolorũ superius sit Paulo, mandatum Apostolorũ nõ potest solui per Paulum. Ergò cum prædictum præceptum fuerit mandatum Concilij Apostolorũ, non potuit retractari per Paulum: ergò est adhuc tenendũ.

¶ DICENDVM igitur, quod præceptum Apostolicum de suffocato & sanguine, potest intelligi duobus modis: vel de humano sanguine non effundendo, & homine non suffocando: vel de non manducando suffocatum, vel sanguinem: vnde Deut. 12. super illud.
Deut. 12. *Hoc solùm caue, ne sangui-*
Glossa. *nem comedas:* dicit gloss. *Ad litteram Apostoli hoc preceperunt Actuum 15.* sed in sanguine prohibetur homicidium & fraternum odium: *qui enim odit fratrem suum homicida est.* 1. Io-
1 Ioan. 3. ann. 3. Primò modo istud præceptum est obseruandum semper: secundò modo præceptum fuit non simpliciter, sed ad tempus: quantum scilicet, ad statum Ecclesiæ primitiuum, in quo erat diuisio conuersorum de gentibus, & conuersorum de Iudæis: ex qua diuisione orta est contentio de legalibus obseruandis: sicut patet ex historia A-
Actu. 15. ctuum 15.

¶ NOTANDVM ergò, quod propter pacificationem ad vitandum scandalum conuersorum de gentibus & Iudæis, & concordiam inducendam, iudicauerunt Apostoli, melius esse, ut non penitus auferrentur eis sua cæremonialia quò ad tempus: & ideò quò ad statum illum dimiserũt illud de suffocato & sanguine: quasi eligẽtes medium, scilic. non dimittentes multa huiusmodi cæremonialia, vt volebant Iudæi; nec omnia penitus auferentes, vt volebãt
Acto. 16. gentiles: & ita pacificati sunt vtrique. Simile legimus Pau-
Gloss Bedæ ibid. lum fecisse Act. 16. vbi dicitur: quod circumcidit Timoth. propter Iudæos, qui erant in illis locis, id est, couersos de Iudæis: vnde dicit ibi gloss. Bedæ. *Circumcidit eum, non quod figura legis post veritatem Euangelij aliquid vtilitatis afferrent: sed ne per occasionem Iudæi à fide recederent: quibus lex vetus paulatim tollenda erat, sicut gentibus idololatria.* Quia ergò solùm propter illum statum Ecclesiæ statutum fuit hoc: adeò mutato statu, scil. quando venerunt in vnum simpliciter Iudæi & gentiles; cùm iam non erat distinctio Iudæi & græci, vt di-
Rom. 10. citur ad Rom 10. cùm (inquam) *non erat gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scita, seruus & liber: sed om-*
Colos. 3. *nia in omnibus Christus:* vt dicitur ad Coll. 3. mutato (in quã) statu, debuit hoc statutum mutari, nec amplius durauit: & propter hoc Paulus illud mutauit, seu retractauit, recipiens auctoritatem à verbis Domini, quibus dixit Matth. 15.
Matt. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.*

¶ Et per hoc patet responsio ad primò obiectum.

¶ AD secundùm verò, quod obiicitur de auctoritate Rabani: quod hæc necessaria sunt. Dicendum, quod si intelligatur Epistola generaliter secundùm primum modum de effusione sanguinis humani, & suffocatione hominis: simpliciter dicetur, quod sine illis non est salus: & tunc intelligitur abstinere ab immolatis simulachrorum cum veneratione. Si verò intelligatur specialiter, & secundò modo de non comedendo sanguine & suffocato animalis: dicuntur necessaria non simpliciter, sed secundùm statum illum: in quo propter scandalum proximorum erat à talibus abstinendum; secundùm quod dicit Apost. 1. Cor. 8.
Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

¶ AD auctoritates verò Hieronym. & Bedæ. quod iuxta literam populo Christiano hæc præcepta conueniunt. Dicendum, quod hoc dicunt: nõ quod hoc sit malum secundùm se, sed quia ex causa multis est malum: illis (videlicet) qui auiditate gulæ ista comedunt: vnde hoc signanter exponit Hieronym. cùm dicit, quod condemnat Sacerdotes, qui hoc auiditate gulæ non custodiunt: cùm sc. procurant, vt interficiantur aues sine sanguinis effusione, vt carnes teneriores & dulciores ad libidinem gulæ haberent. Simili modo intelligitur auctoritas Bedæ, quæ sumpta est à Hieronym.

¶ AD illud verò, quod obiicitur: quod præceptum de non manducando sanguine fuit omni tempore præceptum, & ante legem, & in lege, & post legem. Dicendum, quod verum est: sed hoc non quia malum simpliciter; sed quia occasio mali. Vnde sicut ante legem Noë facta est prohibitio, & hoc propter pronitatem hominum ad fundendum sanguinem humanum: vt abhorrerent effusionẽ sanguinis humani, sicut patet ex Genes. 9. *Carnem cum san-* Genes. 9.
guine non comedetis, sanguinem vestrum requiram, &c. in lege verò propter pronitatem ad idololatriam, quæ circa sanguinem exercetur maximè. Ita in primitiua Ecclesia propter pronitatem ad dissidium à fide, & scandalum ex zelo cæremoniarum facta est prohibitio ab Apostolis de eodem quantum ad illum statum: & mutato illo statu debuit mutari & non vlterius obseruari.

¶ AD aliud ergò, quod obiicitur vltimo: quomodo Paulus potuit mandatum Apostolicum retractare. Dicendum, quod hoc retractauit Paulus; non auctoritate propria, sed auctoritate diuina. Matth. 15. *Non quod intrat in os,* Matt. 15.
coinquinat hominẽ. & inspiratione diuina, secundùm quod ipsemet dicit: 1. Cor. 14. *Si quis videtur inter vos propheta esse,* 1. Cor. 14.
aut spiritualis, cognoscat quia Domini sunt mandata. Postea verò retractationi. Pauli accessit approbatio Apostolica: cùm Petrus confirmauit, quicquid in suis epistolis dixerat Paulus. 2. Petri vlt. *Charissimi, satagite immaculati & inuio-* 2. Petr. vl.
lati inueniri. Et subdit hic. *Charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis in omnibus Epistolis.*

MEMBRVM IV.

De ritu sacrificiorum legalium.

CONSEQVENS est inquirere de ritu sacrificiorum legalium. Circa quod quęrũtur plura. Primò, vtrum sacrificia legalia fuerint vera sacrificia. Secundò, vtrum Deo placita. Tertiò, vtrum in genere bona. Quartò, vtrum ex lege naturæ facienda. Quintò, vtrum soli Deo offerenda. Sextò, de personis offerentium. Septimò, de inchoatione sacrificiorum. Octauò, de differentia sacrificiorum.

ARTICVLVS I.

An legalia sacrificia vera sacrificia fuerint?

QVÆRITVR ergò primò. Vtrum sacrificia legalia de animalibus fuerint vera sacrificia: & in quibus esset vera latria conditoris? Supponamus igitur, quod quidam conuenienter dixerunt: quod sacrificium est oblatio, quæ & sacra fit offerendo, & sacrat, seu sanctificat offerentem: nisi irreuerentia, aut peccatum offerentis impediat. Si ergò in mactationibus animalium nulla erat sanctitas; quia non sunt susceptibilia sanctitatis, seu virtutis, aut gratiæ: nec etiam sanctificabat offerentes: relinquitur ergò, quod non dicentur vera sacrificia. Quod autem nullo modo possent sanctificare offerentes, manifestum est: quia non est obligatio inter animas immolantium animalia, & ipsa animalia; quæ cogat, vt mortem animalis sequatur mors peccati, quod totaliter in anima est; vel vt consumptionem eius, quod sacrificio de animali immolato consumitur, committetur, vel sequatur consumptio peccatorum. Si ergò hæc est sanctificatio, quæ per sacrificium animabus acquiritur: relinquitur, quod hæc sacrificia nullo modo animas sanctificant: ergò nullo modo erunt vera sacrificia.

¶ ITEM, nullo modo necesse est, vt passione immolatiorum sequantur passiones, quæ sunt in animabus operantium, vel quod aliquid immutetur, vel innouetur in animabus offerentium, seu eorum, pro quibus illa animalia offeruntur. Quare relinquitur, immolationes & combu-

stiones animalium prodesse non posse animabus offerentium, vel eorum pro quibus offeruntur, ad sanctificationem, vel emundationem: ergò non erunt vera sacrificia.

¶ ITEM, nihil iustius est, quam innocenti parcere: quare nihil habet iustitiæ, innocentem occidere: occisio igitur animalium non est sacrificium iustitiæ: ergò nec verum.

¶ ITEM, cum ratione culpæ solummodo debeatur pœna; soli illi debetur pœna, in quo est culpa: quia ergò soli homines peccant, non animali: solùm hominibus debetur pœna, iuxta illud poeticum.

Quid meruêre boues, animal sine fraude dolisq;.

SOLIS ergò animalibus morte punitis, & peccantibus hominibus impunitis; adhuc remaneret debitum pœnæ penes homines: ergò nec solutum est, nec remissum debitum pœnæ, per huiusmodi pœnam animalium: ergò illa immolatio animalium non est pro peccato sacrificium.

¶ SI autem dicatur, quod per pœnam damni soluitur debitum pœnę peccati. In contrarium est; quia secundùm hoc latrones & raptores, qui inferunt pœnam damni, operarentur remissionem pœnæ peccati.

Psalm. 4. ¶ ITEM, in Psalm. 4. dicitur. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.*
Gloss. Gloss. *id est, offerte: non animalia, quibus non delectatur Deus* (vnde
Esai. 1. per Esaiæ 1. *Sacrificia vestra odiuit anima mea*) sed sacrificium iustitiæ, quod est spiritus contribulatus: vt se pænitens homo per pœnitentiam mactet Deo: vnde alibi in
Psal. 50. Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Quod benè dicitur sacrificium iustitiæ: quid enim est iustius, quam vt suis quibuslibet peccatis potius quam alienis irascatur? seque puniens per pœnitentiam & satisfactionem Deo offeratur?

¶ ITEM, desertio peccatorum & recessus ab eis est sacri-
Eccle. 35. ficium Deo acceptum: sicut dicitur Eccles. 35. *Sacrificium salutare est discedere ob omni iniquitate.* Et iterum ibidem. *Sa-*
Ibidem. *lutare sacrificium est attendere mandatis.* Et iterum. *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Si ergò ista sunt talia sacrificia, quæ ex necessitate ad salutem sint debita, videlicet, recedere à peccato, implere mandata, facere misericordiam: ergò ista essentialiter sunt sacrificia iustitię: ergò & vera sacrificia: ex quibus sanctificatur offerens. Si ergò istis sacrificijs positis, sequitur sanctificatio offerentis, occisis verò animalibus & immolatis, non sequitur sanctificatio: relinquitur, quod ista non sunt vera sacrificia: cum de intentione sacrificij sit sanctum facere offerentem.

¶ ITEM, super vacuum & superfluum est, quo posito, nihil additur vtilitati, propter quam positum est: & quo remoto, nihil detrahitur vtilitati eidem: tota autem vtilitas sacrificiorum est propitiatio creatoris: ergò cum per sacrificia spiritualia sola sufficienter obtineatur ista vtilitas, per illa verò de animalibus nihil addatur: relinquitur illa esse inutilia: ergò nec vera sacrificia.

¶ ITEM, cum huiusmodi sacrificia offeruntur sine alijs spiritualibus: manifestum est, quoniam offeruntur ab ini-
Eccle. 34. quis. Dicit autem scriptura: *quoniam dona iniquorum non probat altissimus* Eccles. 34. ergò manifestum est, quoniam in his secundùm se non est vera latria, nec verus cultus conditoris per se.

¶ IDEM, supponamus intentionem sacrificij: quam quidam posuerunt: quod sacrificium per se & propriè est munus Deo oblatum, propitiationis impetratorium. Inde est
Augu. 10. de ciuit. Dei, c. 15. quod (sicut dicit B. August.) misericordia verum sacrificium est: vnde in epistola, quæ inscribitur ad Hebr. *Benefacere* (inquit) *& communicatores esse nolite obliuisci: talibus enim*
Psal. 50. & 44. *hostijs placatur Deus.* Et Psalm. 50. & 44. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & Sacrificium laudis honorificabit me.* Oseæ
Oseæ vlt. vltim. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Si ergò positis huiusmodi sacrificijs spiritualibus, ponitur Dei propiciatio: & remotis remouetur; sequitur ista esse propriè & sola vera sacrificia: quia iuxta regulam Philosophi, *per se est, quo po-*
Philos. *sito ponitur, & quo remoto remouetur.*

¶ CONTRA: sacrificium verum est, in quo colitur Deus secundùm iussum & præceptum suum: qui nouit, qualiter ab homine sit colendus. Si ergò per sacrificia legis colebatur Deus, secundùm quod ipse iusserat: ergò ista erant vera sacrificia.

¶ ITEM, August. *Sacrificiorum tempora imperat ap præfiniens,* Augu. 10. de ciuit. Dei.
eaq; per meliorem Sacerdotem in melius mutanda prædicens: non ista se appetere, sed per hæc alia potiora signare testatur: non vt ipse his honoribus sublimetur, sed vt nos ad eum colendum eiq; cohærendum igne amoris eius accensi, excitemur. Quamuis ergò spiritualia sacrificia meliora sint sacrificijs animalium; nihilominus tamen per vtraque excitamur ad colendum: ergò sunt vera sacrificia.

¶ ITEM, August. in eodem. *Sicut orantes atque laudan-* Idem in eodem.
tes ad Deum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, afferimus, vt pura mentis & bona voluntatis officia: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouimus quam illi cui in cordibus nostris inuisibile sacrificium nosipsi esse debemus. Ex quo relinquitur, quod tam inuisibili quàm visibili sacrificio colitur Deus: ergò vtrumque est verum sacrificium.

RESOLVTIO.

Legalia sacrificia, vera sacrificia fuerunt veritate, veritate signi, non autem veritate rei.

¶ RESPONDEO distinguendo: quod est veritas signi, & est veritas rei. Veritas autem signi dependet à veritate rei: sicut dicitur sermo verus, & homo verus ex corpore & rationali anima constitutus. Secundùm hoc ergò sacrificium verum dicitur duobus modis: verùm veritate signi; quomodo legalia & ante legem sacrificia Sanctorum vera fuerunt sacrificia: verùm autem veritate rei sunt vera sacrificia spiritualia tempore gratiæ.

¶ SECVNDVM hoc ergò ad obiecta hincinde respondendem est: quia sacrificia illa visibilia in victimis pecorum sacrificia vera erant; quia signabant illas res, per quas sanctificamur, quæ sunt duobus modis: est enim res sanctificationis generalis, quæ non est in nobis; scilicet gratia Redemptoris: & est res sanctificationis speci[illegible] quæ scil. est in nobis: vt contritio cordis, laus oris, misericordia in effectu operis: & hæ sunt res, quibus sanctificamur. Vera igitur hæc sunt sacrificia veritate rei; quemadmodum & illa veritate signi. Vnde August. qualiter illa sacrificia erāt August. in 10. de ciui. Dei, cap. 20.
signa rei generalis sanctificationis, quæ est sacrificium Redemptoris, dicit. *Huius veri sacrificij multiplitia variaq; signa erant sacrificia prisca Sanctorum: cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur; vt sine fastidio multum commendaretur.* Item, qualiter illa sacrificia erant signa rerum sanctificationis specialis, quæ sunt in nobis; dicit: Idem in eod. ca. 5.
Nec quod ab antiquis patribus, sacrificia talia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc populus Dei legitimè non facit; aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergò visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum, est. Et subdit ibidem. Idem ibi.
Quæcunque in ministerio tabernaculi, seu templi multis modis de sacrificijs leguntur, diuinitus esse præcepta; ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur.

¶ ET secundùm hanc distinctionem possunt solui omnia obiecta.

ARTICVLVS II.

An vetera sacrificia accepta, placitaq; Deo fuerint?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum sacrificia legalia, & illa antiqua fuerint Deo accepta, seu placita? Quod probatur: nam in Canone Missæ dicitur: Sicut tibi Canon Missæ.
placuit sacrificium Abel, placeat tibi sacrificium nostrum. Sed nos petimus, quod placeat Deo simpliciter sacrificiū nostrum, & voluntate beneplacita: ergò sacrificium Abel placuit Deo simpliciter & voluntate beneplacita: pari modo & sacrificia aliorum patrum.

¶ ITEM, Genes. 4. dicitur: *Respexit Dominus ad Abel, & ad* Genes. 4.
munera eius: & respectus Dei est beneplacitum eius: ergò Abel fuit Deo acceptus, & sacrificium eius Deo beneplacitum.

¶ ITEM, quicquid præcipit Deus ad faciendum, ita quod vult id fieri, vult illud simpliciter, (ad faciendum Leuit. 1. & 2.
dico,

dico, propter præceptum datum Abrahæ: quod non fuit ad faciendum, sed ad probandam eius obedientiam) sed sacrificia præcepit Deus ad faciendum: sicut patet ex Leuit.1.& 2. & alijs locis: ergò illa sacrificia voluit Deus simpliciter: ergò fuerunt ei placita & accepta.

¶ Item, omne opus, quod fit ex charitate & obedientia, est Deo placitum. Si ergò à sanctis sacrificia illa fiebant ex charitate & obedientia: ergò sacrificia illa erant Deo accepta.

Exod.20. Exod.21. Exod.25.

¶ Item, Exod.20. Statim post moralia præcepta Decalogi subiungitur de sacrificijs, cùm dicitur. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta*, &c. & hoc antequam determinetur de præceptis iudicialibus, de quibus Exod.21. & etiam antequam determinetur de cæremonialibus tabernaculi & aliorum, de quibus Exod.25. *vsque in finem*. Ex quo videtur, quod sicut moralia sunt humanæ saluti necessaria, quòd similiter pro illo statu essent necessaria sacrificia.

August. 10. de ciu. Dei. Psal.50.

¶ Contra, August. *Propheta quærens Deum pro peccatis suis habere propitium. Si voluisses* (inquit) *sacrificium dedissem: vtique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Psalm. 50. *Intueamur quemadmodum vbi dixit Deum nolle sacrificium, ibi dixit Deum velle sacrificium: non vult ergò sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis.*

Psal.49. Glossa. August.

¶ Item, in Psalm.49. *Non in sacrificijs tuis arguam te: holocausta enim tua in conspectu meo sunt semper.* Gloss. *Non quæro animalia in sacrificium: hæc nolo: sed holocausta tua, id est, quæ tui iuris sunt, semper, non ad tempus sunt in conspectu meo, id est, mihi placent. Holocausta autem dicit, animam totam igne charitatis inflammatam:* * *vnde sacrificium Deo spiritus contribulatus: in Psal. dicit nolle animalia in holocaustum.*

* Alias, vel.

Esa.1. Glossa.

¶ Item, Esai.1. *Holocausta arietum & sanguinem hircorum nolui.* Gloss. *præterito vtens, ostendit se sacrificia Iudæorum nunquam amasse: sed ad tempus sustinuisse.* Ergò sacrificia erant solum in permissione Dei, non in voluntate.

Ierem.7.

¶ Item, Hierem.7. *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti; de verbo holocaustomatum victimarum.* Ex quo videtur, quod non fuerunt in præcepto beneplaciti sui.

Ezech.20

¶ Item, Ezech.20. *Dedi eis præcepta non bona: & iudicia, in quibus non viuent.* Quod intelligitur de sacrificijs.

Amos 5. Esichius sup. principium Leuitici.

¶ Item, Amos 5. *Nunquid victimas & sacrificia vestra obtulistis mihi in deserto?* Et dicit Esichius. *Frequenter quidem obtulerant: sed quæ grata non habebat, quasi non oblata refutabat.*

RESOLVTIO.

Legalia sacrificia, si quomodo accepta placitaque Deo fuere: id quidem non ratione sui aliquo pacto fuit: sed vel veneratiua diuinæ maiestatis, vel quia signatiua veritatis: vel quia in homine impressiua timoris & inductiua pietatis.

Psal.50. Glossa.

¶ Respondeo. Distinguendum est, statum duplicem secundùm duplex tempus, tempus figuræ, tempus gratiæ. Tempus figuræ fuit ante aduentum Redemptoris: tempus gratiæ fuit post aduentum & passionem Redemptoris. Dicendum ergò, quod tempore gratiæ sacrificia illa animalium non sunt accepta Deo aliquo modo: vnde in Psal. 50. *Holocaustis non delectaberis.* Gloss. *Non delectaberis sacrificijs, nec in holocaustis; quæ sunt digniora: quæ aduentu Christi respuuntur: quid igitur offerendum? non pecudes, non herci: sed sacrificium pecorum, quod placet Deo; & spiritus contribulatus: in quo datur spes conuertendi.* Tempore verò figuræ aliquando dicuntur non placita Deo, & aliquando placita: Non placita dicuntur propter indignitatem offerentis: secundùm quod dicit Esichius: assumens illud Hierem. 7. *Non sum locutus cum patribus vestris de verbo holocaustomatum.* Negat se locutum fuisse de sacrificijs idem, qui mandauerat; quia intentionem mandatoris, qui acceperant, præteribant: hinc dicit Esa.1. *Ne offeratis sacrificium frustra incensum, abominatio est mihi*, &c. & subdit: *Manus enim vestræ plenæ sanguine sunt.* Placita verò dicuntur Deo, non propter eius necessitatem, quæ nulla

Esichius sup.1. Leuit. Ierem.7. Esa.1.

Aug. 10. de ciuit. Dei. ca.5. Psalm.15.

est: sed propter hominis vtilitatem, secundùm illum statum. Vnde August. *Quis ita desipiat, vt existimet aliquibus vsibus Dei esse necessaria ea, quæ in sacrificijs offeruntur:* cùm dicatur in Psal.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Non solùm igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili, seu terrena: sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est: totumque, quod rectè colitur Deus, homini prodesse non Deo.

¶ Notandum igitur est: quod pro tempore figuræ propter quatuor hominis vtilitates dicuntur Deo placita: vt exercitia promouendæ virtutis: & hæc ab exordio ante originem superstitionis idololatriæ: post introductionem verò idololatriæ dicuntur Deo placita ex comparatione propter cautelam erroris. Prima igitur vtilitas fuit honorificentia diuinæ maiestatis, secunda signatio veritatis: tertia timor seueritatis: quarta spes, seu amor pietatis, siue bonitatis. Sacrificia igitur dicuntur Deo placita, quia instituta fuerunt à Deo in cultum & honorificentiam suæ maiestatis: iuxta illud Prouerb.3. *Honora Dominum de tua substantia*, omnis autem cultus, quo Deus vult sibi seruiri, est ei honorificus: talibus autem muneribus qualia erant sacrificia, honorabatur Deus, non ipsorum preciositate, sed diuina electione, institutione, & offerentium obedientia & deuotione. Inde dicuntur Deo placita propter significationem veritatis: quia erant in signum veri sacrificij: quod duplex est, sicut dictum est supra. Generale, vt sacrificium Redemptoris: vnde dicit Gloss. super illud ad Ephes.5. *Tradidit semet ipsum oblationem & hostiam Deo in odorem*, &c. *non propter se illa hostia dicebantur offerri Deo in odorem suauitatis: sed quia illum figurabant, qua vere est in odore suauitatis.* Item Isid. *Omnis hostiarum diuersitas Christi hostiam præ se ferebat.* Et speciale, quod est sacrificium deuotæ mentis: vnde Augus. *Si hæc sacrificia, quæ vult; quorum vnum est cor contritum & humiliatum; nollet eis sacrificijs signari, quæ velut sibi delectabilia desiderare putatus est: non vtique de his offerendis in lege veteri præcepisset.* Deinde dicũtur Deo placita: quia imprimebãt timorem diuinæ seueritatis: vnde sacrificiorum institutio fuit diuinæ iustitiæ vehemens & fortis impressio: eo enim ipso quod ad mortem huiusmodi animalia offerebant, mortique tradebant, seipsos morte dignos ostendebant: & si secundùm merita peccatorum secundùm se veritatem iustitiæ diuinæ iudicarentur se reus morte; in hoc opere recognoscebant. Vnde & de mandatis sacrificiorum potest accipi illud Eccles.2. *Qui timent Dominum, custodient mandata eius.* Et subdit. *Dicentes, si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.* Postea dicuntur Deo placita: quia inducebant speciem pietatis amore bonitatis: oblatio namque munerum & participatio sacræ mensæ multam fiduciam præstat appropinquationis, & familiaritatis ad Deum: quemadmodum dicit Apostolos 1.Co. 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Et subdit. *Videte Israel secundùm carnem: nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Quare manifestum est, huiusmodi sacrificia familiaritatem imprimere & proximitatem ad Deum: quoniam eos quasi Dei commensales quodam modo efficiebant, commensalitas autem est quasi summa communio post communionem causarum essendi, quæ sunt pater & mater, & maximè effectiua familiaritatis: propter quod cùm Deus non posset offerentibus versa vice comedendo communicare, mittebat interdum ignem de cœlo; qui partem sacrificiorum sibi oblatam consumebat: & quasi vice ipsius comedebat. Dicendum ergò, quod propter has vtilitates ante introductionem idololatriæ placuerunt ista sacrificia; quamuis propter se & in se considerata non placerent: sed propter hoc, quia erant per institutionem diuinam ordinata ad honorificentiam diuinæ maiestatis, ad signationem futuræ veritatis, & impressionem timoris seueritatis, ad introductionem spei seu amoris bonitatis.

Prouer.3. Glossa. sup. Ep.5. Isid. sup. prin. Leu. August. in 10. de ciui. Dei, cap.5. Eccles.2. 1.Cor.10.

¶ Item, post introductionem idololatriæ dicuntur placuisse propter cautelam erroris: vnde Leuit.17. *Offerent filij Israel hostias suas sacerdoti ad ostium tabernaculi: & nequaquam vltra immolabunt hostias suas dæmonibus.* Ex quo patet: quod placebant Deo, vt offerrentur sibi ex comparatione scil. ne ea idolis immolarent.

Leuit.17.

¶ Ad illud ergo, quod primò obiicitur de sacrificio Abel. Dicendum, quod hoc non dicitur ratione oblati, sed ratione offerentis: non enim petitur, vt sacrificium corporis Domini acceptabile fiat Deo, quod est acceptabilissimum & oblatio Deo in odorem suauitatis: sicut dicitur ad Eph. 5. sed hoc petitur, vt actio offerentis sit accepta, sicut actio Abel: quæ quidem accepta fuit quantum ad deuotionem ex parte offerentis, & quantum ad impetrationem ex parte acceptantis. Vnde ad Hebr. 10. super illud. *Holocausta & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi*, &c. dicit gloss. *Nunquam in odoribus illis delectatus est Dominus, nisi in fide & desiderio offerentis.*

Ephes. 5.
Hebr. 10.
Glossa.

¶ Ad secundum verò, quod obiicitur: quod respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Dicendum, quod munera non dicuntur accepta, nisi aut deuotione offerentis, aut propter vtilitatem diuinæ institutionis; quæ supra habita est; propter salutem hominis.

¶ Ad tertium, quod obiicitur: quod quicquid præcipit Deus ad faciendum, est sibi placitũ. Dicendum, quod secundùm distinctionem supra habitam temporum, temporis figuræ, scilicet & temporis gratiæ, præcepit Deus ad faciendum tempore figuræ, ad hoc quod essent signa: vnde secundùm hoc fuerunt ei placita, vt essent alterius, scil. spiritualis sacrificij signatiua, non per se: & ideò non propter se, sed propter aliud Deo placita erant scilicet, pro illo statu: secundùm quod dicit August. vt supra habitum est, *quod si spiritualia sacrificia nollet illis sacrificijs signari, non de ijs sacrificijs in lege veteri præcepisset.*

August.

¶ Ad quartum, quod obiicit: quo illa sacrificia ex charitate fiebant. Dicendum, quod in sacrificijs exterioribus duo erant cõsiderare; ipsam rem sacrificatam, cui non habet iũgi charitas, & ex hac parte nõ est dicere ratione charitatis ipsa sacrificia accepta Deo: & secundùm hoc dicitur Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Præterea, ipsam actionem sacrificantis: & huic actioni potest coniungi charitas: quia ipsa actio potest elici ex ipsa charitate: vnde secundùm hanc partem possunt dici ipsa sacrificia accepta Deo: & secundùm hoc intelligitur auctoritas Bedę. Iustitia legis suo tempore custodita, non solùm temporalia, sed vitam conferebat æternam.

Rom. 3.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur. Exod. 20. notandum est: quod ante hominis lapsum necessaria erant tantummodo ea, quæ secundùm dictamen rationis sunt facienda homini: vt moralia præcepta. Post lapsum verò præter hoc necessarium erat, vt liberationem suam homo intelligeret, ne desperaret: vnde secundùm hoc necessaria fuerunt ei duo genera præceptorum: quędam, quę essent pręcepta vitæ agendæ: quædam, quæ essent præcepta liberationis signandæ. Præcepta verò, quę erant vitę agendæ, sunt moralia præcepta, & sunt ad faciendum simpliciter: præcepta liberationis signandæ principaliter erant ad intelligendum liberationem futuram; ne de liberatione desperarẽt; ex consequenti verò ad faciendum: & hæc fuerunt præcepta de sacrificijs. Vnde sicut in homine est duplex instinctiuum ad desiderium salutis: vnum in vi affectiua, aliud in vi cognitiua: ita & in lege Exod. 20. datum est duplex pręceptum homini: pręceptum morale ad excitandum affectum ad faciendum ea, quæ pertinent ad suam salutem simpliciter, & secundùm omne tempus: & pręceptũ de sacrificijs ad excitandum intellectum ad intelligendam futuram hominis liberationẽ principaliter. Præcepta enim sacrificiorum principaliter data sunt ad signandum: ex cõsequenti verò ad faciendum: quia (sicut dicit August.) sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum est, id est, sacrum signum est, & hoc modo fuerunt Deo accepta, vt dictum est.

Exod. 20.
August. 10. de ciu. Dei.

¶ Ad obiecta verò secundùm auctoritates in partem contrarium, patet responsio. Nam quod dicitur, non vult sacrificium pecoris, si referatur ad tempus gratiæ, verùm est simpliciter: si verò referatur ad tempus figuræ, verùm est, quia non vult sacrificium propter se, sed propter aliud. Vnde August. *Vbi scriptum est misericordiam volo, & non sacrificium, nihil aliud quam sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi: quoniam illud, quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij: porrò misericordia verùm sacrificium est.* Et simili modo intelligitur auctoritas illa Psalm. 39. *Non in sacrificijs*, &c. videlicet quantum ad tempus gratię: vnde super illud Psal. 19. *Memor sit omnis sacrificij tui.* Gloss. *Sacrificium Ecclesiæ prauidebat propheta per spiritum: quæ offert sacrificium, non pecudum, sed corporis & sanguinis Christi. Et holocaustum tuum, &c. vbi intentio amore Dei tota incenditur.*

August. in 10 de ciui. Dei.
Psal. 39.
Psalm. 19.
Glossa.

¶ Ad alias autem omnes auctoritates manifesta est responsio per distinctionem supradictam.

ARTICVLVS III.

An vetera sacrificia bona in genere fuerint?

Qværitvr postea. Vtrum sacrificia essent in genere bona, Ad quod sic arguitur. Sacrificare sacrificãdum est bonum in genere: sed sacrificare pecus secundùm institutionem diuinam est sacrificare sacrificandum: ergò sacrificare animalia est bonum in genere.

¶ Item, bonum in genere est, cùm actus debitus transit supra debitam materiam: vt pascere esurientem. Cùm ergò debita materia sacrificiorum fuerint animalia pro tempore figuræ: sacrificare verò erat actus debitus: igitur sacrificare animalia est actus debitus transiens supra debitam materiam: ergò est bonum in genere.

¶ Contra. Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona* (quod intelligitur de præceptis sacrificiorum.) Si non bona: ergò nec bona in genere; quia negatur bonitas absolutè.

Ezech. 20.

¶ Item, bonum in genere non mutatur: quia si aliquid est bonum in genere, semper est in genere bonum: vt pascere esurientem, semper est bonum in genere. Cùm ergò sacrificare pecus tempore gratię non sit bonum in genere: ergò nunquam fuit bonum in genere.

RESOLVTIO.

Vtique ratione signi: nequaquam autem ratione rei.

¶ Respondeo. Est considerare pecus, vt pecus, & pecus, vt signum. Si consideratur pecus, vt pecus: secundùm hoc non est materia debita sacrificij: immò secundùm hoc dicit August. iuxta auctoritatem Psalmistæ, *non vult Deus sacrificium trucidati pecoris.* Et secundùm hoc intelligitur auctoritas prophetæ. *Dedi eis præcepta non bona.* Si ergò consideratur vt signum: secundùm hoc pro tempore signationis seu figuræ pecus est debita materia sacrificij.

August.
Ezech. 20.

¶ Ad soluendum ergò obiecta, distinguendum bonum in genere dupliciter: secundùm statum, & simpliciter. Offerre pecus, vt signum, bonum est in genere secundùm statum, quo est signandum & figurandum: non tamen simpliciter: quia non secundùm statum cessationis figuræ: vnde Isidorus super principium Leuit. *Omnis hostiarum diuersitas Christi hostiam præfigurabat: vnde veritate oblata, cessauit vmbra, verùm sacrificium præfigurans.* Et ex hoc patet responsio ad obiecta.

Isid. sup. prin. Leu.

ARTICVLVS IV.

An eadem vetera sacrificia de lege naturæ fuerint offerenda?

Postea quæritur. Vtrum sacrificia ex lege naturæ sint offerenda? Ad quod multa signa inducuntur. Nam cùm statim in exordio mundi in primis filijs Adæ Cain & Abel legamus sacrificia Genes. 4. nec legamus, quod hoc fecerint ex iussione, vel inspiratione diuina, vel ex disciplina humana: videtur, quod hoc fecerũt dictante natura.

Genes. 4.

¶ Item, aliud signum ad idem est: quia ante disciplinam legis seu præceptum in ipsa lege naturali in tribus ætatibus mundi, in exordio cuiuslibet ætatis legimus sacrificia oblata à Patribus: vt in prima ætate ab Abel. Genes. 4. in secunda ætate à Noë Gene. 8. nec legitur hoc fecisse iussione, vel inspiratione diuina: similiter in tertia ætate ab Abraham. Gen. 14. vbi dicitur: quod ædificauit altare: & constat, quod ad offeranda sacrificia, nec legitur hoc fecisse iussione, vel inspiratione diuina.

Gene. 4.
Genes. 8.
Gene. 14.

¶ Item, tertium signum ad idem est: quia non solùm ab Hebræis per instructionem legis legimus sacrificiorum

ritum

Iob. ritum oblatorum Deo: sed etiam à gentilibus, quibus non erat data lex; sicut patet Iob 1. vbi legitur. Iob obtulisse holocausta: & vltimò tres eius amici. Cùm ergò aqud omnes homines legamus sacrificia: videtur relinqui, quod sacrificia erant, dictante natura: non ex disciplina diuina vel humana.

¶ CONTRA. Quod est de dictamine legis naturæ, est scriptum, seu inditum in corde hominis; sicut dicitur ad
Rom. 2. Rom. 2. *Si gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt, faciunt ipsi sibi sunt lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Cùm ergò in corde hominis non sit scriptum, quod sit sacrificandum animal: & hoc animal plus quam illud: relinquitur: quod sacrificia non sunt ex dictamine legis naturæ.

¶ ITEM, ius naturale non mutatur; sed semper idem est ante legem, in lege, & tempore gratiæ. Cùm ergò sacrificia tempore gratiæ mutata sint: relinquitur, quod nō sunt de iure naturæ.

RESOLVTIO.

Sacrificia legis veteris de dictamine & lege naturæ fuisse dici possunt, verùm non simpliciter, sed secundùm quid.

¶ RESPONDEO. Cùm sit sacrificium, sicut dicit Augus.
Augu. 10. de ciuit. Dei. *visibile, & inuisibile. Visibile sacrificium, quod fuit in pecoribus, signum fuit sacrificij inuisibilis, quod consistit in pura mentis & bonæ voluntatis officijs.* Dicendum ergò, quod de dictamine legis naturalis fuit simpliciter & secundùm omne tempus obligatio sacrificij inuisibilis: vt illud de quo dicitur in Psal.
Psal. 50. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & huiusmodi. De dictamine verò naturę, non simpliciter, sed secundùm quid, & secundùm statum naturæ post lapsum expectantis liberationem; fuerunt sacrificia visibilia pecorum. Vnde notandum, quòd post lapsum humanæ naturæ semper remansit in homine aliqua scintilla rationis, quæ dictabat: quod per aliquid fieret reparatio, & ex hoc consequenti dictabat, quod faceret aliquid in signum reparationis futuræ. Quærenti igitur signum accessit diuina illuminatio, vt signum liberationis futuræ faceret oblatio visibilis sacrificij, & ita quodammodo in generali de dictamine naturæ erat oblatio visibilis sacrificij: in speciali verò illuminata ratio conferebat sub quadam similitudine signi ad signatum vltra hoc, quod dictauerat natura in generali, quod aliquid erat Domino offerendum in signum. Addebat ergò ratio, vt ratio, & per collationem inuenit, quod offerenda erat ouis, vel bos magis quam alia, propter quandā similitudinem horum ad verùm sacrificium. Et iterum inueniebat ratio, quod plura erant offerenda, vt per plura designaret ipsam plenitudinem gratiæ Redemptionis: quæ quamuis vna esset simplicitate essentiæ, multiplex tamen futura erat in virtute. Inde est, quod (sic-
Isidor super principium Leuitici. ut dicit Isidorus) Christus in vitulo propter virtutem crucis offerebatur, in agno propter innocentiam, in ariete propter principatum, in hirco propter similitu-
Rom 8. dinem carnis peccati. Rom. 8. in turture & columba; quia
1. Tim. 2. Deus & homo Mediator Dei & hominum! (1. Timoth. 2.) in duarum substantiarum coniunctione monstrabatur, in in similagine propter conspersionem credentium per aquam baptismi collectam Ecclesiam esse corpus Christi ostendebatur.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur, quod de iure naturæ non erat, quod offerretur animal, vel hoc plus illud. Dicendum, quod hoc non dictabat natura, nisi in
August. 10. de Ciuit. Dei, cap. 4. generalitate illa, de qua dicit August. *Deo nos seruitutem, quæ latria gracè dicitur, siue in quibusq; Sacramentis, siue in nobis ipsis debemus*, &c. sed ipsa ratio illuminata fide Redemptoris ex collectione sui dictabat hoc in speciali: vt dictum est.

¶ AD secundum verò, quod obiicitur de permanentia: patet responsio. Nam natura nō dictabat ista sacrificia fieri gratia sui, sed in signationem veri sacrificij: & ita non erant indita ad omne tempus, sed vsque ad tempus veri sa-
Idem ibidem. ca. 5. crificij. Vnde Augus. *Mutanda erant oportuno certoq; iam tempore: ne ipsi Deo desiderabilia, vel certè in nobis acceptabilia; ac non potius, quæ his significata sunt, crederentur.*

ARTICVLVS V.

An soli Deo offerenda sint sacrificia?

SEQVITVR inquirere. Vtrum soli Deo sit sacrificium offerendum? Ad quod sic. Maius est incomparabiliter sacrificium spirituale, quàm illud corporale de animalibus. Si ergò homini offertur sacrificium spirituale: ergò multòmagis & illud, quod est corporale. Quod autem sacrificium spirituali homini exhibeatur: probatur per illud quod dicit August. quod misericordia est sacrificium spirituale: misericordia autem homini exhibetur. Aug. li. 10 de Ciuit. Dei. ca. 5.

¶ ITEM, laus est sacrificium spirituale. Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Sed ipsis sanctis offerimus laudem, iuxta illud Eccles. 44. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros.* Et in eodem. *Laudes eorum nunciat Ecclesia.* Ergò ipsis offerimus sacrificium spirituale: ergò multòmagis ipsis sanctis antiquis poterat offerri sacrificium illud materiale, seu corporale. Psal. 49. Eccl. 44. Ibidem.

¶ ITEM, Iudic. 6. legitur: quod Gedeon coxit hedum, & panes azimos: & tulit omnia, & obtulit Angelo. Ergò Gedeon obtulit Angelo sacrificium. Iudic. 6.

¶ ITEM, 1. Timoth. 1. *Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria.* Honor autem, qui debetur Regi visibili, debet esse visibilis: honor autem, qui debetur Regi inuisibili soli Deo, debet esse inuisibilis. Si ergò ei exhibetur debito modo honor: honor ille erit inuisibilibus sacrificijs: visibilia ergò sacrificia erunt alij, quàm Deo offerenda. 1. Tim. 1.

¶ ITEM, sicut Christus secundùm quod Deus est inuisibilis: ita secundùm quod homo est visibilis. Si ergò ipsi secundùm quod Deus, est offerendum sacrificium inuisibile: ei secundùm quod homo pari ratione erit offerendū sacrificium visibile. Ad hoc etiam facit, quòd omnia illa sacrificia huiusmodi sacrificium præfigurabant.

¶ CONTRA: sacrificia pertinent ad latriam: sed soli Deo est exhibenda latria: ergò soli Deo sunt exhibenda sacrificia?

¶ ITEM August. *Cui sacrificandum censuit: nisi ei, quem Deū, aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* August. de Ciuit. Dei, li. 10. cap. 4.

¶ ITEM, August. *Creatura rationalis, si non colit Deum, misera est; quia priuatur Deo: si autem colit Deum, non vult se coli pro Deo: illi enim potius diuina sententia suffragatur, & dilectionis viribus fauet: qua scriptum est: Sacrificans dijs eradicabitur, nisi soli Deo.* Idem in eodem.

¶ ITEM ibidem. *Vt alia taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus: sacrificium certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi vlli, nisi Deo soli: multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis.* Ibidem.

¶ ITEM, Actu. 14. Cùm sacerdos Iouis vellet thauros Paulo & Barnabæ sacrificare; cum eiulatione prohibiti sunt ab eis: ne sibi talia immolarent. Ex quo manifestè protestabantur, soli Deo esse sacrificandum. Actu. 14.

¶ ITEM, Iudic. 13. Angelus qui loquebatur ad Manue, dixit ei. *Si vis sacrificium facere; offer illud Domino.* In quo manifestè monstrauit, Deo, quidem non autem Angelis esse sacrificium offerendum. Iudic. 13.

RESOLVTIO.

Solum quidem Deum, nec quampiam ex creaturis sacrificia contingunt.

¶ QVOD concedendum est: sacrificium, scilicet nulli creaturæ, sed soli Deo esse offerendum.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur de sacrificio inuisibili, vt misericordia, & laude. Dicendum, quod misericordia, hoc est, opus misericordiæ potest considerari duobus modis. Vnō modo, vt est quoddam opus vtile proximo: & hoc modo non dicitur sacrificium. Alio modo secundùm quod consideratur, vt relatum ad finem Deum: & secundùm hoc assumit intentionem & rationem sacrificij. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Ipsa misericor-* Augu. 10. de ciuit. Dei, c. 6.

dia, qua homini subueniatur; si propter Deum non fit, non est sacrificium: & si enim ab homine fit, vel offertur; tamen sacrificium res diuina. Respondendum igitur per interemptionem ad illud, quod dicitur, quod sacrificium spirituale offertur homini: illi enim soli offertur, vt sacrificium, qui principium & finis est omnium bonorum. Quia ergò nec in homine: nec in Angelo, nec etiam in Christo, secundùm quod homo, constituendus est finis, vel misericordiæ, vel laudis: ideò nulli offerendum est spirituale sacrificium: sed illi soli, qui finis est, vel misericordiæ, vel laudis.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de sacrificio Gedeonis. Dicendum, quod Gedeon non obtulit sacrificium Angelo: & quod dicitur, *obtulit ei*, potest intelligi duobus modis: quia cùm in Vet. Test. (sicut dicit August.) Angeli apparerent & loquerentur in persona Dei, poterat Gedeon in ipso Angelo considerare, vel quod Angelus erat; vel Deum, quem prætendebat. Si considerabat in Angelo, quod erat: tunc obtulit ei sacrificium, non vt ipsi offerendum; sed vt per ipsum Angelum Deo offerendum: quemadmodum hostia offerebatur sacerdoti, vt per sacerdotem Deo offerenda: vnde ibi dicitur Angelus sacrificium obtulisse; cùm extendit virgam, quam tenebat manu, & tetigit carnes: ascendit ignis, &c. Si verò considerabat Gedeon Deum, quem ipse Angelus prætendebat: tunc obtulit ei sacrificium, id est: Deo parenti in Angelo: vnde & ita dicitur ipse Angelus Dominus, cùm dicitur, *dixit ei Dominus pax tecum: & ædificauit Gedeon altare Domino.*

August in 2 lib. de Trini. cap 6.

Iudic. 6.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur per auctoritatem Apostoli. 1. Timoth. 1. Responsio secundùm August. *Qui putant hæc visibilia sacrificia alijs congruere: illi verò tanquam inuisibili inuisibilia, & maiora maiori, melioriq; meliora: profectò nesciunt hæc ita esse signa illorum: sicut verba sonantia signa sunt rerum: quocirca sicut laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus: ita sacrificantes, non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quam illi, cuius in cordibus nostris visibile sacrificium nos ipsi debemus.*

August. 10. de Ciuit. Dei, cap. 19.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur de Christo. Respondet similiter August. *Vnde verus ille Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat; cum quo & vnus Deus est: tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Ac per hoc sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus; tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri.

Idem in eodē lib. cap. 20.

ARTICVLVS VI.

De personis offerentium.

CONSEQVENTER quærendum est de personis offerentium. Circa quod breuiter quæruntur quatuor. Primò, vtrum omnes tenerentur ad sacrificium tam Iudæi, quàm Gentiles? Secundò, vtrum offerentes sacrificia tenerentur ad intelligendam significationem sacrificiorum. Tertiò, vtrum mali possent offerre sacrificia. Quartò specialiter de personis offerentium in lege.

An simul omnes, tam (scilicet, Iudæi, quàm Gentiles tenerentur ad sacrificia peragenda: §. 1.

¶ Ad primum sic obiicitur. In omnibus erat originalis ægritudo; in cuius remedium erant sacrificia; sicut dicit B. Gregor. *Quod apud nos valet aqua baptismi: hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides: vel pro maioribus virtus sacrificij: vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, ministerium circumcisionis.* Si ergò omnes tenebantur ad quærendum remedium contra originalis culpæ ægritudinem: omnes tenebantur ad sacrificia.

Gregor.

¶ Item, omnes habebant illud dictamen naturæ (sicut dictum est) quod dictabat facienda sacrificia. Sed quod est de dictamine naturę, æquè obligat omnes: ergò omnes tenebantur ad sacrificia offerenda.

¶ Contra, solis Iudæis præcepta sunt sacrificia, & pro Lege imposita: *vbi autem non est lex, nec præuaricatio*, sicut dicitur Rom. 4. Ergò non sacrificare, non erat alijs præuaricatio: præuaricatio namque dicitur transgressio datæ legis. Præterea nec erat contra legem naturæ, cùm lex naturæ non dictaret sacrificia, nisi in genere, & non in ratione propria. Ex quo relinquitur, quod nec lege naturæ, nec lege data tenebantur gentiles ad sacrificia.

Rom. 4

¶ Item, quæritur: quare solùm illi populo, scilicet, Iudæis præcepta sunt sacrificia plus quàm alijs?

RESOLVTIO.

Et Iudæi & Gentiles simul omnes ad sacrificia Deo offerenda tenebantur: at non æqua ratione: sed illi tentione necessitatis: hi congruitatis.

¶ Responsio. Dicunt quod duplex est tentio: scilicet, tentio congruitatis, & tentio necessitatis. Tentio necessitatis est respectu moralium præceptorum: obligatio, scilicet ad faciendum & implendū ea necessitate salutis. Tentio congruitatis ante legem fuit respectu sacrificiorum in conuenientia & vtilitate ad intelligendum remedium humanæ salutis. Dicendum ergò, quod tentione necessitatis non tenebantur omnes ad sacrificia, nec aliqui, ante legem datam: sed post legem datam tenebantur Iudæi, quibus dabatur lex, ad sacrificia tentione necessitatis: cæteri verò tentione congruitatis.

¶ Et hoc modo dicendum ad illud, quod primò obiicitur; quod tenebantur omnes ad sacrificium congruitate, non necessitate.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur: quod tenebantur quærere remedium. Concedendum est etiam tentione necessitatis: non tamen eadem tentione tenebantur ad sacrificia materialia. Vnde in illa ratione est sophisma consequentis; ac si diceretur, tenebantur quærere remedium; ergò tenebantur illud quærere in sacrificijs: quærere enim remedium poterant per aliud, vt per sacrificia spiritualia, videlicet cordis contriti & huiusmodi.

¶ Ad secundum verò, quod obiicitur: quod de dictamine naturæ erant sacrificia. Dicendum, quod in dictamine naturæ erant sacrificia, vt congrua, non vt necessaria: & in generali, non in speciali.

¶ Ad illud verò, quod quæritur: quare populo Iudaico solùm illa sacrificia data sunt in præcepto. Respondet August. dicens. *Ritè celebrata sunt sacrificia in illo populo, cuius regnum & sacerdotium erat prophetia venturi regis, & sacerdotis de illo populo, de regendos & consecrandos fideles in omnibus gentibus.* Vnde ad significandum, quod ex illo populo esset ille, qui esset sacrificium verùm: magis illi quàm alijs præcipiebatur de sacrificijs: quia illius veri signa pronostica erant.

August. contra Faustum.

An offerentes sacrificia tenerentur omnes & singuli eorum significationes intelligere? §. 2.

¶ Deinde quæritur. Vtrum offerentes sacrificia tenerentur intelligere significationes eorum? Quod videtur per illud Psalm. 46. *Psallite sapienter.* Gloss. August. *Nemo sapienter facit quod non intelligit.* Si ergò illi non intelligebant illa sacrificia, non sapienter offerebant: cùm illa essent instituta in significationem veri sacrificij. Si ergò tenebantur sapienter offerre: ergò tenebantur intelligere.

Psal. 46. Glossa.

¶ Contra, simplices tempore gratiæ, qui tenentur ad maiorem perfectionem, non tenentur intelligere significationes sacrificiorum: ergò multo fortius, nec simplices tempore legis tenebantur intelligere significationes sacrificiorum.

RESOLVTIO.

Omnes profectò, sed prouectiores explicitè: rudiores implicitè.

¶ Respons. Sicut nos debemus intelligere articulos fidei implicitè & explicitè: & intelligere explicitè articulos tenentur prouecti & Prælati, sicut dicitur. 1. Petr. 3. Parati omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in nobis est,

1. Pet. 3.

est, fide & spe, &c. implicite verò tenentur intelligere simplices solùm. Ita in Veter. Testam. prouecti, vt doctores & Sacerdotes, tenebantur intelligere significationem sacrificiorum, hoc est, vt intelligerent ipsa sacrificia esse signa futuri sacrificij Redemptionis: simplices verò solùm tenebantur intelligere; quia sacrificia erant Deo, ea rat one, qua sibi placuit, offerenda: & in hoc implicitè continebatur, quod essent signa: quia ratione significationis futuri sacrificij voluit ea Deus sibi offerri: inde est, quod de sacrificio Phase dicitur. *Erit quasi signum in manu tua.* Exod. 13.

Exod. 13. *An mali possint Deo offerre sacrificia?* §. 3.

¶ Tertio quæritur. Vtrum mali possint Deo offerre sacrificia? Quod non videtur: nam dicit August. quod misericordia, qua homini subuenitur; si non propter Deum fit: non est sacrificium. Si ergò mali propter Deum non offerrent illa animalia: non offerebant sacrificium. Ad quod facit illud Oseæ 8. *Immolabunt carnes, & comedent: & Dominus non suscipiet eas.*

August. 10. de ciui. Dei.

Oseæ 8.

¶ Item, dicit ibid. August. quod sacrificium res diuina est. Si ergò malus non potest operari rem diuinam: non potest malus offerre sacrificium.

August.

¶ Contra. Genes. 4. Cain, qui malus erat, legitur obtulisse Deo sacrificium.

Genes. 4

¶ Item, Oseæ 9. *Non placebunt Deo sacrificia eorum.* (dicitur de malis.) Mali ergò offerunt sacrificia: quamuis non Deo accepta.

Oseæ 9.

¶ Si dicatur: quod est sacrificium spirituale, quod homo offert Deo de seipso: & est sacrificium figurale, quod homo offert de alio, vt de animali: mali quidem non possunt offerre sacrificium spirituale; tamen possunt offerre sacrificium figurale pro tempore figuræ. Contra: sacrificium spirituale dicitur carnis mortificatio. Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt offeratis corpora vestra hostiam,* &c. sed hoc sacrificium potest offerre malus, vt hypocrita, vel hæreticus: ergò mali possunt offerre sacrificium spirituale.

Rom. 12.

¶ Item, laus est spirituale sacrificium: Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Sed mali possunt Deum laudare. Esai. 29. *Populus iste ore suo & labijs suis glorificat me:* Et Ecclesi. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ergò possunt mali offerre sacrificium spirituale.

Psal. 49.

Esa. 29.

Ecclesi. 15.

RESOLVTIO.

Mali sacrificia offerre possunt: sed quæ sacrum signant: non quæ sacrum faciant.

¶ Respons. Sacrificium dicitur ex eò quod sacrum facit offerentem; duobus autem modis est sacrificium; vt signum, & vt res. Sacrificium ergò secundùm rem, quod sacrum facit, non potest offerre malus: & tale est sacrificium spirituale. Sacrificium verò secundùm signum; quod sacrum signat; potest offerre malus. Hoc autem dico de sacrificijs spiritualibus: non de generali sacrificio Redemptionis. Nam illud sacrificium in ministerio offertur tam à bonis sacerdotibus, quam à malis: in re verò offertur ab ipso Summo Sacerdote, secundùm quod dicit August. quod ipse est Sacerdos offerrens: & ipse est oblatio. Dicendum igitur, quod sacrificia illa figuralia de animalibus poterat offerre tam bonus quam malus; quia illa erant signa sanctificationis offerentis. Sacrificia verò spiritualia, quæ offert homo de seipso, non potest offerre malus: eò quod illa sunt res sanctificationis offerentis: malicia autem non cõpatitur secum rem sanctificationis: nec econuersò res sanctificationis maliciam.

Augu. 10. de ciuit. Dei, c. 20.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur de misericordia: quod non est sacrificium. Concedendum est; si non fiat propter Deum: vnde non est simile de sacrificio corporali, & spirituali: sicut iam dictum est.

¶ Ad illud verò, quod postea obiicitur de mortificatione corporis. Dicendum, quod mortificatio corporis in hypocritis & hæreticis non est sacrificium: sed mortificatio carnis debito modo facta, & propter Deum, & à Christianis; illa solùm est sacrificiũ; quia illa est res sanctificationis. Vnde Augu. *Corpus nostrum cum per temperantiam castigamus: si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus; vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato; sed arma iustitiæ* (ad Rom. 6.) *Deo sacrificium est.* Idem ibidem. ca. 6

¶ Ad illud verò, quod obiicitur de sacrificio laudis. Respondetur in Psalm. 49. super illud. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Gloss. *Non quod scelerati cantant; sed sacrificium laudis, non animalium honorificabit me. Nemo mihi offert hoc sacrificium, & malus est: quia nemo mihi bonus; vt si laudat & benè viuit: non enim laudat, si benedicit, & malè viuit: nec qui benè viuit; sed sibi dat* (supple) *laudem:* & subdit. *Quiescat ergò à malis, & offerat sacrificium laudis.* Psal 49. Gloss. Cassiod.

¶ Ad illud verò, quod superiùs obiiciebatur; quod sacrificium res diuina est. Concedendum est: sed res diuina dicitur duobus modis, secundùm signum, & secundùm essentiam. Rem diuinam secundum signum possunt offerre, vt dictum est: rem autem secundùm essentiam non: vt spirituale sacrificium, quod offert homo de seipso.

De personis offerentium in lege. §. 4.

¶ Qvarto quæritur de personis offerentium in speciali. Quæritur ergò de personis offerentibus in lege naturæ. Legimus enim quod Abel obtulit sacrificium Gen. 4. similiter Noë Genes. 8. similiter Abraham Genes. 15. & 22. similiter Iacob Genes. 46. Quæritur ergò quare non similiter Isaac obtulit sacrificium aliquod: cùm esset in illa linea Patrum, de quibus nasciturus erat Christus verùm sacrificium. Gene. 4. Genes. 8. Genes. 15. & 22. Gene. 46.

¶ Ad hoc assignatur multiplex ratio. Prima est secundùm literam: quia Abel fuit principium & caput generationis suæ, id est, primæ ætatis, Noë secūdæ: Abraham tertiæ. Ideò illis tanquam principalioribus competebat, vt offerrent sacrificia in præfigurationem prædictam. Iacob, item fuit Pater 12. Patriarcharum: ex quibus duodecim tribus; quibus data est lex sacrificiorum: propterea illis quatuor competebat.

¶ Secvnda ratio est: quia per Noë post diluuium disseminatum est genus humanum simpliciter: per Abraham plurimum est multiplicatum: tùm per Ismaelem, ex quo orti sunt duodecim duces, vt Genes. 18. tùm per Isaac: vnde Genes. 15. post promissionem de multiplicatione, statim subditur de sacrificio eius: similiter per Iacob multiplicatum est: quia habuit plures vxores, Isaac verò vnica contentus, non ita multiplicauit: & ideò non ita competebat sacrificiorum oblatio. Gene. 18. Genes. 15.

¶ Tertia ratio, quæ videtur potior, est: quia ipse Isaac in persona sua oblatus est in sacrificium. Genes. 22. & ita expressissimè præfigurauit Christum in seipso: ideò non oportebat, quod præfiguraret illum in sacrificijs, quæ ipse offerret; quia illa minus propriè Christum figurabant. Gene. 22.

¶ Qvarta ratio est allegorica: quia Isaac typum gessit contemplatiuorum, alij verò actiuorum. Contemplatiua autem magis cedit in præmium, quàm in meritum: & si vtrumque, scilicet contemplatiuum, & actiuum contingeret mereri, prout in via est: actiua verò magis cedit in meritum: & ideò quia sacrificia respiciebant meritum: competebant illis, qui gerebant typum actiuorum.

¶ Postea quæritur de Melchisedech: cùm enim Melchisedech: expressiorem tenuerit typum sacerdotis veri, id est, Christi, quam Aaron: sicut probat Apost. ad Heb. 7. Sacrificium autem tunc erat figura veri sacrificij futuri in Christo, & à Christo: quare non legimus Melchisedech sacrificium obtulisse de animalibus, sicut Aaron. Hebr. 7.

¶ Solvtio. Verum sacrificium Christi dupliciter cõsideratur. Vno modo inquantum ipse Christus sub specie propria, id est, in carne visibili oblatus est in ara crucis. Alio modo inquantum sub specie panis & vini dedit ipsum discipulis in cœna: & quotidie offertur in altari Ecclesiæ. Primò modo posset dici, quod sacrificium Aaron, quod erat ex carne visibili, expressiùs figurauit sacrificium Christi, quam illud Melchisedech. Alio modo dicimus: quod illud, quod obtulit Melchisedech, scilicet panis & vinum. Gene. 14.

Gene. 14. Genes. 14. expressiùs figurauit verùm sacrificium Christi futurum sub specie panis & vini in altari; quàm sacrificium Aaron: quia ibi no offertur caro in specie carnis visibilis: sed offertur inuisibilis: & illud competit fidei, quæ est de inuisibilibus. Vnde sicut lex naturæ consonat Euangelio: ita congruum fuit, vt sacerdos in lege naturæ offerret sacrificium consimile sacrificio Euangelico.

¶ Qværitvr etiam: quare Moyses non obtulit aliquod sacrificium ante legem: cùm tamen ipse dixerit se hoc facturum. Exod. 15. Exod. 15. dicens Pharaoni. *Deus Hebræorum vocauit vos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.*

Exod. 12. ¶ Præterea: quare non sacrificauerunt filij Israel in Ægypto, nisi tantum agnum paschalem; quod fuit ex speciali præcepto Domini Exod. 12.

¶ Responsio. ad primum: quia cùm Moyses esset legislator, in qua dantur præcepta de ritu sacrificiorum; congruebat, vt expectaret publicationem legis, antequam sacrificium offerretur: vt ostenderet auctoritate diuinæ legis sacrificia esse offerenda.

Exod. 15. ¶ Ad aliud, quod dixit Pharaoni, *viam trium dierum ibimus, vt sacrificemus Domino Deo.* Dicendum, quod sic in dispositione decreuerat faciendum; si eos Pharao liberè dimisisset; sed postmodum Pharaone indurato, & diuersis plagis flagellato, aliter mutatum est: quia fortiran si dimissi fuissent liberè, peruenissent ad Sinam itinere trium dierum: in quo daretur eis lex sacrificiorum.

¶ Ad aliud ergò, quod quæritur: quare non obtulerunt in Ægypto. Respon. est literalis: quia ea, quæ competebant ad sacrificia, erant Ægyptijs abominabilia: vnde Exod. 8. Pharaoni dicenti, *ite & sacrificate Domino in terra hac*, respondit Moysis: *non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* ideò agnum paschalem sacrificauerunt nocte: ne ab Ægyptijs viderentur: quod est sacrificium institutum in memoriam liberationis de Ægypto: sicut patet Exod. 13. Exod. 13. Allegorica verò ratio est: quia Ægyptus significat peccatum: dum autem homo est in peccato, non congruit, vt offerat sacrificium Deo. Item, agnus paschalis erat signum Redemptoris: vt figuraretur ergò, quod per Christum Redemptorem eramus liberandi ab Ægypto spirituali: ideò præceptum est illis agnum paschalem sacrificare.

ARTICVLVS VII.

A quo sacrificia offerri cœperint.

Genes. 4. Qværitvr postea de inchoatione sacrificiorum. Primò enim legimus ea obtulisse Abel & Cain. Gene. 4.

¶ Sed obiicitur. Videtur enim, quod debuerunt incipere ab Adam: Hugo de S. Victore quia (sicut dicit Hugo.) conueniens fuit, vt semper medicina curreret cum morbo: sed morbus, pro quo oblatus est Christus verùm sacrificium, in cuius signum offerebantur illa animalia, incœpit ab Adam, scilicet, ex quo lapsus est: igitur conueniens fuit, vt à principio lapsus offerretur, vel ipsum verum sacrificium, vel cætera quæ erant figura, vel signa veri sacrificij, tanquam medicina contra morbum.

¶ Item, ad plura tenetur peccator, quàm innocens; quia tenetur ad opera sanctificationis. Sed Adam peccator fuit aliquando, Abel autem innocens: ergò ad plura tenebatur Adam, quàm Abel: maximè quò ad ea, quæ spectabant ad satisfactionem: sed huiusmodi erant sacrificia: ergò plus tenebatur Adam ad sacrificia offerenda, quàm Abel.

RESOLVTIO.

Ab Abel, vti à primo Ecclesiæ expressè typum gerente.

¶ Ad hoc respondetur: quod sicut Ecclesia dicitur incepisse ab Abel, non ab Adam: & hoc quia Adam incidit in mortale peccatum post sanctitatem, quam prius habebat: & ita si Ecclesia diceretur incepisse ab Adam: diceretur Ecclesia aliquando defecisse, quod est inconueniens, videlicet, quod Ecclesia postquam cœpit defecerit. Præterea, quia Abel primus fuit, qui gessit expressè typum Ecclesiæ propter innocentiam & virginitatem: quibus designauit innocentiam Ecclesiæ, & spiritualem integritatem: ita conueniens fuit, vt ab Abel inciperet ritus colendi Deum, ad quem fuit institutio sacrificiorum.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: quod ab Adam inchoauit morbus: ergò & medicina. Dicendum, quod re vera ab ipso inchoauit medicina, scilicet sacrificium contriti cordis, dilectionis, & deuotionis: sed non incepit, sc. ab ipso ipsius medicinæ signum, scil. visibile sacrificium: & hoc triplici ratione. Primò, quia ab illo, à quo cœpit diuinæ inhonorationis exemplum, non debuit ritus sumi honorandi Deum: ab Adam autem cœpit exemplum diuinæ inhonorationis, cùm præuaricatus est diuinum mandatum. Genes. 3. Genes. 3. vnde Zachar. 13. *Adam exemplum meum*, &c. Zach. 13. sed ab illo debuit incipere ritus diuinæ honoris, à quo fuit iustitiæ & innocentiæ primum exemplum. Secunda ratio est, quæ supra dicta est: quia cum Ecclesia sit aggregatio fidelium colentium Deum: ab illo, à quo incipit Ecclesia, dicitur incipere ritus colendi Deum: & ita oblatio sacrificiorum: ab Adam autem non debet dici incepisse Ecclesia, sed ab Abel. Tertia ratio est: quia (sicut dicit Aug.) Adã erat vir spirituali mente præditus, vnde etiam post lapsum conuertebat se potiùs ad interius sacrificium, quod est cõtriti cordis: Augost. sup. Gen. ad literã. alij verò non ita præditi, conuertebant se ad sacrificium externum. Vnde conueniens fuit, vt priùs in Adam præcederet oblatio sacrificij interioris spiritualis; postmodum verò in filijs eius sequeretur oblatio sacrificij exterioris materialis: vt in illis primis vtriusque sacrificij præberetur exemplum.

¶ Ad aliud verò, quod obiicitur, quod ad plura tenebatur peccator Adam, quàm innocens Abel. Dicendum, quod verùm est; non tamen propter hoc sequitur, quod teneretur ad sacrificia. Sacrificia enim primò, & principaliter fuerũt instituta in remedium originalis secundùm quod dicit Greg. Gregor. *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc apud antiquos, valuit, vel pro paruulis sola fides, vel pro adultis virtus sacrificiorum.* Quia ergò in Adam non fuit originale peccatum distinctum ab actuali, non competebat ei offerre sacrificium visibile, quod quasi indistinctè, & immediate institutum est contra originale; in filijs verò Adæ primò fuit distinctum actuale, & originale: vnde conueniebat, vt ab ipsis primò sacrificia offerrentur.

ARTICVLVS VIII.

De differentijs sacrificiorum veterum.

Consequenter quæritur, de differentijs sacrificiorum. Et quæritur primò de primis differentijs sacrificiorum, quæ erant ante legem, & in lege. Secundò specialiter de differentijs sacrificiorum habitis ante legem, Tertiò de differentijs sacrificiorum habitis in ipsa lege.

De differentijs sacrificiorum in lege, & ante legem simul. §. 1.

¶ Ad primum obiicitur sic. Ante legem, & in lege legitur duplex differentia sacrificij. Quædam, quæ fuerunt in materia sensibili, vt de animalibus, cuiusmodi fuit sacrificium Abel. Quædam verò in materia vegetabili, vt in fructibus terræ, cuiusmodi fuit oblatio Cain. Genes. 4. Genes. 4 Item similis oblatio legitur post diluuium: nam Noë obtulit sacrificium in materia sensibili de pecoribus. Gen. 8. Genes. 8. Melchisedech verò de materia vegetabili, vt panem & vinum. Gen. 14. Genes 14. Item in Leuit. 1. legitur oblatio sacrificij de animalibus, & similiter. 3. & 4. In 2. cap. verò legitur oblatio de simila siue panibus. Quæritur ergò vnde processit hæc differentia & varietas sacrificij?

¶ Item, in lege inuenitur alia differentia, nam cum duplex esset altare: altare holocaustorum: & altare thymiamatis: in altari thymiamatis offerebatur sacrificium thymiamatis mane, & vespere: sicut habetur Exod. 30. Exod. 30. super altare

altare verò holocaustorum offerebantur alia duo genera sacrificiorum, sicut legitur. Leuit.1.& 2. Quæritur ergò, quare hæc differentia sacrificij non fuit ante legem, in lege naturæ, sicut & alia duo. Leu.1.& 2.

¶ Item, in noua lege offertur incensum thuris, quod est sacrificium thymiamatis. Si ergò lex naturæ magis consonat legi nouæ, quàm Moysi: videtur quod potius hoc genus sacrificij, quod est de thure, vel thymiamate, debuit esse in lege naturæ.

¶ Item, quare in noua lege habemus aliquod repræsentatiuum, seu conforme sacrificij thymiamatis: vel incensi, & non aliquod repræsentatiuum sacrificij de animalibus, seu de panibus.

¶ Item, quæ potuit esse ratio, quod sacrificium de animalibus primò oblatum fuit ab Abel iusto: sacrificium verò de frugibus à Cain peccatore.

¶ Respondeo ad primum: cum institutio sacrificiorum, siue in lege naturæ, siue in lege Moysi fuerit ad significationem, & figuram sacrificij Redemptionis in Christo. Sacrificium autem Redemptionis dupliciter erat offerendum, visibiliter, & inuisibiliter: visibiliter in crucis tormento: in visibiliter in Sacramento: ab institutione sacrificiorum propterea debuit duplex signum procedere: Vnum, quod figuraret sacrificium Christi in ara crucis offerendum in specie assumptæ carnis; & quò ad hoc fuit necessaria differentia sacrificij in carne sensibili: vnde dicit Aug. *Promissiuas figuras in victimis animaliũ celebrari oportebat, propter emundationem futuræ carnis & sanguinis, per quam vnam victimam fieret remissio peccatorum. Aliud, quod figuraret sacrificium carnis Christi in altari offerendum sub specie panis & vini: ad cuius figuram necessaria fuit alia differentia sacrificiorum in frugibus, seu pane & vino:* quia (sicut dicitur: 1.Cor.10.) *calix benedictionis nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Aug. contra Faustum. 1.Cor.10.

¶ Ad secundùm verò, quod quæritur: quare in lege naturæ non fuit sacrificium incensi? Dicendum, quod sacrificium Christi ad nostram Redemptionem duplex fuit, spirituale, & corporale: spirituale fuit sacrificium deuotionis & amoris salutis humani generis; quod sacrificium obtulit in mente: corporale fuit sacrificium mortis, quam sustinuit in cruce, vel quæ repræsentatur in Sacramento sub panis specie. Necessaria igitur fuit præfiguratio sacrificij spiritualis, quod obtulit Christus in abdito deuotæ mentis, & quo ad hoc fuit figura sacrificij thymiamatis, quod offerebatur in altari interiori: & præfiguratio sacrificij corporalis, quod obtulit in carne. Et hoc dupliciter, vt dictum est: sensibiliter in cruce, & quo ad hoc erat figura sacrificij carnis sensibilis: & insensibiliter in altari sub specie panis & vini; & quò ad hoc erat figura sacrificij in re insensibili frugum, & panis, & vini: vtrunque autem sacrificium offerebatur super altare exterius, quod dicebatur altare holocaustorum. Notandum ergò, quod secundùm dispensationem manifestationis maioris, quæ debuit esse (sicut dicunt August. & Hugo de sancto Victore.) in signis Redemptionis secundùm decursum temporis magis & magis: conueniebat, vt in lege naturæ darentur primò signa sacrificij corporalis postea verò in lege Moysi,) quæ sicut dicit August. est ad Christi gratiam dirigens: & ad Rom. 7. *Scimus quoniam lex spiritualis est,* dicit Apostolus) adderentur signa sacrificij spiritualis. Quia ergò thymiama erat signum sacrificij spiritualis Christi, non conueniebat, vt offerretur ante lationem legis. Rom.7.

¶ Ad tertium verò, quod obiicitur: quod lex naturæ magis conformatur Euangelio. Dicendum, quod quædam dicuntur esse in lege naturæ, quantum ad dictamen: quædam verò, quantum ad statum. Quantum ad dictamen in lege naturæ sunt præcepta moralia: quantum verò ad statum in lege naturæ fuerunt signa, seu Sacramenta reparationis futuræ: sed illa sunt in lege naturæ, & ex lege: ista verò in lege naturæ sunt, sed non ex lege naturæ: immò principaliter ex diuina institutione siue inspiratione. Dicendum ergò, quod eo quomodo in lege Moysi sunt præcepta & Sacramenta: similiter in lege noua præcepta sunt & Sacramenta. Si ergò comparemus legem Euangelij ad legem naturæ, & legem Moysi: maior conformitas est legis Euangelij ad legem naturæ in præceptis, quæ per se sunt legis naturæ, quam in præceptis legis Moysi, quæ per se sunt ipsius. Maior autem conformatio est legis Euangelij ad legem Moysi in Sacramentis, quam ad legem naturæ: quia Sacramenta legis expressiora sunt, & amplioris determinationis, quam Sacramenta in statu legis naturalis: proptea in Sacramentis plus conformatur lex gratiæ legi Moysi, quàm legi naturæ.

¶ Ad quartum dicendum, quòd sacrificium incensi in noua lege aliter est, quàm in lege veteri: ibi enim erat sacrificium in signum futuri sacrificij, scilicet spiritualis Christi: hic vero non est figura futuri, sed repræsentatio sacrificij præteriti Christi in passione, vel præsentis in altari. Sed tamen illis tribus sacrificijs correspondentia sunt tria in sacrificio altaris: nam in sacrificio altaris est caro contenta, panis in Sacramento, incensum in ministerio.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod cum duplex sacrificium carnis Christi: vnum, quod ipsemet obtulit in cruce, vt ille Sacerdos, de quo dicit Apostolus Hebr.7. *Pontifex sanctus, innocens, impollutus:* ideò competebat, vt figura huius offeretur ab innocente & iusto Abel. Aliud, quod offertur à ministro in Sacramento sub panis specie: & ideò quia istud sacrificium potest offerri à malo ministro & peccatore, primò figura eius sacrificij præcessit in Cain iniusto & peccatore. Hebr.7.

De differentia sacrificiorum pro tempore ante legem tantum. §. 2.

¶ Postea quæritur de differentia sacrificiorum pro tempore ante legem. Quæritur igitur, quare in primis sacrificijs Abel & Cain solum determinentur genera rerum Genes. 4. *Factum est, vt offerret Cain de fructibus terræ Domino: Abel verò obtulit de primogenitis gregis.* Consequenter verò in secunda ætate post diluuium determinantur sacrificia secundùm mundum & immundum. Genes.8. *Tollens Noë de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta.* Postea verò in tertia ætate in Abraham determinatur sacrificium faciendum de sensibili irrationali: vt Gen.15. de gressibilibus, & volatilibus: postmodum in re rational, vt in filio suo Isaac. Genes. 22. Quæritur quæ est ratio huius differentiæ? Genes.4 Genes.8. Genes.15. Gene.22.

¶ Item quæritur: quare soli Abrahæ duplex indicitur sacrificium ante legem, primò in re irrationali, de animalibus. Genes. 15. postea in re rationali, vt in filio? Genes.22. Genes.15. Gene.22.

¶ Item quæritur, quare in primo sacrificio, quod obtulit de animalibus Genes. 15. præcipitur ei, vt diuidat gressibilia; non autem volatilia. Simili enim modo præcipitur. Leuit.1. quod gressibilia diuidantur; volatilia verò indiuisa offerantur. Genes.15. Leuit.1.

¶ Item quæritur, cùm triplex sit differentia præcipua sacrificij de animalibus: prima quæ dicitur hostia holocausti, secunda quæ dicitur hostia pacifica, siue Saluatoris, tertia quæ dicitur hostia, seu victima pro peccato; quæ differentia habetur Leuit.1.3.& 4. Quare ante lationem legis non legatur oblata fuisse hostia pro peccato, sed solùm holocausta, & pacifici. Similiter in latione legis, Exod.20. non fit mentio, nisi de holocaustis & pacificis, vnde Exod. 20. dicitur. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta & pacifica vestra.* Similiter in latione fœderis cum Deo Exod.24. dicit. *Obtulerunt holocausta, immolaueruntq; victimas pacificas Domino.* De hostia verò siue victima pro peccato non fit sermo, nisi in Leuit.4. post legem datam in tabulis lapideis. Leuit.1.3.& 4. Exod.20. Exod.24. Leuit.4.

¶ Obicitvr namque: siquidem videtur, quod econtrario, prius deberent offerri victimæ pro peccato: quia semper erat morbus peccati: & ita semper debebat cum eo currere medicina. Medicina autem erat victima pro peccato, & huiusmodi: & ita spectabat ad necessitatem: holocausta autem & victima pacificorum quasi ad supererogationem, quia hæc quandam perfectionem designabant: priùs autem est, quod ad necessitatem, quàm quod ad super ero-

per erogationem. Ergò & ante legem, & in principio potiùs, videtur fuisse determinandum de victima pro peccato, quam de holocaustis, & pacificis.

¶ Item, videtur ex statu populi, qui rudis erat, hoc idē: videtur enim ex hoc; quod minùs spirituale sacrificium deberet ei priùs determinari, vel tradi.

¶ Responsio. Ad primū cùm (sicut supra dictum est) sacrificia illa essent signa veri sacrificij Christi: secundùm quod maior erat approximatio ad sacrificium verùm, cōueniebat, vt maior, fieret determinatio, & declaratio circa res sacrificandas: vt per signum expressius magis ac magis esset declaratio veritatis. Notandum igitur, quod (sicut supra habitum est) gradus fuerunt in ipsa determinatione: vt primò in sacrificio Abel determinaretur * fieri in carne: secundò in sacrificio Noë determinaretur futurum in carne munda: tertiò in sacrificio primo Abrahæ specificaretur ampliùs ingressibilibus & volatilibus, in signum quod Christus erat futurus simul comprehensor, & viator: comprehensor figurabatur esse per volatilia: viator per gressibilia. Quartò verò in sacrificio Abrahæ vlteriùs determinabatur fieri in carne humana, cùm præcipitur ei offerre filium suum. Hæc igitur est ratio prædictæ differentiæ sacrificiorum.

* Alias, futurum.

¶ Ad secundum, quo quæritur de duplici præcepto Abrahæ. Dicendum, quod secundùm diuinas, & humanas historias in Abraham præ cæteris probatus fuit zelus latriæ conditoris: propter quem & plura sustinuit, vt incendium Chaldæorum, patriam & parentes deseruit, sicut patet Genes. 11. Vnde & ei primò expressa est promissio humanationis Redemptoris. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Genes. 22. Propter quod repræsentaret sacrificium Christi per similitudinem generis, vt sacrificium de animali: aliud per similitudinem speciei: propter quod datur ei præceptum de immolatione propter filij.

Genes. 11.
Gene. 22.

¶ Ad tertium, quo quæritur de primò sacrificio: quare gressibilia diuiduntur, & non volatilia. Duplex ratio assignatur: allegorica, & literalis. Allegorica: quia aues signāt contemplatiuos, qui debent habere cor indiuisum in vnum, iuxta illud Psalm. 26. *Vnam petij à Domino*, &c. gressibilia verò significant actiuos, qui per multas curas diuiduntur: ideò signantur per Martham Luc. 10. *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima.* Literalis est in memoriam pœnæ originalis: gressibilia enim habent ortum de terra. Genes. 1. quæ maledicta est propter peccatum Adæ. Genes. 3. volatilia verò ex aqua, quæ non fuit maledicta, sed benedicta Genes. 1. In typo ergò pœnæ originalis ostendebatur, quod in gressibilibus esset maior indigentia sanctificationis, quàm in auibus, propter terræ maledictionem: quod Theologica consideratione planum est.

Psalm. 26.
Luc. 10.
Genes. 1.
Genes. 3.
Genes. 1.

¶ Ad quartum, quo quæritur: quare ante legem non legitur differentia hostiæ pro peccato: In consequenti manifestius erit: tamen ad præsens notandum est: quod (sicut dicitur ad Rom. 4.) vbi non est lex, nec præuaricatio: ante legem peccatum erat absolutè: sed data lege, peccatum erat, & præuaricatio: ideò peccantes post datam legem indigebant ampliori remedio: vt cum ante legem in remedium sufficerent hostiæ holocausti, & pacificorum, vt etiam data lege, antequàm introducta esset præuaricatio, sicut iam ostendetur: tamen interueniente præuaricatione, necessarium fuit, vt introduceretur nouum genus sacrificij, videlicet hostia pro peccato; quod esset speciale remedium præuaricationis.

Rom. 4.

De differentijs sacrificiorum pro tempore legis tantùm. §. 3.

¶ Quæritur postea de differentijs sacrificiorum in lege. Omisso igitur sacrificio thymiamatis, quod offerebatur super altare interius: quæritur de sacrificijs, quæ offerebantur super altare exterius: quæ erant in duplici differentia: sicut supradictum est.

¶ Est igitur primò quæstio de sacrificijs in materia insensibili: quare siue in sacrificijs, siue in libamentis concurrerent panis, vel eius materia, vinum, oleum, & adderetur thus, & sal: thus in aliquibus, sal in omnibus? Leuit. 2.

Leuit. 2.

¶ Item, quare in pane siue eius materia nunc offerentur spicæ, nunc simila, nunc panis? Et quare panis offerretur, nunc coctus in clibano, nunc in sartagine, nunc in craticula.

¶ Respon. Ad primum dicendum: quod duplex est ratio prædictæ differentiæ oblationis: literalis, & spirituali. Literalis est, vt honorificetur Dominus: iuxta illud Prouerbiorum 3: *Honora Dominum de tua substantia*, &c. vt largitor bonorum necessariorum homini ad sustentamentum, vel ad condimentum, vel ad medicamentum. Ad sustentamentum de esibili offertur sacrificium panis: de potabili vinum. Ad condimentum, de excitatiuis appetitus offertur ei sal: de delectantibus appetitum oleum. Ad medicamentum, de aromaticis, & consolidatiuis offertur ei thus: Vt ex his communioribus, & ad necessitatem hominis, sine difficultate magna occurrentibus, potestarentur in sacrificio Deum bonorum omnium largitorem. Allegorica verò ratio est respectu sacrificij Christi. Nam (sicut dicunt sancti) panis est sacramentum carnis: vinum Sacramentum est animæ, seu sanguinis: oleum figurat gratiam, sal scientiam: thus orationem Domini Saluatoris, sicut aliàs manifestatur.

Prouer. 3.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod literalis ratio manifesta est in hoc, quod dictum est. Allegorica verò ratio est respectu sacrificij Christi, quod consideratur tripliciter. In fide Patrum pro statu legis naturæ, & sic erat vt spica. In fide Patrum pro statu legis scriptæ: & sic per doctrinam legis, & Prophetiæ triticum erat, vt simila. In fide Patrum quantum ad statum gratiæ: & secundùm hoc est velut coctus panis, & formatus in perfecta humanitate: *hic est enim panis, qui de cœlo descendit.*

Ioan. 6.

¶ Ad tertium dicendum, quod cum panis figuret sacrificium Christi in assumpta carne: sicut ipsemet dicit in Ioann. *Ego sum panis*, &c. consideratur, vt in virginis vtero coctus igne, hoc est, conceptus de Spiritu sancto: & consideratur, vt laborans in mundo: & sic vt coctus in sartagine: & consideratur vt afflictus & adustus in cruce, & sic est vt panis in craticula.

Apud Ioan. sæpius

¶ Deinde quæritur de differentia sacrificiorum legis de animalibus. Et erat triplex differentia: vna quæ dicebatur holocaustum: alia, quæ dicebatur pacifica: tertia, quæ dicebatur hostia pro peccato.

¶ Circa quas differentias quæruntur plura. Primò de ratione distinctionis: nam dicunt, quod sicut est triplex status hominum, incipientes, perficientes, perfecti: hostia pro peccato pertinet ad incipientes siue ad statum pœnitentiæ: hostia pacificorum ad proficientes, siue ad statum iustitiæ in impletione mandatorum: holocaustum ad perfectos siue ad statum supererogationis in impletione consiliorum.

¶ Sed contra hoc obiicitur: nam in Psalm. 29. dicitur. *Holocaustum pro peccato non postulasti.* Ibi dicit Gloss. *Holocaustum pro peccato fiebat*: ergò non distinguitur holocaustum ab hostia pro peccato.

Psal. 29.
Glossa.

¶ Item, ante legem efferebantur sacrificia pro peccato: sed ante legem non leguntur offerri, nisi holocausta, & pacifica: ergò non distinguuntur ab hostia pro peccato.

¶ Item, Leuit. 7. determinatur duplex differentia pacificorum. vna pro gratiarum actione, alia ex voto. Sed gratiarum actio in quolibet statu debet fieri, quia in quolibet exhibetur beneficium à Deo: votum autem pertinet ad perfectionem, vt patet: ergò hostia pacificorum, vel circuit omnem statum ratione gratiarum actionis, vel si determinat sibi aliquem statum, determinat sibi statum perfectorum, non proficientium, & huiusmodi: & hoc ratione voti.

Leuit. 7.

¶ Item, quæritur, quare holocaustum præcipiatur fieri de gressibilibus & volatilibus. Leuit. 1. hostia verò pacificorum tantum de gressibilibus.

Leuit. 1.

¶ Si dicatur quod istud est ratione perfectionis. Cōtra, hostia pro peccato præcipitur fieri de volatilibus. Leuit. 5.

Leuit. 5.

quod tamen minoris perfectionis est sacrificium, quàm hostiæ pacificorum.

¶ ITEM, species pacificorum sunt duæ; vna pro gratiarum actione: alia ex voto. Sed hæc duo pertinent ad contemplatiuam vitam, & actiuam: cùm ergò illæ duæ differentiæ actiuæ, & cōtemplatiuæ, significentur per gressibilia & volatilia: hostia pacificorum debet esse de gressibili volatili.

Leuit.2. Leuit.3. ¶ ITEM, quæritur: qua re in holocausto assumitur tantum mas in gressibilibus Leuit.2. in pacificis verò masculus, & fœmina. Leuit.3.

¶ ITEM, quæritur de hostia pro peccato: quare hostia pro peccato recipit differentias personarum (nam alia offeruntur pro peccato Sacerdotis, alia pro peccato Principis, alia pro peccato multitudinis, alia pro peccato personæ priuatæ diuitis, alia pro peccato pauperis. Leuit.4. cùm similiter in alijs statibus sit accipere gradus differentium personarum? Leuit.4.

¶ ITEM, quæritur, quare de hostia holocausti nihil cedit in vsum offerentis: de hostia verò pacificorum aliquid cedit in vsum offerentis, aliquid in vsum Sacerdotis: de hostia autem pro peccato nihil cedit in vsum offerentis, aliquid tamen cedit in vsum Sacerdotis? sicut patet ex Leuit.6. & 7. Leui.6. & 7.

Leuit.6. ¶ ITEM quæritur: quare omne sacrificium Sacerdotum totum igne consumeretur? sicut Leuit.6. *Omne sacrificium Sacerdotum consumetur, nec quisquam comedet ex eo.*

Leuit.7. ¶ ITEM quæritur de illa differentia hostiæ pacificorum Leuit.7. vbi dicitur: quod si hostia pacificorum esset pro gratiarum actione; comedebantur carnes eadem die: si ex voto similiter edebantur eadem die: sed si quid in crastinum remanebat, vesci licitum erat: quicquid autem dies tertius inuenerit, ignis consumet. Videtur quod potius econuersò debebat esse: nam ad votum statim sequitur obligatio reddendi: iuxta illud Psalmistæ. *Vouete, & reddite.* Sacrificium autem spirituale voti designatur in sacrificio pacificorum, quod offertur ex voto: ergò eadem die debuit comedi illa hostia; vt ostenderetur, quod die eadem, qua aliquid nouimus, debemus reddere. Psal.75.

¶ PROPTEREA in hostia, quæ pro gratiarum actione offertur, significatur sacrificium laudis: sed recepto beneficio à Deo, non videtur, quod statim teneamur ad laudes: ergò non debuit dici, quod eadem die comederetur.

¶ RESPONDEO. ad primum dicendum, quod illa triplex differentia hostiarum accipitur tribus modis: primò respectu sacrificij Christi in remedium peccati: secundò respectu spiritualis sacrificij humani: tertiò respectu causarum offerendi. Respectu sacrificij Christi, secundùm quod sunt in remedium peccati, accipitur hæc differentia sic: quia aut est peccatum contra ordinem rationalis naturæ, aut est peccatum contra ordinem rationis, aut contra ordinem legis scriptæ. Peccatum contra ordinem rationalis naturæ est peccatum originalis culpæ, & eius sequela peccatum veniale. Peccatum contra ordinem rationis est peccatum actuale mortale, quod est malum secundùm se. Peccatum verò contra ordinem legis scriptæ est peccatum, quod dicitur præuaricatio: quod est malum ex prohibitione. Dicendum ergò, quod in figura veri sacrificij Christi, per quod est remedium omnis peccati, offerebatur holocaustum ratione originalis & venialis peccati: vnde & holocaustum pro peccato erat sacrificium vitulæ ruffæ. Num.19. quod exponit Apostol. de sacrificio Christi. ad Hebr.9. & vltim. secundùm quod est specialiter in remedium originalis. Item, quia in remedium venialis, offertur holocaustum: sicut habetur Iob vltim. vnde qui contra Iob peccauerat venialiter, dicitur eis. *Offerte pro vobis holocaustum.* Item, ratione actualis mortalis, per quod discordamur à Deo: offerebatur hostia pacificorum: quia per Christum habemus reconciliationem ad Deum: sicut dicitur ad Rom.5. *Iustificati ex fide, pacem habemus per Christum ad Deum* Et iterum ibi dicitur. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Item, ratione præuaricationis legis offerebatur hostia pro peccato: quia per Christum sumus liberati à legis præuaricatione: vnde Gal.4. dicitur, *Christus factus sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.* Et ad Hebr.9. *Et ideò noui Test. mediator est: vt morte intercedente in redemptione earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento; repromissionem accipiant, qui vocati sunt æterna hæreditatis.* Num.19. Heb.9. & vltim. Iob vlt. Rom.5. Galat.5. Hebr.9.

¶ ITEM, alio modo accipitur hæc differentia respectu spiritualis sacrificij humani, secundùm quod sunt in exercitium boni, & hoc tripliciter. Vel satisfactionis peccatorum, & quantum ad hoc est hostia pro peccato. Vel iustitiæ in impletione mandatorum, & quantum ad hoc est figura hostiæ pacificorum. Vel supererogationis in impletione consiliorum: & secundùm hoc est, figura holocaustum (vnde in Psalm. 65. *Holocausta medullatá offeram tibi.* Gloss. *Animam totam igne charitatis inflammatam*) & hæc differentia accipitur ratione spiritualis sacrificij humani, quæ tripliciter * figuratur. Psalm.65. Glossa. * Alias, significatur.

¶ ITEM, respectu causarum offerendi sumitur hæc triplex differentia sic: quia secundùm literam holocaustum sacrificium erat, quod offerebatur Deo ex amicitia sola suæ bonitatis: hostia pacificorum, quod offerebatur ex debito beneficij accepti (vnde dicebatur pacifica, quia offerebatur pro pace habita, vel habenda: & hostia salutaris, quia offerebatur pro salute habita, vel habenda) hostia pro peccato offerebatur ex necessitate remissionis peccati.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur: quod non videtur distingui holocaustum ab hostia pro peccato. Iam patet responsio: quia (sicut habitum est) duplex erat differentia holocausti: vna, quæ offerebatur pro peccato generali, vt sacrificium vitulæ ruffæ: alia verò erat, quæ non offerebatur pro peccato, sed amicitia seu amore puro. Item illa, quæ offerebatur pro peccato, distinguitur ab hostia, quæ specialiter dicitur offerri pro peccato: quia holocaustum non offerebatur, nisi pro peccato generali, quod erat figura originalis, vel pro peccato veniali, vel pro peccato Sacerdotis in figuram sacrificij Christi; qui sine peccato obtulit se pro aliorum peccatis: hostia verò pro peccato specialiter data erat secundùm suam primam intentionem pro peccato præuaricationis in transgressione legis.

¶ AD secundùm, quod obiicit: quod ante legem non erat hostia pro peccato, sed solum holocaustum & pacifica. Concedendum est: sed tunc holocausta offerebantur pro originali, vel veniali: pacifica verò pro reconciliatione ad Deum contra actualem culpam mortalem: postea verò (dictum est) contra præuaricationem addita est hostia pro peccato, data lege.

¶ AD tertium, quod obiicit de hostia pacificorum, quæ duplex est. Dicendum, quod est gratiarum actio procedens ex amicitia charitatis; quomodo gratiarum actio est in figura holocausti: & est gratiarum actio ex debito iustitiæ in receptione beneficij; quomodo figuratur in hostia pacificorum, quæ offerebatur pro gratiarum actione. Item, votum fit Deo dupliciter: vno modo ex intuitu & amore diuinæ bonitatis: quomodo votum respicit statum supererogationis: alio modo ex intuitu & spe beneficij seu salutis; quomodo pertinet votum ad statum iustitiæ; & designabatur in hostia pacificorum, quæ offerebatur ex voto; quale fuit votum Iacob Gen.28. Votum vouit, dicens: *si dederis mihi panes ad vescendum, &c.* de cunctis, quæ dederis, decimas offeram tibi. Gene.28.

¶ AD quartum dicendum, quòd hostia pacificorum pertinet ad statum iustitiæ, vt dictum est: iustitia autem est in exercitio actiuæ: exercitium autem actiuæ designatur in gressibilibus: sicut eleuatio contemplatiuæ in volatilibus; ideò ratione figuræ non competit hostiæ pacificorum, vt fiat de volatilibus. Holocaustum verò vtramque differentiam recipit; quia in statu supererogationis, actiuæ scil. & contemplatiuæ.

¶ AD illud verò, quod obiicitur: quod volatilia offeruntur in hostia pro peccato. Dicendum, quod in hostia pro peccato non offertur, quia volatile, sed quia gemens: vnde offertur turtur & columba: gemitus autem pro peccatis pertinet ad statum pœnitentiæ: quemadmodum gemitus

nutus pro desiderio cœlestis patriæ pertinet ad statum supererogationis, seu perfectæ charitatis.

¶ Ad quintum verò patet responsio ex iam dictis. Nam votum fit dupliciter: est enim votum respectu actionis, & illud pertinet ad statum iustitiæ, figuratum in hostia pacificorum ex voto; & conuenit designari in gressibili: Et est votum respectu diuinæ vacationis, quod pertinet ad statum supererogationis, & hostiam holocausti: quod habet figuram in volatili.

¶ Ad sextum dicendum: quod masculus est figura perfectionis: fœmina imperfectionis: statui autem supererogationis non competit, nisi anima perfecta: in statu verò iustitiæ est differentia animæ perfectæ, & imperfectæ.

¶ Ad septimum dicendum, quod status personæ aggrauat peccatum; & causa peccati tota ex nobis est: vnde plus peccat Prælatus, quàm subditus: & in Prælatis plus peccat Sacerdos, quàm princeps, & Prælatus spiritualis plus quàm Prælatus secularis. Item, plus peccat in subditis diues quàm pauper, alijs paribus: & iterum maius est peccatum multitudinis, quàm personæ alicuius singularis. Quia ergò secundùm modum peccati debet hostia pro peccato offerri: ideò hostia pro peccato differentiam recipit secundùm differentiam personarum. Item ex parte alia bonum totum Deo tribuendum est, siue in statu iustitiæ, siue in statu super erogationis, non personæ hominis. Sola autem differentia est ibi secundùm differentias actionum: quæ differunt secundùm perfectum, & imperfectum, vel magis & minus, perfectum, quæ est differentia secundùm qualitates actionum, vel secundùm genera ipsarum actionum. Propterea in hostia pacificorum, & holocausti non ponitur differentia secundùm differentias personarum, sed secundùm distinctionem ipsorum sacrificiorum: vt in pacificis mas, & fœmina; ad significandum differentiam secundùm perfectum & imperfectum: in holocaustis gressibile, & volatile ad significandū perfectum, & magis perfectum: & in vtrisque de ouibus, bobus, & capris, ad significandas differentias actionum: in innocentia declinandi, quod malum est, quæ figuratur in oue: & prudentia discernendi, quod bonum, & malum est; quæ designatur in capra, quæ habet acutum visum: & strenuitate exequendi, quod bonum est, quæ designatur in boue.

¶ Ad octauum verò dicendum, quod in sacrifitio spirituali, quod offerimus in deuotione bonæ voluntatis: triplex est conditio: vna est in statu supererogationis, in quo non potest quis vti sua voluntate propter abrenunciationem: alia in statu pœnitentiæ, in quo similiter non debet qui vti sua voluntate propter præuaricationem, seu transgressionem: tertia est in statu iustitiæ, in qua quis potest vti sua voluntate ordinatè sub Deo, & sub Ecclesia. In primò statu propter abrenunciationem voluntatis ex voto tota voluntas debetur Deo, cui debet reddi votum; & illud figuratur in holocausto, quod totum incenditur in honorem Dei. In secundò verò propter præuaricationem, qua amisit propriam libertatem, voluntas debet offerri per contritionem Deo, & per confessionem Sacerdoti ad satisfaciendum secundùm arbitrium Ecclesiæ: & illud figuratur in hostia pro peccato, in qua vna pars cremabatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in vsum Sacerdotis: nihil tamen in vsum offerentis. In tertiò statu voluntas relinquitur propriæ libertati: dum tamen subiecta sis Deo & ordinata per intentionem, & similiter sub Ecclesia, seu Sacerdote per obeditionem: & istud figuratur in hostia pacificorum, cuius vna pars offertur ad honorem Dei, quæ cedit in esum Sacerdotis, alia in esum offerentis.

¶ Ad nonum dicendum, quod hoc fuit propter figuram sacrificij Christi veri Sacerdotis, quod in Sacerdotis sacrificio figurabatur, quod quidem sacrificium ex perfecta charitate Deo Patri oblatum est: vnde in Psalm.65. *Holocaustum medullatum offeram tibi*, id est, meipsum cum medulla intimi amoris. Vel ad significationem perfectionis Sacerdotis, qui pro quocunque statu perfecta charitate debet ardere; siue conteratur de peccatis, quod est hostia pro peccato: siue impleat præcepta, quod est hostia pacificorum: siue supereroget consilia, quod est specialiter holocaustum. Psalm.65.

¶ Ad vltimum verò dicendum: quod ratio illius differentiæ in comestione hostiæ pacificorum est differentia obligationis ex receptione beneficij, & ex promissione voti: nam quia recepto beneficio statim tenemur gratias referre Deo, non percurrente deliberatione, vel sequente aliqua promissione: Ideò dicitur, quod hostia pacificorum eadem die debet comedi: quia statim recepto beneficio actu vel habitu gratia debet reddi. In voto autem autem præcurrit deliberatio, quasi prima dies: sequitur promissio, quasi secunda dies, & in vtoque statu deliberationis, & promissionis, licitum est votum reddere, vel implere: tertia verò dies intelligi potest status remunerationis post mortem: in quo non erit fas votum impleri.

MEMBRVM V.

De cessatione cæremonialium præceptorum.

ORdine consequenti inquirendum est de cessatione cæremonialium præceptorum. Circa hoc autem duplex error eliminandus est: error Iudæorum, qui recipiunt Scripturam Veteri Testamentis; qui asserunt cæremonialia præcepta semper esse obseruanda: & error Ebyonitarum, qui cum obseruantia Euangelij legales cæremonias simul custodiendas Christianis dixerunt. Ad eliminandum ergò vtrumque errorem isto modo procedemus: quatenus primò in generali, vtrum obseruantia cæremonialium semper sit in præcepto. Secundò specialiter de sacrificijs, circumcisione, & Sabbato. Tertiò, vtrum obseruantia cærimonialium sit indifferens tempore gratiæ.

ARTICVLVS I.

An obseruantia cæremonialium sit nunc in præcepto?

AD primum sic possunt arguere aduersarij veritatis. Baruch 4. *Hic est liber mandatorum Dei: & lex, quæ est in æternum: omnes, qui tenent eam, inuenient vitam.* (& loquitur de lege data populo Israelitico.) Sed quod manet in æternum, debet seruari sine fine: ergò tempore gratiæ debemus seruare legem quantum ad legalia omnia. Baruc.4.

¶ Si dicatur, quod intelligitur de lege quantum ad moralia, quod ipsa manet in æternum. Contra Matth.5. *Amen dico vobis, Iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant*: ibi dicit gloss. *Iota, quæ est decima litera, signat præcepta Decalogi: apex verò, quæ non est litera, sed signum literæ, significat præcepta significatiua sicut figuralia*, &c. Ergò intelligitur de moralibus & figuralibus omnibus: ergò tenemur omnia implere, & obseruare. Matth 5. Glossa.

¶ Item, Matth.5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, id est, vilis & abiectus vocabitur ab his, qui erunt in regno cœlorum: & dicit gloss. Interlinearis. *Minima mandata sunt, quæ inchoant homines.* Sed hæc fuerunt mandata legalia: ergò erit minimus, id est, reprobus, qui soluerit illa, & non obseruauerit: ergò semper sunt obseruanda. Matth.5. Glossa.

¶ Item, istæ similitudines sunt vtiles ad informationem animæ rationalis, sicut dicit B. August. *Hæ similitudines rerum in locutionibus, & obseruationibus figuratis propter quærendi, & operandi exercitationem rationales mentes vtiliter & suauiter mouent.* Sed quidquid est suaue, & vtile ad mouendam animam rationalem, semper debet manere, & obseruari, & non euacuari, quia omne tale ad salutem ordinat: si ergò figuralia, & legalia omnia sunt huiusmodi, manifestum est, quod semper debent obseruari. August. contra Faustum.

¶ Item, August. *Implere legem nihil aliud est, quam plene addere: legem autem hoc est adimplesse, manentibus præteritis noua addere.* Si ergò Christianus implet legem constat quod manentibus præteritis ipse addit noua: ergò adhuc manent præterita, nec tollitur aliquid, quod legis sit: ergò adhuc debent omnia legalia obseruari. August. in quęst. noui & vet. Test.

¶ Item Deuter.7. recitatis mandatis tam moralibus

quàm

quam cæremonialibus, præcepit Moyses, & seniores Israël populo, dicentes. *Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis hodie.* Et paulò pòst. secundū 70. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea.*

Deut. 28. ¶ Item, *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie: venient super te omnes maledictiones istæ: Maledictus eris in ciuitate*, &c. Igitur omne mandatum tam cæremoniale quam morale præcepit indifferenter obseruari sine termini præfinitione: & maledictioni subiecit omnem transgredientem, vel vnum de mandatis; nullum excipiens hominem aut mandatum. Omne igitur indifferenter sine termino est obseruandum.

¶ Item, Lex tam in præceptis moralibus quam in cæ-
Psal. 118. remonialibus continet veritatem: vnde in Ps. 118. *Lex tua*
Psal. 116. *veritas.* Sed (sicut dicitur in alio loco.) *Veritas Domini manet in æternum:* Ergo Lex quantum ad præcepta moralia, & cæremonialia manet in æternum.

Rom. 7. ¶ Item, *Mandatum sanctum iustum, & bonum:* quod intelligitur de mandato legis Moysi, & etiam de cæremonialibus: vnde ibi statim subiungitur, *scimus, quoniam Lex spiri-*
Glossa. *tualis est.* Gloss. Aug. *Lex Moysi spiritualis dicitur: quia in ea sunt, quæ Dei sunt, & quia spiritualiter intelligenda.* Si ergo quantùm ad cæremonialia tantùm est spiritualiter intelligenda: ergo Lex quantùm ad cæremonialia spiritualis est, & mandatum Sanctum, iustum, & bonum. Si ergo mandatum sanctum, iustum, & bonum, est perpetuò tenendum: quia (sicut dicitur Sap. 2.) *Iustitia perpetua est, & immortalis:* & in Psal. 118. *Iustitia tua Domine iustitia in æternum.* Ergo præceptum cæremoniale erit perpetuò obseruandum.

¶ Contra. Omne, quod non habet rationem, quare debeat permanere, definit. Si ergo Lex cæpit, quia ante Moysen non fuit (& hoc quantùm ad cæremonialia) & post aduentum Christi: non est ratio, quare debeat permanere quantùm ad cæremonialia. Ergo post aduentum Christi quantùm ad cæremonialia definit. Quòd autem post aduentum Christi non est ratio, quare debeat manere: pro-
Rom. 3. bat Apostolus: *Quia iustitia Dei per fidem est Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum: & nunc sine lege iustitia Dei manifestata est.* Ex quo arguit, quòd non ex operibus legis iustificabitur omnis caro. Si ergo ratio permanentiæ legis est iustificatio seu salus hominis: non est ratio, quare Lex nunc debeat manere: quod intelligitur de cæremonialibus manifestè.

¶ Item, si quis dicat: quod ad iustificationem necessaria est obseruantia cæremonialium. Contra obijcit Apostolus. Nam Abraham ex fide iustificatus est ante legem cæremoniarum (ex fide dico promissi redemptoris. *Credi-*
Genes. 15. *dit Abraham, Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Si ergo ex fide sine obseruantia cæremoniarum (fide dico promissionis redemptoris) erat iustificatio Abrahæ: obseruantia cæremoniarū non est ad iustificationē necessaria.

¶ Item, si ex sola fide promissionis redemptoris, lōgè antequā veniret, erat iustificatio: ergo multo fortiùs postquam promissio est impleta & redemptor venit, ex fide sola erit iustificatio sine obseruantia legis cæremoniarum.
Rom. 5. Et hoc est, quod concludit Apostolus: *Iustificati igitur gratis ex fide per gratiam ipsius, &c.*

¶ Item, lex cæremoniarum obligabat solùm illos, quibus data est. Si ergo solùm Iudæis data est lex, soli Iudæi, & non alij tenentur ad cæremonialia. Si ergo iustificatio redemptoris æqualiter respicit omnes tam Iudæos, quàm Gentiles, secundùm quod dicit Apostolus ad Galat. 3. ex auctoritate Genes. 22. *Prouidens scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.* Ex quo concludit: igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Si ergo sine obseruantia cæremoniarum erit iustificatio hominum, sicut & patris Abrahæ: aut sequetur inconueniens, quod ad iustificationē
*al. requirerentur. Iudæorum * requirentur plura, quàm ad iustificationem gentium: ergo difficiliùs saluarentur illi, quibus facta est promissio specialis de Saluatore, & ex quibus Saluator natus est: quod est ridiculosum dicere.

¶ Item arguit Apostolus Hebr. 7. ex auctoritate Psal. Hebr. 7.
109. in qua Propheta in persona Dei loquitur ad Christū: Tu es sacerdos in æternum, hoc modo: Si consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (id est perfectio, vt vltra quam non esset perfectiùs sacerdotium requirendum) quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici? Si ergo à Propheta Dauid dicitur, quod Christus exurget secundùm ordinem Melchisedech, non Aaron: ergo ritus sacerdotij Christi non est ritus sacerdotij Aaron, seu sacerdotij Leuitici, & etiam potior & melior: relinquitur igitur, quod sacerdotium legis mutādum est, adueniente sacerdotio Christi: translato autem sacerdotio (sicut dicit idem Apostolus) necesse est vt legis trāslatio fiat. Ex quo relinquitur, quòd si secundùm ordinem Melchisedech exurget Christus sacerdos: erit sacerdos nō secundùm legem carnalis mandati, sed secundùm virtutē vitæ insolubilis. Necessarium est igitur in aduentu Christi cæremonialia terminari.

¶ Item arguit Apostolus ad Hebr. 8. ex auctoritate Hierem. 31. *Feriam domui Israël, & domui Iuda testamentum nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus vestris; pactum, quod irritum fecerunt.* Ex hac parte auctoritatis arguit Apostolus, dicendo: nouum, veterauit prius, id est factum est vetus prius testamentum: sed si vetus est, finiendum est, vnde ipse subdit: Omne, quod antiquatur (vt in inanimatis) & senescit (vt in animatis) propter interitum est: quia antiquatio, & senectus, [illegible] prænuncia mortis, & desitionis. Ex quo relinquitur, quod veniente nouo testamento in aduentu Christi, cessat vetus in cæremonijs legis.

¶ Item ex auctoritate Hierem. 31. similiter arguit Apostolus, subdens in eodem: *Hoc est testamentum meum, quod feriam domui Israël: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Si ergo hæc promissio est adimpleta in aduentu Christi, lex seruanda post aduentum Christi non habet mandata, quæ scripta non sint in corde & conscientia humana. Si ergo præcepta cæremoniarum nō sunt scripta in mente humana; relinquitur, quod non sunt seruanda post aduentum Christi.

¶ Item, arguit Apostolus ratione: nam mandatum cæremoniale tempore Christi non est vtile ad significandum: quia quod significatur, iam venit: nec de se est virtuosum ad iustificandum, quia secundùm se considerata absque diuino imperio indifferentia sunt: ergo post aduētum Christi est mandatum cæremoniale infirmum, & inutile. Ex quo relinquitur quod dicit Apostolus, quòd reprobatio præcedentis mandati fit propter infirmitatem eius & inutilitatem.

¶ Item, si diceretur, quod esset vtile ad significandum, quod faciendum est, non tamen ad significandum, quod in Christo futurum est.

¶ Contra est, quod dicit Apostolus ad Hebr. 7. *Ni-* Hebr. 7.
hil ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, secundùm quam approximamus ad Deum, est, supple. Et intendit dicere: quod obscurè, & imperfectè significant quod est faciendum, ad obtinendam spem salutis, seu appropinquationis ad Deum. Ergo tempore perfectionis non debent hæc signa imperfecta manere. Omnibus istis rationibus & auctoritatibus destruitur error Iudæorum.

¶ Item Amplius Error Ebionitarum, qui recipiunt autoritatem Euangelij, destruitur sic. Dicit Saluator sic: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. 11.
Ex qua auctoritate arguit Augustinus: *Hanc legem, dicit Sal-* Matt 11.
uator, vsque ad Ioannem non vltra seruandam: sic enim data est, vt August.
completo tempore, cessaret: nec enim fuit ab initio, sed ex causa data in quæst.
ad tempus est: vt veniente Saluatore, cessaret lex. noui & veteris testamēti.

¶ Item Augustinus contra Faustum, arguit sic: *Si celebrationes, quæ figuræ erant, prænunciantes ventura; adhuc Christianis fierent: nihil significaretur, nisi nondum venisse: quæ dudum figuris prænunciabantur: quod enim venturum prænunciatur, aut nondum venit: aut si iam venit, superfluè & fallaciter prænunciatur. Lex & propheta vsque ad Ioannem*, Matth. 11. illud enim

quod iam venit, non debet prænunciari. Si ergo res prænunciata figuris iam venit: ergo debent euacuari figuræ, non obseruari.

¶ Ad idem est auctoritas beati Petri Actuum 15. in cōcilio Apostolorum: loquitur enim ibi ad Iudæos conuersos: *Viri fratres, scitis quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere: dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos & illos: fide purificans corda illorum.* Nunc ergo quid tentatis iugum imponere super ceruices discipulorum: quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Et loquitur de onere circuncisionis & aliarum * circunstantiarum legis. al. cæremonialiū

¶ Item ad idem sunt quamplurimæ auctoritates Pauli ad Galat. 3. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, cōclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: at vbi venit fides, non sumus sub pædagogo.* Ergo non sumus subiecti mandatis cæremoniarum, &c. & multa dicit ibi Apostolus in hunc modum. Auctoritate igitur prophetica, Euangelica, Apostolica, & ratione euidenti patet; post aduentum Christi legales cæremonias non esse seruandas.

RESOLVTIO.

Cùm cæremonialia ex causa ad tempus data sint: cessata ablataq; illa, ampliùs obseruari non debent, nec vlteriùs in præcepto esse.

¶ Quod sine obiectione concedendum est.

¶ Respon. igitur ad obiectiones errorum. Ad primum ergo, quod obijcitur, quòd hæc lex est in æternum. Dicendum secundùm Augustinum: Legis nomen vnum est, sed tripartitam habet intelligentiam: Prima enim pars legis de Deo est: si enim lex à lectione dicta est; vt de multis quid eligas, scias: inter errores ergo positi acceperunt, vt eligant verum, id est reprobato diabolo eligant Deum. Secunda autem legis pars hæc est, quæ sex præceptis continetur, quæ sic incipit: *Honora patrem, & matrem.* Tertia verò in Neomenijs & in sabbatis est, & in escis discernendis ac eligendis: & in circunsione, & in hostijs pecudum offerendis. Hanc itaque legem dicit vsque ad Ioannem, non vltra seruandam: quia (sicut dicit) data est, vt completo tēpore cessaret: lex verò, quæ de Deo est, similiter & lex moralium præceptorum, ista semper manet, & aboleri nō potest. Ex hac igitur auctoritate Augustini dicendum, quòd lex credendorum de Deo, quæ est in prima tabula: & lex moralium præceptorum, quæ est in secunda, manet in æternum: lex verò cæremonialium, quæ ex causa & ad tempus data est, temporalis: quia cessante causa in aduētu Saluatoris, euacuanda est.

Aug. in li. quæst. no. & vet. Testam.

Aug. vbi suprà.

¶ Ad secundum, quod obijcitur ex Matth. 5. respondetur ibidem in Glo. Quia cùm in lege sunt præcepta moralia, & præcepta significantia, scilicet cæremonialia: omnia implentur vel in capite Christo, vel in corpore quod est ecclesia. Sed differenter: nam moralia implentur literaliter, significantia verò spiritualiter, vnde dicit Gloss. *Donec omnia fiant, vel in capite, vel in corpore. & quātum ad moralia imperfecta perficiantur: & quantum ad cæremonialia significantia spiritualiter impleantur.* Glossa Matt. 5.

¶ Ad tertium, quod dicit: Qui soluerit vnum de mandatis ijs minimis, &c. Dicendum, quòd soluere mandatum legis dicitur dupliciter: vel quantum ad intentionem ferentis, vel quantum ad intentionem eius cui data est lex. In illa ergo auctoritate intelligitur soluere vnum de mandatis istis minimis, primo modo. Vnde notandum est: quòd Christianus verus nunquam soluit aliquod legalium, seu cæremonialium, quantum ad intentionem ferentis: cuius intentio fuit, quod maneret vsque ad tempus Christi, quamuis dicatur soluere quantum ad intentionem falsam Iudæorum, quibus data est lex. Et huius distinctionis exemplum ponit Augustinus in præcepto de sabbato, dicens: *Soluit sanè sabbatum Saluator, sed sine præiudicio dati sabbati: cùm enim sabbati tam tempus cessaret, Iudæi autem sabbatum adhuc manere assererent: Saluator sabbatis operans secūdùm sensum Iudæorum sabbatum soluebat.* Aug. vbi suprà.

¶ Ad quartum dicendum, quòd similitudines figurales vtiles fuerunt prius, & adhuc vtiles sunt: sed prius scilicet ante tempus gratiæ duplicem habuerunt vtilitatem: quia tunc erant vtiles ad mouendum rationem opere & lectione: modo autem non habent nisi vnam vtilitatem, illam scilicet quæ est in lectione: vt in eis legatur, non vt obseruētur: ad vtilitatem autem, quæ solùm est in audiendo, seu in legendo, non sequitur obseruantia, nisi cum hoc sit vtilitas illa, quæ est in faciendo. Et hoc est, quod dicit Augustinus contra Faustum. Priori populo multa talia non tantùm audienda, verùm etiam facienda, seu obseruanda præcepta sunt: tempus enim erat, quo non tantùm dictis, sed etiam factis prophetizari oporteret ea, quæ posteriori tempore fuerant reuelanda; quibus per Christum atque in Christo reuelatis, fidei gentium onera obseruationum non sunt imposita: prophetiæ autem auctoritas est commendata: Vnde remanserunt solùm quantum ad auctoritatem significandi: vt in eis posset homo legere & intelligere: sed non quantum ad auctoritatem obseruandi.

¶ Ad quintum dicendum, quòd impletio legis dicitur vno modo respectu figuralium, & hoc modo sumitur impletio per cessationem, secundùm quod dicit Augustinus, quod impletur cessat: videlicet, quādo et melius succedit: vnde ponit exemplum de constituto in aliqua potestate, dicens: *Si alicui in potestate constituto successor datur: nunquid destructus dicitur?* Quasi dicat, immò impletio est, quando succedit melior in potestate. Et hoc est, quod dicit Gloss. super illud Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Implet, qui figuras cessare docet, quando res facta est. Alio modo dicitur implere, scilicet addere plenè, & hoc modo implet Christianus moralia, vnde Augustinus: *Non illum destruxit, sed potiora addidit.* Sic ergo nō destruuntur legalia, quia eis meliora succedunt, nec etiā moralia: sed adduntur potiora. Idem in ijsdē qq. Matt. 5. Idē Aug. vbi suprà

¶ Ad sextum, quod obijcitur: quòd sub interminatione maledictionis præcipiuntur seruari moralia, & cæremonialia, Deut. 17. sine termino, Deut. 38. Dicendum, quòd illa præcepta, quantum ad cæremonialia, non fuerunt iussa seruari, nisi vsque ad aduentum veri Prophetæ, hoc est, Christi: alioquin non fuisset dictum in eadem lege, Deut. 18. *Prophetam de gente tua sicut me suscitabit Dominus, ipsum audietis.* Et subditur in persona Dei: *Ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Ex quo relinquitur, quòd adueniente Propheta Christo, cedit lex Moysi eius imperio: ipse autem est qui dicit Matth. 19. *Lex & Propheta vsque ad Ioannem.* Ex auctoritate ergo eius retractantur legis cæremoniæ, & istud est quod dicit Apostolus ad Galat. 3. repetens illud legis Deut. 28. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Et subdit: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* (Deuteron. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno.) *vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem sine obseruantia legalium.* Deut. 17. Deut. 38 Deut. 18 Matt. 19.

¶ Ad septimum, quod obijcitur: quòd lex in cæremonialibus continet veritatem. Concedendum est, sed distinguendum, quòd duplex est veritas: veritas promissionis, & veritas exhibitionis. In cæremonialium verò obseruantia fuit veritas promissionis: & sic est veritas in figura in gratia Christi, qui per illa figurabatur, & promittebatur: veritas autem exhibitionis complet, euacuando quodammodò veritatem promissionis. Et hoc est quod dicitur in Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Gloss. *Sacrificium, quod de animalibus fiebat, & oblationem, quæ erat de alijs rebus, vt de simila, & thure, & oleo noluisti:* supple, postquàm veritas est exhibita: vt enim venit res, noluit Deus illa legalia, quæ erant quasi verba promittentia: tamdiu est promissor, donec det: vt dedit, mutat verbum; nec dicit dabo, sed dedi. Christo ergo veniente, noluit illa, quæ erant eius figura: vnde in Natali Domini cantatur Missa promissione: *Lux fulgebit,* nec repetitur postea & de promissionis exhibitione scilicet: *Puer natus est,* & illa repetitur; Psalm. 19. Glossa.

tur; ecce verborum mutatio: ibi enim est de futuro promissio; hic de iam nato gratiarum actio.

¶ Ad octauum dicendum, quod illud, *mandatum iustū, sanctum, & bonum*: intelligitur de moralibus præceptis secundùm vnum modum: & quod sequitur, *lex spiritualis est*, de eisdem moralibus, inquantum sunt de lege naturali.

Aug. in li. quæst. no ui & vet. Testam. Vnde Augustinus: *Si Apostolus legem sanctam, & bonam, & spiritualem vocat ad Rom. 7. quomodo dicit, lex iram operatur? & vbi non est lex, nec præuaricatio? ad Rom. 4. Et respondet: quod legem factorum; vt erat quod circunciderentur, quod sabbatum obseruarent, quod discernerent escas, &c.* dicit iram operari: eo quod irato Deo, addita sunt hæc, vt oneri essent perfidiæ Iudæorum: de tantis enim necesse est vt aliquid prætereat. Vnde

Act. 15. Apostolus Petrus: *Quid tentatis iugum imponere super ceruicem discipulorum: quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus.*

Ezech. 20 Et per Ezechielem: *Dedi eis præcepta non bona.* Vt ergo ab hac lege illos tolleret, ait: vbi non est lex, nec præuaricatio, q. d. legem Iudæorum seruantes, necesse est, vt præuaricetis: tanta enim sunt præcepta, quæ impleri impossibile est. Spiritualem autem legem, & sanctam, & bonam, dixit legem naturalem: quæ prohibet peccare, & dux est bonę vitæ: huic addita est lex fidei perfectum hominem facit. Et secundùm hæc prædicta obiectio non facit ad propositum. Secundum alium modum intelligitur de lege Moysi: quod lex spiritualis est, eo quod spiritualiter est intelligenda: sicut dicit ibi Glos. & tunc cùm dicitur: mandatum sanctum, iustum, & bonum, distinguendum: quia iustum & bonum mandatum dicitur duobus modis. Vno modo ex natura eius, quod mandatur; quia secundùm se iustum & bonum est; & hoc modo mandata moralia sunt iusta & bona, non cæremonialia. Alio modo ex ratione & intentione mandātis solum: vt quia mandat aliquid Deus propter aliquod iustum & bonum eliciendum, vel significādum; quod tamen secundùm se indifferens est: quomodo præceptum datum Adæ, de ligno scientiæ boni & mali

Gen. 2. ne comedas, Genes. 2. fuit iustum & bonum: quia datum ad significationem futuræ gratiæ Christi, de quo 1. Cor. 1.

1. Cor. 1. *Qui factus est nobis iustificatio, & sanctificatio, & redemptio* Primo modo dictum mandatum est simpliciter, & secundùm omne tempus iustum & bonum: secundo modo dictum est iustum & bonum ex causa: & ideo ad tempus iustum & bonum: propter quod cessante causa cessare debet effectus.

Aug. vbi suprà. Vnde Augustinus de lege cæremoniarum dicit: *Non fuit ab initio, sed ex causa data ad tempus est: vt adueniente Saluatore, cessaret lex.*

ARTICVLVS II.

Si sacrificia, circuncisio, atque sabbatum cessare debeant?

Quæst. 55 memb. 3. art. 2. § 3. SEQVITVR specialiter inquirere de Sacrificijs, Circuncisione, & Sabbato: nam de suffocato & sanguine suprà quæsitum est. Quæritur ergo primò de sacrificijs legalibus, vtrùm sint facienda? Secundò de Circuncisione, vtrùm debeat cessare? Tertiò, de Sabbato celebrando.

An sacrificia legalia sint modo facienda? §. 1.

¶ Ad primum sic arguitur. Nam omne præceptum, quod est in lege Moysi promulgatum, & in Euāgelio verbo Christi repetitum, seu confirmatum, est semper seruandum. Sed mandatum de sacrificijs est tale: quia in

Matt. 8. mundatione leprosi, Matth. 8. confirmatur à Christo, cùm dixit: *Vade, & ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses*, hoc est sacrificium. Ergo est semper seruandum.

¶ Item, omnis Christi actio nostra est instructio, & in impletionem mādatorum nobis proposita in exemplum. Si ergo in Christo seu pro Christo oblatū est sacrificium,

Luc. 2. Luc. 2. & hoc ipse soluit, vnde dicitur: *Tulerunt illum in Hierusalem, vt darent hostiam*, (secundùm quod dictum est in lege) *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ergo ad exemplum erunt à nobis sacrificia offerenda.

¶ Item, dicit Augustinus: *Manifestum est Deum holocaustis non delectari: sed pro satisfactione peccati gemitu & dolore cordis veniam posse mereri, sacrificium in testimonium peccati voluit; vt se peccator per oblationem sacrificij confiteretur peccasse.* Si ergo oblatio sacrificij erat confessio peccati: cùm tempore gratiæ necessaria sit confessio peccati, non debuit cessare oblatio sacrificij. Augus. in quæst. no ui & vet. Testam.

¶ Item, opponit Marcellinus ad Augustinum: *Cur hic Deus, qui* * *& veteris testamenti Deus esse firmatur, spretis veteribus sacrificijs, delectatus est nouis? Nihil enim potest corrigi, nisi quod aut factum non rectè probatur: vel quod rectè semel factum est, mutari nullatenus debet: rectè enim facta mutari nisi iniustè non possunt.* * al. veteris testamenti.

¶ Contra, probatum est suprà: quòd veritas sacrificij non est in immolatione pecorum, nisi tantùm in signo & figura. Si ergo veritate veniente, debet cessare figura: ergo & sacrificium, veniente Christo. Et hoc est, quod dicit Isid. super principium Leuitici: *Omnis hostiarum diuersitas Christi hostiam præ se ferebat: vnde veritate oblata, cessauit vmbra, verum sacrificium præfigurans.*

¶ Item, veniēte perfectione gratiæ, debet cessare imperfectum sacrificium. Sed talia fuerunt sacrificia animalium, sicut probatur Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c.* eisdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedētes perfectos facere: alioquin cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati. Quasi dicat, si sacrificia illa conferrent salutem, non esset opus iterari: sicut est de medicamento; quod cùm valens est, & salutis efficax: semel impositum, introducit sanitatem: si verò semper apponitur, manifestum indicium est, non contulisse salutem. Similiter in illis sacrificijs: quia prima hostia nihil valebat, ideo secunda offerebatur. Et hæc est intentio Glos. Ex quo relinquitur, quòd debent cessare sicut insufficientia & imperfecta, oblato vero sacrificio. Hebr. 10.

¶ Item, sacrificium offerebatur in propitiationē peccatorum: sed dicit Apostolus, Hebr. 7. quod omnibus manifestum est; quia impossibile est sanguinem hircorum aut taurorum auferre peccata: ergo illa sacrificia pro peccato expiando non erant offerenda. Hebr. 7.

¶ Item, assumens Apostolus auctoritatem Psalm. 39. quam dicit impleri in aduentu Christi, inquit ad Heb. 10. Ingrediens mundum, dicit: *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.* dicens, quia hostias & oblationes noluisti, nec placita sunt tibi; quæ secundùm legem offeruntur, &c. aufert primum (supple sacrificium, & cum eo vetus Testamentum, quod per Moysen datum est) vt sequens statuat: hoc est (sicut dicit Glos.) stabile nouum sacrificium, & cum eo nouum Testamentum ostendat.

RESOLVTIO.

Quoniam ablato signato, abolentur signa: cùm legalia sacrificia sacrificij Christi signa fuerint, abeunte hoc, abeant illa.

¶ Respon. Dicendum, quod sicut dicit Augustinus, iuxta Apostolum ad Hebr. 10. *Oblato summo & vero sacrificio Christi; cuncta sacrificia illud figurantia cessare debuerunt* Vnde dicit Glo. ad Hebr. 10. super illud: *Corpus aptasti mihi. Ablata sunt signa, quia exhibita est veritas.* Aug. 10. de Ciuit. Dei, c. 10. Glo. ord.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcit: quòd auctoritate Christi videtur sacrificium approbatum. Dicendum, quòd approbatum est, non vt post aduentum suum faciendum, sed vt ante aduentum suum à Deo institutum: nam post aduentum suum monstrauit ipse non necessarium esse offerre sacrificium legale, cùm iuxta auctoritatē Oseę dixit: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Oseæ 6.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur: quod pręcepit offerri. Respondet Augustinus: quòd illud præcepit, non quia necessarium, sed quia expediens propter scandalum Iudæorum vitandum. Vnde dixit id Dominus, vt Iudæis, quod de illo opinabantur, auferret: dicebant enim eum esse inimicum traditioni Iudaicæ, iussit, vt leprosus offerret munera, sicut præceptum erat à Moyse, Leuit. 14. & Augus. in quæst. no ui & vet. Testam. Leuit. 14.

subiecit, *in testimonium illis*, hoc est, vt hæc res testis esset contra illos, quia Saluator nõ esset legis inimicus. Factum est itaque quod cessare debuerat: sed quia iam solent superflua non nocere, factum est, vt hoc prodesset illis, qui de ipso malè opinabantur.

¶ AD secundum verò quod obijcitur: quòd omnis Christi actio, nostra est instructio: & actionem Christi appellat, quæ facta est pro Christo, vt oblationes hostiarum. Distinguendum, quòd sunt actiones potestatis, vt miraculorum: & hæc sunt ad instructionem, non imitandi seu faciendi, sed credendi: quædam autem actiones sunt humilitatis. Et hoc dupliciter: nam quædam sunt dispensationis, quædam exempli seu imitationis. Actiones dispensationis sunt, quas in se suscepit Christus ad nostram redẽptionem: & in his est instructio gratitudinis & amoris. Actiones verò exempli sunt, quas Christus operatus ad nostram informationem: vt, opera charitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum, in quibus est instructio imitationis. Dicendum ergo, quòd susceptio actionum legalium in cæremonijs in Christo fuit ordinata ad redemptionem, non ad imitationem, secundùm quod dicit Apostolus: *Factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Gloss. *Factum sub lege, dicit: quia hostia legalis pro illo oblata est, Luc. 2.* Nec mirum, si opera illa legis sustinuit: ex quibus liberaret eos, qui ei seruiliter tenebantur: qui etiam mortem sustinuit, vt ex illa alios liberaret.

Gal. 4. Glossa.

¶ AD tertium dicendum: quòd quamnis oblatio sacrificij esset confessio peccati: tamen deficiebat in duobus. Vnum est, quia non pro quocunque peccato erat sacrificium, vnde Augustinus: *Nunquam pro manifesto delicto sacrificium mandauit, sed pro ignorato: quia etiam cùm nescit homo, peccat: & cùm se putat rectè agere intentione quadam, delinquit: tale peccatum dixit per sacrificium posse purgari.* Aliud est, quia per sacrificium non erat confessio nisi generis peccati: non enim peccati circunstantiæ per sacrificium poterant iudicari: ideo imperfecta est confessio peccati, & diminuta oblatio sacrificij: perfecta aũt est confessio expressione verbi: vnde in illa erit perfectio sacrificij, iuxta illud Oseæ vlt. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Augus. in quæst. noui & vet. testam.

Oseæ vlt.

¶ AD vltimum respondet Augustinus ad Marcellinum: *Non autem (opinor) cùm agricola aliud iusserit æstate, quã iusserat hyeme: ratio mutatur agriculturæ: & cùm mane surgit, qui nocte quiescebat, vitæ consilium non mutauit: aliud magister adolescenti, quàm puero solebat, imposuit.* Doctrina igitur constans mutato præcepto nõ mutat instructionem, &c. Non itaque verum est, quod dicitur: semel rectè factum, nullatenus esse mutandum: mutata quippè temporis causa, quod rectè ante factum fuerat; ita mutari vera ratio plerunque flagitat: vt cùm ipsi dicant rectè non fieri, si mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri nisi mutetur, &c. Aptum fuit primis temporibus sacrificium, quod præceperat Deus: nunc verò non ita est. Aliud enim præcepit, ꝙ huic tempori aptum esset: qui multo magis quàm homo nouit, quid cuiq; tempori accommodatè adhibeatur. Dicendum ergo alijs sacramentis prænunciari Christum, cũ venturus esset; alijs cùm venisset, nunciari oportuisse: sicut modò nos id ipsum loquentes: diuersitas tamen rerum etiam compulit verba mutare. Si quidem aliud est prænũciari, aliud est annunciari: aliud est cùm venturus esset, aliud cùm venisset.

An circuncisio cessare debuerit? §. 2.

¶ QVÆRITVR postea de circuncisione, vtrùm debeat cessare? Ad quod sic obijcitur, Genes. 17. *Erit pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum.* Pactum autem illud appellat circuncisionem: ergo circuncisio est in fœdus æternum, ergo debet seruari in æternum, ergo tempore gratiæ.

Genes. 17.

¶ ITEM, ratio euacuationis signorum est; quia impleta sunt figurata per illa: sed signatum circuncisionis non est adhuc impletum: ergo circuncisio nõ debet euacuari, sed obseruari. Quod autem non sit impletum signatum circuncisionis, patet: quia (sicut dicit Augustinus) figura futuræ resurrectionis generalis, quæ erit in octaua ætate, in circuncisione data est: vt quasi renouatio futura in circuncisione dignosceretur: in illa autem renouatione erit abolitio omnis corruptionis & pœnæ: illud autem signatum nondum venit, nec implendum est nisi in fine mundi: ergo debet manere circuncisio vsque ad finem mundi.

Augus. in quæst. noui & vet. testam.

¶ ITEM, in tempore gratiæ dicebat Apostolus: *Circuncisio quidem prodest, si legem obserues.* Ergo vtilis est cum obseruatione legis tempore gratiæ: ergo debet manere. Rom. 2.

¶ ITEM 1. Ioan. 2. *Qui dicit se in Christo manere; debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* & 1. Petr. 2. *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum:* iuxta quod Gregorius in Dialogis dicit: *Redemptor noster per mortale corpus omne, quod egit, hoc nobis in exemplo præbuit: vt pro nostrarum virium modulo eius vestigia sequentes, inoffenso pede operum præsentis vitæ carpamus viam.* Sed Christus circuncisus est: ergo & nos ad exẽplum eius circuncidi debemus: cùm ipse hoc egerit in corpore mortali: siquidem dicit, quicquid in mortali corpore egit, nobis in exemplo præbuit. Idem.

¶ ITEM, Apostolus tempore gratiæ legitur Timotheũ circuncidisse, Act. 16. ergo exemplo Christi & Apostolico erit circuncisio tempore gratiæ facienda.

¶ CONTRA, Gal. 5. *Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit.* Et Act. 15. de Concilio Apostolorum, vbi super hoc mouebatur quæstio, determinatur: quod circuncisio non est seruanda.

¶ ITEM quæritur: cùm Christus legatur circuncisus & baptizatus: quare non circuncidimur eius exemplo, sicut baptizamur eius exemplo?

¶ ITEM, cùm baptismus sit remedium contra peccatũ: Saluator autem, qui conceptus est de spiritu sancto, non habuit in se aliquod peccatum: ergo nec debuit suscipere remedium contra peccatum: ergo non debuit baptizari, nec etiam circuncidi, cùm ipsa circuncisio in remedium instituta fuerit.

RESOLVTIO.

Circuncisio, quia in promisso Christo data est: vbi ille aduenit; ista cessare debuit.

¶ RESPON. secundùm Augustinum: Circuncisio vsque ad Christum indulta est Abraham. Abraham autem circuncisionem in promisso Christo accepit; vt tamdiu circuncisio curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, qui omnes gentes iustificaret per fidem: sicut fuerat iustificatus Abraham. Itaque debuit circuncidi, vt ipse probaretur esse, qui promissus esset Abrahæ: ita, vt de cæterò circuncisio cessaret, impleta promissione: baptismus autem non debuit cessare: quia forma renascibilitatis est à Christo cœpta; non priùs data, & vsque ad Christum consummata. Aug. vbi suprà.

¶ AD primum ergo, quod obijcitur, quòd circuncisio est in fœdus æternum. Dicendum, quòd fœdus æternum potest intelligi vel quantum ad signum, vel quantum ad rem signatam. Quantum ergo ad signum seu figuram non est circuncisio in fœdus æternum, sed quantum ad rem signatam: vnde dicit Glos. Genes. 17. in fœdus æternum: quia aliquid æternum signabat: & hoc adhuc tenetur & obseruatur à Christiano: signat enim circuncisio abolitionem culpæ, & hoc est per gratiam in præsenti, quæ datur in baptismo, signat etiam abolitionem pœnæ, & hoc est per gloriam in futuro, scilicet in generali resurrectione. Et hoc est, quod dicit Augustinus contra Faustum: *Si quæris, quare non circuncidatur Christianus, si Christus non venerit legem soluere? Respon. ideo nõ circunciditur Christianus: quia id, quod eadem circuncisione præfigurabatur, iam Christus impleuit: expoliatio enim carnalis generationis, quæ illo facto figurabatur: iam Christi resurrectione impleta est, quod in nostra resurrectione futurum sacramento baptismatis commendatur. Nam neq; penitus debuit auferri noua vitæ sacramentum: quia restat adhuc in nobis futura resurrectio mortuorum: & in melius tamẽ, id est succedente baptismo, debuit commutari.*

¶ AD secundum dicendum, quòd signatum circuncisionis dicitur impleri dupliciter: in exemplo seu causa, & in re seu effectu. In exemplo seu in causa signatum circun-

cisionis impletũ est in resurrectione Christi, quæ est causa & exemplum nostræ resurrectionis: in re verò & in effectu nondum completum est, quia non est adhuc nostra resurrectio generalis. Et ideo quia iam completum est in causa, seu in exemplo signum illud, euacuandum est. Et hoc est, quod dicit Augustinus contra Faustum: Quod adhuc promittitur ecclesiæ, id est, corpori Christi, in manifestatione præstatur in Christo capite corporis saluatore, id est in mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu iam vtique completum est: quid enim promittitur nisi vita æterna in resurrectione à mortuis? hoc iam impletum est in illa carne, quæ verbum factũ est: & ita quod fidelibus promittitur iudicio, iam completum est in exemplo.

¶ Ad tertium dicendum, secundùm quod dicit ibi Glos. quòd loquitur ibi Apostolus secundùm statum legis veteris, in quo statu profuit circuncisio: sed non profuit ad salutem sine spirituali obseruantia legis, & ideo dicit: Rom. 2. circuncisio prodest, si legem obserues; si autem præuaricator sis legis; circuncisio tua præputium facta est, tempore autẽ gratiæ, postquam veritas exhibita est, non modo non Galat. 5. prodest, sed etiam obest, vnde infra ad Gal. 5. dicit: *Si circũcidimini, Christus vobis nihil proderit.*

¶ Ad quartum patet responsio ex præcedenti capitulo ad Galat. nam Christus non suscepit circuncisionem ad exemplum imitationis, sed per dispensationem ad fidem redemptionis: vt monstraretur ille esse, qui fuerat promissus Abrahæ. Vnde Ambrosius super illud Galat. 4. Factum sub lege, dicit: *Saluator fieri debebat sub lege: vt circuncisus, appareat filius Abrahæ, cui promissus erat: signum habens eius, cui promissus fuerat: in quo impleta erat circuncisio, & ideo signum iam cessat.*

Augus. in quæst. noui & vet. testam. ¶ Ad quintum dicendum secundùm Augustinum: Paulus, cùm prædicaret iam oportere circuncidi; tamen ipse Timotheum circuncidit, propter scandalum Iudæorum: maluit enim rem superfluam facere; quàm imperitis, ex quibus aliqui possunt saluari, scandalo esse. Sicut & ipse Saluator iussit, vt leprosus offerret munera pro emundatione sua, sicut præceptum erat à Moyse, vnde subiecit: Matt. 8. *in testimonium illis*, id est, vt hæc res testis esset contra illos, quòd Saluator non esset legis inimicus.

¶ Ad illud autem, quod quæritur: quare non circuncidimur exemplo Christi, sicut baptizamur. Patet respon-Idem August. in iisdem, & Ambros. sio ex prædictis; quia (sicut dicit Augustinus, & Ambros.) circuncisio fuit ad probationem, quòd ipse esset, qui promissus esset Abrahæ, ita vt de cæterò circuncisio cessaret, impleta promissione: Baptismus verò erat in formam imitationis: vnde (sicut dicit idem Augustinus) dignum erat, Idẽ Aug. in eodem lib. vt ipse exemplo esset futuris filijs Dei: & qui per baptismũ filios Dei fieri docebat, debuit in se hoc visibiliter demõstrare.

Idem in iisdẽ quæstionib. ¶ Ad vltimum verò obiectum, quòd baptismus est in remedium contra peccatum. Respondet Augustinus: *Baptizatus est Saluator, non vtique propter peccatum: sed propter iustitiam implendam, hominis causam in se suscipiens, & per regenerationem filios Dei fieri docens, baptizari debuit, vt in se hoc ostenderet ratum: facilè enim probatur, quod dicitur; si videatur fieri à magistro.*

An & sabbatum cessare debuit? §. 3.

Exod. 31. ¶ Postea quæritur de cessatione sabbati. Ad quod arguunt ex auctoritate Exod. 31. Custodiant filij Israël, &c. & subdit: *Pactum est sempiternum inter me, & filios Israël, signumq́; perpetuum.* Sed si pactum est sempiternum, sempiternè manet illud, quod pepigit Deus cum filijs Israël: sed nõ pepigit nisi obseruantiam sabbati; ergo obseruãtia sabbati sempiterna est.

¶ Item, si est signum perpetuum: perpetuò significat, & si perpetuò signat, perpetuò est: ergo custodia sabbati perpetua erit.

Leuit. 21. ¶ Item Leuit. 21. dicitur de sabbato: *Omne opus seruile non facietis in eo, legitimum sempiternum erit.* Ergo lex sabbati lex sempiterna est, ergo semper seruanda.

Ezech. 20 ¶ Item, Ezech. 20. *Sabbata mea dedi eis, vt esset signum inter me & eos: & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.* Et se-Ibidem. quitur: *Sabbata mea sanctificate, vt sit signum inter me & vos: vt sciatis quia ego Dominus Deus vester.* Ex hoc arguunt: si aliquid est signum alicuius signati habẽtis semper eandem necessitatem & vtilitatem vt signetur; huius signi euacuatio nunquam erit vtilis, sed damnosa: sed signatio sabbati est talis; signat enim (sicut dicit propheta Ezechiel) apud intellectum, vt sciatur quod Dominus ipse sit Deus: hoc autem scire semper & perpetuò est vtile & necessarium: ergo euacuatio sabbati nunquam erit vtilis: semper igitur est seruandum.

¶ Item, quod magis & ampliùs in lege diuinorum p̃ceptorum seruandum præcipitur; erit ampliùs obseruandum. Sed tale est præceptum de sabbato: nam & ante legem præceptum est Exod. 16. & in lege præceptorum moralium Exod. 20. & in lege præceptorũ iudicialium, Exodi 23. *Sex diebus operaberis, & septima die cessabis, &c.* & in lege præceptorum figuralium, Exod. 21. *Videte, vt sabbatum meũ custodiatis, quia signum est.* Item in repetitione legis post cõfractionem tabularum, Exod. 35. *Sex diebus facietis opus: septimus erit vobis sanctus.* Item in lege Leuit. 19. *Sabbata mea custodite:* & cap. 23. *Dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus.* Item, in lege præuaricator sabbati punitur morte, Numer. 15. vbi legitur, quomodo colligens ligna in sabbato punitur morte. Item in lege Deut. 5. repetitur. Item præ cæteris exprimitur obseruandum in prophetia Ezech. 20. *In præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite: & sabbata mea sanctificate.* Ex hoc igitur arguunt: si nullum de præceptis diuinæ legis inuenitur cum tanta frequentia repetitum: nullum præceptum legis ampliùs quàm sabbatum est custodiendum. Si ergo præcepta moralia semper sunt seruãda, & istud similiter: cùm etiam inter moralia numeretur, & maiori auctoritate obseruandum iubeatur.

¶ Item, Saluator cum Iudæis de sabbato disputans, Matth. 12. non dixit, Sabbatum tempore gratiæ non esse Matt. 12. seruandum: sed quod necessitate possit sine offensa violari. Cùm ergo non retractetur à Christo, semper erit seruandum.

¶ Item quæritur: cùm illud, quod est institutum diuina auctoritate, non possit mutari nisi diuina auctoritate: qua autoritate diuina euacuata sunt & sacrificia, & circuncisio, & sabbata, & alia in obseruantijs legalium immunditiarum. Si ergo diuina auctoritate non sunt interdicta, semper erunt seruanda. Quæritur ergo in quo loco Euangelij ista sunt retractata?

¶ Item, tempore gratiæ obseruatur tempus Paschæ, & tempus Penthecostes: sed istæ erant solemnitates legales, Exod. 23. & Leuit. 23. ergo pari ratione & aliæ solemni-Exod. 23. tates legales: ergo & sabbatum, & scenophegia, & alia: Leuit. 23. maximè cùm sint vacationis gratia, quæ est ad Deum instituta.

¶ Contra, ad Galat. 4. *Cùm cognoueritis Deum: quo-Galat. 4. modo conuertimini iterum ad infirma elementa mundi?* Et subdit: *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Glos. *Iam obseruatis dies Iudaici ritus, vt sabbata, &c. menses obseruatis, vt Neomenias, &c. tempora, putantes implere diuinum præceptum.* Exod. 23. *Tribus vicibus anni mihi festa celebrabitis, &c. annos, septimum annum, & quinquagesimum*, Leuit. 25. Ex quo relinquitur, quòd nec sabbata, nec cætera legis festa vllatenus sunt obseruanda.

RESOLVTIO.

Sabbatum pro determinatione septimæ diei, quia vt huiusmodi figurale fuit, cessare debuit, & cessauit. Pro sanctificatione autem, quia vt tale morale fuit, nec cessare debuit, nec cessauit.

¶ Responsio. In sabbato duo fuerunt, scilicet determinatio diei talis septimæ; & hoc fuit figurale, & figura rei, qua adueniente, debuit cessare sabbatum: fuit enim figura quietis nostræ, quam habemus in præsenti per gratiam Christi, & per gloriam in futuro: & ita non debuit obseruari quantum ad determinationem diei septimæ.

¶ Item, in sabbato fuit sanctificatio, & quantum ad

hoc fuit morale: & adhuc obseruatur, vt ostensum est supra Quæstione de tertio præcepto Decalogi, *Memento quod diem sabbati sanctifices.* Et hoc est, quod dicit Augustinus contra Faustum: *Cum quæris, sabbati otium quare non obseruat Christianus? Respondeo: id propterea non obseruat Christianus: quia quod ea figura præfigurabatur, iam Christus impleuit*: in illo (Matt. 11.) quippè habemus sabbatum, qui dixit Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Vnde nota, quòd in sabbato figurabatur quies per gratiam in Christo; & quies æterna: cuius spes, nobis reuelata est: & ideo non manet nisi ad legendum solum, & non ad obseruandum. Et hoc est quod dicit Augustinus contra eundem: Cessationem sabbatorum iam quidem superuacuam ducimus ad obseruandum, ex quo spes reuelata est nostræ quietis æternæ: non tamen superuacuam ad legendum, & intelligendum.

¶ Ad primum ergo & secundum dicendum: quòd in Scriptura æternum, seu sempiternum, accipitur multipliciter: propriè, communiter, secundùm quid, per accidens, metaphoricè. Propriè tribus modis, minùs propriè, magis propriè, & propriissimè. Propriissimè igitur, cuius non est principium, nec finis durationis & stabilitatis: & hoc modo dicitur Deus æternus tantùm: & in hoc sensu dicitur (Daniel 7. Eccles. 18) Daniel. 7. *Potestas eius potestas æterna.* Et Eccles. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Minùs propriè, quod habet principium, sed non finem duratione; quamuis finem habeat quodammodò habeat in stabilitate; quia mutatur: quomodo dicitur pœna æterna, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Magis propriè, quod habet principiùm, sed non finem in duratione vel stabilitate: quomodo dicitur vita æterna, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum.* Communiter verò extenso vocabulo accipitur, æternum, vt dicatur æternum, cuius finis non constituitur in humana acceptione. Et hoc tripliciter: primò dicitur æternum, cuius finis non constituitur in cognitione, Deuter. (Deut. 29.) 29. *Abscondita à Domino Deo nostro manifesta sunt nobis & filijs nostris vsque in æternum.* Secundo modo, cuius finis non constituitur in affectione, secundùm quem modum 3. (Reg. 1.) Regum 1. dixit Bersabee ad Dauid: *Viuit Dominus meus Rex in æternum.* Tertio modo, cuius finis non constituitur in recordatione, Iosue 4. de lapidibus extractis ex alueo Iordanis: *Idcirco positi sunt isti lapides in monimentum filijs Israël in æternum.* Secundùm quid autem accipitur æternum, vt dicatur æternum, cuius finis non determinatur in duratione. Et hoc tripliciter: dicitur enim æternum conditione, Psalm. 88. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo: & sicut luna perfecta in æternum.* dicitur de Dauid: cui non determinatur finis regni in successoribus Dauid, si seruassent mandata Dei. Dicitur etiam æternum iure, Iosue 14. *Iurauit Moyses Caleph, terram, quã calcauerit pes tuus, erit possessio tua & filiorum tuorum in æternum*: quia non determinabatur finis in iure possidendi.

¶ Item, dicitur æternum signatione: quomodo dici- (Exod. 31.) tur de sabbato, Exod. 31. *Pactum est sempiternum, signumq́; (Genes. 17.) perpetuum.* Et Genes. 17. dicitur de circuncisione ad Abraham: *Statuam pactum meum inter me & te fœdere sempiterno.* Gloss. *quia figurabat æternum.* Per accidens postea dicitur æternum, quod per aliud nominatur æternum, & hoc tripliciter: Ratione, secundùm quod dicitur tempus æternum: quia ratio temporis in diuina dispositione æter- (Baruch 3.) na est, Baruch. 3. *Præparauit terram in tempore æterno* Promissione, secundùm quem modum dicitur pactum æternum, in quo est sponsio boni æterni, 2. Regum 23. dicit Dauid: *Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus. &c.* Ductione, & secundùm hoc sacramentum circuncisionis pro statu suo ducebatur in fœdus æternum. Vnde Genes. 17. *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Glossa: *quoniam ad æternitatem ducit.* Vltimò, metaphoricè dicitur æternum tripliciter: (Psal. 124) Stabilitate, Psalm. 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Diuturnitate, & sic quod est diuturnæ permanentiæ, dicitur æternum, Deuter. 33. *De pomis collium æternorum.* In- (Exod. 22) uiolabilitate, Exod. 22. *Custodi verbum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque in æternum.* Per hanc distinctionem patet responsio ad primum: quia sabbatum dicitur pactum sempiternum figuratione: quia scilicet figurabat æternã quietem, vt dictum est: vnde ad determinationẽ subdit, quod signum est perpetuum.

¶ Ad secundum verò, quod obijcit: quia si signum perpetuum est, perpetuò erit obseruandum. Respon. est, quod sabbatum dicitur signum perpetuum, vel ratione perpetui signati, quod est quies æterna: vel ratione perpetui signi, quod est duobus modis. Est enim signum in facto, & signum in verbo: signum in verbo est ad auditum: in facto ad aspectum. Item, signum in opere, signum in lectione. Dicendum ergo, quod sabbatum perpetuum signum est, non in obseruantia operis, sed ratione verbi, seu lectionis. Vnde Augustinus contra Faustum: *Vacationem iam superuacuam ducimus ad obseruandum, ex quo reuelata est spes nostra quietis æterna: non tamen ad legendum.*

¶ Ad tertium quod obijcit: quod dicitur legitimum sempiternum. Dicendum, quod sempiternum, accipitur metaphoricè pro inuiolabili. Legitimum ergo sempiternum dicitur inuiolabile mandatum, quod non licebat prætermitti tempore legis.

¶. Ad quartum dicendum, quod signi vtilitas manet. Notandum tamen secundùm Hieronymum, super illud Galat. 3. *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* (Galat. 3.) Bipartita sunt opera legis: nam partim in sacramentis, partim in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent circuncisio, sabbatum, neomeniæ, sacrificia, & huiusmodi obseruantiæ. Ad mores autem, Non occides: Non mœchaberis. (Exod. 20. Deut 5.) Secundùm hoc ergo dicendum: quod in moribus vtilitas est in custodiendo: in sacramentis verò vtilitas est in intelligendo: quia (sicut dicit Hieronymus) si non intelligantur, & si obseruentur; sola in illis seruitus est: qualis erat in populo Iudęorum quò ad rudes. Si verò obseruentur & intelligantur; prosunt, si tempori congruunt: sicut à Moyse & prophetis obseruata sunt. Si verò intelligantur, & non obseruantur: similiter prosunt si tempori nõ congruunt: & tunc vtilitas illorum est in contemplatione, non in executione. Non congruit autem obseruantia tempori gratiæ: quia cum causa promissionis Christi instituta sint: si seruarentur, viderentur adhuc promittere. Cessare ergo debent, sicut dicit beatus Augustinus, quantum ad obseruantiam, vt appareant signa iam futuri Christi fuisse: vtilitas verò contemplationis semper eadem est.

¶ Ad quintum dicendum, quòd si præceptum de sabbato ita frequenter in lege diuina iteratum est: hoc non est ratione literalis obseruantiæ mandati, sed ratione causæ mandati. Causa autem sabbati (sicut dicit Ioannes Da- (Damasc.) mascenus) fuit vacatio, quæ est ad Deum: vt ille carnalis populus & terrenis cupiditatibus implicatus: particulam vitæ tribueret vacationi & venerationi diuinæ. Quia verò ille populus duræ ceruicis difficillimus erat, vt abstraheretur à terrenis, & conuerteretur ad cœlestia & diuina: inde est, quod determinata dies vacationis, scilicet, septima repetebatur eis frequenter in iussione: & transgressio puniebatur cum magna districtione & seueritate. Spirituali verò populo tempore gratiæ totum tempus vitæ indicitur venerationi diuinæ: & ideo determinatio temporis vacationis & venerationis diuinæ, videlicet sabbatum euacuari debuit tempore gratiæ. Festiui verò dies, vt Dominica à Christianis seruantur (sicut dictum est suprà Quæstione de præcepto Sabbati) alia ratione.

¶ Ad aliud dicendum: quod obseruantiam Sabbati literalem retractauit Saluator, secundùm quod dicit Augustinus: (August. in quæst. noui & vet. Testam.) Saluator sabbatis operans, Ioannis 9. & infirmos sabbatis lectum portare præcipiens, Ioannis 5. secundùm sensum Iudæorum sabbatum soluebat: non tamen sabbatum soluebat, quia iam sabbati tempus cessabat.

¶ Ad aliud dicendum, quod obseruatio immunditiarum quantum ad tactum retractata est à Christo, quando

tetigit

tetigit leprosum. Matth. 8. Et quando tetigit mortuum. Mat. 9. Obseruantia verò immūditiarum quantum ad gustum retractata est quando dixit: *Non quod intrat os, coinquinat hominem*, &c. Item, obseruantia sacrificiorum retractata est à Christo cum dixit: *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Et, *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate*. Et ibidem: *Venit hora, quando neq; Hierosolymis adorabitis*, &c. In quo retractat ritum cæremonialium cultus templi. Item, retractatio circumcisionis est in institutione baptismi: & primò quò ad necessitatem. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non intrabit in regnum cælorum*. Secundò quò ad vtilitatem. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*.

Matt. 19. Matth. 9. Ioan. 4. Ibidem. Ioan. 3. Marci vl.

¶ Ad vltimum, quod quæritur de obseruantia Paschæ & Pentecostes. Dicendum, quòd non obseruantur ea ratione, qua seruabantur in lege. In lege enim seruabantur in figuram futuri: nunc verò seruantur in rememorationem & repræsentationem præteriti. Pascha in memoriam dominicæ resurrectionis. Pentecostes in memoriam Spiritussancti missionis.

ARTICVLVS III.

An obseruantia legalium tempore nascentis Ecclesiæ indifferens fuerit.

Consequenter quæritur? Vtrùm obseruantia legalium fuerit indifferens tempore gratiæ? quod est quærere de tempore cessationis legalium. Ad quod obijcitur? *Si mortuus fuerit vir, vxor liberata est à lege viri*. Et intendit Apost. Ostendere per illud exemplū, quòd tempore gratiæ sumus liberi à tentione legis quantùm ad legalia. Ex quo arguitur: si obseruantia legalium ante legislationem erat indifferens; sed postquam data est Lex, facta est debita: Ergo soluto legis debito, erit indifferēs: ergo possunt legalia, sicut circumcisio, & cætera obseruari sine peccato tempore gratiæ. (Rom. 7.)

¶ Item. Paulus post passionem Christi & etiam ascensionem obseruauit circumcisionem. *Assumens Timotheum, circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis*. Sed constat, quòd non circumcidisset, si illicitum esset. (Actuū 16.)

¶ Item, dicit August. Quòd circumcidendo Timotheum, maluit rem superfluam facere, quàm infirmis credentibus scandalo esse. Ergo circumcidere post ascensionem Domini indifferens est. Nec est contra veritatem vitæ: cùm propter scandalum vitandum non sit contra veritatem vitæ aliquid faciendum. (August. in quæst. no. & vet. testam.)

¶ Item, coniicitur quod idem Paulus secundùm ritum Nazaræorum in Cēchreis caput totonderat. Item. Act. 21. in Hierusalem consilio Iacobi purificatus secundùm legem, & templum intrauit; & hostiam obtulit. Ex quibus relinquitur, quòd obseruantia legalium indifferens est tempore gratiæ.

¶ Contra: dicit Apostolus. *Cùm cognoueritis Deum, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis*: Gloss. Hieronym. *Ideo hoc dicit, quia legis obseruantia, cui dediti tunc: erat peccatum penè par seruituti idolorum, cui ante conuersionem seruierunt*. (Denuo) autem dicit, *vt ostendat, quòd non distat modo Lex post Christum ab antiqua idololatria*. (Galat. 4. Glossa.)

¶ Item, ad Gal. 2. Cùm Petrus venisset Antiochiam, in facie ei restiti: quia reprehensibilis erat: prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cùm gentibus edebat: cùm aūt venissent, subtrahebat se ab illis, timens eos, qui erant ex circumcisione. Ergo reprehensibilis erat Petrus ex discretione ciborum secundùm *legem quam fecit venientibus Iudæis: sed non est reprehensibilitas nisi ex culpa: culpa igitur erat Petri discernere cibos secundùm legem. (*Aliàs, legem ciborum.)

¶ Item, ibidem dicitur: *Cùm vidissem Petrum non rectè ambulantem ad veritatem Euangelij: dixi ei coram omnibus: si tu Iudæus cùm sis gentiliter viuis, & non Iudaicè; quomodo cogis gentes iudaizare*: Ergo contra veritatem Euangelij est iudaizatio: hoc est obseruantia legalium post passionem Christi. (Ibidem.)

¶ Item, *Si circumcidimini, Christus nihil proderit vobis*. (Galat. 5.)

¶ Si dicatur (secundùm quòd dicit Aug.) Quòd Petrus non errauit in eò, quod eis, qui è Iudæis crediderunt, putauerit legem esse seruandam: sed in eo à recta linea deuiauit, quòd gentes coëgerit iudaizare, non docentis imperio, sed conuersationis exemplo; vnde secundùm hoc his, qui erāt de Iudæis, erant indifferentia legalia: his verò, qui erant ex gentibus, erant noxia: & ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui erat de matre Iudæa. Act. 16. non circumcidit aūt Titum, qui erat de gentili. Gal. 2. secundùm hoc etiam est Petrus iustè reprehensus: quia dabat exemplū credentibus de gentibus iudaizandi. Contra obijcit Hier. Multipliciter primò sic: *Si post Euangeliū benefacit, qui legalia seruat; in Cherinti & Ebionis hæresin dilabimur: qui propter hoc solùm à patribus anathematizati sunt, quia legis cæremonias Christi Euangelio miscuerunt*. (August. in Epist. ad Hieron. Hieron. in Epist. ad August.)

¶ Item, idem Hier. *Dicis, cæremonias non esse perniciosas his, qui eas velint, sicut à parentibus acceperint, custodire. Ego autem è contrariò pronuncio omnibus esse mortiferas, siue ex Iudæis siue ex gentibus: finis enim Christus est ad iustitiam omni credenti*: ad Roman. 10. (Idem.)

¶ Item, idem Hier. Hiere. 31. *Consummabo Testamentum nouum super domum Israël. Non dicit populo gentium, sed Iudæis: vt non in vetustate literæ seruiant, sed in nouitate spiritus*: ad Roman. 7. (Idē Hieron. Ieiem. 31.)

¶ Rursus. Omnibus dicitur: *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem*. Ergo veniente Christo, obseruantia legalium retractatur. (Matth. 11.)

¶ Item, *Si legalia salutem non afferunt post passionem Christi, cur obseruantur? si autem obseruanda sunt, vtiq; salutem afferunt: Non enim obseruarentur, nisi afferrent salutem: Neq; indifferentia sunt inter bonum & malum; sicut philosophi disputant; bonum est continentia, malum est luxuria: inter vtrumq; indifferens, ambulare, & digerere: Obseruare autem cæremonias non potest esse indifferens: sed aut malum est, aut bonum: Tu dicis bonum: Ego assero malum, non solùm his qui ex gentibus, sed etiam his qui ex populo iudaico crediderunt*. (Idē Hier.)

¶ Et iterum idem Hier. *O beate Paule, qui in Petro reprehenderas simulationem, quare se subtraxisset à gentibus propter metum Iudæorum: cur Timotheum contra sententiam tuam circumcidere coegeris? Respondebis mihi propter Iudæos, qui in illis locis erant: qui igitur tibi ignoscis in circumcisione discipuli venientis ex gentibus: ignosce & Petro præcessori tuo, quòd aliqua fecerit propter metum fidelium Iudæorum*. (Idem.)

¶ Item, idem Hieron. *Didicimus, quòd propter metum Iudæorum Petrus*. Galat. 2. *Et Paulus*. Act. 16. & 21. *Æqualiter finxerint legis præcepta seruare: qua igitur fronte, qua audacia potest id Paulus in altero reprehendere, quòd ipse commisit?* (Idem.)

¶ Rursus. *Dicis (Augustine) Paulus simulauit se Iudæum, vt illos lucrifaceret: Cur non etiam sacrificauit cū gentibus: quia & in his, qui sine lege, tanquàm sine lege esset, factus est: vt eos quoq; lucrifaceret: nisi quia id fecit vt natura Iudæus: Benè defendis Paulum, quòd non simulauerit errorem Iudæorum: sed quod fuerit verè in errore. Noua clementia Apostoli, dum Iudæos Christianos vult facere; ipse Iudæus factus est: Non enim poterat luxuriosos ad frugalitatem reducere, nisi se luxuriosum probasset. Quod est inconueniens*. (Idē Hieron ad eundem August.)

¶ Si verò dicatur, sicut dicit Hier. super illud: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*: quòd legalia post Christi passionem sunt mortifera, nisi dispensatoriè custodiantur: & vterq; & Petrus & Paulus sensit legem non esse tenendam: & quia in omni gente quicunq; timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Act. 10. vterq; verò cauta simulatione dispensat, Petrus subtractionem, Paulus reprehensionem, ad Gal. 2. Paulus in Petro hoc reprehendere non potuit, quòd ipse fecit: Nec arguere simulationem, cuius & ipse reus erat. Fuit ergo reprehensio non vera, sed dispensatoria. Contra, dicit August. *Si vera est, quòd Petrus non fuit reprehensibilis, nec Pauli reprehensio vera; mentitus est Paulus. Si enim hoc fecit Petrus, quòd facere debuit: mentitur Paulus, qui dicit, quòd eum viderit non rectè ambulantem ad veritatem Euangelij: quisquis enim facit, quòd facere debet, rectè vtiq; facit: & ideo de illo falsum dicit, qui dicit non rectum fecisse, quòd nouit eum facere debuisse. Si autem verùm scripsit Paulus: verùm est Petrum non rectè ambulasse ad Euangelij veritatem*. (Galat. 5. August. in Epist. ad Hieron.)

Idem.

¶ ITEM, isdem. *Si ad scripturas sanctas admissa fuerint officiosa mendacia: quid in eis remanebit auctoritatis? Cùm enim contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officiosum mendacium reputabitur. Sed illud sequitur, si dicatur Petrus non verè reprehensibilis fuisse: cùm Paulus scribat ipsum non rectè ambulasse & quòd restitit ei, quia reprehensibilis erat.*

Idem.

¶ ET iterum: *Quòd obijcis non esse medium inter bonum & malum: & quòd legis cæremonias obseruare, non potest esse indifferens: cur non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona; quia non in eis iustificamur; vmbra enim sunt prænunciantes gratiam, qua iustificamur: nec tamen mala, quia diuinitus præcepta sunt, temporibus personisq; congruentia? cùm me adiuuet prophetica sententia, qua dicit Deus, se illi populo dedisse præcepta non bona: Non dicit mala, vt monstret indifferentia.*

Idem.

¶ RVRSVS. *Quod obijcis, quòd Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem,* &c. *Huiusmodi non probat quod dicis. Non enim arbitror ipsum Dominum fallaciter à parentibus circumcisum.* Lucæ 2. *Nec eum dixisse fallaciter leproso.* Matth. 8. *Vade & ostende te sacerdotibus: & offer pro te sacrificium.* Ergo sicut veraciter fuit Christus circumcisus, & veraciter ex præcepto Domini obtulit leprosus sacrificium legis: verè fuerunt legalia obseruata ab Apostolo.

Idem August. ad eundem Hieron.

¶ ITEM, idem. *Sicut libera voce pronuncias cæremonias mortiferas tam his, qui ex Iudæis, quàm his, qui ex gentibus: ita pro tempore hoc vocem tuam omnino affirmo, & addo: quicunq; eas seruauerit, non solùm veraciter, sed etiam simulatè, eum in baratrum Diaboli deuolutum: sed sicut simulationem Apostolorum ab huius temporis ratione secernis: ita ego Pauli veracem conuersationem ab huius temporis, quamuis non simulata cæremoniarum obseruatione secerno; quoniam tunc fuit approbanda, nunc detestanda.*

Idem ad eundem.

¶ ITEM, idem. *Sacramenta Iudæorum non sic fuerunt ab obseruantia auferenda, vt tanquam detestanda & similia idololatriæ viderentur: sed si à consuetudine Iudæorum, quibus auctoritate diuina erant imposita, statim post passionem sicut mortifera tollerentur: viderentur fuisse detestanda & damnanda:* non igitur statim auferri debuerunt à consuetudine Iudæorũ. Quòd videtur expressè ex consilio Apostolorum in verbis B. Iacobi ad Paulum.

Actuũ 21.

Idẽ Aug. ad eundẽ Hieron.

¶ ITEM, idem. *Fateor in hoc, quòd Epistola mea continet, videlicet, sacramenta Iudæorum à Paulo suscepta; vt doceret ea non esse perniciosa his, qui sicut à parentibus acceperant, per legem vellent ea custodire: Minus me posuisse, illo dumtaxat tempore, quo primùm fidei gratia reuelata est; tunc enim hoc non erat eis perniciosum: progressu verò temporis ab omnibus Christianis illæ obseruationes desererentur.*

Idem ad eundem.

¶ ITEM, idem. *Si tunc desererentur, non discernerentur, quòd Dominus populo suo per Moysen præcepit, ab eo quod in templis dæmoniorum spiritus immundus instituit: quod est maximum inconueniens.* Relinquitur igitur, quòd non erant continuò, sed paulatim, manifestata prædicatione gratiæ, deserenda.

Idem ad eundem. Galat. 5.

¶ ITEM, idem ad eundem. Ait Apost. *Si circumcidimini, Christus vobis non proderit: decepit ergo Timotheum, & fecit nihil sibi profuisse Christum. An quia hoc literaliter factum est, ideo non obfuit? At ipse hoc non posuit, nec ait. Si circumcidimini veraciter, sicut nec fallaciter, sed simpliciter dixit. Si circumcidimini,* &c. Si ergo non est ibi subintelligendum; *si circumcidimini fallaciter.* Ergo nec dicendum erit Paulum fallaciter circumcidisse Timotheum, vel Apostolos legalia seruasse.

Idẽ Aug. ad eundẽ Hieron.

¶ ITEM, idem. *Cùm venisset fides, quæ illis obseruationibus prænunciata est, & post mortem & resurrectionem Domini reuelata, obseruantiæ illæ tanquam vitam sui officij amiserunt. Ergo sicut defuncta corpora amicorum deducenda erant cùm honore ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè: Non autem continuò deserenda. Proinde verò quisquis Christianorum, siue ex Iudæis nunc eas voluerit celebrare, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturæ violator.*

Idem ad eundem.

¶ ITEM, idem ad eundem. *Quod obijcis, quòd Paulus in Petro reprehendere non potuit, quòd ipse fecit. Credo Paulum non ita egisse, quando Timotheum circumcidit.* Actuum 16. *Vel Cenchris votum persoluit.* Actuum 18. *Vel Hierosolymis à Iacobo monitus, legalia illa suscepit.* Actuum 21. *Vt putare videretur, per illa legalia salutem dari: sed ne illa, quæ in vmbris futurorum Deus fieri iusserat, tanquam idololatriam gentium damnare videretur: Hoc enim est, quòd illi Iacobus ait.* Act. 21. *Vides* (inquit) *frater quot milia sunt in Iudæa,* &c.

Ibidem.

Idem ad eundem Epist. 11.

¶ ITEM, idem. *Si obijcias Paulum aliquando simulationem fecisse: quia dicit: factus sum Iudæis tanquam Iudæus. Non à me docendus es, quomodo intelligatur: factus est enim tanquam Iudæus compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ: fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto; non cùm febres se habere mentitur, sed cùm animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi seruiri vellet, si ipse ægrotaret.* Ex his igitur relinquit August. Legalia pro tempore, in quo primò fidei gratia reuelata est; indifferentia illis esse, qui ex Iudæis; dummodo non constituerent in eis spem salutis: & vera legalia ab Apostolis fuisse seruata: & Petrum verè reprehensibilem: Paulum verò non reprehendendum.

RESOLVTIO.

Legalium obseruantiam tempore nascentis Ecclesiæ, ad diuersa respicientes, indifferentem fuisse constanter asserere poterimus: quinimò Augustinum atq; Hieronymi circa hoc ex aduerso disceptantes facillimè hoc modo conciliabimus adinuicem.

Hieron. in Epistola ad August.

¶ RESP. Dicendum: ad diuersa respicientes circa istũ. Articulum aliquando diuersa sensisse, non tamen contraria: cùm dicat Hier. *Non multum interest inter meam & tuam sententiam: quia ego dico & Petrum & Paulum timore fideliũ Iudæorum legis exercuisse, imò simulasse mandata: tu autem asseris hoc eos fecisse clementer, non mentientis astu, sed compatientis affectu.*

Matth. 11.

Idẽ Hieron.

August.

¶ DICENDVM igitur; quod B. Hier. ponderans verba Domini. *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem,* inclusiuè, hoc est, ministerio Ioannis completo, intelligit legalia terractata: & ideo post passionem Christi omnibus interdicta, siue in eis ponatur spes salutis, siue non. Præterea, sicut ipsemet dicit in Epistola ad August. *Didiscimus, quòd propter metum Iudæorum Petrus & Paulus æqualiter finxerint se legis præcepta æqualiter seruare: qua ergo fronte Paulus reprehendat in altero, quòd ipse commisit? Ego, imò alij ante me exposuerunt causam, quàm putauerunt, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis: sed docentes honestam dispensationem: vt & Apostolorum prudentiam coërcerent: qui Paulum dixit exarsisse in inuidiam virtutum Petri: & Petrum & Paulum inter se puerili pugnasse certamine.* August. Verò respiciens ad consilium Apostolorum, & ad verba Iacobi. Actuum 15. & 21. In quibus videtur ab Apostolis concessum fidelibus, qui de Iudæis erant, legalia obseruari: Non tamen his, qui de gentibus imponenda; ne fide scandalizarentur: distinguit tempora, personas, affectum. Tempora duo; primum, cùm cœpit gratia fidei reuelari: secundum, cùm reuelata est. Item, personas fidelium dupliciter: qui de Iudæis, & qui de gentibus. Item affectum illius; qui in legalibus constituit spem salutis; & & illius, qui non constituit spem salutis: sed seruat illa ex causa, vel propter vitandum scandalum proximi, vel quia instituta auctoritate Dei. Secundùm hoc ergo dicit Augustinus in Epistola ad Hieronym. Quòd cum dicit Apostolus: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit:* illos arguit, qui se iustificari in lege credebant; non qui legitima illa in eius honore, à quo mandata sunt, obseruabant: quæ gratiæ reuelatione latiùs innotescente, necesse fuerat aboleri: non tamen ideo fuerant tanquam diabolica gentium fugienda sacrificia: etiam cùm ipsa gratia iam inceperat reuelari, quæ vmbris talibus fuerat prænunciata: sed permittenda paululum eis: maximè qui ex illo populo, cui data sunt, venerant: Postea verò tanquam cùm honore sepulta, sunt à Christianis omnibus irreparabiliter deserenda.

Idem. Galat. 5.

¶ AD ea verò, in quibus videntur dissentire: quia quod vnus dicit malum, alius dicit non malum. Non est contrarietas: quia iste dicit malum, quia interdictũ & prohibitum:

tum:

tum:ille verò non malum; quia quantùm est de se, non est malum, nec bonum.

¶ ITEM ad illud, in quo videntur contradicere: quia iste dicit seruanda: ille dicit non seruanda. Dicendum, quod iste dicit non seruãda, quia prohibita & interdicta à Christo: ille verò adhuc seruanda propter vtilitatem: vel scandalum vitandum pro tempore; in quo non erant interdicta, non enim dicit interdicta legalia, nisi post gratiam fidei reuelatam: vnde illud. *Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem:* ostendit legalia esse mortua: hoc est, saluti non necessaria: non tamen mortifera, quousq; reuelata gratia, sunt penitus interdicta ab Apostolo. *Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit.* (Matth. 11. / Galat. 5.)

¶ PRÆTEREA, ad aliud in quo sibi videntur contradicere de simulatione. Dicendum, quod vnus ponit simulationem prudentiæ sc. Hieronymus: alius verò negat simulationem fallaciæ: & ita non sibi contradicunt.

¶ DICAMVS igitur ad solutionem primò obiectorum, secundùm quod dicit Hugo. iuxta Aug. *Videntur tria quædam tempora distinguenda: primum enim ante baptismum, quando circumcisio sola statum habuit & suscipiebatur ad iustificationem sine baptismo: nouissimè verò nunc post circumcisionem solus baptismus statum habet & celebratur ad salutem, quoddam sine circumcisione: fuit autem medium tempus, quando circumcisio & baptismus simul cucurrerunt: circumcisio vt finiretur, baptismus vt confirmaretur: oportuit enim, vt illa, quæ finienda erant, non subito, sed paulatim dimitterentur: vt ostenderentur bona fuisse tempore suo: similiter quæ incipienda erant, non subito in auctoritatem sumerentur: ne præter rem aliunde inducta putarentur illa: igitur dimissa sunt, non proiecta: ista instituta sunt, non vsurpata.* (Hugo de S. Victore de sacramẽtis lib. 2. par. 6. c 4.)

¶ DICENDVM igitur ad primò obiectum secundum Hugonem: quod secundùm quod fuit baptismus cum circumcisione in medio tempore ab inchoatione sua vsq; ad passionem: ita fuit circumcisio cum baptismo post passionem Christi vsque ad tempus illud, quo circumcisio ceperat prohiberi. Vnde hoc tempus medium partitum est ante passionem, & post passionem. Ante passionem aliquanto tempore noua sacramenta inchoata sunt ad consuetudinem, & vetera aliquandiu tolerata secundùm dispensationem: postquam autem dictum est. *Si circumcidimini, Christus nihil proderit vobis*; quasi in tertio tempore, iam ipsa circumcisio non poterat ad salutem percipi: sicut priùs postquam dictum fuisset. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo.* Non potuit circumcisio ab his, quibus iniuncta fuerat, sine periculo salutis contemni. (Galat. 5. / Genes. 17.)

¶ AD illud verò, quod obijcitur multipliciter de obseruantia legalium à Paulo. Dicendum secundùm Hug. Quòd quemadmodum in principio baptismus à Ioanne secundùm solum sacramentum dabatur. *Ego baptizo in aqua:* &c. Vt hi, qui baptizandi vsum non nouerant, erudirentur: sic in nouissimo à quibusdam fidelibus circumcisio dispensatoriè secundùm solum sacramentum suscipiebatur: ne hi, qui circumcidi consueuerant, scandalizarentur. Similiter & de alijs obseruantijs legalium est intelligendum. (Matth. 3.)

¶ AD obiecta partis alterius patet sufficienter responsio ex prædictis secundùm diuersas considerationes Hier. & Aug. Et ita terminatur pars ista, in qua inquisitum est de lege & præceptis Moysi.

QVÆSTIO LVI.

De lege Euangelica in generali.

In decem Membra, & sex Articulos diuisa.

CONSEQVENS est, inuocatã Spiritus Sancti gratiã, inquirere de Lege, & Præceptis Euangelij. Cuius inquisitionis erit talis modus: vt primò, quæramus in generali de ratione, & conditionibus legis Euangelij. Deinde verò in speciali de præceptis, & consilijs Euangelij. (D. Tho. 1. 2 q. 107. S. Bon. & Sco. in 3. dist. 40.)

¶ INQVIRENTES autem in generali ad pleniorem & perfectiorem intelligentiam altiùs perscrutantes quæremus. Primò, an vna sola sit Lex data vel indita rationali creaturæ. Secundò, an præter legem inditam sit ponere legem scriptam. Tertiò, an sint duæ leges tantùm, Lex naturæ, & Lex Moysi: ita quod non requiratur Lex Euangelij? Quartò, an Lex Euangelij eadem sit cùm lege naturali, vel indifferens. Quintò, an eadem sit Lex Euangelij cùm lege Moysi. Sextò, de differentia legis Moysi & Euangelij. Septimò, de continentia Euangelij in lege Moysi. Octauò, de additione Euangelij ad legem Moysi. Nonò, de impletione legis per Euangelium. Decimò, de latore legis Euangelij.

MEMBRVM I.

An vna sola tantùm Lex data vel indita sit rationali creaturæ.

QVÆRITVR primò? An vna sola Lex sit data, vel indita rationali creaturæ. Ad quod sic arguitur? Vna est veritas de creatore, & ideo necesse est vnam fidem esse solùm: hoc est veram credulitatem de ipso. Simili modo vna est magnificentia & maiestas creatoris, sub qua legaliter debet subijci creatura rationalis. Vna igitur erit solùm Lex obedientiæ & subiectionis sub creatore creaturæ rationalis.

¶ SIMILITER vna est latria conditoris: quia latriæ est summæ venerationis obsequium: quod autem per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit: si ergo vna est solum latria conditoris: vna sola Lex erit de cultu, & latria creatoris.

¶ ITEM, vnitas est ex parte principij creaturæ rationalis, quia vnus est creator: similiter vnitas est finis rationalis creaturæ: quia vnica est beatitudo in creatore, quæ est finis rationalis creaturæ. Si ergo Lex est data vel indita rationali creaturæ, vt ordinetur sub suo principio ad suum finem, vna Lex erit.

¶ ITEM, Lex non est aliud nisi descriptio debiti quò ad vitandum malum, & faciendum bonum. Si ergo ratio vitandi malum, & faciendi bonum, vna est: videl. auersio à commutabili bono, & conuersio ad bonum incommutabile: vna sola Lex erit.

¶ ITEM, sicut dicit B. August. vnitas fidelium & electorum est velut vnitas ciuitatis: ciuitas enim est multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ: sicut dicit idem: Vnitas autem concordiæ huiusmodi non potest esse, nisi sub eodem iure, & lege permaneant: necesse est igitur vnam esse legem. (August. / Idem ad Marcellinum.)

¶ ITEM, earundem virtutum impossibile est esse diuersas regulas, & mandata: cùm vnius virtutis non sit nisi vna regula, & vnum, quo eius operatio præcipitur: sicut vnius vitij vna est regula, qua est declinandum, & eius operatio prohibetur. Si ergo Lex veri nominis est descriptio regularum virtutis, & perfecta aggregatio mandatorum: impossibile erit diuersas esse leges: nisi dicerentur tot leges, quot sunt præcepta, & virtutes: quod nullus dicet.

¶ CONTRA: Supponamus quod alibi probatum est, scilicet donum naturæ non esse sufficiens ad salutem sine dono gratiæ. Cùm ergo sit differens specie natura, & gratia: ergo & ordo naturæ & ordo gratiæ, & debitũ naturæ, & debitũ gratiæ. Si ergo nihil aliud est Lex, quàm descriptio debiti ordinis; necessariò duplex erit Lex scil. Lex naturæ, & Lex gratiæ differens.

¶ ITEM, sunt virtutes naturales, & sunt virtutes additæ. Si ergo multiplicatur Lex secundùm differentiam virtutis (& hoc secundùm primam intentionem & *si non secundùm consequentem) erit Lex naturalis, & Lex addita rationali creaturæ: Lex naturalis sicut indita, Lex alia sicut superaddita. (* Alias & finem consequentem.)

¶ ITEM, Apostol. Loquitur de vtraque lege, scil. indita & superaddita, dicens: *Cùm gentes, quæ legem non habent*, scil. superadditam: *naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: ipsi sibi sunt Lex.* (Rom. 2.)

¶ ITEM, Lex superaddita multiplicatur: quia est Lex Moysi, & Lex Euangelij: Non est igitur vna sola Lex.

)*(

RESO-

RESOLVTIO.

Vna quidem Lex est rationali creaturæ indita, scilicet naturalis: plures autem superaddita, & data.

¶ QVOD CONCEDENDVM EST. Dicendum igitur iuxta Apostolum: quod est differentia legis prima: vna, quæ est indita, & hæc est Lex naturalis: alia verò est superaddita, & hæc multiplicatur, sicut iam dicetur.

¶ AD primum ergo, ꝙ obijcitur? quod vna est maiestas, & magnificentia conditoris. Concedendum est, tñ debitum subiectionis ex parte creaturæ rationalis multiplicatur. Cùm enim recipit à Deo naturam, efficitur conscia debiti naturalis in ordine subiectionis sub Deo: & hoc habitu, & si non actu: & ideo habet inditam legem naturalem: vnde dicit Gloss. super illud: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Lex naturalis est, qua quisq; sibi conscius est, quid bonum, quid ve malum naturaliter.* Item cùm recipit gratiam, efficitur conscia debiti gratuiti in ordine subiectionis sub Deo: Lex autem, quæ imprimit conscientiam debiti ordinis gratuiti, est Lex gratiæ: propterea erit Lex gratiæ: præter has etiam additur Lex disciplinæ, quæ multiplicatur, vt iam dicetur. Glossa su[per] Rom.

¶ AD secundum, ꝙ obijcit? quod vna est & latria debitum venerationis. Concedendum est: tñ affectus venerationis diuersificatur: Lex autem est ad ordinandum affectum creaturæ rationalis: & ideo non sequitur, ꝙ sit Lex vna venerationis.

¶ AD tertium dicendum: ꝙ quamuis sit vnitas principij, & finis; tamen debitum in rationali creatura multiplicatur. Est enim debitum, ꝙ debet suo principio ratione boni inditi: & est debitū quod debet ratione boni superadditi, vel superaddendi: & ideo variatur Lex, vt sit Lex naturalis indita, & Lex superaddita. Item est debitum, ꝙ debetur diuinæ bonitati, in quātum est benefica; ad quod respicit Lex naturalis: & est debitum, quòd debetur bonitati, inquantùm bona scil. in se, & ad hoc respicit Lex vltimò superaddita completa sc. Lex gratiæ.

¶ AD quartum dicendum: ꝙ quamuis sit eadem ratio in generali vitandi malum, & faciendi bonum: tñ ratio propria diuersificatur: quia malum vitatur, aut quia contra dictamen rationis, aut quia contra honorificentiam conditoris: similiter bonum fit, quia consonum rationi, aut quia consonum diuinæ voluntati. Et ideo diuersificabitur Lex, quæ est ratio vitandi malū, & faciendi bonum: in legem naturæ, & legem gratiæ.

¶ AD quintum patet responsio; quia sicut differt natura, & gratia: ita & concordia naturæ, & concordia gratiæ: & ius naturæ, & ius gratiæ.

¶ AD vltimum etiam patet responsio: nam sicut est differentia virtutum naturalium & gratuitarum: ita erit differentia descriptionis regularum virtutum, quarum aggregatio est Lex.

MEMBRVM II.

An præter legem menti inditam dare sit & legem etiam scriptam.

POSTEA quæritur? Vtrùm præter legem menti inditam vel addictam, sit ponere legem scriptā. Ad quod sic? Solarum rerum est fieri, & non fieri: ergo solę res sunt, quę imperantur, aut prohibentur: qui enim imperant currere, non verbum imperant, sed cursum. Si ergo Lex est continentia eorum; quæ prohibentur & mandantur: Lex propriè res est, non scriptura visibilis, nec sonus laudabilis.

¶ ITEM, nullo existente sermone, nullo scripto: si sermo, vel scriptura esset Lex: nulla esset Lex. Si ergo Lex manet, cessante sermone, & deleta scriptura, relinquitur, ꝙ Lex non est descriptio, vel sermone, vel scriptura.

¶ ITEM, quis dubitat, quin debitum honorandi Deū, timendi Deum, diligendi Deum, subueniendi proximo: maneāt, cessante omni sermone, cessante omni scriptura? Relinquitur igitur, cùm Lex nihil aliud sit, quàm aggregatio eorum, quæ pertinent ad debitum honestatis: qualia sunt, quæ dicta sunt: ꝙ Lex non est sermo, nec scriptura: nisi in illa figura, & tropo, qua nomen ipsius rei signo vel imagini eius imponitur: sicut imago Petri Petrus dicitur: & Petrus scribi vel legi dicitur, cùm nomen eius scribitur, vel legitur.

¶ ITEM, quid est Lex vero nomine, nisi ars quædam, aut sapientia rectè honesteq; viuendi? omnis autem ars & sapientia in anima est; Lex igitur naturæ omnis in anima erit; essentia igitur legis omnis est præter sermonem, & scripturam.

¶ CONTRA: Sunt auctoritates quam plurimę, quę ponunt legem scriptam. *Scribam ei multiplices leges meas.* Oseæ

¶ ITEM, dicit Isidorus, quòd Lex dicta est à legendo: vnde dicunt, quòd vera ratio legis est honestas legibilis, descripta regulis & præceptis. Si ergo Lex honestas legibilis est: honestas scripta est: conuertuntur enim legibile, & scriptum esse. Isidor.

RESOLVTIO.

Propriè loquendo, præter legem menti inditam non est dare legem scriptam: cum omnis Lex per essentiam in anima sit.

¶ RESP. Dicendum, ꝙ propriè omnis Lex est per essentiam in anima: nec dicitur esse in scripto, vel scriptura; nisi sicut signatum in signo dicitur: vel ea in proprietate, qua res signata solet dici signum; nisi diceretur scriptura, non quod scribitur in libro vel alio ad sensum; sed quod describitur ad nostrum intellectum.

¶ NOTANDVM aūt ad solutionem obiectorum; ꝙ Lex habet triplicem interpretationem: Lex.n. dicitur à legendo, sicut dicit Isidorus: & dicitur à ligando, sicut ponunt communiter; & dicitur ab eligendo; vt dicit Aug. Secundùm hoc ergo intentio legis differenter consideratur. Primò namq;, secundùm ꝙ à legendo Lex dicitur, Lex est legibilis descriptio debitæ honestatis. Quoniam aūt descriptio legibilis potest esse interius in mente ad intellectum, exterius in scripto ad sensum: intentio legis extenditur secundùm hanc considerationem, vt dicamus legem scriptam; siue interius: siue exterius, sed propriè exteriùs. Secundò consideratur, prout dicitur à ligando; & secundùm hoc Lex consideratur in triplici comparatione: in comparatione ad imperantem; & in comparatione ad illud quod imperatur: & in comparatione ad illum, cui imperatur. Secundùm comparationē ad imperantē Lex dicitur in imperante sicut in causa ligante; secundùm comparationem ad imperatum Lex dicitur esse in rebus, quæ imperantur aut prohibentur: sed hoc sicut in effectu; secundū comparationem ad illum; cui imperatur, Lex dicitur esse in anima illius, cui sit imperium: & hoc per essentiam: quia in illo est vinculum seu debitum. Secundùm tertiam interpretationem; prout Lex dicitur ab eligendo: Lex dicitur ars ipsa, qua eligimus debita fieri; & respuimus indebita fieri: & secundùm hanc considerationem Lex solùm in anima est. August in quæstionibus noui & veteris testamēti.

MEMBRVM III.

An sufficiant duæ tantùm leges, naturæ scil. & Moysis: nec requiratur Euangelica?

DEINDE quæritur (cùm in præcedentibus declaratum sit, quòd post legem naturalē ferenda erat Lex Moysi, supra.*) Vtrùm sint duæ leges tantùm: Lex naturæ sc. & Lex Moysi: ita quod non requiratur Lex Euangelij. *Quæstione de latione legis Moysi.

¶ AD quod sic? *Nihil ad perfectum adduxit Lex Moysi* (dicit Apostolus de lege Moysi) ergo per legem Moysi non est perfecta ordinatio rationalis creaturæ. Si ergo necesse est rationalem creaturam perfectè ordinari: non autē perfectè ordinatur per legem naturalem, imò necessaria erat Lex Moysi: sicut aliàs ostensum est: * nec etiam per legem Moysi, sicut dicit Apostolus. Ergo necesse est, vt sit Lex alia perfectè ordinans: & hæc est Lex Euangelij. Hebr. 7. * Suprà quæst. 21 Memb. 1

¶ ITEM, comprehensio legis Moysi non ducit rationalem creaturam, nisi in finem timoris Dei: sicut dicitur.

Finem

Eccl. vlt. *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time.* Si ergo perfectio voluntatis rationalis non est in fine timoris, sed in fine amoris diuini: post legem Moysi, quæ est lex timoris: necessaria erit lex Euangelij, quæ est lex amoris.

¶ ITEM, in lege sunt pcepta cæremonialia: quæ possunt duobus modis accipi: literaliter, & figuraliter. Literaliter accepta manifesta est eorum imperfectio: vt v.g. cæremonialia sacrificiorum omnino imperfecta sunt, quia sunt in carne, vel materia aliena: ergo latria venerationis Dei per
Quæstione de sacrificijs. sacrificia legis imperfecta est: sicut supra ostensum est. Necessaria igitur est lex sacrificij spiritualis, quo offeratur Deo de persona propria: vt cor contritum, &c. Quæ sit lex perfectæ latriæ, & venerationis diuinæ. Item, si accipiantur cæremonialia figuraliter; manifesta est imperfectio: quia tunc accipiuntur vt signa & promissiones: perfectio autem non est in signo, nec in promissione boni seu gratiæ: necessaria igitur erit lex exhibitionis & rei signatæ: & hæc est lex Euangelij.

¶ ITEM, in lege sunt moralia præcepta, quæ etiam sunt imperfecta: vnde vocat Apost. Legem Moysi legem factorum: vbi dicit Gloss. quod lex prohibet manum, non animum. Non est autem perfectio legis in prohibitione actus: relinquitur igitur quod necessaria est lex, in qua prohibeatur affectus malus.

Rom. 3. Glossa.

¶ ITEM, non est perfectio obedientiæ vel legis in obseruantia eorum, quæ sunt de necessitate salutis: sed in his est perfectio obedientiæ & legis, quæ sunt voluntatis & supererogationis. Lex igitur, quæ est solum præceptorum, non est Lex perfecta: qualiter est lex Moysi. Requiritur igitur præter hanc lex perfecta, quæ non solum sit mandatorum, sed etiam consiliorum: qualis est lex Euangelij.

¶ ITEM, non est perfecta lex salutis, quæ ordinat personas particulariter; sed quæ respicit omnes vniuersaliter. Si ergo lex Moysi secundùm suam integritatem respicit personas particulariter, vt Iudæos: ergo non est perfecta: nec in ipsa erit status. Cùm ergo diuina pietas velit omnes saluos fieri: ab ipsa erit Lex, quæ respiciet omnes vniuersaliter, vt saluentur: & hæc est Lex Euangelij. *Prædi-*
Marci vl. *cate Euangelium omni creaturæ.*

¶ CONTRA. Perfectius est obedire in indifferentibus, quàm in necessarijs. Si ergo lex Moysi habet præcepta rerum indifferentium, vt cæremoniarum: habet etiam præcepta rerum necessariarum, vt moraliũ: lex Moysi est lex perfectæ obedientiæ: ergo præter illam non requiritur lex Euangelij: maximè cum illa, quæ ponuntur Euangelij, non sint indifferentia: quia sunt de his, quæ secundùm rationem sunt approprianda & eligenda, nullo interueniente præcepto vel consilio.

¶ ITEM, *Superfluum est facere per plura, quòd potest fieri per vnum*: cùm ergo perfecta ordinatio sit per legem Moysi, & in necessarijs moralium, & in indifferentibus cæremonialium: & præterea in obseruãtia mandatorum & in obseruantia consiliorum: circa quæ est votum. Leu. 27. &
Leu. 27 & Num. 6. Num. 6. vbi ponuntur leges vouentium. Relinquitur superflua esse lex alia à lege Moysi.

¶ ITEM, *Finis præcepti est charitas.* Cùm ergo in lege Moysi
1. ad Timoth. 1. sit præceptum charitatis perfectæ. *Diliges Dominum Deum*
Deut. 6. *tuum ex toto corde tuo.* In lege ergo est perfectio finis præceptorum: sed à perfectione finis dicitur simpliciter res perfecta: ergo lex Moysi est lex perfecta: ergo præter ipsam non erit alia requirenda.

¶ ITEM, in lege prohibetur actus, & etiam prohibetur
Exod. 20. affectus: cùm dicitur. *Non concupisces.* Et, *Non oderis fratrem*
Leuit. 19. *tuum in corde tuo.* Item, ordinatur affectus, & quò ad proximum, & quò ad Deum, & quò ad se. Quò ad Deum. *Diliges*
Deut. 6. Ibidem. *Dominum Deum tuum*, &c. Et, *Dominum Deum tuum timebis*,
Deut. 11. &c. Et, *Ama Dominum Deum tuum.* Quò ad proximum. *Non*
Leuit. 19. *memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Quò ad se. *Custodi temetipsũ*
Deut. 4. *& animam tuam sollicitè.* Lex igitur sufficienter ordinat hominem quantùm ad actum, & quantùm ad effectum: ergo ad ordinandum affectum non requiritur aliud vltra scil. Euangelium.

RESOLVTIO.

Quoniam nec Lex naturalis, nec Lex Moysis sufficienter erat hominem ordinare: oportuit & Euangelium superuenire: vt is ad plenum ordinaretur.

¶ RESP. Dicendum, quòd addita lege Moysi ad legem naturalem, non erat adhuc sufficiens ordinatio hominis. In lege .n. erat elementum sermonis Dei ad ordinandum hominem: in Euangelio verò est sermo perfectus: vnde ad Hebr. 5. dicit Apostolus: *Indigetis, vt doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonis Dei.* Et dicit Hugo. *Hæc tria distinguuntur, elementa, exordium, sermo.* In elementis sonus est, sed sensus non est: vnde nec exordium dicuntur, quia sensus in eis non incipit: dictiones exordia sensuum sunt; vnde & dictiones dicuntur quasi iam aliquid dicentes, & primæ partes orationis; quia principium orationis ab eis exoritur: in elementis ergo sonus est, & sensus non est. In exordio sensus est: sed completus non est. In sermone sensus est & perfectus. Vide tria hæc in scriptura dissimilia: *carnem cũ* Hugo de S. Victore de sacramentis li. 1. part. 12. c. 9.
sanguine non comedetis. hoc est elementum, subiunxit postea: Gen. 9.
Non occides. hoc est exordium: postea complenit, etiã iram Exod. 20.
prohibens: hic est sermo. Item dixit, carnem porcinam nõ
edendam; hoc est elementum: addidit post hoc, *Non mœ-* Ibidem.
chaberis. hoc fuit exordium: nouissimè apposuit. *Si quis viderit mulierem*, &c. In hoc fuit completio. Præcepta igitur ad Math. 5.
tempus superaddita, elementa fuerunt: præcepta Decalogi exordia: præcepta Euangelij sermo. Inde est, quod lege data, dicit Moyses suscitandum prophetam Christum. *Suscitabo prophetam de medio fratrum tuorum similem tibi: & ponam* Deut. 18.
verba mea in ore eius: loqueturq́; ad eos omnia, quæ ego præcepero tibi. In quo expressè ostenditur per prophetam Christum legem aliam ferendam, quæ est Euangelium. Item, *Post illos* Ierem. 31.
dies dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam, &c. Quòd non potest intelligi de lege Moysi, sed de lege Christi: quia ibi dicitur. *Ecce dies veniunt: & feriam domui Iuda fœdus nouum: non secundùm pactum,* Ibi.
quòd pepigi cum patribus eorum in die, qua eduxi eos de terra Ægypti.

¶ RESPONDENDVM igitur ad primum: quod sicut differt obedire debitè, & obedire voluntariè. (Dico autem obedire debitè, obedire præcepto; quia est debitum, & quia est præceptum: obedire voluntariè, obedire præcepto: quia bonum, & acceptum: sic differt obedientia legis: & Euangelij: sicut patet ex intentione legis vtriusque. Item, sicut differt obedire intuitu Domini sine ex reuerẽtia timoris, & obedire intuitu patris ex deuotione amoris: ita differt obedientia legis & Euangelij: vnde in lege pro ratione sæpissimè dicitur: *Custodites hoc & hoc; ego sum Dominus*: in Euangelio verò. *Vt sitis filij patris*, &c. Matthæi 5. Math. 5.

¶ AD ILLVD ERGO, quod obijcitur: quòd in lege est perfectius obedire in indifferentibus, quàm in necessarijs. Dicendum, quòd est obedire necessarijs sicut non necessarijs: & est obedire indifferentibus sicut necessarijs. Dicendum, quòd obedientia legis, quamuis sit in indifferẽtibus secundùm se: tamen eorum est sicut in necessarijs, hoc est, quia præceptis. Obedientia verò Euangelij secundùm intentionem ipsius, & si sit in necessarijs, tamen in eis est sicut bonis & voluntarijs. Et ita perfectior est obedientiã simpliciter Euangelij, quàm legis secundùm intentionem vtriusque: quamuis in Euangelio non solùm ponantur præcepta, quæ sunt necessitatis salutis; sed etiam concilia, quæ sunt voluntaria & supererogationis.

¶ AD secundum, quod dicit: quòd in lege sunt præcepta & consilia. Concedendum est, sed tamen imperfecta. Ratio enim præceptorum legis imperfecta est, sicut iam ostensum est: similiter propositio consiliorum legis imperfecta est: sunt enim magis in exercitatione corporis: sicut patet in votis Nazaræorum, & cæteris, quàm in officio pietatis & perfectione operum charitatis. Consilia verò Euangelij sunt in exercitio pietatis: vnde, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Math. 19.
Præterea, sunt in perfectione operum charitatis, quæ sunt in perpetuitate castitatis. Matthæi 19. *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* In plena abrenunciatione Ibidem.
pro-

Lucæ 14. proprietatis. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* In omnimoda abdicatione voluntatis. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. In perfectione patientiæ aduersitatis, sicut patet Matth. 5. in multis.

Matt. 16. & Lucæ 9. Matth. 5.

¶ Ad tertium dicendum: quod in lege præceptum dilectionis non proponitur secundùm rationem perfecti amoris. Est.n. amor debitus, & amor gratuitus: item amor, quo diligitur Deus, quia beneficus: & quo diligitur, quia bonus: item, est amor qui generatur ex beneficijs temporalibus; & amor qui generatur ex beneficijs æternis. Dicendum, quod quamuis amor Dei præcipiatur in lege: tamen secundùm intentionem legis præcipitur vt debitus, & ex beneficijs temporalibus ingeneratus promissis vel acceptis: sicut patet. Post multa beneficia enumerata. *Ama Dominum Deum tuum, & obserua præcepta.* Et subdit: *Vt possitis introire & possidere terram*, &c. Amor verò in Euangelio præcipitur vt gratuitus. sicut patet. *Si diligitis eos, qui vos diligunt*, &c. similiter Luc. 6. Et nō vt introductus per temporalia beneficia, sed per æterna. Vnde Aug. *Dicitur Lex Vetus Testamentum, Euangelium autem Nouum Testamentum appellatur: temporalium rerum promissiones testamento veteri contineri, & ideo vetus testamentum appellari, nemo vestrum ambigit; æternæ vitæ promissio, regnumq; cælorum ad nouum pertinet testamentum.* Sicut ergo in amore debito non est perfectio, sed in gratuito; nec in amore qui oritur ex beneficio temporali, sed ex æterno: ita non est perfectio amoris in lege, sed in Euangelio.

Deut. 11. Matth. 5. & Lucæ 6. August. contra Faustum.

¶ Ad quartum dicendum: quod in lege ordinatur affectus & effectus: sed non est secundùm perfectam ordinationē. Est enim ordinare hominem procedendo ab exterioribus ad interiora: qualis erat in lege: intendebat.n. Lex per actum exteriorem ordinare affectum interiorem: vnde primò prohibetur actus malus, *non occides, non mœchaberis.* Demum verò prohibetur affectus, *non concupisces.* Et est hominem ordinare procedendo ab interioribus ad exteriora: & hæc est intentio Euangelij, vt per ordinationem interioris affectus ordinetur exterior actus: vnde, *Qui irascitur fratri suo*, &c. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum*, &c. *Diligite*, &c. Præcepta ergo legis principaliter respiciunt actum; præcepta verò Euangelij principaliter affectum: & ideo perfectio non erit in lege, sed in Euangelio. Vnde Io. Chrys. *Quoniam legis quidem mandata magis ad opus respiciebāt, quàm ad affectum: id est, non occides, non adulterabis*, &c. *Christus ad supplementum eorum spiritualiora introduxit mandata, ad affectum magis respicientia quàm ad actum.*

Exod. 20. Ibidem. Matth. 5. Chrys. super Matt.

MEMBRVM IV.

An Lex Euangelij eadem sit cùm lege naturæ?

POSTEA quæritur? Vtrùm Lex Euangelij sit eadem cùm lege naturæ.

¶ Ad quod sic arguitur: *Si gentes legem non habentes, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ipsi sibi sunt Lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ex quo accipitur, quod Lex naturalis est inscripta cordi & conscientiæ humanæ: vnde dicit ibi Gloss. Quòd Lex naturalis est, qua quisq; intelligit, & sibi conscius est, quid bonum quid ne malum. Si ergo Lex Euangelij est Lex, quæ inscribitur cordi humano, qua nos intelligimus & sumus nobis conscij, quid bonum, quidq; malum: vnde, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam* (quòd intelligitur de lege Euangelij) ergo Lex Euangelij est eadem cùm lege naturali.

Rom. 2. Ierem. 31.

¶ Item: Quicquid dictat Lex naturalis, dictat Lex Euangelij; quamuis non econuersò: ergo Lex naturalis est de integritate legis Euangelij.

¶ Item, Lex Euangelij est Lex vniuersalis, & semper, & ad omnes: Lex autem omnis, quæ est semper, & ad oēs, est Lex naturalis: quia quod naturale est, semper, & ad omnes est: non quod acquisitum, vel adueniens est. Relinquitur igitur, quòd Lex Euangelij eadem est cùm lege naturali.

¶ Item: Quod natura est tale, & per se est tale; magis est tale: si ergo Euangelij maximè Lex est natura, Lex erit & per se: erit igitur Euangelium idem legi naturali.

¶ Item, dicit Gratianus: *Ius naturale est, quòd in lege & Euangelio continetur*, iuxta Isid. *Omnes leges, aut diuinæ sunt, aut humanæ, diuinæ natura, humanæ moribus constant.*

Gratian. in principio decretorum. Isidor. li. 5. Etymolog.

¶ Item, si dicatur iuxta Gratianum dis. 6. quod in lege & in Euangelio naturale ius continetur: non tñ quæcunq; in lege & in Euangelio inueniuntur, naturali iure cohærere probantur. Sunt.n. in lege quædam moralia, & quædam mystica: Moralia mandata ad naturale ius pertinent, atq; ideo nullam mutabilitatem recepisse monstrantur: Mystica verò quantum ad superficiem à naturali iure probantur aliena, quantùm ad moralem intelligentiam inueniuntur sibi annexa.

¶ Contra: in Euangelio & etiam in lege sunt moralia, quæ sunt secundùm suppositionē fidei: vt adoratio assumptæ humanitatis Christi; & huiusmodi. Sed ea, q̄ sunt secundùm suppositionem fidei, transcendunt dictamen rationis naturæ: ergo moralia Euangelij vel legis generaliter non continetur in lege naturæ.

¶ Item, non sunt idem, sed differunt essentialiter natura & gratia: nec ordo naturæ & ordo gratiæ: ergo nec ius siue Lex, quæ est secundùm ordinem naturæ; & Lex, quæ est secūdum ordinem gratiæ: ergo nec Lex Euangelij, quæ est Lex gratiæ, erit eadem cùm lege naturali, quę est secundùm ordinem naturæ.

¶ Item, virtutes naturales non sunt eædem cum virtutibus gratuitis: ergo nec Lex naturalis erit eadem cum lege gratiæ.

¶ Item, aliud est debitum faciendi ratione exigentiæ naturæ, aliud ratione exigentiæ gratiæ. V.g. in exigentia naturæ est debitum diligendi beneficum & amicum, non autem maleficum vel iniuriosum: ex exigentia verò gratiæ debitum diligendi maleficum & iniuriosum. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ est vobis gratia? diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo differentia legis est secundum differētiam debiti faciendi: quia Lex nihil aliud est, quàm descriptio debiti faciendi vel mali vitandi: alia erit Lex Euangelij à lege naturali.

Lucæ 6.

RESOLVTIO.

Euangelij, naturæq; Lex non idem sunt: sed benè hæc ordinatur ad illam vti ad suum perfectum.

¶ Respondeo. Dicendum, quod sicut natura ordinatur ad gratiam, ita Lex naturæ ad legem Euangelij, nec est eadem Lex naturalis cū lege Euangelij: non tñ Lex naturalis per Euangelium aufertur, sed perficitur. V.g. Lex naturalis dicit: quod diligendus est Deus, quia beneficus, & quia creator: Lex Euangelij dictat, quod diligēdus est; quia bonus, & quia redemptor. Item, Lex naturalis dictat, quod diligendus est proximus, quia homo & conformis in specie; & quia ab vno sumus conditi: Lex verò gratiæ dictat diligendum proximum; quia filius Dei vel possibilis ad filiationem, & quia imago Dei, & quia ab vno sumus redempti. Ex diuersis igitur causis est debitum diligendi Deum & proximum secundùm legem naturæ, & secundùm legem Euangelij: quarum vna tamen ordinatur & perficitur per aliam. Ex quo patet, quòd non est eadem Lex naturalis cùm lege Euangelij: tamen Lex naturalis ordinatur ad eam sicut ad suam perfectionem. Et ideo dicit Isidorus, quòd ius diuinum constat natura: & hac ratione verum est, quòd ius naturale lege & Euangelio continetur.

Isidor.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: quod Lex Euāgelij est inscripta cordi, sicut Lex naturalis. Dicendum, quod verū est: sed tñ differenter: est.n. inscriptio debiti faciendi secūdùm dictamen inditum conscientiæ ab ipsa conditione eadem apud oēs. Et est inscriptio secundùm dictamen impressum conscientiæ ex fide seu iustificatione apud credētes. Prima inscriptio est naturæ: secunda est legis euangelicæ: prima est ex natura indita, secūda ex gratia data seu superaddita. Et ideo signanter dicitur: *Dabo legem meam.* Et, *Euangelium est virtus Dei in salutem omni credenti*: quia sicut Lex naturalis eadem est apud omnem hominem: ita Lex Euangelij eadem est apud omnem credentem.

Ierem. Rom.

¶ Ad secundū dicendum: quòd Lex naturalis non est

pars

pars legis Euangelij: est tamen fundamentum ipsius: sicut natura est subiectum gratię: & inde est, quòd quicquid dictat Lex naturalis, dictat Lex Euangelij: tamen altiori ratione. V.g. secundùm legem naturæ dictatur matrimoniū adhoc, vt generetur homo, & multiplicetur species: secūdùm dictamen gratiæ ad hoc vt filius hominis per regenerationem fiat filius Dei, & vt multiplicetur proles ad cultum Dei.

¶ Ad tertium dicendū: quod aliter est vniuersalis Lex Euangelij aliter Lex naturalis, & semper, & ad omnes. Lex .n. Euangelij vniuersalis est secundùm causam quò ad oēs, secundùm effectum verò vniuersalis est quòad credentes: quemadmodum gratia secundùm causalitatem omnibus offertur, tñ secundùm effectum solis dispositis & ipsam recipientibus exhibetur. Lex verò naturalis secundū causam & effectum vniuersalis est, & quò ad omnes: omnibus .n. hominibus naturaliter imprimitur, & naturam humanam inseparabiliter comitatur. Lex item Euangelij vniuersalis est, & semper, & ad omnes; quantùm in ipsa est, siue quantùm ad gratiam dantis, non tñ quantùm ad effectum suscipientis: Lex verò naturalis semper, & ad omnes est, secundùm effectum suscipientis.

¶ Ad vltimum respondeo: ꝙ illa regula Philosophi, quòd natura est tale, &c. Dicitur per comparationem naturalium habituum ad habitus acquisitos: non per comparationem ad habitus gratuitos: imòꝙ gratuitè est, magis est, quàm quod naturale est, id est, nobilius & dignius; ꝗ̃uis non diuturnius. Vtraq; tamen, Lex naturalis, & Lex Euangelij dicitur æterna seu perpetua; sed differenter: illa enim perpetua est quò ad omnes & in effectu: ista verò perpetua est quò ad credentes, & quantùm in se est.

MEMBRVM V.

An & eadem sit Lex Euangelij cùm lege Moysi?

QVÆRITVR postea? Vtrùm Lex Euangelij sit eadem cum lege Moysi. Ad ꝙ sic: vna est fides noui & veteris Testamenti, non differens quò ad essentiam: ergo vna erit Lex Noui & Veteris Testamenti. Si enim est vnitas ex parte cognitionis veritatis per fidem: & vnitas debet esse ex parte ordinis bonitatis per legem.

Matth. 5. Glossa. ¶ Item, *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Gl. *Euangelium est recapitulatio veteris legis.* Si ergo recapitulatio legis non diuersificat legem: non erit diuersa Lex Euangelij à lege Moysi.

¶ Item, Euangelium est impletio legis: Lex igitur plena est Lex Moysi cùm Euangelio: ergo non est differens Lex Euangelij à lege Moysi.

¶ Item, non est aliud ius inchoatum, & idem ius perfectum: ergo non est alia Lex iuris inchoati & eiusdem iuris perfecti. Sed sic se habet Lex & Euangelium. Matth. 5. Glossa. *Nisi abundauerit iustitia vestra*, &c. Gl. *Plenius aguntur præcepta, quæ præmissa sunt ad inchoationem* (supple in lege) *dum fuerint addita ad perfectionem* (supple in Euangelio.)

¶ Contra. Non est eadem Lex literæ, & Lex spiritus: Lex Moysi Lex literæ est: Lex Euangelij seu Christi Lex spiritus est. Rom. 7. (Rom. 7.)

¶ Item, non est eadem Lex factorum, & Lex fidei: sed Moysi est Lex factorum, Lex Euangelij Lex est fidei. Roma. 3. (Rom. 3.)

¶ Item, non est eadem Lex vmbræ & signationis, Lex veritatis & exhibitionis: sed Lex Moysi est Lex vmbræ & signationis. Hebr. 10. *Vmbram habens Lex futurorum non ipsam imaginē*, &c. Lex verò Euangelij est Lex veritatis, & exhibitionis: ergo non est eadem Lex Moysi & Lex Euangelij.

¶ Item, quarum legum sunt fines diuersi, ipsæ erunt diuersæ: sed finis legis timor est Dei. Eccl. vlt. Finis Euangelij amor Dei. 1. ad Tim. 1. Vnde Aug. *Breuissima differentia legis & Euangelij: timor & amor.* Ergo, &c. (Eccl. vlt. 1. ad Tim. 1. August.)

¶ Item, non est eadem Lex temporalis & æterna: sed Lex Moysi temporalis est. Galat. 3. *Quid igitur: Lex: propter transgressionem posita est* (supple coërcendam) *donec veniret semen*, &c. Euangelium verò est Lex æterna. Apoc. 14. *Vidi Angelum habentem Euangelium æternum.* Et, Matt. 24. *Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.*

RESOLVTIO.

In ratione vniuersali Lex naturalis & Lex Euangelij vna Lex sunt: at in peculiari & propria ratione non vna, quinimmò diuersæ leges sunt.

¶ Respondeo. Dicendum, ꝙ Lex Euangelij, & Lex Moysi vna Lex est in ratione vniuersali: diuersæ verò sunt in ratione propria. Vnde Aug. (August. contra aduersarium legis & prophetarū) *Qui rectè colit Deum, vtrunq; Testamenti inuenit vnum Deum: & eiusdem vnius Dei in vtroq; diligit bonitatem, in vtroq; metuit seueritatem.*

¶ Rationem autem vniuersalem & communē dico multipliciter: in comparatione ad efficientem, in comparatione ad finem, in comparatione ad sensum. Vnus ergo est Legislator vniuersalis legis & Euangelij Deus. (Iacob. 4.) *Vnus est Legislator index.* Vnus finis; sc. Christus. Vnde Aug. (August. contra eundē aduersar.) *Finis legis quis est: Ad hoc non ego, sed Apostolus ipse respondeat. Finis est* (inqt) *legis Christus ad iustitiam omni credenti*, &c. Finis perficiens, non interficiens: finis quippe dicitur, propter quem fiunt omnia, quæcunq; aliquo fiunt officio: nam inter officium & finem hoc distat: ꝙ officium est in eis quæ facere debemus: finis propter quem facimus. Vnus sensus, quia vna vniuersalis veritas: vnde Greg. (Gregor. super Ezech. 1.) Vbi dicitur: ꝙ rota erat in rota. *Quòd prædicat Lex, hoc exhibet Euangelium.* Et iterum: *Diuina eloquia & si temporibus disiuncta sunt: sensibus tamen sunt vnita.*

¶ Rationem verò propriam dico similiter multipliciter, per comparationem ad efficientem, & ad finem, & ad sententiam. Per comparationem ad efficientem differt Lex & Euangelium: quia Lex data est per hominem purum, Euangelium verò per Christum. (Ioan. 1.) *Lex per Moysen data est*, &c. Per comparationem ad finem differunt similiter: finis .n. illius est declinatio mali per timorē, finis istius principaliter operatio boni per amorem. Vnde Aug. (August. contra eundem.) *Testamentum nouum differt à veteri; quia ibi vetus homo formidinis coarctatur angustijs: & hic nouus homo spatiatur latitudine charitatis.* Per comparationem verò ad sententiam differunt: quia ibi veritas in figuratione, hic veritas in exhibitione; & hoc quātùm ad figuralia: vnde Aug. (Idem de concordia Euangelistarū.) *Quòd Lex & Prophetæ pranunciauerunt, hoc redditum atq; completum in Euangelio demonstratur.* Item, ibi est veritas secundùm inchoationem: hic verò est veritas secundùm perfectionem: & hoc quò ad moralia: vnde, (Matth. 5.) *Nisi abundauerit iustitia vestra*, &c. vbi dicit Aug. (August.) *Plenius aguntur præmissa ad inchoationem, dum fuerint addita ad perfectionem.*

¶ Dicendvm igitur: quod Lex Moysi & Lex Euangelij vna Lex est in ratione vniuersali; differentes verò sunt in ratione propria: & hoc quia illa data est populo carnali, ista spirituali: illa paruulis, ista perfectis: vnde (secundùm quod dicit August.) (Idem de vera religione.) Sapiens medicus alia mandata dat infirmo per ministros, alia per seipsum: ita Deus alia mandata dedit per Moysen, alia per seipsum in Euangelio. Item, August. (August. ad Marcellinum Epist. 5.) *Cùm aliud Magister adolescenti, quàm puero solebat, imposuit: doctrina constans mutato præcepto non mutat instructionem.* Ita & per hunc modum (sicut ipse intendit) creator alia in lege, alia in Euangelio doctrina veritatis eiusdem fieri præcepit: ibi populo paruulo; hic verò adulto populo.

¶ Et per hanc distinctionem patet, responsio ad obiecta.

MEMBRVM VI.

De differentia legis & Euangelij.

DEINDE quæritur de differentia legis, & Euangelij? Et quæruntur maximè duo. Primò, quidem vtrùm differant sicut contraria; aut sicut disparata? Secundò, verò de modis differentiæ eorundem adinuicem: quotupliciter scilicet differant.

)*(

ARTICVLVS I.

An sicut contraria, vel sicut disparata differant Euangelium & Lex Moysis?

AD primum sic obijcitur? Quarum legum sanctiones & præcepta sunt contraria, & ipsæ sunt contrariæ; sed legis & Euangelij sunt præcepta contraria: ergo lex & Euangelium sunt contrariæ. Probatio mediæ. In lege prohibentur edenda quam plurima, sicut immũda. *[Leuit. 11.]* Leu. 11. in Euangelio verò non dicuntur immunda. *[Matth. 5]* *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Vnde & Apostolus ex hac auctoritate *[ad Tim. 1.]* dicit, *omnia munda mundis.* Item, in lege conceditur odium inimici, quia solùm præcipitur dilectio amici. *[Leuit. 19]* *Diliges amicum tuum*, &c. in Euangelio præcipitur dilectio inimici. *[Matth. 5.]* Matth. 5. Item, in lege dicitur oculum pro oculo, dentem *[Exod. 21.]* pro dente. Exod. 21. in Euangelio verò dicitur: *[Matth. 5.]* *Ego dico vobis omnino, non resistere malo.* Item, in lege dicitur: *Reddes Domino iuramenta tua: & per nomen eius iurabis.* *[Deut. 6.]* in Euangelio dicitur: *[Matth. 5]* *Non iurare omnino.*

[Ezech. 1.] ¶ CONTRA. Ezech. 1. Rota erat in rota: hoc est, nouũ in veteri: sicut exponit Gregorius. Ergo non sunt contraria.

[Matth. 5] ¶ ITEM, *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Euangelium ergo est legis impletio: ergo non est ei contrarium.

[Gregor. super Ezech. 1.] ¶ ITEM, Greg. *Diuina eloquia etsi temporibus sunt disiuncta, sensibus tamen sunt vnita.*

RESOLVTIO.

Lex & Euangelium non sicut contraria, sed sicut disparata distant, nec in quacunque ratione, sed in propria ratione.

¶ RESP. Dicendum, quod Lex & Euangelium differunt non sicut contraria, nec etiam sicut disparata quantùm ad rationem vniuersalem, sed sicut disparata quantùm ad rationem propriam: sicut iam patebit.

¶ AD illud ergo quod primò obijcitur? quod præcepta legis & Euangelij sunt contraria. Respondendum per interemptionem.

¶ AD illud, per quod videtur probari de prohibitione escarum. Dicendum, quod non est contrarium: nam Lex prohibuit escas: & dixit immundas triplici de causa. Propter significationem: vnde immunda dixit, quia figurabant immũda. Item propter abusum: vnde immunda dixit, & prohibuit illa, quibus abutebantur ad ritum idololatriæ, sicut supra ostensum est. Item, immunda dixit propter indignitatem illius populi, propter quam quædam per prohibitionem subtraxit ei velut immunda. Lex verò Euangelij dicit & concedit omnia munda, respiciens ad naturam rerum, & ad conuenientem vsum, & ad dignitatem vtentiũ. *[August. contra Faustum.]* De prima causa dicit Aug. Quòd dixit Lex aliqua esse immunda: & quod dicit Apostolus omnia esse munda; non sunt contraria: quia hoc dixit Apostolus de ipsis naturis: Lex verò propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, non natura sed signatione dixit immunda. V. g. si de porco & agno requiratur: vtrumque mundum est: quia omnis creatura Dei munda & bona: quadam verò signatione agnus mundus, & porcus immundus est: immũdum quippe illud animal in lege positum est, eò quòd non ruminat: non autem hoc eius vitium, sed natura est. Sunt autem qui per hoc animal signantur, homines immundi proprio vitio, non natura; qui cùm libenter audiant verba sapientiæ: postea de his omnino non cogitant: Vtile enim audire, & velut ab intestino memoriæ tanquam ad os cogitationis recordandi dulcedine reuocare: quid aliud est, quàm spiritualiter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurãtur: vnde & ipsa à talib. carnib. abstinentia tale vitium nos cauere præmonuit. De secunda causa satis dictũ est supra. *[*Quæstione de immunditijs præced. immediatè Memb. 3]* *De tertia verò causa dicit Aug. in Quæst. Noui & Veteris Test. *Escarum Lex non in primordio legis data est, sed, cùm duce perfidia, Dei verbo, & promissis fidem nollent dare, ad duritiam cordis sui acceperunt præcepta non bona.* Ezech. 20. Id enim dictum est, vt ceruix illorum premeretur ad profectum illorum: superbis enim hominibus & cõtumacibus non debuit tota creatura subijci. Postea autem misericordia Dei veniente reddita est libertas edendi. Vnde dicit Petrus Apost. *[Actuũ 15.]* *Quid imponitis super ceruicem fratrum, quòd neque nos neque patres nostri potuimus portare?*

¶ AD secundum respondet Aug. dicens: *[August. contra Faustum.]* *Vnusquisque, iniquus homo, inquantùm iniquus, odio est habendus: inquantùm autem homo, est diligendus.* Audito & non intellecto, quid antiquis dictum erat: odietis inimicum vestrum, ferebantur homines in hominis odium, cùm non deberent odisse nisi vitium: hos corrigit Dominus dicendo. Diligite inimicos vestros: præcipiendo vtique vt diligamus inimicos: cogeret nos intelligere, quo nam modo possemus vnum eundemque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam.

¶ AD tertium respondet isdem Aug. *[Idem in quæstionib. Noui & Veteris testamẽti.]* *Quamuis dictũ esset antiquis: oculum pro oculo, & Saluator dixerit; non resistere malo: non aliud voluit Saluator, quàm quod Lex in sensu habet: sed voluntatem eius perfecit, quæ erat respectu salutis hominis. Sed tamen differenter: nam Lex mandauit, vt si quis oculum tolleret, oculum amitteret: vt sic timore territi homines non facerent, ne paterentur quod sibi fieri nolebant, & per hoc salutem haberent. Saluator verò immutatis verbis docuit, quòd saluti prodesset, vt sensum legis impleret: vt qui à timore legis salui esse nequiuerant, per patientiam victi emendarentur, sese corrigentes.* Idem Aug. in eodem. *[Idem in eodem.]* *Lex sic voluit inimicitiam tollere, vt per retributionem territi homines, desinerent esse inimici. Et quoniam audacia sua homines timorem legis, & naturæ spreuerunt, crescentes in malum: per humilitatem Saluator inimicitiam voluit vinci: vt vel sic homines flecterentur ad bonum, dum viderent non sibi reddi inimicitiam.*

¶ AD quartum dicendum: quòd similiter non est contrarium: vtrobique enim est intentio reuerentiæ veritatis: vnde quod dicit Lex: *[Deut. 6.]* *per nomen eius iurabis*, intelligitur: hoc est, si contingat iurare, non iurabis per idola, sed per nomen eius. Quod verò dicitur: *[Matth. 5.]* *Non iurare omnino*, sicut dicit *[August. ad Publicolam Epistola 153.]* Aug. *Hoc dictum est, non quia iurare est peccatum: sed quia periurare immane peccatum est: à quo nos longè esse voluit, qui omnino, ne iuremus, commonuit.*

ARTICVLVS II.

In quibus præcisè distet Lex Euangelij à lege Moysis.

CONSEQVENTER, cùm non differant Lex & Euangelium sicut cõtraria, nec sicut disparata omnino, quæritur de modis differentiæ. Notandum igitur, quòd secundum Apostolum secundùm sex considerationes assignatur differentia legis Moysi & legis Euangelij. Prima secũdùm considerationem virtutis. Secunda secundũ considerationem veritatis. Tertia secundùm considerationem seueritatis. Quarta secundùm considerationem bonitatis. Quinta secũdùm considerationem remunerationis. Sexta secundùm considerationem lationis.

¶ SECVNDVM considerationem virtutis assignatur differentia secundũ forte & infirmum: quia Lex infirma est, Euangelium verò virtuosum. Dicitur de lege. *[Rom. 8.]* *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus filium suum mittens*, &c. De Euangelio verò dicitur: *[Rom. 1.]* *Euangelium virtus Dei est in salutem animarum.* Iuxta hanc differentiam accipiuntur aliæ. Prima, quia ratione virtutis dicitur Euangeliũ iustificans, Lex verò ratione infirmitatis non iustificans: *[Rom. 3.]* *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Vnde & sup illud: *[Ad eosdẽ cap. 8. Glossa.]* *In quo Lex infirmabatur per carnem:* dicit Gl. *Infirmabatur Lex per carnem. i. per carnales obseruantias, quæ non poterant iustificare.* Secũda, quia Lex Moysi dicitur Lex literæ: & hoc propter infirmitatem: quia demonstrat peccatum; sed non confert adiuuantem spiritum, vt dicit Aug. *[August.]* Lex verò Euangelij dicitur Lex spiritus ratione virtutis, quia præstat adiuuantem spiritum, hoc est gratiam ad vitandum peccatum & ad faciendum bonum: vnde, *[Rom. 7. Ad eosdẽ 8. Glossa.]* *Seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Et cap. 8. *Lex spiritus vitæ, (id est, Lex fidei, dicit Gloss.) In Christo Iesu liberauit me:* vbi dicit Glossa. Duæ leges bonæ sunt, Lex fidei, quæ peccatum tollit: & Lex Moysi, quæ peccatum ostendit. Tertia, quia Lex

Moysi

Moysi ratione infirmitatis dicitur Lex oneris, & difficultatis: vnde in huius figuram dicitur: *Manus Moysi erant graues.* Et, *Hoc est onus, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus.* Lex verò Euangelij ratione virtutis dicitur Lex suauitatis & leuitatis. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Nota ergo quòd ex infirmitate legis est, quòd per ipsam non est iustificatio à culpa: quòd per ipsam non præstatur adiuuans gratia; quòd per ipsam cum difficultate fiat operatio bona. E contrariò ex virtute Euangelij est iustificatio à culpa, & præstatur adiuuans gratia: & cùm facilitate & suauitate fit operatio bona: & hæc est summa prædictorum.

Exod. 17. Actuū 15. Matth. 11.

¶ ITEM secundùm considerationem veritatis differt Lex & Euangelium: quia in lege est veritas velata, in Euangelio verò veritas reuelata. *Velamen in lectione Moysi manet non reuelatum: quod in Christo euacuatur.* Et subditur: *Nos aūt reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Item, secundùm eandem considerationem in lege fuit veritas vt vmbra, in Euangelio verò vt imago. *Vmbram habens Lex futurorum, non ipsam imaginem.* Item, secundùm eandem consideratione in lege erat veritas promissionis, in Euangelio verò veritas exhibitionis. Vnde B. Gregor. *Rota erat in rota: quia quod prædicat Lex, quòd prophetæ annunciant, hoc exhibet euangelium.* Et, *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Et Aug. *Ante promissio erat, scilicet in lege: postea verò fit gratia in Euangelio.* Nota, quòd Lex dicitur esse velata quò ad malos: dicitur habere vmbram quò ad bonos imperfectos: dicitur etiam habere veritatem in promissione non in exhibitione quò ad iustos perfectos.

2. Cor. 3. Ibi. Hebr. 10. Gregor. super Ezech. 1. Ioan 1. August. in quæstionib. Noui & Veteris testamēti.

¶ ITEM, secundùm considerationem seueritatis dicitur Lex, & Euangelium differre: quia illa dicitur Lex iræ: istud verò Lex misericordiæ: *Lex iram operatur.* Gloss. *Vt non faceret temporali pœna*: Exod. 21. *Oculum pro oculo*, &c. Et ita iram operatur: & Luc. 10. Samaritanus infudit vinum & oleū: vinum austeritatem legis, oleum misericordiam & lenitatem Euangelij. Et iuxta hanc differentiā dicitur Lex Moysi Lex timoris: Euangelium verò Lex amoris. Vnde Aug. *Breuissima differentia legis, & Euangelij, timor & amor.* Et, *Non accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & tubæ sonū.* (Loquitur de latione legis: pro qua Moyses dixit exterritus sum, & tremebūdus) *sed accessistis ad Sion montem, & testamenti noui mediatorem.* Item, iuxta eandem considerationem Lex Moysi dicitur Lex seruitutis: Lex verò Euangelij Lex libertatis. *Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore: sed spiritum adoptionis filiorum.* Et, *Qui perspexerit in legem perfectæ libertatis*, &c. Nota ergo, quòd Lex Moysi est Lex iræ in comminatione seu in pœnarum determinatione, Lex timoris in effectione, Lex seruitutis in executione.

Rom. 4. Glossa. Exod. 21 Lucæ 10. Aug. cōtra Adamātium. cap. 17. Hebr. 12. Rom. 8. Iacobi 1.

¶ ITEM secundùm considerationem bonitatis differūt Lex & Euangelium: quia Lex Moysi est Lex * imperfectionis boni: Lex verò Euangelij est Lex * perfectionis. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Et, *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Gloss. *Implet Christus legem, dum præmissis ad inchoationem vitæ agenda: superaddit plura ad perfectionem moralium præceptorum.* Et secundùm hanc considerationem dicitur Lex prohibere manum tantùm, Euangelium verò etiam voluntatē seu animum: vnde, *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Gloss. *Nota, quòd ait animas, id est, voluntates, non solummodò manus, vt vetus Lex, quæ manum maximè, non animum cohibebat.* Hac etiam ratione dicitur Lex Moysi Lex factorum, Euangelium verò Lex fidei. *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei.* Gloss. *Lex cohibet manum, non animum.* Item, secundùm hanc considerationem dicitur Lex litera occidens, Lex Euangelij spiritus viuificans. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Et August. *Litera, quæ occidit, certè est Decalogus, in illis duabus tabulis scriptus: quia Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Item secundùm eandem considerationem dicitur Lex continere præcepta non bona. *Dedi eis præcepta non bona*, &c. Euangelium verò continet præcepta bona: quia (sicut dicit Isidorus.) Præcepta legis non bona sunt, Euangelio comparata, quia in eis quædam inutilia infirmioribus sensibus agenda permissa sunt, vt libellus repudij, & cupiditas Israëlitarum spolijs Ægyptiorum socianda permittitur. Notandum igitur, quòd per tria ostenditur maximè imperfectio legis. Primò ex hoc quod non prohibebat mali causam, scilicet voluntatem. Secundò ex hoc quod præbebat mali occasionem, secundùm quod dicitur litera occidens. Tertiò propter malorum quorundam permissionem. Quæ tria potissimè monstrant imperfectionem, contraria verò Euangelij perfectionem.

* Alias, imperfectionis. * Alias, perfectionis. Hebr 7. Matth 5. Glossa. Psalm. 18. Glossa. Rom. 3. Glossa. 2 Cor. 3. Aug. in lib. de spiritu & litera. Rom. 5. Ezech. 20 Isidor. in lib. differentiarū.

¶ ITEM, secundùm considerationem remunerationis differunt Lex & Euangelium, quia in lege est promissio temporalium: in Euangelio verò promissio æternorum. Vnde, *Melioris Testamenti sponsor factus est Christus.* Gloss. *Melius est Nouum Testamentum quàm vetus: quia meliora bona promittit, id est æterna: Vetus verò temporalia.* Et Isidor. *In veteri lege Chanaan regnum, & promissiones temporalium rerum continentur.* Isaiæ 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis*, &c. in Euangelio verò vita æterna & regnum cœlorum promittitur. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

¶ ITEM secundùm considerationem lationis differūt Lex & Euangelium, quia Euangelium est Lex vniuersalis: Lex Moysi Lex particularis. Lex enim Moysi semini Abrahæ data est, secundùm quod dicitur: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius.* Et, *Quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias iuxta iudicia, & vniuersalem legem*, &c. Euangeliū verò datum est omnis generi hominum. Vnde, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Matth. 28. *Ite & gentes omnes docete.* Hi ergo sunt modi differentiarum qui assignantur, legis & Euangelij.

An ex virtute legis veteris dabatur gratia? §. 1.

¶ HIS igitur taliter positis, omissis ijs, quæ in superioribus inquisita sunt: resumendo illos sex differentiarum modos quærimus secundum ordinem. Primò, de differentia legis & Euangelij assignata quantùm ad virtutem. Secundò, de differentia quantùm ad veritatem. Tertiò, de differentia quantùm ad seueritatem. Quartò, de differentia quantùm ad bonitatem. Quintò, de differentia quantùm ad remunerationem. Sextò, de differentia lationis.

¶ CIRCA primum (sicut patet ex præcedentibus) quærenda sunt tria. Primò, de differentia quantùm ad iustificationem. Secundò, de differentia quantùm ad gratiæ largitionem. Tertiò, de differentia quantùm ad onus seu difficultatem. De primo & tertio habes suprà.

¶ DE secundo verò quæritur? Vtrùm ex virtute legis daretur gratia. Ad quod sic: Hugo. *Tria genera sacramentorum inueniuntur fuisse scripta sub lege, quædam specialiter ad remedium, quædam ad obsequium: quædam ad cultum diuinum. Prima pertinet ad peccatorum remissionem, secunda ad exercendam deuotionem, tertia ad colendam pietatem. Prima instituta fuerunt quasi ad necessitatem, vt in eis homo sanctificetur; qualis fuit circumcisio, & hostiæ pro peccato, & pro delicto, & cætera quædam quæ specialiter ad emundationem & remissionem instituta fuerunt. Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt proposita, vt in eis deuotio fidelium exerceretur, & meritum augeretur: quales fuerunt hostiæ pacificorum; quæ offerebantur à fidelibus ad reconciliandam sibi gratiam diuinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad præparationem quandam; vt quasi instrumenta quædam essent ad cætera sacramenta tractanda & sanctificanda, quale fuit tabernaculum & atrium; & omnia vtensilia, quæ continebantur in eis.* Ex his ergo manifestè videtur dicere Hugo, legalia sacramenta esse ad sanctificationem quantùm ad aliquam partem. Sed omnis sanctificatio est per gratiam: ergo habuit virtutem in sacramentis conferendi adiuuantem gratiam.

¶ ITEM, idem Hugo. *Si quis sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negauerit: Non mihi rectè sentire videtur.* Ergo secundùm Hugonem sacramentalia legis habebant virtutem sanctificationis: ergo & gratiæ.

¶ ITEM, *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, iustum, & bonum*, (& loquitur de lege Moysi) Lex ergo est sancta, id est, sanè docens: sicut dicit Hieron. in Gloss. Et mandatum, id est, quod per eam præcipitur, est sanctum in se, & iustum; id est iustificans peccatorem, & bonum id est,

id est, vtile ad vitam. Si ergo mandatum legis est iustum, id est, iustificans peccatorem: & bonum, id est, vtile ad vitam: sed iustificatio peccatoris siue acquisitio vitę non potest esse sine gratia: ergo ex lege est virtus ad gratiam. Non igitur differt Lex, & Euangelium per hoc, quòd in lege sit solùm notitia, & in Euangelio adiuuans gratia.

Galat. 2. ¶ CONTRA. *Non abijcio gratiam Dei: si enim per legem iustitia: ergo Christus gratis mortuus est.* Ibi dicit Gloss. Aug. *Non abijcio gratiam, id est, non recipio legem, quòd esset abijcere gratiam.* Ergo ex sacramentis legalibus non dabatur gratia. Glossa. August.

Galat. 3. ¶ ITEM, *Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis? ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Ac si diceret, sicut dicit Gloss. Ex operibus legis non habuistis spiritum; hoc est gratiam: per vos enim potestis videre, quòd ego qui habui opera legis; non tamen per ea, sed per fidem accepi potestatem dandi spiritum, ministerio, non auctoritate. Glossa.

Hebr. 9. Glossa. ¶ ITEM, *Iuxta legem munera, & hostia offeruntur: quæ non possunt iuxta conscientiam seruientem Deo perfectum facere.* Glossa. *Munera & hostiæ non possunt seruientem Deo perfectum facere, id est, plenè mundum facere: & hoc iuxta conscientiam, id est, in conscientia intus: & si ad visum hominum extra.* Ex quo patet, quòd non est verum quod dicit Hug. scil. quod hostia pro peccato erat ad sanctificationem siue emundationem à peccato.

Hebr. 9. ¶ ITEM, *Si enim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Ibi dicit Gloss. *Ad emundationem, non animæ, sed carnis.* Glossa.

Hebr. 10. ¶ ITEM, ad idem est, quod dicitur ibid. *Impossibile est sanguinem hircorum auferre peccata.* Relinquitur igitur, quòd ex sacramentis legis non dabatur gratiam.

RESOLVTIO.

In lege ex vi legis nequaquam admittimus dari gratiam: tametsi contigerit interdum dari.

¶ RESP. Legalia sacramenta dicuntur duobus modis, vel quæ erant in lege obseruata, vel quæ erant in lege instituta. In lege obseruata erant sacramenta: vt circumcisio, matrimonium, & etiam pœnitentia: sed non fuerunt in lege instituta. De istis præsens quæstio non est: sed de sacramentis in lege institutis: vt erant hostiæ pro peccato, & ritus phasæ, & vitulæ rufæ, & similia. Indistinctè autem de his, est dicendum: quod ex illis non dabatur gratia, siue imprimebatur dispositio ad gratiam, sicut ex sacramentis nouæ legis: tamen in illis contingebat dari gratiam, non tamen virtute illorum, sed occasione illorum: ex hoc, vel quia erant materia exercendæ deuotionis (deuotio enim ad Deum ordinat ad gratiam) vel quia habebant annexam intercessionem orationis: vnde in Leuit. 1. 2. Et infrà. Offeret tale quid, & orabit pro eo Sacerdos, &c. Oratio verò frequenter impetrat gratiam alteri: vel quia erant instituta ad communionem, & vnionem populi fidelis: quàm quidem vnionem spiritualiter facit fides, & charitas: Meritò autem communionis fidelium frequenter impetratur gratia desiderantibus participationem huius communionis. Absolutè igitur dicendum quòd ex vi sacramentorum legis non dabatur gratia: quamuis in illis contingeret aliquando dari gratiam.

¶ AD illud ergo, quod primò dicit Hugo. Quòd in sacramentis legis erat sanctificatio, & remedium. Dicendum, quòd refert dicere in illis esse sanctificationem, & ex illis esse sanctificationem, *ex illis* enim dicit causam *in illis* dicit concomitantiam. Quia ergo in sacramentis legalibus non erat causa sanctificationis, vt manifestè probat Apostolus: quamuis contingeret illa via, qua dictum est, concomitari gratiæ sanctificationem: ideo ex illis non est sanctificatio: quamuis in illis aliquando esset sanctificatio.

¶ AD secundum verò, quod dicit Hugo: quod in ipsis erat virtus sanctificationis. Dicendum, quòd duplex dicitur sanctificatio: est enim sanctificatio carnalis, & sanctificatio spiritualis: sanctificatio carnalis intelligitur liberatio à pœna peccati; quàm incurreret quis, si quod præceptum est, contemneret, seu non faceret: sanctificatio verò spiritualis est ipsa emundatio, quæ in anima est, à macula peccati. Loquendo ergo de sanctificatione carnis, prout dictum est; erat in sacramentis legalibus virtus sanctificationis: vnde Hebr. 9. *Sanguis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Gloss. *Inquinatos contactu mortuorum sanctificat, id est, à peccato mundat, id est, à pœna, valens ad emundationem, non animæ, sed carnis: quia à pœna legis liberabat.* Loquendo verò de sanctificatione spirituali, non erat in sacramentis legalibus virtus sanctificationis: nisi per occasionem, seu per accidens. Hebr. 9. Glossa.

¶ AD tertium, quod dicitur: quòd mandatum legis erat iustificans peccatorem. Dicendum, quòd iustificatio (vt suprà dictum est) intelligitur dupliciter: vel iustitiæ infusio, ex mandato legis non est iustificatio; nec morali, nec cæremoniali, nec sacramentali, sicut à causa efficiente licet sicut à causa disponente. Si verò dicatur iustitiæ exercitatio: secundùm hoc præceptum morale legis iustificat, sicut dicit Gloss. Super illud: *Ex operibus legis non iustificabatur omnis caro.* De lege loquimur secundùm cæremonialia: non secundùm moralia: quæ vtiq; iustificant: & hoc intelligitur per se, & essentialiter. In figuralibus legis non erat exercitium iustitiæ: nisi ex circumstantia solùm, quæ erat vel auctoritas diuinæ institutionis, vel charitas seu obedientia deuotæ impletionis eò modo, quo iam dictum est. Glossa super Roman. 3.

An rectè ponantur differre Lex vetus & Euangelium in hoc; quòd ibi erat veritas velata, hic reuelata: ibi vmbra, hic imago: in illa promissio, in isto exhibitio: §. 2.

¶ POSTEA quæritur? de differentia legis & Euangelij quantùm ad veritatem. Et primò de hoc quod dictum est: quòd in Euangelio est veritas reuelata, in lege verò velata. Ad quod Isidor. *In lege fuit vmbra & obscuritas scripturarum: in Euangelio clara distinctio veritatis.* Isidor. in lib. differentiarũ.

¶ CONTRA. In Euangelio est veritas sub parabolis occultata. Matth. 13. Sed vbi est parabola, ibi est figurata locutio: quæ vnum dicere videtur, & aliud intelligere: vt dicit Hieron. ad Palmachium; & etiam vt dicitur: Matth. 13. Ergo in Euangelio est veritas velata: non ergo differunt Lex & Euangelium per velatum & reuelatum.

¶ ITEM, sicut dicitur in veteri Testamento. *Claude sermones, signa librum vsq; ad tempus statutum,* &c. Ita in Euangelio dicit Saluator. Matth. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, vt impleatur in eis prophetia Esaiæ. Auditu audietis, & non intelligetis.* Ergo in * lectione Euangelij est veritas velata malis seu indignis: sicut in lectione legis, seu Testamenti veteris. Daniel. 12. Matth. 13 ex Isai. 6. *Aliàs, locutione.

¶ ITEM, si statui Euangelij conuenit veritas reuelata, secundùm quod dicitur: *Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculamur.* Ergo maximum inconueniens est, vt in Euangelio veritas veletur parabolis: & tamen ibi veritas signata est: vnde, super illud: * *Signauit mittens per Angelum,* &c. Dicit Gloss. *Hoc est sub signo vel signaculo clausit.* 2. Cor. 3. Apoc. 1. *Aliàs, significauit. Glossa.

¶ ITEM, quæritur de alia differentia: de qua dicit Isidor. iuxta Apost. ad Hebr. Quòd Lex habuit vmbram, Euangelium verò imaginem. Isidor. in lib. differentiarũ.

¶ CONTRA. In Euangelio habemus signa futurorum: vt Matth. 23. *Dic nobis, quando hæc erunt: & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Et postea dat Saluator signa aduentus sui & consummationis mundi. Ergo Euangelium habet vmbram futurorum, quemadmodum & Lex: ergo non differunt sicut vmbra & imago. Matt. 23.

¶ ITEM, quæritur de alia, quæ est sc. quod in lege est veritas in promissione, in Euangelio verò veritas in exhibitione & impletione: vnde Isidor. *In lege promissa continentur: promissa verò in Euangelij plenitudine consummantur.* Idem Isidor. in eodem lib.

¶ CONTRA, in Euangelio promittitur resurrectio futura, & regnum cœlorum, quod non est exhibitum. Ergo non differunt Lex & Euangelium secundùm promissionem & exhibitionem.

RESOLVTIO.

Et quidem, si attendantur notitia credendorum, gratia faciendorum, gloria præmiorum.

¶ Responsio. Dicendum, quòd veritas tam in Euangelio, quàm in lege respicit tria: notitiam credendorum; gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Respectu notitiæ credendorum differt Euangelium & Lex secundùm velatum & reuelatum: respectu gratiæ faciendorum sicut promissio & exhibitio: respectu gloriæ præmiorum differunt sicut vmbra & imago. Ita quod in lege est velamen notitiæ, promissio gratiæ, vmbra gloriæ: in Euangelio verò est reuelatio fidei notitiæ fidei, exhibitio gratiæ Dei, imago præmij.

¶ Ad illvd ergo, quod primò objicitur: quod in Euangelio est veritas parabolis occultata. Respondeo dico, quod ibi est occultata & reuelata: occultata turbis & indignis, reuelata discipulis & dignis: vnde Matth. 13. Parabolicè loquitur turbis, & parabolam exponit discipulis. Præterea, ibi est parabola sub tegumento operum: hic verò parabola sub tegumento sermonum.

¶ Ad secundùm dicendum: quod significatio seu clausio veritatis in lege est simpliciter: in Euangelio quò ad aliquid. In lege enim est clausio fidei redemptionis, in Euangelio verò patet fides redemptionis: sed clausio est respectu rationum seu mysteriorum redemptionis; vt ipsa veritas rationum non clarescat indignis: vnde dicit Apostolus. *In manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos.* (2. ad Cor. 4.) Quòd si etiam opertum est Euangelium, in his, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium: vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi. In lege autem mysterium redemptionis latet, & quia est, & propter quid est: in Euangelio verò patet quia est: sed quò ad imperfectos latet propter quid est.

¶ Ad tertium dicendum: quod quò ad præsentem statum, in quo non potest videri veritas: sicut est veritas illa, quæ est lux increata; expedit & conuenit, vt sub similitudinibus proportionalibus nostro intellectui cognoscenda ministretur: sicut dicit B. Dionys. (Dionys. in hierarchia angelica c. 1.) Præterea, sicut dicit Gloss. Super illud: *Nolite dare sanctum canibus.* (Matth. 7.) Res abscondita auidiùs quæritur, celata venerabiliùs conspicitur, diu quæsita cariùs tenetur: ideo vtile est velatio veritatis sub parabolis intelligentiæ & memoriæ nostræ.

¶ Ad alivd verò, quód quæritur de alia differentiæ vmbræ & imaginis. Dicendum, quòd vmbra habet figuram rei obscuram & indistinctam: imago verò expressam & distinctam: quia (sicut dicit August.) imago est expressa similitudo. Sed hæc differentia legis & Euangelij assignatur respectu futuræ gloriæ, cuius gloriæ Lex habuit figuram obscuram, & indistinctam in remotissimo vestigio. Euangelium verò habet imaginem, hoc est similitudinem expressam & distinctam in exemplo. Vnde August. (August. contra Faustum.) *Quid nobis promittitur, nisi vita æterna ex resurrectione à mortuis: hoc autem iam completum est in sua carne, quod verbum factum est: & quod fidelibus promittitur in induto, iam completum est in exemplo.*

¶ Ad vltimum quod quæritur de illa differentia promissionis & exhibitionis. Iam patet responsio: nam hæc differentia attenditur respectu gratiæ, quæ in lege promittitur, & in Euangelio exhibetur. In Euangelio nihilominus est promissio gloriæ: quæ & si non sit exhibita vel completa in mystico Christi corpore: est tamen iam completa & exhibita in capite: *Vnde & securiùs expectamus saluatorem nostrum Iesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* (Philip. 3.)

An pariter Lex vetus à lege Euangelij in hoc differat: quòd illa iræ, ista misericordiæ; illa timoris, ista amoris: illa seruitutis, hæc libertatis Lex sint? §. 3.

¶ Consequenter quæritur? de differentia legis & Euangelij quantùm ad seueritatem, secundùm quam assignantur differentiæ iræ & misericordiæ, timoris & amoris, seruitutis & libertatis. Ira, timor, & seruitus ad legem: misericordia, amor, & libertas ad Euangelium: sicut supra declaratum est.

¶ Contra. Seuerior est comminatio & inflictio pœnæ æternæ, quàm temporalis. Sed in Euangelio est comminatio pœnæ æternæ. *Paleas comburet igni inextinguibili:* (Matth. 3.) Et, *Ite in ignem æternum*, &c. (Matth. 25.) In lege verò est comminatio pœnæ temporalis, & damnificationis rerum, vel flagellationis, vel afflictionis corporum. Ergo seuerius est Euangelium, quàm Lex: ergo Euangelium magis debet dici Lex iræ quàm Lex Moysi.

¶ Item, incomparabiliter timor Dei excedit timorem hominis: sed in Euangelio suadetur timor pœnæ inferendæ à Deo (vnde. *Ipsum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.*) (Matt. 10. & Lucæ 11.) In lege timor pœnæ, quæ vt frequenter infertur ab homine sc. iudice. *Maleficos non patieris viuere*, & huiusmodi. (Exod. 22.) Ergo Euangelium potius debet dici Lex timoris, quàm Lex Moysi.

¶ Item, in Euangelio est pœna spiritualis separationis à communione fidelium in interitū carnis. 1. Cor. 5. in iudicio Apostoli de fornicatore: in lege verò pœna corporalis: & acerbior, quæ ibi determinetur, est separatio à communione viuentium, per mortem videl. Si ergo bonum animæ* & spirituale est incomparabiliter melius corporali: ademptio spiritualis boni est incomparabiliter *maius damnum ademptione corporalis boni. Seuerior igitur est iustitia Euangelij, quàm legis. (*Aliàs, etiam.)

¶ Item, si dicatur: quod duplex sit status hominum, carnalium, & spiritualium. Carnalibus apparet seuerior pœna temporalis, quàm æterna, & timor humanus quam diuinus, & corporalis pœna plusquam spiritualis. Spirituali verò è contrario: simpliciter autem quod in sensu cad r hominum carnalium, vniuersaliùs seu generaliùs timetur.

¶ Contra. Simpliciter seuerior est pœna æterna temporalis & spiritualis corporali: præterea seuerior est pœna æterna & spiritualis homini spirituali, quàm pœna corporalis & temporalis homini carnali. Simpliciter igitur est seuerior pœna Euangelij, quàm legis.

¶ Item, amor carnalis faciliùs & feruentiùs allicit carnalem, quàm amor spiritualis hominem spiritualem. Itē, amor, qui generatur intuitu beneficiorum, vniuersaliùs & priùs attrahit, quàm amor aggeneratus ex intuitu boni quia bonum. Cùm ergo Lex ex promissione & exhibitione temporalium beneficiorum generet in affectu carnali amorem carnalem, & in affectu hominis boni amorem debitum: Lex Moysi erit ampliùs dicenda Lex amoris, quàm Lex Euangelij.

¶ Item, differentia ista legis & Euangelij aut accipitur simpliciter, aut quò ad aliquos: Si simpliciter, Lex Euangelij magis erit Lex timoris: cùm illud, quod ipsa comminatur, sit magis timendum. Si quò ad aliquos & plures, Lex Moysi magis erit amoris: cùm illud, quòd ipsa promittit; vel illud, quo allicit affectum plurium moueat ad amorem.

¶ Item, si dicatur quod Euangelium dicitur Lex amoris, quia secundùm rectam rationem ampliùs debet allicere ad amorem, eò quod præcipit perfectam charitatem. Contra. Perfecta charitas, qua nulla perfectior; est in diligendo Deum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Si ergo talis charitas præcipiatur in lege. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota*, &c. (Deut. 6.) Lex Moysi erit Lex perfectæ charitatis. Non est ergo differentia legis & Euangelij: vt in Euangelio sit amor, & in lege timor.

RESOLVTIO.

Iure dictæ leges propositas denominationes sortita sunt: cùm illa quidem esse districta in pœnis, copiosa minis, detectrix tremenda Dei maiestatis: hæc verò mitis sit in punitionibus, affluens promissionibus, patrem Deum spondeat affectibus.

¶ Resp. Dicendum, quòd Lex Moysi rectè dicitur Lex timoris, iræ, & seruitutis. Lex iræ dicitur, quia in pœnis ha-

bant districtionem, raram verò miserationem: vnde, *Lex iram operatur*: id est, pœnā, &c. Ad hoc enim data est, vt reos faceret temporali pœna, scil. *dentem pro dente*, &c. Lex verò timoris dicitur, quia plurimas habet cōminationes, paucas promissiones; sicut patet ex serie legis: Lex verò seruitutis dicitur, quia in commonitionibus præceptorum semper pro ratione supponit dominium diuinæ maiestatis: vnde ad præcepta supponit. *Hoc facite, & hoc ego sum Dominus.* Quasi dicat: ego dominator, & vos serui: & ideo estis obnoxij obedire mandatis. Euangelium verò rectè dicitur Lex amoris, Lex misericordiæ, Lex libertatis: Lex misericordiæ seu clementiæ dicitur, quia in pœnis legis habet misericordiam & relaxationem, vnde & mulieri deprehensæ in adulterio dicitur. *Vade, & ampliùs noli peccare.* Lex verò amoris dicitur, quia plurimas habet promissiones, raras comminationes; sicut patet ex serie Euangelij; promissionibus autem generatur amor: Lex verò libertatis dicitur, quia in monitionibus præceptorum pro ratione supponit gratiam diuinæ paternitatis, vnde postquam dixit: *Estote misericordes, & benefacite & diligite inimicos vestros:* subiunxit. *Vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est:* Quasi dicat, hoc facite in libertate filiali, non in obnoxietate seruili, intuitu paternitatis, non intuitu dominationis, propterea dicitur: *Non accepistis spiritum seruitutis in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Præterea appropriando specialiter, Lex in præceptis iudicialibus habet, iram per districtionem punitionis; in præceptis moralibus timorem per multitudinem comminationis; in præceptis verò cæremonialibus seruitutem, quia data sunt in onus superborum: sicut dicit August. Et etiam per intuitum & pauorem diuinæ damnationis: & de onere cæremonialium, dicit B. Petrus: *Hoc est, onus quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus.* Et, *Nolite iterum iugo seruitutis contineri.*

(Margin: Rom. 4. — Exod. 21. — Exod. 20. — Ioan. 7. — Lucæ 6 — Rom. 8. — August. — Actuū 15 — Galat. 5)

¶ Ad primum ergo, ꝙ obijcitur dicendum: quod quamuis districtior sit comminatio pœnæ æternę, quàm temporalis: non tamen seuerius est Euangelium, quòd comminatur pœnam æternam, lege, quæ comminatur pœnam temporalem: & hoc est, quia Lex sic comminatur pœnam, vt de præsenti inferendam, & pœnitenti non remittenda: Euangelium verò sic comminatur pœnam æternam, vt in futuro inferenda, & pœnitenti animæ remittenda: ideo in lege est comminatio sine miseratione, & ideo comminatio terroris: in Euangelio verò comminatio cùm miseratione: & ideo comminatio talis est amoris.

¶ Ad secundùm dicendum: ꝙ intentio legis non est ex pœnis inducere timorem humanum, imò timorem diuinum, sed per temporale supplicium: vnde, *Dominum Deum tuum timebis.* Et, *Finem loquendi omnes pariter audiatis* (supple in lege) *Deum time.* Vnde respondendum ad illud, quòd proponitur, per interemptionem.

(Margin: Deut. 6. — Eccl. vlt.)

¶ Ad tertium dicendum: quod quamuis in Euangelio inferatur pœna spiritualis, non tamen infertur delinquenti: si à malitia resipiscat: & constet, quòd pœniteat: in lege pœna delinquenti infertur, nec per pœnitentiā relaxatur. Et ideo Lex seuera est in puniendo, quæ pœnitenti non parcit: Euangelium verò Lex pietatis est, seu misericordię: quę omnia pœnitenti parcit. Nec est contra hoc oppositio de pœna, quæ infertur à sæculari potestate: sicut supra declaratum est.*

(Margin: * Quæst. pœnis temporaliū certum.)

¶ Ad quartum verò patet responsio ex iam dictis: nam non solùm per comparationem pœnæ ad pœnam, aut per comparationem hominis carnalis & spiritualis assignantur prædictæ differentiæ: sed per comparationem legis ad legem quò ad punitionem, quò ad comminationem, quò ad monitionem; & præterea per comparationem, quæ est ad rationes iudicialium, moralium, cæremonialium præceptorum.

¶ Ad quintum ꝙ quæritur de amore. Dicendum, quòd proptè promissio legis non generat amorem carnalē, sed amorem initialem: qui quidem respectu Dei concipitur ex temporalibus beneficijs. Carnalis .n. amor non potest dici propriè respectu Dei, nisi extenso nomine: talis enim amor ex vitio diligentis, non ex intentione benefacientis. Præterea comparatus amor carnalis amori charitatis: sicut dicitur super Ps. 118. *Bonum mihi Lex oris tui super milia auri & argenti:* vbi dicit Gloss. Quòd charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas aurum vel argentum. Præterea, amor ex beneficijs spiritualibus & æternis excedit incomparabiliter amorem introductum ex beneficijs corporalibus & transitorijs. Propterea manifestum est, ꝙ non poterit dici Lex Moysi Lex amoris; quemadmodum Lex Euangelij, quæ introducit amorem charitatis, & amorem conceptū ex beneficijs spiritualibus & æternis, seu ex intuitu ipsius summæ bonitatis. Præterea, cùm Lex Moysi plura contineat, vnde generetur terror, quàm vnde concipiatur amor: econtrariò verò Lex Euangelij: manifestum est, quòd Lex Moysi Lex timoris est: Euangelium verò Lex amoris. Et per hoc patet responsio ad sextum.

(Margin: Glossa.)

¶ Ad vltimum, ꝙ quæritur de perfecto amore, qui præcipitur in lege. Solent respondere: ꝙ hoc non est nisi in Deut. quæ est secunda Lex, & figura Euangelij: tamen ratio huius quamuis declarata sit quodammodo in superioribus. *Inferius nihilominus magis patebit.

(Margin: * Quæstione, vtrū post lationē legis, Moysi ferenda esset Lex Euangelij.)

An item Lex Moysis & Christi in hoc differant, quòd illius imperfecta, huius perfecta Lex esset? §. 4.

¶ Qværitvr postea de differentia legis & Euangelij quantùm ad bonitatem: secundùm quam differentiā dicitur Lex Moysi imperfecta, & Lex factorum, & Lex occidens, & continere præcepta non bona. Econtrariò verò Lex Euangelij dicitur Lex perfecta & prohibere animum, siue Lex fidei, Lex spiritus, & Lex continens præcepta bona.

¶ Ad primam differentiam dicitur expressè. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*, vt dictum est. Cōtra. *Christus non venit legem soluere, sed adimplere.* Matth. 5. *Non vt legi adderentur, quæ deerant: sed vt fierent, quæ scripta erant.* Si ergo Euangeliū non addit aliquid, quòd desit legi: ergo perfecta est Lex sicut Euangelium, nisi solùm quò ad obseruantiam: defectus autem obseruantiæ non est imperfectio legis: sed imperfectio hominum, quibus Lex est data.

(Margin: Hebr. 7. — August. contra Faustum.)

¶ Item, dicitur: *Rota in rota* Greg. *Vetus in nouo, & nouum in veteri.* Si ergo nouum est in veteri: ergo perfectio Euangelij est in lege: ergo æquè est perfecta Lex sicut Euangelium: ergo non differunt Lex & Euangelium per perfectum & imperfectum.

(Margin: Ezech. 1. Gregor.)

RESOLVTIO.

Generaliter Lex Moysis secundùm formam editionis imperfectior est comparata ad Christi legem; tùm maximè quò ad moralia præcepta: aliter verò secundùm potestatem, virtutemq; rationis considerata.

¶ Resp. Dicendū, ꝙ de perfectione & imperfectione quò ad legem & Euangeliū nos possumus loqui generali sermone, & appropriato. Generali sermone non distinguendo in lege inter præcepta sacramentalia, & cæremonialia, & iudicialia, & moralia. Appropriato verò sermone distinguendo ista in lege: & secundùm hoc non inconuenienter comparando Euangelium ad legis sacramentalia, appropriatur prima differentia legis & Euangelij, quæ attenditur quantùm ad veritatem: quia sacramentum legis infirmum est ad iustificationem: sacramentum verò Euangelij virtuosum. Cōparando ad cæremonialia, appropriabitur secunda differentia, quæ est quantùm ad veritatem: quia in cæremonialibus est veritas velata & obumbrata; ꝙ in exhibitione gratiæ Euangelij est reuelata. Item, comparando ad pcepta iudicialia appropriabitur tertia differentia, ꝙ attenditur quantū ad seueritatē: quia in iudicialibus districtio est seueritatis: in Euāgelio est mitigatio seueritatis. Cōparando verò ad moralia, appropriatur quarta differentia; quæ attenditur quantùm ad bonitatem: quia in moralibus legis est imperfectio bonitatis; in moralibus verò Euangelij perfectio bonitatis: vnde Matth. 5. super illud: *Nisi abundauerit iustitia vestra*, &c. Gl. *Pleniùs aguntur, quæ præmissa sunt ad inchoationem, cùm fuerint addita ad perfectionem moralium præceptorum.* Sermone verò generali prædictæ differen-

(Margin: Glossa.)

ferentiæ generaliter attenduntur quò ad legē, non distinguendo inter præcepta, vt dictum est.

¶ Secvndvm hoc ergo respondendum, distinguēdo: quod lex potest considerari dupliciter: secundùm formam editionis, & secundùm potestatem rationis. Secundùm formam editionis lex vniuersaliter imperfecta est respectu Euangelij: sicut suprà in parte declaratum est Quæstione, vtrùm præter legem Moysi lex Euangelij requiratur, & infra ampliùs ostendetur Quæstionibus de additionibus legis ad Euāgelium: & de completione legis per Christum.

¶ Ad illud ergo, quod dicit Augustinus, quod Euangelium non addit legi, quod ei deest. Dicendum, ꝙ loquitur de lege quantum ad potestatem rationis: secundùm q̄ perfectio Euangelij includitur in lege: non quantum ad formam editionis. Et exemplum est in figura incisionis; cū enim lignum inciditur, & in ipso imago figuratur, educitur figura in actualitate, & apparet actu, quæ priùs erat secundùm possibilitatem, & latebat virtute. Sicut ergo non dicitur facta additio ligno ex figuratione imaginis quantum ad potestatem, sed solùm quātum ad actualitatem: sic intendit dicere Augustinus, quòd nō est additio Euangelij ad legem quātum ad potestatē, sed quantum ad actualitatem: vnde in lege est quasi imago boni cooperta, proposita animæ, iuxta illud: *Vmbram habens lex, non ipsam imaginem:* Euangelium verò habet imaginem boni expressam, & apertam: quod fit per subtractionem superfluitatis cæremonialium, & figuralium præceptorum, & distinctionē moralium.

Hebr. 10.

¶ Ad secundum similiter intelligendum, quòd perfectio Euangelij est in lege, respiciendo ad potestatem rationis legis, nō ad formā editionis. Et exemplum huius est: quia sicut differentia est in genere potestate, non actu, sicut dicit Porphyr. sic perfectio Euāgelij in lege: sicut aūt differētia addita generi, trahit ipsum in actū speciei, & est ista additio quantum ad actualitatem, non quantum ad potestatē: sic perfectio bonitatis in lege est in ratione quadam generali; & in actum, & speciem educitur per additionem Euangelij.

Porphyr. in Isagog. c. de differentia.

¶ Deinde quæritur contra positam differentiā, Rom. 3. quòd lex Moysi dicitur lex factorum: Euangelium lex fidei. Nam obijcit Hilar. ibidem in Glos. Lex Euangelij, & si non habeat opera veterum sacramentorū, vt circuncisionis, atque cæterorum; habet tamen opera in sacramentis suis, huic tempori congruis; & habet opera misericordiæ in moralibus præceptis: ergo lex Euangelij debet dici lex factorum sicut lex Moysi.

Quæstio

Hilar.

¶ Item, si dicatur lex Moysi factorum, eadem ratione qua dicitur super illud: *Iustitia, quæ ex fide est.* Glos. *Iustitia nō vera, quæ ex lege est, quæ manum comprimit, non animum: quæ timore, non amore seruire facit.* Secundùm hoc ergo lex Moysi dicitur lex factorum, quia respicit opera; lex verò Euangelij non dicitur lex factorum; quia non respicit opera, sed voluntatem.

Philip. 3. Glossa.

¶ Contra, Augustinus assumens illud Apostoli ad Rom. 3. *Per legem non iustificabitur omnis homo apud Deum, &c.* dicit: quod sic inquit solam legem nō iustificare homines apud Deū; sicut nec sola fides, exceptis bonis operibus, cōmēdat apud Deū. Sicut ergo legi Moysi ad iustificationem necessaria erat fides (vnde August. ibidem dicit de patribus veteris testamenti, quod addiderunt temporali iustitiæ legis, quæ scilicet est in lege, iustitiam fidei) ita legi fidei ad iustitiam veram necessaria sunt opera bona, Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Lex igitur Euangelij lex factorum dicenda est sicut lex Moysi.

August. in quæst. no. & vet. Testam.

Iacob. 2.

¶ Respon. Dicendum, quod lex Moysi dicitur lex factorum, quia indicat libero arbitrio hominis, quid faciat: sed non indicat, cùm homo impotens sit per liberum arbitrium, gratiam Dei: per quam illud facere valeat. Lex autem Euangelij per dictamen fidei gratiam Christi indicat; per quam homo implere poterit, quicquid Deus iubeat. Et hoc est, quod dicit Augustinus, in lib. de spiritu & litera: *Per legem operum dicit Deus homini; fac quod iubeo; per legem fidei dicit homo Deo; da quod iubes: ideo enim iubet lex, vt moneat quid faciat; fides vt cui iubetur, si non potest, sciat quid petat: videlicet gratiam.* Et propter hoc ibidem dicit Augustinus, quòd lex mandatum bonum habet; litera demonstrante, non spiritu adiuuante.

¶ Postea quæritur de alia differentia, qua dicitur: quòd lex Moysi est occidens, lex Euangelij iustificans: iuxta illud 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus viuificat:* Dicit autem Augustinus in lib. de spiritu, & litera: quod non aliam vult Apostolus intelligi literam, quàm Decalogum, in illis duabus tabulis scriptū. Probat aūt Aug. ꝙ dicit sic: Non potest intelligi de figuralibus præceptis, quod dicit Apostolus, litera occidit: nam ad Roman. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Et subditur: *Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me: & per illud occidit.* Ecce ꝙ hęc litera occidit: nihil autem figuratè dicitur, cùm dicitur, Non concupisces: sed secundùm literam solùm: & constat, quòd illud est mandatum decalogi: mandatum autem decalogi est litera occidens.

¶ Secvndvm hoc ergo obijcitur; si decalogus dicitur occidere: aut hoc est inquantum obseruatus, quod esse non potest: quia obseruans decalogum, facit illud, ꝙ debet: talis autem meretur viuificari, non occidi. Aut inquantum non obseruatus: & si hoc, eadem ratione & Euangelium: quia non obseruans Euangelium, meretur occidi æternaliter.

¶ Item, cùm dicitur Decalogus litera occidens: aut dicitur per causam, aut per occasionem, aut per ostensionem. Quòd per causam, videtur ad Rom. 7. *Nunc autem soluti à lege mortis, &c.* Glos. *A lege, quæ est causa mortis.*

¶ Contra, ad Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, iustum, & bonum.* Glos. *iustum, id est iustificans peccatorem; bonum, id est vtile, vitam acquirens.* Si ergo est vitam acquirens; ergo causa est vitæ, non mortis. Quod per occasionem, videtur per textum ad Roma. 7. *Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Contra: secundùm hoc videtur, quod simili ratione litera Euangelica est occidens: quia quælibet opera iustitiæ, de quibus loquitur Euangelium; quādo non referuntur ad Deū, sunt occasio æternæ mortis: ergo secundùm hoc, Euangelium erit litera occidens: vnde Augustinus de Ciuit. Dei *Virtutes, cùm referuntur ad seipsas; nec propter aliud expetuntur, inflatæ atque superbæ sunt; & ideo nec virtutes, sed vitia iudicanda sunt.* Quod autem per ostensionem intelligatur; videtur per illud, quod habetur ad Rom. 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Glos. *id est, ad hoc addita fuit, vt per eam abundātiùs cognosceretur delictum.* Si enim lex non fuisset, peccatum lateret: sed per legem genera peccatorum, & prævaricationis crimen homo cognouit. Secundùm hoc ergo dicitur decalogus litera occidens, id est peccatum, quod est causa mortis, ostēdens. Contra, secundùm hoc Euangelium est litera occidens, quia ostendit peccatum, & generaliùs, & euidentiùs quàm lex: peccata autem sunt mortis æternæ causa. Non videtur igitur lex & Euangeliū differre in moralibus: quia ibi est litera occidens, hic viuificans.

¶ Item, si litera legis occidit: sed quod occidit, contrarium est saluti, lex igitur videtur contraria saluti. Et si decalogus intelligatur litera, videtur decalogus saluti contrarius.

¶ Respon. Litera occidens potest intelligi de lege quantum ad iudicialia præcepta, & quantum ad moralia. Quantum ad iudicialia intelligitur per causam, & de occisione corporali: vnde, litera occidit: quia in iudicialibus lex malos occidere præcipit, Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Quantum verò ad moralia dicitur lex litera occidens quatuor modis, per ostensionem, per occasionem, per defectum, per præuaricationem. Per ostensionem, quia ostendit peccatum, quod occidit, Roman. 7. *Non cognoui peccatum, nisi per legem.* Per occasionem dupliciter: prohibendo, innotescendo: prohibendo enim auget peccati desiderium, secundùm quod dicitur Roma. 7. *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Glos. *Aucta est concupiscentia prohibitione legis, & cætera.* innotescendo, quia faciendo peccatum cognosci, in peccantibus augetur contemptus De

& ita peccatum, vnde Auguſt. ſuper illud, *litera occidit*, dicit: *Apparet, litera vetuſtatem, ſi deſit nouitas ſpiritus; reos facere potiùs cognitione peccati, quàm liberare à peccato*: Vnde, *Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem*. Sic ergo innoteſcendo peccatum, facit ſcienter peccare; & Luc. 12. *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis*: ſic ergo dicit lex occidere per occaſionem prohibendo, innoteſcēdo. Item per defectum, quia (ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera) lex mandatum bonum habet tantùm in litera demonſtrante, non ſpiritu adiuuante: quia ergo lex non habet adiuuantem ſpiritum: hoc eſt gratiam, quod iubet, fit ſolo timore, non amore, & ita culpabiliter; & hoc eſt, quod dicit Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera: *Litera ſine adiuuante ſpiritu occidit*: cùm verò adeſt viuificans ſpiritus per charitatem, hoc ipſum facit intus diligi, quod foris ſcriptum lex faciebat timeri. Sine ſpiritu namque fit timore pœnæ; & ita ſeruiliter, & culpabiliter. Item per præuaricationem dicitur occidere metaphoricè, quia non obſeruantes digni ſunt morte, ſeu indigni vita. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus ſuper illud idem, litera occidit: *Præcepta iſta tam ſunt vtilia facienti, & ſalubria, vt niſi quis fecerit, ſalutem habere non poſſit.*

¶ Ad illud ergo quod primò obijcitur, quòd pari ratione Euangelium non obſeruatum, eſt litera occidens. Dicendum, quod non ſequitur; nam lex præcipit obſeruantiam, nō tamen præbet adiutorium ad obſeruantiam: Euangelium verò præcipit obſeruantiam, & præbet adiutorium ad obſeruantiam. Primò inquantum diſponit ad charitatem per effectum amoris, quod non facit lex: vnde (ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera,) ſtatim adeſt viuificās ſpiritus. Secundò, inquantum oſtendit homini propriam infirmitatem, vt non poſſit implere ſine dono gratiæ Dei, vnde Auguſtinus de Spiritu & litera: *Lex dicit, non concupiſces, Euangelium dicit illud. Cùm ſcirem, quòd non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum*, [Sap. 8.] Sap. 8. Item per legem dicit Deus, [Exod. 20.] *Non concupiſces*: per Euangelium verò, *Sine me nihil poteſtis facere*. Ioan. 15. [Ioan. 15.] Per Euangelium verò diſponitur anima ad humilitatem; & (ſicut dicit beatus Iacobus: [Iacob. 4.] *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus dat gratiam*. Et ita Euangelium diſponendo animam ad amorem, & humilitatem, ad quam ſequitur collatio gratiæ à Deo, per quam dignè obſeruatur Decalogus; præſtat adiutorium ad obſeruantiam, quod non facit lex, quæ diſponit animam ad timorem, & ſolùm excitat liberi arbitrij poteſtatem. Secundùm hoc dicit Iſidorus: [Iſid. in li. differentiarum.] *Præcepta legalia comparatione Euangelij non bona dicuntur: quia quod præcipiunt, non perficiunt; gratia verò Euangelij, & exteriùs imperat, & interius, vt perficiatur: iuuat.*

¶ Ad ſecundum quod obijcitur, quod dicitur lex cauſa mortis. Dicendum, quòd illud dicitur quantum ad iudicialia, quæ præcipiendo occaſionem malorum, mortis ſunt cauſa. Non ſic autem eſt in iudicialibus Euangelij, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, Quæſtione de differentia quantum ad ſeueritatem.

¶ Ad tertium, quod obijcitur de occiſione, quod pari ratione Euangelium occidit. Dicendum, quod non; nam occaſio peccandi, quæ per prohibitionem eſt; non eſt vbi adeſt adiuuans gratia ad vitandum, quod prohibetur, vel ad faciendum, quod iubetur: ſed quando deficit adiuuans gratia, tunc prohibitio augendi peccati deſiderium eſt occaſio mortis. Et hoc eſt, quod dicitur Rom. 5. [Rom. 5. Aug. ibi.] *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum*: vbi dicit Auguſtinus, per legem dicitur abundare delictum, non quia lex delictum iubeat: ſed quia, eo quod gratia ibi non erat, auctum eſt ex prohibitione deſiderium: & tunc quaſi ex propria virtute factum eſt grande vitium. Sic ergo abundauit, quia concupiſcentia ex prohibitione ardentior eſt facta.

¶ Ad quartum, quod obijcit de oſtenſione, quod ſimiliter dicetur Euangelium litera occidens. Dicendum quod non: nam Euangelium ſic oſtendit peccatum, vt etiā monſtret gratiam requirendam: qua poſſit vitari peccatū, & fieri bonum, vnde dicit Auguſt. in lib. de Spiritu & litera: *In lege dicit Deus homini, fac quod iubeo: in Euangelio verò dicit homo Deo, da quod iubes.*

¶ Ad vltimum dicendum, quod non ſequitur, lex occidit, ergo non eſt ſalutaris, vel bona: quemadmodum nō ſequitur: Scientia inflat, ergo non eſt bona. Vnde dicit Gloſ. ſuper illud, Litera occidit: [Gl. ſuper 2. Cor. 3.] *Sicut ſcientia cum charitate prodeſt: ſine charitate verò occidit, quia inflat: ita lex ſine gratia occidit, cùm ſit virtus peccati*, 1. Cor. 15. [1. Cor. 15.] non tamen mala eſt: multa enim ſunt quibuſdam noxia, quamuis non ſint mala. Dicendum igitur, quod cùm de Decalogo dicitur, ſeu de lege, litera occidit, hoc non dicitur per cauſam efficientem, ſed per occaſionem principaliter, per conſequens verò alijs modis, quibus dictum eſt. Vnde Hieronymus ſuper illud ad Rom. 7. *Mandatum quod eſt bonum factum eſt mihi mors. Abſit: non enim ex ipſa lege mors, ſed ex vitio hominis: quia non lex, ſed fomes eſt efficiens cauſa mortis: qui bonam rem vertit in malum.* Sicut enim medicina non eſt cauſa mortis, ſi oſtendat venena mortifera: licèt ijs mali homines abutantur ad mortem ſuam, vel aliorum: ſic lex, quæ venena peccatorū demonſtrat, & hominem libertate ſua abutentem quaſi fræno cohibet: & compoſito greſſu incedere docet; non eſt efficiens cauſa peccati: ſed potiùs vitium hominis, id eſt fomes.

¶ Conseqventer quæritur de illa differētia, qua dicit Iſid. *Euangelium habet præcepta bona, lex præcepta non bona: ſicut illud, vbi Deus Iſraëlitarum cupiditatem ſpolijs Aegyptiorum ſatiari permiſit.*

¶ Contra, Auguſtinus: [Aug. in li. quæſtionū Exod. quæſt. 39] *Iſraëlitæ furtum non fecerunt ſpoliando Aegyptios; Sed Deo miniſterium præbuerunt: quemadmodum cùm miniſter iudicis occidit reum.*

¶ Respon. Auguſtinus de perfectis, Iſid. de carnalibus loquutus eſt. Quod ergo boni pro præcepto habuerunt, malis permiſſio fuit. Qualiter autem circa repudium & alias legis permiſſiones debeat intelligi præceptum, determinatum eſt ſuprà in inquiſitione de iudicialibus circa permiſſa in lege. [Quæſtio 46.]

An æquè lex in hoc ab Euangelio differat: quòd ea temporalia, id verò æterna promittat? §. 5.

¶ Postea quæritur de differentia legis & Euangelij quantum ad remunerationem: pro qua dicit Iſidor. in lib. Differentiarum, quòd in lege promiſſiones temporalium continentur, in Euangelio vita æterna promittitur.

¶ Contra, dicit Apoſtolus de patribus veteris teſtamenti, [Hebr. 11.] *quòd iuxta fidem defuncti ſunt omnes, non acceptis repromiſſionibus: ſed à longè aſpicientes, &c.* & dicit Glo. [Gloſſa.] quòd ſperabant ſibi promitti cœleſtia, non terrena: vnde ibidem in textu ſequitur: [Ibidem.] *Confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram: qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Hoc eſt*, ſicut dicit Gloſ. [Gloſſa.] *confitentur ſe non eſſe de hoc mundo*: & dant intelligere quod aliam quærunt patriam. Quæ autem illa, ſubditur in textu: *Nunc autem appetunt meliorem*, id eſt cœleſtem. Ex quo relinquitur, quòd in lege promittebātur cæleſtia: ſeu expectabatur remuneratio in cœlis.

¶ Item, Galat. 3. [Galat. 3.] *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: hoc eſt, in vno ſemine, quod eſt Chriſtus.* Si ergo hæ promiſſiones reſpiciunt promiſſiones legis: promiſſiones autem iſtæ non ſunt terrenæ, ſed cęleſtes, relinquitur quod in lege eſt promiſſio cœleſtium, & æternorum.

RESOLVTIO.

Vtraq; literaliter intellectum verumq;, ſecùs ſi ſpiritualiter.

¶ Responsio. Secundùm quod dicitur Rom. 5: [Rom. 5.] ſuper illud: *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* In populo Iudæorum tria erant genera hominum: duri, incipientes, & perfecti: his omnibus data eſt lex, ſed nō pro omnibus: data eſt duris in flagellum, incipientibus in pædagogum, iuſtis in ſignum. Secundùm hoc ergo dicendum, quòd in lege erant comminationes pœnæ irremediabilis quò ad duros: in lege erāt promiſſiones boni temporalis, quibus allecti ad amorem benefactoris Dei attraherentur incipientes: in lege tandem erāt ſignificationes æternorum bonorum quò ad iuſtos & perfectos. Prædicta ergo differentia attenditur in lege quantum ad literalem ſenſum, qui reſpicit imperfectos. Obiecta verò in contrarium accipiuntur ſecundùm ſpiritualem intelligentiam & ſignationem legis, quæ reſpiciebat perfectos.

An de-

An demum lex & Euangelium differant in hoc, quòd illa lex particularis, id verò vniuersalis sit? §. 6.

¶ VLTIMÒ quæritur de illa differentia, quæ assignata est quantum ad lationem: quia lex Moysi lex particularis est: Euangelica verò lex vniuersalis est.

Exod.23. ¶ CONTRA, Exod.23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti; reduc ad eum: & si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublcuabis cum eo.* Non ponitur ibi determinatio circa hoc, quod dicitur, inimici tui, an sit suæ gentis, an alterius. Lex igitur ordinabat generaliter in suis iudicijs quò ad omnes gentes: erat igitur vniuersalis, sicut Euangelium.

Leuit.19. ¶ ITEM, Leuit.19. *Si habitauerit aduena inter vos: diligetis eum, sicut vosmetipsos.* Sed aduena erat homo gentis alterius; præcepta igitur legis ordinant ad dilectionem hominum cuiuscunque gentis: est igitur lex vniuersalis sicut Euangelium.

¶ SI verò dicatur, quòd talia & similia intelliguntur de dilectione, non vniuersaliter, sed de dilectione fratris: hoc est eiusdem gentis: & hoc trahitur in partem, vt sit particularis respectu Iudæorum tantùm.

Matt.5. ¶ CONTRA: ergo similiter cùm præceptum Euangelicum determinetur per fratrem, Matth.5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit, &c.* Euangelium per hoc trahitur in partem; ergo est lex particularis, sicut lex Moysi.

¶ PRÆTEREA, totus Decalogus est de iure naturali: & ius naturale respicit omnes vniuersaliter: lex ergo Moysi erit vniuersalis. Item, si figuralia ad hoc erant, vt significarent futuram gratiam redemptionis: sed significatio futuræ redemptionis necessaria erat saluti omnium generaliter: ergo præcepta figuralia legis debebant ad omnes fieri. Lex igitur Moysis & quò ad moralia, & quò ad figuralia est vniuersalis: nulla est igitur prædicta differentia.

RESOLVTIO.

Quò ad literalem quidem sensum, prorsus lex arctior est Euangelio: quò verò ad spiritualis intelligentiæ vim æquè ac illud vniuersalis est.

¶ RESPON. Est considerare legem secundùm formã editionis & sensus literalis: & est considerare secundùm rationem & virtutem intelligentiæ spiritualis. Primo modo lex particularis est, Euangelium vniuersale: secundo verò lex vniuersalis est, sicut etiam est lex perfectę iustitię;

Rom.9. secundùm quod dicitur Rom.9. *Israël sectãdo legem iustitiæ,*

Glossa. *in legem iustitiæ non peruenit.* Gloss. *id est legem Moysi, quæ est lex iustitiæ: si benè sit intellecta.*

¶ AD illud ergo, quod obijcit de illo præcepto. Si occurreris, &c. Dicendum, quòd secundùm formam editionis, & sensum literæ intelligebatur à Iudæis de inimico, qui erat frater: hoc est, de Iudæo: non de quocunque alio: sicut patet ex Deut.22. vbi dicitur: *Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis.* Et ideo illud præceptum quantum ad formam literæ legis particulare erat: quia respectu fratris: Euangelium verò vniuersale respectu cuiuslibet hominis.

¶ AD secundum; quod obijcit de aduena. Dicendum, quod intelligitur de aduena cohabitante solùm, non de quocunque alio, vnde ibi dicitur: Si habitauerit inter vos, &c. & ita secundùm formam literæ particulare est.

¶ AD illud verò, quod obijcit: quòd similiter Euangelium videtur trahi in partem per determinationem fratris. Dicendum, quòd nomen, fratris, accipitur in scripturis quinque modis: sicut elicitur ex Glos. Hieronymi super illud ad Galat.1. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Fratres autem dicuntur Natura: vt, Esau & Iacob, Genes.25. Gente: vt, omnes Iudæi fratres dicuntur inter se, Deuter.15. *Si emeris fratrem tuum qui est Hebræus.* & Deuter.17. *Constitues super te principem eum, qui sit de fratribus tuis.* Cognatione: vt, qui sunt ex vna familia: cùm ex vna radice turba diffunditur: vt Abraham & Loth, Gen.13. *Non sit rixa inter me & te: fratres enim sumus.* Affectu, secundùm quod omnes Christiani fratres vocantur, Psalm.132 *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum fratres in vnum.* Et Matth.vltim. *Ite, & annunciate fratribus meis.* Communi origine, secundùm quod omnes homines fratres dicuntur: quia a vno patre nati sunt, scilicet ab Adam, Act.17. *Fecit ex vno omne genus hominum.* Lex igitur secundùm formam literæ accipit fratrem gente, seu communi religione: & ita solùm Iudæum. (Vnde Deut.23. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno: fratri autem tuo absq; vsura id, quo indiget, cõmodabis.* Euangelium verò accipit fratrẽ communi origine, seu creatione: quemlibet hominem creatum ad imaginem Dei, Matth.23. *Omnes vos fratres estis, vnus est enim pater vester qui in cœlis est.*

¶ AD aliud, quod obijcit de Decalogo. Dicendum quòd præcepta Decalogi vniuersalia sunt respectu legis naturalis, à qua extrahuntur: sed particularia sunt respectu explicationis legalis. Nam (sicut patet Exod.20.) explicatio Decalogi facta est solùm Iudæis, ad quos verba illa facta sunt. Et si ergo implicitè Decalogus vniuersalis sit secundùm quod in lege naturæ radicatur: tamen particularis est, vt determinatus est explicitè in lege Moysi solis Iudæis. Præterea, sicut dicit Augustinus super Exod.20. præcepta Decalogi intelliguntur per synecdochen figuram, id est à parte totum: vt, cùm dicitur: Non occides, prohibetur omnis motus ad nocendum: &, cùm dicitur: Non furtum facies, prohibetur omnis illicita contractatio rei alienæ: &, cùm dicitur: Non mœchaberis, prohibetur omnis illicitus coitus.

¶ AD vltimum dicendum, quòd lex sacramentorum & figuralium gratiæ redemptionis, quamuis omnibus esset necessaria; non tamen omnibus est data: & hoc propter indignitatem gentium aliarum. Iudæis verò data est duplici de causa, sicuti habetur ad Roman.5. super illud: *Lex subintrauit, vt abundaret delictũ.* Lex data est populo Iudæorum tantùm: ideo, quia ille populus solùm vnum Deum colebat; dignus erat, cui eloquia Dei crederentur, cæteris idola colentibus. Ideo etiam, quia de hoc populo nasciturus erat Dei filius: & ideo data fuit ei lex, per quam istud intelligeret, & Dei filium venturum expectaret.

MEMBRVM VII.

An Euangelium in lege contineatur?

CONSEQVENTER quæritur de continentia Euangelij in lege: Et hæc q̃stio pertinet ad conuenientiam legis & Euangelij. Ad quod sic Ezech.1. *Aspectus rotarum, & operum earum, quasi si sit rota in medio rotæ.* Gregor. *Rota in rota nouum testamentum in veteri.* Et iterum ibidem dicitur: quòd in nouo testamento vetus spiritualiter semper tenetur: Euangelium ergo continetur in lege, & lex in Euangelio.

¶ ITEM Gregorius ibidem: *Quod lex prædicat, hoc etiam prophetæ: quod prophetæ annunciant Euangelium: hoc & Apostoli prædicant per Euangelium.* Igitur quod est in lege & prophetis, est in Euangelio, & econuersò.

¶ CONTRA, Galat.3. *Lex non est ex fide.* Gloss. *Lex nihil præcipit credendum, sed operandum.* Ergo in præceptis legis non continentur credenda, sed credenda continentur in Euangelio: ergo lex non continet, quicquid continet Euangelium.

¶ ITEM, dicit Augustinus in lib. de Vera religione, iuxta illud Matth.5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, id est vnũ de mandatis legis: quòd mãdata legis sunt minora, in Euangelio maiora.* Si ergo in eo ꝙ est minus, nõ potest cõtineri illud, ꝙ est maius: præcepta Euangelij non continentur in præceptis legis: ergo nec lex in Euangelio.

¶ ITEM, sicut dicit Augustinus: Lex se habet ad Euangelium, sicut quod est inchoatione ad suam perfectionem, Matth.5. *Nisi abundauerit, &c.* Gloss. *Plenius aguntur præmissa ad inchoationẽ, cùm fuerint addita ad perfectionem.* Si ergo nulla perfectio est in sua inchoatione: ergo nec Euangelium est in lege.

¶ ITEM, omne, quod addit ad aliud, inquãtum addit non est in illo. Sed Euangeliũ addit ad legẽ: vnde August. exponens illud: Non veni soluere legem, sed adimplere dicit:

dicit: *Legem adimplere est, manentibus præteritis mandatis, noua addere: verbi gratia. Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, &c. ego autem dico vobis, non resistere malo: hoc fuit adimplere: non enim legem destruxit, sed potiora addidit.* Ergo quantum ad addita Euangelium non continetur in lege.

¶ ITEM, si dicatur quòd Euangelium continetur in lege, sicut signatum in signo: & lex in Euangelio sicut signum in signato.

Idem August. ¶ CONTRA, Augustinus: *Signum est, quod se sensui subijcit, & aliud intellectui relinquit.* Signum igitur omne est faciens cognoscere signatum: si ergo lex non est faciens cognoscere Euangelium; sed magis econuersò: quia lex comparatur ad Euangelium, vt vmbra ad lucem. (Hebr. 10. Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum.*) lux autem facit cognoscere vmbram, non econuersò. Lex igitur non facies cognosci Euangelium: sed magis econuersò: non igitur se habet vt signum.

RESOLVTIO.

Omnino Euangelium in lege continetur & secundùm moralia, & secundùm figuralia præcepta: vel sicut figuratum in figura, vel sicut signatum in signo, vel sicut perfectum in imperfecto.

¶ RESPONSIO. Est comparatio legis ad Euãgelium secundùm moralia, & secundùm figuralia. Secundùm figuralia est comparatio legis & Euangelij: sicut figuræ & figurati, seu signi & signati: & sicut figuratum est in figura, seu signatum in signo; sic Euangelium est in lege. Vnde Aug. contra aduersariumlegis & prophetarũ. Augustinus: *Nouum testamentum in veteri est figuratum: & vetus in nouo est relatum.* Inde etiam dicit Gregor. super Ezech. *Rota in medio rota, &c. Quid est enim, quod Adam dormiente, Eua formatur: nisi quod Christo moriente, Ecclesia formatur?* Secun- Greg. sup Ezech. c. 1 dùm moralia est comparatio legis ad Euangelium, sicut herbæ ad fructum, & perfectibilis ad perfectum: vnde sicut diceretur fructus esse in herba potestate, non actu: sic Euangelium in lege quantum ad moralia: vnde secũdùm hoc dicitur Marc. 4. Sic est regnum Dei: quemadmodum Matc. 4. si iaciat homo semen super terram, & semen germinet & crescat: vltrò enim terra fructificat, primò herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Nota ergo, quòd lex naturalis est sicut semen: lex Moysi est sicut herba supercrescens; Euangelium sicut frumentũ. Et hoc est, quod dicit Glos. super illud Rom. 5. *Lex subintrauit, &c. Data est lex in adiutorium humanæ naturæ: vt quia naturæ quodãmodò inserta sunt iustitiæ semina, adderetur lex: cuius auctoritate & ministerio ingenium naturale proficeret ad fructum iustitiæ faciendum.* Semen ergo est, Non facies alij, &c. quod ex hoc Exod. 20. supercrescit, velut herba, est: Non occides, Non mœchaberis: fructus verò perfectus, non irasceris: nõ videbis mulierem ad concupiscendum.

¶ AD primum ergo, quod obijcitur: quòd lex naturalis præcipit credendum. Dicendum est, quod illud intelligitur, non quia credenda non contineantur in lege: sed quia non continẽtur in lege explicitè, sed implicitè: vel secundùm illam rationem, qua dicitur Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua: per quam legem: factorum? non: sed per legem fidei?* Gloss. Aymonis: *Lex Moysi dicitur operum siue factorum, quia in mandato imperabat, sed gratiam faciendi nõ præstabat: lex Euangelij dicitur fidei; quia opera quidẽ mandat: & credendo impetrat vt fiant.* Vnde secundùm hoc dicit August. in lib. de spiritu & litera: *Per legem operum dicit Deus homini, fac quod iubeo: per legem fidei dicit homo Deo, da quod iubes.* Hac ergo ratione dicitur lex nihil mandare credendum, sed operandum.

¶ AD secundum dicendum: quòd in eo, quod est minus, continetur quod est maius potestate, quamuis non actu: sicut herba in semine, & in herba spica: & hoc modo (vt dictum est) Euangelium continetur in lege.

¶ AD tertium similiter dicendum: nam perfectio non est in sui inchoatione actu: est tamen in ea potestate, sicut fructus in semine.

¶ AD quartum dicendum: quòd Euangelium dicitur addere legi quantũ ad literã legis, non quãtum ad sensum legis: vnde illud quod additur in Euangelio, & si nõ contineatur in legis litera; continetur tamẽ in legis sensu. Vnde Augustinus: *Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo? ego autem dico vobis non resistere malo. Non aliud voluit Saluator, quàm lex in sensu habet: sed volũtatem eius perfecit.* Et subdit: *Immutatis ergo Saluator verbis, docuit quod saluti prodesset; vt sensum legis impleret: vt quia timore legis salus esse non poterat; per patientiam victi emendarentur, sese corrigentes.* August. in quæst. noui & vet. Testam. Matt. 5.

¶ AD vltimum dicendum: q. non repugnat legẽ esse vmbram, & legem esse signum. Differunt enim tenebræ & vmbra: tenebra enim est priuatio lucis: vmbra autẽ diminutio lucis ex obiecto alicuius corporis. Nota ergo, quòd in lege est cõgeries figurarum, velut corpus quoddam; ad quam sequebatur diminutio lucis legis, id est notitiæ veritatis: & ideo dicitur vmbra, hoc est, habens lucem imperfectam & diminutam. Sicut autem habenti oculos debiles priùs conuenit, vt videat in vmbra, & postmodũ per exercitium, oculis confortatis, vt videat in luce: sic intellectui humano adhuc debili, non valenti adhuc intueri in luce spirituali Euangelij, principium videndi fuit legis vmbra: & postmodum confortato visu fidei per testimonia prophetarum, reuelatam gratiam videt in luce Euãgelij. Vmbra ergo lex est: hoc est, signum obscurum.

MEMBRVM VIII.

An Euangelium ad Moysis legem addat?

QVÆRITVR postea de additione Euangelij ad legem. Et hæc quæstione ferè eadem est cum quæstione de impletione legis per Euangelium, & pertinet ad conuenientiam legis & Euangelij. Ad quod sic Matth. 5. Matt. 5. *Non veni legem soluere, aut prophetas, sed adimplere.* Augustinus: Aug. vbi supra. *Non dicit implere se legem, aut prophetas, sed adimplere: adimplere autem nihil aliud significat, quàm plenè addere. Quid est autem addere ad prophetas, nisi culturam Dei sub Trinitatis nomine ordinare?*

¶ ITEM, legem adimplesse, est manentibus præteritis, noua addere, vt puta, dictum est antiquis, oculum pro oculo, &c. ego autem dico vobis, non resistere malo. Ergo Euangelium addit ad legem.

¶ ITEM, super idem Matth. 5. *Non veni soluere legem, &c.* Matt 5. Glossa. Gloss. *Aut addendo, quod minùs habet: aut implendo, quod iubet.*

¶ ITEM, ibidem alia Gloss. super illud: *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. Nisi, id est, non solùm illa minima legis præcepta feceritis: sed etiam ea quæ addo.* Ibidem. Glossa.

¶ CONTRA, Augustinus contra Faustum: *Christus non venit legem soluere, sed adimplere: non vt legi adderentur, quæ deerant: sed vt fierent, quæ scripta erant: quod eius verba testantur: non enim ait: Iota vnum, aut vnus apex non transibit à lege, donec addatur, quæ desunt: sed ait, donec omnia fiant.* Ergo non addit Euangelium legi.

¶ ITEM Matth. 5. super illud: *Non veni soluere legem, &c.* Euangelium est recapitulatio. Sed vbi est recapitulatio, non est additio: ergo, &c.

¶ ITEM, ad salutem non sunt necessaria nisi credenda, aut operanda. Sed credendis nihil additum est; quia (sicut Augustinus ait:) tempora sunt mutata, non fides: nec operandis; quia omnia operanda reducuntur ad dilectionem Dei, & proximi. Matth. 22. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ.* Sed his mandatis nihil additum est; quia ibi præcipitur diligi Deum ex tota anima, & ex tota mente; quo præcepto nihil perfectiùs in Euangelio mandatur: ergo moralibus legis nihil est additum. Matt. 5.

¶ ITEM dicit Augustinus, & probat in lib. Contra aduersarium legis & prophetarum: quòd mitiùs est oculum pro oculo, dentem pro dente homini auferre: vbi mensura vindictæ modum non transit iniuriæ, quàm pro exhibita humanitate, pœnam æternam inferre. Si ergo iudicium legis facit primum, Exodi 21. iudicium Euangelij facit secundum, Matth. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Ergo non est additio misericordiæ per Euangelium ad seueritatem legis: quam additionem ponunt legis iudicialia.

¶ ITEM

¶ Item, ei quod euacuatur, nihil omnino additur. Si ergo præcepta cæremonialia legis per Euangelium euacuantur: ergo pręceptis cęremonialibus per Euangelium nihil additur. Ex his ergo relinquitur quod nec moralibus, nec iudicialibus, nec cæremonialibus præceptis legis aliquid per Euangelium additur.

RESOLVTIO.

Euangelium vtcunq; legi addit (aliter tamen atq; aliter) secundùm sensum, & secundùm literam, item secundùm moralia, cæremonialia, & iudicialia præcepta.

¶ Respon. secundùm beatum Augustinnm est considerare legem quantum ad sensum: & est considerare legem quantùm ad literam. Si consideremus legem quantũ ad sensum, distinguemus additionem duplicem: quãtum ad innouationem præceptorum, & quantum ad elucidationem præceptorum. Quantum ad innouationem pręceptorum non addit Euangelium legi, quantum ad sensum, vnde Augustinus: *Cùm dictum est in Euangelio, Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo: ego autem dico vobis, non resistere, &c. nõ aliud voluit, quàm lex in sensu habuit.* Quantum ad elucidationem dicendum, quod est additio Euangelij ad legem: & hoc respectu figuralium, & respectu moralium. Respectu figuralium, quia intelligentia occulta figuratum manifestatur per Euangelium, vnde Augustinus: In veteri testamento est occultatio noui: in nouo testamento est manifestatio veteris. Respectu verò moralium est additio sicut expliciti ad implicitum: quemadmodum ostendit Augustinus contra Faustum. Quia non intelligebant Iudæi homicidium nisi per interemptionem corporis humani, per quam vita priuaretur: aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputati, vnde & Ioannes dicit: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et quoniam putabant tantummodò corporalem cum fœmina mixtionẽ illicitam vocari mœchiã, demonstrauit magister etiam talem concupiscentiam nihil aliud esse.

August. vbi suprà in quæstionibus noui & veteris testamẽti.

Idem in lib. de catechizandis rudibus.

1. Ioan. 3.

¶ Item, considerando legem quãtum ad literam; addit Euangelium legi: sed differenter, quantum ad cæremonialia, & quantum ad moralia, & quantum ad iudicialia. Cæremonialibus in quibus promittebatur Christus, sicut dicit Augustinus, & Apostolus; fit additio, sicut exhibitio addit promissioni, & secundùm hoc dicit Augustinus: *Qui rectè colit Deum, vtriusque Testamenti inuenit vnum Deum: in illo intelligens promissum, in isto accipiens redditum Christum.* Moralibus verò fit additio, quemadmodum addit prohibitio causæ vel occasionis ad actum, siue sicut addit prohibitio seu iussio affectus ad prohibitionem effectus. Vnde Chrysostomus super illud Matthæi 5. Qui irascitur fratri suo, &c. dicit: *Qui non irascitur, non occidit: licentia enim irascendi, causa est homicidij: tolle iram, & homicidium non erit.* In hoc ergo, quod Euangelium prohibet iram quantum ad literam, quæ est causa vel occasio homicidij; lex verò quantum ad literam non prohibet nisi actum, dicens: *Non occides*, Exod. 20. additio est sicut causæ vel occasionis ad actum. Similiter dicit Hieronymus super illud: *Diligite inimicos, &c.* Omnis occasio iræ tollitur, dum inimicos diligere iubemur.

Aug. in li. contra aduersariũ legis & prophetarum.

Exod. 20.

Lucæ 6.

¶ Item, moralibus fit additio, sicut iustitia beneficentiæ addit iustitiæ innocentiæ: siue sicut iustitia fidei spiritualis addit iustitiæ temporali: vnde in Quæstionibus noui & veteris Testamenti: *Lex per Moysen data iustitiam habebat quidem, sed terrenam: vt seruantes legem iusti essent ad præsens, vt non rei fierent: iustus est enim ex lege, qui nulli nocet.* Vnde Apostolus: *Lex* (inquit) *non est ex fide: sed qui fecerit eam, viuet in ea.* hoc, faciens legem, non morietur in ea, sed viuit ad pręsens. Iustitia autem, quæ ex fide est, iustificat homines apud Deum, vt remunerentur in futuro sæculo: addiderunt enim temporali iustitiæ iustitiam fidei. Iudicialibus demum fit additio: sicut addit potiùs & perfectiùs ad imperfectum: & hoc est, quod dicit Augustinus: *Cùm dictum sit antiquis, oculum pro oculo: ego dico non resistere malo: hoc dicendo non legem destruxit, sed potiora addidit: non vt peccare videretur, qui se vindicat: sed vt melior sit, qui non retribuit*; (& intellige, qui se vindicat iustè.)

Rom. 10.

Aug. in iisdẽ quæstionibus ex Mat. 5.

¶ Præterea, sunt modi alij additionis Euangelij ad legem, qui pertinent ad legis impletionem per Euangelium, de quibus immediatè dicetur, cùm quæretur de impletione legis per Christum.

¶ Ad primum ergo quod obijcitur, quòd Euangelium non addit legi, quæ deerant, sicut dicit Augustinus, patet responsio: nam hoc non intelligitur de additione respectu literæ legis, sed respectu sensus legis. Additio ergo fit legi quantum ad literam per innouationem præcepti, sed non quantum ad sensum, nisi solùm per elucidationem. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Dominus dicit* Matth. 5. *dictum est antiquis: Diliges proximum, & odio habebis inimicum: hæc iustitia est* (& intellige de odio, quo persequimur vitium, non naturam) *Dominus autem, inquit, dico vobis, diligite inimicos: addidit vtique, quia non destruxit vetera, sed vti perfectis potiora mandauit.* Inimicus enim, hoc est, malus: quia retributione, quæ fit dictante iustitia, nec emendari, nec corrigi potuit, per amorem & obsequium illum saluum fieri voluit: quod & lex in sensibus habebat.

¶ Ad secundum similiter patet responsio: quia Euangelium dicitur recapitulatio legis quò ad sensum, nõ quò ad literam per modum, qui dictus est.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quantum ad substantiã fidei credentis nihil additum est: tamẽ articulis fidei aliquid additum est: & additio ista est sicut expliciti ad implicitum, & determinati ad indeterminatum, vt patet in exemplo. Ante tempus Abrahę fuit fides reparationis nostræ, tamen implicita: postea aliquantulum fuit explicita Abrahæ, quod fieret in carne, cùm dictum est ei: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genes. 22. Et ita articulus de incarnatione, qui prius erat implicitus, factus est aliquantulum explicitus: tamẽ adhuc nõ erat determinatum, vtrùm incarnatio fieret de viro & muliere, quousq; dixit Esaias: *Ecce virgo concipiet*, Esai. 7. Item adhuc non erat determinatus modus, per quem virgo conciperet, quousq; dixit Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Fides ergo non mutata est, sed tamen additio facta est in fide reparationis articuli ad articulum, sicut expliciti ad implicitum, vel maius expliciti ad minus explicitum. Similiter dicendum, quòd in moralibus quantum ad potestatem sensus nihil additum est: sed quantum ad rationem literæ additio facta est per illos modos qui dicti sunt. Vnde ad illud, quod obijcitur de præcepto dilectionis Dei ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: dicendum quod secundùm acceptionem literæ (vt à Iudæis intelligebatur) intelligebatur dilectio ex corde, ex anima, ex mente: vt ex amore declinaretur malum; & nihil facerent Deo contrarium. Euangelium verò ista accipit, non solùm vt ex amore declinetur malum, sed fiat bonum & totis viribus intentionis affectus humanus feratur in Deum. Vnde signanter in Mar. 12. additum est, diligere ex virtute, cùm dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus tuis*: vt monstretur, quòd non sufficit diligere ex toto corde, id est intellectu declinãdo errorem: ex tota anima, id est voluntate declinando contradictionem: ex tota mente, id est memoria vitando obliuionem: sed ex tota virtute, addendo bonam operationem, & rectam in Deum intentionem.

¶ Ad aliud dicendũ secundùm Augustinum: In vtroq; Dei vnius testamento diximus & amandam bonitatem, & timendam seueritatem: quamuis in veteri testamẽto propter temporalium promissionem malorumq; comminationem seruos pariat temporalis Hierusalem: in nouo autem, vbi fides impetrat charitatem, qua lex possit impleri non magis timore pœnæ, quàm dilectione iustitiæ libero: parit æterna Hierusalem. Quamuis ergo seueriùs iudicij aliquando exprimatur in litera Euangelij quàm legis, tamen amoris ratio superabundat in Euangelio, quemadmodum & in lege ratio timoris: sicut suprà declaratum est in inquisitione de Differentia legis & euangelij quantum ad timorem & amorem.

¶ Ad

¶ Ad vltimum, quod objicitur de cæremonialibus, patet responsio. Nam cæremonialibus non fit additio, sicut permanenti additur perfectio, sed sicut promissioni additur exhibitio, vnde super illud Psalm. 39. Sacrificium & oblationem noluisti, dicit Glossa: *Vt venit res, noluit Deus illa legalia, quæ erant quasi verba promittentia*; tam diu est promissor, donec det: vt dedit, mutat verbum, nec dicit dabo, sed dedi: ipso ergo veniente, noluit ea, quæ erant eius figura. Psalm. 39. Glossa.

MEMBRVM IX.

De impletione Legis per Euangelium.

Consequenter quæritur de impletione legis per Euangelium, seu per Christum. Veruntamen hanc Quæstionem accipe ex superioribus, quæ fusiùs dicta sunt in Quæstionibus legis in generali, Quæstione scilicet 28. Membro 3.

MEMBRVM X.

De legis latore, & latione Euangelij.

Quæritvr consequenter ad pleniorem intelligentiam de latione legis Euangelij. Et contra hæreticos Manichæos, qui dicunt alium & alium esse auctorem Noui & Veteris Testamenti; disputandum est: Primò, de latore nouæ legis. Secundò, de tempore lationis.

ARTICVLVS I.

De latore nouæ legis siue Euangelij.

Circa primum proceditur hoc modo: contra hæreticorum blasphemias, qui legem Moysi calumniantur, & prophetias: & auctorem Veteris Testamenti dicunt principium malum, Noui verò principium bonum: Primò auctoritatibus Noui Testamenti, quod recipiunt, probabitur lex Moysi esse bona, & recipienda. Secundò verò idem probabitur de Prophetis. Tertiò probabitur lator vtriusque legis. Quartò verò respondebitur eorum calumnijs.

¶ Ad primum arguitur sic: Scriptura legis tam à Domino, quàm à discipulis admittitur intantùm, vt etiam ad confirmationem sententiarum suarum ipsas proferant: sicut infra probabitur. Si ergo nullus debet abijcere, quod Dominus & discipuli eius admiserunt: lex non est abijcienda, sed potius admittenda. Quòd autem ipse Dominus admiserit auctoritates legis, patet: Matthæi 4. dicit Dominus, Scriptum est Deut. 8. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

¶ Item in eodem scriptum est Deut. 6. *Nō tentabis Dominum Deum tuum.* Item scriptum est Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* (secundùm aliam literam, vbi nos habemus: Dominum Deum tuum timebis, &c.) Item Matth. 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere, &c.* & post: *Donec transeat cœlum, & terra, iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Et sequitur: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, &c.*

¶ Item, Matth. 8. *Offer munus, quod præcipit Moyses in testimonium illis.*

¶ Item Matth. 15. *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: & qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur, &c.* sumptum de Exod. 20. Item cap. 20. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: non homicidium facies, &c.* Exodi 20. Ergo obseruantia mandatorum legis ducit ad vitam: ergo mandata legis sunt bona: ergo & lex bona, & recipienda.

¶ Item Matth. 20. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* scriptum est Deut. 6. Item Marc. 12. *Iesus autem respondit ei: quia primum omnium mandatum est, Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum, &c.* & scriptum est Deut. 6. Item Luc. 6. *Omnia quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hoc enim est lex & prophetæ.*

¶ Item Luc. 10. *In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc fac, & viues.* Item Ioan. 19. *Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleatur: Os non comminuetis ex eo:* sumptum est ex Exod. 12.

¶ Item, hoc idem probatur testimonio Apostoli ad Rom. 3. *Per legem cognitio est peccati.* Sed non potest malum vitari, nisi cognitum: ergo bonum est cognoscere peccatum, ergo lex bona est, quæ facit cognoscere peccatum. Rom. 3.

¶ Item Rom. 7. *Itaq; lex sancta, & mandatum sanctum, iustum, & bonū.* Et in eodem: *Lex spiritualis est.* Iterum in eodem: *Consentio legi, quoniam bona est.*

¶ Item Roman. 10. *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem; in gentem insipientem in iram vos mittam:* sumptum est ex Deuteronom. 32. *Ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, &c.*

¶ Item, Omnis scriptura vtilis est ad docendum in iustitia, vt perfectus sit homo, ad omne bonum instructus; admittenda est. Sed omnis scriptura veteris Testamenti est talis: ergo omnis scriptura veteris Testamenti admittēda est. Probatio mediæ 2. Timot. 3. *Omnis scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* 2. Tim. 3.

¶ Item, Roman. 15. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Hæc autem sunt nobis valde necessaria: ergo & scriptura, per quam acquiruntur ista. Rom. 15.

¶ Item Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi: sed date locum iræ, sicut scriptum est: Mihi vindictam, &c.* sumptum est ex Deut. 32. Rom. 12.

¶ Item, Plenitudo legis est bona; quia plenitudo legis est dilectio, Rom. 13. ergo lex bona. Rom. 14.

¶ Item, 1. Corin. 14. *Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse viris, sicut lex dicit Gen. 3. sub viri potestate eris.* 1. Cor. 14.

¶ Item 1. Timoth. 1. *Scimus, quoniam lex bona est: si quis ea legitimè vtatur.* 1. Tim. 1.

¶ Item 1. Timoth. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore habeantur digni:* maximè, qui laborant in verbo, & doctrina, dicit enim scriptura: *Non infrænabis os boui trituranti*, scriptum est Deut. 25. Sic ergo testimonio Christi & Apostolorum ostenditur, quoniam lex bona est, & recipienda. 1. Tim. 5. Deut. 25.

¶ Hoc idem ostenditur de Prophetis. Vnde Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum: hoc autem totum factum est, vt impleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam: Ecce virgo in vtero habebit*, Esai. 7. & in eodem plura, similiter & cap. 2. Matth. 1. Esai. 7.

¶ Item Matt. 15. *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, &c.* Esai. 29.

¶ Item Matth. 24. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto: qui legit intelligat:* sumptum est ex Daniel. 9. vbi dicitur: *Post finē belli statuta desolatio.*

¶ Item Matth. 26. *An putas, quia ego possum rogare patrem meum, & ipse exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum?* quomodo ergo implebuntur scripturæ Prophetarum?

¶ Item Marc. 1. *Initium sancti Euangelij Iesu Christi filij secundùm Marcum:* sicut scriptum est in Esaia Propheta 40. *Vox clamantis in deserto, &c.*

¶ Item Lucæ vlt. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ, &c. & incipiens à Moyse, & ab omnibus prophetis interpretabatur illis scripturas, quæ de illo erant.*

¶ Item Rom. 9. *Maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau odio habui*, Malach. 1.

¶ Item in eodem: *Vocauit eos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus*, sicut in Oseæ 4. dicitur: *Vocabo non plebem meam, plebem meam, &c.* Oseæ 4.

¶ Item 1. Petr. 1. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum, de qua salute exquisierūt atq; scrutati sunt prophetæ: qui de futura nobis gratia prophetauerunt.* 1. Petr. 1.

2.Petr.1. ¶ ITEM, 2.Petr.1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

Ibidem. ¶ ITEM, in eodem. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Actu.3. ¶ ITEM, Actuum 3. *Deus qui prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic.*

Apoc.19. ¶ ITEM, Apoc.19. *Testimonium enim Iesu est spiritus prophetiæ.*

Rom.3. ¶ DEINDE ostenditur, quod idem est legislator veteris & noui Testamenti, scil. Deus. Dicit Apostolus ad Rom.3. *Vnus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Ergò idem est auctor veteris Testamenti, in quo iustificati sunt Iudæi circumcisi ex fide: & noui, in quo iustificantur gentiles in præputio per fidem.

Gal.3. ¶ ITEM, ad Gal.3. *Lex ordinata est per Angelos in manu Mediatoris. Mediator Dei & hominum est homo Christus Iesus*: 1.Timoth. 2. ergò à Christo est vetus Testamentum editum, sicut & nouum. 1.Tim.2.

Heb.8. ex Ierem.31. ¶ ITEM, ad Heb.8. vituperans eos dicit. *Ecce dies veniunt dixit Deus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda Testamentum nouum: non secundùm Testamentum, quod dedi Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra AEgypti*, &c. sumptum est de Hierem.31. Idem ergò est, qui dedit Testamentum nouum & vetus.

Iacob.4. ¶ ITEM, Iacob.4. *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.*

2.Petr.1. ¶ ITEM, specialiter de Prophetis: quod sint à bono Deo, habetur 2. Petr.1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

¶ VLTIMÒ restat respondere oppositionibus hæreticorum. Et primò ponendæ sunt oppositiones, deinde responsiones: hoc modo.

Ezec.20. ¶ OPPONVNT autem hæretici sic. Præcepta, quæ bona non sunt: seruanda non sunt: sed præcepta veteris Testamenti bona non sunt (Ezech.20. *Dedi eis præcepta non bona.*) ergò præcepta veteris Testamenti seruanda non sunt.

Rom.3. ¶ ITEM, ad Rom.3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Sed nihil inutile seruandum est: ergò cùm lex sit inutilis, qui iustificare non potest, seruanda non est.

Ibidem. ¶ ITEM, nihil, quod malum, seu vitium operatur, seruandum est. sed lex iram operatur: ad Rom.3. *lex iram operatur*, ira autem vitium est: ergò lex vetus seruanda nó est.

¶ ITEM, ad Rom.5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Ergò lex est causa delicti: ergò lex est mala: ergò non est seruanda.

¶ ITEM, Deus veteris Testamenti legem dedit. Sed subintrante lege, abundauit delictum: ergò crudelis est Deus veteris Testamenti: & legem, quàm dedit crudeliter dedit.

Rom.5. ¶ ITEM, *lex subintrauit, vt abundaret delictum: & vbi abundauit delictum, superabundabit & gratia* (dicitur in eodem) ergò in peccato manendum est, vt abundet gratia.

Rom.7. ¶ ITEM, ad Rom.7. *Cùm essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.* Ergò passiones peccatorum erant per legem: ergò lex mala est.

Ibidem. ¶ ITEM, in eodem. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Ergò lex vetus est lex mortis: sed constat, quod Euangelium est lex vitæ: ergò lex Euangelio contraria est: & est bona vel mala: ergò est mala, cùm sit contraria bono.

Ibidem. ¶ ITEM ad Rom.7. *Occasione acceptá peccatum per mandatum operatum est, in me omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum erat: ego autem viuebam sine lege aliquando: sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam hoc esse ad mortem: nam peccatum occasione acceptá per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Ecce hic euidenter ostendit Apostolus legem veterem esse non bonam: nimirum quia peccatum sine lege mortuum erat: & veniente lege, reuixit, & per eam vires & occasiones operandi malum accepit: non ergò seruanda est ab aliquo, vel tenenda.

¶ ITEM ad Rom.7. *Ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem seruio legi peccati.* Legem ergò Moysi appellat Apostolus legem peccati: sed lex peccati mala est: ergò lex Moysi mala est. Ibidem.

¶ ITEM, 2.Cor.3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat: quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria: vt non possent filij Israel intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.* Ecce loquitur ibi Apostolus de lege Moysi, & de lege gratiæ: legem enim Moysi appellat literam, & legem gratiæ appellat spiritum: & dicit, quod *litera occidit, spiritus autem viuificat*: ergò patet legem Moysi malam esse: & Euangelium, quod est lex gratiæ, bonum. 2.Cor.3.

¶ ITEM, legem Moysi appellat ministrationem mortis: & ministram damnationis: & non mentitur Apostolus, in quo loquitur Spiritus sanctus: ergò per legem Moysi ministratur mors & damnatio. Sed mors & damnatio vitanda sunt, & fugienda: ergò & lex Moysi.

¶ ITEM, legem innuit euacuari: ergò innuit eam non debere seruari.

¶ ITEM, ad Gal.2. *Non iustificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Si ergò ex operibus legis non iustificabitur omnis homo, vel opera legis bona non sunt, vel bonis operibus retributio non debetur. Gal.2.

¶ ITEM in eodem. *Si per legem iustitia: ergò Christus mortuus est gratis.* Ecce hic negat Apostolus in lege iustitiam esse: ergò lex inutilis. Ibidem.

¶ ITEM, ad Gal.3. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Sed malum est sub maledicto esse: ergò malum est esse sub lege. Galat.3.

¶ ITEM eodem. *Lex non est ex fide.* Sed omne, *quod non est ex fide, peccatum est.* Rom.14. ergò lex peccatum est: ergò lex fugienda est, vt peccatum: vel peccatum fugiendum non est. Ibidem. Rom.14.

¶ ITEM in eodem. *Christus nos redemit de maledicto legis: factum pro nobis maledictum.* Ecce his verbis dicit Apostolus legem esse maledictum, vel maledictam, & sic esse damnabilem, ergò damnabilis est, qui facit aliquid de operibus legis, siue figuratiuis, siue moralibus. Ibidem.

¶ ITEM ad Gal.3. *Conclusit Scriptura omnia esse sub peccato.* Scripturam dicit legem scriptam: & per hoc quod dicit, *omnia*, intelligitur homo: sicut & per omnem creaturam intelligitur homo, cùm dicitur. *Ite prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc.vlt. Cùm ergò dicit Apost. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*, innuit, quod lex concludit hominem sub peccato: ergò lex mala est: ergò cauenda, & non recipienda. Galat.3. Marc.vlt. Galat.3.

¶ ITEM ad Gal.4. *Cùm cognoueritis Deum: imò cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa: quibus denuo seruire vultis?* Vbi Apostolus legem scriptam appellat elementa, & elementa egena & infirma. Cùm ergò lex egena & infirma sit inutilis: est ergò abiicienda tanquam inutilis & spernenda. Galat.4.

¶ ITEM hoc dicendo Galatis, qui gentiles erant: & superstitioni idololatriæ deseruierant: innuit Apostolus par scelus esse idololatriam, & obseruantiam legis. Ideò enim dicit, *iterum*, quia legis obseruantia, cui tunc dediti erant, erat peccatum ferè par idololatriæ. Ideò etiam dicit, *denuo*, vt ostendat, quod non distat modò lex post Christum ab antiqua idololatria: ergò modò non debet seruari lex.

¶ ITEM ad Galat.5. *State ergò, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et iugum seruitutis appellat legem, quia lex in seruitutem generat: ad Gal.4. *Hæc sunt duo Testamenta: vnum quidam in monte Synai in seruitutem generans, quæ est Agar*, &c. non est ergò bonum subiici iugo legis. Galat.5. Galat.4.

¶ ITEM in eodem. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege, sed sub gratia.* Per destructionem ergò consequentis dat intelligi, quia si sub lege estis, spiritu nō ducimini: sed valde bonum est spiritu duci: ergò valde malum est esse sub lege. Ibidem.

¶ ITEM ad Hebr.7. *Reprobatio fit præcedentis mandati per infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Præcedens mandatum dicit Apostolus legem, & ipsum Hebr.7.

... reprobatur: ergò lex est re probata: nó est ergò seruanda.

§ Item, ad Hebr. 8. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus, sancitum est: nam si illud prius à culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.* Ecce hic comparat ministerium noui Testamenti ministerio veteris Testamenti: & nouum Test. vet. Test. & dicit: ministerium nou. Test. tanto melius esse ministe. vet. Test. quanto nouum Testamentú melius est vete. sed hæc comparatio impropria est, cùm fiat à participante ad non participans: quia nouum Testa-
Ezec. 20. mentum bonum est, vetus autem non. Ezech. 20. *Dedi eis*
Hebr. 8. *præcepta non bona*, &c. Item dicendo. *Si prius culpa vacasset: non vtiq; secundi locus inquireretur*, ostendit vetus Testamentum non vacasse à culpa: & ita culpam in eo fuisse: ergò, vel ipsum fugiendum est, vel culpa fugienda non est. Hæ sunt ergò oppositiones, & calumniæ hæreticorum contra legem veterem, seu vetus Testamentum.

§ Respondendum igitur per ordinem ad ista.

Ezec. 20. § Ad primum igitur dicendum: quod cùm dicitur. *Dedi eis præcepta non bona*, ad comparationem noui Testamenti dicitur: non quia præcepta Domini mala sunt, sed quia respectu meliorum bona non sunt: sicut Samaria iustificata dicitur, non simpliciter: sed respectu scelerationis Hie-
Ezec. 16. rusalem, Ezech. 16. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit; sed iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es: ergò, & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: iustificatæ enim*
Ierem. 3. *sunt à te.* Et Hierem. 3. *Iustificauit animam suam aduersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iuda.* Similiter & hic dicitur non simpliciter, sed cóparatiue, *Dedi eis præcepta non bona.* Argumentatio ergò, non valet: in qua fit processus de his, quæ ad comparationem non bona dicuntur: ac si non bona simpliciter dicerentur.

§ Item, ad secundum dicendum, quod illud ad Rom.
Rom. 3. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur homo*: intelligendum est de cæremonialibus & figuratiuis. Cæremonialia enim & figuratiua, quæ cum lege instituta sunt, & cum lege terminata sunt: nunquam conscientiam emundare poterant, etiam si cum charitate, & deuotione fierent: non enim instituta sunt in iustificationem: sed in significationem futurorum, & in ostensionem peccati, & infirmitatis humanæ. Quod enim non sunt instituta in iustificationem, pa-
Gal. 2. tet per illud, quod dicit Apostolus ad Galat. 2. *Si per legem iustitia: ergò Christus mortuus est gratis* Quod verò sint institu-
1. Cor. 10. ta in significationem, dicit Apostolus 1. ad Cor. 10. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Et post. *Omnia in figura contingebant illis.* Item quod in ostentionem peccati, & infirmitatis
Rom. 3. humanę data sunt, patet quia Rom. 3. *Per legem cognitio peccati.* Et cap. 7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: non concupisces* Exod.
Exod. 20. 20. Moralia verò legis in fide Christi iustificant, & in Euangelio consummantur. Licet igitur cæremonialia, & figuratiua non iustificarent: quia tamen lex pędagogus non fuit in Christo, & sub ea custodiebamur in fide sicut dicit
Gal. 3. Apostolus ad Galat. 3. seruari debuit: quoniam à morbo, quem monstrabat, cauendum erat: ministerium fidei sub eis figuris latitans fuit amplectendum.

§ Ad tertium dicendum, quod cùm dicitur. *Lex iram*
Rom. 3. *operatur*: ad Rom. 3. non supponit, *ira*. pro vitio, immò pro
Ibidem. vindicta: sicut ad Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram?* Et cap. 2. *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Et cap. 5. *Salui erimus ab ira per ipsum.* Et cap. 1. *Reuelatur enim ira Dei super omnem impietatem hominum.*

§ Ad quartum dicendum, quòd cùm dicitur: Rom. 4. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*: hæc coniunctio, vt, non notat causam, sed consecutionem, vt ibi. *Butyrum, &*
Esa. 7. *mel comedet: vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Esai.
Rom. 4. 7. est enim sensus. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*, id est, lex subintrauit, & abundauit delictum: Per legem autem dicitur abundasse, non quia lex delictum iuberet, sed quia legi non affuit adiutrix gratia, aucta est concupiscentia ex prohibitione: & ea crescente, subrepsit præuaricatio, quæ delictum ad augeret: & abundauit, subintrante lege, delictum: quia & concupiscentia ex prohibitione feruentior facta est: & peccantibus contra legem præuaricationis crimen accessit.

§ Ad illud verò, quod de eodem obiicitur. Dicendum, quod Deus non crudeliter, sed misericorditer legem dedit: non enim Deus causa morbi legem dedit, sed consilio medicinæ: aliquando enim homo videtur sibi sanus, & tamen ægrotat: & quia non sentit ægritudinem, opera medici non expoposcit: augetur morbus, & crescit molestia: quærit medium, & sanatur. Homo verò ante legem confidens viribus, intumebat, dicebat enim. Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat. Magnum ergò fuit consilium, vt per legem abundaret delictum: videlicet, vt per austeritatem legis infirmitatem suam intelligentes infirmi, ad medicum confugerent, auxilium gratiæ precaturi. Vnde patet, quia non crudeliter, sed misericorditer lex data est; nec crudeliter est legislator in datione ipsius.

§ Ad tertiò autem obiectum de eodem, dicendum, quod abundante delicto, non abundat gratia: non enim abundantia delicti causa est, quare abundat gratia: immò causa est, quare subtrahatur. Sap. 1. *In maleuolam animam* Sap. 1.
non introibit sapientia: nec habitabit in corde subito peccatis Et ideò Apostolus opponit sibimet consequenter, & dicit. *Quid* Rom. 6.
ergò dicemus. permanebimus in peccato, vt gratia abundetur? absit. Sed ita sané intelligendum est: delictum abundauit per legem: sed hoc sanat Christus; quia vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia. Vel sic, per legem abundauit delictum: sed non ideò despiciatur aliquis; quia vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia: omnia enim Christus indulget.

§ Ad quintum dicendum, quod cùm dicit Apostolus
ad Rom. 7. *Cùm essemus in carne passiones peccatorum, quæ per legem erant*, &c. non intelligit passiones peccatorum esse ex lege: sed notas esse per legem: & ex prohibitione legis auctas esse, vitio transgressorum, non legis. Concupiscentia enim ex prohibitione legis ardentior facta est: & peccantibus contra legem præuaricationis crimen, quod nondum erat, accessit. Et quod ita debeat intelligi, ostendit ipse Apostolus: cùm sibimet opponens, dicit. Quid ergò dicemus; lex peccatum est? absit: sed peccatum non cognoui, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: non concupisces. Rom. 7.

§ Qvod verò opponitur ex eadem auctoritate, quod lex mortis dicitur. Ita intelligendum est: non quod mortem animæ, id est, peccatum propinet: sed quia peccantes interficit, & reos punit temporaliter. Lex ergò data ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, non est mala, sed bona.

§ Ad sextum verò; quod obiicitur: quòd peccatum occasione acceptâ per mandatum, &c. Dicendum, quod lex non est mala, sed bona: licet peccatum, id est, carnalitas, diabolus per legem occasioné acceperit concupiscentiam operandi: sicut prædicatio Christi bona erat, non mala; licet inde sumpta sit occasio mortis eius: secundùm quod dicitur in Ioann. 5. Propterea Iudæi volebant eum interficere, non solùm quia soluebat Sabbatum; sed quia dicebat se Filium Dei, æqualem se faciens Deo. Similiter etiam prædicatio Apostolorum bona erat, non mala: licet inde occasionem suæ mortis acceperint increduli.
Vnde. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & in* 2. Cor. 2.
his, qui salui fiunt: & in his, qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam. Quod ergò peccatum, id est, carnalitas, vel diabolus per legem occasionem operandi acceperit: non est de vitio legis, sed de vitio transgressoris. Si enim hoc esset de vitio legis, non
diceret Apostolus ad Rom. 2. *Qui in lege gloriaris, per præuari-* Rom. 2.
cationem legis Deum inhonoras. Nec diceret. *Non auditores legis* Ibidem.
sed factores iustificabuntur: ad Rom. 2. Sed talis est nostra infirmitas: vt ardentius prohibita desideret, quam concessa: vnde gentilis Poëta.

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Res enim, quæ negantur, vel mulier, vel aurum, vel huiusmodi, negando memorantur: & ex memoratione ipsorum inardescit desiderium: quibus non memoratis, desiderium sopiretur.

Rom.7. ¶ Ad septimum dicendum, quod cùm dicit Apostol. ad Rom.7. *Ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati*, &c. non appellat legem scriptam legem peccati: immò concupiscentiam, quam lex scripta prohibet, appellat legem peccati. Tres enim leges distinguit Apostolus in sequenti. Rom.8. cùm dicit. *Lex enim spiritus vitæ*, &c. cùm enim dicit. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu*. vnam legem ostendit: hoc est, legem fidei: & cùm adiungit. *Liberauit me à lege peccati & mortis*: alteram legem ostendit, scilic. legem concupiscentiæ: cùm verò subiungit. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*, tertiam legem ostendit: scilicet, legem scriptam in monte Synai. Duæ ergò leges bonæ sunt, scilicet lex Moysi, quæ peccatum ostendit & prohibet: & lex fidei, quæ peccatum ostendit: lex verò peccati, scilicet, lex concupiscentiæ mala est, quæ reos facit, dum præuaricationem inducit. Itaque cùm dicit Apostolus. *Ego mente* Luc.2. *seruio legi Dei*, legem Dei appellat legem scriptam, quæ concupiscentiam prohibet: de qua Lu.2. *Tulerunt Iesum in Hierusalem, vt darent hostiam (sicut scriptum est in lege Domini) par turturum, aut duos pullos columbarum*. Cùm ergò dicitur. *Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*: hic est sensus. *Ego*, id est, rationalis & interior homo: licet habens fomitem peccati, sicut habebam, prius quam Dei gratia liberaret: tamen seruio, id est, potens sum seruire legi Dei: & hoc mente, id est, voluntate (Iam enim liber animus adiuuante gratia malas suggestiones potest spernere, & contraria superare) *carne autem seruio legi peccati*, id est, concupiscentiæ: & ideò licet liberatus sim, non est remissiùs agendum: sed cauendum est, ne regnet peccatum. Nota, quod lex carnis, scilicet fomes peccati dicitur ideò lex: quia cum homo noluit obedire suo maiori, id est, Christo: iustum fuit, & quasi lex ei data; quod suũ inferius, id est, caro non obediret ei.

1.Cor.8 ¶ Ad octauum dicendum, quod nõ reprehenditur scientia, cùm dicitur: *scientia inflat, charitas ædificat*. 1.Cor.8. sicut enim cum charitate scientia prodest, sic lex bona est Rom.7. cum gratia: vnde ad Rom.7. *Lex quidem sancta est: & manda-* 2.Cor.3. *tum iustum, sanctum, & bonum*. Cùm ergò dicitur. *Litera occidit*: intelligendum sine spiritu adiuuante: quemadmodum Rom.7. cùm dicitur ad Rom.7. *Passiones peccatorum, quæ erant per legem*. (supplendum est) notæ, vel auctæ erant, per legem. Reuera enim sine spiritu occidit, id est, occasionem præ- Ibidem. stat occisionis. Sicut enim dicitur ad Rom.7. *Occasione acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Et benè dico legem occasionem occisionis præstare, quia dum peccatum ostendit & prohibet; ex prohibitione concupiscentia incitat: cùm non adsit spiritus, qui nos, conferendo gratiam, adiuuet implere mandata.

¶ Ad illud verò, quod obiicitur ex eadem auctoritate: quod lex Moysi est ministratio mortis & damnationis. Dicendum, quod lex non dicitur ad ministratio mortis & damnationis, eò quod ipsa inferat damnationem & mor- Ibidem. tem: sed quia occasionem præbet, per transgressionem augendo peccatum: secundùm illud ad Rom.7. *Peccatum occasione acceptâ, per mandatum seduxit me: & per illud occidit*. Dicitur etiam ministratio damnationis & mortis: quia per illam innotescit & mors, & damnatio transgressoris. Vel quia peccantes; quos Dei gratia ad implendam iustitiam non iuuabat: morte corporali mulctabat. Itaq; quòd mors & damnatio per legem administretur; de vitio præuaricantis est; nõ de vitio legis. lex enim peccatum monstrat, & prohibet, & pœnam peccati ostendit.

¶ Ad aliud, quod ex eo obiicitur. Dicendum, quod proculdubio legem innuit euacuari Apostolus: sed secundum cæremonialia & figuratiua, non secundùm moralia: Galat.vlt. ait enim Apostolus de cæremonialibus & figuratiuis ad Galat. vlt. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed noua creatura*.

¶ Ad nonum dicendum sicut supra: quod hoc quod dicit Apostolus; quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro: intelligendum est de operibus legalibus, vt de sacrificijs & alijs figuratiuis: non de moralibus.

¶ Item, ad decimum dicendum: quoniam lex sine gratia iustitiam non habet: nec tamen inutilis est: quia hominis ægritudinem monstrat; vt videlicet cognita homo ægritudine sua, medicum quærat. Qui enim negat ægritudinem suam, superfluum iudicat Saluatorem. Nam si per legem, id est, per opera legis, de quibus Iudæi confidebãt; iustitia est, Christus ergò mortuus est gratis, id est frustra.

¶ Ad vndecimum dicendum: quod illud, *qui ex operi-* Gal.3. *bus legis sunt, sub maledicto sunt*, intelligendum est, non ex operibus illis, quæ ad mores pertinent; sed quæ in obseruationibus illis fiebant: prodest enim lex scripta in tabulis, in quibus erant tria mandata pertinentia ad dilectionem Dei, & septem pertinentia ad dilectionem proximi. Circa verò cætera, quæ impleri non possunt, iuxta illud. Act.15. Actuu.15. *Hoc est onus, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus*: qui ex operibus legis, supple omnibus tam figuratiuis, quàm cæremonialib. sunt, sub maledicto sunt; quia cum omnia secundùm Petri testimonium impleri non possint; & in lege scriptum sit. Deut.27. *Maledictus omnis, qui non perman-* Deut.27. *serit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius*, &c. proculdubio maledictioni culpæ & transgressionis subiicitur, qui ex legis operibus est. Sed ab hoc reatu soluitur, qui de gratia confidit, saltem spiritualiter implens legem.

¶ Ad duodecimum; quod obiicitur: quod lex non est ex fide: sed omne, quod non est ex fide, peccatum est, &c. Dicendum, quod non sequitur: fides enim dissimiliter accipitur in maiori propositione, & assumptione: quia in propositione accipitur fides, prout describitur in epistola ad Hebr.11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumen-* Hebr.11. *tum non apparentium*: vnde cùm dicitur, lex non est ex fide, sensus est, lex non est ex fide, vt pro futuris, quæ speranda sunt, ex amore impleatur: sed pro præsentibus ex timore: hoc enim innuit Apostolus, cum immediatè subiungit. *Sed qui fecerit ea, viuet in illis*, vt Ibidem. intelligatur in hoc loco legem poni pro illis operibus, quæ in illis obseruationibus fiebant per escas: qui autem viuebant in illis operibus, timebant vtique, si ea non fecissent; lapidari, vel crucifigi, vel quocunque modo puniri: & ideò subiunxit, *qui fecerit ea, viuet in illis*, id est, pro præmio recipiet; vt non intereat: aliter enim puniretur. In assumptione verò cùm dicitur. *Sed omne, quod non est ex fide, pec-* Ibidem. *catum est*, fides accipitur pro bona conscientia: præmiserat enim de discretione escarum dicens. *Noli propter escam destruere opus Dei: omnia enim munda sunt: sed qui discernit, si manducat, damnatus est; quia non est ex fide*. Quasi dicat: qui manducat cibum, quem discernit, id est, quem manducandum non credit: damnatus est in conscientia sua, id est, reum se fecit: quia quod damnosum asserit, facit: quod enim manducat, non manducat ex fide, id est, pura conscientia: contra fidem quippe credit, qui edit, quod edendum non credit. Omne ergò, quod non est ex fide, peccatum est, id est, quod fit contra fidem, id est, contra conscientiam; vt credamus malum esse, peccatum est: non tamen omne, quod fit ex fide, bonum est; quia ignorantia, quæ est culpa, nocet: secundùm illud Ioann.16. *Venit hora, vt omnis qui inter-* Ioan.16. *ficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*. Nota quia quod Heb.11. dicitur, *omne, quod non est ex fide, peccatum est*, ideò dicitur, quia omnis infidelium vita peccatum est; quia omnis infideliter viuens, vel agens, vehementer peccat.

¶ Ad aliud quod obiicitur per illud ad Galat.3. *Christus* Gal.3. *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, &c. Dicendum, quod duæ sunt species maledictionis: maledictio culpæ, & maledictio pœnæ. De maledictione culpæ dicitur in Psalm. 118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis*. Psal.118. De maledictione pœnæ dicitur Genes.3. *Maledicta terra in* Genes.3. *opere tuo*. Cùm ergò dicitur, *Christus nos redemit de maledicto* Galat.3. *legis*, maledictum dicitur culpa transgressionis: à qua per Christum Redempti sumus. Cùm ergò dicitur, *factus pro* Ibidem. *nobis maledictum*, maledictum dicitur pœna passibilitatis, & mortalitatis; quam suscepit pro nobis. Nota etiam, quod non dicitur maledictum legis, eò quod maledicto, id est, culpæ subiaceat, qui implet legem, & facit quælibet opera legis (si enim hoc esset, maledicto culpæ subiaceret Chri- Matth.5. stus, qui dicit, Matth.5. *Non veni legem soluere, sed adimplere*.) Sed dicitur maledictum legis; quia maledictio culpæ subiacet in omnibus, quæ scripta sunt in lib. legis. Non valet ergò argumentatio, in qua proceditur de maledictio legis ac si maledictum legis, quod de legis transgressione dici-

tur: de legis impletione dicatur. Deberet enim sic assumere (his verbis innuit Apostolus legem esse maledictum transgressoribus legis inducit) & ex hoc non prouenit conclusio.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod conclusit scriptura, omnia sub peccato, &c. Dicendum, quod verum est, quod dicit Apostolus: nec tamen lex mala est: non enim intelligendum est, *inclusit*, id est, peccatum induxit: sed *inclusit*, id est, inclusa ostendit: non enim lex peccatum iubet; immò peccatum ostendit, & prohibet: sicut dicitur Rom.7. ad Rom.7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces.* Data est enim lex propter transgressiones: vt peccata notando, transgressiones minueret: & de transgressione conuinceret transgressores. Patet ergò, quod argumentatio non valet: in qua proceditur ex his; quæ figuratiuè dicuntur; ac si propriè & sine figura dicantur. Si enim lex mala est, quia conclusit omnia sub peccato: Rom.11. ergò Deus est malus, quia omnia in incredulitate conclusit. Rom.11. Item, si lex mala est, quia omnia conclusit sub peccato: ergò eadem bona est, quia sub ipsa custodie- Galat.3. bamur conclusi in fidem, quæ postea reuelanda erat: sicut dicitur ad Galat.3. & ita lex simul mala est & bona; quod est impossibile.

¶ Ad aliud dicendum, quod reuera lex infirma est & egena: infirma, quia non plenè iustificat: & egena, quia quantum iuuat, non per se, sed respectu gratiæ iuuat: li- 2.Cor.12. cet infirma & egena sit; non tamen inutilis: vt 2. Corinth.12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Cæterum si omnis Ibidem. infirmitas mala esset: non cum infirmis infirmaretur Apostolus. 2. Corinth.11. nec diceret etiam. *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* 2.Cor.12. Quòd autem non sit lex inutilis, inde patet: quia iuuat (inquam) quia quid sit peccatum ostendit: & quid sit virtus: vt sciamus, quod debeamus agere, quid cauere. Non ergò abiicienda est lex tanquam inutilis, & spernenda.

¶ Item ad aliud, quod obiicitur de eodem. Dicendum quod in illis verbis innuit Apostolus penè par peccatū seruituti idolorum esse obseruantiam legis: non secundùm moralia, quæ in Euangelio consummantur; sed tantum secundùm cæremonialia & figuratiua, quæ in Euangelio destruuntur, vt patet in solutione Sabbati, & sacrificio- Galat.2. rum, & ciborum in differentia: vnde ad Galat.2. *Si quæ destruxi, iterum reædifico; præuaricatorem me constituo.* Non ergò sequitur, quod lex seruari non debeat; licet cærimonialia & figuratiua seruari non debeant: quia cùm dicitur, ergò lex non debet seruari, propter distributionem negationis innuitur, quod lex nullo modo debeat seruari: cùm sit in Galat.5. moralibus obseruanda.

¶ Ad aliud dicendum, quòd cùm dicit Apostolus. *State ergò, & nolite iugo seruitutis iterū contineri*, de lege loquitur secundùm figuratiua: vt est circumcisio, & similia: non de Ibidem. lege secundùm moralia: quod ostendit, cùm statim subiungit. *Ecce ego Paulus, dico vobis: si circumcidimini, Christus nihil* Ibidem. *vobis proderit.* Quod etiam hoc non secundùm vniuersam legem dixerit: ostendit apertiùs, cùm subiungit. *Testificor omni homini circumcidenti se; quoniam debitor est vniuersæ legis* Ibidem. *faciendæ.* Patet ergò per ea, quæ sequuntur: quia quod dixit *nolite iterum iugo seruitutis contineri*, non secundùm vniuer- Colos.2. sam legem dixit: sed tantum secundùm figuratiua, quæ in Euangelio abolentur: præsertim cum Apostolus dicat Colos.2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut parte diei festi. aut neomeniæ. aut Sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi*, &c. cùm in Euangelio moralia cōfirmentur.

Galat.5. ¶ Ad aliud dicendum, quod cùm dicit Apostolus. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege, sed sub gratia*, sic est intelligendum: non estis sub lege, id est, non erratis: vt consequens ponatur pro antecedente: lex enim errantibus & 1.Tim.1. malè agentibus posita est, sicut dicit Apostol. 1. Timoth.1. *Non est iustis posita lex sed iniustis*: qui verò ducem habent spiritum, non errant: & ita sub lege non sunt: quia non est iustis lex posita, sed iniustis.

Hebr.7. ¶ Ad illud, quod obiicitur ex epistola ad Hebr.7. *Reprobatio fit præcedentis mandati*, &c. Dicendum, quod reuera lex reprobatur, sed nōn propter malignitatem eius, vt hæretici mentiuntur: sed propter infirmitatem eius, quàm dum stetit, habuit: quia si tunc aliquid fecit; tamen non plenè iustificauit. Et etiam reprobatur propter inutilitatem eius quàm modo habet: non modo enim infirma est: immò etiam damnosa, si teneatur, in cæremonialibus & figuratiuis: si quidem post aduentum Christi inutile est ea fieri, quæ olim fiebant: vt hæc præcederent. Circumcisio enim & cætera huiusmodi priori populo diuinitus data sunt ad signationē futurorum: quæ per Christum oportebat impleri: quibus aduenientibus, remanserunt illa Christianis tantum legenda ad intelligentiam præmissæ prophetiæ: non autem ad necessariò facienda, quasi adhuc expectandum esset, vt veniret reuelatio Dei, quæ figurabatur esse ventura. Moralia verò abiicienda non sunt; quia in Euangelio confirmantur.

¶ Ad secundò obiectum ex eodem dicimus legem esse inutilem modo: & tunc cum stetit inutilem fuisse ad perfectionem: quod ostendit Apostolus per hoc, quod sub- Ibidem. iungit. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quò ad perfectionem ergò inutilis fuit lex, non quò ad omnia; quia non quò ad cognitionem peccati: per legem enim cognitio peccati: ad Rom.3. & 7. *Peccatum non cognoui, nisi per* Ro.3.& 7. *legem: nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces.*

¶ Ad aliud, quod obiicitur ex auctoritate ad Rom.8. quod impropriè fit comparatio noui & veter. Testament. Dicendum, quod immò propriè vetus Testamentum nouo Testamento comparatur: cùm inter participantia comparatio: vtrumque enim bonum est: de nouo enim constat: de veteri etiam constat, per hoc, quod dicit Apostolus ad Rom.7. *Itaque lex sancta est, & mandatum iustum, san-* Rom 7. *ctum, & bonum.* Quod verò dicitur Ezech.20. *Dedi eis præce-* Ezech.20 *pta non bona*: non dicitur hoc, quia præcepta legis simpliciter bona non sint: sed, quia respectu meliorum bona non sunt: sicut dictum est supra.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur ex eadem auctoritate. *Nam si prius à culpa vacasset*, &c. Dicendum, quod hoc non Hebr.7. dicitur, quia vetus Testamentum in se culpam habeat: sed quia illi, quibus datum est, culpam habent ex transgressione ipsius. Quod enim dicitur, *si à culpa vacasset*, id est, si à Ibidem. culpa vacare fecisset: hoc est, si perfectè mundasset hominem, vt inculpabiles essent obseruatores ipsius: non vtique secundi locus, id est, oportunitas inquireretur à Deo, qui paulatim instruxit.

ARTICVLVS II.

An congruo tempore lata sit lex Euangelij.

CONSEQVENS est quærere de tempore lationis legis Euangelij. Nam cum lex Euangelij sit lex perfectæ salutis; debuit dari homini ab initio post peccatum: quod multipliciter probatur.

¶ Primò sic: detrimentum est ægroto dilatio medicinæ. Si ergò lex Euangelij medicina est contra ægritudinem peccati, dilatio legis Euangelij ferendæ in detrimentum fuit ægrotanti homini. Si ergò summa bonitas ordinare debet ea, quæ sunt ad salutem ægrotantis hominis, statim post peccatum debuit dare legem Euangelij.

¶ Item, maiori mundo nunquam deest aliqua perfectio, quæ ei sit necessaria secundùm suum statum: ergò nec minori mundo, qui est homo, deesse debet perfectio necessaria secundùm aliquem statum. Si ergò post lapsum maximè indiget noticia & lege gratiæ: statim post lapsum debuit ei dari lex Euangelicæ perfectionis: aut sequitur inconueniens, quod in operibus Dei perfectio debita defuit. Act.10.

¶ Item, *non est personarum acceptio apud Deum.* Actor.10. Ergò æquè prouidet saluti priorum iustorum & posteriorum. Si ergò per Euagelium prouidet saluti priorum: ergò per Euangelium prouidere debuit saluti priorum.

¶ Item, si latio legis Euangelicæ commodum est iustis præsentibus: ergò dilatio lationis damnum fecit iustis præcedentibus: non conuenit autem diuinæ iustitiæ, vt sustineat damna iustorum.

¶ Item

¶ Item, voluntas Dei est efficax causa bonorum adducendorum: sicut dicit August. Si ergò voluntas Dei est respectu salutis humanæ: quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: efficiet, quod maximè pertinet ad salutem humani generis. Sicut ergò ad humanam salutem pertinet maximè lex Euangelicæ perfectionis post lapsum: ergò ab initio debuit dari.

RESOLVTIO.

An teriùs lex Euangelij ferri non debuit, vt sic homo confitendo suum defectum, diuinæ largitatis cognosceret affectum.

Hugo de S.Victore ¶ Responsio. Dicendum secundùm Hugo. *Oportuit, vt post peccatum hominis deponeret Deus personam iudicis, & assumeret personam consiliatoris, & postea auxiliatoris: ita duntaxat, vt primò hominem totum sibi dimittat: quatenus ipse homo ignorantiam experiatur, & intelligat se indigere cõsilio: deinde etiam defectum suum sentiat, & agnoscat sibi opus auxilio esse.* Tali ergò ratione in tempore naturalis legis totus homo dimissus est sibi: postea tempore legis cognoscenti ignorantiam suam datum est consilium: postremò in tempore gratiæ confitenti defectum suum præstitum est auxilium secundùm legem gratiæ, scilicet, Euangelium.

¶ Ad primum ergò dicendum: quod cùm homo sit liberæ voluntatis, & rationis arbitrio constitutus: non debet sanari, nisi voluntariè: medicina ergò non dabitur homini, nisi scienti & desideranti. Ordo igitur curationis hominis requirit, vt prius probetur homo, vtrum sit sciens, hoc est, cognoscens suum morbum: secundò verò vtrum sit desiderans auxilium: & ideò primò sub lege naturali sibi relictus, experitur suam ignorantiam: secundò verò per legem Moysi factus sciens, experitur suam impotentiam: vt ex prima experientia, scilicet ignorantiæ quæreret consilium, ex secunda auxilium: quod est gratia Christi, quam prædicat Euangelium. Dicendum ergò, quod non est detrimentum ægroto medicinæ dilatio: si hoc exigat curationis ordo.

August. in lib. 83. qq. ¶ Ad secundum dicendum iuxta, quod dicit August. quod sicut surdus est, qui iuuenilem ætatem vellet esse in homine temporibus subdito: euacuaret enim pulchritudines, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordines gerunt: *quia* (sicut ipse dicit) *talis pulchritudo rebus discedentibus,* Ibidem. *& succedentibus peragitur:* & habet decorem suum in singulis quibuslibet hominibus singula quæque ætas ab infantia vsque ad senectutem. Sic absurdus est, qui in ipso vniuerso genere humano vnam ætatem desiderat: nam & ipsum tanquam vnus homo ætates suas agit: nec oportuit venire diuinitus Magistrum, cuius imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore iuuentutis. Ad hoc valet, quod Galat. 3. Apostolus dicit: ad Galat. 3. Sub lege quasi sub pædagogo paruulos custoditos, donec veniret, qui per prophetas promissus erat. Secundùm hoc dicendum: quod non defuit generi humano aliqua perfectio, quæ esset sibi necessaria secundùm statum: sed infantia generis humani fuit ante legem, pueritia in lege: quæ ætates non sunt susceptibiles perfectionis disciplinæ: iuuentus verò tempore gratiæ, quæ ætas perfectionis doctrinæ susceptibilis est: & ideò tunc dari debuit lex Eangelij, quæ est perfectio disciplinæ.

August. in lib. 83. qq. ¶ Ad tertium dicendum secundùm August. *Aliud est, quod diuina prouidentia quasi priuatim cum singulis agit: aliud est, quod generi vniuerso tanquam publicis vtilitatibus consulit: nam & quicunque singuli ad certam scientiam peruenerunt: non nisi ab eadem veritate suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt.* Secundùm hoc ergò dicendum, quod diuina sapientia æquè prouidet prioribus iustis, & posterioribus secundùm exigentiam status, & congruitatem prouidentiæ generalis: secundùm quam requiritur, vt per gradus ætatum mundi gradatim decurrat cognitio veritatis secundùm similitudinem ætatis singularis hominis: quamuis non æquè quantum ad necessitatem personæ, & dispensationem prouidentiæ personalis.

August. in lib. qq. noui & vet. Test. ¶ Ad quartum dicendum secundùm August. *Damnum fuit iustis prioribus, quia non ante venit Christus: sed quare? an iustum, vt iniustum sit: solent autem damna iusta esse, de quibus quar[i] non licet: nunquid fur deprehensus, & iuxta legem in quadruplum condemnatus, ausus est quæri? Ac per hoc damnum, quod hominum genus passum est, iustè prouenit: vnde permissum est. Quare & Saluator inter ipsa primordia venire non debuit: cùm enim primos parentes circumuenisset diabolus, deuicto homine triumphauit: & h[…] victus genus suum vendidit peccato: non autem iustum erat victor[i] statim auferre violenter spolia: quia Deus quod facit enim iustè facit. Cùm, acerbè peccauerit homo: assentiens namque fieri se Deum idololatriam admisit: hoc est in Deum peccauit: ideoq; nõ illi statim subueniri debuit, qui nec pœnituit. Post autem iustu multa mal[a] intulit Satanas. Iob, Ioseph, Hieremiæ, Isaiæ, & cæteris prophetis: ideo circo tunc missus est Christus à Deo Patre suo, qui illum vinceret, e[t] manifestaret: regnum illius auferens ratione non potestate. Quamquam enim omnia possit Deus, illud tamen facit, quod congruit rationi, vt irreprehensibilis perseueret.*

¶ Ad vltimum dicendum secundùm August. *Si ei, c[ui] necessitas imminet, ante subueniatur: erit quidem gratus: non vale[t] tamen poterit scire, quid sibi præstitum est. Si autem in ipsa necessitate posito, auxilium feras; sciet quale beneficium consecutus sit: e[t] de tribulatione ereptus, plus gratias aget. Idcircò rectè primò dimi[sit] Deus genus humanum vti voluntate sua (non tamen sine testimon[io] sui) in fabrica mundi. Postea verò cùm decideret notitia Dei in terr[is] & mores mutarentur, visitauit genus humanum per legem: vt co[gnito] Deo, & renouata lege, timere inciperent: certi, quia legem d[e]dit, quod iudicaturus esset actus humanos. Sed quia accepta lege, peccatis se non cohibuerunt, diu per prophetas admoniti: motus misericordia; misit filium; per quem facta est Redemptio, & data est le[x] Euangelica perfectionis.* Secundùm hoc ergò patet, quòd voluntas Dei semper effecit ea, quæ pertinebant ad homin[um] salutem, non tamen expediebat humano generi, vt à principio ei subueniretur per Christum, & legem Euangeli[j] minus enim esset homo gratus liberatori.

QVÆSTIO LVII.

De Lege Euangelica in Speciali. Et primò de Præceptis Irascibilis.

In quatuor Membra diuisa.

EXpletis inquisitionibus de lege Euangelij in generali, inquirendum est in speciali de sanctionibus legis Euangelij. Notandum igitur, quod sicut in lege Moy[si] sunt leges circa opera necessitatis, quæ sunt in præcept[o] & circa opera supererogationis: quæ sunt in voto: sic le[x] Euangelij continet duas partes: præcepta in operibus necessitatis: consilia in operibus supererogationis. Prim[ò] igitur inquirendum erit de præceptis Euangelicis. Secundò de consilijs.

¶ Item, sicut præcepta legis Moysi in tres differenti[as] distinguuntur, in præcepta moralia, iudicialia, & figurali[a] ita præcepta Euangelij tribus partibus continentur: prim[a] pars erit moralium, secunda iudicialium, tertia sacramentalium. Ideò isto ordine erit de præceptis Euangelicis inquirendum. Primò de præceptis moralibus: secundò de iudicialibus: tertiò de sacramentalibus.

¶ Item, præcepta moralia Euangelij dupliciter sun[t]. Nam quædam sunt generalia respectu omnium: vt ea, q[uæ] continentur in Sermone Domini habito in monte. Matthæi. 5. 6. & 7. & Lucæ 5. & 6. Quædam verò sunt special[ia] personarum præsidentium, vt præcepta, quæ specialit[er] dantur Apostolis. Matth. 10. & Luc. 10. & 11. Primò igit[ur] erit inquirendum de generalibus. Secundò de specialib[us] seu particularibus.

¶ Item, circa generalia præcepta procedat inquisit[io] secundùm ordinem Euangelicæ traditionis: in qua prim[ò] disponuntur præcepta ad determinationem faciendorum, & vitandorum: consequenter ad ordinandam intentionem faciendorum, & vitandorum. Matth. 5. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.*

¶ Item, præcepta circa determinationem faciendorum disponũtur hoc modo. Primò enim dantur præceptà ad ordinandam passionẽ irascibilis: cùm dicitur Matth.5. *Dictum est antiquis: non occides: ego autem dico vobis, non irasci.* Secundò ad moderandam passionem concupiscibilis, cùm ibidè subditur. *Audistis, quia dictum est, non mœchaberis? ego autem dico vobis: omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum*, &c. Tertiò dantur præceptà ad ordinandum motum rationalis, ibid. *Audistis, quia dictum est, non periurabis*, &c. *ego autem dico vobis non iurare*, &c. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

¶ Item, præceptà ordinantia passionem irascibilis, consistunt in duobus: in prohibitione, & in iussione. In prohibitione iræ, cùm dicitur. *Audistis, quia dictum est. Non occides*, &c. *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit*, &c. In iussione reconciliationis, & concordiæ: reconciliationis respectu eius, quem læsimus: cùm dicitur. *Si offers munus tuum*, &c. *vade reconciliari*, &c. concordiæ respectu eius, à quo læsionem accepimus: cùm dicitur. *Esto consentiens aduersario*, &c. Vel, præceptum reconciliationis datur respectu fratris, hoc est amici: præceptum concordiæ respectu inimici. Secundùm ergò Euangelicum ordinem procedamus. Ibidem. Ibidem.

¶ Circa igitur præceptà ordinantia motum irascibilis quæruntur ista. Primò de ordine vis irascibilis ad rationalem, & concupiscibilem vim. Secundò, vtrum irasci vniuersaliter sit prohibitum. Tertiò, de gradibus hic positis circa iræ reatum. Quartò de præceptis reconciliationis ad proximum, & concordiæ ad aduersarium.

MEMBRVM I.

An præceptum ordinandæ irascibilis præcedere debeat præcepta ordinandæ rationalis atque concupiscibilis.

AD primum sic obiicitur. Vis imperans naturaliter prior est in mouendo, quàm vis imperata. Si ergò in ordine virium animæ vis imperans, est vis rationalis, vires imperatæ irascibilis, & concupiscibilis: naturaliter prior est motus rationalis motibus irascibilis, & concupiscibilis: ergò prior in præceptis Euangelicis ordinandus.

¶ Item, cum naturaliter consequatur motus iræ ad motum concupiscentiæ: quia (sicut dicit Ioann. Damas. *Ira est audax & vindex læsæ cõcupiscentiæ.*) ergò priùs debet ordinari præceptum regulans motum concupiscibilis, quàm ordinans motum irascibilis. Damas.

RESOLVTIO.

Vt per inferiora superiora ordinentur, & radicibus primitus prouideatur, iure præceptum ordinatiuum illius præceptis ordinatiuis harum prælibatur.

¶ Respon. Ad primum dicendum, quod ab inferioribus procedit ad superiora ordinans inferiores motus priùs concupiscentiæ, & iræ: qui sunt motus virtutis animalis: vt postea ordinet motus superiores virtutis rationalis: quia (sicut dicitur.1. ad Cor.15.) *priùs est quod animale est: deinde quod spirituale est.* 1. Cor. 15.

¶ Ad secundum dicendum, quod illud, ad quod principaliter ordinat natura, est conseruatio naturæ: & ideò cum occisio destruat naturam: priùs amouet radicem occisionis, quæ est ira: consequenter verò ordinat natura ad multiplicationem naturæ, quæ ordinatur per matrimonium: vnde consequenter remouet radicem inordinationis adulterij circa multiplicationem naturæ, quæ est concupiscentia.

MEMBRVM II.

Ad irasci vniuersaliter prohibitum sit.

SEcundò quæritur. Vtrum irasci vniuersaliter sit prohibitum. Quod videtur: quia * generaliter dicitur, Matth.5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* * Alias, absolute. Matth.5.

¶ Item, omnis affectio, quæ captiuat, & conturbat motum rationis, & illicita: sicut patet in voluntate carnis in luxuria, in qua afficitur concupiscibilis: vnde dicitur, 1. Cor.6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, ibid. Gloss. *Ardor libidinis, quo nulla maior voluptas: animum seruum tenet, efficitq; captiuũ: & ideò talis voluptas illicita.* Cũ ergò in ira sit affectio turbans, & captiuans libertatem rationis, & discretionem motus iræ semper erit illicitus. 1. Cor. 6. Glossa.

¶ Item, si omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: & esse reum iudicio, nũ est, nisi pro mortali, ira igitur semper erit culpa mortalis.

¶ Si dicatur secundùm B. Hieronym. super eundem locum, quod ira est omnis malus motus ad nocendum. Sed hoc contingit dupliciter: subitò, & cum deliberatione; si subito tunc est veniale; si cum deliberatione, mortale. vnde Hieronym. *Subitus motus, cui non consentitur, propassio est* (cui videtur concordare illud Psalm.4. *Irascimini, & nolite peccare.*) accedente verò consensu, passio est & mors in domo. Matth.5. in gl. ord. Hierony. Psalm.4.

¶ Contra, nullus motus naturalis est culpabilis; irasci est motus naturalis (vnde dicit Gloss. super Matth.5. *Naturale est irasci.*) ergò cùm sit motus naturalis, ipsius irascibilis motus non erit culpabilis. Glossa. sup. Matt. 5.

¶ Item, nullus peccat in eo vitare non potest; sed irasci vitari non potest; sicut dicit Gloss. super illud ad Ephes. 4. *Irascimini & nolite peccare. Inuitus tolero, quod vitari non potest.* Et subdit. *Si surgit motus animi, qui propter pœnam peccati non est in potestate nostra: saltem non ei consentiat ratio.* Ergò nullus peccat irascendo. Ephes.4.

¶ Item, Haymo super eundem locum dicit: *permittit Apostolus irasci, sed prohibet iram ad effectum ducere, cùm dicit. Irascimini & nolite peccare.* Irasci igitur non est prohibitum. Haymo.

¶ Item, Ambros. super eundem locum. *Irascimini contra peccantes, quod est naturalis motus animi: qui solet ad profectum pertinere delinquentium: ideò irascendum esse dicit ostendens hanc iram esse bonam.* Ambros.

¶ Si verò ex his dicatur, quod irasci aliquando non sit peccatum. Contra, in Psalm.4. *Irascimini, & nolite peccare.* Gloss. *Irasci omninò, vel leuiter, peccatum est.* Psalm.4. Glossa.

RESOLVTIO.

Irasci ex voluntate vitij, siue ex impatientia, vniuersaliter prohibitum est: secus irasci ex voluntate naturæ, vel gratiæ.

¶ Responsio. Cùm sit triplex velle, scilicet, velle naturæ, velle gratiæ, velle vitij: sicut dicit Gloss. ad Rom.5. super illud. *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, &c. motus iræ potest surgere ex voluntate naturæ, vel ex voluntate gratiæ, vel ex voluntate vitij. Si ex voluntate naturæ: seruato modo, & causa; indifferens est: & secundùm hoc dicit Hierony. super Matth.5. *naturale est irasci: ita tamen ne sine causa fiat.* Si ex voluntate gratiæ: sic irasci laudabile est; & procedit ex zelo: & secundùm hoc dicit Gloss. Ambr. ad Ephes. 4. quod irascendum est contra peccantes: vnde dicit Apostolus, *irascimini*, ostendens hanc iram esse bonam. Si verò ex voluntate vitij: irasci culpabile est, & procedit ex impatientia; vnde secundùm hoc dicit B. Gregor. super Iob.5. *Stultum virũ interficit iracundia.* Alia est ira, quam impatientia, aliam quam zelus facit; illa ex vitio, hæc ex virtute: quam Phineęs habuit. Num.25. Heli non habuit, 1. Reg.2. Si enim sic proximos, vt nos amare præcipimur: restat, vt eorum erroribus sicut nostris vitijs irascamur. Glos. sup. Rom.7. Hierony. sup. Matt. 5. Ephes. 4. Gregor. sup. Iob 5. Num 25. 1. Reg 2.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur; quod generaliter dicitur, quod omnis, qui irascitur. Dicendum, quod nõ dicitur generaliter, ita quod extendatur ad irasci quo-

cunque

cunque modo, sed secundùm quod irasci procedit ex vitio; aliud est enim irasci fratri, aliud irasci peccato, aliud irasci absolutè. Irasci fratri semper procedit ex vitio: nam frater hic dicitur proximus ratione communionis naturæ & possibilitatis ad communionem gratiæ inquantum huiusmodi; vnde secundùm hoc ira insurgit in naturam, & diffinitur ab August. *ira est vlciscendi libido*. Irasci verò peccato procedit ex virtute: quia ex amore seu zelo iustitiæ: de qua dicit Chrys. *ira, quæ est ex causa, & non ex passione, est iudicium, non commotio illicita* (& iudicium dicit motum iustitiæ.) Irasci verò absolutè dicit, quod indifferens est: vt motus est ex ipsa natura: qui motus cùm est in peccatum, ordinatur per zelum: cum est in personam, seu naturam, inordinatur per vitium.

August. 4. de ciu. Dei. Chrysost.

¶ Ad secundum dicendum, quod perturbatio rationis contingit dupliciter, ex infirmitate naturæ, & tunc est perturbatio pœnalis: & ex voluntatis peruersitate: & sic est perturbatio culpabilis. Ex infirmitate naturæ prouenit perturbatio in ira per zelum: ex peruersitate voluntatis in ira per vitium. Vnde ad perturbationem in ira per vitium sequitur obnubilatio rationis: ad perturbationem in ira per zelum sequitur clarificatio mentis. Vnde dicit Grego. *In recti æmulatione, vnde mens turbatur, ne videat: inde proficit, vt ad videndum verius clarescat: sicut cum infirmanti oculo collyrium mittitur, lux penitus negatur: sed inde eam post paululum veraciter recipit: vnde hanc ad tempus salubriter amisit.* Si ergò intelligatur illud, quod obiicit de ira per vitium: concedendum est, quod concludit iram esse affectionem illicitam. Si verò de ira per zelum: dicendum est, quòd perturbatio, quæ est in ira per zelum, non aufert vsum, seu libertatem rationis: nisi secundùm quid & ad tempus: vt postea proficiat ratio in cognitione & libertate ampliore.

Greg. super Iob.

¶ Ad tertium dicendum: sicut priùs: quod contingit irasci subitò & sine consensu; & dicitur propassio: & cum deliberatione & consensu voluntatis nocendi; & dicitur passio. Primò modo veniale: secundò modo mortale: quod intelligitur prohiberi, cum dicitur. *Omnis qui irascitur, reus erit iudicio.*

Matth. 5.

¶ Ad ad quartum, quod obiicitur: quod irasci naturale est: patet responsio ex distinctione supra dicta.

¶ Ad quintum, quod dicit: quod irasci non est in potestate nostra. Dicendum, quod si intelligatur de ira passione: manifestè falsum est. Si de propassione: dicendum, quod postquam insurrexit, non est motus propassionis iræ in potestate nostra: sed antequam insurgat, in potestate nostra est vitare, ne surgat: & hoc quantum ad motus singulos, & si non quantum ad omnes: secundùm quod dicitur de venialibus peccatis. Hoc autem est, si nos secundùm consilium B. Greg. nos munimus: qui dicit super Iob, quod duobus modis possidere animum ira dissuescit: primus est per præcognitionem passionis Dominicæ, secundus per præcognitionem propriæ infirmitatis: considerata enim infirmitas propria mala nobis excusat aliena.

¶ Ad reliqua verò patet responsi ex prædictus.

MEMBRVM III.

An in peccatis mortalibus sit ponere gradus: ita vt alterum altero maius esse dicatur?

Tertiò quæritur de gradibus positis. Matt. 5. circa iræ reatum. Nam sicut Rabanus dicit super illud Matt. 5. *Omnis, qui irascitur fratri suo*, &c. Gradus sunt in istis peccatis: primò est irasci; & habet motū, animo retinere: plus est, si vocem commotio ipsa extorsit, qua feriatur ille, cui irascitur: plus est, si certa vituperatio increpuit. Similiter gradus sunt in pœna: nam minus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur, & est defensioni locus: plus est concilium, quando adhuc iudices inter se conferunt, quo supplicio damnent, quem constat esse damnandum: plus est etiam gehenna, vbi nulla sententiæ dilatio. Et ita quod proprijs & certis modis exprimi non potuit, quibusdam similitudinibus distinctum est.

Ibidem.

D. Tho. 1.2. q. 73. art. 2.

¶ Iuxta hoc incidit quæstio, vtrum in peccatis sit ponere gradus. Nam Tullius posuit omnia peccata æqualia his rationibus. Peccata non rerum euentu, sed vitijs hominum metienda sunt: nam in quo peccatur, id potest esse aliud alio minus, aut maius: ipsum quidem peccare vnum est. Quod probat exemplo tali; aurì nauem euertet gubernator, an paleæ, in re aliquantulum, hoc est, in damno, in inscitia gubernatoris, nihil interest. Ex quo relinquitur, quod cùm ratio sit gubernator, vita verò sicut nauis, res verò, in qua peccatur, vel onus nauis: quod quantum ad errorem rationis erit indifferentia in peccatis.

Tullius. in lib. de Paradox.

¶ Item, arguit Tullius. *Si virtutes sunt pares, paria esse vitia necesse est.* Sed virtutes sunt pares, & sicut habetur, Apocal. 21. *Latera ciuitatis æqualia*: ergò vitia omnia sunt æqualia.

Idem.

Apoc. 21.

¶ Item, si virtus comparatur rectitudini: recto autem nihil est rectius: ergò virtute aliqua nihil erit virtuosius: erunt igitur virtutes pares: & inde vt priùs.

¶ Item, peccatum non est appetitus malarum rerum, sed desertio meliorum: sicut dicit Augustinus. Si ergò ratio peccati sumitur ex derelictione boni, quod est summum: bonum autem illud est vnum: ergò desertio vno modo erit. Paria igitur erunt peccata: ex quo est par desertio.

¶ Item, arguit Tullius. *Peccare est, rationis quasi transire lineas, hoc est limites honestatis: quam longè autem progrediaris, cùm semel transieris, ad augendam culpam transeundi; nihil pertinet.*

¶ Item, idem. *Peccare nemini licet*: quod si non licet, id vno tenetur, scilicet, quia non est licitum: si arguitur non licere: hoc autem quod dico, *non licitum*, non maius, nec minus fieri potest. Si ergò ex eo peccata nascuntur: æqualia esse oportet.

¶ Item, omnes mortes priuatione vitæ sunt pares: omnes cæcitates priuatione visus sunt pares: ergò omnia peccata in priuatione boni sunt paria.

¶ Contra. Gregor. super Ezech. assumens illud, *Per singulos gradus meos pronunciabo illum omnipotentem Deum. Per singulos gradus suos pronunciat: qui per incrementa virtutum: quæ acceperit, ei laudem reddit.*

Gregor.

¶ Item idem in eodem. *Si gradus in cordis ascensione non essent. Psalmista non diceret. Ambulabunt de virtute in virtutem.*

Psal. 83.

¶ Item idem ibidem. Alia sunt virtutis primordia, aliud prouectus, aliud perfectio. Si enim ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur: nequaquam sancti Apostoli minimè dixissent. *Auge nobis fidem.* Ex hoc ergò relinquitur, quod in virtutibus sunt gradus: & virtutes sunt impares: & etiam vna virtus sibiipsi impar secundùm diuersos status: multò ergò fortius ipsa peccata.

Luc. 17.

¶ Item, August. in Sermone habito in monte: *Sicut in tribus gradibus ad peccatum peruenitur, suggestione, delectatione consensione: ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine.*

August.

¶ Item, Gregor. *Peccatum tribus modis admittitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & grauius, quod ex infirmitate, est quam quod ignorantia: & multo grauius studio, quàm infirmitate peccatur.*

Greg. li. 2. cap. 23.

¶ Item, quis dubitat, quin maius sit peccatum idolotria, quam ira? item, quod maius peccatum homicidium, quam fornicatio? & quod maius peccatum interficere patrem, quam inimicum?

¶ Item, si peccata omnia essent paria: omnibus peccatis deberetur par pœna: quod non admittit, nec lex, nec ratio. In prædictis ergò rationibus videtur manifestè errasse Tullius in lib. de Paradoxis.

¶ Item, quæritur: qualiter reatus illi distinguuntur: cùm dicitur. Qui irascitur, reus erit iudicio: qui dixerit racha, reus erit concilio: qui fatuæ, reus erit gehennæ.

Nam Apostolus Galathas vocat insensatos. *O insensati Galathæ*, &c. dicit ergò, *fatue*, fratri.

Galat. 2.

* * *

RESOLVTIO.

Simpliciter loquendo, in peccatis moralibus ponere est gradus alterumq; altero maius confiteri: secundùm quid autem æqualia ea esse asserere poterimus.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod gradus sunt in peccatis, & peccata alia alijs maiora & minora sunt, simpliciter loquendo: secundùm quid tamen dicuntur peccata æqualia (& loquimur de peccatis mortalibus.) Cõsideratur enim peccatum, vt auersio, seu priuatio boni: consideratur etiam, vt nocumentum, seu reatus supplicij. Primò modo dupliciter: nam bonum cuius priuatio est peccatũ, duplex est: naturæ & gratiæ. In bono autem naturę accipitur rectitudo rationis, seu voluntatis, & habilitas susceptibilitatis gratuitæ perfectionis: in bono verò gratuito accipitur gratia gratum faciens absolutè, & gratia gratum faciens determinatè; prout intrat essentialiter in qualibet virtute, & etiam gratia gratisdata. Si ergò cõsideretur peccatũ, vt priuatio boni naturalis; distinguendũ est: quia aut est priuatio rectitudinis innatæ rationi & voluntati, quæ absolutè & vno modo est: & tũc dicemus, quò ad hoc peccata æqualia: attendendo priuationem vnius rectitudinis; quamuis differentẽ dispositionem curuitatis inueniamus in peccatis secundùm maiorem elongationẽ à rectitudine & secundùm hoc sunt inæqualia, & alia maiora alijs. Si verò cõsideremus, vt priuationem habilitatis, seu susceptibilitatis boni gratuiti: secundùm hoc inueniuntur peccata inæqualia, nam aliud alio reddit animam inhabiliorẽ ad gratiam. Hæc autem priuationis differentia contingit ex differenti modo auersionis voluntatis à bono. Item, si cõsideretur, vt priuatio boni gratuiti, distinguẽdum est: quia aut boni gratuiti absolutè: & quo ad hoc inueniuntur adhuc peccata ęqualia: quia omnia peccata mortalia priuant vnum bonum, hoc est, gratiam absolutè. Aut boni gratuiti gratum facientis determinatè: prout est essentialiter in qualibet virtute, siue gratuiti gratis dati: & secundùm hoc inueniuntur peccata inæqualia: nam odium fraternum secundùm hoc maius malum est, quam fornicatio: quia primò & per se priuat charitatem (tamen quia connexæ sunt virtutes per cõsequens priuat alia) fornicatio verò, primò, & per se priuat castitatem (quãuis per cõsequens alia) maiꝰ autẽ bonũ est charitas, quàm castitas. Similiter secundùm hoc maius malum est infidelitas quam odium: non prædicta ratione, quia priuat maiꝰ bonum; sed quia plura priuat bona: priuat enim infidelitas bonum gratum faciens, vt fidem formatam & cęteras per consequens: & bonum gratis datum, vt fidem informem, & spem in timorem.

¶ SI consideratur peccatum, vt reatus, dupliciter est. Nam reatus culpæ, aut est respectu amissionis gloriæ: aut respectu passionis gehennæ. Si respectu amissionis gloriæ: distinguendum est: aut respectu gloriæ absolutè, aut respectu gloriæ determinatè: respectu gloriæ absolutè inueniuntur peccata æqualia quò ad reatum; omne enim peccatum mortale facit reum amissione gloriæ simpliciter: si respectu glorię determinatè, secundùm quod nos dicimus quod habenti maiorem gratia debetur maior gloria; secundùm hoc inueniuntur peccata inæqualia quantum ad reatum; secundùm quod peccato in aliquo priuatur maior gratia, quam in alio. Si verò consideretur reatus peccati respectu passionis gehennæ, distinguendum est: quia in passione gehennæ attenduntur duo: diuturnitas, & acerbitas: quantum ad diuturnitatem passionis inuenitur? æqualitas in peccatis; quia omnibus peccatis mortalibus debetur æterna pœna: quantum verò ad acerbitatem inuenitur inæqualitas; quia differens acerbitas pœnæ respondebit differentibus peccatis, & maior, & minor. Hãc autem differentiam facit differens causa auersionis, quæ est in peccatis. Secundùm ergò hanc distinctionem patet: quãtum ad quid attenditur æqualitas in peccatis, & quantum ad quid inæqualitas.

¶ NOTANDVM autem ad maiorem euidentiam: quod gradus, qui sunt in peccatis, & maioritas, seu augmentum; & diminutio discernuntur triplici radice. In peccato enim est auersio ab incommutabili bono & increato, & desertio boni creati melioris, & conuersio ad bonum commutabile deterius. Circa auersionem à bono incõmutabili mensurant peccata ingratitudo & contemptus: ingratitudo diuinæ beneficentię, contemptus iustitiæ: ratione ingratitudinis dicimus fornicationem fidelis maius esse peccatum, quam fornicationem infidelis: ratione contemptus dicitur maius peccatum, quod ex infirmitate, quam quod ex ignorantia; & quod ex studio, quam quod ex iusirmitate: sicut dicit. B. Greg. Circa desertionẽ boni melioris, de qua dicit August. ***peccatum non appetitus malarum rerum, sed desertio meliorum:*** mensurantur peccata secundùm differentiã boni, ꝙ deseritur: ꝙ variatur tripliciter: est. n. desertio maioris boni, & desertio boni magis debiti, & desertio boni pluris seu multiplicioris: ratione disertionis boni melioris dicitur maius peccatum odium, quã fornicatio: quia in odio principaliter deseritur bonum charitatis, in fornicatione bonum castitatis; maius autem bonum est charitas, quam castitas: ratione desertionis boni magis debiti, maius peccatũ est fornicatio sacerdotis, quàm fornicatio laici, quia sacerdos amplius tenetur cõseruare bonum castitatis, quã laicus: ratione desertionis boni multiplicioris maius peccatum est infidelitas, quàm odium, vel fornicatio: quia infidelitas priuat bonum gratum faciens, & præterea bonũ gratis datum, vt fidem informem, odium autem vel fornicatio non tollit fidem informem: plura ergò bona priuat infidelitas, quàm odium vel fornicatio. Circa conuersionem ad bonum commutabilæ deterius habent mensurari peccata ratione libidinis, quã diffinit Augu. improbat voluntatẽ; secundùm quã assignat Aug. gradus in peccatis in corde, in facto, in cõsuetudine, tanquam tres mortes: vna quasi in domo, cum corde cõsentitur libidini; altera quasi prolata iam extra portam; cum in factum procedit assensio: tertia, cum consuetudine mala tanquam mole terrena præmitur anima, quasi in sepulchro iam putrens. Gregor. August. Idem.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur: quod peccata non rerum euentu, sed vitijs hominũ metienda sunt. Patet responsio: nam cum vitium dicat Tullius auersionem, seu declinationem à rectitudine rationis: declinationem autẽ à rectitudine possumus comparare; vel quantum ad terminum à quo: & secundũ hoc declinatur ab vno: vel quãtum ad terminum ad quem, & secundùm hoc declinatio multifariam est & quasi infinita. Ratione ergò termini à quo dicit peccata æqualia: non ratione termini in quem: & sic etiam dicit de euersione nauis, quod quantum ad inscientiam gubernatorum, nihil interest, siue nauis euertatur, quæ fert aurum, siue nauis, quæ fert paleas. Tullius.

¶ AD secundum, quod arguit per æqualitatem virtutũ æqualitatẽ vitiorũ. Dicendum, quod non sequitur, nisi solùm modo quò ad quid: virtutes enim dicũtur pares, quia cõsistunt ab vno, & in vno, & ad vnum: peccata verò dicẽtur paria solũ propter recessionẽ ab vno; nõ tamen in vno cõsistunt, nec vnum, sed ad multa referuntur, & ex multis causantur: & ex tot, quot possunt esse peccãdi circũstãtiæ.

¶ AD aliud, quod obiicitur. quod desertio, quæ causant peccatũ, est vna in peccatis. Dicendum, quod istud solùm verum est secundùm quid: secundùm sc. quod referimus ad vnum primum bonum, ꝙ est Deus: seu secundùm quod referimus ad vnum primam rectitudinem rationis, vt dictum est: non tamen secundùm quod referimus ad causas siue circumstantias desertionis: imò secundùm hoc multiplicatur & diuersificatur secundùm plus & minus desertio in peccatis: secundùm ꝙ diceremus curuitates, quæ sunt declinationes à rectitudine, æquales secundùm quid; solũ referendo ad vnã rectitudinẽ, à qua est declinatio in omnibus curuitatibus: nõ tñ diceremus oẽs curuitates æqualis dispositionis, secundùm inflexionẽ declinationis: imò secundùm hoc dicimus curuo curuius.

¶ AD aliud, ꝙ dicitur: ꝙ peccare est transire lineas, &c. Patet responsio simpliciter. n. non est verũ, ꝙ dicit: ꝙ non differt ad augendam culpam transeundi, quam longè progrediaris: nisi solùm quò ad quid.

¶ SIMILITER ad aliud, quod dicit: quod ***non licere***, æqualiter est in omnibus. Dicendum, quod quantum ad

nega-

negationem, quæ ibi intelligitur, verum est: sed quantum ad priuationem & aptitudinem, quæ subintelligitur, falsum est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod mortes sunt pares. Dicendum, quod peccatum dicitur corruptio: mors inquantum priuat vitam gratiæ: corruptio verò ratione vulnerationis naturæ. Quamuis ergò peccata sint æqualia ratione priuationis gratiæ absolutè: vt dictum est, hoc est, inquantum sunt mortes: non tamen erunt æqualia ratione vulnerationis naturæ inquantum corruptiones: immò sunt ibi gradus secundùm accessum maiorem & minorem ad corruptionem vltimam: secundùm quod ponuntur gradus mortui in domo, mortui in porta, & mortui in sepulchro.

Gregor. ¶ Ad vltimum dicendum secundùm B. Greg. *Creuit gradus culpæ, creuit ordo sententiæ, quia in iudicio adhuc causa discutitur. in concilio iam culpæ sententia diffinitur, in gehenna verò ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur.* Quia igitur Dominus humanorum actuum sub breui examine gressus enumerat: ira sine voce iudicio, ira cum voce concilio, ira in voce cum sermone contumeliæ gehennæ ignibus mancipatur. August. Nota etiam secundùm August. In primo est ira tantum, in secundo ira, & vox, in tertio ira, & vox, & certa expressio irrisionis. Item, nota secundùm Greg. iudicium sententiæ discussio, concilium sententiæ diffinitio, gehenna ignis sententiæ executio. Primum erit, cùm dicetur. *Esuriui*, &c. secundùm, cùm dicetur. *Ite maledicti.* Matt. 25. Matth. 25. tertium, cùm infligetur pœna gehennæ. Item, nota secundùm August. gehenna ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium: nec damnati pœna, sicut concilium: sed in gehenna ignis certa est damnatio, & pœna damnati.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur vltimò, quod Apostolus vocat Galathas fatuos, seu insensatos. Dicendum secundùm August. cùm ait. *Qui dixerit fatue, duo subaudiuntur. & fratri suo, & sine causa.* Hoc est, vnde defenditur Apostolus: q. Galathas vocat stultos, quos etiam fratres nominat: non enim hoc fecit sine causa. (August. in sermo Dom. in monte.)

MEMBRVM IV.

De præcepto reconciliationis ad proximum & concordiæ ad aduersarium.

QVARTÒ quæritur, de præceptis reconciliationis ad proximum, & concordiæ ad aduersarium. De præcepto ergò reconciliationis dicitur Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te: relinque ibi munus, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* (Matth. 5.)

¶ Circa quod præceptum incidit quæstio: primò de hoc quod dicitur, *Si offers munus tuum, relinque ibi.* non dixit, *refer, vel porta*, quia sicut dicitur ibi in gloss. quod rectè offertur, mutari non licet. Item, Eccles. 5. *Omne, quod voueris redde.* Et in Psalm. 75. *Vouete, & reddite.* Ex quibus videtur, quod mutari non possit. Sed huius quæstionis discussionem habes *Quæstione de Voto.* (Eccles. 5. Psal. 75.)

¶ Item, quæritur, vtrum hoc, quod dicitur in isto præcepto, *vade prius reconciliari fratri tuo*, sit intelligendum ad literam. Ad quod arguit August. de absente vltra mare constituto, potest fieri, quod habeat aliquid aduersum alquem alium: absurdum est autem credere, ante altare munus relinquendum: quod post terras & maria perrerrata offeras Deo. Cogimur igitur illud præceptum spiritualiter intelligere. (Matth. 5.)

¶ Contra. August. *Si accipiatur ad literam, fortassis aliquis credet ita oportere, si præsens frater sit: non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubearis.* (August.)

¶ Respondeo per distinctionem: quia aut frater est præsens, aut absens: si absens intelligitur de spiritualiter: si præsens, corporaliter. Vnde August. in sermone Domini in monte. *Pergendum est non pedibus corporis, sed motibus animi: vt te humili affectu prosternas fratri: ad quem chara cogitatione cucurreris in conspectu eius, cui munus oblaturus es.* Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire (Idem in sermone Dom. in monte, li. 1. cap. 8.) atque in gratiam reuocare, veniã postulando: si hoc priùs coram Deo feceris, pergẽs ad Deum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniẽs, id est intentionem reuocans ad id, quod agere cœperas, offerens munus tuum.

¶ Item quæritur, vtrum ille, cui iniuriatum est, debeat amicitiam quærere. Ad quod dicit August. super illum textum. *Si frater habet aduersum te, id est, si tu eum in aliquo læsisti: tunc enim ipse habet aduersum te: nam nos habemus aduersus illum si ille nos læserit: vbi non opus est ad reconciliationem pergere.* (Idem sup. Matth. 5.)

¶ Contra: Ioann. Chrys. *Si pro gloria salutis tuæ iubet te Dominus amicitiam facere: magis iniuriatus debes rogare.* Ergò ille, cui iniuriatum est, debet petere ex præcepto amicitiam & reconciliationem. (Chrysost. sup. Matt.)

¶ Respon. Duplex est debitum: necessitatis, si quo nõ est salus: & secundùm hoc ex isto præcepto ille, cui est iniuriatum, non debet reconciliatione quærere: vnde Aug. *Non veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit iniuriam: sed tantum dimittes, sicut tibi à Domino dimitti cupis, quod ipse commiseris.* (August. in sermo. Dom. in monte.) Et est debitum perfectionis, quod confert ad maiorem gloriam: & hoc modo dicit Chrys. *quod iniuriatus debet reconciliationem quærere, vt duplicem gloriam consequaris; vna in qua iniuriatus es, altera quia prior rogasti. Non enim volens te Deus subseruire sub pedibus eius, iubet te prius rogare: sed volens tibi humilitatis gloriam prouidere.* (Chrysost.)

¶ Postea quæritur: de præcepto concordiæ ad aduersarium. Nam aut intelligitur aduersarius ille diabolus, aut Deus, aut homo, aut nostra caro. Si intelligatur de aduersario, qui est diabolus: de quo dicitur: 1. Petr. vlt. *Aduersarius vester diabolus*, &c. Et Zach. 3. *Satan stabat à dextris Iesu, vt aduersaretur ei.* (1 Pet. vlt. Zach. 3.) Contra: secundùm hoc deberemus esse cõcordes & beniuoli diabolo: nam in græco habetur, *esto beniuolus: vel benignus aduersario*, vbi nos habemus, *esto consentiens*, &c. (Matth. 5.) Item, diabolus non est in via, nec potest esse: imò est in deuio æterno: ergò non potest ei competere, quòd dicitur. *Esto consentiens aduersario tuo: dum es cum eo in via.*

¶ Item, si intelligatur de aduersario, qui est Deus: de quo dicitur. Exod. 23. *Ego Dominus, qui aduersor impium*, Et Deut. 25. *Aduersatur omnem iniustitiam.* Obiicit August. *Quomodo rectè potest dici, in via nos esse cum Deo?* quia sic dicitur: *esto consentiens aduersario tuo, dum es in via cum eo.* (Exod. 23. Deut. 25. August. lib. 1. de ser. Dom. in monte. cap. 11.)

¶ Item, si dicatur: quod intelligitur de aduersario, qui est homo: Item quod dicitur Iosue 5. *Noster es, an aduersariorum.* (Iosu. 5.) Obiicit August. *Quomodo potest conuenire, quod sequitur, (ne forte aduersarius tradat te iudici) iudicem enim Christum intelligo: ante cuius tribunal omnes oportet exhiberi: quomodo ergò iudici traditurus est, qui ante iudicem pariter exhibebitur?*

¶ Item, si intelligatur de aduersario, qui est caro: de quo ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem:* hæc enim sibimuicem aduersantur. (Gal. 5.) Contra obiicit August. *Mali homines faciendo opera carnis, concordant & consentiunt ei. boni verò homines nunquam, sed eam sibi consentire cogunt.* (August.) Non videtur igitur, quod possit intelligi de aduersario aliquo modo dicto, neque de Deo, neque de diabolo, neque de homine, neque de carne.

¶ Si verò dicatur: quod aduersarius hic dicitur lex, seu sermo diuinus: quia aduersatur peccantibus: vnde dicitur. Deut. 31. *Tollite librum legis huius, & ponite in latere arcæ, vt sit ibi contra te in testimonium.* Obiicit August. *Quomodo competet nos in via cum eo esse? esse enim in via cum aliquo, est respectu pariter gradientis.* (Deut. 31. August.)

¶ Item, si dicatur: quod intelligitur de Angelo bono: qui etiam aduersarius est: sicut dicitur. Num. 22. *Veni, vt aduersarer tibi: quia peruersa est via tua, mihiq; contraria.* (Num. 22.) Contra differentia est inter aduersarium, & ministrum, & iudicem. Et (sic dicit August.) *Iudicem intelligo Filium.* Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio:* (Ioan. 5.) ministrum Angelum. Matth. 4. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* (Matth. 4.) Si ergò alius est aduersarius, alius est minister: bonus autem Angelus est minister: aduersarius non est bonus Angelus.

¶ Respon. Aduersarius potest intelligi, aut Deus, aut homo, aut sermo diuinus. Secundùm ergò vnum intellectum iubemur Deo cõsentire, & illi esse beniuoli: vt dicit Aug. vt ei recõciliemur, à quo peccando recessimus: vnde dicit Apostolus. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* (Rom. 5.)

August.

Ad illud ergo, quòd obijcitur, quòd nó competit nos esse in via cum Deo. Ad hoc respondet Aug. quia Deus vbiq; est: nos cùm in hac via sumus; cùm illo vtique sumus: Aut si non placet impios dici esse cùm Deo, quamuis vbique præstò sit Deus; quemadmodum cæcos non dicimus esse cum luce, & si oculos eorum lux circumfundat: tunc dicendum, quòd aduersarius intelligitur sermo seu Lex diuina, secundùm quod dicit Aug. Quę mandat multa contraria carni. Et ad illud, quod obijcit: quòd non competit, vt sit nobiscum in via. Respondetur in Gloss. *In via, id est, in Christo rectè gradimur: dum ei obediendo, ad vitam pertingimus.* Vel potest intelligi aduersarius homo. Ad illud autem, quod obijcit August. quomodo competat, quòd tradat ministro. Respondetur in Gloss. *Ne tradat de iudici:* id est, *sit causa, quare tradaris in manus Christi:* (Pater enim omne iudicium dedit filio.) Iudex autem tradat ministro, id est Angelo, qui colligit zizania. Matth. 13.

Glossa. Matth. 5. Glossa sup. Ios. 5. Matth. 13. Matth. 5.

¶ ITEM dubitatur de hoc quod dicitur: *In carcerem mitteris, & non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Nam si per carcerem intelligit pœnam æternam seu infernum: sed ab inferno nulla est liberatio. *Quodcunq; potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio est apud inferos, quò tu properas)* pro nihilo ergo dicitur: *Non exies, donec reddas.* Præterea, quid dicitur hic: *Nouissimum quadrantem?*

Eccles. 9. Matth. 5. August. Psal. 109. Matth. 1.

¶ RESPONDENDVM ad primum secundùm Aug. *Donec, id est, nunquam:* sicut ibi. *Donec ponam inimicos tuos* Et Matth. 1. *Et non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum.*

Matth. 12. Genes. 3.

¶ AD secundum dicendum secundũ Rabbanum: quod quadrans genus nummi est: qui habet duo minuta: vnde Mat. 12. Vidua misit in gazophilarium duo minuta: quod est quadrans. Exponitur autẽ secundum Aug. nouissimus quadrans, id est carnalis vita, quę designatur in terra. (*Terra es, & in terram ibis*) respectu aliorum elementorum: seu terrena peccata secundum Rabanum, quæ de terra contrahuntur: vel secundũ eundem minuta peccata. Aliter potest dici, quòd quadrupliciter consummatur peccatum, ita quod vna pars est peccatum operis, alia est deliberatio perficiendi seu studium, tertia voluntas faciendi, quarta intentio faciendi: & hic est nouissimus quadrans peccati mortalis. Peccati verò simpliciter vna pars est opus, alia consensus, tertia delectatio, quarta (id est) quadrans nouissimus, cogitatio.

QVÆSTIO LVIII.

De Præceptis vis Concupiscibilis.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER quærendum est de præceptis, quibus ordinatur passio, seu motus concupiscibilis. Circa quod est ordo duplex: primò enim ordinatur ad declinandum illicitam commixtionem: Secundò ad declinandam illicitam separationem: cùm dicitur. Dictum est, quicunque dimiserit vxorem, &c. Item quantum ad declinationem illicitæ commixtionis introducuntur duo: prohibitio voluntatis, cùm dicitur. *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, omnis, qui viderit,* &c. Secundò præceptum vitandæ occasionis, cùm sequitur. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue,* &c. Secundùm hoc ergò passio concupiscibilis, seu motus ordinatur tribus præceptis: prohibitione voluntatis mœchandi: iussione declinandæ occasionis mœchandi: & reprobatione repudij: hoc est, separationis ab vxore, quæ dat causam mœchandi: vnde dicitur. *Qui dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* Matth. 5.

Matth. 5.

Ibidem.

¶ ET circa hanc partem plures incidunt quæstiones. Primò qualiter intelligatur præceptum, quo prohibetur voluntas mæchandi: cùm dicitur. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est,* &c. Secundò, an voluntas sit pro facto reputanda? Quod videtur dicere in præcepto. Tertiò de præcepto vitandæ occasionis, vtrum sit ad literam obseruandum. Quartò circa prohibitionem separationis ab vxore quærenda esse duo. Primò de repudio: sed illud determinatum est supra. *Secundò de diuortio: sed illud determinabitur in Quæstione de Matrimonio.

*In qu. de leg. Iudia. quæ consistunt in promis.

MEMBRVM. I.

Qualiter intelligatur præceptum de voluntate mœchandi.

AD primum obiicitur. Cùm doctrina Saluatoris per omnia sufficiat saluti: præcepta, quibus ordinat Saluator motus humanos, debent per omnia sufficere saluti: sed non sunt sufficientia saluti, nisi generaliter ordinent motus humanos: generalia ergò debent esse præcepta, quibus ordinatur motus concupiscibilis.

Matth. 5.

¶ CONTRA, non ordinat concupiscibilem, nisi quantum ad actum generatiuæ respectu vitandæ mœchiæ, quãtum ad voluntatem, cùm dicit. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,* &c. vel quantum ad occasionem, cùm dicit. *Si oculus tuus dexter,* &c. vel quantum ad interpretationem in dimissione vxoris, quæ est mœchia interpretatiua, cùm dicitur. *Qui dimiserit vxorem excepta causa fornicationis.*

Ibidem.

¶ ITEM, quare dictum est. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est,* &c. & non magis. *Qui concupierit, iam mœchatus est.* Nam peccatum mœchiæ non committitur in speculatione siue cognitione mœchandi: sed in voluntate, siue concupiscentia mœchandi. Rectius igitur dictum esset. *Qui concupierit, iam mœchatus est:* quam. *Qui viderit ad concupiscendum.*

¶ ITEM, cùm intentio mœchandi faciat mœchum: cõuenientiùs dictum esse. *Qui viderit mulierem ad mœchandum,* quam. *Qui viderit ad concupiscendum.*

¶ ITEM, cùm videre dicatur pro actu exteriori visus, & pro actu interiori intellectus: quomodo accipitur hic *videre.* Si diceretur, quod solùm acciperetur pro actu interiori, sicut dicit Beda.

Chrysost. Thren. 3. Iob 31. Gregor.

¶ CONTRA. Chrys. *Qui oculis incontinentibus aspexerit, mœchus est completus:* vnde Thren. 3. *Oculus meus deprędatus est animam meam.* Item, Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem de virgine:* vbi dicit Gregorius. *Non licet intueri, quod non licet concupisci.*

Chrysost.

¶ ITEM, quærit Chrysost. quare non ponit legem mulieri, sicut viro: vt diceret. *Quæ viderit virum ad concupiscendum eum, iam mœchata est.*

* Alias, volupiate.

¶ RESPON. Ad primum dicendum secundùm August. In nomine mœchantium, omnem delectationem carnalẽ accipe: quando anima, relicta lege superiorum turpi voluntate inferiorum prostituta corrumpitur. Vel aliter posset dici: quia cum fomes, qui est incentiuum, ad omnem illicitam cõcupiscentiam secundùm generatiuam viciatam *originali corruptione transfundatur: radix omnis illicitæ concupiscentię in ipsa secundùm hunc modum fundatur: ideò in prohibitione actus inordinati ipsius prohibetur omnis illicitus motus concupiscendi. Vnde Hilarius. *Prætermissis operibus legis prohibetur motus animi ad concupiscendum: sicut superiora prohibent motus animi ad nocendum.*

* Alias, corporal

Hilarius

Rabanus Hierony.

¶ AD secundum dicendum, quod est concupiscere ex subito motu, sine deliberatione, vel intentione perficiendi: & hoc est, veniale: & dicitur à Hieronym. & Rabano propassio: quam diffiniũt motum subitum, sine deliberatione mali, vel boni operis. Et est concupiscere cum deliberatione & intentione perficiendi: & hoc mortale: & dicitur passio secundùm Rabanum & Hieronym. quam diffiniunt affectionem deliberati animi, si sit locus perficiendi. Et hic vltimus modus meliùs exprimitur: cùm dicitur. *Qui viderit mulierem ad concupiscendũ.* Vnde August. *Non* (ait) *qui concupierit; sed qui viderit ad concupiscendum, id est, ex hoc fine & animo attendat, vt eam concupiscat: quod iam non est titillari, sed plenè consentire libidini.*

Matth. 5. August.

Matth. 5.

¶ AD tertium dicendum: quod est cõsensus duplex ad delectandum, & ad operandum. Vt ergò ostẽdatur, quod non solùm damnabilis est cõsensus ad opus fornicationis, vel mœchiæ: sed etiam consensus ad delectandum, dicitur: *Qui viderit ad concupiscendum,* non *ad mœchandum.*

¶ AD

¶ Ad aliud, quod quæritur, qualiter, *videre*, accipiatur? Dicendum, quod visus accipitur pro omni motu, qui est ad delectationem: sicut dicit Beda. non solùm corporalis, sed interior, qui est in concupiscentia, in qua aperiuntur illi oculi, qui pro pœna peccati primis parentibus malè aparti leguntur. Genes. 3. tunc itur in affectum cordis: non quia deest voluntas, sed occasio peccandi. Secundùm hoc ergò videre ad concupiscendum, est intendere seu consentire ad delectandum: quod potest contingere cum actione cognitionis intellectus, vel cum speculatione exterioris visus. Secundùm hoc ergò intelligendum, quod dicit Chrys. & Greg. cùm scilicet, exteriori visu coniuncta est intentio, seu consensus mœchandi. Genes. 3.

¶ Ad vltimum, quod quærit Chrys. *quare non ponit legem mulieri?* Respondet, *communes leges ponit: capiti enim loquens, hoc est viro. 1. Cor. 11. communem ad corpus, hoc est, mulierem facit suasionem.* Chrysost. Glossa.

MEMBRVM II.

An voluntas pro facto reputetur.

SECVNDÒ quæritur. An voluntas pro facto reputetur. Videtur quod sic Matth. 5. super illud. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum.* Gloss. *Sicut bona voluntas, cùm deest copia agendi, remuneratur: si deliberatio cum molimine vitiorum damnatur: quia non secundùm, quod quisque non potuit, aut non licuit: sed secundùm quod voluit & proposuit ex conscientia accusatur, vel defenditur.* Ergò voluntas reputatur pro facto & in malis & in bonis. Psalm 31. Glossa.

¶ ITEM, super illud Psalm. 31. *Dixi confitebor*, &c. Gloss. *Votum pro operatione iudicatur.* Votum autem ibi vocatur voluntas ergò, &c. August.

¶ ITEM August. *Si contingat aliquem non concumbere cum vxore aliena: planum tamen est eum concupere: & si potestas detur, ipsum fore facturum: non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Ergò tãtum punietur pro hac voluntate, quantum pro voluntate coniuncta actui.

¶ ITEM, super illud Psalm. 57. *Etenim in corde iniquitates operamini.* Gloss. *Quod vis & non potes: Dominus factum reputat.* Psal. 57. Glossa.

¶ ITEM, Leuit. 15. super illud, *Mulier, quæ patitur*, &c. Gl. *Iniqua cogitationes pro facto reputantur.* Leuit. 15. Glossa.

¶ ITEM, Greg. *Qui cognoscit innuptam eo affectu inordinato, ac si nupta esset, & si nupta esset, nihilominus cognosceret: adulter est.* Ergò propter intentionem, quam habet, ad maius peccatum iudicatur: licet in genere sit minus. Gregor.

¶ CONTRA, August. *Vnusquisque miser mala voluntate efficitur: sed miserior potestate, cum desiderium malæ voluntatis adimpletur.* Ergò miserior est quis actu malo, quam mala voluntate. August.

¶ ITEM, iste vult voluntate plena occidere: si occidit actu, contrahit pœnam in præsenti: quàm non contraheret etiam in plena voluntate. Ergò si Deus districtus iudex est: similiter Deus puniet eum amplius pro actu, quàm pro voluntate, & non iniustè, ergò plus peccat iste in actu, quã in sola voluntate.

¶ ITEM. plus puniendus est, qui nocet proximò & sibi: quàm qui nõ nocet proximo, sed sibi soli: quia malus non dicitur, nisi qui nocet. Sed qui voluntate plena vult occidere, vel adulterari, nocet sibi soli: si occideret, noceret sibi & proximo: ergò voluntas hic pro facto non est reputanda.

RESOLVTIO.

Voluntas interdum pro facto, interdum non pro facto reputatur iuxta multiplicem eius acceptionem.

¶ RESPONS. Est voluntas plena, & est voluntas semiplena: secundùm quod distinguit August. Quia si peccatum sola cogitationis delectatione, seu voluntate perficiendi teneatur, mulier sola comedit, id est, inferior pars rationis; & non vir, id est, superior pars: cuius auctoritate cohibetur voluntas, ne ad opus perueniat: si verò absit plena voluntas: vt si adsit facultas, proficiatur: tunc vir manducat: & est damnabile peccatum. Item voluntas plena, aut est respectu peccati, quod exercetur in anima non August. sup. Gen. per corpus; vt in peccato superbię & inuidiæ: aut est respectu peccati, quod exercetur in corpore, seu per corpus: vt in adulterio, quod exercetur in corpore: & homicidio, q exercetur per corpus. His ita positis distinguendum: quod est reatus peccati respectu priuationis gloriæ, & est reatus peccati respectu passionis gehennæ. Respectu priuationis glorię tam voluntas plena, quàm voluntas semiplena, quę mortalis est; pro facto reputatur: respectu verò passionis gehennę volũtas semiplena nõ pro facto reputatur. Item, voluntas plena respectu peccati spiritualis, q totaliter interius completur pro facto reputatur, quantũ ad passionẽ gehennę: voluntas verò plena respectu peccati corporalis, quod exercetur per corpus, vel in corpore, pro facto reputatur, quantum ad generalitatem pœnæ: quia tali voluntati adiungitur concupiscentia, vt in voluntate plena adulterandi, vel ira in voluntate plena occidendi, quæ sunt passiones virtutis sensibilis, quæ fundatur in corpore, & ideò punitur ista voluntas, sicut factum generalitate pœnæ, quia in spiritu, & in sensualitate, & in carne. Quantum verò ad intentionem pœnæ non videtur reputari pro facto: & causa est, quia voluntas in peccatis exercetur, vel in corpore, vel per corpus; per corpus solet intendi in facto, intensioni autem voluntatis malæ respondet intensio pœnæ.

¶ Ad illud ergò, quod dicit August. quòd miserior efficitur, cùm peccatum impletur. Patet responsio: nam hoc dicit, quia in actu impletionis intenditur voluntas, ad quã sequitur maior pœna.

¶ Ad secundum respondetur: quod sunt pœnæ temporales, & pœnæ æternæ. Quantum ad pœnas temporales, quæ inferuntur à iudice seculari, vel Ecclesiæ; non reputatur voluntas pro facto: nisi vbi nocumentum infertur proximo. Quantum verò ad pœnas æternas, quæ inferuntur à Deo: voluntas nocendi proximo pro facto reputatur, cum distinctione, quæ supradicta est. Vnde nota, quod factum duos habet respectus: ad facientem, & ad illum cui fit. Factum quidem quantum ad illum, cui fit & nocet: habet pœnam in iudicio sæculari, vel Ecclesiastico, quod respicit manum: factum verò respectu facientis punitur à Deo, qui attendit animum: & quò ad hoc voluntas pro facto reputatur.

¶ Ad vltimum dicendum, sine præiudicio: quod quãtum ad voluntatem plenam nocendi, & actum nocendi proximo nullam differentiam facit Deus, nisi contingat voluntatem intendi in actu: & ideò, qui habet plenam voluntatem nocendi, quamuis non cõsequatur actus, quantum in se est, nocet alteri: & ideò voluntas pro facto reputatur à Deo.

MEMBRVM III.

An præceptum illud vitandæ occasionis, sc. Si oculus tuus scandalizat te, &c ad literam intelligendum sit?

POSTEA quæritur de isto præcepto. *Si oculus tuus scandalizat te, erue ipsum, & proijce abs te*: vtrum sit ad literam obseruandum: vt in illo, qui habet oculos lasciuos & incontinentes, vnde frequenter peccat in aspectu mulierum & in illo, qui est lubricus in genitalibus membris & huiusmodi, vnde frequenter peccat ex ipsa inclinatione corrupta membrorum. Et videtur expressè per istum Textũ, quod si eruerit sibi vel absciderit huiusmodi membra, nõ peccabit. Hoc etiam legitur in Viris Patrum, frequenter à Sanctis factum. Math.

¶ ITEM, secundùm ordinem charitatis nullus debet habere preciosius corpus suum, quàm animam: ergò si membrum corporis sit in scandalum animæ, debet abijci.

¶ ITEM, sine peccato membrum corruptum potest anscindi, nec corruptione sua reliqua membra, vel corpus inficiatur: ergò multomagis ne anima inficiatur.

¶ CONTRA. In canonibus Apostolor. *Si quis abscidit sibi virilia, non fiat Clericus: quia seipsum est homicida, & Dei conditioni inimicus.* Canon Apost. 55.

¶ ITEM, ex Concilio: *Si qui, se carnali vitio repugnare debere nescientes, virilia abscindunt: ad Clerum peruenire non possunt.* Concil Arelat. dist. 55.

¶ ITEM

¶ ITEM Innocent. *Qui partem cuiuslibet digiti sui sibiipsi volens abscindit: hunc ad Clerum Canones non admittunt.* Ex his Canonibus videtur: quod non liceat aliquo modo sibiipsi aliquod membrum abscindere. (Innocen. dist. ead.)

¶ ITEM quæritur, quare non facit mentionem de sinistro oculo vel manu eruendis; cùm contingat scandalizari frequentius per ista, quàm per illa?

RESOLVTIO.

Non membra materialiter, sed occasiones peccandi per illa membra erui huiusmodi præcepto innuit Dominus.

¶ RESPON. secundùm August. Ad literā nullum membrorum erui præcipitur: sicut dicitur etiam in gloss. Matt. 5. sed præcipit Dominus remouere occasionem peccandi. (Matth. 5.) occasio autem intelligitur dupliciter, quæ est ex nobis: vel quæ est ex alio. Ex nobis potest esse occasi multis modis. potest enim esse occasio exterior ex aspectu: & tunc oculus scandalizat; & cum bona intentione, & tunc oculus dexter. Vel potest esse occasio ex contactu, & cum bona intentione: & tunc manus dextera scandalizat. Vel potest esse occasio ex parte *cognitionis interius cum intentione bona: & tunc etiam oculus dexter scandalizat: sicut est in illo, qui cogitat peccata sua ad dolendum & ex cogitatione insurgunt mali motus. Siue ex parte voluntatis, vel operis, & hoc cum bone intentione: & tunc manus dextera scandalizat. De oculo * cogitationis habetur in Psal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* De manu operationis. Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter opere.* Item potest esse occasio peccandi ex nobis in studi sapientiæ, siue in vita contemplatiua: & nunc oculus dexter scandalizat. De oculo contemplationis. Iob 39. *Oculi eius longè prospiciunt* (dicitur de aquila) & 41. *Nunc oculus meus videt te.* De manu actionis Prouerb. 31. *Manum suam misit ad fortia.* Item post esse occasio peccandi ab alio: & hoc à consiliario, qui dicitur oculus Iob 29. *Oculus fui cæco,* &c. vel ab amico, seu adiutore, qui dicitur manus. 1. Cor. 12. *Nunquid dicit oculus manui, opera tua non indigeo:* Et dexter, qui est consiliarius in diuinis, seu spiritualibus: vel Adiutor; si scandalizat abiiciendus est. Matth. 5. *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare filium aduersus patrem: & inimici hominis domestici eius.* Sic igitur amouendæ sunt occasiones ducentes ad malum.

(* Alias, cogitationis. — * Alias, cognitionis. — Psal. 118. — Eccles. 9. — Iob 39. — Prouer. 31. — Iob 29. — 1. Cor. 12. — Matth. 5.)

¶ DICENDVM ergò, quod in prædictis casibus discernendum est vitium à natura: & vitium quidem oculi, vel alterius membri per disciplinam, & continentiam abscindendum est: seruanda verò est ipsa natura, quæ bona est.

¶ ILLVD ergò, quod legitur in Vitis Patrum, non legitur per exemplum: sed excusatur per Spiritum sanctum, quo inspirante creditur est factum: sicut dicit August. de Samsone, qui se occidit. Iudic. 16. quod non aliter excusatur: nisi quia latenter spiritus hoc iusserat, qui per eum miracula faciebat. Vnde secundùm Canones quicunque sibi tali occasione absciderit membrum, erit irregularis. (August. in libr. de ciuit. Dei, c. 21. Iudic. 16.)

¶ AD aliud quod obiicitur: quod non deberet haberi preciosiùs corpus, quàm anima. Dicendum, quod hoc intelligitur in causa martyrij: vbi confessio fidei non debet subtrahi pro morte corporali; quia si subtraheretur: iam preciosior esset vita corporis, quam animæ: vnde Matth. 10. *Qui inuenit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* (Matth. 10)

¶ AD vltimum dicendum: quod nō est necessitas corruptionis animæ ex corruptione corporis: sicut est necessitas corruptionis vnius membri ex corruptione alterius. Vnde August. *Sancta voluntate stabili permanente, quicquid alius in corpore fecerit, præter culpam est patientis.* (August. 1. de Ciu. Dei.)

¶ AD vlumum, quod quæritur, quare non facit mentionem de oculo sinistro, vel manu, sicut de dextro. Dicendum, quod remouendo quod minus præstat occasionem ad malum; remouet & id quod magis: vnde si spirituale studium vel actio abscindenda est, si præstat occasionem peccati multo magis corporale studium vel actio, & temporalis conciliarius, vel amicus, qui intelliguntur per oculum sinistrum, & manum.

QVÆSTIO LIX.

De Præceptis vis Rationalis.

In Quinque Membra, & viginti & vnum Articulos diuisa.

CONSEQVENTER quærendum est de Præceptis, quibus ordinatur motus vis rationis. Duplex autem est ordo vis rationalis: in verum, & in bonum. Ordinatur ergò vis rationalis per præcepta duo: in verum (videlicet) per prohibitionem iurationis, cùm dicitur, Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis; non periurabis: ego autem dico vobis, non iurare omninò.* Et per iussionem simplicis assertionis, cùm dicitur. Sit autem sermo vester, est est, non non. Item ordinatur in bonum per præcepta tripliciter. Primò per præceptum patientiæ in perpessione iniuriarum, cùm dicitur. *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo? ego autem dico vobis, non resistere,* &c. Secundò per præcepta beneficentiæ in erogatione beneficiorum cum dicitur. *Qui petit à te, da ei.* Tertiò per præcepta charitatis in dilectione inimicorum; cùm dicitur. *Audistis, quia dictum est, diliges amicum tuum,* &c. *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros,* &c. (Matth. 5. — Ibidem.)

¶ PRIMÒ igitur inquirendum est, de prohibitione iurationis. Secundò de præcepto simplicis assertionis veritatis: sed de hoc sufficienter determinatum est in inquisitione Decalogi.* *Non falsum testimonium dices.* Tertiò quærendum est de præceptis patientiæ. Quartò de præceptis beneficentiæ. Quintò de præceptis charitatis. (Supr. qu 37. de præcepto.)

MEMBRVM. I.

De prohibitione iurationis.

DE prohibitione iurationis quæruntur duo in vniuersum. Primò, vtrum iurare sit vniuersaliter prohibitum. Secundò, quod vtrum sit licitum aliquo modo iurare per creaturas.

ARTICVLVS I.

An iurare vniuersaliter sit prohibitum.

AD primum, quæritur. Vtrum iurare sit vniuersaliter prohibitum, & malum? Quamuis autem istud fuerit supra pleniùs disputatur. *adhuc tamen circa hoc obiicitur in hunc modum. Cùm enim iurare sit actus, per quem assimilamur Deo: quia dicitur in Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum:* Deus autem nullum potest facere malum: ergò iurare simpliciter non est malum. (Quæstio 31. mem br. 2. de secundo præce Decalog Psal. 109)

¶ ITEM, iurauit Christus. *Amen, amen, dico vobis.* Iurauit Angelus Apoc. 10. iurauit Apostolus ad Phil. 1. *Testis est mihi Deus,* &c. ergò iurare non est peccatum. (In Ioan in mult locis. Apoc. 10 Philip 1)

¶ ITEM, in Vet. Testam. tam Patriarchæ, quàm Prophetæ licitè iurauerunt: ergò licitum est iurare.

¶ ITEM, Deuter. 6. dicitur. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: & per nomen eius iurabis.* Si ergo alia, quæ ponuntur in ista serie præceptionis, sunt licita: ergò similiter & istud. (Deute. 6)

¶ ITEM, Matth. 5. dicit Dominus. *Dictum est antiquis: reddes Domino iuramenta tua.* Omne autem, quod debet reddi Domino, licitum est: iuramentum ergò licitum est. (Matth. 5 Exod. 2 Leuit. 1 Deuter)

¶ ITEM, in Psalm. 62. dicitur. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Sed nullus debet laudari de malo: ergò iurare in Deo, non est malum. (Psal. 62.)

¶ CONTRA. Iacob. vlt. *Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per aliud quodcunque: vt non sub iudicio decidatis.* Ergò, qui iurat aliquo modo, decidit sub iudicio: ergò peccat mortaliter: iurare ergò malum est simpliciter. (Iacob. 5)

¶ ITEM August. *Falsa iuratio perniciosa, verò periculosa, secura nulla.* (August in serm de periu)

¶ ITEM, iurare sine causa est assumere nomen Dei in

vanum

vanum: ergo iurare omni circunstãtia remota est malum, quia contra præceptum.

¶ Item, iurare multiplicatum per consuetudinem est peccatum, vnde dicit Interlin. *Vsum iuramenti prohibet, id est consuetudinem.*

¶ Item, contra August. super Matth. 5. *Iuratio non est bona: non tamen mala est, cùm est necessaria.* Ergo est indifferens.

¶ Item, obijcitur Deut. 6. *Per nomen Dei tui iurabis.* & Matth. 5. dicitur: *Non iurabis omninò.* Aut ergo vtrumque istorum est præceptum, aut vtrumq; consilium: aut vnum istorum præceptum, & alterum prohibitio: aut alterũ permissio, & alterum consilium. Sed constat, quod nec vtrũque præceptum, nec vtrumque consilium est: si enim vel vtrumque præceptum, vel vtrumque consilium est: sequitur istud inconueniens, vt cogamur concedere Deum dedisse vel præcepta, vel consilia contraria. Item, constat ꝙ nec alterum præceptum, & alterum prohibitio est: si enim hoc esset, ergo cùm vtrumque vrgeat, & vtrumque necessitatem inducat, necessariò ad vtrumq; tenemur: & ita sequitur, quòd aliqua prohibitio diuina licita sit; quod est inconueniens. Item, constat quod alterum non est præceptum, & alterum consilium: ponatur enim quod iurare ꝑceptum sit: sicut videtur Deut. 6. & non iurare, consilium; vt Matth. 5. non iurare ergo consilium est: ergo si non iuras, non delinquis: quia non sequendo diuinum consiliũ, non delinquis; sed econtra iurare præceptum est; ergo ad illud ex necessitate teneris: ergo illud soluendo, ex necessitate transgrederis: teneris enim iurare, cùm iurare præceptum sit, quia omne præceptum Dei necessitas est: ergo si non iuras, consilium Dei sequeris: sed exequendo consilium, præcepto Domini non obedis: transgrederis ergo, præceptum Domini soluendo, cui necessariò teneris obedire: & ita fas, & transgressio conueniunt in eodem: quod est valde incõueniens. Idem incidit inconueniens, si ecõuersò dicatur, quod iurare cõsilium est, & non iurare præceptum. Item, si dicatur quod iurare permissio est, non iurare verò prohibitio vel præceptum, siue econuersò: incidit inconueniens: permissio enim sine culpa est, transgressio autem culpa est; & ita transgressio culpam ingerit, quã permissio tollit.

RESOLVTIO.

Cùm iurare sit bonum in genere, vniuersaliter non potest esse prohibitum: sed benè iurare absque causa, siue vtili, siue necessaria.

Aliorum sententia ¶ Respon. Quidam dicunt, quod in Ecclesia Dei sunt quatuor genera hominum: secundùm q̃ distinguuntur in scripturis quatuor genera institutionum. Nam quidam sunt perfecti, quidam perficiendi: quidam infirmi, quidam reprobi: institutionum verò sacræ scripturæ quædam consilium continent, quædam præceptum, quædam permissionem, quædam verò prohibitionem. Quæ ergo consilium continent, data sunt perfectis: quæ præceptum, perficiendis: quæ permissionem, infirmis: quę prohibitionem, reprobis. Verbi gratia: consilium est, vendere omnia, & dare pauperibus: præceptum, diligere Deum: permissio, nubere: prohibitio, non occidere. Præceptum, & prohibitio sunt necessitatis: consilium, & permissio volũtatis. Nam præcepto & prohibitioni non impunè resistes: consilio autem, & permissioni, nisi volueris, non acquiesces. Ante votum dico, vel susceptionem: nam post votum continẽtiæ, quod est consilij, cogeris id obseruare: & post nuptias, quæ sunt permissionis, nõ poteris vxorem dimittere. Iurare ergo, quoniam ad infirmitatem pertinet, permissionis est: non iurare autem, quoniam maioris perfectionis est, consilij.

Sententia propria. ¶ Sed melius videtur dicendum: quod in eo, quod est iurare, concurrunt duo, scilicet verum asserere: & cum inuocatione seu attestatione primæ veritatis. Quantum ad illud, quod est, verum asserere, iurare est bonum in genere: sed quantum ad illud, quod additur, cum inuocatione Dei, additur circumstantia, determinans hunc actum non debere exerceri sine causa necessaria, vel vtili. Vnde ratione huius circunstantiæ iurare sine causa, est malum: quia ex hoc ponitur contemptus veritatis primæ.

¶ Ad illud ergo Iacobi: Ante omnia nolite iurare, &c. Dicendum, quòd prohibetur affectus iurandi, non effectus simpliciter: & hoc notat, dicens: Nolite, hoc est, non appetatis, vel affectetis iurare: imò compulsi iurate. Vnde Hieronymus in Glos. super Matth. 5. *Christus omnino iurare prohibet: ne quis quasi bonum appetat iuramentum: & assiduitate iurandi labatur in periurium.* Et Augustinus in lib. de Mendacio: *Dominus prohibet omnino non iurare, id est, quantum in te est, non ames, nec cum aliqua dilectione appetas iurare.*

¶ Ad illud autem August. Dicendum quod nõ sequitur: iuratio vera est periculosa, ergo mala: quia periculum dicitur respectu iurantis, malum verò respectu actus: vera autem iuratio dicitur periculosa: quia de facili potest esse omissio in aliqua conditione iuramenti, quæ sunt tres. Leuit. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in iudicio & iustitia, & veritate.* Leuit. 4.

¶ Ad tertium dicendum, quòd iurare omni circunstantia extrinseca remota, adhuc in se habet circunstantiam: ratione cuius ponitur contemptus Dei, vnde est malum ex circunstantia illa: quamuis in genere sit bonum, sicut dictum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod iurare multiplicatum per cõsuetudinem est prohibitum, ergo est peccatũ. Dicendum, ꝙ ipsa consuetudo absolutè nõ est peccatum, si semper fieret ex causa vtili, vel necessaria; sed quando cum ipsa consuetudine accidit contemptus: & ita intelligitur prohiberi vsus, & consuetudo iurandi.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur, quod est indifferens. Distinguendum est, quod indifferens dicitur dupliciter: Vno enim modo dicitur indifferens, quod nõ est bonum secundùm se: hoc est tale, quod non possit fieri malè: & ꝙ non est malum secundùm se, hoc est tale, quod non possit fieri benè: & secundùm hunc modum iurare est indifferens: quia non est tale bonum, nec tale malum. Alio modo dicitur indifferens, quod potest indifferenter exerceri, vt comedere, & ambulare: & secundùm hunc modum iurare non est indifferens. Nota ergo, quod dicitur Matth. *Ego dico vobis, non iurare omnino*, id est, iurare non omnino: Matth. 5. hoc est, iurare in omni casu: quia in aliquo casu iurãdum, in aliquo non. Vnde Augustinus ibi dicit in Glos. *Non penitùs iurare prohibuit: sed occasione periurij, quod perfectius est, docuit*: cùm dixit, non iurare omnino, quod verò superstitiosum est, resecauit, cùm subiunxit, neque per cœlum, &c. Aug. ibi. Iudæi enim per Hierusalem, & elementa iurantes, creaturas venerabantur, sicut dicit Hieronymus: quod verò infirmitatis est, permisit, vel indulsit, cùm adiunxit: quod autẽ abundantius est, à malo est, hoc est, si contingat iurare, à malo est, non tuo, sed alterius: illius scilicet, à quo cogeris iurare, hoc est, ab infirmitate, vel incredulitate: quæ malũ est, vt dicit August. Hierony.

¶ Nota causas, propter quas cõceditur iurare. Quędam enim sunt ex parte boni introducendi: quædam verò ex parte mali vitandi. Et ex parte boni, quædam pro veritate confirmanda, 2. Corint. 1. *Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non: sed est in illo est.* 2. Cor. 1. Quædam pro veritate declaranda, Deut. 19. *In ore duorũ vel trium testium stat omne verbum, &c.* quia (sicut dicit Canon) non est testis nisi iuratus. Tertia, pro amicitia contrahenda, Genes. 26. Dixerunt viri Geraræ ad Isaac: *Sit iuramentum inter nos.* Quarta pro pace reformanda, Genes. 31. *Iacob iurauit Laban.* Quinta pro fidelitate seruanda, 2. Regum 5. *Venerunt seniores Israël ad Regem; & percussit cum eis fœdus coram Domino.* Sexta pro obedientia & subiectione recognoscenda: sicut iurant Abbates Episcopo, & viri Galaad Iepte. Iudicum 11. *Dominus, qui hæc audit, ipse mediator & testis est, quod nostra promissa faciemus.* Septima pro consuetudine Ecclesiæ seruanda, vt Canonici: & Exod. 24. Filij Israël data lege, quasi iurauerunt se Domino seruituros: & Iosue vltim. Hæc ergo septem causæ sunt, propter bonum introducendum. Propter malum verò amouendum vna causa est, Exod. 24.

calumnia sopienda: vt fit iuramentum de calumnia in contestatione litis, Hebr. 6. *Omnis controuersiæ ad confirmationem finis est iuramentum.* Alia verò causa est pro infamia purganda, Deut. 21. *Si inuentum fuerit cadauer hominis occisi, maiores natu ciuitatis illius lauabunt manus suas super vitulam, &c.*

ARTICVLVS II.

An licitum sit iurare per creaturas.

ITEM quæritur: Vtrum sit licitum iurare per creaturas? Videtur, quod non, Matt. 5. *Ego dico vobis, non iurare omnino, neq; per cœlum, neq; per terram.*

¶ CONTRA, Genes. 42. Ioseph iurauit per salutem Pharaonis.

¶ ITEM, quotidie iuratur per sanctos, & per sanctam Mariam, & per Euangelia, & per res Deo dicatas.

RESOLVTIO.

Licitum est per creaturas iurare: modò quidquam numinis in illis non credatur, vel fraus aliqua non intendatur.

¶ RESPONSIO. Prohibitum est iurare per creaturas ex duplici causa: propter idololatriam, ne scilicet credamus aliquid numinis esse in illis. Et propter fraudem: ne contemnentes creaturas, proximos decipiamus. Et hoc est, quod dicit Glos. Matth. 5. *Non iuremus per creaturas, vt veneremur eas, vltra quod debemus: vel, vt cùm per eas iuramus, nihil iurare putemus.* Quando ergo hoc non est: vt, qui in creatura nihil numinis credit; nec fraudem intendit; licet per creaturam iurare. — Gl. super Matt. 5.

¶ QVANDO ergo iurauit Ioseph per salutem Pharaonis: iurauit per eum, qui salutem dedit Pharaoni.

¶ SIMILITER quando iuratur per Sanctos; iuratur per eum, qui sanctitatem eis contulit. Similiter quando iuratur per Euangelium, & cruces, & similia: iuratur per eum, cui hæc sunt dicata: vel cujus hæc sunt repræsentatiua. Similiter quando iuratur per cœlum & terram: iuratur per eum, qui creat, & conseruat.

MEMBRVM II.

De præcepto patientiæ.

SEQVITVR de præceptis patientiæ respectu triplicis iniuriæ. Est enim iniuria læsionis corporum, & ablationis rerum, & angariæ operum. Patientia læsionis corporum præcipitur Matth. 5. cùm dicitur: *Ego dico vobis non resistere malo: sed qui te percusserit in dextra maxilla, præbe ei & alteram, &c.* Patientia ablationis rerum, cùm ibidem sequitur: *Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: relinque ei & pallium.* Patientia angariæ operum præcipitur ibidem, cùm subditur: *Et quicunq; te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.* — Matt. 5.

¶ PRIMÒ ergo quæritur de præcepto patientiæ respectu læsionis corporum. Secundò de præcepto patientiæ respectu ablationis rerum. Tertiò de præcepto patientiæ respectu angariæ operum.

ARTICVLVS I.

De præcepto patientiæ respectu læsionis corporum.

PRIMÒ quæritur: Vtrùm iniuria sit propulsanda? Et quod non, videtur per hoc, quod dicitur Matth. 5. *Dico vobis, non resistere malo.* In hoc enim videtur illud prohiberi.

¶ ITEM, aut propellitur iniuria à se, aut à proximo: propellenda iniuria à se prohibetur Matth. 5. cùm dicitur: *Dico vobis non resistere malo: & qui te percusserit in vna, &c.* & Matthæi 10. *Cùm vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam:* & ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Propellenda iniuria à proximo prohibetur — Matt. 10. Rom. 12.

Matt. 26. vbi cùm vellet Petrus à Domino iniuriam repellere, dixit ei Dominus: *Conuerte gladium tuum in vaginam: omnis enim, qui occiderit gladio: gladio peribit.* — Matt. 26.

¶ CONTRA, Ipse Dominus percussus alapa, percussorem reprehendit: nec alteram maxillam percutiendam præbuit, Ioan. 18. Item, Paulus petijt milites à Tribuno, vt illæsus ab omni iniuria seruaretur, Act. 23. Ergo licitè potest iniuria repelli à se. — Ioan. 18. Act. 23.

¶ ITEM, dicit auctoritas: *Non sunt immunes à scelere, qui Christum permiserunt principibus interficere.* Ergo iniuriam tenebantur à Christo repellere: iniuria ergo est repellenda ab alio.

¶ ITEM quæritur, vtrùm sit consilium vel præceptum, quod dicitur: *Dico vobis, non resistere malo.* Si enim consilium est, ergo ad illud tenentur perfecti: quomodo ergo Christus & Paulus non seruauerunt formam huius consilij. Itē alia, quę ponuntur in illa serie, Matth. 5. vt, non irasci, non videre ad concupiscendum: sunt in ratione præcepti, & pertinent ad omnes: quomodo ergo istud erit in ratione consilij? Si verò est præceptum: ergo mortaliter peccant qui faciunt contrarium. — Matt. 5.

¶ ITEM, Marcellinus ad Augustinum: *Reipublicæ non cōuenit vlli malum pro malo reddere, & percutienti maxillam aliam præbere.* Ergo nec est præceptum, nec consilium: cùm diuina præcepta & consilia sint conuenientia. — Marcellinus.

¶ ITEM, si non est resistendum malo: ergo mali non erunt coercendi, peribit ergo iustitia & lex.

¶ ITEM quæritur: vtrùm illo præcepto Matth. 5. quod est de patientia respectu læsionis corporum, retractetur lex talionis, cùm dicitur: *Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, &c. ego autem dico vobis non resistere malo, &c.* Si enim retractatur: ergo peccant iudices seculares, qui oculū pro oculo eruunt: & animam pro anima interficiunt. Si non retractatur, quomodo ergo lex impletur. Quòd si dicatur, quòd in hoc quod superadditur hic prohibitio vltionis. Contra hoc prohibebatur in lege Leuit. 19. *Nō quæres vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium suorum.* — Matt. 5. Leuit. 19.

¶ RESPONSIO. Iniuria aut est * personalis & priuata, aut publica. Si est publica, propulsanda est iussu Principis, & manu militis, Rom. 13. *Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè facit.* (dicitur de Principe.) Et militibus determinātur stipendia, Luc. 3. *Contenti estote stipendijs vestris:* & etiam ipsi Principi tributū, Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo;* sed non nisi propter defensionem Reipublicæ: quæ sine repulsione iniuriæ hostis fieri non potest. Præterea Augustinus exponens illud præceptum: Non occides, dicit: *Non contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt, & secundùm leges sceleratos punierunt.* Et iterum Canon Augustini: *Fortitudo, quæ à barbaris defendit patriam: vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* Ex quo relinquitur, quòd publica iniuria est repellenda, etiam cum cum armis ab eo, qui ad hoc ordinatus est: quod verò dicitur Matth. 5. intelligitur de iniuria personali. Tamen cum distinctione: quia personalis iniuria potest repelli duobus modis: aut impediendo, aut repugnando. Impediendo, sicut Paulus munitus militibus Iudæos impediuit, ne ei inferrent iniuriam: sic licet omnibus iniuriam repellere: nec prohibetur Matth. 5. hoc enim non dicitur propriè resistere. Repugnando repellitur iniuria dupliciter. cogente necessitate, & vlciscendi libidine. Cogente necessitate, & cùm aliàs non potest vitari læsio, nec per fugam, nec per impedimentum aliquod absolutum. Et tunc etiam adhuc distinguitur: quia aut repellitur iniuria vi priuata, vt sine armis: & hoc modo permittitur clerico & laico iniuriam repellere, & flagrante maleficio, cum moderamine inculpatæ tutelæ: & sic intelligitur illa lex Ciuilis canonizata: *Vim vi repellere licet.* Et in incontinenti; quia facto interuallo nequaquam. Aut repellitur vi publica, & cum armis: & hoc modo non permittitur clerico; sed laicis: & hoc (sicut dictum est) flagrante iniuria, & cum moderamine, & in instanti: non autem esset moderamen, si non impeteretur armis, & impeteret armis. Si verò repellatur iniuria vlciscendi libidine: sic nulli — * al. particularis. Rom. 13. Luc 3. Matt. 22. Aug. 1. de ciui. Dei, cap. 21. Exod. 20.

licet

licet iniuriam repellere, vel resistere malo: & sic intelligitur illud Roman. 12. *Non reddentes malum pro malo, &c.* & illud Psalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.* Dicendum ergo, quòd repellere iniuriam, seu resistere malo, animo vlciscendi, omnibus est prohibitum. Vnde illud, quod dicit Apostolus: *Non vosmetipsos defendentes charissimi:* intelligitur ex libidine vindictæ, vnde statim subiungitur: *Sed date locum iræ: scriptum est enim, mihi vindictam, &c.* Repellere enim impediendo, non repugnando, omnibus concessum est: vel etiam arguendo verbis, vt Dominus: vnde Gloss. super Ioan. 18. super illud: *Dedit ei alapam, &c.* *Ostendit præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed præparatione cordis faciend*a. Potest enim quis maxillam visibiliter præbere iratus: melius ergo respondit verè placatus, & ad ferenda grauiora tranquillo animo paratus. Et sic intelligitur illud Matth. 5. *Si quis te percusserit in dextra maxilla, præbe ei & alteram:* hoc est, paratus sis aliam sustinere patienter. Repellere verò cogente necessitate iniuriam vi publica & cum armis, in prohibitione est clericis, in cõsilio laicis. Repellere autem vi priuata sine armis, in consilio est clericis.

Psalm. 7. Rom. 12. Ioan. 18. Gloss. Matt. 5.

¶ Sic ergo patet solutio ad obiecta: & quomodo hoc, quod dicitur non resistere malo, differenter intellectum, in consilio sit, & in præcepto.

¶ Ad illud, quod obijcit Marcellinus ad Augustinum, respondendum secundùm Augustinum ad Marcellinum: *Quid est Respublica, nisi res populi? Res ergo communis res vtique ciuitatis, quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ? Qui ergo vincit in bono malum, patienter administrat temporalia commoda vt iniuriosus in concordiam (qua nihil est iniuriosius ciuitati) pœnitens acquiratur victus, non fatientis viribus, sed beneuolentia patientis. Sic ergo intelligi solet illud verbum, ac si dictum esset: si quis in te meliora fuerit persecutus, & inferiora ei præbe: ne vindicta potius, quàm patientiæ studens, contemnas æterna pro temporalibus: cùm potiùs temporalia pro æternis contemnenda sint, tanquam sinistra pro dextris.*

¶ Ad vltimum dicendum secundùm Augustinum ad Marcellinum: quòd ista præcepta magis ad præparationẽ cordis, quàm ad opus quod in aperto fit, pertinent: vt teneatur cum patientia ipsa beneuolentia: in manifesto autem adsit, quod eis videtur prodesse: quibus benè velle debemus. Cui autem licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quoniam nihil est infeliciùs felicitate peccantiũ: qua pœnalis nutritus impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.

¶ Ad illud verò, quod quæritur de lege talionis, an retractetur. Dicendum, quod lex talionis retractatur quantum ad priuatam personam, sed non quantum ad iudicem. Priuata enim persona si vindictã expeteret, malum pro malo redderet: vt dicit Augustinus, iudex verò non: sed amore iustitiæ iustum redderet pro iniusto, quod est bonum pro malo: quod etiam Deus iudex facit. Et nota, quod dicit Augustinus, quòd etiam in his non prohibetur vindicta, quæ est ad correctionem; quia ipsa pertinet ad misericordiam; nec impedit mansuetudinem: sed hoc non conceditur nisi ei, cui potestas ordine data est, & sine ira: vt patri in filium.

ARTICVLVS II.

De præcepto patientiæ respectu ablationis rerum.

Matt. 5.

Deinde quæritur de præcepto patientiæ respectu ablationis rerum: de quo Matth. 5. *Et qui tecum vult in iudicio contendere, & tunicam tollere: relinque ei & pallium.*

¶ Circa quod quæruntur quatuor. Primum, vtrùm sit licitum sua repetere: Secundò, vtrùm sit licitum perfectis repetere? Tertiò, vtrùm sit licitũ vniuersaliter imperfectis sua petere? Quartò, vtrùm sit licitũ omnia repetere?

An licitum sit sua repetere? §. 1.

¶ Ad primum obijcitur: Nam per illud præceptum, Matth. 5. videtur, quòd non licet alicui sua repetere. Ad idem Luc. 6. *Qui aufert, quæ tua sunt, non repetas: & qui aufert tibi vestimentum, & tunicam noli prohibere.*

¶ Item, 1. Cor. 6. *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis?* 1. Cor. 6.

¶ Contra, 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia mihi expediunt:* & dicit ibi Gloss. quod licebat Apostolo sumptus repetere, sed non expediebat. Sed licitum est, quod nullo iure prohibetur: ergo repetere non prohibetur à Domino. Ibidem.

RESOLVTIO.

Et licet, & non licet iuxta repetentium, modi repetendi, & iudicis: coram quo repetunt conditiones.

¶ Respon. secundùm Glo. 1. Cor. 6. Contingit repetere sua coram iudice fideli, & coram iudice infideli. Corã infideli nulli licet, vnde 1. Cor. 6. *Audet quis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos?* Glos. *id est infideles, id est qui iniqui sunt fidelibus, quocunq; modo possunt.* Item, contingit repetere sua coram iudice fideli dupliciter: aut cum contentione & fraude: aut cum charitate & amore iustitiæ. Primo modo nulli licet, & secundùm hoc intelligitur illud præceptum Matth. 5. *Si quis voluerit tecum in iudicio contendere, dimitte ei & pallium.* Glos. *Antequam contendas, id est cum contentione repetas.* Secundo modo licet infirmis & imperfectis repetere sua, perfectis verò nõ licet: & hoc est, quod dicit Glos. 1. Cor. 6. *Perfectis licet sua repetere simpliciter, scilicet sine causa, sine lite, sine iudicio: non enim conuenit eis mouere causam ante iudicem. Sed non cum contentione fraudulenter, vel apud infideles iudices.* Ex quo manifestum est, quòd repetere sua contentiosè, vel fraudulenter, vel coram iudice infideli; est prohibitum omnibus. Repetere verò sine contentione, sine fraude, nec coram iudice, omnibus est concessum. Repetere verò coram iudice sine cõtentione, & fraude infirmis est concessum: perfectis verò prohibitum. Vnde non repetere consilium est infirmis, perfectis verò præceptum, vnde poëta:

Expedit infirmis; licet absq; dolo, sine lite.
Prælatis licet? non expedit: Anachoritæ
Non licet, vt per eum sint res in lite petitæ.

An perfectis licitum sit sua repetere? §. 2.

¶ Secundò quæritur: Vtrùm licitum sit perfectis repetere? Si dicatur, sicut suprà dictum est, quòd eis non licet repetere coram iudice, & cum lite: licet tamen repetere simpliciter, sine causa, sine lite, sine iudicio, seu non coram iudice. Tunc quæritur, qui dicantur perfecti?

¶ Si dicatur, quòd illi, qui renunciauerunt omnibus: vt religiosi, secundùm quod dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c.* ergo peccant mortaliter religiosi, si repetant sua. Item, cùm omnibus renũciauerint, non habent sua: ergo non possunt repetere sua: ergo nõ est eis in consilio vel præcepto, non repetere sua. Matt. 19.

¶ Si verò dicatur, quod est renunciare omnibus in singulis: & sic omnes religiosi renunciãt omnibus. Et est abrenunciare omnibus in communi, & sic in communi possident ferè omnes. Tunc quæritur de illis religiosis, qui omnibus renunciauerunt in communi, & in singulari: & procedit obiectio, vt prius. Similiter quæritur de clericis, suppositis antiquis Canonibus, quòd non possint habere proprium (quod intelligitur quãtum ad res ecclesiæ) quomodo possunt repetere?

RESOLVTIO.

Perfectis licet repetere sua, sed non vt sua: verùm vt communia & congregationis.

¶ Respon. Dicendum, (supposito: quòd perfecti dicantur abrenunciatione proprietatis) quòd repetere sua est secundùm duos modos. Aliquis enim repetit sua vt sua, & propter se. Aliquis repetit sua vt alterius, & nõ propter se: sed propter vtilitatem alterius. Dicendum ergo, ꝙ perfectis non licet repetere sua vt sua, & propter se: sed sua vt communia, & vt congregationis; & propter vtilitatem com-

quæ in impletione huius præcepti ostenditur: & hanc rationem ponit Augustinus.*

* Aug. in lib. 1. c. 39. de sermo. Domini monte.

¶ Ad secundum dicendum secundùm Augustinum, quòd perfectio patientiæ in tribus consistit, corpore, voluntate, & ratione: vt, si arctaris alicui impendere corporale seu personale obsequium; quod intelligitur per angariam mille passuum; sit rationabile & voluntarium, q̃ sunt quasi ad alia duo millia, Rom. 12. *Rationabile sit obsequiũ vestrũ.* & 2. Cor. 8. *Vnusquisq; prout destinauit in corde suo.* Quod signatum est Iob 1. Iob erant tria millia camelorum. Camelus est animal oneriferum, in quo operatio seu angaria operum solet exerceri. Camelus etiam scindit vngulam, in quo discretio insinuatur. Ad onera voluntariè se submittit: in quo voluntas.

Aug. eodem lib. ex Matt. 5.

¶ Ad tertium dicẽdum secundùm Augustinum: *Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo: & hoc vtiq; non tam vt pedibus agas, quàm vt animo sis paratus.* Nã in ipsa Christiana historia, in quo est ista auctoritas: nihil tale inuenies factum à Sanctis, vel ab ipso Domino: cùm in homine, quem suscipere dignatus est, viuendi nobis exemplum præberet. Sed si quis cogit te seruire, & solatium tibi impendit compassionis: affectu paratus esto, multo plus impendere.

MEMBRVM III.

De præceptis beneficentiæ.

D. Th. 2. 2. q. 32. S. Bon. in 3. d. 40. art. 2. q. 2. & in 4. d. 15. p. 2. à dub. 1. vsq; ad 8. & in art. sparsim.

CONSEQVENTER quæritur de pręceptis beneficẽtiæ, quæ sunt duo. Nam secũdùm Rabanum duo genera præstandi reperiuntur: vel quia beneuolè damus: vel reddituro accommodamus. Dicemus ergo de ambobus: primò, de præcepto erogationis, seu donationis: secundò, de præcepto mutui siue commodationis.

ARTICVLVS I.

De præceptis erogationis.

PRIMÒ ergo quæritur de pr̃ecepto erogationis, de quo dicitur Matth. 5. *Qui petit à te, da ei* & Luc. 6. *Omni petenti te, tribue.* Iuxta quod etiam dicitur Luc. 11. *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

¶ Et circa hoc præceptum quæruntur plura. Primum, quid præcipiatur dari. Secũdum, quis iubeatur dare. Tertium, cui præcipiatur dare. Quartò, quomodo & quando tenemur dare. Quintum, quare attribuitur eleëmosynæ omnia mundare.

An de illicitè acquisitis, putà de vsura & meretricio sit erogandum, donandum, vel dandum? §. 1.

¶ Circa primum: scilicet, quid præcipiatur dari? q̃runtur duo. Primum est, vtrùm de illicitè acquisitis possit dari, vt de vsura, & meretricio. Secundò, vtrùm necessarium, seu superfluum præcipiatur dari.

¶ Ad primum obijcitur sic, Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ergo de iniquo potest dari, seu de iniquè acquisito.

¶ Item, Exod. 12. legitur, quòd filij Israël exituri de Ægypto, à vicinis acceperunt mutuò vasa aurea & argentea: ex quibus postea ædificauerunt tabernaculum Domino. Sed constat, quòd quidam illorum saltem furtum cõmiserunt: ergo de furto etiam potest dari beneficium.

August.

¶ Item, August. *Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum: qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo: esto tu bonus, qui facis de malo bonum.* Ergo de malè acquisito potest fieri bonum.

¶ Contra Aug. in lib. de verbis Domini: *Nolite velle eleëmosynas facere de fænore & vsuris.*

¶ Item, Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Item in eodem: *Dona iniquorum non probat altissimus: nec respicit in oblationibus iniquorum: nec in multitudine sacrificiorũ eorũ propitiabitur peccatis.* Item in eodem: *Qui offert sacrificium ex substantijs pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

Gregor.

¶ Item, Gregorius: *Eleëmosyna oculos Redemptoris nostri placat: quando non ex illicitis & iniquitate congeritur: sed quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur.*

Hierony.

¶ Item Hieronymus: *Addiscant hoc ipsum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat.*

¶ Item, Augustinus: *Si quis agris iniquè ac perperam innatis ita vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleëmosynas faciat: non ideo rapinam iustificat.* Ex his auctoritatibus probatur, quòd neque ex rebus malè acquisitis: nec ex inuẽtis potest quisque beneficium alteri erogare.

¶ Item, videtur, quod nec etiam de meretricio, Deut. 23. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis:* ergo, &c.

RESOLVTIO.

De illicitè acquisitis, de quibus competit restitutio, erogari non potest: sed benè de ijs, de quibus restitutio non competit: quidquid alij dicant.

¶ Respon. Quidã generaliter dicunt, quòd de nullo illicitè acquisito potest fieri eleëmosyna, nec de meretricio, nec de vsura, nec de acquisitis ludo alearum, nec de histrionatu, nec de simonia: nam scriptum est Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* Et Deut. 23. *Non accipies mercedem prostibuli*; si quidem illicitè acquisita non sunt in bonis nostris.

¶ Sed melius dicendum: quòd de illicitè acquisitis, vbi non transfertur dominium; sed competit restitutio vel repetitio: non potest fieri beneficium, seu eleëmosyna, vt in vsura, vnde Augustinus: *Qui contra ius societatis humanæ furtis, rapinis, calumnijs, oppressionibus, inuasionibus aliqua abstulerit: reddenda potiùs, quàm donanda censemus Zachæi publicani exemplo,* Luc. 19. Sed si transfertur dominium, ita quòd non competat repetitio: de talibus potest fieri beneficium vel eleëmosyna: vt, si aliquid datur meretrici, illud non potest repeti: vnde de tali potest fieri eleëmosyna. Idem est de eo, quod datur histrioni: & de eo quod extorquetur ratione officij alicuius.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur ex illa auctoritate: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Dicendum, quòd illa auctoritas tripliciter exponitur. Primò sic: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, id est de diuitijs, quæ vt in pluribus iniquè, & cum peccato solent acquiri: sed non propter hoc iubet, vel consulit facere amicos de pecunia iniquè acquisita. Secundò sic exponitur: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, id est de pecunia quę iniquè retineretur, si non daretur. Tertio modo sic: facite vobis, &c. id est de pecunia inæqualitatis, id est q̃ inæqualiter possidetur: vnus enim plus habet, alius minus.

¶ Ad secundum de filijs Israël respondet Augustinus *Dixit Dominus ad Moysen Exod. 12. Petat vir à proximo, & mulier à proxima sua vasa aurea & argentea & vestem: non hinc quisquam sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum: hoc enim Deus iussit, qui nouerat, quid quacunq; pati oporteat: nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo iubẽte ministerium præbuerunt. Licet igitur aliqui ex cupiditate ab Aegyptijs vasa acceperant; tamen inde translatum fuit dominium, voluntate & præcepto principalis possessoru, scilicet Domini.*

¶ Ad tertium dicendum: quod facere bonum de malo multipliciter intelligitur: facit enim de malo bonum qui reddit quod abstulit illicitè. Nomine etiam mali cura & sollicitudo mortalium exprimitur, Matth. 7. *Nolite solliciti esse in crastinum: sufficit enim diei malitia sua.* De malo ergo bonum facit, qui pauperibus dispensat, quod cum labore & sollicitudine acquisiuit. Vel ex malo acquiritur, quod ex turpi causa possidetur: veluti cùm Mathematicus ex arte, quam docet: vel ex futuris, quæ prænunciat, nonnulla lucratur: quæ verò sic de malo acquiruntur, in bonum possunt cõuerti. De peccato etiam acquiruntur, quæ pauperibus iustè erogantur.

¶ Ad illud autem, quod vltimo obijcitur de meretricio. Dicendum, quòd nõ debet recipi oblatio meretricis licet inde possit eleëmosyna fieri: & hoc ideo, vt citius propter ruborem conuertatur.

An de superfluis, vel de necessarijs erogandum sit? §. 2.

¶ Secundò quæritur: Vtrùm necessarium, an superfluum præcipiatur dari? Et videtur, quòd non solùm superfluum, immò etiam necessarium: quia vniuersaliter dicitur Luc. 6. *Omni petenti te, tribue.* Si ergo te, multo magis tua,* quamuis necessaria.

¶ Item, Hieronymus: *Aliena rapere conuincitur, qui vltra* necessa-

necessaria retinere comprobatur. Ergo superflua sunt aliena: cũ ergo aliena non possunt dari, sed restitui: non intelligitur istud præceptum de superfluis, sed * etiam de necessarijs.

*al. potius.

¶ CONTRA: ordine charitatis potiùs deberemus diligere nos, quàm alienos: ergo necessaria potiùs deberemus nobis dispensare, quàm alijs erogare: ergo non intelligitur de necessarijs.

¶ ITEM, si intelligitur solùm de superfluis: ergo diuites qui habent multa superflua; si non dant pauperibus petentibus, transgrediuntur præceptũ 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere: & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo?* quasi dicat, non manet in illo: & ita est in peccato mortali.

RESOLVTIO.

De vtrisq; : & omnibus, quæ honestè, & iustè dari possunt.

¶ RESPON. Hoc præceptũ intelligitur de omnibus, tam necessarijs, quàm superfluis: quæ honestè & iustè dari possunt, sicut dicit Gloss. Honestè dico: quia res posset esse ita necessaria, quod non posset dari ita honestè. Iustè dico: quia res aliena non potest dari iustè: nec res superflua potest iustè retineri. Verisimiliter autem omnia superflua debent dari: & verisimiliter nulla iniustè possessa possunt dari: necessaria verò, quibus iustè carere nõ possumus, nõ tenemur dare: quia non possunt dari honestè: necessaria verò quibus carere possumus, in casu tenemur dare.

Gl super Matt. 5.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS II.

An qui nihil habet, ad erogationis donationisq; præceptum teneatur?

POSTEA quæritur, quis iubeatur dare. Et est ista quæstio: Vtrùm ille, qui nihil habet, obligetur ad illud p̃ceptum, aut non? Si enim obligatur ad illud præceptum: ergo cùm nihil habeat ad dandum, obligatur ad impossibile: quod est inconueniens.

¶ SI dicatur, quod non obligatur. Contra quod præcipitur Matth. 5. *Qui petit à te, da ei:* præcipitur etiam Luc. 6. sub hac forma: *Omni petenti te, tribue:* quilibet autem potest se tribuere, quamuis non habeat aliqua temporalia: ergo ille qui nihil habet, tenetur ad illud præceptum de erogatione.

RESOLVTIO.

Quinimmò & si non manu, affectu tamen, vel obsequio, vel verbo.

¶ RESPON. Dicendum, quod multiplex est donũ. Est enim donum muneris à manu, Deut. 15. *Præcipio tibi, vt aperias manum tuam egeno, & pauperi.* Et est donum compassionis à corde, Esai. 58. *Cùm effuderis esurienti animam tuam.* Et est donum verbis dulcis, & consolatorij ab ore, Eccles. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros: sic & verbum melius, quàm datũ.* Est & donum obsequij in opere, Exod. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Ad primum nõ tenetur manens pauper, cùm non habeat aliquid ad manum, quod possit dare: sed tantùm tenetur ad tria vltima pro loco & tempore, vnde Matth. 5. Glos. *Si deest facultas, da affectum, vel obsequium, vel verbum.*

Matth. 5. Hierony.

ARTICVLVS III.

An vniuersaliter omnibus erogandum sit?

DEINDE quæritur, cui præcipiatur dari: hoc est quærere: quibus sit beneficium tribuendum, vtrùm videlicet omnibus, vel solùm aliquibus. Et videtur, q̃ non non omnibus: dicit enim Hierony. *Mimis & histrionibus dare, nihil aliud est, quàm dæmonibus immolare.* Sed à nullo est dæmonibus immolandum: ergo nec ab aliquo est histrionibus aliquid tribuendum.

¶ ITEM, Eccles. 12. *Da iusto, & ne dederis peccatori: & benefac humili, & ne dederis impio.*

¶ CONTRA, videtur expressè, quod dicitur Luc. 6. *Omni petenti te, tribue:* qui autem omne dicit; nihil excipit: ergo tam histrioni, quàm alijs dandum est.

¶ ITEM Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est: qui solem suum facit oriri super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos.* Si ergo ipse Dominus ita misericors est, quòd beneficia sua largitur omnibus, tam iustis, quàm iniustis: ergo & nos similiter debemus facere.

¶ ITEM ex incidenti quæritur, quid dicat Hieronymus histriones: Si dicatur quod vtentes musicis instrumẽtis: contra est, quia ex scriptura non videtur peccatum cytarizare: quia ipse Dauid fuit cytharista, 1. Regum 16. & Heliseus præcepit, vt adduceretur sibi Psaltes, 4. Regum 3. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini. Ex quo relinquitur, quod officium histrionum non est malum: ergo nec dare eis est malum intuitu ipsius officij.

¶ ITEM, cùm in histrionibus (quocunque modo accipiatur) sit imago Dei, & indigeant: si datur eis inquantum huiusmodi, datur eis intuitu Dei: ergo in hoc non immolatur idolis, seu dæmonibus.

RESOLVTIO.

Omnibus in necessitatis articulo, & si non omni ex causa.

¶ RESPON. Dicendum, quòd illud præceptum se extendit ad oẽs in casu necessitatis: vt omnibus tribuamus, non tamen quacunq; ex causa.

¶ VNDE ad illud, quod obijcitur de histrione: dicendum, quòd in histrione potest considerari natura & vitium. Si ergo datur ei intuitu vitij: quia scilicet delectatur in vitioso & illicito eius ludo: qui sic facit, dicitur immolare diabolo. Si verò datur ei intuitu naturæ: quia scilicet est ad imaginem Dei, & possibilis ad gratiam; datur ei causa debita: & hoc modo histrioni dandum est in casu necessitatis. Vnde Gregorius in Glos. super Matt. 10. Qui recipit iustum, &c. *Mercede non carebit suscipiens, & si iniustus sit qui suscipitur.*

Gregor. super Matt. 10.

¶ SIMILITER ad illud, quod obijcitur de impio. Distinguendum est, quia potest quis dare impio, vt foueatur in impietate sua: & hoc modo est prohibitum dare impio, seu peccatori. Item, alio modo potest quis dare impio, vt sustentetur eius natura, quia est possibilis ad iustitiam, & est ad imaginem diuinam: & hoc modo in casu necessitatis dandum est beneficium impio seu peccatori secundùm istud præceptum.

¶ AD illud, quod ex parte altera quæritur, quis dicatur histrio? Dicendum, quòd histrio appropriato nomine est nomen vitij: histriones enim propriè dicuntur, qui per gesticulationem corporis & ludos, prouocantes ad risum, intendunt homines prouocare & mouere ad lachrymas, lasciuiam, & ineptam lætitiam, seu inordinatam: & hoc modo dare histrioni intuitu sui officij, peccatum est. Alio modo extenso nomine dicitur histrio, quicunq; per quæcunque instrumenta prouocat homines ad lætitiam. Potest autem quæri lætitia ex instrumentis musicis ad recreationem & corporis valetudinem, non ad inordinatam seu libidinosam voluptatem: & hoc modo histrioni intuitu sui officij potest beneficium tribui.

ARTICVLVS IV.

Quomodo, & quando sit erogandum, & dandum.

SEQVITVR videre, quomodo sit dandum. Ad quod nota: quòd multa requirũtur. Compassio proximi. Isa. 58. *Cùm effuderis esurienti animam tuam.* Benignitas verbi. Eccl. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius, quàm datum.* Abundantia dati. Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Et 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet,* &c. Hilaritas dantis. Eccl. 35. *In omni dato hilarem fac vultum.* Et 2. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarẽ enim datorem diligit Deus.* Humilitas dantis. Prouerb. 28. *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Discretio. Eccl. 12. *Da iusto, & ne dederis peccatori.* Acceleratio. Prouerb. 3. *Ne dicas amico,*

vade, & cras dabo tibi: cùm statim possis dare. Recta intentio. Mat.6. *Cùm facies eleëmosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* Pietas.1.Tim.4. *Exercitatio corporis ad modicum valet: pietas autem valet ad omnia.* Charitas.1.Cor.13. *Si distribuero in cibos pauperum omnem facultatem meam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Ordo dandi. Eccl.30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

¶ QVÆRITVR postea quando sit dandũ: hoc est, quærere, quando omittit aliquis, si non dat. Ponatur.n. quod hic sit aliquis pauper cuius paupertas euidens, est: & aliqs diues, qui habet superflua multa: videtur ꝙ in hoc casu idem diues omittat, si non dat isti petenti secundùm illud præceptum. *Qui petit à te, da ei:* quod est intelligendum pro loco & tempore. Similiter: *Date eleëmosynam.* Sed modò est tempus & locus: cùm iste modò indigeat; & ipse multa superflua habeat: ergo omittit, si non dat.

Matth. 5. Lucæ 11. Lucæ 6.

¶ ITEM, *Quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines: & vos facite illis.* Sed iste diues iuste & discretè vellet sibi dari, si esset in statu huius pauperis: ergo iste diues tenetur dare huic pauperi in hoc casu: ergo si non dat, peccat.

1. Ioan 3

¶ ITEM, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Sed iste diues habet substantiam huius mundi, & videt fratrem suum necessitatem habere: ergo si clauserit viscera sua ab eo, ita ꝙ non det ei aliquid charitas Dei non est in illo: ergo peccat mortaliter.

¶ SI dicatur, quòd non claudit viscera sua; quia compatitur ei. Contra: ad hoc similiter tenetur pauper sicut diues: ergo pro nihilo præmisit Apostolus: *Qui habuerit substantiam huius mundi.* Si ad aliud non tenetur diues, quàm pauper: tenetur ergo diues dare.

1. Ioan. 3

¶ ITEM, Hieron. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere comprobatur.* Ergo nisi iste diues det huic pauperi indigenti de superfluis suis, pro raptore habendus est.

Matth. 5.

¶ ITEM, *Omni petenti te, tribue:* rem scil. si habes; si non habes, saltem voluntatem bonam.

¶ CONTRA. Dare potest alij æquè indigenti: & si dat, absolutus est: ergo non tenetur dare isti.

¶ IVXTA hoc solet obijci de aliquo, cui obuiat aliquis in extrema necessitate constitutus. constat, quòd tenetur ei dare modò; sic ergo ꝙ præparet se ad dandum: & interim occurrat alius in extrema necessitate positus: quæritur, vtrùm tenetur dare primo. Videtur, ꝙ sic: quia priùs tenebatur ei dare: & non est absolutus ab illa tentione: ergo adhuc tenetur dare ei.

¶ CONTRA, Si det secundò, absolutus est: & posito, quòd non possit reficere, nisi alterum tantùm; ergo modò non tenetur dare primo.

¶ RESPON. Ad primum dicendum, quòd in duobus casibus omittit diues, si non dat pauperi indigenti. Primus est, indigenti posito in extrema necessitate: & hoc dictat ei conscientia; si non tunc dat, peccat mortaliter: vnde Hieron. super illud: *Si esurierit inimicus tuus ciba illum. Quisquis tu* quacunq; necessitate morituro succurrere potes, si non facit, occidit.* Secundus casus est, in valde indigente, sed non in extrema necessitate: si enim habet aliquis multa superflua: nec proponit meliùs dispensare, vel æquè benè: & tunc non dat, peccat mortaliter: & sic intelligitur illud: *Qui habuerit substantiam,* &c. & Eccl.4. *Eleëmosynam pauperis non defraudes: sed redde ei debitum suum,* &c. Et Canon Amb. *Non minoris criminis est habenti tollere: quàm cum possis, & abundans sis, indigentibus negare.*

Hieron. super ad Rom. 12. *Aliàs, quantacunque. 1. Ioan. 3.

Idem.

¶ ITEM, Ambros. *Nemo dicat proprium, quòd commune est: plusquam sufficit ad sumptus, violenter obtentum est.*

¶ AD primum ergo, quòd obijcitur; Dicendum, quòd hæc est vera: iste diues tenetur dare huic indigenti pro loco, & tempore: sed hæc est falsa: modò est tempus, & locus: si proponit meliùs dare, vel æquè benè; sed esset locus, & tempus, si non proponeret meliùs dare.

¶ AD secundùm dicendum: ꝙ iste diues si esset indigens, in discretam haberet voluntatem, si omnibus modis vellet sibi dari ab aliquo, siue meliùs proponeret dispensare, siue non.

¶ AD tertium dicendum, quòd diues non claudit viscera sua ab hoc indigente, quamuis non det: quia habet bonam voluntatem dandi ei: nisi meliùs proponeret dispensare.

¶ AD auctoritatem Hieron. Dicendum, quòd iste diues non est pro raptore habendus: quia si ad tempus retinet superflua: tamen animo, & proposito meliùs dispensandi.

¶ AD auctoritatem Euangelij. *Omni petenti te, tribue.* Dicendum, ꝙ intelligendum est sic: Tribue rem, vel bonam voluntatem, vel bonum verbum: sicut habetur ibi in Gloss. Vnde iste diues non est transgressor huius præcepti: cùm habeat bonam voluntatem dandi, sicut dictum est. Matth. 5.

¶ AD vltimum, quòd quæritur de duobus in extrema necessitate constitutis. Dicendùm, quòd tenetur dare primo, & similiter secundo: sed neutri tenetur dare modò: tamen tenetur alteri modò; vt iste terminus alteri teneatur confusè, & indeterminatè.

ARTICVLVS V.

Quare Eleëmosyna attribuitur omnia mundare?

VLTIMÒ quæritur? quare eleëmosynæ specialiter attribuatur* omninò mundare: cùm dicatur, de lunatico. *Hoc genus dæmonij non eijcitur nisi in oratione & ieiunio:* Gl. *Medicina vniuscuiusq; vulneris est adhibenda: non enim sanat oculum, quòd sanat calcaneum: ieiunio sanantur pestes corporis. oratione pestes mentis.* *Aliàs, omnia. Matth. 9. Glossa. Hieron.

¶ QVOD autem eleëmosyna specialem habeat effectum, ostenditur. Super illud: *Extende manum;* ibi Gloss. *Nihil plùs valet curationi quàm eleëmosynarum largitas: quia frustra pro peccatis suis rogaturus manus suas ad Deum extendit, qui has ad pauperem pro posse suo non extendit.* Matth. 12. Glossa.

RESOLVTIO.

Quia maximo opere Dei misericordiam mouet super peccato peccatiq; pœnam.

¶ RESP. *Conclude eleëmosynam in sinu pauperis,* &c. Et cap. 28. *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & à Deo quærit propitiationem.* Et Prouerb.19. *Fœneratur Domino: qui miseretur pauperis.* Vnde colligitur: quòd maximè motiuum ad Dei misericordiam super peccato, & pœna peccati est eleëmosyna. Non autem dicitur: *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* vt sufficiat eleëmosyna ad mundationem culpæ. Et si enim sit principaliter motiuum ad remissionem pœnæ ex Dei misericordia: nihilominus vniuscuiusq; vulneris est adhibenda propria medicina, vt contraria contrarijs curentur. Super illud: *Supputata,* &c. Gloss. *Secundùm ea, quæ peccauit, oportuit precium reddere: vt scil. quod peccauit gula, ieiunium corrigat: quod garrulitas admisit, silentium deleat: & sic contraria contrarijs curentur.* Eccles.29. Lucæ 11. Leuit. 25. Glossa.

MEMBRVM IV.

De præcepto mutui.

CONSEQVENTER quæritur? de præcepto mutui, seu commodationis: de quo Matth.5. *Volenti à te mutuari, ne auertaris.* Et Lucæ 6. *Date mutuum, nihil inde sperantes.*

¶ CIRCA quod quæruntur quatuor? Primum est vtrùm accipere aliquid præter sortem sit prohibitum. Secundò, vtrùm sola spes accipiendi præter sortem faciat vsurarium: siue sit prohibita. Tertiò, vtrùm in aliquo casu sit licitum accipere aliquid præter sortem. Quartò, an sit mala secundùm se.

)*(

ARTICVLVS I.

An prohibitum sit, accipere quidquam præter sortem.

Ezech. 18. AD primum sic obijcitur: *Si genuerit vir filium latronem, &c. Ad vsuram dantem, & ampliùs accipientem: Nunquid viuet? Non viuet: cùm vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, &c. Hic iustus est.* Ergo accipere aliquid præter sortem est prohibitum.

Exod. 22. ¶ ITEM, *Si pecuniam accommodaueris populo meo pauperi, qui habitat tecum: Non vrgebis eum quasi exactor: nec vsuris opprimes.* Ergo non licet accipere vsuram: sed gratis intuitu Dei commodare.

Psalm. 14. ¶ ITEM, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo,* &c. Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam nō dedit ad vsuram, &c. Quasi si det ad vsuram, non habitabit in tabernaculo Domini. Sed nullus expellit à tabernaculo Domini, nisi pro peccato mortali: ergo dare ad vsuram est peccatum mortale, seu accipere præter sortem.

Lucæ 6. ¶ ITEM, *Date mutuum, nihil inde sperantes:* vbi videtur etiam spes accipiendi prohiberi: ergo multomagis prohibetur ipse actus.

Deut. 23. ¶ CONTRA: *Non fœneraberis proximo tuo, sed alieno.* Ergo licet fœnerari alieno: ergo in aliquo casu licet dare ad vsuram: non ergo generaliter est prohibitum.

Ambros. ¶ ITEM, *Vsuras exigas ab eo, cui iustè nocere desideras:* & ita licet ab aliquibus accipere vsuras.

¶ ITEM, maius peccatum est occidere, quàm accipere ad vsuram: sed licet in casu & sine peccato occidere: ergo licet in aliquo casu accipere ad vsuram.

¶ ITEM, licet conducere domos, equos, vasa argentea, pro lucro: ergo multofortius denarios: qui sunt vtiles magis: & sic licet dare ad vsuram.

Deut. 15. ¶ ITEM, Per promissionem siue benedictionem obseruantibus mandata Domini dicitur: *Fœneraberis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum.* Sed si fœnerari esset malū, non esset istud promissio, seu benedictio, sed potiùs maledictio: Nec etiam illud promitteretur obseruantibus mandata Domini: cùm hoc ipsum esset transgredi mandatum Dei.

RESOLVTIO.

Cùm accipere præter sortem: idem sit quòd vsura quæ & in se, & secundùm se peccatum est: omninò præter sortem quidquam accipere prohibitum est.

¶ RESP. Concedendum, q accipere præter sortē, quòd est vsura, prohibitum est. Sunt tamen casus, in quibus vsura est permissa. Primus est, vbi possessio Ecclesiæ est assignata clerico in beneficium: & laicus tenet eam iniustè & violenter, potest clericus fructus illius beneficij percipere vltra sortem: *Extra. de vsuris, c. 1.* Sed hoc non fit lucri causa: sed vt res Ecclesiæ eo modo de manu laici redimatur: vt habetur in eadem Decretali. (Extrau. de vsuris, c. 1.) Secundus, vbi vsuræ petuntur cùm interesse: v.g. si fideiussor soluit vsuras creditori: potest eas petere à debitore, pro quo fideiusserat: quia nō sunt vsuræ quantùm ad fideiussorem: sed potiùs quantùm ad interesse: quia non est lucrū, sed vitatio damni. Tertius ratione moræ: vt si debeas mihi centum ad certum terminum: & noluisti persoluere in termino: & ideo oportuit me recipere pecuniam cùm vsuris propter negotia mea tractanda: tu teneris mihi restituere illas vsuras, si solui: vel si non solui, liberare me ab ista obligatione. Quartus ratione dubij. Nam si quis dat decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur: quę licet tunc plus valeat, vtrùm tñ minus solutionis tempore sint valitura, verisimiliter dubitatur: non debet ex hoc vsurarius reputari. Ratione dubij huius excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit: vt ampliùs quam tunc valeat, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen eo contractus tempore non fuerat venditurus, *extra. de vsuris, nauiganti.* §. 1. & 2. Quàm requirere infra inter nouas constitutiones. (Extrau. de vsuris nauigāti. §. 1. & 2.) In his ergo casibus quatuor vsura est permissa. Sed rectè consideranti in prędictis casibus non est vsura: vnde nota, quòd non dicitur cōmitti vsura nisi in his rebus tantùm, circa quas contingit fieri mutuum, sc. quæ consistunt in numero, pondere, & mensura. Numero, vt quælibet moneta; quæ propriè dicitur pecunia numerata. Pondere, vt ære, argento, auro, &c. Quæ appenduntur. Mensura, vt frumento, vino, oleo, pānis, &c.

¶ AD maiorem tñ euidentiam huius quæstionis nota: quod duo sunt contractus, qui de sui natura volunt esse gratuiti, sc. mutuum, vel commodatum. In mutuo. n. certum est, quòd requiritur vt sit gratuitum: alioquin est vsura. Sed in commodato si aliquid recipitur ꝑ re commodata, statim desinit esse commodatum. Quia aut recipitur aliquid pro re ipsa: aut ꝑ vsu rei. Si pro re ipsa aliquid recipitur: aut recipitur pecunia, aut res alia: si pecunia, est emptio vel venditio: si alia res recipitur, erit contractus permutationis. Si ꝑ vsu rei accipitur pecunia, erit contractus locationis: si res alia, erit contractus innominatus: quasi do vt des, vel vt facias. Omnes isti contractus sunt liciti laicis.

¶ DICENDVM ergo ad primum: q dare ad vsuram & in se & secundùm se peccatum est: & non fuit iudæis licitum alieno fœnerari: sed permissum fuit eis: sicut pmissum fuit eis dare libellum repudij. Peccabant ergo mortaliter iudæi fœnerando alieno: sed hæc fuit permissio comparatiua: quæ facta est duplici ratione. Prima, quia permissum fuit eis minus peccatum, ne facerent maius videl. ne fœnerarentur fratribus. Secunda, quia rudes erant: & quia inamotreet: vnde paulatim ducendi erant ad perfectionē. Et ex hoc habemus argumentum, quòd si non possimus obtinere ab vsurarijs, quòd totum reddant: facere debemus, si possumus, quòd saltem partem reddant.

¶ AD secundùm dicunt Magistri: quòd illa auctoritas non est S. Ambros. Sed Ambros. Adoperti cuiusdam hæretici: qui sub specie B. Ambros. Multa falsa dixit: Vel si placet, exponatur sic: Vsuras exigas, & quaslibet exactiones: hoc enim licet facere contra paganos: terra enim, quàm ipsi possident, nostra debet esse: vnde iustè possumus eam exigere ab eis, quibus iustè desideramus nocere.

¶ AD tertium dicendum: quòd licet occidere sit peccatum in se, non tamen secundùm se: sed dare ad vsuram est peccatum in se, & secundùm se: & propter hoc non est simile.

¶ AD quartum dicendum: quòd licet conducere equum & cætera huiusmodi pro lucro: sed non licet concedere nummos pro lucro: equus enim conducitur locando: nec transfertur dominium in locatione: vnde iustum est, vt ille, cuius est equus, habeat aliquod emolumentum pro vsu equi sui: & similiter posset fieri de nummis [illegible] pecunia: si non transferretur dominium: sed in [illegible] pecuniæ transfertur dominium, dicitur enim mutuum, [illegible] meo tuum. Vnde cùm pecunia data ad vsuram transfert in accipientis dominium, similiter transit & [illegible]: pro vsu autem rei suæ non est iustum, vt alius habeat emolumentum: imò contra ius est: & propter hoc vsura est peccatum.

¶ AD vltimum dicendum: quòd cum dicitur in promissione: *Fœneraberis gentibus multis*, &c. Ponitur ibi consequens pro antecedenti: est enim sensus: tantam habebis abundantiam, quòd poteris multis gentibus, si volueris, fœnerari. Non ergo est hic intentio domini promittere fœnerationem: sed abundantiam tātùm, ad quam posset, vel solet fœneratio consequi. Deut. 15.

ARTICVLVS II.

An sola spes aliquid accipiendi præter sortem vsurarium faciat?

SECVNDÒ quæritur? vtrùm sola spes accipiendi aliquid præter sortem sit prohibita, & faciat vsurarium? Cùm enim dicatur: *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Gloss. *Vltra sortem.* Et addit, quòd hic prohibetur vsura: ergo sola spes accipiendi præter sortem facit vsurarium. Lucæ 6. Glossa.

¶ ITEM,

¶ Item, sola voluntas occidendi hominem, facit homicidam. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Similiter sola voluntas fornicandi facit fornicatorem. *Qui viderit mulierē ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Ergo similiter sola voluntas acquirendi aliquid præter sortem facit vsurarium. [1. Ioan. 3.] [Matth. 5.]

RESOLVTIO.

Lege diuina vtiq; lege humana minimè.

[Aliorum responsio.] ¶ Ad hoc dicunt quidam, φ sola voluntas non facit vsurarium, nisi interueniat pactum. Sed contra: esto φ iste timore Ecclesiæ non faciat pactum, sed tamen habeat voluntatem: alius vult, & facit pactum: inde sic. *Spirituū ponderator est Dominus.* id est, voluntatem: sed talem voluntatē habet iste, qualem ille: ergo si voluntas istius facit istum vsurarium: similiter & voluntas illius faciet illum vsurarium. [Prouerb. 16.]

¶ Qvod alij concedunt. Sed contra: Quilibet tenetur esse gratus ad beneficia: ergo mutuum accipiens tenetur esse gratus mutuanti: ergo dans mutuum, potest sperare aliquod beneficium ab eo, qui accipit mutuum: ergo & aliquam superabundantiam.

¶ Item, ex dono potest quis licitè sperare donum: ergo ex mutuo potest sperare mutuum.

¶ Resp. Dicendum, φ cùm diuersæ scientiæ diuersas habeant considerationes, à diuersis scientibus idem diuersimodè consideratur. Hinc est, φ secundùm leges humanas voluntas sola non facit vsurarium: quia Lex humana manum cohibet, non animum. Secundùm legem verò diuinam, quæ animum cohibet, sola voluntas facit vsurarium.

¶ Ad primum ergo obiectum dicendum: quòd mutuans potest sperare illud, ad φ tenetur accipiens: quia in consimili casu scil. necessitatis tenetur sibi dare mutuum, & teneretur similiter etiam, si non dedisset priùs: vnde potest illud sperare mutuans ab accipiente: non tamen ex vi mutui: sed ex charitate accipientis mutuum: Mutua enim beneficia accendunt charitatem: & quia etiam ex præcepto Dei debet mutuum indigenti dari.

¶ Et per hoc etiam soluitur secundùm: bene enim cōcedendum est, quòd mutuans potest ab eo, qui recipit, in simili casu sperare mutuum: quia ad hoc tenetur alius: tamen si hac intentione tradit sibi mutuum, non est meritorium, quia non ponit Deum finem: ideo dicitur: Luc. 6. *Date mutuum, nihil inde sperantes:* supple ab homine, sed à Deo.

ARTICVLVS III.

An casu aliquo licitum sit præter sortem quidquam accipere?

TERTIÒ quæritur? Vtrùm aliquo casu sit licitum accipere aliquid præter sortem. Et videtur φ sic: Dominus enim præcepit Sauli, vt interficeret Amalechitas: & interficiendo eos ex præcepto Domini, non peccauit: imò peccauit reseruando Agag Regem Amalech. Si ergo ex præcepto Domini factum est non mortale, quòd aliàs esset mortale (occidere enim hominem, est peccatum mortale in se: sed ex præcepto Domini fit meritorium in aliquo casu: sicut si Abraham immolasset filium suum ex præcepto Domini) ergo similiter, cùm dicitur: *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno* (dato quod hoc sit præceptum) nullum accidit inconueniens, quia fœnerari alieno, quòd sine præcepto Domini est mortale: per præceptum Domini fit non mortale; nec est veniale: ergo non est necesse dicere, quòd sit permissio comparatiua. [Deut. 23.]

¶ Item, Dominus præcepit Iudæis, vt asportarent vasa Ægyptiorum. Si ergo per præceptum Domini fuit licitum asportare omnia vasa preciosa Ægyptiorum: multo fortiùs per præceptum Domini licitum erit accipere aliquid præter sortem (minùs est enim accipere partem, quàm totum) & ita Dominus potuit præcipere Iudæis, quòd ipsi darent ad vsuram: & ita dare ad vsuram potuit non esse peccatum.

¶ Item, Lex Iustiniani permittit vsuras centesimas, & sexagesimas: & videtur φ benè, quia præceptum est. *Non occides*, & tamen occiduntur homines sine peccato propter recompensationem: quia per occisionem maleficorum conseruatur status reipublicæ in bonitate sua. Ergo eadem ratione licet dare ad vsuram sine peccato propter recompensationem: Maior enim vtilitas accidit inde reipublicæ, & etiam ei, qui accipit ad vsuram. [Exod. 20.]

¶ Item, accipere ad vsuram, non est contractare rem alienam inuito Domino: Dominus enim vult bene, vt vsurarius habeat leuissimam vsuram: & multum gaudet, quando inuenit, qui dat ei ad leuissimam vsuram: ergo accipere ad vsuras non est furtum: nec aliquod aliud peccatum: ergo simpliciter non est peccatum.

¶ Contra. *Putant quidam vsuras tantùm esse in pecunia: quod prauidens diuina scriptura, omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non accipias, quàm dedisti.* [Hieron. super Ezech. 18.]

¶ Item, idem. *Alij pro pecunia fœnerata solent munuscula diuersi generis accipere: sed intelligant vsuram vocari superabundantiam, quicquid est illud: si ab eo, cui dederint, plus acceperint.* [Idem.]

¶ Item, Ambr. *Plerique refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia vsuras exigunt: sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt: ideo audiant, quid Lex dicat: neq; (inquit) escarum vsuram accipies, neq; omnium rerum.* Et accipitur ex illo tex. *Non fruges, nec aliquam aliam rem.* [Ambros.] [Deut. 23.]

¶ Item, idem. Esca vsura est, & vestis vsura est: & quodcumq; sorti accedit, vsura est: quòd etiam velis, ei nomen imponas, vsura est.

¶ Item iuxta hoc quæritur? cùm vsurarius sit fur, quare iudex sæcularis patitur vsurarios viuere: & alios fures, & raptores non patitur viuere. Cùm enim vsurarij publicè, & manifestè sint mali: videtur facere contra illud præceptum. *Maleficos non patieris viuere.* [Exod. 22.]

¶ Item quæritur quare iudex ecclesiasticus plus intromittit se de pœna vsurariorum, quàm se intromittat de pœna aliorum furum.

RESOLVTIO.

Cùm præter sortem quidquam accipere, & in se, & secundùm se malum sit: casu aliquo nullatenus licitum erit.

¶ Solvtio. Ad primum dicendum, quòd non est simile de homicidio & vsura: quia occidere, licet sit malum in se, non tamen est malum secundùm se: sed dare ad vsuram malum est in se, & secundùm se: & si Dominus illud præcepisset, sequeretur inde inconueniens sicut iam ostendetur.

¶ Ad secundum dicendum: φ filij Israël seruierant Ægyptijs: & merces non erat eis reddita: propter hoc Dominus, qui verè est Dominus omnium; transtulit dominium vasorum ad Iudæos. Vnde Iudæi non contrectauerunt rem alienam: imò suam: nec præcepit Dominus Iudæis, vt asportarent rem alienam manentem alienam. Sed vsura est accipere rem alienam manentem alienam inuito Domino: & facere de illa, vt de sua: hoc autem est malum secundùm se, & in se: sicut scienter cognoscere vxorem alienam manentem, aliena, malum est in se, & secundùm se: similiter ex mutuo accipere rem alienam manentem alienam vt suam, contra ius naturale est, & est malum in se & secundùm se. Nec potuit hoc Deus præcipere: & si præcepisset, sequeretur inconueniens, scilicet, quòd dare ad vsuram esset bonum & malum: malum secundùm se, bonum quò ad præceptum.

¶ Ad tertium dicendum: φ Iustinianus permisit comparatiua permissione vsuras leuissimas: quia vidit homines imperij sui pronos esse ad dandum vsuras: vnde permisit minus malum, ne fieret peius. Nec est verum, quòd sit ibi recompensatio propter vtilitatem sequentem: quia

quia semper & in omni casu dare ad vsuram, peccatum est; nec pro aliqua vtilitate potest fieri licitum: vnde non est simile de homicidio.

¶ Ad quartum dicendum, φ hæc est falsa, Vsurarius non contractat rem alienam inuito Domino. Sed sciendum, quòd duplex est voluntas, scilicet, voluntas absoluta, & voluntas respectiua seu comparatiua. De voluntate absoluta non vult Dominus huius pecuniæ, quòd vsurarius habeat eam: libentiùs enim eam sibi retineret. Sed de voluntate comparatiua vult, quòd habeat eam: ex quo, scilicet, vsurarius non vult dare mutuum gratis: vsurarius ergo contractat rem alienam, inuito Domino: vt hæc dictio, *inuito* priuet voluntatem absolutam, non comparatiuam.

¶ Ad aliud, quod quæritur: quare iudex sæcularis vsurarios permittit viuere: cùm alios fures non permittat viuere? Dicendum, quòd iudex sæcularis rem publicam tegit quantùm ad temporalia: vnde quamuis vsurarius sit fur: tamen quia fur est domesticus: nec per violentiam furatur: quia etiam ex furto illius prouenit aliqua vtilitas respublicæ quantùm ad temporalia, propter hoc permittit viuere vsurarios: cùm tamen in aliquo casu fures puniat.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd iudex ecclesiasticus, qui subtiliùs inspicit, quàm sæcularis: persequitur vsurarios propter damnum spirituale, quòd videt ex vsura accidere: & quia vsurarij de inhonoratione & contemptu Dei, hoc est, de peccato suo fecerunt sibi officium insuper & modum viuendi.

ARTICVLVS IV.

An quidquam præter sortem accipere, secundùm se & in se malum sit?

QVARTÒ quæritur? Vtrùm accipere aliquid præter sortem, sit malum secundùm se: Et videtur quòd nõ: ideo enim dicitur malum in se, & secundùm se: quia rem alienam manentem alienam vult facere suam. Sed probatur, quòd hoc non est verùm: imò quòd transfertur ibi dominium: quia iste, qui accipit mutuum, rem suam potest dare vsurario: & scit, & vult ei dare: Dicit enim ei. *Do tibi pecuniam istam præter sortem.* Ponatur: ergo dat ei: ergo pecunia, quàm accipit vsurarius præter sortem, sua est: ergo non facit rem alienam manentem alienam inuito Domino tanquam suam.

¶ Item, esto φ sub hac forma fiat contractus. *Mutuo tibi pecuniam istam, vt des mihi tantùm præter sortem.* Ergo secundùm hoc pecunia, quàm accipit vsurarius præter sortem, sua est: quia sibi data: ergo in vsura transfertur dominium: & inde vt priùs.

¶ Item, licitum est mihi dare mutuum isti, ne lædat vineam meam: ergo licitum est mihi dare mutuum pro hac re temporali, ergo pari ratione pro qualibet alia re temporali: & ita pro pecunia.

¶ Item, dare mutuum alicui: vt ille, qui accipit, impleat hoc præceptum, *non furtum facies* vel *non mæchaberis.* licitum est: ergo eadem ratione potest ei dare mutuum, vt impleat quodlibet aliud præceptum: ergo vt impleat hoc præceptum. Date mutuum, nihil inde sperantes. Ergo potest aliquis dare mutuum isti, vt ipse det mutuum alijs. Exod. 20.

¶ Item, dare pauperibus bonum est: & dare mutuum bonum est: ergo licitum est dare mutuum, vt aliquid detur pauperibus: cùm quod est ibi, bonum sit: ergo licitum est mihi dare isti mutuum, vt aliquid det patri meo indigenti: eadem ratione, & mihi: magis enim ac magis debeo me diligere, quàm cæteros alios quoslibet.

RESOLVTIO.

Accipere quidpiam præter sortem, cùm idem sit, quòd rem alienam manentem alienam facere suam: profectò & in se & secundùm se malum erit.

¶ Resp. Dicendum, φ non valet hæc argumentatio: iste potest transferre rem suam in dominium alterius, & scit, & vult: quia dicit hoc: *Do tibi pecuniam istam:* ergo transfert. Licet enim possit transferre, non tamen potest transferre sic: quia huiusmodi contractus displicet Deo: & licèt proferat verbum dandi, non tamen dat. De verbis enim nulla est contentio: sed de intentione: fœneratoris enim intentio est, quòd rem alienam manentem alienam faciat suam.

¶ Per hoc etiam patet solutio ad secundùm, cùm dicit vsurarius: *accommodo tibi pecuniam istam hac conditione, vt tu des mihi tantùm* ex vi mutui, in quo transferrur dominium: vult transferre dominium in se rei alienæ manentis alienæ.

¶ Ad tertium dicendum: quòd illa argumentatio non valet: cùm enim datur mutuum, ne lædatur vinea: nihil accipitur præter sortem: sed redimit ius suum: qui dat mutuum: hoc autem licitum est: sed si daret pro pecunia, daret, vt acciperet aliquid præter sortem. Quòd autem dictum est, quòd in vsura non transfertur dominium: intelligendum est de dominio illius rei, quæ vltra sortem accipitur: non de dominio mutui.

¶ Ad quartum dicendum, quòd non est simile de hoc præcepto. *Non furtum facies*, & huiusmodi, & de hoc. *Date mutuum:* quia in primo ex vi mutui nihil accipit præter sortem, vel in se, vel in alio: sed in secundo accipit aliquid præter sortem, vel in se, vel in alio. Exod 20. Lucæ 6.

¶ Ad quintum & vltimum dicendum: quòd sicut non licet mihi ex vi mutui transferre dominium rei alienæ in me: ita nec in alium. Vnde non valet hæc argumentatio: licitum est dare pauperibus, licitum est dare mutuum, ergo licitum est dare, vt aliquid detur pauperibus? Instantia enim est: licitum est prædicare, licitum est acquirere temporalia. Ergo licitum est prædicare pro acquisitione temporalium?

MEMBRVM V.

De Præcepto Charitatis.

CONSEQVENTER quæritur de præcepto charitatis de quo habetur: *Dictum est antiquis. Diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quàm mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Et, *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia: nam & peccatores diligentes se diligunt: & si benefacitis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? si quidem & peccatores hoc faciunt: verumtamen diligite inimicos vestros, & benefacite, &c.* D. Tho. 2. 2. q. 25 artic. 8 & 9. S. Bon. in 3 d. 30 q. 1. 4. 5. & 6. Sco. ibid. Matth. 5. Lucæ 6.

¶ Quæruntur circa istud præceptum septem. Primò, vtrùm diligere amicum sit meritorium. Secundò, vtrùm diligere inimicum sit præceptum, vel consilium. Tertiò, vtrùm benefacere inimicis omnibus sit præceptum. Quartò, vtrùm maius sit diligere amicum quam inimicũ. Quintò, vtrùm magis sit meritoria dilectio inimici, quàm amici? & iterum: an motus charitatis intensior sit in amicum, quàm in inimicum? Sextò, vtrùm inimicum maledicere sit licitum. Septimò, vtrùm pro omnibus inimicis sit orandum.

ARTICVLVS I.

An diligere amicum, meritorium sit?

PRIMÒ quæritur? vtrùm diligere amicum sit meritoriũ: propter illud, φ dicitur: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quã mercedem habebitis:* Et, *Quæ est vobis gratia?* Videtur aũt ex hoc φ diligere amicũ non sit meritorium. Nam si non est gratia, diligere illos, qui nos diligunt: & sine gratia nõ potest esse meritum: ergo diligere amicum non est meritorium. Matth. 5. Lucæ 6.

¶ Item, omni merito respondet merces, vel præmium. Sed non est merces diligentibus amicos: ergo nec meritum.

¶ Item, hoc etiam videtur per simile. *Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim incumbit:* quia (sc.) est præceptum: similiter autem de diligendo amicum est necessitas præcepti: ergo ex hoc non est gloria; ergo nec meritum: cùm ad meritum sequatur gloria. 1 Cor. 9.

¶ Contra; ex charitate diligitur amicus, & inimicus.

¶ In

¶ In feruentior est motus charitatis in amicum, quàm in inimicum. Sed quantò feruentior est: tantò est habilior ad merendum: ergo contingit magis mereri diligendo amicum, quàm diligendo inimicum.

RESOLVTIO.

Nequaquam, si ex causa temporali: sed benè si ex spiritali.

¶ Resp. Est diligere amicum ex causa temporali, vt ex sola causa quia diligit: vel quia beneficium erogauit, vel erogabit: & vt sic non est meritorium: & hoc modo dicitur. Matth. 5. Quòd non est merces diligendo, vel diligentibus amicos: & Luc. 6. Quòd non est gratia diligere amicum: vnde dicit Interl. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, id est ideo, quia vos diligunt.* Est iterum: *Diligere amicum non ex causa temporali principaliter: sed ex causa Dei: sicut charitas diligit quacunq; diligit propter Deum, & ratione summi boni: & hoc modo meritorium erit diligere amicum.*

Glossa super Lucæ 6. Eadem.

ARTICVLVS II.

An præceptum, vel consilium sit, diligere inimicum?

SEcundò quæritur? Vtrùm diligere inimicum, sit consilium, vel præceptum? propter hoc q̀ dicitur. Dictum est antiquis: diliges amicum, &c. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Et videtur, quòd sit præceptum: dicit enim Ambr. *Non sufficit inimicos non odisse: sed quid vltra humanam naturam est: præcipimur diligere: ergo diligere inimicos præceptum est.*

Ambr. in Glossa super Lucæ 6.

¶ Præterea, si est vltra humanam naturam: ergo est impossibile: sed dicit B. Hier. *Anathema sit, qui dixerit Deum præcepisse aliquod impossibile:* ergo non est præceptum.

Hierony.

¶ Item, dicit Gl. *Diligite inimicos vestros. Hoc perfectum est, non impossibile.* Ergo videtur contraria illa Gloss. auctoritati Ambros.

Glossa super Lucæ 6.

¶ Item, August. super illud: *Diliges Dominum Deū tuum, &c. Et proximum, &c. Nomine proximi omnis homo intelligitur:* ergo inimicus. Et ibi dicitur in Textu, quòd hoc est præceptum. *Diliges proximum tuum, &c.* Ergo diligere inimicos est præceptum.

August. sup Mat. 22.

¶ Contra, Aug. *Mandatum de dilectione inimicorum non impletur à tanta multitudine, quanta exauditur in dominica oratione.* Sed in dominica oratione non exauditur nisi habens charitatem, sicut patet: quia dicitur. *Dimitte nobis: sicut & nos dimittimus.* Et postea. Nisi dimiseritis, non dimittet vobis pater vester. Ergo potest quis esse in charitate: & non diligere inimicum: ergo non est præceptum, sed consilium.

August in Ench. ca. 73. Matth. 6.

¶ Item, dicit Aug. Quòd illa sponsio. *Dimitte nobis debita nostra, &c.* A multis impletur, qui non diligunt inimicos: ergo, &c.

August. Matth. 6.

¶ Item, dicitur in Gloss. *Diligite inimicos vestros. Hoc perfectum: sed non impossibile.* Sed consilia perfectionis sunt, non præcepta: ergo, &c.

Gloss. interl. super Lucæ 6.

¶ Item, Ambr. *Hic Ecclesia non lacte imbuitur: sed validioris cibo charitatis roboratur.* Ergo diligere inimicum perfectæ charitatis est: ergo consilium.

Ambros.

RESOLVTIO.

Diligere inimicum affectu solùm, simpliciter præceptum est: diligere verò etiam affectu, imperfectis, est consilium, perfectis debitum.

¶ Resp. Est dilectio affectus, & effectus simul: & est dilectio affectus tantū. Dilectione affectus omnibus præcipitur diligere inimicum: dilectione verò etiam effectus imperfectis est consilium, perfectis verò debitum sc. congrui: & secundū aliquos debitum præcepti. Vnde Aug. *Perfecti inimicos diligunt, & eis benè faciunt: & hoc non est tanta multitudinis: quanta in oratione dominica exauditur.*

August.

¶ Ad illud Ambros. Quo dicitur supra humanam naturam est diligere inimicum. Dicendum, quòd hoc dicitur, quia natura non mouet nisi ad diligendum amicum: tamen natura est susceptibilis gratiæ: cùm qua potest diligere inimicum: & ita non est impossibile.

ARTICVLVS III.

An inimicis benefacere omnibus præceptum sit?

TErtiò quæritur: Vtrùm benefacere inimicis, omnibus sit præceptum: quia dicitur, *Benefacite his, qui oderunt vos.* Vnde quæritur, vtrùm inimicum effectu præcipiatur diligi. Nam vbi præcipitur de dilectione affectus, præcipitur de dilectione effectus: quia sic dicitur. *Diligite inimicos vestros*, quòd pertinet ad affectum, *benefacite his, qui oderunt vos.* quòd pertinet ad effectum: ergo si in præcepto est dilectio affectus, similiter & dilectio effectus.

Matth. 5. & Luc. 6. Ibi. Ibidem.

¶ Item, *Si occurreris boui inimici tui erranti, reduc eum.* Gl. *Quasi diligite inimicos vestros.* Et post: *Si videris asinum odientis te cecidisse sub onere, non pertransibis: sed subleuabis cum eo.* Gloss. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo in lege præceptum est diligere inimicum effectu: ergo omnibus est præceptum.

Exod. 23. Glossa. ibidem. Glossa.

¶ Item, super illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite, & orate, &c.* Gloss. *Contra Ecclesiam tribus modis pugnatur: odio, verbis, cruciatu corporis: econtra Ecclesia diligit, orat, benefacit.* Et hi sunt dilectionis effectus: ergo omnes tenentur ad dilectionis effectum.

Matth. 5. Glossa.

¶ Contra, Aug. Et habetur illa auctoritas in Sent. Distinguendum, vtrùm ille, qui te offendit, rogat te, vt dimittas ei: aut non. Si rogat, & non dimittis: peccata tua nō dimittuntur tibi, nec imples sponsionem illam. *Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus, &c.* Si non rogat, & nō dimittis: nihilominus exaudieris. Ergo videtur, q̀ debet intelligi, quòd dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Petentibus vel rogantibus: ergo non tenetur omnibus dimittere. Sed si non dimittit, non diligit inimicum, effectu.

Dist. 30. cap. Hic solet quæri. Matth. 6. Ibi.

¶ Item, *Non vosmetipsos defendentes charissimi, &c.* Gloss. Aug. *Si vult bonus, vt Deus inimicum puniat; vbi est illud. Diligite inimicos vestros? & illud. Non reddentes malum pro malo? Nonne hoc est malum pro malo reddere?* Bonus igitur potest non diligere inimicum effectu: ex quo bonus vult, vt puniatur & castigetur inimicus.

Rom. 12. Glossa.

RESOLVTIO.

Omnibus profectò in casu necessitatis: & perfectis sc. & imperfectis: licet his minus, illi magis ad hoc teneantur.

¶ Resp. Quidam distinguunt, quòd diligere inimicos præceptum est prælatis & perfectis: imperfectis verò & subiectis non. Sed contra hoc est, q̀ Dominus non solùm discipulis & Apostolis (hoc est) perfectis ista proponebat: sed ipsis turbis & imperfectis. Luc. 6. Vnde supra dicit Gl. Bedæ: quòd in monte sermo perfectus ad Apostolos. Mat. 5. Hic verò leniori sermone ad turbas temperatus per quatur cardinales virtutes sermo comprehenditur.

¶ Propterea dicendum, quòd omnes tenentur diligere affectu & effectu: sed ampliùs; siue ad ampliorem effectum tenentur perfecti, quàm imperfecti: & prælati, quàm subditi. T[illegible]n quia præceptum affirmatiuum obligat semper, sed non ad semper: sicut illud non obligat ad semper, quantùm ad affectum scil. cùm non sumus in consideratione, aut quando dormimus: ita non ad semper obligat quantùm ad effectum.

¶ Si autem quæratur: quo tempore obliget ad effectū: Dicendum, quòd obligat, quandocunq; inimicus * est in casu necessitatis.

* Attende particulā hanc: & dissolues contradictionem huius e resolutionis cùm resolutione Articuli immediatè præcedentis.

¶ Ad illud ergo, q̀ obijcitur suprà: quod perfectionis est & charitatis perfectæ. Dicendum, quòd intelligitur de perfectione sufficienti ad salutem, non de perfectione super erogationis: imperfectio enim est, quantùm ad salutē diligere amicum: sed perfectionis sufficientiæ est diligere inimicum: & diligere (inquam) inimicum affectu & effectu in casu necessitatis est perfectionis sufficientiæ, & saluti necessariæ: diligere verò effectu non in tempore necessitatis, est perfectionis supererogationis.

¶ Ad illud verò, q̀ obijcitur per illud Aug. Si non rogat inimicus, vt sibi dimittatur, & non dimittitur: nihilominus

minus exauditur. Dixerunt quidam, ꝙ tenetur dimittere rancorem etiam non petenti: sed non signa rancoris. Sed meliùs dicendum, ꝙ est dimittere rancorem, qui comitatur appetitum vindictæ: & est dimittere punitionē, quàm comitatur zelus iustitiæ. Tenemur ergo rancorem dimittere ex appetitu vindictæ: sed non tenemur dimittere punitionem ex zelo iustitiæ. Intelligendum est ergo: quòd exauditur, etiam si non dimittat punitionem ex zelo iustitiæ.

Glossa super Roman. 12. ¶ Ad aliud verò respondet Gloss. super illud: *Non vosmetipsos defendentes charissimi: sed date locum iræ. Cùm homo iustus, & homo malus velint à Domino vindicari: in quo discernuntur?* Respondet: *Bonus magis cupit inimicum corrigi, quàm puniri: nec delectatur pœna inimici, quia non odit eum: sed in iustitia Dei, quia diligit Deum: & ideo hoc ei placet, cùm Deo placitum esse iam non dubitet.*

ARTICVLVS IV.

An maius sit amicum quàm inimicum diligere?

QVARTÒ quæritur? Vtrùm maius sit diligere amicos, quàm inimicos?

Matth. 5. ¶ Ad quod sic: super illud: *Si diligitis eos, qui vos diligunt,* &c. Gloss. *Perfectionis cumulus est diligere inimicos: sed diligere amicos non est perfectionis.* Ergo maius est diligere inimicos, quàm amicos.

¶ Item, hoc est de superadditis à Domino: nam in lege præcipiebatur. *Diliges amicum tuum sicut teipsum:* sed in Euangelio præcipit Dominus, *diligere inimicos:* ergo maius est.

¶ Contra. In ordine diligendorum ex charitate vltimus gradus ponitur diligere inimicum. Sed ipsa charitas diligit ordine, quo ampliùs est diligendum: Ergo maius est diligere amicum, quàm inimicum.

¶ Item, odire amicum, maius est malum, quàm odire inimicum: ergo diligere amicū, quòd est eius oppositum, erit maius bonum, quàm diligere inimicum.

RESOLVTIO.

Diligere amicum maius est, quia magis debitum: diligere verò inimicum maius, quia magis gratuitum.

¶ Resp. Magis bonum dicitur duobus modis: aut quia magis debitum: aut quia magis gratuitum. Sed quia magis debitum: tūc magis bonum est diligere amicum: sed quia magis gratuitum: tunc magis bonum est diligere inimicum: quia repugnant merita. Tn̄ si comparentur bonum debitum, & bonum gratuitum: absolutè magis bonum est, quod est magis gratuitum: & ita absolutè maioris virtutis est diligere inimicum, quàm diligere amicum.

¶ Ad illud ergo, ꝙ obijcitur: quòd in vltimo gradu in ordine diligendorum ponitur diligere inimicum. Dicendum, ꝙ in alijs est aliqua pronitas naturæ, vt in dilectione Dei, & sui, & amicorum & huiusmodi: in hoc autem non:

Psal. 118. Vnde super illud: *Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de*

Glossa. *lege tua.* Gloss. *Diligere inimicos nostros.* Et similiter dicit Amb.

Eadē super Lucæ 6. in Gl. Quòd diligere inimicos est supra nostram naturam. Vnde sicut miraculum dicitur, ad cuius oppositū ordinat natura: ita cùm ratio coniuncta sensualitati non sufficiat ad diligendum inimicum, sed ordinet ad non diligendū: quòd contra istum ordinem est, mirabile dicitur.

¶ Ad aliud dicendum: ꝙ illa ratio arguendi in oppositis non habet locum in illis, in quibus est consequentia econtrariò: hoc est magis malum illo, ergo eius oppositum est magis bonum alterius opposito. Et vniuersaliter in coordinatis secundùm consequentiam non conuersim, vt patet in sensu, & vita: sensus enim supponit vitam: non sequitur aūt: magis malum est priuatio vitæ, quàm sensus: ergo magis bonum est vita, quàm sensus. imò econtra, sicut patet in fide, & charitate: maius malum est oppositū fidei scil. infidelitas, quàm oppositum charitatis sc. inuidia, vel cupiditas: Non tamen maius bonum est fides, quàm charitas: imò potiùs econtrariò. Simili modo est hic: nam dilectio inimici ex charitate supponit dilectionem amici: & ideo non sequitur: maius malum est odire amicum, quàm inimicum: ergo maius bonum est diligere amicum, quàm diligere inimicum.

ARTICVLVS V.

An magis meritoria sit dilectio inimici, quàm amici?

QVINTÒ quæritur: Vtrùm magis meritoria sit dilectio inimici, quàm amici? & iterum. An motus charitatis intensior sit in amicum, quàm in inimicum? Ad ꝙ sic: Motus charitatis in amicos nullum habet impedimentum: Motus charitatis in inimicos habet impedimentum: ergo intēsior est motus charitatis in amicos, quàm in inimicos: ergo per consequens magis meritorium.

¶ Item, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis:* Ergo secundùm hoc motus charitatis non potest esse magis meritorius, quàm in diligendo amicum. Ioan. 15.

¶ Contra. Carnalis affectus aut naturalis immiscet se quandoq; in dilectione amicorum, non autem in dilectione inimicorum: ergo purior est motus charitatis in inimicum, quàm in amicum, ergo intensior: & magis meritorius.

RESOLVTIO.

Diuerso respectu tum hac, tum illa magis meritoria est.

¶ Resp. Motus charitatis dicitur duobus modis intēdi: ratione principij, & ratione finis. Ratione principij intensior est motus in inimicum: quàm in amicum: quia maior est conatus in eliciēdo motum. Sed ratione finis intensior est motus in amicum, quàm in inimicum: quia cùm in virtute sit motus in amicum quàm in inimicum: quia cùm in virtute sit difficile, & bonum: magis trahit bonum, & mouet ad diligendum amicum, quàm inimicum: cùm enim virtus sit circa bonum, & difficile, intenditur motus ex conatu circa difficile & ex dilectione boni.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur? quòd magis meritorius erit motus iste, quàm ille. Distinguendum, quòd est meritum dimissionis pœnæ: & est meritum vitæ æternæ. Charitas ex parte difficultatis meretur dimissionem pœnę: ex parte intentionis boni, meretur vitam æternam. Pari igitur charitate existente, motus charitatis in inimicum ratione difficultatis erit magis meritorius dimissionis pœnæ: Motus verò charitatis in amicum ratione intentionis boni erit magis meritorius vitæ æternæ.

¶ Ad aliud verò, ꝙ obijcitur: quòd motui charitatis ad amicum immiscet se amor carnalis, vel naturalis. Dicendum, quòd mixtio carnalis amoris benè diminuit motum charitatis: sed amor naturalis non: imò confert, sicut dispositio materialis formæ: ita quod ex occasionibus naturalis amoris fit etiam feruentior motus charitatis.

ARTICVLVS VI.

An licitum sit, inimicis maledicere.

SEXTÒ quæritur? Vtrùm maledicere inimicis, sit licitū. Et videtur, ꝙ non, per illud præceptum. *Benedicite his, qui oderunt vos.* Si ergo benedicere inimicis est præceptum: Ergo maledicere est prohibitum: non ergo est licitum. Matth. 5.

¶ Item, *Benedicite & nolite maledicere.* Rom. 12.

¶ Item, *cùm Michael Archangelus cùm Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore: Non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit. Imperet tibi Dominus.* Si ergo Angelus non est ausus maledicere Diabolo, qui est pessimus: ergo multò magis homo non debet alteri homini maledicere. Iudæ Canonica Epistola.

¶ Item, *Cùm maledicit impius Diabolum, malè dicit ipse animam suam.* Ergo non est à Diabolo maledicendum: ergo multo magis nec homini. Ecclef. 21.

¶ Contra, sicut dicit Aug. Multæ imprecationes inueniuntur in prophetis aduersus inimicos; quæ maledictiones putantur: sicut est illud: *Fiat mensa eorum ipsis in laqueum.* Et illud: *Fiant filij eius pupilli & vxor eius vidua.* August. in sermone Domini in mōte. Psal. 68. Psal. 108

¶ Item, Dominus maledixit ciuitatibus, quæ noluerūt recipere verbū suū. *Væ tibi Chorozaim: Væ tibi Bethsaida,* &c. Matth. 11.

¶ Item,

¶ ITEM, maledixit Apostolus summo sacerdoti dicens: *Percutiet te Dominus paries dealbate.* vnde sequitur, *Summum sacerdotem Dei maledicis.* — Act. 23.

¶ ITEM, Helias maledixit duobus principibus quinquagenariis dicens: *Si homo Dei sum, descendat ignis, & deuoret te & quinquaginta tuos.* — 4 Reg. 1.

RESOLVTIO.

Inimicorum quidem vitio male dicere licet: naturae autem male [illegible] licet.

¶ Ad [illegible] respondet Aug. [illegible] sermone Domini in monte, [illegible] *per praedictionem, quid esset futurum [illegible] praemonitum.* Vnde [illegible] Apostolus [illegible] quod praedicerent. [illegible] Dominus: *Vae tibi Corozaim*, [illegible] Non aliud [illegible] infidelitatis quod futurum Dominus non [illegible] optabat, [illegible] cernebat. Similiter [illegible] Apostolus: *Percutiet te Dominus*, non percutiat. — Aug. li. 1. c. 35 & 42. Matth. 11. Act. 23.

¶ Ad alia autem, quae videntur in optationem sonare, non [illegible] ditionem: vt est illud. *Fiat mensa eorum illis in laqueum.* &c. Et illud: *Fiant filii eius orphani*, &c. Et illud 4 Reg. *Descendat ignis de caelo.* Respondet Aug. Quod etiam dicitur per praedictionem: quamuis videantur [illegible] per imprecationem. Vnde dicit: *Solent Prophetae maxime in figura imprecantis futura praedicere, sicut figura [illegible] quae futura erant, cecinerunt: sicut illud. Quare fremuerunt gentes*, &c. *Non dixit Quare frement gentes*, &c. — Psal. 68. 4 Reg. 1. Augus. in sermone Domini in monte [illegible].

¶ Sed contra istam solutionem obiicitur: Videtur enim quod talia possint imprecari animo optantis: quia nos [illegible] voluntates nostras conformare voluntati diuinae [illegible] Eccl. *Altissimus odio habet peccatores*, & [illegible] Sed odio habere [illegible] aliud est, quam [illegible] Ergo & nos [illegible] malum optare [illegible] animo optantis malum imprecari seu dicere. Similiter [illegible] Propheta. *Iniquos odio habui*: ergo malum [illegible] animo optantis dicere: *Fiat mensa eorum*, &c. — Eccle. 12. Psal. 118. Psalm. 68.

¶ RESP. Dicendum ad primum, quod in peccatore considerantur duo: vitium, & natura. Dominus ergo odio [illegible] in peccatoribus vitia non naturam: quoniam ipse [illegible] fecit, non vitium: & secundum quod dicitur: *Nihil odisti eorum quae fecisti Domine.* — Sap. 12.

¶ Ad aliud dicendum: secundum quod ibidem dicitur in Gloss. super illud: *Iniquos odio habui.* Gl. *Natura quam Deus creauit, in omnibus est diligenda & adiuuanda: iniquitas autem [illegible] & [illegible] tenda.* Sunt ergo diligendi, qui persequuntur [illegible] homines: & odiendi quia mali: aliquos enim [illegible] odire possumus: vt quos dilexeris odisse, & quos oderis amasse conuenias. — Psal. 118.

ARTICVLVS VII.

An pro omnibus inimicis orandum sit?

VLTIMO quaeritur: Vtrum pro omnibus inimicis sit [illegible]. Quod arguitur ex [illegible], quod hic sine exceptione [illegible] *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* — Matth. 5.

¶ CONTRA [illegible] *Est peccatum ad mortem: Non pro illo dico, vt roget quis.* [illegible] pro inimico peccante ad mortem non erit [illegible]. — 1 Ioan. 5.

¶ Si dicatur, sicut dicit Aug. Quod est peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem. *Peccatum ad mortem [illegible] post agnitionem Dei, quae per gratiam [illegible] data est, [illegible] fraternitatem, & ad [illegible]. Peccatum autem non ad mortem [illegible] fraternitatis [illegible] exhibuerit propterea Paulus [illegible] non orat pro Alexandro [illegible] frater erat: & ad mortem [illegible] fraternitatem [illegible] peccauerat. Sic enim dicitur.* Alexander aerarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Deus secundum opera eius. [illegible] sermonibus. Pro hu[illegible] non [illegible] orat.* — Augus. in ser. mone Domini in monte lib. 1. c. 43. *2. ad Timoth. 4.

[illegible] Alexandro [illegible]

[illegible] cognoscatur. vnde dicit ibidem. *In prima mea defensione nullus mihi *affuit: sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.* Secundum hoc ergo dicitur: quod sit [illegible] orandum pro illis, qui nos persequuntur, vt pro [illegible] etiam fratrum peccatis intelligatur non praeceptum esse, vt oremus. — * Alias, affuit.

¶ CONTRA: de nemine desperandum est, dum est in via: vnde dicitur in Prologo super Psalterium, Nulli quantumcunque delinquenti de venia [illegible] diu Dei [illegible] dendum [illegible] supra poenitentem [illegible] cernimus, David homicidam, & adulterum [illegible] 2. Reg. [illegible] per poenitentiam factum prophetam nullus [illegible] locus diffidentiae relinquitur. Si ergo de nemine [illegible] cunque peccante est desperandum [illegible] habet esse orandum. Item dicit Aug. super illud. *Nolite iudicare, & non iudicabimini: Duo sunt, in quibus [illegible] iudicium cauere debemus: cum incertum est, quo animo quicquid factum sit: vel cum incertum est, qualis futurus sit, qui nunc malus apparet.* Peccantem igitur aliquem peccantem ad mortem: incertum est [illegible] pro eo non orare [illegible] futurus [illegible] & temerarie. Si ergo non est temere iudicandus, pro ipso erit orandum. — August. in sermone Domini in monte super Matth. 7.

RESOLVTIO.

Pro omnibus inimicis quantumuis peruersis orandum est: nisi constiterit eos esse in peccato mortali finaliter.

¶ PROPTEREA, dicendum quod peccatum ad mortem dicitur dupliciter. Vno modo, quod [illegible] ad non poenitendum: & [illegible] quod [illegible] in spiritum sanctum: vt inuidia fraternae gratiae, & huiusmodi dicuntur peccata ad mortem: de quo dicit Aug. Quod tanta est labes istius peccati, quod deprecandi humilitatem subire non possit [illegible], vix possit, hoc modo accipiendo peccantem ad mortem: adhuc est pro ipso orandum. Alio modo dicitur peccatum ad mortem, in quo est necessitas ad non poenitendum, quod est peccatum mortale finaliter: & pro peccante sic ad mortem, si constiterit non erit orandum.

¶ VNDE ad illud Aug. Dicendum secundum eundem in lib. Retractationum. Quod dixi non orandum pro quibusdam: iuxta illud Ioan. *Est peccatum ad mortem*, &c. Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierint hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum: nec pro illo imprudenter exoratur, de quo non desperatur. — August. lib. 1. c. 19.

¶ ITEM, quaeritur: Vtrum orationem facere contra inimicos, aliquo modo sit licitum? Quod non, videtur per praedictum praeceptum. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* — Matth. 5.

¶ ITEM, *Benedicite & nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes.* Sed [illegible] malum optare & maledicere & malum pro malo reddere: ergo orationem facere contra inimicum non erit aliquo modo licitum. — Rom. 12.

¶ CONTRA. Nos legimus sanctos orationem fecisse contra inimicos, non vt corrigerentur, sed vt destruerentur: vnde, *Disperge illos in virtute tua.* Item, Helias rogauit, vt ignis descenderet de caelo, qui consumeret duos principes quinquagenarios. 4. Reg. 1. — Psalm. 58.

¶ ITEM, Martyres orant contra inimicos dicentes: *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra.* — Apocal. 6.

¶ RESP. Secundum Aug. Quod sancti non contra ipsos homines orant, sed contra regnum peccati, vt destruatur: quod qui orant, & pro malis orent sanabiles sunt: & contra illos [illegible] insanabiles esse voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos non est maleuolus tortor, sed iustissimus ordinator. — August. lib. allegato. cap. 45.

¶ ET per hoc soluuntur obiecta. Sic igitur terminatur inquisitio circa praecepta generalia agendorum, & vitandorum.

QVÆSTIO LX.

De Præceptis Intentionis.

In tria Membra, & septem Articulos diuisa.

ATTENDITE *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Hic disponuntur præcepta ad ordinandam intentionem faciendorum, & vitandorum. Ordinantur autem tripliciter: quantum ad rectitudinem, quantum ad simplicitatem, & quantum ad discretionem: quantum ad rectitudinem, cum dicitur: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* quod explanatur in triplici opere iustitiæ. Eleemosyna, oratione, & ieiunio: Eleemosyna est opus debitum respectu proximi: oratio respectu Dei: ieiunium respectu sui. Et postmodum concluditur generaliter. *Thesaurizate vobis Thesauros in cælo.* Quantum ad simplicitatem, cum dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Et postea ad duplicitatem intentionis tollendam dicitur: *Nemo duobus Dominis potest seruire:* &c. Additur. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis.* Quantum ad discretionem intentionis dicitur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini* &c. *Attendite a falsis Prophetis.* Ex quibus relinquitur, quòd ordinata intentio debet esse recta, simplex, & discreta.

Ibi. | Math. 6 | Ibi.

¶ ET NOTA: quòd ad ordinatam intentionem requiritur amor boni, & discretio boni. Amor boni, ne sit libido in voluntate: discretione sit error in electione.

¶ ITEM, amor boni ordinatus est, cùm est in finē summum bonum: & cum non ponit finem alium, qui non ordinetur in summum bonum: ex ordine amoris in finem summum bonum est rectitudo intentionis: ex exclusione finis alterius simplicitas intentionis.

¶ SECVNDVM hoc quæruntur tria circa præcepta ordinantia intentionem. Primò, de rectitudine intentionis. Secundò, de simplicitate intentionis. Tertiò, de discretione eiusdem.

MEMBRVM I.

De rectitudine intentionis.

CIRCA rectitudinem intentionis quærenda sunt duo. Primò, vtrum generaliter omnes actiones spirituales & corporales teneamur referre in finem Deum. Secundò, vtrum spirituales actiones possint referri ad finem temporalem.

ARTICVLVS I.

An generaliter actiones omnes nostras, & spirituales (scilicet) & corporales in [illegible] finem referre teneamur?

PRIMO quæritur. Vtrùm omnes actiones teneamur referre in Deum. Ad quod arguitur: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,* &c. Ex quo manifestè accipitur: quòd opera iustitiæ teneamur referre in Deum vnde ibi exemplificat Saluator de Eleemosyna, ieiunio, & oratione. Cum ergo doctrina saluatoris nihil habeat diminutum, sicut nec superfluum, & non faciat mentionem nisi de operibus iustitiæ referendis in Deum: alia opera non tenemur referre in Deum.

Matth. 5

¶ ITEM, sunt quidam actus, quorum est principium vis vegetabilis, & vis sensibilis. Sed nec vis vegetabilis, nec sensibilis [illegible] per apprehensionem in Deum ergo [illegible] secundum quòd sunt à suis potentijs, non sunt referendi ad Deum: actus ergo illos, manducare, ambulare, & huiusmodi non tenemur referre ad Deum.

¶ ITEM, non omnes actus tenemur referre ad Deum: non referre peccatum est: referre autem bonum. Si ergo [illegible] immediate se habent referre, & non referre: & referre bonum, non referre malum: ergo omnis actus noster de necessitate est bonus aut malus: nullus ergo est indifferens: quod est inconueniens.

¶ ITEM, intendendo finem naturæ, non declinat [illegible] quod [illegible] secundum naturam: ergo non peccamus. [illegible] dicit Ioan. Damascenus: *Manentes in eo, quod est secundum naturam, in virtute sumus: declinantes ab eo, quod est secundum naturam, in id quod est præter naturam, in malitia sumus.* Si ergo aliquis manducet propter sustentationem naturæ, vel generet filios ex sua vxore propter multiplicationem naturæ, nihil intendens amplius, non peccabit: [illegible] finem naturæ: ergo quamuis non referat ad Deum, non peccat.

Damasc.

¶ ITEM, nullus faciendo quod debet, peccat: sed quilibet debet sustentare naturam, & honorare parentes: ergo sustentando naturam, & parentes honorando; non intendendo nisi debitum naturæ: non peccabit. Non tenetur ergo referre istos actus in Deum ratione necessitatis.

¶ ITEM, non tenemur ad ea, quæ non sunt in potestate nostra: sed motus gratiæ non sunt in potestate nostra, non tenemur ad motus gratiæ. Si ergo referre in Deum, est motus gratiæ. quia ex charitate relinquitur quod non tenemur actiones referre in Deum.

¶ ITEM, si dicatur quòd tenemur actus omnes referre in Deum propter hoc, quòd dicit Apost. *Siue manducatis, siue bibitis siue aliquid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Arguitur sic: Sancti implent hoc præceptum Apostoli: ergo omnes motus suos & actus referunt in Deum: ergo & actus veniales. Si ergo motus veniales nō sunt referendi in Deum: ergo, &c. 1. ad Cor. 10.

¶ CONTRA, expressè videtur præceptum Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite.* Ibi.

¶ ITEM, Rationalis creatura totam se debet Deo: ergo & totam suam essentiam, totam suam virtutem, totam suam actionem: ergo omnem actionem suam debet referre in Deum.

¶ ITEM, omnis actio magis ordinabilis est in finē summum quàm in alium: quemadmodum ipsa prima causa magis est causa cuiuslibet actionis bonæ, quàm causa alia. Si ergo rationalis creatura tenetur ad ordinationem actionis: tenetur ordinare actionem quamlibet in summum finem, cùm magis ad illum ordinetur, quàm ad alium.

¶ ITEM, *Nemo potest duobus Dominis seruire:* vbi dicit glossa Rabani. *Quicquid facis, facis vel ex amore Dei, vel ex seruitute Diaboli.* Ergo omnis actio de necessitate bona est, vel mala: nulla ergo indifferens: quod est inconueniens. Math. 6. | Glosa.

¶ ITEM, super illud: *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum,* &c. Dicit Gloss. Hieron. *Nihil medium, vnum boni auctoris bona sint opera & mali mala.* Sed necesse est auctorem esse malum, vel bonum: ergo necesse est, quòd opera sint bona, vel mala: Nec est ibi medium: nulla ergo indifferentia. Math. 12 | Glosa.

¶ ITEM, Hieron. dicit: *Non indifferentia sunt inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant.* Si ergo non est accipere indifferens in operibus illis: ergo pari ratione nec in operibus alijs. Hieron. in Epistola ad Augustinum de ceremonialibus.

¶ ITEM, maius est progredi in factum, quàm in verbum. Si ergo in verbo non inuenitur indifferens: nec in facto inuenietur. Quòd autem non inueniatur in verbo indifferens, patet: quia aut est in debitum finem, & tunc est laudabile & bonum: aut caret debito fine, & est otiosum: aut est in finem malum, & est perniciosum: & vtroq; modo est reprehensibile malum.

RESOLVTIO.

Generaliter, omnes actus virium rationalium, viriumq; rationis imperio subiectarum ad Deum finem pro loco & tempore referre tenemur. Actus autem virium rationi vix obedientium minime referre cogimur.

¶ AD hoc respondent quidam dicentes: quod illud præceptum Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite,* [illegible] negatiuè, id est, nihil faciatis contra gloriam Dei. 1. ad Cor. 10.

¶ CONTRA; [illegible] præceptum: [illegible]

¶ ITEM, [illegible] quòd [illegible] *facite in gloriam Dei,* id est [illegible]

contra gloriā Dei. Contra. Secundùm hoc per istud præceptum nihil ponitur nisi facere & negatio quædam: ratione eius quod est *facere*, non intelligitur dispositio ad mercedem seu ad meritum: quia, *facere*, in se commune est: nec ratione negationis simili modo: quia per negationem non est positio debiti finis meriti, sed remotio indebiti: ergo nec virtute totius erit dispositio ad meritum. Sed siue esset præceptum siue consilium, esset disponens ad meritum: sequeretur igitur, quòd nec esset præceptum, nec consilium. Item, cùm dicitur: *in gloriam*, notatur habitudo finis ad actum: ergo cùm dicitur: *facite in gloriam*, notatur relatio actus ad finem. Non igitur intelligitur negatiuè.

¶ Alii dicunt, quòd intelligitur positiuè: sed est consilium non præceptum. Contra obijcitur à contrario sensu. Facere contra gloriam Dei est prohibitum: ergo facere in gloriam Dei est præceptum. Item, præceptum est datum à circumstantijs actionum: sed inter omnes circūstantias finis est maximè debitus: ergo inter omnes circumstantias finis est maximè in præcepto. Quòd autem aliæ circumstantiæ actionum sint in præcepto, manifestum est. Nam in præcepto est moderatè comedere, sobriè bibere, præterea & debito tempore, & ita de alijs circumstantijs: ergo multo fortiùs propter Deum comedere. In præcepto igitur est, omnes actiones referre ad Deum.

1. Cor. 10. ¶ Propterea alij dicunt, quòd præceptum est de actionibus referendis in Deum, *omnia in gloriam Dei facite*, & intelligitur habitu, non actu: ita ꝙ quicquid faciat homo, & si non actu referat in Deum: tamen si interrogaretur, propter quid illud faceret: tenetur verè respondere, quòd illud vult facere propter Deum. Contra: reddit inconueniens quod priùs: scilicet, quòd aliquis iustus implet illud præceptum dormiendo: quia in eo est habitus charitatis: secundùm quem interrogatus diceret, quòd vult comedere, & bibere propter Deum: meretur igitur dormiendo.

¶ Item, distinguitur inter præcepta affirmatiua, & negatiua: quia præcepta negatiua obligant semper, & ad semper: præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper. Sed si intelligeretur relatio secundùm habitum, illud præceptum, quòd affirmatiuum est, semper obligaret; quia omnia bona semper habitu referenda sunt in Deum, semper enim quilibet tenetur esse paratus, quòd si cogitaret de Deo, quòd ad ipsum referret suam actionem: Non ergo intelligitur illud præceptum in habitu.

Ibi. ¶ Propterea alii dicunt: quod præceptum, *Omnia in gloriam Dei facere*. intelligitur, vt semper referamus ad Deum omnem actum bonum; cùm conuertimur omninò super collationem actus ad finem, ad quem debet vis rationalis actum ordinare.

¶ Ad primum ergo obiectum respondet: quòd Saluator facit mentionem de operibus iustitiæ referendis in Deum & etiam de alijs: secundùm quod debitum relationis geminatur. Est enim debitum operis, & debitum facientis. Ex ipso debito operis opera iustitiæ seu spiritualia debent referri in Deum: quòd expressit Saluator cùm dixit: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*. Ex

Matth. 5. debito verò facientis debent referri alia opera, quorum principium est liberum arbitrium: & hoc cum conferimus actiones ad finem principalem: quòd insinuauit Sal-

Matth. 6. uator, cùm dixit. Matth. 6. *Thesaurizate vobis Thesauros in cælo*, &c. Et exposuit Thesaurum intentionem cordis cùm subiunxit. Vbi est enim Thesaurus tuus, ibi est cor tuum.

¶ Ad secundùm dicerent: quòd actus vegetabilis, & sensibilis distinguuntur. Nam quidam sunt inuoluntarij: vt attrahere, & digerere ex parte vegetabilis: imaginari, terreri, ex parte sensibilis, & istos actus, quia non sunt in potestate arbitrij, non tenemur referre. Alij verò sunt voluntarij, hoc est, subditi imperio rationis, quemadmodum comedere, coire, ex parte vegetabilis: videre, ambulare, ex parte sensibilis. Secundùm hoc ergo, quòd actus isti principium habent vim imperantem, motum scil. rationalem: tenemur actus istos referre in Deum eo modo, quo dictum est. Secundùm autem, quòd habent principium vires facientes, vel elicientes motum, non tenemur ipsos referre.

¶ Ad tertium dicendum: ꝙ quantùm est ex imperio virtutis rationalis, nullus motus est indifferens. Sed potest esse indifferens, secundùm quod ex vi sensibili: vel alia, quæ non secundùm se nata est ad summum bonum. Item, potest esse indifferens ratione status, vt in puero, & alienato.

¶ Ad quartum respondent, quòd actus vegetabilis, & sensibilis in homine & virium inferiorum sublimiorem habent ordinem in homine, quàm in cæteris. Ordinantur enim ad vim rationalem, seu sub vi rationali: & ideò actus eorum, qui subiecti sunt rationi, referendi erunt ad finem vis rationalis, qui est Deus: & hic est finis naturæ rationalis, in quantùm rationalis est. Ideo quamuis rationalis referat ad finem vegetabilis, vel sensibilis actum vegetabilis, vel sensibilis, considerando finem vltimum Deum, non priuando neque ponendo ipsum: nihilominus tamen si non referat in Deum, omittit vel declinat ab eò, quod secundùm naturam suam est: quæ est scilicet rationalis: & in hoc dicunt, quòd transcendit Theologus philosophum moralem.

¶ Ad quintum dicendum: quòd aliquis facit quod debet, non tamen prout debet: & aliquis facit quod debet, prout debet. Faciendo quis quod debet, & tamen non prout debet, peccat; & hoc vel committendo, sicut ieiunando, vel orando propter vanam gloriam: vel omittendo, vt in Eleëmosynam dando, cùm est in comprehensione summi boni: & non referendo ad ipsum. Faciendo verò quod debet, & prout debet, non peccat.

¶ Ad sextum respondendum: ambiguum verbum est, quod dicitur, quòd non tenemur ad ea, quæ non sunt in potestate nostra. Nam non habens gratiam: & si non habeat potestatem ad opera gratiæ: habet tamen facultatem faciendi, quòd in se est, vt habeat gratiam: ex qua est potestas ad opera gratiæ. Præterea, potestas referendi in Deum sicut in finem, dupliciter est: aut sicut in finem ꝓximum, & hoc modo referre actum est ex potestate gratiæ: aut sicut in finem remotum, & hoc modo est referre in potestate rationalis naturæ. Vnde (propriè loquendo) ex potestate naturæ possumus referre actiones nostras ad Deum, non in Deum: ex potestate gratiæ in Deum. Ad enim dicit circumstantiam causæ finalis remotæ: vt cùm dico: vado ad Ecclesiam, adhuc remotus sum. In, verò dicit circumstantiam causæ finalis proximæ: vt cùm dico: vado in Ecclesiam, cùm proximus sum.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd cum dicitur: *Omnia in gloriam Dei facite*: Non intelligitur nisi de actibus ordinabilibus in Deum: & ideo nulla est obiectio de venialibus. 1. Cor. 10.

¶ Sed contra hanc responsionem obijcitur. Nam (sicut dicit August.) *Planum est in toto vitiorum genere libidinem dominari*. In omni ergo actu vitioso mouet libido, quàm diffinit August. improbam voluntatem: vbi ergo non mouet libido, non erit opus vitiosum. Sed si aliquis comedat ea sola intentione, vt sustentetur respiciens ad necessitatem naturæ solùm, & tamen considerans Deum, non referendo vltra; non mouetur libidine: ergo suum comedere non erit vitiosum: ergo nec contra aliquod præceptum: Ergo non tenetur talem actum referre in Deum. Aug. in 1. lib. de libero arbitrio c. 4.

¶ Item, super illud: *Non enim quod volo, hoc ago*, &c. Distinguitur triplex velle, velle naturæ, velle gratiæ, velle vitij: velle autem comedere ad sustentationem naturæ solum, velle naturæ est: velle verò comedere propter voluptatem quæ quæritur in cibo; velle vitij est: velle verò comedere ad hoc, quòd sustentetur in seruitio Dei; velle gratiæ est. Sicut ergo velle gratiæ laudabile est, & velle vitij vituperabile est: ita velle naturæ indifferens. Si ergo ratio sequatur voluntatem naturæ, non merebitur, nec demerebitur. Sed si faceret contra aliquod præceptum necesse erit demereri: nullo ergo præcepto tenetur referre talem actionem in Deum. Rom. 7.

¶ Resp. Dicendum, ꝙ præceptum de actionibus referen-

rendis in Deum, affirmatiuum est, & obligat semper, sed non ad semper: sed pro loco, & tempore: hoc est, cùm actu cogitatur de opere, & fine principalis operis sc. Deo: & de ipsa obligatione, quàm debet rationalis creatura Deo: totam.n. se debet Deo, & secundùm ipsam substantiam, & virtutem, & actionem. Distinguendum est tñ, sicut prius secundùm Io. Dam. q quædam vires sunt obedientes rationi, quædam verò non obedientes rationi: vt nutritiua, & augumentatiua, & respiratiua: & quia actuum harum virium non sumus Domini: quia nō subijciuntur arbitrio rationis: ideo non tenemur istos actus referre. Item, sunt vires obedientes rationi, vt apprehensiua sensibilis, & motiua, & manducatiua sumens cibum, & huiusmodi; & horum actuum, secundùm q sunt ex imperio rationis, dominium habemus: & ideo tenemur ipsos referre in Deū triplici cognitione rationis concurrente; consideratione sc. operis: consideratione finis, qui est Deus, consideratione obligationis, qua rationalis creatura tenetur Deo. Item, sunt vires rationales, vt vis cognitiua, vis electiua, vis etiā interpretatiua: & harum actus: tenemur referre in Deum duplici consideratione concurrente, vid. consideratione operis, & consideratione finis. (Quia.n. isti actus rationales sunt; non necessarium est tertium sc. consideratio obligationis. Et hoc modo intelligitur illud præceptum. *Omne, quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite.* Et ibi Gloss. *id est, ad gloriam Christi facite, non vestram: & non solùm, quæ facitis verbo, aut opere, sed omnia fint ad gloriam Christi: etiam cogitationes, & si qua sint alia.* Quòd intelligendum est secundùm distinctionem, quæ supra posita est.

* Aliàs, suam.

Coloss. 3. Glossa.

¶ Ad illa verò duo, quæ consequenter obijciuntur: q rationalis creatura debet totam suam actionem Deo: & ideo tenetur referre ad finem Deum: & iterum tenetur ordinare suas actiones in finem Deum. Quòd concedendum est secundùm distinctionem, quæ supra posita est.

¶ Ad illud verò, q quartò obijcitur ex Gl. *Quicquid facis, facis ex seruitute Diaboli: vel ex amore Dei.* Dicendum, q ex non notat ibi causam mouentem, sed concomitantem: vt sit sensus: quicquid facis, facis vel ex amore Dei, id est, existens in charitate: vel ex seruitute Diaboli, id est existens in peccato: non quod procedat quodlibet opus ex amore Dei mouente, vel ex seruitute Diaboli.

Math. 6.

¶ Similiter intelligendum est illud Hier. *Nihil medium, quin boni auctoru bona sint opera, & mali mala.* Intelligitur enim de opere, secundùm quòd exit à rationali creatura affecta secundùm bonitatem & malitiam: non de opere secundùm se.

Hier. sup Matt. 12.

¶ Ad illud verò, Hieron. ad August. Dicendum, quòd intelligebat de operibus cæremonialibus: prout opinabatur ipsa tempore legis esse præcepta, tempore verò gratiæ prohibita: & secundùm hoc dicebat, q non erat indifferens in eis: non autem de ipsis operibus secundùm se. Vnde dicit August. *Cur non dicam præcepta illa veterum sacrorum non bona esse: quia non eis iustificamur: nec tamen mala, quia diuinitùs præcepta: cùm me adiuuet prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse præcepta non bona.* De alijs autem operibus, quæ nec sunt in præceptione, nec in prohibitione, dicit Hieron. *Philosophi disputant bonum est continentia, malum est luxuria: inter vtrumq; indifferens est, ambulare, digerere.* De operibus verò cæremonialibus dicit: *Obseruare cæremonias legis non potest esse indifferens: sed aut malum est, aut bonum est:* Bonum dicit ratione præceptionis tempore legis: malum ratione prohibitionis tempore gratiæ.

Aug. in Epistola quam te scribit ad Hieronymum. Ezech 20 Hieron.

Idem.

¶ Ad illud verò, q obijcitur, quòd circa verbum non potest esse indifferens: ergo nec circa factum. Dicendum, quòd non sequitur: nam verbum secundùm se exit à vi rationabili, & ad finem eius: vnde per supradictam rationem & determinationem cadit, aut in bonum: aut in malum: non autem sic est de quolibet facto.

¶ Ad alia verò, quæ obijciuntur vltimò, quòd si aliquis comedat propter sustentationem naturæ tantùm; quamuis consideret actum & finem Deum: non mouetur libidine. Concedendum est hoc: cùm non consideraret obligationem, qua tenetur natura rationalis Deo: sed si consideraret obligationem, qua totam se debet Deo, & actum, & ipsum Deum: constans est, si non referret, Deo suum debitum denegaret: & ideo moueretur improba voluntate, hoc est, libidine.

¶ Ad illud verò, quod vltimò dicit: quòd si ratio sequatur velle naturæ, quòd non demerebitur. Concedendum est; nisi vbi tenetur ad superiorem ordinem actionis. Dico enim, quòd cùm ratio considerat actum, & finem, & obligationem; quàm debet Deo: tenetur ipsam actionem vt comestionis ordinare, non solùm ad sustentationem naturæ, sed ad sustentationem propter Deum.

ARTICVLVS II.

An actiones spirituales ad finem temporalem referri possint: puta vt alicui prædicare liceat hoc fine, vt sustentetur.

Postea quæritur: Vtrùm actiones spirituales, possint referri ad finem temporalem. Quæritur ergo, vtrùm liceat alicui prædicare isto fine, vt sustentetur; esto quòd non habeat aliunde.

¶ Ad quod arguitur sic: Omnis actio relata ad finem debitum agentis, est bona & ordinata. Cùm ergo prædicanti debeantur temporalia, sicut habetur: *Si nos vobis spiritualia seminamus: non est magnum, si vestra carnalia metamus.* 1.Cor.10.

¶ Item, *Communicet is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Item, *Laborantem agricolam oportet de fructibus percipere.* Item, *Dignus est operarius mercede sua, vel cibo.*

Galat 6. 2 ad Timoth 2. Matt. 10.

¶ Item, *Sumite Psalmum*, sc. prædicationem: *& date tympanum*, sc. temporalis sustentationis. Ergo sustentatio prædicatoris est finis debitus prædicationi. Prædicare ergo tali fine licitum erit & bonum.

Psalm. 8.

¶ Item, necessitas non habet legem. Sed necesse est, quòd prædicator sustentetur. Si ergo non habet aliunde, vt sustentetur: prædicando propter sustentationem, non faciet contra legem.

¶ Item, talis prædicatio non procedit ex mala radice: quia voluntas, qua vult sustentari, licita est: nec refertur ad malum finem: quoniam sustentari necessarium est: ergo talis prædicatio licita est.

¶ Item, *Siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur: in hoc gaudeo: sed & gaudebo.* (Et annunciari per occasionem dicit prædicari propter lucrum temporale.) Si ergo Apostolus non gaudet nisi de bono vel licito: prædicare tali fine erit bonum & licitum.

Philip. 1.

¶ Item, fodienti in vinea licet sperare mercedem sibi promissam & debitam, & propter illam laborare: ergo cùm sustentatio corporalis sit merces promissa prædicatori. *Dignus est operarius mercede sua:* poterit prædicator pro illa prædicare.

Lucæ 10.

¶ Contra, Aug. *Non ideo debemus euangelizare, vt manducemus: sed ideo manducare, vt euangelizemus. Nam si propterea euangelizamus vt manducemus, vilius habemus Euangelium quam cibum, & erit iam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in euangelizando.*

August. in sermone Domini in monte lib 2. cap. 24.

¶ Idem, Aug. *Si coactus inopia rerum, quæ temporali vitæ sunt necessaria, prædico Euangelium: mercedem Euangelij non habebo: quia non ipsum Euangelium diligo, sed eius pretium in illis temporalibus constituo: quòd nefas est fieri: vt non tanquam filius ministret Euangelium: sed tanquam seruus, cui dispensatio credita est.*

Idem in eodem.

¶ Item, præferre viliora melioribus, temporalia spiritualibus, inordinatum & culpabile est. Sed dicit August. *Quæcunq; res propter aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quàm illud, propter quod quæritur: & ideo illud primum est, propter quod istam rem quæris; non ista res, quàm propter aliud quæris: qua propter si Euangelium & regnum Dei propter cibum quærimus: præponimus cibum, & posterius regnum Dei.* Relinquitur ergo, quòd prædicare seu facere aliquod aliud opus spirituale propter emolumentum temporale: est inordinatum & culpabile.

Idem in eodem.

¶ Item, *Gratis accepistis, gratis date* (dicitur prædicatoribus Apostolis.) Si ergo prædicare propter temporalia non est gra-

Matt. 10.

eſt gratis dare: imò venalem prædicationem habere: qui prædicat propter ſuſtentationem, tranſgreditur hoc præceptum.

¶ Item, ſi ſimoniacum eſt ſpiritualia pro temporalibus dare: talis prædicatio ſimoniaca erit.

RESOLVTIO.

Cùm actiones ſpirituales ad temporalem finem referre, idem eſſet ac optimum & præſtantiſſimum ad viliſſimum & ignobiliſſimum inordinatè ordinare: nullatenus ea ad illum referendæ ſunt. Quare nec fine, tametſi ſpe ſuſtentationis alicui prædicare licebit.

¶ Resp. Dicendum, quòd nullo modo opera ſpiritualia debent ad finem temporalem referri: imò ad finem æternum: quia (ſicut dicit Aug.) iam quod eſt meliùs incomparabiliter, referretur ad id quod eſt vilius: quòd eſt inordinatum & vituperabile.

Auguſt.

¶ Ad illud ergo, quòd primò obijcitur: reſpondetur per interemptionem: quòd ſuſtentatio corporalis non eſt finis debitus prædicationi, ſed res debita prædicatori: non res, quàm debeat acquirere ex prædicatione; ſed quam meretur ex prędicatione: vnde, *Qui arat, debet arare in ſpe.* Gl. *id eſt, prædicator, qui aperit corda ad fidem, debet arare in ſpe ſtipendiorũ temporalium: non propter hanc ſpem: non.n. hæc debet eſſe ſua intentio, & finis in ſuo minyſterio.* Vnde ſecundùm hoc dicitur: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Cauſa autẽ eſt, quia finis debet eſſe id, quòd melius eſt: & ideo in temporalibus non poteſt eſſe finis ſpiritualium: quia ergo in eò, quod eſt optimum, debet conſtitui finis: ſicut dicit Philoſophus: in ſolo Deo debet poni finis prædicationis. *Ego ſum α & ω.*

1.Cor.9. Gloſſa. Lucæ 10. Philoſ. in 2. phyſic. Apoc. 1.

¶ Ad ſecundùm dicendum: quod ſunt quædam mala quia prohibita, in quibus neceſſitas diſpenſat: vt 1.Reg.21. de Dauid, qui comedit panes propoſitionis: comedere.n. tales panes non erat malum, niſi quia prohibitum: ſimiliter. Mat.12. Excuſantur diſcipuli propter neceſſitatem, quia fricabant ſpicas in Sabbato. Quædam verò ſunt prohibita quia mala, in quibus neceſſitas non diſpenſat: vt fornicari, & tale eſt prædicare pro mercede temporali, quia (ſicut oſtenſum eſt) in hoc ponitur abuſio & inordinatio actus.

¶ Ad tertium dicendum: quòd ex mala radice prouenit iſta actio: nam quamuis actio voluntatis, qua iſte vult ſuſtentari, abſolutè non ſit mala: tamen voluntas, qua iſte vult ſuſtentari taliter, mala eſt, ſc. per prædicationem: quia in hoc eſt peruerſitas ordinationis. Præterea, quamuis prædicatio ſit bonum opus, & licitum: tamen deturbatur, ſi hoc fine exerceatur: ſpiritualia enim debent referri ad finem ſpiritualem.

¶ Ad quartum dicendũ: quòd non gaudebat Apoſtolus de hoc, quòd per occaſionem annũciabatur Chriſtus: ſed de conſequenti, ſc. de profectu audientium, qui inde proueniebat. Vnde in illa locutione ponitur antecedẽs pro conſequenti, ſecundùm quòd illud accipitur. *Omne gaudium exiſtimate (fratres chariſſimi) cùm in varias tentationes incideritis.* Et ad hoc ſignificandum non dixit abſolutè *gaudio*, ſed *& gaudebo*, de futuro. Vel poteſt dici, quòd gaudebat Apoſtolus de paſſione; quia annunciabatur Chriſtus: ſed non de taliter prædicantium actione: ſecundùm quòd dicitur de interfectione Chriſti, quòd Iudæorum actio Deo diſplicuit, ſed paſſio grata fuit.

Iacobi 1.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd non eſt ſimile de operario ſpirituali; & temporali: nam labor & actio fodientis in vinea temporalis eſt; & ideo ſub precio poni poteſt: ſed labor & actio prædicatoris ſpiritualis eſt: & ideo ſub precio poni non poteſt.

MEMBRVM II.

De ſimplicitate intentionis.

Consequenter quærendũ eſt de ſimplicitate intentionis: de qua dicitur: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit,* &c. Et pro qua dicitur: *Nemo duobus Dominis poteſt ſeruire*: Et, *Nolite ſolliciti eſſe,* &c. Sed primum quærite regnum Dei.

Matth. 6. Ibidem.

¶ Circa quòd quæruntur principaliter tria. Primò, vtrùm manente ſimplicitate intentionis, poſſint conſtitui duo fines. Secundò, vtrùm poſſit conſtitui intentio ſiue finis in creatura. Tertiò, vtrùm omnis ſollicitudo temporalium ſit prohibita.

ARTICVLVS I.

An quis, manente ſua intentionis ſimplicitate, poſſit ſibi duos fines conſtituere, æternum (videl.) & temporalem?

Circa primũ quæritur? Vtrùm aliquis poſſit ſibi conſtituere duos fines; temporalem, & æternum: vt ire ad Eccleſiam propter Deum, & propter nummos, & huiuſmodi. Ad quòd ſic: Nihil prohibet eundem motum eſſe gratiæ & naturæ: v.g. diligere Deum, quia beneficus, quòd reſpicit natura: & diligere quia bonus, quòd reſpicit gratia: ergo nihil prohibebit eundem actum referri ad finem naturæ, & finẽ gratiæ. Sed finis naturæ ſemper eſt in creatura: finis gratiæ in creatore: vnus ergo & eiuſdem actus poterunt conſtitui duo fines, non referendo vnum ad alterum.

¶ Item, cùm ratio ſit vna potentia habens partem ſuperiorem & inferiorem: ratione ſuperioris poteſt in Deũ, & ratione verò inferioris, quæ coniuncta eſt ſenſualitati, in id quod eſt naturæ neceſſarium: ita tamen quod nec hunc finem ponat ordinatum ad illum.

¶ Item, hoc idem poteſt probari per ſimile in Chriſto: Ratio.n. voluit non mori, cùm dixit: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, ſecundùm partẽ illam, qua coniũgitur ſenſualitati: item ſecundùm partem ſuperiorẽ voluit mori, quia dixit: Verùm tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ergo pari ratione vis rationalis poteſt ſibi duos fines conſtituere.

¶ Item, aliquis poteſt ire ad S. Iacobum ex voto facto in charitate: item poteſt ire ex naturali pietate ad videndũ fratrem ſuum: ergo eadem actio poteſt eſſe ex charitate, & ex naturali pietate. Sed charitas refertur ad finem æternum: naturalis pietas ad finem temporalem: ergo poſſunt conſtitui duo fines vnius actionis, temporalis, ſcil. & æternus.

¶ Item, aliquis motus poteſt eſſe ſimul naturalis & violentus: vt ſi lapis impellatur deorſum: inquãtùm pellitur, violentus eſt: inquantùm verò inclinatur deorſum, naturalis. Sed maior eſt differentia inter motum naturalem & violentum, quàm inter motum ex naturali pietate & ex charitate: ergo idem poteſt eſſe motus ex charitate & ex naturali pietate.

¶ Contra, Aug. Exponens illud: *Si oculus tuus fuerit ſimplex,* &c. *Niſi cor ſimplex fuerit, mundum non erit: ſimplex aũt quomodo erit, ſi duobus Dominis ſeruiatur? Nec vna intentione rerum æternarum purificet aciem ſuam, ſed eam mortalium rerum amore obnubilet?* Non poteſt igitur mundum & ſimplex cor eſſe, ſi diuidatur intentio, & conſtituantur duo fines, in temporalibus, ſcil. & æternis. Auguſ. in ſermone Domini in monte Matth. 6.

¶ Item, Aug. *Cor non mundat, niſi vna & ſimplex intentio in æternam vitam, & ſolo & puro amore ſapientiæ.* Ergo manente ſimplicitate intentionis, non poteſt conſtitui duplex finis. Idem in eodem.

¶ Item, *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Auguſt. *Simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes: non autem in hac operatione vel ſolam vel cùm regno Dei mercedem temporalium cogitare.* Non ergo cùm regno Dei, qui eſt finis æternus; poteſt conſtitui finis temporalis. Matth. 6. Auguſt.

¶ Item, *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis: Adijcientur* (dicit Aug.) id eſt, conſequentur: nec cùm iſta quæritis, illum auertamini: aut ne duos fines conſtituatis: vt & regnum Dei propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria. Matth. 6. Auguſ. in ſermone Domini in monte

¶ Item, Aug. Exponens illud: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Duobus dominis ſeruire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc temporalia: non poterit autem ſimplicem habere oculum, & vni Deo Domino ſeruire: niſi cætera, quæcunque ſunt, ſi ſint neceſſaria, propter hoc vnum aſſumat, id eſt, propter regnum Dei.* Matth. 6. Auguſt.

¶ Item, *Væ ingredienti terram duabus vijs.* Eccleſ. 2.

¶ Item, ſi poſſunt conſtitui duo fines, tẽporalis & æter-

nus: secundùm hoc vna & eadem actio erit meritoria, & tota non meritoria.

¶ Item, summum bonum non solùm dicitur summum per remotionem superiorum, sed etiam per remotionem paris. Sed secundùm rationem boni est finis: ergo remouet præpositionem finis, & coæqualitatem in ratione finis: ergo non erit ponere ipsum cùm alio, sicut duos fines, nisi illud alterum referatur ad ipsum: itaq; actio non sit demeritoria. Constituere ergo duos fines, Deum sc. & creaturã, est simpliciter peccatum.

¶ Item, associare aliquid summo bono in ratione finis; cùm ipse sit summus finis, est peruertere ordinem. Si ergo hoc fiat, sequeretur necessariò contemptus summi boni.

¶ Item, circa casum propositum obijcitur: ire ad Ecclesiam, nõ est ordinatum ad habendũ denarios, nisi ratione orationum, quas facere tenentur: quia non dantur ad surgendum, sed ad officium diuinum implendum. Sed orare pro nummis, est ponere corporalem finem spiritualis: & hoc est simoniacum; quia tam ponitur impreciabile sub precio: relinquitur igitur, quòd non potest quis licitè ire ad Ecclesiam, vt ponat finem in nummos.

RESOLVTIO.

Potest quis quodammodo manente sua intentionis simplicitate æternum temporalemq; finem sibi statuere: modò vtrumq; æquè principaliter non intendat: sed alterum ad alterum, temporalem, scil. ad æternum referat.

¶ Resp. Constituere duos, sc. temporalem & æternum contingit, ita φ sint ordinati, vt vnus propter alium: & hoc contingit dupliciter: ita φ ponatur æternum finis vltimus, temporale verò finis proximus, vel econuersò. Vel ita, φ non sint ordinati, sed vtrumq; principaliter intendatur, temporale & æternum. Si ponatur æternum finis vltimus, & temporale finis ordinatus ad finem: distinguerent aliqui sic: quia aut actio spiritualis est, aut corporalis est. Si spiritualis est, vt prædicatio, oratio, & huiusmodi: non potest referri ad finem temporalem, velut ad pecuniam, & per consequens ad finem æternum Deum. Vnde fas nõ esset, vt aliquis prædicaret vel celebraret diuina isto fine, vt acquireret temporalia, de quibus sustentaretur ad Dei seruitiũ. Si verò sit actio corporalis, sicut est laborare in vinea: dicunt, φ potest referri ad finem temporalem; dum tamen referatur postmodum ad Deum: vt fodere in vinea ad pecuniam acquirendam, qua sustentetur in seruitium Dei. Sed hoc planiùs infra manifestabitur. Si autem econuersò finis proximus ponatur Deus, & finis vltimus temporale: peruersissimum est: hæc est enim peruersitas in vtẽdo fruendis: de qua dicit August. summa peruersitas est fruendis vti: hoc est, diuina ad finem alium referre: & secũdùm hoc exponitur illud: *Væ ingredienti terram duabus vijs.* Gloss. *Duabus vijs ingreditur, qui quod Dei est, opere exhibet: & quod mundi est, cogitatione quærit.* Si verò constituantur duo fines comprincipales, temporale & æternum: accidit peruersitas, de qua dicit August. quòd peruersitas est vtendis frui: hoc est, temporalia, quibus est vtendum, non referre ad æterna, quibus est fruendum. Secundùm hoc accipitur illud: *Non accesseris ad illum duplici corde.* Et illud: *Vir duplex animo in constans est in omnibus vijs suis.* Gloss. *Duplex est animo, qui vult gaudere cùm sæculo, & vult gaudere cùm Deo.*

Eccles. 2. Glossa.

August.

Eccles. 1.

Iacobi 1. Glossa.

¶ Ad primum ergo, φ obijcitur. Dicendum, quòd motus naturæ ordinatur ad motum gratiæ: gratia. n. perfectio est naturæ: vnde in ordine quodam se habent natura & gratia: vt in dilectione primò diligitur Deus, quia beneficus: & postmodum extensa consideratione diligitur, quia bonus: & forsitan non erit idem motus numero, sed duo motus ordinati. Vnde ad illud, φ dicit: quòd finis naturæ est in creatura. Intelligendum est, quòd aliter finis naturę est in creatura, & aliter finis voluntatis peruersæ. Volũtas .n. peruersa ponit finem in creatura excludendo finẽ summum: natura ponit finem in creatura ordinabilem ad finẽ summum. Non erit ergo simile de motu naturæ & gratiæ: & motu voluntatis in finem temporalem & æternum.

¶ Ad secundùm dicendũ, φ ratio non potest ordinatè moueri: si secundùm deliberationem æqualiter constitueret finem Deum, & id quod est naturæ necessarium. Nam motus inferioris partis rationis debet ordinari & sequi motũ superioris partis rationis: qa aliter peruerteretur ordo.

¶ Ad tertium, φ obijcitur de Christo. Dicendum, φ non est simile: nam voluntas illa, qua voluit non mori, fuit motus sensualitatis: voluntas verò, qua voluit mori, fuit rationis. Et, si dicatur, quòd oratio fuit rationis, qua dixit: *Transeat à me calix.* Dicendũ est secundùm Hil. Quòd ratio illud orauit, vt aduocatus sensualitatis. Item, si dicatur, φ voluntas illa fuit rationis. Dicendum, quòd non fuit rationis vt ratio, sed rationis vt natura: & ideo non est simile. Nos enim hic loquimur de motu rationis vt ratio est: vtrùm possit constituere duos fines. Math. 26 Hilarius in lib. de trinitate.

¶ Ad quartum respondeo: quòd cũ ratio deliberat de fine naturalis pietatis, & de fine charitatis: ad hoc quod sit ordinatus motus & meritorius, necesse est, vt finis principalis sit finis charitatis. Bene potest tñ finis naturalis pietatis, sc. visio fratris apud S. Iacobum esse causa accelerationis motus: non tamen ex hoc constituetur duplex finis principalis.

¶ Ad vltimum iam patet responsio: & concedendum est, quòd idem actus potest esse ex natura & gratia: vt subuenire isti quia homo indigens est, conformis in natura; & subuenire illi, quia ad imaginem Dei est: non tamen constituuntur duo fines æquè primi: quia finis naturæ ordinabilis est ad finem gratiæ.

ARTICVLVS II.

An intentio, siue finis in creatura constitui possit?

Consequenter quæritur? Vtrùm intentio possit poni in creatura, sicut in finem: ita φ sit finis sub fine æterno. Ad quod sic arguitur: *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius:* ibi dicit. interl. *Non quod post ista: sed quia summum, & quod propter se, & extra quod nil petitur.* Ex quo relinquitur quod temporalia non possint quæri sicut finis ordinatus sub fine summo. Lucæ 12. Glossa.

¶ Item, secundùm essentiam bonum & finis idem. Si ergo temporalia non possint quæri sicut bonum nostrũ: ergo nec sicut finis. Quòd autem non possint quæri sicut bonum nostrum: dicit Aug. Assumens illud idem allegatum. *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia apponentur vobis. Hic manifestissimè ostendit, hæc non esse appetenda tanquam bona nostra, vt propter ipsa debeamus benefacere sicut facimus: sed tamen esse necessaria.* Aug. in sermone Domini in monte.

¶ Item, August. in eodem. *Regnum & iustitia Dei bonum nostrum est: & hoc appetendum: & ibi finis constituendus: propter quod omnia faciamus, quæcumq; facimus. Sed quia in hac vita militamus: vita sine ijs necessarijs agi non potest.* Ex quo relinquitur, quòd temporalia non possunt poni finis ordinata simplicitate intentionis. Idem in eodem.

¶ Item, φ quæritur sicut necessarium itineri, vt baculus, vel vehiculum, seu viaticum, non quæritur sicut finis itineris. Si ergo ista temporalia sunt quęrenda solum sicut necessaria itineri ad regnum: non erunt quærenda vt finis.

¶ Item, res sunt ordinatæ secundùm superius & inferius: & res inferiores ad inferiorẽ finem: & superiores ad superiorẽ finẽ. Sed dicit Aug. *Quòd rationale animal, sicut est homo, sublimiùs ordinatum est in rerum natura, quàm irrationalia: sicuti sunt aues.* Si ergo appetitus irrationaliũ fertur ad temporale bonum: appetitus rationalium debet ferri supra bonũ temporale: ergo inordinatum erit rationali creaturę temporalia appetere sicut bona sua: ergo in temporalibus non poterit ponere finem, nec constituere intentionem. Idem in eodem.

¶ Item, dicit Aug. *Ipsa cordis intentio, qua facis, quòd facis; sordidatur appetitu rerum terrenarum temporalium, atq; cæcatur.* Ergo intentio relata ad terrena sordida est & cæca: relinquitur igitur ex his, quòd finis non potest poni in temporalibus, manente simplicitate intentionis. Idem in eodem.

¶ Contra. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius,* &c. Cùm ergo primum dicatur respectu secundi, si regnũ primò quærendum est, & eius iustitia: temporalia erunt secundò quærenda. Regnum igitur & iustitia debet poni finis principalis: & temporalia finis secundarius. Lucæ 12.

¶ Item,

Idem Augustinus in eodē. ¶ ITEM Augustinus: *Quærendum est primò regnum Dei, & iustitiam eius, id est hoc est præponēdum cæteris rebus: vt propter hoc cætera quæramus.* Si ergo illud, quod quæritur, finis est: & illud, propter quod quærimus, finis est, sed vltimus: ergo temporalia, quæ quæruntur, sunt finis ad finem: qui regnū Dei est.

¶ ITEM, aliquis laborat in vinea, & eo fine, vt acquirat sustentationem: sustentari autem vult ad hoc, vt seruiat Deo, quod est iustum; & propter hoc perueniat ad regnum Dei: constans est, quòd hic sunt intentiones & fines ordinati & laudabiles. Sed intentio sustentationis, qui est finis laboris, temporalis est: tamen ex hoc quod refertur vlterius ad regnum Dei, & ad gloriam, laudabilis est: relinquitur igitur, quòd laudabiliter potest homo temporalem constituere intentionē & finem: dummodò non sit finis vltimus.

RESOLVTIO.

Adhuc & in creaturis, siue rebus creatis intentio finisve constitui potest: sed non vti in bonis, at vti in necessariis, adminiculumq; finis voluntatis.

¶ RESPON. Aliquid quæritur quia bonum: aliquid quæritur quia necessarium. Propriè illud, quod quæritur quia bonum, quęritur vt finis voluntatis: illud verò, quod quæritur vt necessarium; quæritur vt adminiculum peruentionis ad finem voluntatis. Dicendum igitur, quòd temporalia sunt quærenda vt necessaria, non vt bona: & ideo propriè ibi non est constituendus finis, nec motus intentionis: intentio enim dicitur quasi tentio in scilicet finem. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Primum quærite regnum Dei, &c. Cùm dixit primum, significauit quia posterius quærendum est: non tempore, sed dignitate.* Illud scilicet regnum, & iustitiam tanquam bonum nostrum, hoc scil. temporale, tanquam nostrum necessarium: necessarium autem propter illud bonum. (Idem in eodem.)

¶ AD primum ergo, quod obijcitur: dicendum, quod primum dicitur duobus modis: vno modo, per comparationem ad posterius: alio modo per abnegationem eius, quod est prius. Quando ergo dicitur: primum quærite, si intelligatur per comparationem ad posterius: non intelligetur prius & posterius secundùm ordinem, qui est finis ad finem: sicut dicit quod finis ambulationis est mansio in ecclesia ad finem orandi Deum: quomodo non potest dici, quòd finis ordinatæ voluntatis sit temporale relatum ad regnum Dei. Sed intelligetur prius & posterius dignitate: sicut dicit Augustinus, secūdùm quod dicimus, quòd prius quæritur finis, vt ecclesia ambulanti ad ecclesiam; posterius verò vehiculum vt adminiculum perueniendi ad ecclesiam: in quē modum regnum & iustitia Dei priùs quæruntur, temporalia verò posterius. Si verò intelligatur per abnegationem prioris: tunc planus est sensus; primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, scilicet ante omnia ista nihil quæratis. (Idem.)

¶ AD secundum patet responsio: non enim quicquid quæritur, quæritur vt finis: imò aliquid quæritur vt adminiculum actionis, seu instrumentum: vt cultellus quæritur ad incisionem, & baculus ad itinerationem: in quem modum quærenda sunt temporalia. Aliquid verò quęritur vt finis: vt incisionis finis est sculptura vel fabrica: in quem modum regnum & iustitia Dei finis debet esse voluntatis.

¶ AD tertium dicendum: quòd quamuis sustentatio finis laboris sit, nō tamen debet esse finis voluntatis: quia sustentatio non est quęrenda vt bonum rationalis creaturæ: sed vt necessarium præsenti vitæ: & ideo temporalis sustentatio debet esse in vsu, non in intentionis affectu. Vnde Augustinus: Quærite regnum Dei, & hæc omnia apponentur, id est consequentur sine vllo impedimento, si illa quæratis. Nec ait, illa dabuntur, sed; apponentur, quia aliud est, quod principaliter datur: aliud quod superadditur: quia in intentione æternitas, in vsu debet esse temporalitas. & illud datur, hoc superadditur.

ARTICVLVS III.

An omnis sollicitudo temporalium prohibita sit?

POSTEA quæritur: Vtrùm omnis sollicitudo sit prohibita? Ad quod sic opponit Augustinus: *Ipse Dominus cui ministrabant angeli,* (Matth. 4.) *tamen propter exemplum, ne quis postea pateretur scandalum, cùm aliquem seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare; loculos habere dignatus est: quibus pecunia, vnde vsibus necessarijs quicquid opus fuisset, præberetur,* Ioan. 11.

¶ ITEM, videtur Apostolus in crastinum fuisse sollicitus: cùm dixit 1. Cor. 16. *De collectis, quæ fiūt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite, per vnam sabbati: vnusquisque vestrum apud sese ponat, recondens quod ei benè placuerit: vt cùm venero, tunc collectæ fiant.*

¶ ITEM, Act. 11. *Surgens vnus nomine Agabus, significabat per spiritum magnam famem venturam in vniuerso orbe, quæ facta est sub Claudio: statuerunt autem vnusquisq; eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Iudæa fratribus, quod & miserunt per manum Barnabæ & Sauli.*

¶ ITEM, nauiganti eidem Apostolo Paulo, imposita sunt vtensilia, quæ offerebantur: nec ad vnum tantùm diem videtur victus ille procuratus, Act. 28. *Nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.*

¶ ITEM, Act. 27. *Humanè autem tractans Iulius Paulū permisit ad amicos ire, & curam sui agere.* Ex his, & huiusmodi scripturarum locis cōcludit August. Dominum Deum non hoc improbare: si quis humano more ista procuret: sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur.

¶ ITEM, Luc. 10. *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Ergo sollicitudo non est peccatum; cùm sine ipsa non potest duci vita actiua.

RESOLVTIO.

Non omnis sollicitudo temporalium prohibita est; sed ea tantùm, quæ vituperabilis dicitur.

¶ RESPON. Est sollicitudo laudabilis, & vituperabilis, & tolerabilis, & miserabilis. Laudabilis est in præcepto, & hæc est multiplex. Est enim sollicitudo regendi quantum ad prælatos, Roman. 12. *Qui præest in sollicitudine.* Et 2. Corint. 11. *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum.* Item est sollicitudo obediendi quantum ad subditos, Iosue 23. *Estote solliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Item, est sollicitudo pacifice conuiuendi, quantum ad pares, Ephes. 4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis:* & hæc est sollicitudo laudabilis quò ad alios. Item est sollicitudo perficiendi quò ad se: & hoc tripliciter. Primò recogitandi diuina mandata, Deut. 4. *Custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè: & ne obliuiscaris verborum: ne excidant de corde tuo.* Secundò est sollicitudo declinandi malum, Deut. 4. *Custodite animas vestras sollicitè: non vidistis aliquam similitudinem, &c. ne fortè decepti faciatis sculptam similitudinem.* Tertiò est sollicitudo feruoris faciendi bonum, Roman. 12. *Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.* Hęc est sollicitudo laudabilis, & in præcepto.

¶ ITEM, est sollicitudo vituperabilis multiplex: est enim sollicitudo inordinata sciendi, seu vana, Eccles. 2. *Cùm alius laboret in sapientia & doctrina & sollicitudine; & homini otioso quæsita dimittit: & hoc vanitas, & magnum malum.* Et est sollicitudo acquirendi diuitias ex cupiditate Ecclesiast. 2. *Peccatori dedit Deus afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget: sed & hoc vanitas, & cassa sollicitudo mentis.* Item, est sollicitudo custodiendi diuitias seu retinendi ex auaritia, Matthæi 13. *Sollicitudo huius seculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum.* Item, est sollicitudo peccandi in adueniendo genus peccati, Sapient. 14. vbi loquitur de inuentione idolorum: Fecerunt imaginem Regis, quem honorare volebant: vt illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent, sua sollicitudine. Item, est sollicitudo peccandi in studio perpetrandi, Daniel. 13. Volentes concubere cum ea, obseruabāt quotidie

sollicitiùs videre illam. Hæc est sollicitudo vituperabilis, & in prohibitione.

¶ ITEM, est sollicitudo tolerabilis: & hęc est etiā multiplex. Est enim sollicitudo dilectionis naturalis, Tob. 10. Cùm moram faceret Tobias propter nuptias, pater eius sollicitus erat, dicens: quare moratur? Item, est sollicitudo curæ rei familiaris, 1. Reg. 9. *De asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuenta sunt.* Item, est sollicitudo necessariæ prouidentiæ, Luc. 10. *Martha, Martha sollicita es, &c.* Item, est sollicitudo infirmitatis humanæ, 1. Corint. 7. *Qui cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.* Item est sollicitudo inquisitionis moderatæ, Tob. 5. *Ne sollicitum te reddam: ego sum Azarias, &c.* Hæc sollicitudo tolerabilis est, & in permissione.

¶ ITEM, est sollicitudo miserabilis, & hæc triplex: Est enim sollicitudo laboris in operando, Eccles. 2. *Detestatus sum omnem industriam meam, in qua studiosissimè laboraui, & sollicitus fui.* Item, est solicitudo anxietatis in patiendo, 1. Machab. 6. *Recessit somnus ab oculis meis, & corrui corde præ sollicitudine: & dixi in corde meo: in quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ?* Item, est sollicitudo timoris in præcauendo, Hierem. 38. *Sollicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne fortè tradar in manu eorum, & illudant mihi.* Et cap. 42. *Gladius, quem formidatis, comprehendet vos in terra: & fames, pro qua solliciti estis.* Et hæc est sollicitudo miserabilis. Ex his patet, quæ sollicitudo sit prohibita, & quæ non.

MEMBRVM III.

De discretione intentionis.

CONSEQVENTER inquirendum est de discretione intentionis, quæ regulatur duobus generibus præceptorum: prohibitione temeritatis iudicij, cùm dicitur: *Nolite iudicare, &c.* & præcepto cautelæ, cùm dicitur: *Attendite à falsis prophetis, &c.* Et primum pertinet ad simplicitatem columbinam, secundum pertinet ad prudentiam serpentinam: de quibus dicitur Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Matt. 7. Ibidem. Matt. 10.

¶ ITEM, nota quantum ad primam prohibitionem indiscretionis, siue præsumptionis iudicij: quoniam propter hoc quia infirmitati humanæ difficile & quasi impossibile est indiscreta iudicia deuitare, ideo illi prohibitioni de iudicio indiscreto Saluator addidit tria præcepta Matth. 7. vnum de petendo adiutorium gratiæ, cùm dicitur: *Petite, & dabitur vobis.* Aliud, de seruando æquitatem legis naturæ respectu proximi, cùm dicitur: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Tertium de conatu ad amorem, Dei cùm dicitur: *Intrate per angustam portam,* gl. *id est, charitatem.*

¶ ITEM, quantum ad prohibitionem indiscretionis iudicij, cùm dicit: *Nolite iudicare, &c.* nota quod aliquis iudicat auctoritate, vt iudex constitutus, Deut. 16. *Iudices & magistros constitues.* Aliquis ex vitæ dignitate, 1. Corinth. 6. *Nescitis quod sancti de hoc mundo iudicabunt.* Aliquis ex veritate doctrinæ, Leuit. 10. de Sacerdotibus dicitur: *Omne, quod inebriare potest, non bibant, vt habeant scientiam discernendi.* Primum prælatorum est; secundum perfectorum; tertium doctorum & prædicatorum. Et secundùm hoc accidit indebitum iudicium tribus modis: ex defectu seu abusu auctoritatis in causarum examine: ex indignitate vitæ in vitiorum reprehensione: & ex defectu discretionis doctrinæ in prædicatione. Et secundùm hoc datur triplex præceptū prohibitionis indiscreti seu temerarij iudicij Matthæi 7. Primò enim prohibetur temerarium iudicium in defectu seu abusu auctoritatis, cùm dicitur: *Nolite iudicare.* Secundò verò reprehenditur iudicium præsumptuosum ex defectu dignitatis, cùm dicitur: *Quid vides festucam in oculo fratris?* & subditur: *Hypocrita, eijce primò trabem de oculo tuo.* Tertiò iudicium indiscretum prohibetur in dispensatione eruditionis, seu doctrinæ, cùm dicitur: *Nolite sanctum dare canibus.*

¶ DE primo præcepto, quo prohibetur temerarium iudicium, quando scilicet iudicamus de his, de quibus nō est commissum iudicare, vt de occultis; inquisitum est in Quæstionibus de peccatis in inquisitione de peccatis cordis. De secundo, quo prohibetur præsumptio iudicandi in reprehensione propter indignitatem vitæ: inquiretur infra in inquisitione de Iudicialibus Euangelij, Quæstione de correctione fraterna. De præcepto verò quo prohibetur indiscretio dispensationis doctrinæ, quęretur in inquisitione de gratijs gratis datis, Quæstione de gratia prędicationis.

Part. 2. quæstio.

¶ TAMEN quantum ad præsens ad plenam intelligētiam istius præcepti: *Nolite sanctum dare canibus: neq, mittatis margaritas ante porcos:* quærenda sunt duo. Primò de intelligentia huius præcepti. Secundò de præcepti huius obligatione.

Matth. 7.

ARTICVLVS I.

Quæ intelligentia, quive intellectus huiusce præcepti: Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas ante porcos, *Matth.* 7.

PRIMÒ quæritur: quid dicatur hic sanctum; quid margaritæ; quid porci; quid canes? Item quæritur, quid ꝓhibetur hoc præcepto. Si dicatur, quòd indiscretio dispēsationis diuinorum, & maximè verborum, quantum ad detractores & contemptores. Contra, Matt. 10. *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta.*

¶ ITEM 2. Tim. 4. *Insta opportunè importunè:* Aug. *Opportunè volentibus, importunè nolentibus.*

¶ ITEM Augustinus: *Audiat & derideat: sapiat, & quandoque cognoscat.*

¶ ITEM, ipse Dominus prædicauit resistentibus & cōtemnentibus verbum suum: ergo sanctum dedit canibus, & porcis.

RESOLVTIO.

Idem profectò, quòd abdita veritatis mysteria, inuiolabiliaq́, ac veneranda sacramenta, veritatis eiusdem oppugnatoribus ipsorumq́, met sacramentorum contemptoribus, quinimmò & carnalibus Christianis nullatenus ex sacris debere proponi.

¶ RESPON. secundùm Augustinum: Sanctum est, ꝙ violare, atque corrumpere non licet: margaritæ quæcunq; spiritualia magni æstimanda sunt: & quia in abdito latent, tanquā de profundo eruuntur. Secundùm Chrysost. Sanctum, sunt sacramenta: vt, Baptismus, & Eucharistia: in cuius rei figura dixit Mathathias: *Ecce sancta nostra, pulchritudo nostra, claritas nostra desolata est, & inquinauerunt ea gentes.* 1. Mach. 2. Et Leuit. 6. in figurā Eucharistiæ dicitur: *Masculus de genere Aaron vescetur his carnibus, quia sancta sanctorum est.* Margaritæ verò secundùm Chrysostomum, sunt mysteria veritatis: quia sicut Margaritæ inclusæ conchis positæ sunt in medio maris: sic & mysteria in libris inclusa posita sunt in altitudine sensus scripturarum, Matth. 13. *Inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam.* Prouer. 25. *Inauris aurea & margarita fulgens: qui arguit sapientem & & aurem obedientem.* Canes (secundùm quod dicit Augustinus) sunt oppugnatores veritatis, Esai. 56. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem:* Canis enim (sicut dicit Chrysostomus) animal improbum superuenientibus est, superfluè latrans, Apocal. 22. *Foris canes venefici impudici.* Porci verò, secundùm Augustinum, sunt contemptores veritatis: vel secundùm Chrysostomum, Christiani carnales: proprium enim est porci in cœno volutari, nunquam cœlum aspicere: nec quærere dominum suum; nisi cùm esurit: tales sunt Christiani, qui carnalibus desiderijs & immunditijs delectantur: nec aspiciunt cœlum; nec quærunt Deum; nisi cùm necessitas eis aduenerit, Matth. 8. dixerūt dæmones: *Si eijcis nos hinc, mitte nos in porcos.* De vtroque 2. Petr. 2. *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

¶ AD aliud dicendum, quòd ista prohibitio intelligitur quantum ad obstinatos in malitia, vel errore: circa

quos

Augst. quos sic dicit Augustinus: *Habenda est consideratio, quia aut ipsi sunt soli: aut sunt etiam alij fideles astantes.* Si ipsi soli sunt, tenendum est, quod dicit hic Dominus. Si verò alij sunt fideles astantes, iuxta formam Domini procedendum est: qui cùm prædicaret Iudæis, non est putandum sanctum dedisse canibus. Non enim eis dedit, qui sapere non poterant: sed eis, qui poterant, & simul aderant: quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat: & cùm eum contemptores interrogabant; respondebat, vt quid contradicerent, non haberent: & vt alij, qui poterant capere, ex illorum occasione multa vtiliter acciperent, & audirent.

ARTICVLVS II.

De obligatione eiusdem præcepti.

SECVNDÒ quæritur de obligatione huius præcepti:
Matt. 7. *Nolite sanctum dare canibus, &c.* Et quæruntur circa hoc tria. Primò, quid tenetur scire doctor, seu prædicator. Secundò, si prædicator tenetur facere, quod dicit. Tertiò, vtrùm malus peccet verbum Dei prædicando.

Quid doctor prædicatorve Christianus scire teneatur? §.1.

Aggæi 2. Hieron. ¶ AD primum arguitur sic, Aggæi 2. *Interroga sacerdotes legem*: ibi Hieronymus, *Sacerdos, si ignorat legem, probat se non esse Domini sacerdotem.* Relinquitur ergo, quòd sacerdos tenetur scire legem: sed hoc non est nisi ratione officij docendi: ergo qui docet, tenetur legem scire.

¶ ITEM, ignarus artis medicinæ, si vsurpat officium & opus artis illius; reus est mortis. Si igitur ita est in medicina corporali, multo magis in medicina spirituali; cùm verbũ
Psal. 126. Dei medicina sit, sicut dicitur in Psalm. 126. *Misit verbum suum, & sanauit eos.*

¶ CONTRA. In tabernaculo Domini erant phialæ & ciati, sicut dicitur Exod. 37. & Num. 6. & dicunt quod hęc sunt vasa maiora & minora: per quæ maiores doctores & minores prædicatores designantur: minores autem si benè annunrient, maiori sapientia illustrantur. Ex quo videtur, quòd possunt annunciare & prædicare aliqui: licet nõ sint maiores sapientia illustrati: non ergo quicunque prædicat, tenetur scire legem.

1. Cor. 14. ¶ ITEM, Apostolus non permittit mulieres docere in Ecclesia: sed domi viros suos interrogent. Ergo cuilibet simplici laico licet docere vxorem suam: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Expositiones omnium credendorum, & præceptorum: ita vt de eisdẽ poscenti sit respondere paratus.

¶ RESPON. Est doctrina simplicis exhortationis, & hæc est communis omnium: & est doctrina prædicationis, & ista est sacerdotum: & est doctrina assumptæ professionis, vt cuiuslibet doctoris in sua scientia. In primis sufficit scire, quæcunque sunt simplicitatis credendorum, & diuinorum mandatorum. In secundis necessarium est scire expositiones credendorum & præceptorum, iuxta il-
1. Petr. 3. lud: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, fide & spe.* In tertijs necessaria est scientia omnium ad doctrinam & scientiam eorum pertinẽtium.

An prædicator teneatur facere, quod dicit? §.2.

¶ SECVNDÒ QVÆRITVR: Vtrùm prædicator te-
Iob 39. neatur facere quod dicit: Et videtur quod sic, Iob 39. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinni-*
Gregor. 1. Cor. 9. *tum?* Gregorius: *Collo eius hinnitus circundatur, quando prædicator suis vocibus tenetur*: secundùm illud 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauerim,*
Rom. 2. *ipse reprobus efficiar.* Et Rom. 2. *Qui alios doces, te ipsum non doces, &c.*

¶ CONTRA. Est qui prædicat perfectionem, quam tamen non facit: & tamen non diceretur teneri, vt cùm secularis prædicat perfectionem religiosis & perfectis, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Et ipse prædicator ad ea prorsus facienda tenetur, quæ adstruit de salutis necessitate: tametsi non ad interdum, quæ de perfectionis sunt congruitate.

¶ RESPON. Quilibet tenetur facere quod dicit, secũdùm quod asserit teneri ad faciendum quod dicit. Tamen asseritur aliquando tentio vel generaliter, vel secundùm statum: generaliter, sicut asseritur de illis, quæ pertinẽt ad statum salutis: secundùm statum, sicut asseritur de his, quę pertinent ad statum perfectionis, vt potè religionis, ad quam omnes non tenentur: & sic prædicator non tenetur facere secundùm quod dicit.

An malus peccet prædicando verbum Dei? §.3.

¶ TERTIÒ QVÆRITVR: Vtrùm malus peccet ꝑdicando? Ad quod sic, Psalm. 49. *Peccatori dixit Dominus:* Psalm. 49
quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, &c.

¶ ITEM, *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est* Iacob. 4.
illi, Iacob. 4. Ergo magis peccat prædicator malus, quàm alius: quia *seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens: va-* Luc. 12.
pulabit multis, Luc. 12.

¶ CONTRA, prædicare est de genere bonorum, ergo in prædicando non contingit peccatum.

¶ ITEM, docere est de operibus misericordiæ spiritualibus: sed opera misericordiæ non interdicuntur etiam existenti in peccato mortali: vt, facere eleẽmosynam, & huiusmodi: ergo nec doctrina seu prædicatio peccatori debet interdici.

RESOLVTIO.

Et quidem, si ex dictis compungi atteriq́; non studeat.

¶ RESPON. Distinguunt, quòd est aliquis qui docet, quia tenetur ex officio, & quasi ex necessitate: & est alius qui docet quasi ex voluntate. Similiter distinguunt, quod est peccatum notorium, & est peccatũ occultum. Existens in peccato notorio, peccat, quicunq; prædicat: siue ex necessitate officij, siue ex voluntate prædicet: illum verò, qui est in peccato occulto, peccare cùm prædicet ex voluntate: & hoc ratione contemptus: non autem illum, qui prædicat ex officio: dum tamen cũ timore illud faciat, & quasi coactus necessitate officij.

¶ SIMPLICITER tamen videtur dicendum: quòd docens vel prædicans in peccato, si non studeat compungi ex dicto, & dolere de peccato: simpliciter contemnere dicitur: & ideo peccare; siue occultum sit peccatum, siue manifestum. Nec est simile de operibus misericordiæ corporalibus, & spiritualibus: quia hic scientia aggrauat, & contemptus.

QVÆSTIO LXI.

De Gratia in communi.

In septem Membra, & vigintiquinq; Articulos diuisa.

POST TRACTATVM de Legibus & Pręceptis, quę ad cognitionem cauendorum tenentur & faciendorum: aggredientes inquisitionem de gratia & virtutibus, quæ cõferuntur ad eorundem executionem, adiutorium diuinæ gratiæ imploramus à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Modus autem inquisitionis erit: vt inprimis separatim de gratia disputantes, ad virtutes secundùm theologicam & veram acceptionem, dona, fructus, & beatitudines ordine congruo procedamus. D. Tho. 1 2. q. 109. & inde S. Bon. in 2. d. 26 & inde Sco. ibid.

¶ DE gratia igitur gratiæ auxilio inquiremus. Primò, an gratia sit. Secundò, quid sit. Tertiò, de differentia gratiæ. Quartò, de subiecto gratiæ. Quintò, de causa gratiæ. Sextò, de effectu gratiæ. Septimò, de cognitione gratiæ.

(*.*)

ad esse sine aliqua dispositione media: ergo ad bene esse, quod est esse ordinatum [illegible] ad finem; potest educi sine aliqua dispositione media: ergo non requiritur gratia ad hoc, vt ordinetur & tendat in bonum.

¶ ITEM, duplex est virtus: cognitiua, & motiua. virtus cognitiua est veri, motiua est boni. Ergo virtus cognitiua potest [illegible] sine gratia [illegible] Philosophis, qui sine gratia cognouerunt veritatem [illegible], scilicet Deum: ergo motiua tendere potest [illegible] bonum, & [illegible] operari bonum sine aliqua gratia.

¶ ITEM, verum cognitum mouet intellectum & perficit. Sed verum cognitum per se mouet intellectum: verum autem [illegible] completum mouet affectum: quia tunc est [illegible] boni, quia sic cognoscitur secundum suam veritatem, [illegible], & sic est in ratione boni, & mouet affectum ad [illegible]. Cum ergo verum primum potest cognosci sine gratia secundum se, & potest cognosci in ratione qua [illegible] bonum [illegible] actum sine gratia: patet quod sine gratia potest mouere affectum. Quod autem ita sit, patet: quia Philosophi cognouerunt [illegible] verum secundum se, quia [illegible] prima veritas: item cognouerunt, quod ipsum esset bonum & optimum, & [illegible] omnipotentissimum, & quod [illegible] indigebant. Sed bonum sic cognitum cognoscitur vt amatum, scil. inquantum mouet affectum: ergo potest cognosci & diligi sine gratia.

¶ ITEM, in nobis est recta ratio mouens ad bonum: item in nobis est notio boni impressa à creatione & indita: item est in nobis desiderium boni: ergo in nobis sunt ista tria [illegible], scil. posse, velle, & scire posse, per rectam rationem, velle per desiderium, scire per notionem. Sed plura [illegible] requiruntur ad operandum bonum quàm ista tria; ergo [illegible] habemus per naturam, vnde possumus operari bonum, & mereri summum bonum. Non ergo necessariò requiritur gratia.

¶ ITEM, ostenditur quòd nulla est ratio, qua ponitur & asseritur gratia esse; quia voluntas non potest supra se: quoniam (sicut dicit Ioan. Damasc.) *voluntas est impossibilium: quia possumus velle volare, & non mori: & ista sunt impossibilia nobis.* Si ergo voluntas est impossibilium: ergo est eorum, quæ sunt supra nos; ergo per naturam possumus velle Deum diligere supra nos.

Damasc.

¶ ITEM Greg. *Quia peccamus in nostro æterno, iustè punimur in Dei æterno.* Hoc est, quia semper est nobis voluntas peccandi semper, & peccamus ex ea voluntate, ideo iustè punimur æternaliter à Deo: nec impedit, quia hoc æternum, illud temporale: quia est nobis æternum. Ergo similiter si volumus bonum in nostro æterno, scil. quòd semper velimus benefacere, vel bonum, possumus mereri vitam æternam. Si ergo hoc possumus velle per nostrum arbitrium sine gratia, per ipsum arbitrium sine gratia possumus mereri vitam æternam.

Gregor.

¶ ITEM, [illegible] vnumquodq; diligit esse suum super omnia per naturam [illegible] vnumquodq; diligit causam [illegible] principium [illegible] super omnia per naturam. Sed Deus est causa & principium [illegible] cuiuslibet creaturæ: ergo per naturam creatura [illegible] diligit Deum super omnia. Non ergo ad hoc diligendum est necessaria gratia.

¶ ITEM, diligere nihil aliud est, quàm alij velle suum bonum: ergo diligere summum bonum est velle eiusdem bonum. Sed suum bonum est summum bonum: ergo diligere ipsum, est ei velle summum bonũ. Similiter diligere se creaturæ est velle sibi bonum: sed bonum suum non est summum: ergo [illegible] diligendo se & Deum, vult Deo summum bonum, & sibi non: ergo plus vult & maius bonum Deo, quàm sibi. Si hoc ergo facit per naturam, ergo magis diligit Deum, quàm se per naturam sine gratia.

RESOLVTIO.

Quicquid obloquantur Philosophi, quidquid obstrepant hæretici Pelagiani: indistinctè admittimus diuinam gratiam: & ita prorsus necessariam; vt absque ea, tum maximè gratum faciente, nullatenus homines possint esse saluis.

¶ SOLVTIO. DICENDVM, quòd in scripturis gratia dicitur multipliciter. Gratia enim dicitur donum gratis datum: donum autem quoddam est creatum, [illegible] quoddam increatum: donum increatum est Spiritus sanctus, qui dicitur gratia, eo modo quo est gratis datum: donum autem datum sine meritis est creatum. Et secundum hoc quod dicitur gratia donum creatum, gratia dicitur multipliciter. Primo modo dicitur gratia donum à Deo [illegible] concreatum, & hoc modo imago Dei in nobis, secundum quod nos sumus ad imaginem Dei, est gratia: quoniam concreatum in nobis. Secundo modo dicitur donum nobis superadditum: & hoc modo scientia seu cognitio vel notitia de Deo in nobis dicitur gratia; & secundum hoc Philosophi gratiam habuerunt. hoc enim donum non concreatur in anima, sed post ei additur. Tertio modo dicitur gratia donum gratum faciens: & non solùm gratis datum, sed gratum faciens & gratis datum: & de hac habetur Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius: gratia Dei per Iesum Christum, &c.* * hæc enim gratia gratum faciens dicitur, quæ liberat. Quinto modo dicitur gratia primus habitus, vel prima virtus; in qua donum gratiæ manifestatur; & sic fides dicitur gratia: vnde ad Hebr. vltim. *Optimum est gratia stabilire cor:* & dicit Glossa, *vt habeatis fidem perfectam, credentes omnia mandata mundi.* Quarto modo dicitur gratia primus gratiæ effectus post lapsum: & sic gratia dicitur in epistolis remissio peccatorum, ad Roman. 1. *Gratia vobis & pax à Deo.* Glossa. *Gratia remissio peccatorum, pax reconciliatio ad Deum.* Sexto modo dicitur donum prærogatiuæ gratiæ, vel dignitatis: & hoc modo sacer Ordo dicitur gratia, 1. ad Timoth. 1. *Gratia & misericordia, &c.* Glos. *Misericordia hic accipitur, quod in alijs epistolis remissio peccatorum dicitur: gratia verò quam addit hic, Episcopis optatur; hæc est donatio Spiritus sancti, qua ministri Dei armantur, id est sacer Ordo.* Septimo modo dicitur gratia gratiæ signum: & hoc modo prophetia dicitur gratia, & operatio miraculorum: & appellamus gratiæ signum hoc; quia signum est, quòd aliquis sit gratus Deo, quando habet prophetiam. De hac habetur 1. Corinth. 12. *Diuisiones gratiarum sunt: alij namque datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, alij prophetia, &c.* nec tamen hoc signo posito, semper ponitur res. Octauo & vltimo modo dicitur gratia præmium gratiæ, quod consequitur ad gratiam, sicut vita æterna: & in hoc sensu dicitur Ioan. 1. *De plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia, scilicet vitam æternam.* Gloss. *Gratiam glorificationis pro gratia iustificationis.* & Zach. 4. *Adæquabit gratiam gratiæ eius.*

Rom. 7.

* al. hic.

Hebr. vlt.
Glossa.

Rom. 1.
Glossa.

1. Tim. 1.
Glossa.

1. Cor. 12.

Ioan. 1.
Glossa.

Zach. 4.

¶ EST ergo gratia, secundum communem acceptionem huius nominis, Gratia, donum increatum, & est gratia donum concreatum, & est gratia donum superadditum, & est gratia donum gratum faciens, & est gratia prima virtus, & dicitur gratia primus effectus gratiæ post lapsum, & dicitur gratia quædam prærogatiua, & dicitur gratia gratiæ signum, & dicitur gratia præmium consequens ad gratiam. Cum ergo quæritur: an ad obtinendum salutem sit necessaria gratia: intentio est de gratia gratum faciente, secundum quam homo efficitur Deo acceptus. Concedendum est ergo necessariam esse gratiam indistinctè ad merendum & consequendum beatitudinem.

¶ AD primum ergo dicendum, quòd non est similis ratio ex parte operationis boni, & ex parte operationis mali: quia operatio mali consistit in defectu, operatio autem boni consistit in virtute: creatura autem de se potest deficere, sed de se non potest proficere. Quia ergo sicut dicit Augustinus mala actio non est actio, sed defectio: quia est actus incidens ex defectu boni: & ideo per se potest malum facere, sicut per se potest deficere: sed sicut non potest esse per se sine Deo: ita non potest proficere per se: propter hoc, licet possit per se facere malũ demeritorium, nõ tamen bonum meritorium sine dono Dei, quod est gratia: sed si hoc esset possibilitatis, scil. posse in malũ demeritorium: dico quod bene sequeretur ratio.

¶ AD aliud dicendum, quòd natura in sua actione intendit assimilationem, & similiter rationalis [illegible], sed differenter: quia intentio naturæ cùm agit, est [illegible]

in suam speciem; sicut ignis cùm agit calefaciendo in lignum, intendit illud assimilare sibi in calore, & igneitate. Similiter rationalis creatura in sua actione intendit assimilationem illam, de qua habetur in 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus*: & hæc est assimilatio ad Deum: q̃ est plena per cognitionem & amorẽ summæ veritatis, & bonitatis. Intentio igitur naturæ in sua actione est alium assimilare in sua specie: intentio autem rationalis creaturæ in sua actione est, non assimilare, sed assimilari diuinę speciei: quæ assimilatio facit Deiformem. Finis autem intẽtus à natura in sua actione est assimilatio in virtute principij naturæ, & eius potentia actiua: quia in igne est virtus, per quam agit & intendit alterum sibi assimilare in calore, & luce, & igneitate: sed in rationali creatura non est assimilatio in Deum in potestate actiua, sed receptiua solùm. Quia ergo finis actionis naturæ, qui dicitur assimilatio, est in potestate actiua & virtute principij agẽtis: propter hoc natura per se potest in illum finem sine alia dispositione noua. Sed quia assimilatio non est in rationali creatura, nisi solùm in potentia receptiua, vel passiua (anima enim rationalis creata est in potentia receptiua ad similitudinem Dei, Genes. 1. *Formauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*) requiritur necessariò quòd ad hoc quod consequatur finem intentum, scilicet assimilationem ad Deum: quod recipiat aliquam dispositionem nouam, non à se, sed à Deo: hæc autem dicitur gratia. Vnde gratia nihil aliud est, quàm Dei similitudo in actu.

(1.Ioan.3.) (Genes.1.)

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod potentior est volũtas respectu sui actus, quàm natura. Dicendum quòd si loqueris de essentia actus, verum dicis, quia voluntas potest prohibere suum actum: natura verò non. Sed si loquaris de actus ordine, hoc est, de actu quãtum ad finem; hoc nõ est verum: imò è conuersò: quia natura potẽtior est respectu ordinis sui actus ad finem quàm voluntas: sicut patet ex dictis, quia ordo iste est in virtute principij naturalis agentis: sed ordo actus rationalis creaturæ non est in potestate principij, scil. volũtatis, quia actio rationalis creaturę intendit assimilationem in suum melius: sed assimilatio quæ est in actione, est in æquè vel minùs.

¶ Ad aliud dicendum, quòd virtus naturæ ordinat actum suum in bonum per naturam, qui nõ est supra naturam: & ideo potest in illum ordinem, & sine dispositione noua ferre ad locum: actus rationalis creaturæ meritorius oportet, quod ordinetur ad bonũ, quod est supra ipsum: quod est summum bonum & infinitum. Quia ergo nõ est ei possibile per naturam, vt ordinet suum actum, sic vt perueniat in suum finem: & ideo necesse est, vt iuuetur gratia. Et per hoc patet responsio ad sequens.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de opere creationis & recreationis: quia actus creationis non est in aliquod subiectum, sed est de nihilo in aliquid: & ideo nulla dispositio potest poni noua ex parte eius, quod ei subijcitur, siue in quod est creatio: sed recreatio est in rem subiectam, sicut in rationalem creaturam, iam existentem indispositam. Quando ergo de non iusto fit iustus per recreationem: quæro si se habet iste vt priùs, aut non. Si sic: sed priùs fuit iniustus: ergo modo est iniustus. Si non: ergo aliqua dispositio noua ei aduenit: sed hæc dispositio est donum Dei, qua anima est Deo grata: ergo est gratia.

¶ Ad aliud dicendum: quod quantum est de potestate agentis, scilicet Dei, eodem modo se habet diuina potentia, secundùm quod educit rationalem creaturam ad esse per creationẽ, & ad benè esse per redemptionem vel per recreationem; & æqualis est virtus eius: sed non est æqualis potentia ex parte suscipientis. Ex parte creationis nihil ponitur in creatura rationali ante creationem: sed ex parte recreationis ponitur mala dispositio & contraria ante recreationem: & ex hoc est, quòd nullo modo potest venire ad benè esse per recreationem, nisi tollatur illa dispositio mala, & recipiat istam dispositionem bonam.

¶ Ad aliud dicendum, quòd duplex est comparatio potentiæ liberi arbitrij, vna est ad suum actum ordinando ipsum, alia est ad aliam potentiam. Quod ergo dicitur liberum arbitrium potẽtissimum: hoc est, per comparationem ad aliam potentiam: quia non potest cogi ab alia potentia. Sed per comparationem ad suum actum non potest dici potentissimum: quia non est causa sufficiens, & completa respectu ordinis sui actus in finem, sicut est potentia naturalis.

¶ Ad aliud est dicendum, quòd duplex est cognitio de Deo: vna est per effectus suos, & hæc est sine gratia: alia est per præsentiam sui apud animam: hæc autem non potest esse sine gratia. Primo modo cognouerunt Philosophi Deum. Notandum tamen, quòd aliter dicitur Deus esse præsens apud animam per inhabitantem gratiam, aliter apud creaturam: secundùm quam Deus dicitur vbiq; esse potentialiter, præsentialiter, & essentialiter. Nam Deus dicitur esse præsens apud creaturam vniuersaliter, inquantum præsentialiter conseruat eam: & quoniam essentia eius non abest creaturæ. Præsens autem apud animam dicitur, inquantum præsentat siue præsentem facit beatitudinem, quæ est in ipso. Quod est tripliciter: vel in habitu tantùm, vt in paruulis: vel in affectu tantùm, vt in adultis: vel in habitu & affectu & intellectu, vt in beatis. Paruuli enim baptizati habent præsentem beatitudinem, quæ est in Deo, in habitu, & non in aliquo actu animæ. Adulti, qui sunt in charitate, habent præsentem beatitudinem, non solùm in habitu, sed in actu affectionis, diligendo Deum: non tamen in actu cognitionis, cùm cognoscant per fidem: quia fides est rerum absentium. Beati verò habent præsentem, non solùm habitu, sed affectu dilectionis perfectæ, & cognitionis manifestæ sine ænigmate.

¶ Sed adhuc obijcitur. Cognitio in brutis sufficienter mouet appetitum ad delectabile eligendum, & ad tristabile fugiendum: habito quodam experimento de delectabili & tristabili: ergo similiter in rationalibus cognitio potest mouere voluntatem ad faciendum bonum, & fugiendum malum: habito quodam experimento de bono & malo. Sed hoc potest esse sine gratia, vel dono addito: ergo, &c.

¶ Dicendum ad hoc: quod de summo bono nõ potest haberi experimentum sine gratia: sed potest haberi de bono sensibili: quia bonum sensibile non est constitutum supra potestatem virtutis sensibilis, seu super vim sensibilem: sed bonum summum intelligibile cõstitutum est supra intellectum, & supra potestatẽ intellectus; & propter hoc non potest ipsum cognoscere, nec de ipso experientiã habere sine dono gratiæ: & ita requiritur gratia ad hoc, quod per cognitionem experientiæ in ipsum moueatur. De hac experientia dicitur in Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum: & dabo ei calculum, &c. quod nemo scit nisi qui accipit.* Et hoc experimentum nõ habetur nisi per præsentiam summi boni apud animam: q̃ præsentia non est sine gratia. (Apocal.2.)

¶ Item, quamuis gratia esset necessaria in statu naturæ lapsæ: tñ ostenditur, q̃ gratia non erat necessaria in statu naturę benè institutę, scil. antè lapsum: *quia* (sicut habetur Deut. 32.) *Dei perfecta sunt opera*: ergo homo in statu suæ primæ conditionis fuit opus perfectũ. Sed (sicut dicit Philosophus) tũc dicimus vnumquodq; perfectũ, cùm potest attingere suæ virtuti: & (sicut dicit Aug.) virtus est ratio perueniens in suum finẽ: ergo in statu illo habebat homo rationem, per quam poterat peruenire in suum finem, ergo non indigebat gratia. (Deut.32. Philosop. 7.physic. tex. com. 18. Aug. in li. Soliloq.)

¶ Item, aut homo in statu primę suæ conditionis erat per donum naturæ gratus Deo, aut non. Si sic, ergo per naturam erat Deo acceptus, ergo non requirebatur aliquid, quod ipsum gratum faceret: ergo nec gratia. Si non, ergo erat odiosus Deo, sed hoc est falsum: *Quia nihil odisti eorum, quæ fecisti*: ergo in illo statu erat gratus Deo, & ei placebat: ergo per naturam gratus erat: non ergo indigebat gratia. (Sap.11.)

¶ Item, sicut dicunt Sancti: Adam in primo statu habebat vnde poterat stare: licèt non haberet vnde posset proficere: & hoc per naturam. Sed si stetisset, consecutus fuisset beatitudinem: ergo, &c.

¶ Item, sicut dicit Damascenus: *Manentes in eo, quod est* (Damasc.)

secundùm

secundùm naturam, in virtute sumus: sed recedentes ab eo, quod est secundùm naturam, id est, quod est præter naturam, sumus in vitio.

¶ ITEM, sicut dicit Hier. voluntas, quæ est in arbitrio, sola potest sufficere,& præmium habere: ergò non requiritur alia gratia vltra illam.

Origen. ¶ ITEM, Origenes. *Si obtulerimus, quæ ex nobis sunt: consequemur ea, quæ Dei sunt.* Ergò si Deo offerimus nostram voluntatem,& ea, quæ in nobis sunt ex natura, consequimur quæ Dei sunt, scilicet, beatitudinem æternam.

¶ RESPON. dicendum: quòd est perfectum quantũ ad esse; & est perfectum quantum ad benè esse, quod est esse ordinis. In primo ergò statu potuit dici homo perfectus secundùm naturam quantum ad esse naturæ, non tamen secundùm esse ordinis, vel benè esse; nisi per gratiam in præsenti,& gloriam in futuro.

¶ AD aliud dicendum, quod est gratum esse, dupliciter: in potentia (scilicet) & in effectu. Per donum ergò naturę solùm habet homo gratitudinem in potentia,& non in effectu: per donum autem gratiæ habet gratitudinem in effectu: & hæc est illa gratitudo, qua homo meretur, & dignus est vita æterna in actu. Primam gratitudinem habuit homo in primo statu per donum naturæ, sed non secundam per naturam: & impossibile esset, quod homo secundùm naturam ipsam haberet dignitatem, per quam esset dignus vita æterna. Et ideò necessaria fuit ei dispositio vlterior, per quam dignus esset: hæc autem gratia est.

¶ AD aliud dicendum, quod gratia ante lapsum erat necessaria ad hoc, quod homo proficeret: sed non ad hoc quod ipse staret: quia tunc natura erat benè condita & nõ infirmata per culpam. Sed post lapsum, sicut modò indiget homo gratia, qua proficiat, & qua stet: quia ante lapsum habuit homo, vnde poterat stare, id est, seruare bonum sibi inditum; non tamen vnde posset proficere ex natura sua, id est, se extendere in bonum: quod est supra se.

¶ AD aliud dicendum, quod hæc præpositio, *secundùm* aliquando dicit causam formalem, aliquando efficientem aliquando finalem. Si ergò dicat causam formalem, vel efficientem: sic manere secundùm naturam, non est esse in virtute: quia sic manere secundùm naturam, est manere in eo quod natura format, vel efficit: sed hoc non est esse in virtute. Si dicat causam finalem, sic manere secundùm naturam est, in illo, ad quod natura est, manere: & hoc est manere in virtute: quia illud, ad quod natura est, est gratia: & per gratiam est ad gloriam ordinata.

¶ AD aliud dicendum, quod voluntas comparatur ad gratiam, per quam informatur & comparatur ad opus: vnde ly sola potest excludere gratiam, vel actum exteriorem, si gratiam falsum est: si actum exteriorem, est verum: quia voluntas cum gratia, sine actu exteriori potest sufficere & prēmium habere: & hæc est intentio Hieronym.

Idem. ¶ AD aliud, quod dicit Origen. *Si obtulerimus*, &c. patet solutio: quia vult dicere, quod si faciamus, quod in nobis est, Deus dabit nobis gratiam; qua habita, consequemur beatitudinem: vnde non intendit dicere, quod offerre ea, quæ ex nobis sunt, sit causa sufficiens ad habendum ea, qui Dei sunt: sed solùm sit causam cooperans: sicut dicim⁹ de remouente prohibens, seu aperiente fenestras: quod est causa cooperans ad illuminationem domus.

¶ CONSEQVENTER contra hæreticos Pelagianos ostendendum est gratiam esse necessariam saluti: quorum rationes contra gratiam sunt istæ.

Deut. 30. ¶ IN Deuter. 30. *Vitam & mortem dedit ante faciem tuam: elige vitam, vt viuas.* Ergò in potestate lib. arb. est de se eligere vitam & mortem, scilicet, bonum & malum: ergò sine gratia potest eligere bonũ,& fugere malum declinando.

Ecclef. 15. ¶ ITEM Ecclef. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, id est, in potestate sui arbitrij. Ex quo habetur, quod in voluntate hominis, & in potestate sui arbitrij est seruare mandata, & porrigere manum ad ignem & aquam, id est, ad bonum,& ad malum: ergò de se potest homo ad bonum agendum, & malum declinandum gratia.

August. in lib. de ¶ ITEM, hæresis Cęlestij hæretici, quam narrat August. est: hominem non esse sine peccato: *hoc autem* (inquit) *aut est natura, aut voluntate: non natura, quia sic sequeretur, quod peccatum esset in homine à natura: ergò à voluntate est peccatum in homine. Sed omne, quod est à voluntate, faciliter potest vitari ipsa voluntate: ergò homo per suam voluntatem faciliter potest vitare peccatum, & venire ad bonum sine gratia: igitur non est gratia necessaria.* perfectione iusti. tiæ humanæ.

¶ IDEM hæreticus. *Peccatum, aut est necessitatis, aut voluntatis. Si necessitatis, vitari non potest; quod falsum est: ergò est voluntatis. Sed quicquid est voluntatis, potest vitari voluntate: ergò peccatum potest vitari voluntate sine gratia.*

¶ ITEM, nihil quod vitari non potest, debet imputari. Si ergò peccatum ab homine non potest vitari: ergò non potest homini imputari: nec debet. Si ergò Deus imputat homini peccatum: homo potest vitare peccatum: ergò homo per suam voluntatem potest declinare à malo, & facere bonum sine gratia.

¶ ITEM, frustra prohibentur vel iubentur, quæ vel caueri, vel impleri non possunt: quia ad hoc est præceptũ, vt impleatur, & ad hoc prohibitio, vt euitetur. Si ergò Deus nõ prohibet, vel iubet frustra: ergò ex arbitrio nostro possumus & vitare ea, quæ prohibet: & implere ea, quę præcipit nobis. Si ergò præcipit bonum,& prohibet malum: vtrunque possumus sine gratia, facere bonum, & vitare malum: ergò gratia non est necessaria.

¶ SI dicatur, quod homo non potest implere præcepta. Aut hoc est propter difficultatem, quæ est in eis, scil. in præceptis: vel in implente. Non est propter difficultatem, quæ sit in præceptis Dei: quia omne, quod præcipitur nobis à Deo, leue est & facile. 1. Ioan. 5. *Charissimi, præcepta Dei grauia non sunt*, &c. Item Matth. 11. *Iugum meum suaue & onus meum leue* (& appellat iugum mandatum) ergò quantum est ex parte mandati, de se potest homo illud implere: 1. Ioan 5. Matt. 11.
ex parte implentis, patet. Deut. 30. *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm: sed propè est verbum in corde tuo, & in ore tuo, vt facias illud.* Ergò ex parte facientis non est difficultas, nec ex parte mandati: ergò homo per arbitrium suum de facili sine gratia potest facere bonum,& declinare malum. Deut. 30.

¶ ITEM, Anselmus in libr. de Libero arbitrio, & gratia quærit: *Cur Scriptura inuitat hominem ad rectè volendum, & arguit non obedientem: cum ipsam rectitudinem nemo possit habere, vel accipere, nisi gratia dante?* Et iterum, *cur arguuntur illi, qui verbum Dei non suscipiunt, cum hoc facere non queant, nisi gratia voluntates eorum dirigente?* Ex his duobus sic obiicitur: non est iusta arguitio: cum aliquis arguitur de eo, quod non potest facere: ergò cum hæc arguitio sit iusta, quia Deus non arguit iniustè: ergò relinquitur, quod homo potest de se velle bonum,& suscipere verbum Dei: ergò de se potest, sine gratia bonum facere & malum vitare. Anselm.

¶ ITEM, Bernard. *Liberum arbitrium sui defectum omninò non patitur; quia potissimè in ipso æternæ & incommutabilis imago Deitatis videtur: nam & si habuerit initium necesse tamen occasum: nec de iustitia, vel gratia accipit augmentum, nec de peccati miseria detrimentum.* Si ergò lib. arbit. nullum capit augmentum de gratia, nec aliquod detrimentum de peccato: ergò tantam habet libertatem sine gratia: quantam habet cum gratia: sed tantam habet cum gratia, quod potest facere bonum, & declinare à malo: ergò & sine gratia idem potest. Bernar. in lib. de gratia & lib. arbit.

¶ CONTRA: hoc inducit August. testimonia multa: Domino loquente, cùm dixissent discipuli Matth. 19. *Si talis est causa cum vxore, nõ expedit nubere.* Respondet eis. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Quibus ergò non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt vt impleant quod volunt: itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur: & donum Dei est, & liberi arbitrij. August. in lib. de gratia & lib. arbitr. Matth. 19.

¶ ITEM, Nunquid non liberum arbitrium Timothei exortatus est Apostolus dicens. *Contine teipsum?* Scribens etiam. 2. ad Cor. 7. ait. *Vellem omnes homines esse sicut meipsum.* 2. Cor. 7.
Quia vtique ab omni concubitu continebat: & continuò subiunxit. *Sed vnusquisq; proprium donum habet à Deo, alius sic, alius sic.*

tam vtpotentem potestatem habemus: quid prohibet nos habere potestatem seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, etiam ipsa absente rectitudine: quamdiu ea ratio in nobis est, qua & valemus cognoscere: & voluntas, qua illam tenere possumus?

Anselm. in lib. eodem.

¶ Ad aliud dicendum secundùm distinctionē B. Ansel. Distinguit .n. voluntatem tripliciter: est namq; voluntas, quæ est instrumentū volendi: & volūtas affectio volendi: & voluntas quæ est vsus eiusdē instrumenti. Instrumētum volendi est vis illa animæ, qua vtimur ad volēdū: sicuti ratio est instrumentū ratiocinādi, qua vtimur, cū ratiocinamur: & visus instrumentum videndi, quo vtimur quando videmus. Voluntas affectio huiusmodi instrumenti est: qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid: etiam quando illud, quod vult, non cogitat: vt quādo venit in memoriam, aut statim, aut suo tempore illud velit: nam sic est instrumentum volendi affectum, ad volendum salutem, seu beatitudinem, etiam quando illam non cogitat; vt mox cum venerit in memoriam, statim eam velit: & sic est affectum ad volendum somnum, etiam quando illum non cogitat; vt cùm venit in mentem, velit illum suo tempore: nam [illegible] affectum est, vt aliquando velit ægritudinem [illegible] iusto homine etiam est affectum instrumentum ad volendum iustitiam, etiam cùm dormit; vt cum eam cogitat, statim eam velit. Vsus verò eiusdem instrumenti est, quem non habemus, nisi cùm cogitamus rem, quam volumus: & sic voluntas dicitur instrumentum volendi, & affectio eius, & vsus eius. Voluntas verò qua instrumentum illud efficitur, est duplex: nam sicut visus habet plures aptitudines, ad videndum lucem & per lucem, ad videndum figuras & colores: ita instrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco affectiones; quarum vna est ad volendum commoditatem, altera est ad volendum rectitudinem: quia nihil aliud vult voluntas, quæ est instrumentum; nisi aut commoditatem, aut rectitudinem: & quicquid vult, propter ista vult. Affectio commoditatis est, qua vult homo beatus esse, & qua vult beatitudinem: per illam verò, quæ est ad volendum rectitudinem, vult rectitudinem, & rectus esse: voluntas etiam commoditatis vult salutem corporalem; vt cùm vult arare, vel laborare, vnde habeat à quo tueatur vitam & salutem. Affectio rectitudinis est, qua vult homo cum labore addiscere, vt sciat recte, id est, iustè viuere. In hoc quoque differunt: quia illa, quæ est ad volendum commodum, non est hoc, quod ipsa vult: illa verò, quæ est ad volendum rectitudinem: rectitudo est: nullus quippe vult rectitudinem, nisi rectitudinem habens: neque potest aliquis rectitudinem velle: nisi rectitudine: & sic impossibile est, quod non habens rectitudinem, velit rectitudinem: sicut impossibile est, quod aliquis amisso instrumento, vtatur illo. Côcedo ergo, quod voluntas faciliter posset mutari ad volendum commodum de se: sed faciliter non potest mutari ad volendum rectitudinem: quia hoc non esse sine rectitudine: & ita non sine gratia.

August.

¶ Ad aliud respondet August. dicens: quod peccatum potest vitari, si sanetur natura gratia: non potest vitari, si nō sanetur natura per gratiā: & ponit exemplū de claudicatione: homo, qui pede viciato claudicat, nō potest vitare claudicationē, nisi sanato pede, quo claudicat. Si ergò cùm rectè facere sit, quasi ambulare: nisi pes, id est, voluntas sanetur: impossibile est, quod homo rectum facit opus: sanatur autem per gratiam. Et si obiiciatur tunc, quod peccatum est necessitatis. Dicendum, quod quantum ad aliquid peccatum est necessitatis, scilicet quantum ad naturam vitiatam: vnde in Psalm. 24. *De necessitatibus meis erue me*, &c. in natura autem sana non: sanatur autem per gratiam: & ideò addita gratia, potest voluntas vitare peccatum, & velle bonum, & operari.

Psal. 24.

Ansel. in eod. lib.

¶ Ad aliud dicendum secundùm Anselm. quod non quæcunque impotentia est in non vitando peccatum: est enim quædam impotentia proueniens ex culpa, quædam non. Prima impotentia non excusat peccatum, quia est effectus peccati: vnde imputatur peccatum: quia peccatum nō excusat peccatum: alia autem impotentia excusat peccatum, & facit, quod nō imputetur peccatum: vnde dicit. Notandum est, quod illa impotentia, quæ descendit ex culpa; non excusat impotentem: vnde in infantibus exigit Deus à natura humana iustitiā, quam acceperunt in parentibus: nec excusat impotentia habendi iustitiam, quoniam propter culpam in hanc decidit impotentiam: quam ergò Adam peccando deseruit iustitiam, ad peccatum illi imputatur, sc. humanæ naturæ impotentia, quam ipsa peccando sibi fecit. Cùm ergò impotentia vitandi peccatum sit ex culpa; patet quod debet imputari peccatum: nec potest per illam impotentiam excusari.

August. in lib. de perfectione iustitiæ humanæ.

¶ Ad aliud respondet August. *quod igitur obiicitur: frustra iubentur, vel prohibentur*, &c. Dicit, *non iuberentur, si nihil ibi nostra voluntas ageret: non oraretur, si sola sufficeret.* Non igitur frustra est præceptum, vel prohibitio: quia præceptum indicat, quod nostra voluntas ibi est necessaria: & oramus, quia sufficiens non est, vt nobis detur gratia ad implendum præceptum: quia in voluntate est illud implere cum gratia.

Idem in eodem.

¶ Ad aliud respondet idem August. cùm obiicitur. *leue onus est*, &c. Dicendum, quod non dicitur leue ex se; nec ex eo cui præcipitur: sed ex dono gratiæ, vel charitatis. Vnde leue onus potest dici in comparatione ad portantem, vel in comparatione ad onus: & similiter graue: & ex parte portantis potest dici, vel in se, vel ratione doni, quod datur portanti, quod est donum gratiæ, vel charitatis, scilicet quando portat ex amore. Et quantum ad hoc vltimum dicuntur mandata non esse grauia, & onus leue: scil. ratione fortitudinis portantis, cùm impleat mandata ex amore: quia amor facit omnia suauia & læuia. Vnde August. *Laborant in diei præceptis, qui ea timendo conantur implere: sed perfecta charitas foras mittit timorem: & facit præcepti sarcinam leuem: non solùm premente onere ponderum, verum etiam subleuantem vice pennarum.*

Idem.

¶ Ad aliud Deut. Dicendum, quod hoc quod mandatum non est supra, nec longè positum, &c. nō dicitur quia homo ipsum possit facere de se: sed quia Deus semper nobis præstò est, offerens nobis gratiam; qua possumus ipsum implere; & hæc gratia, seu charitas infunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, si volumus accipere.

¶ Ad aliud notandum secundùm Ansel. qui comparat liberum arbitrium, & verbum Dei, & gratiam terræ, & semini, & virtuti; quæ facit crescere semen in terra: quia liber. arb. est sicut terra, verbum Dei est sicut semen gratia est sicut vis illa, quæ facit crescere ipsum semen in terra. Cùm ergò quæritur: vnde est quod sacra Scriptura, &c. respondet, quod sicut terra naturaliter nō germinat ea, quæ necessaria sunt saluti corporis nostri, sine seminibus: ita terra cordis humani non profert fructum fidei neque iustitiæ sine congruis seminibus; & quamuis Deus non faciat cuncta huiusmodi semina germinare, tamen præcipit agricolis suis in spe instantissimè seminare, quamuis nō crescat sine gratia. Qua ergò arguuntur, qui verbum Dei nō recipiunt: hoc est, quod si per eos non stet, ipse Deus paratus est dare beneficium & incrementum gratiæ: quia (sicut dicit idem Anselm.) *homo non dicitur non habere gratiam, quia Deus non det: sed quia homo non accipit.* Et sic patet solutio ad primam auctoritatem Ansel. & ad secundam.

Ansel in lib. de casu diaboli.

Bernard.

¶ Ad aliud dicendum secundùm Bernard. quod libertas est multiplex, scil. libertas à necessitate, à peccato, & à miseria. Libertas à necessitate dicitur libertas arbitrij, quæ est prima: secunda est libertas consilij; tertia est libertas complaciti. Libertas arbitrij est discernere, quid liceat, & non liceat; cum arbitrium sit iudicium: libertas consilij est probare, quid expediat, & non expediat: libertas complaciti, quid libeat, & non libeat. A prima ergò secundùm Bern. dicitur liberum arbitrium: à secunda consilium liberum: à tertia liberum complacitum. Vult ergò, quod prima libertas tam in bonis, quàm in malis sit æqualis, quia est à necessitate; tamen ordinatior est in bonis, quàm in malis: de libertate consilij, quæ est à peccato, dicit: quod fruuntur quilibet iusti ex parte non modica in hac vita: de libertate complaciti, quæ est à miseria, solùm possunt frui contem-

plante in hac vita,& non alij:& hoc ex parte modica: sed ipsa complete fruuntur in patria,vel in gloria. Quod ergò dicitur quod liberum arbitrium in bonis non capit augmentum,nec in malis decrementum: hoc intelligitur de libero arbitrio quantum ad primam libertatem, quæ est à necessitate,quæ est libertas arbitrij, quod enim liberum arbitrium cogi non potest coactione sufficienti;hoc est æqualiter in omnibus,quia hæc inest per naturam: aliæ autem non:sed vna per gratiam,scilicet,libertas consilij,alia per gloriam,scilicet,libertas complacitii. Vnde de illa dicit sic Bern. *Libertas arbitrij cunctis pariter ratione vtentibus conuenit:nec minoratur:nec est maior, quantum est de se,in bonum & malum.* Sed per hanc non mouetur libe.arb. in bonum solùm, sed requiruntur aliæ: nulla autem aliarum potest esse sine gratia: & propter hoc sine gratia non potest moueri liber. arbitr.in bonum,& declinare malum. Idem.

MEMBRVM II.

Quid sit gratia.

CONSEQVENTER quæritur de gratia,quid sit & secundùm rem,& secundùm nomen,& secundùm definitionē: hoc modo. Primò,vtrum sit aliquid secundùm rem in gratificato: vel solùm sit in acceptione gratificantis. Secundò,supposito quod sit aliquid secundùm rem in gratificato: vtrum sit creatum quid,vel increatum. Tertiò supposito,quod sit quid creatum:vtrum sit substantia,vel accidens. Quartò,supposito quod sit accidens: vtrum sit idem gratuita virtute. Quintò, quid sit gratia secundùm rationem. Sextò,quid sit secundùm diffinitionem.

ARTICVLVS I.

An gratia aliquid sit secundùm rem in gratificato,vel solùm sit in acceptione gratificantis?

CIRCA primum sic proceditur: & ostenditur, quod gratia sit aliquid, vel ponat aliquid in grato, seu in
Ioan.1. gratificato.Ioan.1.*De plenitudine eius accepimus omnes,*sc.gratiam. Sed omne,quod recipitur:si ergò accepimus gratiā à Christo:patet quod gratia ponit aliquid in nobis: & ita est aliquid secundùm rem in gratificato.

1.Cor.12. ¶ ITEM, 1.Cor.12. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus,qui operatur omnia in omnibus: alij quidem datur sermo sapientia,*&c.alij prophetia,alij fides,alij gratia sanitatum,alij discretio spirituum. Si ergò sapientia, fides, prophetia, & sic de alijs ponunt aliquid secundùm rem habente illa: & istæ sunt gratiæ speciales collatæ à Deo:patet quod gratia secundùm rem ponit aliquid in gratificato.

¶ CONTRA. sicut se habet laus ad laudantem & laudatum: ita se habet gratia ad gratificantem & gratificatum, siue ad acceptantem & acceptatum. Sed laus non ponit aliquid in laudato, sed in laudante: quia indifferenter est de ente & de non ente:vt possumus laudare Cæsarem,qui non est, de sapientia: nec tamen in eo ponitur sapientia. Ergò similiter gratia nihil ponit in gratificato vel acceptato,sed in gratificante,vel acceptante.

¶ ITEM,fortè dicet aliquis: quod illa similitudo non tenet in gratia Dei. Contra. Sicut se habet gratia,qua aliquis dicitur esse gratus homini,ad gratificatum:ita gratia, qua aliquis dicitur esse gratus Deo, se habet ad gratificatum. Sed gratia,qua aliquis dicitur esse gratus homini,nihil ponit in gratificato:ergò nec gratia:qua aliquid dicitur esse gratus Deo.Minor patet: quia aliquis maleuolus, qui non erit dignus, vt sit gratus alicui, sicut inimicus alicuius hominis;posset esse gratus & acceptus alij: & tamen hæc gratia nō ponit aliquam dignitatem in illo, qua sit dignus gratificatione.

Daniel.1. ¶ ITEM,Dan.1.*Deus dedit gratiam Danieli in conspectu principis Eunuchorum.* Cōstat quod nullo bono addito Danieli, posset fieri gratus de non grato principi; esto quod Deus solùm immutet affectum principis, nec plus requireretur ad hoc:sed hoc non poneret in Daniele: ergò constat,quod gratia nihil secundùm rem ponit in gratificato.

RESOLVTIO.

Cum gratia gratum Deo reddat: hac autem gratitudo consistat in Deiformitate,vel assimilatione ad ipsum:necessariò aliquid positiuus dicit in gratificato,nec in sola stat acceptione gratificantis.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod gratia, qua aliquis dicitur esse gratus Deo, necessariò ponit aliquid bonum in gratificato,quo est gratus Deo:illud autem,quo est gratus Deo;est illud, quo est Deiformis vel assimilatus Deo:vnde tunc dicitur gratus Deo,quando est ei similis: odiosus verò dicitur Deo, quando est Deo dissimilis,sicut peccator: quia peccatum est dissimilitudo ad ipsam bonitatem summam. Sicut ergò odiosum Deo ponit aliquid per modum defectꝰ & priuationis, quo sit illa dissimilitudo, sicut peccatum:ita gratia ponit similitudinem gratificati ad Deum, & ponit aliquid in ipso, quo dicitur assimilatus Deo, per quam assimilationem est dignus vita æterna, quæ est in na assimilatione rationalis creaturæ ad Deum. 1.Ioann.2. 1.Ioan.2.
Nondum apparuit quid erimus, cum autem apparuerit, similes ei erimus.

¶ AD primum dicendum, quod est laus à Deo, & est laus ab homine: similiter est esse gratum Deo, & est esse gratum homini. Faciendo ergò comparationem in eodem genere,sc.laudis,quæ est à Deo,ad gratiam,quæ est à Deo: dicendum,quod tenet illa comparatio: sicut se habet laus ad laudatum,&c. Sed comparādo gratiam,quæ est à Deo, ad laudem,quæ est ab homine:nō est verum,quod sicut se habet laus ad laudatum,&c. & hoc est, quia laus,qua homo laudatur à Deo, ponit necessariò aliquid bonum in laudato.De hac laude dicitur. 1.Cor.4. *Nolite ante tempus* 1.Cor.4.
iudicare,&c.& sequitur.*Tunc erit vnicuiq; laus à Deo,*&c.quia laus diuina est approbatio Dei de aliquo bono ente in homine:& inde est,quod laus diuina ponit bonum in laudato. Similiter gratia Dei ponit in grato bonum aliquod: quod est Deiformitas, vel similitudo in homine, per quam homo est Deo gratus.

¶ AD dicendum, quod non est simile de gratia, qua homo est gratus homini,& Deo: quia nō sequitur,aliquis est gratus homini,ergò bonū est in illo:& hoc est,quia gratia illa sequitur opinionem hominis: si quidem gratia illa est acceptatio quædam facta secundùm opinionem: opinio autem hominis potest esse vera & falsa. Et propter hoc sicut opinio hominis non ponit necessariò aliquod bonū secundùm rem esse in opinato:similiter nec acceptatio secundùm opinionem,quæ dicitur gratia in homine,ponet aliquod bonum gratiæ in acceptato. Sed gratia Dei & acceptatio diuina est secundùm cognitionem ipsius, quæ falli non potest; sed semper est vera: sequitur proinde, quod illa gratia necessariò ponit bonum gratiæ in acceptato.

ARTICVLVS II.

An gratia creatum,vel increatum quid sit in habente eam?

CONSEQVENTER quæritur, supposito quod gratia sit aliquid secundùm rem habente gratiam: vtrum sit res creata,vel increata? Et quod sit res increata,sic ostenditur. Vanum est fieri per plura, quod potest fieri per vnum: hac propositione vtitur Philosophus in actione naturali: & probat per hanc, quod idem sit organū gustus & locutionis;quia natura nihil facit frustra: sed si natura facit per plura, quod per vnū potest facere; facit aliquid frustra: ergò cum hoc sit inconueniens; patet quod non facit per plura,quod per vnum potest facere.Sed idem instrumentum potest esse gustus & locutionis: ergò frustra facit natura,si non facit idem idem instrumentum eorum. Sed si inconueniens est in natura,quod facit per plura quod per vnum potest facere; multo fortius,hoc est inconueniens Deo: qui est principium totius naturæ. Si ergò Spiritus sanctus est gratia increata, quæ diffunditur in cordibus nostris, sicut dicit Apostolus ad Ro.5. & omnia sufficien- Rom.5.
ter

ter possunt fieri per ipsum, quæ pertinét ad salutě, ergò vanum est ponere aliam gratiam creatam in ipsa anima. Gratia ergò, quę est in anima grata Deo; solùm est gratia increata, & non creata.

August. in lib. de ciui. Dei. ¶ Item, August. in lib. de Ciuit. Dei, & alibi plures insta auctoritatem: Deut. 30. *Ipse est vita tua*: inquit, quod sicut anima est vita corporis: ita Deus & vita animæ. Sed anima est vita corporis per naturam: Deus autem est vita animæ per gratiam. Si ergò non est ponere aliam vitam in corpore quam informationem, seu perfectionem animæ: similiter nec in anima erit ponere aliam vitam, qua viuat in esse gratiæ, quam ipsum Deum: & ita gratia non est creata, sed increata.

¶ Item, perfectioris virtutis est producere effectum sine medio, quam cum medio: cùm ergò virtus diuina sit perfectissima; semper producit suum effectum per seipsam sine medio: & cum ipsa gratificet animam: relinquitur, quod hoc facit sine medio aliquo: non ergò ponetur aliquod medium, scilicet gratia creata, mediante qua Deus gratificet animam.

Idem. ¶ Item, dicit August. *Mens nulla interposita natura, ab ipsa prima veritate formatur*: sed formatio illa est per gratiam: ergò nihil interponitur inter mentem, & gratiam, & increa: ergò non est ponere gratiam creatam mediam in illa formatione.

Ex 3. de Anima. 19 agens nobilius est patiente. ¶ Item, omne, quod agit in aliquid, nobilius est eo in quod agit: quia agens habet dominium super illud, in quod agit: cùm ergò gratia agat in spiritum creatum, nobilius est spiritu creato: sed nihil est nobilius spiritu creato, nisi spiritus increatus: gratia ergò est increata, siue increatus spiritus. Minor patet: quod gratia agat in spiritum
Idem. creatum, scilicet, in anima: *quia gratia alterat animam, vt faciat iustam de iniusta: & immutat voluntatem* (sicut dicit August.) *à malo velle in bonum velle,*

¶ Item, nullum bonum creatum posset esse dignum infinito bono: sed gratia est bonum dignum bono infinito; quia facit animam dignam bono infinito: ergò non est creata.

Rom. 8. Eccles. 1. ¶ Item, Rom. 8. *Vanitati subiecta est omnis creatura.* Ergò omnis creatura est vanitas: vnde Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ex hoc arguitur: nihil coniungit vanitatem veritati, quod sit vanitas: sed creatura rationalis est vanitas: veritas autě ipsa diuina bonitas: ergò illud, quod coniungit rationalem creaturam diuinæ bonitati; nullo modo erit vanitas, sed veritas: ergò non est creatum: sed gratia est illud, quod coniungit: ergò non est creata.

¶ Ad oppositum. Omne, quod est in recipiente, est in illo per modum recipientis, & non per modum recepti. Verbi gratia, anima recepit formas rerum: similiter & materia secundùm modum suum, sc. secundùm dimensionē quantitatiuam: anima autem hoc modo non recipit, sed secundùm suum modũ: hoc est, secundùm simplicitatem suæ naturæ. Vnde quia ipsa non habet demensionē quantitatiuam; non sunt in ea species quantitatiuè, imò infinitæ in ea possunt esse species. Sed summa bonitas per Spiritum sanctum recipitur ab anima: cùm Spiritus sanctus diffunditur in cordibus nostris: ergò recipitur per modum rei recipientis, & non per modum recepti: ergò modus aliquis ponitur in recipiente anima, secundùm quem ipsa potest recipere diuinam bonitatem: sed modus ille est donum, & gratis datum, & dispositio noua potestas ad receptionem: ergò est gratia creata.

August. in lib. de pœnitentia Dei ad Dardanum. Ioan. 14. ¶ Item, dicit August. *Aliter est Deus in omni re: aliter in anima sancta: nam in omni re est essentialiter, ita quod non inhabitat in omni re: est autem in anima sancta ita essentialiter, quod in ea inhabitat,* secundùm quod habetur Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cùm ergò dicitur, Deus est in anima sancta: aut ponitur aliquid aliud à diuina essentia in anima sancta, quando Deus est in ea, quod non ponitur in omni re: aut non. Si non, ergò sicut Deus non inhabitat in omni re, quamuis sit essentialiter in omni re; ita nec in anima sancta: quod est inconueniens. Ergò ponitur aliquid, quod est aliud à diuina essentia in anima sancta; quo inhabitat in ea: sed cum Deus inhabitet in ea per gratiam: ergò illud est gratia: sed illa gratia est aliud à diuina essentia: ergò est creata.

¶ Item, gratia increata est in nobis, & facit nos gratos Deo: aut hoc quod dico, *gratos Deo*, ponit in nobis aliã dispositionē ab increata, qua sumus Deo grati: aut non. Si nõ ponit aliam dispositionem in nobis à gratia increata: ergò in nobis nõ differt gratus & non gratus: quia increata gratia est in anima ingrata per essentiam pręsentiam & potentiam, & similiter in anima grata: secundùm quod dicitur Deus esse vbique principaliter, potentialiter, & essentialiter: sed illud est inconueniens, quod non differat gratus & ingratus: ergò hoc quod dico, *gratum Deo*, ponit aliquã dispositionem in nobis aliam à gratia increata: qua dispositione dicimur grati Deo: sed illa est nobis gratis data, & faciens gratum: ergò est gratia creata.

¶ Item, gratia increata facit nos esse gratos: aut ergò faciendo nos gratos, facit nos esse aliquid, quod non eramus priùs: aut faciendo nos operari, quod prius non operabamur: vt attendatur illud, *gratum*, non quo ad esse, sed quò ad operari, scilicet quia facit nos operari aliquid gratuitum, quod prius non operabamur. Si poneretur hoc modo per causam, ad operandum gratuitè: secundùm hoc in paruulis nõ esset gratia, nec essent grati Deo: quia gratia non facit eos operari aliquid gratuitum: sed hoc est incõueniens: ergò illa gratitudo intelligitur, quò ad esse: ergò facit non esse gratuitè, quod prius non eramus: ergò ponitur modus aliquis, seu dispositio in ipso esse, quod prius non erat: ergò necesse est ponere gratiam creatam in nobis, mediante qua anima disponatur, vt sit grata Deo.

¶ Item, similis est comparatio Dei ad animam, qui est vita sua: & anima ad corpus, quę est vita sua: sicut dicit Au-
gust. Si ergò corpus non vnitur animæ, nisi accipiat vitam August.
disponentem ab ipsa: ergò similiter anima nõ vnietur Deo nisi accipiat vitam disponẽtem ab ipso: sed hæc vita disponens est creata, & gratis data ipsi animę: ergò est gratia creata. Minor patet, quòd corpus non vnitur animæ, nisi accipiat vitam disponentem: quia ponatur, quod anima teneret suum viuere in se, ita quod non influeret aliquam dispositionem in corpus: nunquam corpus viueret: ergò aliqua dispositio vitæ est ex parte corporis ad hoc, vt viuat vita animæ: ergò similiter est dispositio vitalis in ipsa anima à Deo infusa & gratis data, ad hoc vt viuat ab ipso.

RESOLVTIO.

Gratia & creatum, & increatũ quid in habente est. Increatum est, ipse Spiritus sanctus transformans: creatum dispositio illa qua anima disponitur, vt spiritum increatum recipere valeat: vel forma ea, qua ex transformatione ad spiritum ipsum paracletum in anima transformata derelinquitur.

¶ Solvtio. Dicendum, quod est gratia creata, & increata in habente gratiam. Gratia increata est Spiritus sanctus: & dicitur Spiritus sanctus gratia, secundùm quod dicitur donum: & dicitur donum, secundùm quod dicitur amor: ipse enim Spiritus sanctus secundùm suam proprietatem amor est: & vt amor procedit à Patre, & Filio: & ideò quia donum est, ideò amor est: quia nihil est donum, nisi ratione amoris. Nã nisi aliquid detur ex timore, nõ est donum propriè, imò redemptio: similiter si detur ex cupiditate, nõ est donũ, sed quæstus: sed donum propriè est ex amore, & liberalitate, & sine coactione: vt in omni dono primò donatur amor: & sic Spiritus sanctus dicitur gratia, quia donum: & dicitur donum; quia amor. Et hoc est illud gloriosum donum, de quo Ioan. 14. *Et rogabo Patrem, & ali-* Ioan. 14.
um paracletum dabit vobis. Spiritus enim sanctus eò facit nos gratos, quo facit nos Deiformes: hoc autem facit, quia amor est. Vnde dicit Hugo: *Scio anima mea, quia dilectio tua* Hugo de S. Victore
vita tua est; & quicquid diligis ipsa vi dilectionis in eius similitudinem transformaris. Quia ergò Spiritus S. amor est, immò & virtus prima amoris; inde est, cùm datur nobis, transformat nos in diuinam specialem: vt sit ipsa anima assimilata Deo. Et alia parte debemus intelligere gratiam creatam, velut similitudinem & dispositionem ex parte animæ rationalis: ex qua habet, quod sit accepta Deo & assimilata:

quia ibi est forma transformans: & hæc est gratia increata, similiter ibi & forma transformata, quæ derelinquitur in transformato, scilicet, in anima ex transformatione: & hæc est gratia creata. Dicendum ergò, quod est sufficientia agentis, & est sufficientia recipientis. Quantum autem est de sufficientia agentis Spiritus S. æqualiter se habet ad omnia: & omnia potest facere sufficienter, quantum est de se: nec est necessaria ex parte ipsius gratia creata, sed solùm quantum est ex parte recipientis, scilicet, animæ rationalis: quia non potest se habere per immediationem ad gratiam increatam, nisi disponatur priùs, * & hoc est defectus ipsius: & propter hoc necessaria est ei gratia disponens ipsam. Vnde benè dicitur à quibusdam, quod ipsa gratia increata sufficiens est ad omnia facere, non tamen ad omnia fieri: quia fieri se tenet ex parte recipientis: sicut in costa Adæ secundùm August. erat potentia ex parte agentis facere Euam, & tamen erat potentia fieri, quia non erat dispositio in costa, vnde illud fieret. Similiter ex parte gratiæ increatæ est sufficientia ad facere animam gratam sine gratia creata: tamen insufficientia est ex parte fieri gratum: & hæc insufficientia est ex parte animæ.

* Alias. & hoc est ex defectu ipsius

¶ Ad aliud dicendum, quod verum est, quod anima secundùm se est vita corporis, id est, sine medio: quia anima sine medio vnitur corpori: & tñ per mediũ vnitur corpori. Sine medio dico, quia non est mediũ ex parte sua, ad hoc vt vniatur corpori: cum ipsa sit forma corporis; & forma se vnit per suam essentiam. Per medium dico: quia est dispositio ex parte corporis media ad hoc, vt vniatur anima ipsi. Est igitur ibi medium ex parte suscipientis, non ex parte informantis. Similiter gratia creata sine medio vnitur animæ: nec requiritur medium ex parte informantis: sed ex parte recipientis, animæ, scil. requiritur, per quod vniatur: & hæc est gratia creata.

¶ Ad aliud similiter dicendum, quod virtus diuina ex parte sui non producit effectum cum medio: sed ex parte suscipientis.

¶ Ad aliud concedo, quod quantum est ex parte informantis, vel assimilantis, nihil interponitur ad hoc, vt anima assimiletur, & fiat grata Deo: sed solùm ex parte animæ suscipientis, necesse est quod interponatur dispositio, vt dictum est.

¶ Ad aliud dicendũ, quod est gratia increata, quæ simpliciter est nobilior Spiritu creato: & illa est Spiritus sancti. Ex alia parte est gratia creata, & illa quò ad quid est nobilior Spiritu creato, & non simpliciter. Inquantum enim comparatur ad animam, vt agens in eam, nobilior est: sed secundùm quod comparatur ad animã, velut dispositio ipsius, sic est ignobilior, & habet rationem ignobilioris: quia dispositio non est nobilior substantia, quam disponit; quia cedit in ipsam: sed inquantum est mouens nobilior est. Et exemplũ patet in lumine: secundùm quod est in aëre ab ipso sole, illud lumen dispositio est aëris: sed ponatur, quod aër videret solem per illud lumen, tunc lumen illud compararetur ipsi aëri in ratione mouentis, vel immutantis: quia lux immutat visum: sed hoc, quod esset in ratione immutantis, non haberet ab eo, in quo esset, sc. ab aëre, sed solùm ab eo, à quo esset, scil. à sole. Similiter gratia creata vnam comparationem habet ad animam, secundùm quod est animæ dispositio: aliã, secundùm quod est à gratia increata velut lumen fluens ab ea in ipsam animam.

¶ Ad aliud dicendum, quod gratia creata vno modo est finita, alio modo infinita: simpliciter enim infinita est, quantum ad subiectum in quo est: in comparatione verò infinita est, quantum ad illud à quo est; quia est à gratia increata, quæ est infinita bonitas. Similiter virtus eius finita est, quantum ad subiectum, scilicet, quantum ad animam: infinita secundùm comparationem ad illud, à quo est. Potest autem aliter dici: quod gratia est finita secundùm essentiam; tamen secundùm suam virtutem, quæ * comparata ad actus infinitos, in quos potest ratione influentiæ diuinæ bonitatis; infinita est: & ex hoc habet, quod facit dignum infinito bono: bonum enim infinitum, quod est gratia increata, per illam habetur & recipitur à rationali creatura. Vel potest dici, quod gratia gratum faciens, licet nullo modo sit infinita, quantum de se: nihilominus quia vnit habentem summo, seu infinito bono; efficit illũ dignum bono infinito, qui enim vnitus est bono infinito, dignus est omni bono, siue infinito.

Alias,

¶ Ad aliud dicendum, quod quando aliqua duo sunt disparata: ad hoc quod conueniant, necesse est, quod medium per quod conueniunt, sit diuersæ rationis. Sic ergò creatura rationalis & increata bonitas, quæ est Deus; cum sint disparata, nunquam coniunguntur, nisi interueniat medium diuersæ rationis, scilic. gratia increata, quæ sit ex parte Dei vniens: & gratia creata, quæ sit ex parte animæ disponens. Et sic vanitatem veritati non coniungit vanitas, immò veritas est coniungens, sc. gratia increata: gratia verò creata est disponens. Et dico quod gratia creata secundùm rationem, qua de nihilo est; vanitas est; secundùm rationem autem, qua à Deo est; veritas est. Sicut est de anima: quia secundùm rationem, qua de nihilo est; vanitas est: secundùm rationem, qua à Deo est; veritas est: quia à summa veritate procedit. Secundùm ergò rationem, qua gratia creata vanitas est, & de nihilo, secundùm hoc nec vnit, nec disponit animam ad hoc, vt vniatur Deo, sed deficit secundùm hanc rationem per peccatum: sed secundùm rationem, qua à Deo est, vnit & disponit, vt anima vniatur Deo.

ARTICVLVS III.

An gratia creata substantia, vel accidens sit?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum gratia creata sit substantia, vel accidens. Ad quod sic: omne quod adest & abest præter subiecti corruptionem, est accidens: quia accidens est, quod adest & abest, &c. sed gratia adest, & abest, &c. ergò est accidens.

¶ Item, omne quod recipit magis & minus, est accidens, gratia est huiusmodi, quia homo secundùm magis & minus habet gratiam: ergò, &c.

¶ Item, omne, quod aduenit substantiæ post esse completum, est accidens: sed gratia aduenit animæ post esse completum ipsius animæ: ergò gratia est accidens.

¶ Contra. Iob 38. *Per quam viam spargitur lux*, &c. dicit Gloss. *Per quam viam diffunditur gratia: vnde appellat ibi lucem gratiam.* Ex quo habetur, quod gratia spargitur sicut lux. Qualis ergò comparatio est lucis ad aërem, per quem diffunditur: eadem est comparatio gratiæ ad animam, in qua diffunditur. Sed comparatio lucis ad aërem non est comparatio accidentis ad subiectum, sed perfectionis substantialis: quia si aër corrũperetur, adhuc remaneret ipsa lux: sicut quidam posuerunt; quia non habet esse dependens ab aëre, sed à fonte luminis: ergò similiter comparatio gratiæ ad animam non est comparatio accidentis ad subiectum, sed perfectionis substantialis ad illud, cuius est perfectio. Iob 38. Glossa.

¶ Item, duplex est esse, scil. esse primum, & esse secundum: primum esse, est esse naturæ: secundum esse, est benè esse, seu esse ordinis: sed dignius est esse secundum, quam primum: ergò perfectio secundi est dignior; quàm perfectio primi esse: sed perfectio primi esse est substantiæ: ergò & substantia secundi esse est substantia: sed gratia est perfectio animæ quantum ad secundum esse: ergò est substantia.

¶ Item, omnis perfectio dignior est perfectibili: nullũ accidens dignius est quam substantia: ergò nullum accidens est perfectio substantiæ alicuius propriè, sed sequẽs rei perfectionem. At verò gratia se habet ad animam in ratione perfectionis: ergò gratia non est accidens, sed substantia.

¶ Item, nullum accidens commutat subiectum; & per hoc à quibusdam probatur, quod lux in aëre non est accidens: quia lux in aëre mutatur de vna parte, aëris in aliam secundùm motum solis. Sed gratia mutat subiectum suum velut lux: quia dicitur in Apoc. 2. *Tene quod habes, ne alius occupet, vel accipiat coronam tuam.* Et similiter. 1. Reg. 28. dixit Dominus Sauli. *Auferam gratiam tuam, & dabo æmulo tuo meliori te* Ergò gratia mutatur de vno subiecto in aliud subiectum: ergò non est accidens, sed substantia. Apoc. 2. 1. Reg. 28.

¶ Item, inter omnes perfectiones illa perfectio, quæ

vltima

vltima est, dignior est (supponatur quod gratia & gloria idem sint: sed differant secundùm perfectum & imperfectum: vnde gloria est gratia consummata) inde arguitur sic. Perfectio vltima rationalis creaturæ est gratia: ergò est dignior quam prima perfectio naturalis: sed prima perfectio naturalis est substantia: ergò gratia est substantia.

¶ Item, omne accidens est separabile à substantia: est autem separabile à substantia, quia destruibile in ea: sed gratia non est destruibilis in anima: quia si destruitur in anima, aut destruitur à Deo, aut à peccato, aut à libero arbitrio. Non à Deo, quia gratia est similitudo Dei in anima: sed Deus nunquam destruit suam similitudinem; quia sic faceret contra se: ergò non potest destrui à Deo. Item, nec à peccato: quia peccatum nihil est: & etiam (sicut dicit Dionys.) peccatum non agit, nisi virtute boni: si ergò peccatum non agit, nisi virtute, vel ratione boni: & bonum illud non est contrarium gratiæ: omnis autem corruptio est à contrario: patet quod non potest destrui per peccatū. Similiter nec à libero arb. quia est perfectio eius: sed nihil destruit suam perfectionem: ergò non est destruibilis à libero arbit. & pluribus modis non potest destrui: ergò non est gratia destruibilis in subiecto, scilicet, in anima, ipsa manente: ergò non est accidens. Dionys.

RESOLVTIO.

Gratia creata in comparatione ad primum esse animæ, scilicet: naturale, accidens est: in comparatione autem ad secundum esse, scilicet benè esse dispositio substantialis est, nullatenus autem substantia.

¶ Solvtio. Dicendum, quod gratia creata duplicem habet comparationem, scilicet, ad primum esse animæ, quod est naturæ: & ad esse secundùm ipsius, quod est benè esse, vel esse ordinis, secundùm quod comparatur ad animam. Quantum ad primum esse animæ; quod est esse naturæ: sic dico, quod est accidens: quia est dispositio adueniens animæ post completionem illius quantum ad illud esse. Secundò autem modo est dispositio substantialis, nō tamen substantia, sc. quantum ad secundùm esse: & hoc est, quia secundùm esse est accidentale respectu primi esse, & nullo modo substantiale: & ideò principium illius esse, erit accidens, & non substantia: est tamen substantiale quantum ad illud.

¶ Ad illud ergò quod obiicitur de luce in aëre. Dicendum, quod sunt opiniones de luce in aëre. Vna est, quod lux in aëre sit corpus: & hoc modo est substantia: sed secundùm hoc non tenet illa comparatio, quia gratia non est substantia; sicut visum est. Alia opinio, quod lux est forma perficiens aërem quantum ad benè esse, quod est esse perspicuitatis. Dicendum ergò, quod cōparatio lucis ad gratiam creatam tenet, inquantum lux dicitur forma: & secundum quod gratia accidit ipsi animæ, & dependet ab ea, sicut à subiecto, in quo est; à gratia autem increata sicut ab illo, à quo est. Et primò modo comparatur, vt accidens: secundò modo, vt substantiale principium quantum ad esse secundùm in anima, quod est esse ordinis; non tamen est substantia. Nota, quod quædam accidentia dependent à subiecto, vt à quo, & in quo: sicut leuitas ab aëre, grauitas à terra. Sunt alia, quæ dependent à subiecto, sicut ab illo, in quo solùm, & non sicut ab illo, à quo: sicut dependet lumen ab aëre: & sic dependet gratia ab anima; sed leuitas in aëre dependet ab aëre vtroq; modo: quia inest aëri à natura aëris: gratia autem non inest hoc modo ipsi animæ, sed in modum lucis.

¶ Ad aliud dicendum, quod est perfectio, quæ est à forma: & est perfectio, quæ est à fine. Item est perfectio primi esse: & secundi esse; perfectio primi esse, est à forma substantiali, perfectio secundi esse, est à fine, quia esse ordinis à fine perficitur, ad quem est. Item est perfectio disponens & est perfectio complens, perfectio complens est dignior perfectibili, & non disponens. Dicendum ergò, quod gratia creata est perfectio esse animæ secundi tanquam disponens; sed perfectio sicut complens est finis ipsius, scilicet, diuina bonitas. Vnde illud quod disponit animam, vt ordinetur ad finem, est gratia creata: illud quod complet, est finis, scilicet, summa bonitas; & sic perfectio secundi esse, est substantia, sicut perfectio primi esse: sed non perfectio disponens, sed perfectio complens.

¶ Ad aliud dicendum, cùm sit gratia creata, & increata, vtraque dicitur perfectio, sed differenter: vna enim perficit, vt disponens, alia, vt complens. Quando ergò dicitur: omnis perfectio est dignior perfectibili: si hoc intelligatur simpliciter: non est verum, nisi de perfectione complente: & non de disponente simpliciter: sicut dictum est.

¶ Ad aliud dicendum, cùm dicunt Scripturæ. *Auferam gratiam tuam*, &c. hoc dicitur secundùm illum tropum 1.Reg.28
secundùm quem dicitur vna fides omnium credentium, quæ vna est per comparationem ad creditum, quia vna est veritas, quæ creditur: sed per comparationem ad credentem, non: immò diuersa est fides numero, qua ego credo, & alius credit. Similiter gratia vno modo respicit subiectum, alio modo respicit illud, ad quod datur gratia. Cùm ergò dicitur. *Auferam gratiam tuam, & dabo alij:* hoc non intelligitur de gratia per comparationem ad subiectum: sed gratia illa intelligitur per comparationem ad illud, ad quod datur gratia: quia ad illud idem numero, ad quod habet aliquis gratiam; potest dare gratiam alij: & sic intelligitur auctoritas de Dauid & Saul. 1.Reg.28. cùm dicit Dominus Saul. *Auferam gratiam tuam*, &c. id est, ad illud Ibidem.
idem, ad quod habes gratiam, dabo alij gratiam, & auferam tibi.

¶ Ad aliud dicendum, quod est quædam perfectio rei quæ est de ipsa re, & intrinseca ad rem: & est perfectio rei, quæ non est de ipsa re, sed extra rem: ad quam sc. est res; & hæc finis: hoc modo diuina voluntas, siue gratia increata est perfectio. Item perfectio, quæ est de re, vel intra rem: duplex est, sc. quantum ad primum esse: & hæc est forma substantialis: vel quantum ad secundùm esse: & hoc modo gratia creata est vltima, perfectio rationalis creaturæ: sed non est vltima, nisi quantum ad dispositionem, vel tanquam disponens: finis autem, seu gratia increata est vltima & complens: & hæc est substantia.

¶ Ad aliud dicendum: quod est quædam corruptio siue destructio in forma à contrario: sicut calidum destruitur à frigido, & econuersò. Quædam autem per destructionem, seu defectum subiecti: sicut deficiente igne destruitur caliditas. Dicendum ergò, quod gratia creata destructibilis est, non à contrario: sed destruitur ex defectu sui subiecti, quod est liberum arbit. quod quando ipsi gratiæ deficit, destruitur ipsa gratia: deficit autem liberum arbitrium ipsi, quando dissentit gratiæ per peccatum, consentiendo peccato.

ARTICVLVS IV.

An gratia idem sit quid virtus gratuita?

Consequenter quæritur, de differentia gratiæ: an sit eadem per essentiā cum virtute gratuita. Quod autem differant ad inuicem per essentiam, sic ostenditur: quorum diffinitiones sunt diuersæ, ipsa sunt diuersa per essentiam: sed diffinitio virtutis & gratiæ est differens: ergò differunt per essentiam. Minor patet: quia gratia diffinitur à Sanctis: gratia est signaculum imaginis. Ephes.1. *In* Ephes.1
quo credentes signati estis. &c. Gloss. Imagine Dei reformata in nobis per gratiam. Ex hoc sumitur, quod gratia est reformatiua imaginis in nobis. Virtus autem diffinitur in relatione ad opus: vnde secundum Philosophum: *virtus est,* Philos.
qua quis est bonus, & bonum reddit opus.

¶ Item, in omni eo quod est citra primum differt esse & operari: ergò benè esse & benè operari: & hoc est per essentiam: ergò in rationali creatura differunt benè esse & benè operari: ergò & principium ad benè esse differt per essentiam à principio ad benè operari: sed gratia est principium ad benè esse, virtus autem ad benè operari, ergò differunt essentialiter.

¶ Item, anima non est sua essentia, ergò multomagis anima non est sua potentia, ergò differunt in anima essen-

tia & potentia, ergò differt illud quo perficitur essentia, ab eò quo perficitur potentia, essentialiter: ita quod vnum non est alterum. Sed illud, quo perficitur potentia animę, & redditur apta ad opus, est virtus: illud autem, quo perficitur essentia animæ, & redditur Deo similis, est gratia: ergò differunt essentialiter.

¶ Item, sicut se habet corpus ad animam rationalem, ita se habet anima rationalis ad Deum, secundùm viuificationem, secundùm quod dicit August. Si ergò in corpore secundùm aliud est vita, & secundùm aliud est motus: & secundùm aliam dispositionem inest viuere ipsi corpori, & secundùm aliam moueri ab ipsa anima: vnde corpus priùs viuificatur, & postea mouetur. Quod patet in apoplexia: videmus enim quod penitus extinguitur motus in corpore, remanet tamen vita: hoc autem non posset esse, nisi secundùm aliud, & aliud esse vita & motus in corpore ab ipsa anima: ergò similiter anima secundùm aliud accipiet vitam à Deo, & secundùm aliud motum. Si ergò per gratiam recipit vitam spiritualem à Deo, quæ vita attenditur in assimulatione eius ad Deum: per virtutem autem gratuitam recipit motum ab ipso spiritualem, sc. quod ipsa mouetur ad bona opera & meritoria: gratia non est virtus gratuita, sed differens inessentialiter ab ea.

¶ Item, gratia non solùm multiplicatur per virtutes: sed per gratias Sacramentorum & donorum: vnde non solùm reperitur gratia in virtutibus gratuitis: vt in fide, spe, & charitate: sed etiam in Sacramentis: & similiter in donis. Si ergò gratia ad alia extenditur quam ad virtutes: patet, quod gratia & virtus non sunt idem per essentiam.

¶ Item, quorumcunque sunt differentiæ diuersæ ipsa sunt diuersa: sed gratiæ, & virtutis sunt diuersæ differentię: ergò sunt diuersa. Minor patet: quia virtus diuiditur per virtutes Cardinales & Theologicas: gratia non, sed per gratiam præuenientem, subsequentem, cooperantem.

August. ¶ Contra, diffinit August. virtutem dicens. *Virtus est bona qualitas mentis: qua rectè viuitur: qua nemo male vtitur: quàm Deus operatur in nobis, sine nobis.* Sed hæc diffinitio conuenit gratiæ, quia *gratia est bona qualitas mentis: & qua rectè viuimus: quia per gratiam viuit & vnitur anima Deo:* similiter nemo malè vtitur gratia Dei; & ipsam operatur Deus in nobis, sine nobis.

Isidor in differ. ¶ Item, Isidor. diffinit gratiam. *Gratia est diuinæ misericordiæ donum per quod bona voluntatis est exitus.* (& loquitur de exitu in opus bonum.) Sed virtus est huiusmodi, quia est donum diuinæ misericordię, & per ipsam exit voluntas in opus bonum: ergò virtus est gratia.

¶ Item, imago Dei in nobis secundùm vires attendi-
August. tur: sicut ait August. dicens, quod mens est imago in potentia cognoscendi: & hoc secundùm intelligentiam, memoratiuam, vel memoriam, & voluntatem: & est similitudo in potentia diligendi. Si ergò gratia est illud, quo reformatur in nobis imago Dei: ergò perficit animam quantum ad vires: similiter virtus perficit animam quantum ad vires, secundùm quas hæc imago attenditur, quia fides perficit vim rationabilem, charitas concupiscibilem, spes
Alias, perfectio. irascibilem: ergò eiusdem sunt * perfectionis, & quantum ad idem, gratia est virtus: ergò sunt idem.

¶ Item, abstractis viribus ab anima, non diceretur anima susceptibilis gratiæ: quia abstraheretur illud, secundùm quod accipitur imago ipsius ad Deum: & ita abstraheretur potentia ad diuinam similitudinem. Sed gratia est ipsa diuina similitudo, respectu cuius erat in nobis potentia imago: ergò gratia perficit vires, & similiter virtus: ergò non differunt essentialiter.

¶ Item, dignitas vitæ æternæ attenditur quantum ad gratiam; sed hæc dignitas est in virtute: quia virtus facit dignum vita æterna, ergò virtus est gratia. Et hoc patet: quia habitis virtutibus, est homo dignus vita.

August. Enchi. ¶ Item, August. *Liberum arbitr. liberandum est à seruitute peccati, nō per seipsum, sed per solam gratiam Dei, quæ in fide Christi posita est:* gratia ergò ponitur in fide: ergò gratia est fides, & econuersò: sed fides est virtus: ergò gratia est virtus, & posita in virtute.

RESOLVTIO.

Gratia, & virtus gratuita secundùm rem, & substantiam idem sunt: minimè autem secundùm rationem & esse.

¶ Solvtio. Dicendum, quod sicut se habet esse ad operari, & benè esse ad benè operari: sic gratia & virtus: siue dicamus esse substantiæ animæ, siue esse potentiæ. Nam quo anima, seu potentia sua benè est: est illud, quo grata est: quo autem grata est, siue secundùm substantiam, siue secundùm potentiam, est gratia: quo verò benè operatur, est virtus. Quamuis ergò secundùm substantiam & rem sint idem & gratia, & virtus: non tamen secundùm esse & rationem. Vnde ad maiorem differentiam voluerunt quidem dicere: quod quæ est comparatio animæ ad suas vires, vel potentias, eadem est comparatio gratiæ ad virtutem. Et exemplum patet de radio & lumine in aëre: lumen enim & radius sunt idem secundùm substantiam, quia lumen est substantia radij: differunt tamen secundùm rationem & esse: quia lumen dicitur quod perficit aërem indistinctè: radius autem dicit illud, quod perficit per distinctionem in partibus: quia radius dicit directionem ipsius luminis ad hanc partem aëris, & ad illam; lumen autem non. Similiter in anima lumen est gratia, radius autem virtus: quia gratia, quæ est ipsa lux, perficit animam quantum ad essentiam, & indistinctè quantum ad omnes vires: virtus autem perficit animam quantum ad partes, quæ sunt vires eius. Quia per fidem in anima intelligimus radium quendam dirigentem vim rationabilem in primam veritatem: charitas autem est radius, per quem dirigitur cōcupiscibilis in summam bonitatem: spes verò est radius, per quem dirigitur irascibilis in summam maiestatem. Sicut ergò radius substantialiter est in lumine: & per hoc est lumen causa substantialis ipsius radij: item lumen est causa effectiua radij, & efficit radium: similiter est virtus in gratia substantialiter, & est gratia causa effectiua substantialis ipsius virtutis: vnde dicit Bernard. Bernard. quod virtutes sunt ordinantes per gratiam affectiones. Et propter hoc sicut diceremus, quod radij sunt luminis directiones: ita debemus dicere, quod virtutes sunt ordinationes gratiæ. Secundùm hoc dicitur: radius est lumen, non est prædicatio per essentiam, sed per causam: similiter haec gratia est virtus, vel econuersò. Sed sunt idem substantialiter, & non formaliter: sicut ferrum & cultellus substantialiter idem sunt, sed non formaliter; & sic gratia non est virtus omninò secundùm esse, & rationem: sed secundum substantiam.

¶ Ad obiectum dicendum, quod diffinitio illa dicitur aliter, & aliter de virtute, & gratia: quia quod dicitur in illa diffinitione, *bona qualitas mentis*, dicendum, quod mens accipitur dupliciter, scilicet, pro substantia; vel pro ipsa vi, vel potentia cognoscendi, & diligendi. Accipiendo mentem, prout est substantia animæ: sic gratia est bona qualitas mentis: quia (sicut dictum est) gratia respicit substantiam, vel essentiam animæ. Prout autem mens sumitur pro vi, vel potentia; sic virtus dicitur bona qualitas mentis: quia virtus respicit animam quantum ad suas potentias. Similiter rectè viuere dicitur dupliciter, vel quantum ad benè esse, vel quantum ad benè operari: per virtutem rectè viuimus, quantum ad benè operari propter Deum: per gratiam rectè viuimus, quantum ad benè esse in Deū: & hoc modo rectè viuere est in pueris, qui nesciunt operari. Vtroque autem modo viuunt adulti: quantum ad benè esse in Deum per gratiā: & quantum ad benè operari propter Deum: & hoc per virtutem. Et de isto viuere, quod est quantum ad benè operari, habetur in Deut. 4. *Qui fecerit hoc, viuet in eis.* Et Abac. 2. *Iustus ex fide viuit.* De alio dicitur in Deut. 4. Abac. 2.
Deut. 30. *Ipse est vita tua*, scilicet, per gratiam. Deut. 30.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod gratia est donum, per quod voluntas exit in opus. Dicendum: quod sicut videmus, quod lumen est substantialiter in radio, quia non est radius sine lumine: & ideò illud, quod est radij, cōuenienter attribuitur ipsi lumini: sicut mouere oculum

ad vi-

ad videndum, hoc dicitur propriè de radio: quia directio luminis propriè mouet oculum ad videndum: & tamen hoc dicitur de lumine. Similiter est de gratia & virtute: quia gratia substantialiter est in virtute: propter hoc quod est virtutis, attribuitur gratiæ, & econuersò. Exitus ergò bonæ voluntatis in opus est à virtute sicut à causa proxima à gratia verò dicitur esse, inquantum gratia est in virtute.

¶ Ad aliud dicendum, quod anima quantum ad suam essentiam est imago diuinæ essentiæ & virtutis ipsius: quãtum verò ad suas potentias vel vires est imago Trinitatis personarum. Et prima imago est secundum indistinctionem, secunda secundùm distinctionem. Imaginis quantũ ad essentiam & indistinctionem, reformatiua est gratia: cùm perficiat animam secundùm indistinctionem, quantum ad essentiam. Imaginis quantum ad vires, & secundùm distinctionem virium, reformatiua est virtus.

¶ Ad aliud dicendum: quod potentia, quæ intelligitur sub indistinctione, cùm dicitur rationale: fortè nõ est aliud ab ipsa essentia animæ inquantum rationalis: sed cùm dicitur potentia ad actum istum, vel illum: tunc dicitur potentia differre ab essentia: & vires sub distinctione differunt ab essentia animæ. Præterea gratia perficit potentiam, inquantum est, vt sit grata Deo: virtus perficit, inquantum potentia est ad opus, vt rectè operetur.

¶ Ad aliud dicendum, quod gratia vno modo intelligitur sicut habens situm, & potentiam in anima & distinctionem secundùm vires: alio modo intelligitur gratia in anima sine positione & situ. Cùm enim intelligimus gratiam in anima velut quandam similitudinem ad diuinam essentiam: sic non determinat situm in viribus. Secundùm autem quod intelligimus gratiam in rationabili, & gratiam in concupiscibili, & gratiam irascibili perficientem istas vires, sic intelligitur gratia in virtute. Quia ergò prima vis, quam perficit gratia, est vis rationabilis: & in illa est fides: propter hoc fides est prima virtus: in qua primò gratia manifestatur: & propter hoc dicitur posita in fide.

¶ Ad aliud dicendum, quod virtus & gratia sunt idem substantialiter: & propter hoc, quod est vnius, attribuitur alteri: sicut facere dignum vita æterna: primò tamen est ipsius gratiæ: attribuitur autem virtuti: sicut quod est radij, attribuitur lumini. Vnde Abachuc 2. attribuitur, vita fidei. *Iustus in fide sua viuit*, sed non attribuitur fidei, quia fides, sed ratione gratiæ in fide. Similiter quod virtutis est, attribuitur gratiæ. Ephes. 2. *Dei enim donum est, non ex operibus iustitia.* Gloss. *gratia non est ex operibus: sed opera ex gratia.* Similiter ergò cùm dicitur: virtus facit dignum vita æterna: hoc dicitur ratione gratiæ. Sed notandum, quod in vita æterna est præmium generale, quod dicitur denarius: & quantum ad hoc gratia facit dignum vita æterna. Sed vlterius sunt spirituales gloriæ, quæ respondent meritis: & quantum ad hoc virtus facit dignum illo, quod est in vita æterna, respondens meritis. Et hæ sunt speciales gloriæ: de quibus dicitur, 1. Cor. 15. *Alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum.* Et hoc tangit Gloss. super illum locum.

Abac. 2. — Ephes. 2. — Glossa. — 1. Cor. 15.

ARTICVLVS V.

Quid sit gratia secundùm rationem nominis.

Declarato quid sit gratia secundùm rem: quærendum est quid sit secundùm nominis rationem.

¶ Circa quod notandum, quod gratia dicitur, vel gratis dans, vel gratis datum, vel gratum faciens. Primò modo impropriè: & hoc modo dicitur. Secundò Sententiarum Deus gratia, vel diuina voluntas. Secundò modo communiter: quicquid enim gratis datur, hoc est sine meritis, gratia potest dici: in qua significatione accipitur. 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem spiritus.* Tertiò modo propriè dicitur: communis enim ratio nominationis gratiæ est, eò quod gratis data: sed propria, eò quod nos gratos facit: in hoc sensu sumitur. Ephes. 1. *In laudem gloriæ gratiæ eius, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Gloss. *nos fecit gratos.* Secundùm ergò communem acceptionem, ratio huius nominis, *gratia*, est donum à Deo sine meritis datum: siue illud sit concreatum, vt imago Dei in nobis: siue superadditum vt scientia: siue faciens gratum: vt primum donum salutiferum indistinctum; de quo facta est quæstio: siue prima virtus, in qua donum gratiæ manifestatur, vt fides (Vnde ad Hebr. vltim. *Optimum est gratia stabilire cor, &c.* Gloss. *vt habeatis fidem perfectam, credentes omnia munda esse mundis*) siue primus gratiæ effectus post lapsum in nobis, scilicet, remissio peccatorum. Vnde Rom. 1. *Gratia vobis & pax.* Gloss. *gratia, id est, remissio peccatorum, siue gratia prærogatiua quædam in ordinibus*: vnde 1. Timoth. 2. *Gratia & misericordia.* Glossa *gratia hic accipitur quod in alijs epistolis dicitur remissio peccatorum*: gratia verò, quam hic addit, Episcopis optatur, scilicet, donatio Spiritus sancti, in qua ministri Dei armantur: siue gratiæ signum, vt prophetia & operatio miraculorum: de quibus. 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, &c.* siue illud, quod sequitur ad gratiam, vt vita æterna Rom. 1. & Ioan. 1. *Accepimus gratiam pro gratia*: gratiam glorificationis pro gratia iustificationis. Et Zachar. 4. *Adæquabit gratiam gratiæ eius.* Secundùm ergò communem nominis gratiæ acceptionem septem modis dicitur: donum creatum, donum super additum, donum gratum faciens, prima virtus in qua donum gratiæ manifestatur: primus effectus gratiæ, gratiæ prærogatiua, gratiæ signum, donum consequens ad gratiam. Secundùm propriam & præcipuam rationem, gratia est donum à Deo sine meritis datum: gratum faciens habentem. Ex quo patet, quid sit gratia secundùm nomen.

1. Cor. 12. — Ephes. 1. Glossa. — Hebr. vlt. Glossa. — Rom. 1. Glossa. — 1. Tim. 2 Glossa. — 1. Cor. 12. Rom. 1. & Ioan. 1. — Zach. 4.

ARTICVLVS VI.

Quid sit gratia secundùm diffinitionem.

Consequenter quæritur, quid sit gratia secundùm diffinitionem. Et dantur multæ diffinitiones gratiæ. Secundùm Ansel. *gratia est cordis delectatio.* Secundùm alias, *gratia est sanitas mentium.* Item, Ephes. 1. *In quo credentes signati estis in spiritu promissionis.* Gloss. *Imagine Dei reformata in nobis.* Ex quo sumitur, quod gratia est signaculum imaginis. Item in Gloss. Epistolarum. *Gratia est iustificatio seu remissio peccatorum.* Item in Psalm. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* Gloss. *gratia est quidam nitor animæ ad conciliandum sanctum amorem.* Item gratia est manifestatio Spiritus sancti. 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, &c. vnicuique datur manifestatio, &c.* Et hæc vltima diffinitio est gratiæ gratis datæ, non gratiæ gratum facientis: reliquæ verò sunt gratiæ gratum facientis.

Anselm. — Ephes. 1 Glossa. — Eadem. — Psal. 103. Glossa. — 1 Cor. 12.

¶ Sed quia non ponunt in genus, sed in causam: ideò non sunt propriæ diffinitiones. Prima enim materialiter est assignata: *gratia est cordis delectatio*: nec conuertitur. Secunda formaliter: *gratia est sanitas, &c.* Tertia similiter; *gratia est signaculum.* Quarta effectiuè: *gratia est iustificatio.* Quinta methaphoricè assignatur: *gratia est quidam motor, vel quidam nitor, &c.* & effectiuè secundùm quod gratia facit hominem gratum, vel acceptum: secundùm quod dicitur Daniel. 1. *Dedit Dominus gratiam Danieli in conspectu principis Eunuchorum.*

Daniel. 1.

¶ Ponuntur autem duæ tales à Magistris. *Gratia est gratis data, gratum faciens habentem, & gratum reddens opus propter beatitudinem.* Alia est hæc: *gratia est habitus mentis, vniuersaliter totius vitæ ordinatiuus.* Prima magis indicat quid sit gratia secundum nomen, quàm quid secundùm rationem: secunda indicat quid sit secundùm rationem: quæ sic probatur. Non est substantia, & sic de alijs generibus: ergò est qualitas: qualitatis verò multæ sunt species: non est forma, vel circa aliquid constans figura; nec est naturalis potentia, vel impotentia, & sic de alijs ab habitu: ergò est habitus, vel dispositio: & non fiat vis de differentia inter habitum, & dispositionem. Est ergò habitus, non corporis: ergò animæ: non animæ, nisi rationalis; est ergò mentis habitus: non habitus speculatiuus vt scientia, ergò habitus vitæ ordinatiuus. Sed hoc dupliciter, in loco particulari, vel vbique: in loco particulari vt virtutes politicæ: alijs enim & alijs legibus, & moribus viuitur in diuersis regnis; ad istarum ergò differentiam dicitur vniuersaliter ordinatiuus. Sed quia omnia ista conueniunt charitati & cuilibet virtuti formatæ: inquirenda est differentia ordi-

Magist. senten.

quo speramus: & ideò fides, spes, charitas sunt diuersi habitus, seu diuersæ virtutes: item alios, & alios actus efficiunt, seu eliciunt.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa diuisio gratiæ, quam ponit Apostolus: est gratiæ gratis datæ, quæ est donum Dei: sicut patet per membra illius: & non est gratiæ gratum facientis, quæ facit acceptum Deo ad habendam salutem æternam: de cuius diuisione ad præsens fit quæstio. Et ita ratio illa non valet in isto proposito.

ARTICVLVS II.

An gratia rectè diuidatur in operantem & cooperantiam, præuenientem & subsequentem.

SECVNDÒ quæritur specialiter. Vtrum ponenda sit gratia operans, & cooperans? Et ostenditur, quod hæ differentiæ operans, & cooperans non diuidant gratiam: quia si diuidant gratiam, constat quod vbicunque est gratia, ibi erit operans, vel cooperans: sed in paruulis est gratia, & tamen non est operans, vel cooperans: ergò istę non sunt differentiæ gratiæ. Minor patet: quia (vt dicit August.) gratia operans præparat voluntatem, vt velit: cooperans cooperatur ipsi lib. arbitrio in opere producendo. Si ergò gratia non efficit in paruulis, quod velint: nec quod ipsi operentur bonum: quia ipsi non habent vsum voluntatis, nec liberum arbit. ad volendum, nec ad operandum bonum: ergò in ipsis non est gratia operans, vel cooperans, & tamen in ipsis est gratia: ergò operans, & cooperans non diuidunt gratiam. August.

¶ ITEM, omnis gratia est cooperans: ergò nulla gratia est operans: ergò *operans*, non est differentia gratiæ. Maior patet, quia omnis gratia operans præparat voluntatem, vt bonum velit: sed hoc nunquam potest facere sine consensu, & cooperatione voluntatis, seu liberi arbitrij, quia nunquam datur gratia volendi bonum, nisi homo consentiat: ergò nunquam est gratia præparans voluntatem ad bonum sine cooperatione liberi arb. ergò lib. arb. cooperatur omni gratiæ: similiter, & gratia cooperatur & adiuuat ipsi libero arbit. ergò gratia semper est cooperans, & nunquam operans per se.

¶ ITEM, Bernar. *cooperari gratia dicitur liberum arbitr. dum consentitur*: dum ergò gratia Dei præsentatur nobis, vt velimus bonum: nostrum est consentire ipsi gratiæ: ergò liberum arbitrium cooperatur ipsi gratiæ: similiter gratia cooperatur ipsi lib. arb. quia liberum arbitrium non benè operatur, nisi dum consentit, ad quod cooperatur gratia. Est ergò gratia solùm cooperans; & non operans: cùm omne bonum fiat in nobis à gratia mouente, & libero arbitr. consentiente. Bernard.

¶ ITEM, Bernard. *Immutando malam voluntatem. sibi non per consensum coniungit* (& loquitur de gratia.) Si ergò gratia, quæ facit vt velimus bonum, ipsa immutat malam voluntatem, vt velit, & faciat bonum: ergò cooperatur ipsi ad bonum volitum exequendum: & ita est gratia cooperans solùm, & non operans per se. Idem.

¶ ITEM, dupliciter assignatur differentia inter gratiam operantem, & cooperantem: prima est, quod gratia operans est, quæ facit velle bonum; gratia cooperans, quæ facit operari bonum: secunda differentia est; quia (sicut dicitur super illud Psalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ.*) gratia operans est, qua agimus, gratia cooperans qua resistimus tentationi. Quantum ad primam differentiam ostenditur; quod eadem sit gratia cooperans & gratia operans: quia eadem est voluntas coniuncta actui, & non coniuncta actui: quia eadem est voluntas eundi Romam, qua volo, dum non vado: & qua volo, dum vado: ergò similiter eadem est gratia, quæ facit velle, quod est coniunctum actui: & gratia, quæ facit velle non coniunctum actui: est ergò eadem gratia, quæ facit velle operari. Non est ergò alia gratiæ differentia ab operante, quæ facit nos operari: & ita non est ponere gratiam cooperantem: immò eadem est cum gratia cooperante. Psal. 26.

¶ ITEM, vanum est efficere per plura, quod per vnum potest effici sufficienter. Si ergò per gratiam operantem sufficienter ordinatur voluntas ad velle & operari: ergò vanum est ponere gratiam cooperantem.

¶ ITEM, consequenter obiicitur ad secundam differentiam: quod gratia cooperans non sit differentia gratiæ: quia constat, quod diabolus nunquam potest vincere renitentem, & maximè illum, qui habet gratiam: ergò si homo habet gratiam operantem, sufficit ei ad resistendum diabolo: & ita ad resistendum tentationi omni.

¶ ITEM, minimum bonum magis est bonum, quàm maximum malum sit malum: quia bonum cum actu est, malum autem cum defectu: ergò minima gratia possumus resistere diabolo, & omni tentationi siue malo: ergò per gratiam operantem possumus resistere tentationi: & ita non est necessaria gratia alia cooperans.

¶ ITEM, in Christo non fuit ponere gratiam, quæ resisteret tentationi: quia fuit impossibilis peccare: nec poterat tentari tentatione interiori, id est, qua afficeretur sua beata anima ex aliqua parte; sicut & nostra afficitur: ergò in Christo non fuit gratia cooperans, & fuit gratia plenissimè in ipso: vt manifestum est: ergò gratia cooperans non est vna differentia gratiæ: secundùm quod ponitur gratia cooperans ad resistendum tentationi.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An istæ sint ponendæ differentiæ, scilicet, gratia præueniens, & gratia subsequens. Et ostenditur, quod non: in Christo enim non fuerunt istæ differentiæ, scilicet gratia præueniens, & subsequens. Cùm ergò in ipso fuerit gratia plenissimè: patet, quod istæ non sunt verè differentiæ gratiæ. Maior patet: quia Christus nunquam fuit sine gratia, immò gratia fuit coæua suæ naturæ: ergò non fuit in eo præueniens gratia. Cùm igitur gratia subsequens dicatur respectu præuenientis: patet similiter, quod non fuit in eo gratia subsequẽs: ergò in ipso non fuerunt istæ differentiæ.

¶ ITEM, gratia præueniens dicitur respectu voluntatis, quam præuenit immittendo ei bonam cogitationem: & hoc dicit Bernard. Immittendo bonam cogitationem nos præuenit. Sed secundùm hoc obiicitur: quia sicut dicit Augustinus. *Quis non videat priùs esse cogitare, quàm credere? nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitauerit esse credendum.* Ergò cogitatio præuenit gratiam credendi: & hæc est gratia in fide. Hæc autem dicitur esse prima gratia: & secundùm August. gratia præueniens. Sed cogitatio est motus liberi arbitrij: ergò motus liberi arb. præuenit, vel præcedit primam gratiam: non econuersò: ergò non est præueniens motum liberi arb. respectu cuius dicitur præueniens. Non est ergò ponere gratiam præuenientem. August. in lib. de prædest. Sanctorũ.

¶ ITEM, August. super illud Psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, &c. distinguit tres gradus perueniendi ad gratiam gratum facientem, dicens sic. *Videmus nõ nunquã quod vtiles sunt iustificationes Dei, id est opera iustitiæ: sed infirmitate præpediti non desideramus: præuolat intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus: scimus bonum, nec delectat agere: cupimus, vt delectet.* Secundùm hoc ergò priùs est, vt videamus, quod sint vtiles & honestæ iustificationes: deinde est eas desiderare: vltimò delectari in opere earum. Intellectus ergò bonum præcedit concupiscentiam: & concupiscentia delectationem in opere earum. Sed videre, intelligere, & huiusmodi iustificationes an bonæ sint, & desiderare eas: hoc pertinet ad liberum arbit. & hoc facit sine gratia per lumen rationis innatum: de quo Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Delectari autem est in executione & operatione earum, hoc est, gratia *perficiente: ergò motus liberi arb. præuenit gratiam, & non econuersò: ergò non est ponere gratiam præuenientem: cum respectu huius dicatur præueniens, scilicet, quia præueniat liberum arbitrium ad bonum: immò econuersò est. Idem sup. Psal. 118. Psalm. 4. * Alias, proficiente.

¶ ITEM, vt dicitur: si homo facit, quod in se est, Deus dat ei gratiam. Facere autem, quod in se est, non ponit gratiam, sed actum liberi arb. Si ergò facere, quod in se est, præcedit: ergò actus liberi arb. præcedit gratiam: ergò non est gratia præueniens liberum arbitrium.

¶ AD oppositum arguit August. ex auctoritate Apost. 2. ad

ri, & non coniuncta actui. Sed tamen differt secundùm effectum solum.

¶ Ad aliud dicendum, quòd non est ponere gratiam operantem, & cooperantem esse aliam, & aliam: sed ad alium, & ad alium effectum; & ideo non superfluit gratia cooperans: quia non superfluit eius effectus, qui est remouere grauedinem in nobis impedientem ad operandum bonum, de qua Sapient. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Sapien. 9.

¶ Ad rationes, quibus ostenditur quod non est ponere gratiam cooperantem quantum ad secundam differentiam, quæ assignatur inter gratiam operantem & cooperantem. Dicendum ad primam; quòd non est ponere aliam, & aliam gratiam per essentiam ad faciēdum bonum, & resistendum malo, seu tentationi malæ: tamen differt secundùm effectum. Quia aliud efficit, cùm facit nos operari bonum, & cùm facit nos resistere tentationi; possumus enim habere vnum sine alio: & quantum ad operari bonum datur gratia operans: gratia verò cooperans datur ad resistendum tentationi.

¶ Qvod verò obijcitur, quòd per gratiam, per quam operamur bonum, possumus resistere tentationi. Dicendum, quod verum est, quòd per ipsam possumus resistere tentationi, sed non faciliter: per gratiam autem cooperantem resistimus faciliter: gratia ergo vt cooperans respicit facultatem resistendi malo: & ideo necessaria, quia effectus necessarius.

¶ Ad aliud dicendum, quod verum est, quòd per gratiam possumus resistere tentationi, seu malo, sed non faciliter: & hoc est, quia habemus in nobis fomitem impedientem ad hoc: & ideo necessaria est ad faciliter resistendum, hæc autem dicitur gratia cooperans: vnde gratia operans ad bonum operandum, gratia cooperans ad faciliter operandum: quia faciliter operamur bonum, cùm faciliter resistimus ei, quod impedit nos ad operandum, quod volumus per gratiam operari.

¶ Ad aliud concedendum est: quòd secundùm hanc rationem non fuit gratia in Christo: & quòd gratia in nobis sit ad tot, hoc venit ex defectu subiecti. Vbi enim gratia inuenit perfectum subiectum; sicut fuit Christus: ibi non est secundùm hanc rationem: vnde sicut in Christo non fuit gratia ad effectum sanandi, quia nihil erat in eo sanandum: quia non poterat peccare; & hoc fuit propter perfectionem ipsius: ita in ipso non fuit gratia ad resistendum tentationi propter eius perfectionem: quia non poterat tentari tentatione interiori: seu quantum ad actum interiorem. Sed in nobis, & in ipso Adam post peccatum est effectus & corruptio fomitis: quia fomitem habemus, qui fouet peccatum in nobis: vnde ipse diabolus potest nos tentare interius, & facere impressionem & infectionem in parte sensualitatis: & propter hoc indigemus gratia ad resistendum isti tentationi, & hæc dicitur cooperans.

¶ Ad rationes, quibus obijcitur de gratia præueniente & subsequente. Dicendum, quòd quamuis homo cogitet & faciat quicquid potest: ista nunquam præcedent gratiam vt meritum; & in hac ratione dicitur gratia præueniens: quia nunquam præuenitur à libero arbitrio meritoriè. Dicendum igitur, quòd actio liberi arbitrij hominis existentis in peccato mortali; quando mouetur ex recta intentione, & facit quod in se est, & Deus dat ei gratiā: non præcedit gratiam vt meritum, sed meritoriè: quia nō potest mereri, quod debetur sibi gratia, quia ingratus est: præuenit tamen actio illa gratiam vt disponens ad ipsam: & hoc modo cogitatio & desiderium præueniunt gratiā: & hoc intelligit Augustinus super illud: *Concupiuit anima mea desiderare, &c.* vnde præueniunt ipsam sicut dispositio præuenit formam. Aliquando etiam præuenit liberum arbitrium gratiam vt meritum: & hoc respectu gratię subsequentis, & non respectu gratiæ præuenientis, vnde Augustinus: *Voluntas hominis multa Dei dona præcedit.* Et hoc præuenire, vel præcedere ipsam est, quantum ad maiorem effectum gratiæ, vnde dicit Augustinus ad Bonifacium: *Gratia meretur augeri: vt aucta mereatur & perfici, volunte concomitante, &c.* Vnde cùm aliquis habet gratiam, & postea operatur per illam: meretur vt augeatur illa gratia quantum ad maiorem effectum: quousque perueniat in gloriam.

Auguſt. ſuper Pſalmum 118.

¶ Per hoc patet solutio ad illud, quod obijcitur per Augustinum, quòd cogitatio bona præuenit gratiam credendi, quæ est prima gratia, siue præueniens. Dicendum, quod nō præcedit ipsam sicut causa gratię: sed sicut dispositio habilitans ad recipiendum gratiam.

¶ Patet etiam solutio ad aliud, quod obijcitur: quòd si homo facit quod in se est, Deus dat ei gratiā: quia facere quod in se est, non præuenit gratiam meritoriè, sed dispositiuè.

¶ Et sic patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS IV.

An gratia rectè diuidatur in immissiuam bonæ cogitationis, in immutatiuam malæ voluntatis, & in ministratiuam facultatis ad operandum bonum?

Consequenter quæritur de assignatione diuisionis per tria membra. Ad quod sic: ad virtutem & perfectionem virtutis requiruntur tria, scilicet scire, velle, & immutabiliter operari. Si ergo quicquid est attributum virtuti, potest attribui gratiæ, quæ est causa virtutis: ergo ad gratiam pertinet ordinare ad rectitudinem sciendi, & hoc per scire: & ad rectitudinem volendi per velle: & ad rectitudinem operandi per operari: quia hæc tria concurrunt ad virtutem, scire bonum, velle bonum, operari bonum. Ergo secundùm hoc requiritur gratia secundùm tres differentias, scilicet faciens cognoscere vel scire bonum, gratia faciens velle bonum, & gratia faciens operari bonum.

¶ Item Bernardus: *Ipsa gratia immittendo bonam cogitationem nos præuenit: immutando bonam voluntatem nos per consensum Deo iungit: ministrando consensui facultatem internus opifex innotescit.* Ex quo relinquitur, quòd est gratia faciens bonum cogitare: & gratia faciens bonum velle: & gratia faciens bonum operari: ergo diuisibilis est per tres differentias. Bern. de gratia & libero arbitrio.

¶ Ad oppositum. Habemus gratiam sufficienter diuisam per duas differentias: per gratiam pręuenientē & subsequentem, operantem & cooperantem. Ergo superfluit tertia differentia.

¶ Item distinguit Magister gratiam in pręuenientem, adiuuantem, & subsequentem. Sed obijcitur: dicit Augustinus in Enchir. *Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit, ipsa in eis est, & ipsa iuuat.* Ex hoc arguitur: potiùs ergo bona voluntas iuuat gratiam, quàm gratia bonam voluntatem: ergo gratia adiuuans nulla est. Magiſt in 2. ſent. diſt. 26. Auguſ. Enchir.

¶ Consequenter est quæstio de assignatione istarum differentiarum gratiæ, qualiter se habent. Bernardus enim postquam distinxit tres differentias gratiæ, immissiuam bonæ cogitationis, & immutatiuam malæ volūtatis, & ministratiuam facultatis seu potestatis operandi: postmodum ipse assignat has differentias inter istas gratias, dicens: *Primum vtique est, in quo nos nihil facimus: secundum verò facit nobiscum: tertium verò per nos facit: & ex hoc concludit aliam differentiam. Primum quidem, in quo nihil facimus: nec vltimum, sed solum medium nobis reputatur in meritum.* Tertiam differentiam assignat, dicens: *Valet vtique ad meritum intentio, ad exemplum actio, vtrumque verò præcedit cogitatio.* Bernar

¶ Obiicitvr ergo primò super hoc quod dicit: quod primum facit sine nobis, scilicet immissionem bonę volūtatis: quia sicut in potestate liberi arbitrij est velle, ita & cogitare; quia cogitare rationis est: liberum autem arbitrium est facultas voluntatis & rationis: ergo in voluntate eius est cogitare, vel non cogitare bonum: non potest igitur immitti ei bona cogitatio sine suo consensu. Cùm igitur cooperari dicatur liberum arbitrium gratiæ dum consentit: ergo in immissione bonæ cogitationis cooperatur liberum arbitrium ipsi gratiæ; ergo non dicit verum dicēdo quod primum facit sine nobis.

¶ SIMILITER objicitur super hoc, quod dicit: quòd nec primum, nec vltimū, sed solùm medium reputatur in meritum. Vult ergo dicere, quod primum, scil. cogitare bonū non reputatur ad meritum. Sed contra est: quia in omni actione meremur, quæ est mouente charitate & libero arbitrio. Si ergo ex charitate mouetur multotiens arbitrium ad cogitandum bonum: ergo cogitare bonum debet ei reputari ad meritum.

¶ SIMILITER obijcitur de hoc, quod dicit: tertium scilicet actio boni nō reputatur in meritum. Ex quo videtur, quòd actione exteriori non mereamur. Sed contra: actio boni exterioris procedit ex libero arbitrio, & charitate. Sed in omni tali est mereri: ergo in tertio, quod est actio boni, est mereri: & ita falsum dicit.

RESOLVTIO.

Sicut tres sunt actus liberi arbitrij, scilicet cogitare, velle, & operari: ita triplex distingui debet gratia, potentia liberi arbitrij perfectiua: videlicet immißiua bonæ cogitationis, immutatiua malæ voluntatis, & ministratiua facultatis operandi bonum.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod cùm gratia sit perfectio potentiæ, quæ est in libero arbitrio secundùm actus ipsius liberi arbitrij erit assignare differentias gratiæ. Ad liberum autem arbitrium primò pertinet cogitare, consequenter velle, postmodum exequi, seu operari. Secundùm hoc ergo Bernardus assignat triplicem differentiam gratię: prima est immissiua bonę cogitationis: secunda immutatiua malæ voluntatis: tertia ministratiua facultatis ad exequendum, seu ad operandum bonum. Vnde dicit Bernard. *Tria hæc operatur gratia sine Deus, qui operatur per gratiam in nobis*, scilicet cogitare bonum, velle bonum, exequi bonum, vel perficere. Bernard. in lib. de gratia & libero arbitrio.

¶ AD illud quod primò obijcitur in contrarium: qđ superfluit diuisio gratiæ per tres differentias: cùm sufficienter sit diuisa per duas differentias. Dicendum, ꝙ reducibilis est ad illam, quæ est per duas differentias: gratia enim præueniens excitatiua dicitur ad cogitandum bonum; & ita prima gratia immissiua bonę cogitationis comprehenditur sub gratia præueniente: aliæ verò duæ differentiæ, immutatiua malæ voluntatis, & ministratiua facultatis, istę comprehenduntur sub gratia subsequente: quia gratia subsequens dicitur ad duplicem actum, scilicet ad actum interiorem, qui est velle (scilicet) in affectu: & ad actum exteriorem in effectu.

¶ AD secundum dicendum, quòd gratia dicitur iuuare liberum arbitrium: quia impossibile est, quòd liberum arbitrium eleuetur in debitum velle, scilicet in velle bonum & meritorium per potestatem suam, nisi adiuuetur à gratia, & secundùm hoc dicitur gratia adiuuans. Similiter gratia adiuuatur per liberum arbitrium; quia gratia non operaretur, nisi esset consensus vel assensus liberi arbitrij: & ideo dicitur liberum arbitrium adiuuare gratiam, dum consentit ipsi gratiæ: & secundùm hoc dicitur 2. Sententiarum, distinct. 26. *Congruenter dicitur, quòd bona voluntas iuuat gratiam, qua præuenitur, dum consentit ad effectum bonum.*

¶ AD aliud dicendum, quòd cogitatio boni est duplex. Vno modo dicitur cogitatio boni prima excitatio liberi arbitrij ad cogitandum bonum, siue consequatur effectus, siue non. Alio modo dicitur cogitatio boni, actus ille, qui consequitur excitationem: dum ratio excitata cōsiderat bonum. Vnde cogitare primo modo est actus excitandi ad velle bonum: cogitare secundo modo est cogitare bonum. Secundùm primum modum nihil facimus in cogitatione boni: quòd enim cogitatio boni excitet voluntatem ad bonum, hoc à nobis non est, sed à gratia. Et secundùm hoc loquitur Bernardus, & vult dicere, quòd ipsa gratia est primum excitans ipsum liberum arbitrium, siue liberum arbitrium moueatur, siue non, ad cogitandum de bono. Et hæc est illa pulsatio, de qua dicitur Apocalyp. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Et ita quantum ad illum Apoc. 3. modum nihil facit voluntas: quantum tamen ad secundum modum operatur aliquid voluntas, seu liberum arbitrium. Et exemplum est; sicut enim in excitatione, qua excitatur oculus per lumen ad videndum, nihil facit oculus; sed facit in ipso aspectu, quo videt mediante lumine. Similiter in excitatione illa nihil facimus: tamen in consideratione aliquid facimus, scilicet in motu rationis ad cogitandum bonum: vnde præsentans imaginem boni est gratia: & hoc sine nobis, sed secundum nobiscum est, & facit meritum.

¶ AD aliud, quod est contra illud, quod dicit, quòd primum non reputatur in meritum. Dicendum, quòd sicut victoria tota pugnæ attribuitur Regi, & non militibus: licet per ipsos exerceatur: & hoc est, quia ipse Rex est imperans bellum: & ideo penes ipsum dicitur residere victoria: secundariò tamen tribuenda est militibus. Similiter dicendum, quòd voluntas est imperans actui suo, qui est velle; imperat etiam alijs actibus, scilicet cogitationi de bono, & executioni: quia si volo, cogitabo bonum: si non volo, nō cogitabo: similiter si volo, faciam & non faciam bonū: vnde isti actus subiecti sūt ipsi volūtati; quia est imperans eis: & ideo principaliter meritum residere dicitur penes ipsam voluntatem: est tamen aliorum actuum secūdariò. Cùm ergo dicit Bernard. quod solum medium, scil. Bernard. voluntas boni reputatur ad meritum; & non primum, neque tertium, loquitur secundùm principalitatē: vnde non excludit, quod nullo modo reputantur ad meritum; sed secundùm principalitatem: quasi dicat, quòd alia sine voluntate non sunt meritoria: sed voluntas sine ipsis benè est meritoria: vnde nec liberum arbitrium ad cogitādum, nec actus exterior semper reputatur ad meritum: sed voluntas semper. Vnde dicit, quod plerunque extorquet ipsam actionem timor inutilis, aut simulatio damnabilis.

¶ AD aliud, quod obijcitur de intentione, quod non valet ad meritum; quia est in ratione, seu cogitatione, circa quam non residet meritum. Dicendum quod intentio dicitur dupliciter: quia intentio dicitur respectu finis: sed tendere in finem, hoc est dupliciter: vel per considerationem ipsius finis, vel per motum & inclinationem in finē. Primum est rationis, secundum est voluntatis: vnde ratio est quasi doctor: voluntas est quasi executor rationis. Per rationem finem considero tantùm: siue inclinet, siue non. Per voluntatem autem inclinor & tendo in omnibus operibus meis in ipsum finem: & ideo valet ad meritum ista tendentia in finem, vel intentio: & de hac loquitur Bernardus, obiectio autem procedit de prima, quæ solùm est per considerationem finis: circa quam non est meritum.

ARTICVLVS V.

An eiusdem rationis sit gratia ante peccatum, & post peccatum?

CONSEQVENTER quæritur de differentia gratiæ, quātum ad status ante peccatum, post peccatum; ante incarnationem, post incarnationem: in statu paruuli, & adulti. Quæritur ergo, vtrùm sit eiusdem rationis gratia in homine ante peccatum, & post peccatum? Et videtur, quod non: quia in homine ante peccatum fuit gratia informans, sicut in Adam: in homine autem post peccatum fuit gratia reformans: non est autem eiusdem rationis informare, & reformare. gratia igitur non est eiusdem rationis in homine ante peccatum & post.

¶ ITEM, in Adam ante peccatum fuit gratia sine sacramento: & in hominibus post peccatum est gratia sacramētalis, sed non est eiusdem rationis gratia cum sacramento, & gratia sine sacramento.

¶ ITEM, gratia sine sacramento ante peccatum se habet ad animam, velut medicina cōseruatiua sanitatis: gratia sacramentalis post peccatum se habet ad animam velut medicina curatiua morbi. Sed non est eiusdem rationis medicina conseruatiua sanitatis, & curatiua morbi: ergo nec gratia ante peccatum, & post peccatum est eiusdem rationis.

¶ AD oppositum: non est differentis rationis lux expellens

pellens

pellens tenebras, & perficiens & illuminans aërem: sed gratia ante peccatum est velut lux perficiens animam, sicut lux perficit aërem: gratia post peccatum est sicut lux expellens tenebras peccati: non est ergo differens ratio gratiæ ante peccatum, & post.

¶ ITEM, nõ facit differentiam in calore secundùm rationem, quod expellit frigidum, & quod informat non frigidum; sicut lignum: ergo similiter gratia non differt secundùm rationem, secundùm quod expellit peccatum, & secundùm quod informat ante peccatum.

RESOLVTIO.

Gratia ante peccatum & post peccatum eiusdem rationis essentialis est; sed non accidentalis.

¶ SOLVT. Dicendum quod non differt secundum rationem essentialem gratia ante peccatum, & post peccatũ, sed solùm secundùm rationem accidentalem: vnde sicut eadem medicina per essentiam est principium sanitatis & curationis; differens tamẽ secundùm accidentalem rationem: quia ad sanitatem se habet per se, ad curationem per accidens; hoc est, si inueniat morbum in corpore. Ita eadẽ est gratia secundùm rationẽ essentiæ, quæ est principium sanitatis in anima per se, & curatiõis morbi peccati per accidens: hoc est, si inueniat peccatum in anima.

¶ AD primum dicendum, quòd eadem est gratia informans, & reformans per essentiam; sed alio modo se habẽs. Quia anima ante peccatum fuit informis & in potentia ad formam negatiuè, quia non habebat formam: informata autem fuit per gratiam: & propter hoc dicitur gratia ante peccatum gratia informans. Anima autem post peccatum fuit informis priuatiuè, & in potentia ad formam priuatiuè, id est cum contraria dispositione, scilicet peccato: quia habebat deformitatem propter peccatum: gratia autẽ adueniens ei expellit illam formam cõtrariam facientem animam deformem; & introducit se in anima: & ideo post peccatum dicitur reformãs. Quod ergo gratia dicatur informans & reformans ante peccatum, & post peccatum: hoc non est ex parte sui, sed ex parte suscipientis: in quo si inueniat peccatum, dicitur informans: si verò non inueniat, dicitur informans.

¶ AD aliud dicendum: in medicina quod faciat differentiam essentialem curatiuum ægritudinis, & conseruatiuum sanitatis: hoc est ex imperfectione medicinæ: imò ex perfectione medicinæ esset, quòd ipsa eadem curaret, & cõseruaret: vnde hanc medicinam ponerent medici perfectam, quæ curaret morbũ, & conseruaret sanitatẽ: aliam verò, quæ tantum curat, vel tantum conseruat, nõ ponunt esse perfectam. Quia ergo gratia se habet vt medicina perfecta in anima: ideo de eius perfectione est, & quod curet, si inueniat quid curandum in anima: & quod conseruet animam in sanitate: ergo gratia sacramentalis & gratia sine sacramento non differt secundùm illud, quod datur: quia vtrobique datur gratia eadẽ per essentiam: sed differt quãtum ad illud, per quod datur.

Quæstio lateralis. ¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: An ante incarnationem & post incarnationem differat gratia per essentiam. Et ostenditur quod sic. Dionysius: *Omne datum optimum descendens à patre luminum, reducit nos per Iesum ad congregantis patris vnitatem.* Si ergo gratia ante incarnationem non habuit potestatem ad hoc, vt reduceret ad patris vnitatem: sed post incarnationem habuit, scilicet per Christum passum: ergo alterius rationis est ante incarnationẽ, & post.

Dionys.

¶ ITEM, ante incarnationem non potuit nobis gratia præstare vitam æternam: sed post incarnationem potuit: ergo alia est post incarnationẽ & dignior, quàm ante: quia ante non fecit dignum visione & contemplatione Dei æterna, sicut post.

¶ AD oppositum: non erat alterius rationis fides ante incarnationem, & post: similiter nec charitas: ergo eadem ratione nec gratia; cùm sit sine ipsa.

¶ SOLVTIO. Concedendum est, quòd non est alia gratia ante incarnationẽ & post: tamen aliquid efficit gratia post incarnationem, quod non ante, sed hoc non est ex diuersitate, quæ sit in gratia, sed ex adiuncto: quia aliud adiungitur gratiæ post incarnationem, virtute cuius facit dignum visione æterna; quod ei non adiungebatur ante incarnationem: immò ante incarnationem adiungebatur aliquid ei, quod erat impediens prædictam visionem: qđ remotum est virtute incarnationis & passionis Christi; quia ante incarnationem erat reatus culpæ originalis: & erat gratia cum reatu illo originali: qui reatus excludebat à visione æterna: nec poterat solui reatus ille, nisi per passionem Christi Dei hominis. Inde est, quod quamuis esset gratia ibi, quæ faceret de se dignum vita æterna: non tamen hoc poterat efficere in actu: quia impediebatur per reatum originalem: sed post incarnationem & passionem Christi habuit gratia secum meritum passionis, per quam fuit solutio illius reatus. Inde est, quod potuit post incarnationem & passionem nos efficere dignos actu visione æterna: quod ante non poterat. Et secundùm hoc patet responsio.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrùm gratia sit eiusdem rationis in adulto & paruulo? Et ostenditur, quod non: quia gratia datur in paruulo ad informandam animam, in adulto datur gratia ad operandum: vnde gratia in paruulo datur ad bene esse, in adulto ad benè operari. Si ergo non est eiusdem rationis benè esse, & benè operari: ergo nec gratia erit eiusdem rationis in adultis & paruulis. Quæsti lateralis

¶ ITEM, in paruulo datur gratia cum sacramento: adulto verò datur gratia sine sacramento. Sed gratia sacramentalis est similitudo animæ ad Christum hominem: gratia sine sacramento, est similitudo animæ ad Christum Deum (& supponitur hæc differentia) quia sacramentalis assimilat nos ad Christum passum: sed similitudo per essentiam differt à similitudine: cum ea, respectu cuius dicuntur istæ similitudines; differunt per essentiam, scilicet Deus & homo, humanitas & Deitas: ergo gratia sacramẽtalis per essentiam differt à gratia sine sacramento: ergo non est gratia eiusdem rationis in paruulis & adultis: sed differens ratione essentiali.

¶ AD oppositum: Gratia, quæ est in paruulo, manet in adulto, (Ponatur quod ipse non cadat per peccatum) ergo eadem est gratia in vtroq;. Sed paruulum faciebat benè esse: ergo & adultum. Cùm ergo maius sit esse, quàm operari: & benè esse, quàm benè operari: gratia, quæ facit benè esse, facit benè operari.

¶ ITEM, sicut differt perfectibile, ita debet differre perfectio: sed perfectibile à gratia in adulto & paruulo non est alterius rationis: ergo gratia non est alterius rationis in adulto & paruulo. Minor patet, quia perfectibile à gratia in adulto & paruulo est pars rationalis: sed hæc non differt secundùm rationem in adulto & paruulo, licet in paruulo sit in potentia operandi, & nõ in actu secundùm partem rationalem.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quòd gratia in adulto & paruulo non differt secundùm essentiam: quamuis ipsa operetur aliquid in adulto, quod non operatur in paruulo: hoc enim est propter diuersitatem, quæ sit in gratia, sed ex parte suscipientis, quia in paruulo est ratio ligata quantum ad vsum, & arbitrium voluntatis ligatum: in adulto verò expeditum est: sed gratia operatur in recipiente secundùm capacitatem ipsius recipientis. Quia ergo paruulus est tantùm capabilis informationis: adultus autem est capabilis informationis, & operationis: propter hoc gratia solùm est in paruulo ad informationem, in adulto autem ad informationem, & vltra ad operationem.

¶ AD primum ergo possumus dicere: quòd gratia secundùm se est ipsa, quæ facit benè esse: gratia autem, secundùm quod est in virtute, ipsa est, quæ facit benè operari: vnde sicut non est alterius essentiæ gratia secundùm se, & gratia in virtute, licet alio modo: ita & non alia gratia in paruulo, & in adulto: sicut lumen secundùm se, & lumen in radio non est alterius essentiæ: licèt sit alio modo se habens, quia secundùm se informat aërem indistin-

ctè, in radio informat distinctè: vt directum ad hanc partem, vel aliam.

¶ Ad aliud dicendum: quòd gratia post peccatum assimilat Deo homini: quod patet in fide; quia nũquam datur alicui gratia post peccatum, siue ante incarnationem, siue post, nisi ratione fidei Dei hominis: & hoc est, quia nullus post peccatum potuit esse gratus Deo sine fide Dei hominis. Sed fides Dei hominis est duplex, scilicet, propria, & aliena: paruulo datur gratia sine fide Dei hominis propria, sed non sine aliena, scilicet fide ecclesiæ: vt sicut peccatum ab alio habuit, ita & gratiam per fidem alienã: adulto autem non datur sine fide propria Dei hominis: gratia siue ante incarnationem, siue post, assimilat Deo homini. Et quod obijcitur gratia assimilans Deo, & gratia assimilans homini, differunt essentialiter; sicut Deitas & humanitas. Intelligendum est: nam gratiæ de intentione sua est assimilare Deitati: & eo quod assimilat humanitati Christi, quæ est maximè assimilata Deitati, & Deiformis; assimilat Deitati. Quicquid enim assimilatur rei, quæ simillima est Deo, assimilatur Deo: maximè si assimiletur ei inquantum Deo similis est.

MEMBRVM IV.

De subiecto gratiæ.

QVÆRITVR consequenter de subiecto gratiæ. Circa quod erit modus inquisitionis duplex. Primò q̃retur, quomodo habet fieri in subiecto? Secũdò, quomodo sit in subiecto?

ARTICVLVS I.

Quomodo gratia in subiecto fieri habeat?

QVOMODO autem habeat fieri in subiecto, quærit modum susceptionis: ad quod terminandum quęretur de illis, in quibus est liberum arbitrium ligatum? An paruuli sint susceptibiles gratiæ? An adulti vel dormientes, vel alienati sint susceptibiles gratiæ?

An paruuli sint susceptibiles gratiæ? §. 1.

Bern. de gratia & libero arbitrio. ¶ Ad primum Bernardus: *Deus auctor salutis est, liberum arbitrium capax: nec dare valet eam nisi Deus: nec capere nisi liberum arbitrium.* Si ergo in paruulis non est liberũ arbitrium secundùm actum, relinquitur quod paruuli non sunt capaces gratiæ.

¶ ITEM, si dicatur, quòd in paruulis est liberum arbitrium secundùm potentiam: & hoc sufficit ad susceptionẽ gratiæ. In contrarium obijcitur, quia Bernardus ibidem dicit post: *Tam absque consensu esse non potest recipientis, quàm absque gratia dantis:* sed impossibile est, quòd gratia salutis detur absque gratia dantis: ergo impossibile est, quod detur absque consensu recipientis. Cùm ergo in paruulis nõ sit potentia consentiendi: patet, quòd nec potentia suscipiendi gratiam.

Aug. in li. retracta tionum. ¶ ITEM, sicut dicit Augustinus: *Non miseretur Deus, nisi voluntas præcesserit:* sed Dei miseratio est suæ gratiæ donatio: ergo non dat gratiam, nisi præcedat voluntas. Cùm ergo in paruulis non possit esse huiusmodi voluntas: nec ipsi possunt esse receptibiles gratiæ.

Genes 17. ¶ CONTRA, dixit Dominus ad Abraham: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri: vt sit signum fœderis inter me & vos: infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Erat igitur circuncisio signum fœderis, id est reconciliationis ad Deum; sed illud erat verè signũ: ergo verè erat reconciliatio ad Deum, & in paruulis, & in alijs per sacramentum circuncisionis: ergo verè habebant paruuli gratiam Dei per circuncisionẽ. Si ergo sit amplior largitio gratiæ Dei tempore gratiæ post passionem, quàm ante, scilicet tempore legis, patet quòd paruuli saluantur, & suscipiant gratiam per sacramentum baptismi.

Rom. 5. ¶ ITEM, Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: & sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum.* Sed peccatum regnauit in mortẽ vsq; ad mortẽ Christi in paruulis & adultis: ergo gratia, quæ est per Iesum Christum, attinget non solùm adultos, sed etiam paruulos.

¶ ITEM, Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum: quia gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Si ergo gratia Iesu Christi in plures abundauit quàm peccatum originale: & peccatum originale inficit paruulos, & attingit: ergo & gratia Iesu Christi attingit paruulos.

¶ ITEM, 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Si ergo in Adam moriuntur nõ solùm adulti, sed & paruuli: ergo in Christo non solùm viuificabuntur adulti, sed & paruuli. 1.Cor.15.

RESOLVTIO.

Cùm gratia potissimè respiciat potentiam liberi arbitrij, sitq; hæc in paruulis; verè gratiæ susceptibiles eos dicere poterimus.

¶ SOLVTIO. Duplex est iustitia: vna, quã homo sibi facit: alia, quæ homini fit. Iniustitia prima est culpa actualis, quam sibi facit homo per suum liberum arbitrium, iniustitia secunda est culpa originalis, q̃ contrahitur ex culpa Adæ, & non liberi arbitrij paruuli. Similiter cùm iustificatio nihil aliud sit, quàm reditus de iniustitia ad iustitiã; erit iustificatio duplex: vna, ad quam homo facit: alia, ad quam homo non facit. Sicut iniustitia non contrahitur ex aliquo, ꝙ paruulus faciat: ita nec in iustificatione requiritur consensus eius: sed fit in paruulo per exhibitionem sacramenti baptismatis. Iniustitia autem q̃ est in adulto: non solùm est illa, q̃ ei fit ex culpa originali: sed etiam illa, quã sibi facit ex culpa actuali: & propter hoc necessariò requiritur quòd adultus ad iustificationẽ suam aliquid faciat: & ideo necessariò requiritur consensus eius in actu: & sic patet, ꝙ in paruulis est potentia ad suscipiendum gratiam: licèt etiam in actu non consentiant.

¶ Ad primum in contrarium dicendum: ꝙ liberũ arbitrium accipitur aliq̃n in potentia, aliq̃n in actu. Dicendũ ergo, ꝙ nulla res, quæ nõ habet potestatem arbitrij, est susceptiua gratiæ: quia illa sola habet potentiam liberi arbitrij propriè: sed dico ꝙ non requiritur actus liberi arbitrij semper ad susceptionẽ gratiæ, & maximè in iustificatione paruulorum: sed solùm sufficit ibi potentia liberi arbitrij.

¶ Ad aliud, quod obijcitur in contrarium, dicendum ꝙ est consensus in potentia, in habitu, & in actu. Cõsensus in potentia est in paruulo: consensus in habitu est in adulto dormiente, qui firmo proposito dum vigilaret cõsensit, vt conuerteretur ad Deum, & petijt gratiam: consensus in actu est, vt in vigilante, qui habet propositum firmum, vt ad Deum conuertatur. Si ergo generaliter intelligatur auctoritas illa, debet intelligi secundùm ꝙ cõsensus generaliter dicitur istis tribus modis. Vel dicendum, ꝙ illa autoritas intelligitur de adultis, vnde dicitur: gratiæ operãti salutẽ cooperari dicitur liberum arbitrium dum consentit, sed liberum arbitrium non cooperatur nisi in adulto: cùm in eo solo sit vsus liberi arbitrij, & propter hoc intelligitur de adulto. Et per hoc patet solutio ad aliud Aug: & distinguendum vt priùs.

An adulti dormientes, vel alienati mente, siue furiosi, & dementes gratiam recipere valeant? § 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de adulto: vtrùm adultus dormiens, vel furiosus, seu amens possit recipere gratiam? Ad quod sic dicitur 3. Reg. 1. quod sapientia infusa est Salomoni dormienti: sed sapientia est donum à Deo, sicut gratia. Si ergo sapientia potest infundi homini dormienti, ergo & gratia. 3.Reg.1.

¶ ITEM, videmus per autoritates scripturæ, ꝙ in somnis erant reuelationes prophetarum, vnde Num. 12. habetur: *Si quis inter vos est propheta: in visione apparebo ei: vel per somnum loquar ad illum.* Sed sua locutio nihil aliud est quã reuelatio veritatis: ergo in somnis fiunt reuelationes veritatis, & secretorum Dei. Item Iob 33. *In somno tunc aperit Dominus aures virorum.* In somno igitur fiunt reuelationes. Iuxta has autoritates sic obijcitur. Sicut se habet anima in cognitionem veritatis, ita ordinata est amorem bonitatis: Num.12. Iob 33.

si ergo

si ergo in somno potest ei infundi cognitio veritatis: ergo & ei in somno potest infundi dilectio bonitatis. sed amor bonitatis est gratia, ergo homini dormienti potest infundi gratia.

¶ ITEM, Titulo de baptismo, & effectu baptismi habetur: quòd gratia sacramētalis infunditur dormienti: sed gratia sacramentalis est gratia, ergo.

¶ ITEM, in illa Decretali arguit Innoc. Papa hoc modo: De similibus simile est iudicium simile: sed similiter se habet quātum ad immobilitationem & ligationem arbitrij dormiens & paruulus: si ergo paruulus non impeditur propter ligationem arbitrij, quin recipiat gratiam, ergo nec dormiens.

¶ ITEM, quia fortè dicet aliquis, q non est simile, quia in paruulo solum dimittendum est originale peccatum; quia nihil habet de actuali, in adulto non solum dimittēdum originale est, sed etiam actuale, ad cuius dimissionē requiritur consensus in actu, licèt nō requiratur ad dimissionem solius originalis: & ita cùm in dormiente non sit consensus in actu, non potest suscipere gratiam ad dimissionem culpæ. Sed tunc obijcitur contra hoc, quoniā licèt differāt dormiens & paruulus quantū ad actuale peccatū, non tñ differunt quantum ad originale; quia vterq; habet originale: si ergo in paruulo potest dimitti originale sine eius cōsensu p susceptionē gratię baptismatis, ergo & in adulto potest dimitti peccatū originale sine eius consensu.

¶ ITEM, anima duplicem habet ordinem, vnū ad suum superius, scil. Deum: aliud ad inferius, scil. ad corpus suum q mouet, & regit. Si ergo infusio gratię in anima est quantum ad ordinē quem habet ad suum superius, scil. Deum, & non quantum ad inferius; cùm ille ordo maneat in anima dormientis, videtur quòd dormiēs possit recipere gratiam sicut & vigilans.

¶ ITEM, potētia rationalis, quæ absoluta est & abstracta ab omni materia, habet absolutam libertatem, & est domina sui actus, nulla igitur dispositio, q̄ sit facta in materia, ligabit suam libertatem, ergo in somno non ligatur suum arbitrium: sed est arbitrio libera, ergo potest per suū arbitrium consentire ad susceptionē gratiæ. Est igitur gratiæ susceptiua anima in dormiente, sicut in vigilante.

¶ ITEM phantasia, quę est vis sensibilis & inferior quā rationalis, cuius est lib. arb. non immobilitatur in somno: sed tunc virtuosius & fortius operatur, & melius percipitur eius operatio. Cùm ergo virtuosior sit virtus rationalis, in qua est liberum arbitrium, quàm phantasia: ergo ipsa non amittit suam operationē in somno: ergo poterit consentire & recipere gratiam in somno.

¶ ITEM, sicut appetitus sensibilis mouetur ex specie boni sensibilis delectabilis in dormiēdo: ita appetitus rationalis potest moueri ex specie boni intelligibilis in dormiendo: sed hæc est dispositio ad suscipiendum gratiam, ergo dormientes habent potentiam dispositam ad suscipiendum gratiam.

¶ ITEM, aliquando est in somno, quòd non fit plenè resolutio vaporum vel fumositatum descendentium à cerebro: nec fit plena solutio sensuum, vnde tunc surgunt dormientes, & faciunt opera vigilantium. Ponatur ergo, quòd aliquis in tali statu surgat, & det eleēmosynā, & habuisset prius desiderium dandi firmum & feruens: constat quòd actus vel motus ille habet ortum ex bona radice, ergo fructus bonus est: ergo meritorius.

Bernard. ¶ AD oppositum Bernard. *Tam absque consensu esse non potest recipientis, quàm absque gratia dantis*: & loquitur de dono gratiæ à Deo. Si ergo non est consensus in dormiente: non potest esse in eo susceptio gratiæ.

RESOLVTIO.

Adulti dormientes, furiosi, vel amentes, si quam gratiam suscipiunt, in sacramento & cum sacramento suscipiunt: nec nisi secundùm habitum cooperati fuerint: extra autem sacramentum, aut sine sacramento nullatenus eam suscipere queunt.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod est dispositio, quæ imprimitur animæ ad susceptionem gratiæ: ad quam anima nihil operatur actu, nec habitu: & hæc est in paruulo baptizato. Est alia dispositio ad gratiam, quæ imprimitur animæ: ad quam nihil operatur anima secundùm actum, sed secundùm habitum: sicut in adulto dormiente, qui priùs perseuerauit in firmo proposito baptizandi: si istis talibus imprimatur character baptismi, sunt dispositi ad gratiam, ipsis cooperantibus secundùm habitum. Est etiā dispositio ad gratiam, ad quam cooperatur anima secundùm actum: sicut est in adulto vigilante: cui imprimitur character secundùm actum.

¶ ITEM notandum, quòd gratia aliquando infunditur ex virtute sacramenti: aliquando sine sacramento. Dicendum igitur, quòd gratia sacramentalis in baptismo nō infunditur nisi secundùm illam distinctionem: nec character baptismalis imprimitur. Gratia autem, quæ datur sine sacramento, nunquam infunditur sine actuali consensu. Et ita patet quòd ipsi dormienti non infunditur gratia, nisi per sacramentum: & hæc etiam ei non infunditur, nisi habuerit habitum, quo velit suscipere gratiam, id est nisi cooperetur secundùm habitum. Similiter dicendum est de homine furioso.

¶ AD primum dicendum: quòd virtus apprehensiua potest cogi per ratiocinationem, vt assentiat vero: sicut si aliquis contradiceret alicui veritati per virtutem alicuius ratiocinationis: posset cogi ratio eius, vellet, nollet, ad hoc quod assentiret illi vero. Sed non est sic de vi motiua, quæ est receptiua boni: illa enim nunquam potest cogi ad bonum: imò si vult, appetit bonum: si non vult, non appetit. Ex parte igitur virtutis motiuæ est libertas absoluta: ita quod nihil fit in ea sine suo consensu, ex quo non potest cogi. Ex parte autem virtutis apprehensiuæ non est ita: quia aliquid potest in ea fieri sine suo consensu; quia potest cogi ad verum, sicut dictum est: & ideo scientia potest imprimi animæ sine consensu ipsius in dormiendo: animæ tamen non potest imprimi gratia sine eius consensu. Et intelligendum est de gratia; quæ infunditur sine sacramento: & ideo dormiens non est susceptiuus talis gratiæ.

¶ PER hoc patet solutio de reuelationibus, quia in reuelatione non est aliud quàm impressio formæ veri in vi apprehensiua: non est autem necesse ipsam ad hoc cooperari, sicut visum est.

¶ AD aliud, quod obijcitur de Decretali. Dicendum, quod non est gratia cum sacramento, & sine sacramento. Gratia ergo sine sacramento non potest infundi dormienti, sicut patet: gratia autem, quæ est cum sacramento, potest, sed hoc cum distinctione posita: quia oportet quod habeat consensum in habitu. Et id patet per hoc quod in illa Decretali dicitur de baptismo & effectu baptismi. Maiores, &c. ponit Innocentius Tertius talem distinctionem: *Dormientes autem & amentes, si priusquam amentiam incurrant, vel dormiant, in contradictione persisterint: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secùs autem, si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.* Vnde tales in necessitatis articulo consuenit Ecclesia baptizare. Et sic per hoc patet distinctio prædicta: quod etiam necesse est, quod dormientes habeant consensum in habitu ad hoc, quod recipiant gratiam per sacramentum. Innocet. III. in Decretali de baptismo.

¶ AD aliud respondet Innocentius in eadem Decretali, & ostendit, quare non potest dimitti originale ipsi adulto eodem modo, quo dimittitur paruulis. Et ponit duplicem rationem ad hoc, dicens: Dominus, qui totum hominem saluum fecit in sabbato, opus imperfectum non nouit; & ideo peccata non pro parte, sed pro toto dimittit. Cùm ergo in adulto sit peccatum originale, & actuale: constat quòd vnum non dimittitur sine altero: sed actuale contrahitur cum consensu, ergo non debet ei dimitti sine consensu: ad minus in habitu. Sed sine hoc non potest dimitti originale in adulto, propter hoc nō potest dimitti peccatum in adulto sine consensu.

¶ ITEM alia est eius ratio ad hoc: pœna originalis pec-

cati est carentia visionis Dei: actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus: vnde si primum dimitteretur alicui, altero non dimisso; talis non careret visione Dei propter originale dimissū: & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam impossibilia sese minimè patiuntur: imò sibi mutuò aduersantur: & propter hoc non potest dimitti originale per baptismum adulto, si dormiat, sine consensu: paruulo tamen potest: quia in ipso non est alia culpa, quæ contrahatur cum consensu.

¶ Ad hoc quod obijcitur: quòd ordo animæ ad suum superius manet in somno. Dicendum, quòd ordo animæ est, vt non perficiatur secundùm suam vltimam perfectionem sine suo consensu. Hæc autem vltima perfectio est ex forma bonitatis impressa ei: quia ex hac parte relictus est homo in manu sui consilij: sicut habetur Ecclesiastici 15. id est, secundùm ordinem animæ ad istam perfectionem relinquitur homo suo libero arbitrio. Vnde dicit Dionys. quòd nos non habemus vitam coactam, sicut habent irrationabilia: vnde vita gloriæ vel gratię nō datur nobis coactè: & propter hoc cùm anima non possit cogi ad istam perfectionem, quæ est ex forma boni per infusionem gratiæ, non potest recipere gratiam, cùm consensus actu non sit in dormiente.

Dionys.

¶ Ad aliud dixerunt quidam: quòd sicut videmus, quod clauis dupliciter est ligata. Vno modo quia non est potestas ligandi vel soluendi propter inidoneitatem potestatis: quia scilicet non habet idoneitatem: & hoc modo ligatur in presbytero suspenso, vel degradato: quia non habet idoneitatem ad hoc. Alio modo dicitur clauis in aliquo ligata, non propter inidoneitatem ipsius, nec potestatis suæ: sed quia deficit ei materia, scilicet subditi, quos liget vel soluat: & hoc modo ligata est clauis in monacho; vel religioso. Similiter dicunt, quòd in somno liberum arbitrium secundùm se non ligatur: sed quia non habet materiam in somno, quæ ei subiecta sit. Quod ergo non habere executionem potestatis in somno: hoc non est, quia deficiat, vel ligetur potentia liberi arbitrij, sed hoc est propter defectum materiæ: in vi autem sensibili non est executio in somno propter defectum potentiæ, quia ligatur: & propter defectum materiæ, quæ ei offertur. Vis ergo rationalis, cuius est liberum arbitrium, absoluta est à materia: & inde est libera: nec ligatur in somno secundùm se: sed ligatur, quia non habet executionem in opere propter defectum materiæ, circa quam operatur. Alij dixerunt iuxta philosophos: quod cùm in anima sit vis quæ non dependet à corpore, quantum est de se, scilicet liberum arbitrium, & vis dependens à corpore, scilicet vis motiua concupiscibilis, irascibilis: sed cùm remuneratio meriti debeat esse & secundùm animam, & secundùm corpus: necesse est, quod opus meritorium fiat per vim animæ secundùm se, & per vim ad corpus, & non solùm per vnum: & ideo in opere meritorio imperat liberum arbitrium, & vis ad corpus facit motum, vel opus: & quia in dormiente ligatur vis ad corpus, propter hoc in dormiente non potest liberum arbitrium habere consensum meritorium vel operatorium ad gratiam: ideo distinxerunt, sicut distinguit Auicenna: quod quædam est vis imperans motum; & hæc est vis cuius est liberum arbitrium, & quædam est vis faciens vel exequēs motum: & hæc est vis ad corpus: hæc autem immobilitatur in somno; quia est vis corporis, seu ad corpus. Quia ergo cessat vis faciens motum; ideo cessat vis imperans motum: & ita cessat liberum arbitrium, sicut Rex imperans & mouens, & homines sunt exequentes: & si non esset, qui obediret Regi, Rex cessaret à suo imperio. Similiter dico, quòd liberum arbitrium cessat in dormiente, quia cessat vis faciens motum: vnde ligatum est, non in se, sed in exequente: & ideo non potest recipere gratiam.

Auicēna.

Obiectio

¶ Sed obijcitur: quia liberum arbitrium de se elicit motum consensus sine aliqua cooperatione vis sensibilis: seu virtutis ordinatæ ad corpus: ergo quantum ad consentire non immobilitatur in somno.

¶ Item dicit Anselmus, quòd voluntas est instrumentum seipsum mouēs: ergo nulla erit causa sufficiēs ad mouendum, vel quiescendum ipsam.

Anselm.

¶ Respon. dicendo, quòd duplex est motus, scilicet motus ab anima, & motus ad animam. In motu ad animam se habet anima in potentia passiua & receptiua solùm: in motu ab anima se habet anima in potentia actiua. Primus autem motus est in vi apprehensiua: quia recipit species rerum extra, à quibus incipit motus, & terminatur ad animam. Et ideo vis apprehensiua est vis passiua solùm & receptiua: & motus eius est ad animam, & inde est quod si sit imprimens extra, fiet motus in ea, ipsa nihil operante: cùm non faciat, vel incipiat motum, sed moueatur à rebus extra: & ideo in somno potest exercere suam operationem, si sit agens extra, vel imprimens in ea formam veri. Secundus autem motus est in motiua.

¶ Nihilominus videtur melius dicendum: quòd sicut in motu secundùm ægritudinem vt in furia, rapitur tota anima ad vim morbi expellendam: similiter in quibusdam motibus, vt in extasi per gratiam rapitur tota anima ad videndum ea, quæ supra ipsam sunt: sicut fuit in raptu Pauli, & prophetarum: sicut & in coitu dicimus; quod tota intentio animæ fertur ad actum generatiuæ, & rapitur. Ita dicimus de libero arbitrio in somno quòd non dicitur immobilitari, quia ligetur in se, nec vis in qua est: sed quia anima rationalis, cuius est, totaliter fertur ad alium actum alterius vis in somno, sicut ad actū nutritiuæ, quia vis nutritiua est, quæ maximè operatur in somno: & ideo quia anima rationalis in somno non intendit, vt vtatur libero arbitrio dicitur immobilitari. Et ideo non operatur, nec suscipit gratiam in somno: cùm oporeat ipsum operari, & consentire actu ad illud quod suscipit.

Respōsio propria ad quintum arg.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de phantasia. Notandum, quòd cùm sint vires animæ, quædam secundùm partem rationalem, quædam secundùm irrationalem: ex parte irrationali, vegetabilis, sensibilis: ex parte verò rationali intellectus speculatiuus, apprehensiuus, & motiuus: circa quamlibet differentiam est accipere duplicem vim: vnam, quæ semper est cum suo actu: aliam, quæ non semper. Verbi gratia: ex parte vegetabilis est accipere vim vegetandi, quæ semper continuat suum actum, scilicet vegetare in corpore: & vim augmentandi & generandi, quæ non semper continuant suum actum: item ex parte sensibilis est accipere vim apprehensiuam de foris, vt visiuam, auditiuam, & huiusmodi: quæ non semper continuant suum actum: & vim apprehensiuam interius, sicut phantasia, quæ semper continuat suum actum, siue in somno, siue in vigilijs, sicut dicit Philosophus: sed in somno tota eius intentio versatur interiùs; in vigilia verò diffunditur ad apprehensiuas exteriores; vnde propter hoc melius percipimus operationem eius in somno, quàm in vigilia; cuius signum est, quòd quando claudimus alios sensus in vigilia, tunc operationem phantasiæ percipimus, velut lucem species sensibiles seruatas interiùs illustrantem.

¶ Item, ex parte apprehensiui intellectus est vis duplex: vis, quæ semper est cum suo actu, velut lux; & (sicut dicit Philosophus) se habet ad intelligibilia sicut lux ad colores, & dicitur intellectus agens: & vis, quæ non semper est cum suo actu: sed educitur de potentia in actum, & dicitur intellectus possibilis. Item, simili modo ex parte motiui intellectus est vis duplex: vis, quæ semper est cum suo actu: vt quemadmodum intellectus agens est continuè irradians super animam ad cognoscendum intelligibilia veritatis; ita ex ista parte est vis radians; & mouens ad appetibilia bonitatis, semper remurmurans contrarijs: quam dicimus Synteresim. Præterea vis, quæ non semper est cū suo actu: non enim est determinata ad vnum actum: sed ad oppositos actus se habet secundùm electionem liberam: penes quam ponitur liberum arbitrium. Patet igitur responsio, quòd non est similis modus operationis phantasiæ, & liberi arbitrij: * rationis quantum ad vim, quæ non habet actum continuum.

Philosop. ex 3 de anima 18.

* al. & rationis.

¶ Ad

¶ Ad illud verò, quod obijcit per similitudinē appetitus sensibilis, & appetitus rationalis. Dicendum, quod appetitus sensibilis (sicut dicit Io. Dam.) magis agitur, quàm agat: & hoc est, quia deducitur & trahitur à specie obiecta delectabili: appetitus verò rationalis magis econtrariò agit quam agatur: & ideo quando ad aliam operationem rapitur animæ, intentio, velut in furia, & in somno; quiescit: & hoc modo dicitur ligari, sicut dictum est.

Damasc.

¶ Ad vltimum dicendum, (quamuis non sit pñtis negotij) secundùm prædictam hypostasim: quod operatio illius, qui sic insurgit in somno, procedit ex virtute æstimatiua: quæ vis non solùm accipit species sensibiles, sed intentiones specierum sensibilium: sicut dicit Auic. vt delectabile tristabile, bonum malum, notiuum fugitiuum: ex quarum intentionum pñtatione fortissima in talibus mouetur æstimatiua: & mouet ad hoc quod homo surgat, & operetur ligatis somno viribus *exterioribus sensus, & lib. arb. rationi: vnde quicquid faciat; non reputatur ei ad meritum vel demeritum, nec ad laudem vel vituperium. Ex his igitur satis manifestum esse potest, qualiter gratia habet fieri in subiecto.

Auicenna.

*Aliàs, exterioris.

ARTICVLVS II.

Quomodo gratia sit in subiecto.

POSTEA inquirendum est de gratia, quomodo sit in subiecto. Et quæruntur duo? Primò, an gratia insit secūdùm maius & minùs: hoc est, an sit maior in vno, quàm in alio. Secundò, an secundùm maius & minùs, sc. secundùm intensionem, & remissionem: prout dicitur margarita albior equo.

An gratia est maior in vno quàm in alio sit? §. 1.

¶ Ad primum sic: Aug. ***Deus vbiq; totus est: quomodo ergo in alijs amplius, in alijs minùs:*** Sed Deus est in anima per gratiam in quolibet habente gratiam: ergo totus est in quolibet habente gratiam: & totus habetur à quolibet: ergo tantùm habet vnus gratiam, quantùm alius. Si ergo ipsum habere est esse gratiæ: ergo tantùm habet vnus de gratia, quantùm alius.

August. ad Dardanum.

¶ Item, gratia comparatur ad dantem, & ad recipientem: sed dans non se habet secundùm maius: sed æqualiter omnibus: similiter nec recipiens: ergo gratia non est maior in vno, quàm in alio: ex quo non potest determinari eius maioritas: nisi secundùm dantem vel recipientem. Minor patet, quia dans est simplex, non habens quantitatem, sc. ipse Deus: similiter ex parte recipientis est æqualitas, sicut ex parte dantis: quia homo inquantùm imago est in potentia recipiendi gratiam. Si ergo ipsa imago non est maior in vno, quàm in alio: ergo nec recipiens se habet secundùm maius, & minùs: ergo ex vtraque parte est æqualitas.

¶ Ad oppositum: Aug. ***In quibus habitat Deus non æqualiter habitat***: quia inde est illud quod Helisæus. 4. Reg. 2. Poposcit, vt in eo esset duplex spiritus, id est, in duplo, quàm in Helia. Si ergo illud erat possibile, quod petebat: & petebat in se spiritum duplicari: ergo in eo poterat spiritus maior esse, quàm in Helia in duplo. ergo & gratia in duplo: quia spiritus ille gratia est.

Idem ad eundem.

¶ Item, Aug. *Gratia meretur augeri*, &c. Potest ergo esse maior in vno, quàm in alio.

Aug. ad Bonifacium.

RESOLVTIO.

Gratia secundùm maius & minùs inest: sed non quantitate dimensiua vt formæ corporales: at vel virtute, vel expressione, vel inclinatione.

¶ Sol. Dicendum, quod maius & minùs non dñr ita in formis spiritualibus, sicut in formis corporalibus: quia in formis materialibus dñr secundùm quantitatē dimensiuam: & ratio huius est, quia sunt formæ materiales & perficiētes materiam: formæ aūt spirituales immateriales sunt: & inde est quod maioritas & minoritas non determinantur in eis secundū quantitatē dimensiuam, sed solū secundùm quātitatē virtualē: secundùm quod dicit Aug. quod anima nō dicitur quanta secundùm quantitatem dimensionis sicut lignum: sed secundùm quantitatē virtutis. Item, dicendū quod gratia potest dici maior tribus modis scilicet maior virtute, expresione, & inclinatione. Et ratio huius est: quia gratia nihil aliud est quam similitudo Dei in creatura rationali, quæ est effectus Dei: sed similitudo rationalis creaturæ ad Deum potest esse, vel quod sit ei similis secundùm rationē efficientis: & sic dicitur similitudo virtutis: quia virtus vel potentia debetur ei secundùm rationem efficiētis. Aut est similitudo secundùm rationem, qua Deus est causa exemplaris seu formalis: & sic dicitur similitudo expressionis seu secundùm expressionem, quomodo dicitur esse similitudo inter sigillum & ceram impressam in sigillo: similiter ipsa Dei sapientia est quasi sigillum, & eius similitudo expressa est in rationali creatura. Aut est similitudo secundùm rationem, qua Deus est causa finalis: & sic dicitur similitudo inclinationis vel ordinis: quia ex hoc quod rationalis creatura est propter finem, quæ est summa bonitas: ex hoc inclinatur ad illam tanquam ad finem: tñ hanc inclinationem tollit peccatum. Gratia ergo est Dei similitudo in creatura istis tribus modis, sc. secundùm virtutem, expressionem, & inclinationem. Maioritas ergo gratiæ, aut est virtutis respectu efficientis, aut expressionis respectu causæ exemplaris, aut inclinationis respectu causæ finalis. Secundùm hoc maior fuit gratia in Christo quàm in alijs, & consequenter maior in B. Virgine, & consequenter in alijs sanctis: quia habuerunt maiorem virtutem, & ad plura operabilia: quia Christus habuit maiorem, alij minorem respectu illius, B. Maria consequenter maiorem respectu aliorum: & sic de alijs similitudinibus: Et quantùm ad hoc intelligitur Aug. quod Helisæus petebat in se duplicari spiritum Heliæ, ita quod maiorem haberet spirituum quàm Helias quantùm ad maioritatem virtutis ad plura operabilia: petebat enim, quòd duplicaretur virtus in ipso ad operandum plus in duplo: & hoc faciebat propter incredulitatem populi.

Idem de quantitate animæ.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicendum, sicut dicit Philosophus in *Lib. de causis. **Prima causa in omnibus rebus est secundùm dispositionem vnam***: Non tamen omnes recipiunt ipsam secundùm dispositionem vnam, seu rationem vnam: nec eius operationem: quia recipiunt ipsam vel eius operationem receptione corporali, quędam receptione spirituali intellectuali. Et exemplum post in luce seu in radio solis: radius enim solis quantùm est de se, cùm attingit materiam liquefactibilem vt ceram, & materiam indurabilem vt lutum; quantùm est de se; eodem modo operatur in vtraque, sed non à parte recipientium: vnde non idem efficitur in vna & in alia: quia non recipiunt ipsum eodem modo: imò lutum recipit secundùm vnam dispositionem, & cera secundùm aliam: secundū quod habent diuersas naturas: & propter hoc nō efficitur idem in vtroque per receptionem radij. Similiter dicendum, quòd Deus quantùm est de se, vno modo se habet ad omnes creaturas, & æqualiter: non tamen vno modo, nec æqualiter ab omnibus recipitur.

Philoso. Author lib. de causis.

¶ Ad secundum dicendum, quod attendendo dantē non est differentia quantùm in ipso est: quia non plus se habet de se ad vnum, quàm ad aliud. Similiter attendendo recipientem secundùm se, nulla est differentia in receptione: nec maioritas nec minoritas: quia ipsum recipiens æqualiter se habet in omnibus ad recipiendum gratiam quantùm est de se. Et hoc declaratur per exemplum in natura: videmus enim quod Sol, quantùm est de se; similiter se habet ad illuminandum omnes partes aëris: similiter omnes partes aëris quantùm est de se, similiter se habent ad recipiendum illuminationem à sole: vnde vna quantùm est de se, non magis se habet ad hoc, quàm alia: sed attendendo comparationem partium aëris ad solem, sic est differentia in illuminatione: quia partes aëris, quæ sunt propinquiores soli, plus recipiunt de illuminatione à sole, & plus influit soli illis. Eodem modo intelligendum est, quod maioritas gratiæ non attenditur ex parte dantis secundum se, nec recipiētis secundū se: sed ex ordine, & cōparatione vnius ad alterum: qa anima, quæ propinquior est, & propinquiùs ordinatur Deo: est susceptiua maioris gratię: & ideo

Christus, qui propinquius est; plus recipit:& consequenter B. Virgo: & sic consequenter de alijs sanctis secundùm ordinem diuinæ dispositionis, & prædestinationis.

An gratia magis in vno quàm in altero intendatur & remittatur ? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur? Vtrùm gratia sit in subiecto secundùm intensionem & remissionem: prout dicitur margarita albior equo? Hoc est quærere: vtrùm magis intendatur in vno, quàm in altero. Ad q. sic: Aug. *In sanctis alij sunt sanctiores alijs: sed vnde hoc, nisi habendo abundantiùs inhabitatorem Deum?* Et dicit ibi, q. habere inhabitatorem Deum, hoc non est nisi per gratiam: Ergo in quibusdam sanctis magis est intensa gratia, quàm in alijs: gratia ergo recipitur magis & minus in vno, quàm in alio.

August. ad Dardanum.

¶ AD oppositum. Duplex est esse: scilicet primum, & secundùm, & hoc est esse naturę, & esse ordinis. Sed essentialia primi esse non recipiunt magis, & minus: ergo similiter nec essentialia secundi esse recipiunt magis & minus. Sed essentiale secundi esse est gratia: ergo gratia non recipit magis, & minus.

¶ ITEM, imago Dei non recipit in nobis magis & minus: quia non est dicere, q. ipsa sit magis imago nunc, quàm in alio tempore: nec magis imago in vno homine, quàm in alio: ergo perfectio imaginis non recipit magis & minus: sed gratia est perfectio imaginis: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Gratia creata magis quippe in vno quàm in altero intenditur: secus increata.

¶ SOLVT. Dicendum, q. cùm sit duplex gratia, sc. creata, & increata: increata non recipit magis, & minus; quia ipsa est substantia: creata verò recipit magis & minus: quia ipsa est accidens: & magis & minus attenduntur in natura per accessum ad gratiam increatam. Nec est simile de primo esse, & secundò: quia primum esse dicitur à forma; vnde esse primum dicitur ex hoc, q. iam est actu: & ita habet complementum, & terminatum est: & ideo non recipit magis, & minus. Sed esse secundùm dicitur respectu finis: hoc est, in ordine ad finem & complementum, & propter hoc adhuc est in potentia, & non in actu: sed accessus ad finem potest esse secundùm magis & minus, & inæqualiter: & propter hoc secundùm esse recipit magis & minus: secundùm quod potentia magis & minus accedit ad finem & complementum: cùm non sit completum, nec terminatum.

¶ AD secundum dicendum: q. contingit imaginem Dei & essentiam animæ considerare quantùm ad esse primũ: item contingit eam considerare non absolutè, sed in ordine ad finem: & sic consideratur iam, vt potest tendere in finem: & hoc modo potest recipere magis & minus: & similiter gratia, quæ est eius perfectio. Et sic patet, quomodo gratia recipit magis & minus: quoniam per maiorem & minorem accessum ad finem seu ad gratiam increatam. Vnde Aug. Ponit exemplum de magis & minùs in positionibus & priuationibus, in peccato & gratia: quia in peccato dicitur magis & minus per recessum à Deo; qui recessus attenditur secundùm dissimilitudinem, & non secundùm distantiam localem; quia peccatum est dissimilitudo Dei: in gratia autem per accessum maiorem & minorem ad lumen, vel ad diuinam similitudinem; quia gratia est similitudo Dei: vnde non attenditur per accessum localem. Et ponit exemplum: sicut oculi cæci tantò longiùs ab hac luce dicuntur: quantò fuerint cæciores, &c.

Idem ad eundẽ in li. de præsentia Dei Epist. 57.

MEMBRVM V.

De causa gratiæ.

CONSEQVENTER quærendum est de causa gratiæ. De causa autem efficienti non est dubitatio per prædicta; quoniam illa est Deus: sed quæ sit causa meritoria ex parte nostra: vel necessaria ex parte Dei, inuestigandum est. Quæritur ergo primò generaliter: an sit gratiæ causa meritoria ex parte nostra. Secundò, specialiter de prima gratia, an cadat sub merito. Tertiò, an facienti quod in se est, necessariò detur gratia à Deo. Quartò, an & non facienti quod in se est, detur.

ARTICVLVS I.

An ex parte nostra sit causa meritoria gratiæ?

AD primum sic: Maius bonum quàm sit gratia, cadit sub merito, sc. beatitudo æterna: gratia ergo, cùm sit minus bonum, cadit sub merito: & sic non est donum gratis datum.

¶ ITEM, aliquis potest mereri gratiam à Rege terreno: ergo cùm similis sit ratio ex parte ista, qua homo habet gratiam à Deo, seu à Rege cœlesti: ergo homo potest mereri gratiam Regis cœlestis.

¶ ITEM, solet dici per distinctionem, q. non possumus mereri gratiam secundùm substantiam gratiæ; sed possumus mereri augmentum gratiæ: secundùm q. dicit Aug. *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Sed tunc obijcitur: possumus mereri augmentum gratiæ: sed augmentum gratiæ est gratia; quia est gratis datum: ergo possumus mereri gratiam.

Aug. ad Bonifacium.

¶ AD oppositum. Aug. *Cùm fides impetrat iustificationem: non gratiam Dei præcedit aliquid meriti humani,* &c. Si ergo aliquid meriti non præcedit gratiam, ergo gratia non cadit sub merito.

Idem ad eundem.

¶ ITEM, si gratia cadit sub merito: omne aut meritum est à gratia: ergo gratia est à gratia: ergo idem est à se: quod nihil est dictu. Ergo gratia non cadit sub merito.

¶ ITEM, omne meritum determinatur per rectam intentionem: recta verò intentio determinatur respectu boni æterni: ergo & meritum determinabitur respectu boni æterni: sed gratia non est bonum æternum: ergo meritum non determinatur respectu gratiæ: ergo gratia non cadit sub merito.

RESOLVTIO.

Tametsi res gratiæ sub merito cadere possit: gratia tamen in ratione gratia nullatenus sub merito cadit.

¶ SOLVT. Dicendum, q. gratia secundùm rationem nominis gratiæ, non cadit sub merito. Et quamuis res gratiæ possit cadere aliquo modo sub merito: tamen ratio gratiæ inquantùm gratia est, nullo modo potest cadere sub merito: quia gratia dicitur, eò quod gratis datur (hæc enim est interpretatio sui nominis) sed q. gratis datur, non datur merito: & ideo gratia secundùm rationem nominis dicitur per exclusionem meriti. Nunquam ergo gratia secundùm rationem gratiæ cadit sub merito: quia sicut principium primum mouendi non mouent, neq; primum principium fiendi fit: ita nec primum principium merendi debet cadere sub merito.

¶ AD primum in contrarium dicendum: q. meritum habet principium à quo, & hoc est gratia: item habet finem, & hoc est præmium, vel gloria æterna. Sicut ergo nõ possemus dicere, quòd principium motus esset illud, in quod est motus: imò est illud, à quo est: terminus autem finalis est illud, in quod est motus: ita nec principium meriti, à quo est omne meritum; potest esse illud, in quod sit meritum; sed finis meriti, scil. beatitudo: & ideo meritum non dicitur respectu gratiæ: dicitur tamen respectu præmij esse, scil. respectu beatitudinis æternæ.

¶ AD secundùm dicendum, quod meritum gratiæ Regis terreni potest esse à nobis; & principium meriti illius, quo meremur illam. Sed principium, quo meremur gratiam Regis cœlestis, non potest esse à nobis: quia in homine non est, quòd possit habere gratiam Dei sine acceptione à Deo, sicut in homine. Et Bern. Ponit talem rationé. *Nostra bona volũtas à Deo creata* (supple bonitate naturali) *perfecta nõ erit, quousq; creatori perfectè subiecta sit.* Et p hoc distinguit ipse duplicẽ statũ voluntatis sc. statũ creationis, & statũ perfectionis: & arguit hoc modo. *Absit, vt ipsi⁹ volun-*

Bern. de gratia. & libero arbitrio.

Idem.

tatis

tatu perfectionem ipsi voluntati, non Deo creatori tribuamus: cum longè melius sit esse perfectum, quàm factum. Et post subiungit: Perfectio autem est ex gratia.

¶ Ad tertium dicendum: quod Aug. dicit, quòd gratia meretur augeri, &c. Sed non dicit, quòd ab alio, quàm ab ipsa gratia. Non enim est augmentum gratiæ ab operatione liberi arb. causaliter; licet quodammodo cooperetur: sed gratia cùm permanet, de se meretur augeri: vnde non propter hoc dicitur cadere sub merito hominis augmentum gratiæ: vnde statim subdit Aug. voluntate concomitante, non ducente: pedissequa, non præuia.

ARTICVLVS II.

Si prima gratia cadat sub merito.

Consequenter quæritur? Vtrùm prima gratia cadat sub merito. Et primò quæritur, vtrùm aliquis possit sibi mereri primam gratiam: secundò, an alij possit mereri primam gratiam. Quantùm ad primum quæruntur duo? Primum est, vtrùm aliquis merito præcedenti possit mereri sibi gratiam. Secundò, vtrùm merito cohærenti vel subsequenti. Item prima quæstio subdiuiditur vel partitur in duas: quia primò quæritur de illo, qui est in peccato mortali: vtrùm ipse merito præcedenti possit sibi mereri gratiam. Secundò quæritur de illo, qui est in statu charitatis, vtrùm possit mereri sibi gratiam, qua resurgeret & releuaretur, si caderet in peccato mortali?

An existens in peccato mortali merito præcedenti possit sibi mereri gratiam? §. 1.

Zachar. 1. ¶ Ad primum sic obijcitur: Dicit prima bonitas. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Si ergo illud verbum verùm est: si aliquis conuertatur ad diuinam bonitatem vel ad Deum: meretur, quòd Deus conuertatur ad ipsum. Sed cõuersio Dei ad peccatorem non est nisi per gratiam: ergo existens in peccato mortali merito præcedenti potest mereri sibi gratiam.

¶ Si dicatur, quod non sequitur: quia dignitas requiritur in merente: peccator autem, qui est in mortali, nec est dignus, nec digna sunt eius opera: & propter hoc non potest

Rom. 4. mereri. Contra. Sicut dicit Apost. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Quòd ergo Deus det nobis gloriam: hoc non est propter passiones, quas sustinemus: sed ratione suæ liberalitatis, qua promittit vitam æternam.

¶ Item, in Adam in statu innocentiæ nulla fuit indignitas: quia nec peccatum: ergo dignè poterat operari. Si ergo cõuerteretur ad Deum, & Deus ad ipsum: ergo poterat sibi mereri gratiam.

¶ Item, meritum est seruitium; quo ex non debito fit debitum: sed quantò seruitia sunt magis indebita: tantò sunt gratiora: cùm ergo existens in peccato mortali impendat seruitium Deo: & suum seruitium sit magis indebitum, quàm seruitium hominis existentis in charitate: ergo erit seruitium ipsius gratiosius: ergo potest peccator sibi mereri gratiam.

Ad eosdē 11. ¶ Ad oppositum. Rom. 11. Si ex operibus est gratia: ergo gratia non est gratia: quia gratia dicitur ex eò, quod nõ ex operibus, sed gratis data. Si ergo impossibile est quod gratia non sit gratia: impossibile est, quòd gratia sit ex operibus: ergo non cadit sub merito.

¶ Item, meritum est seruitium Deo dignè & debito modo impensum. Sed peccator existens in mortali peccato non potest dignè exhibere seruitium Deo: quia est in indignitate peccati: nec potest exhibere debito modo; quia non est in debito amore Dei: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Existens in peccato mortali neutiquam dicendus est posse sibi mereri gratiam merito condigni, vel congrui, sed tantùm interpretatiuè.

¶ Sol. Dicendum, quod duplex est meritum, sc. meritum interpretatiuum: & meritum congrui vel condigni. Meritum interpretatiuū appellatur, quando nõ est aliqua condignitas in recipiente: & tñ ei exhibet Deus donum suum ex sua liberalitate: ac si ille per opera sua meruisset, & tñ in veritate non meruit: vnde meritū illud non ponit condignitatem in recipiēte, nec in operibus eius; sed solùm ponit liberalitatem in dante: quia non est aliquid in recipiēte, vnde sit dignus recipere: & tñ Deus ei dat donum suum ex sua liberalitate, ac si esset in ipso dignitas.

¶ Ad primum dicendum: quod illa auctoritas Prophetæ. Conuertimini ad me, &c. Non improbat aliquid debitū, sc. quod si homo faciat, quòd in se est, quòd ei debeatur gratia: sed solùm est declaratio diuinæ bonitatis & liberalitatis: quia sua liberalitas tanta est, quòd non negabit se, si aliquis faciat quod in se est: etiam si sit existens in peccato mortali: sed hoc non erit propter ea, quæ facit: sed propter liberalitatem dantis.

¶ Ad secundùm dicendum: quod in illo, qui meretur vitā æternam, sunt tria. Vnum, quod est primum mouens ipsum ad omnia opera meritoria: & hæc est gratia increata seu Spiritus sanctus: secundùm est illud, quod est operans proximum ad hoc, sc. gratia creata: tertium est cooperans, sc. lib. arb. Quod ergo ille mereatur vitam æternam: hoc non facit dignitas operum, quæ sunt in ipso, sed primum mouens ipsum ad opera meritoria, sc. spiritus sanctus, vel gratia increata: & cùm ea gratia creata: & propter hoc si non esset illud primum mouens cùm secundo scil. gratia creata: non posset mereri vitam æternā. In illo autem, qui est in mortali peccato, non est dignitas operum: nec dignitas mouētis ipsum ad aliqua opera (si facit bona) quantùm est ex parte lib. arb. quia deficit ei gratia, qua opera digna efficiuntur: solùm enim mouetur à lib. arb. & non à spiritu sancto.

¶ Ad tertium, & quartum dicendum: quod ad hoc quod aliquid sit meritorium, requiritur quod illud sit seruitium dignè, & debito modo Deo impensum. In illo autem, qui est in mortali peccato, est oppositum: quia in eo est peccatū, per quod dignus est odio Dei, & morte æterna: quare seruitium suum non est dignè impensum: & propter hoc propriè non est meritorium. Vnde Aug. *Operibus impij non præmium, sed pœna debetur.* In Adam autem in statu innocentiæ Augus. quantùm ad statum naturę fuit defectus debiti modi, quia debitus modus in seruitio meritorio est, quod impendatur seruitium Deo ex amore Dei debito. Debitus amor est, vt ipsum Deum amet super omnia: & propter hoc ei impendat beneficium, vel seruitium. Quia igitur hoc nõ est possibile creaturæ secundùm naturam: ideo Adam in statu naturæ conditæ ante statum gratiæ, non potuit per naturam exhibere debitum seruitium Deo, id est debito modo: & ideo nec propriè mereri gratiam. Quòd autem obijcitur: quod quantò magis indebita, &c. Hoc intelligitur de gratuitis: qualia non sunt opera in peccatis facta: vt patet ex dictis.

An existens in statu charitatis possit mereri sibi gratiam, qua releuaretur, si caderet in peccato mortali? §. 2.

¶ Consequenter quæritur? De illo qui est in statu charitatis. Vtrùm possit sibi mereri, gratiam: per quam releuetur, si cadat in mortali? Quod sic videtur: dicit enim Augus. quod nihil dignius potest peti: quàm si cadat homo, quod postea resurgat. Sed quicquid dignè petitur, merito Idem. exauditur à Deo: ergo si homo existens in charitate petat gratiam, qua possit resurgere, si cadat: merito dabitur ei: ergo potest eam mereri.

¶ Item supponitur quod homo sanctus potest alij mereri gratiam primam: ergo & sibi ipsi potest ipsam mereri: per quam releuetur, si cadat.

¶ Ad oppositum: quando homo cadit per mortale, euacuatur totum meritum in ipso, & omnes iustitiæ suæ: sicut dicitur. *Si auerterit se iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem, &c. Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18. Ergo nihil debetur iusto, postquam peccauit: ergo non potest mereri, quod gratia sit in ipso: per quam releuetur, si peccet.

)*,(

RESOLVTIO.

Cùm in quo vis cadente per mortale peccatum euacuetur totum meritum, omnesq; eius iustitia priores obliuioni tradantur: non, est vnde meretur, vt releuetur.

¶ Qvod concedendum est.

¶ Ad primum in contrarium dicendum: quòd dignitas orationis attenditur dupliciter, vel quantùm ad illud, quòd petitur: vel quantùm ad illud, ex quo petitur. Cùm ergo dicit Aug. Quòd nihil dignius potest peti, &c. Hoc intelligendum quantùm ad illud, ex quo petitur: & non quantùm ad illud, quòd petitur: quia ille, qui hoc modo petit; petit ex timore, & humilitate, ne cadat, sed non est dignior quantùm ad illud, quòd petitur: ita ꝙ valeat ad resurgendum, si homo cadat: sed valet ad faciliùs resurgendum: quia homo, qui sic orat: magis est dispositus ad resurgendum in bonum, si resurgat. Auguſt.

¶ Ad secundum. Dicendum, ꝙ non sequitur: homo existens in charitate potest alij mereri gratiam; ergo sibi, si cadat: quia quando homo existens in charitate orat, ꝙ si ceciderit per peccatum; quòd Deus det ei gratiam, per quam resurgat: ratione eius, quòd petit post lapsum, ponitur iam defectus dignitatis in ipso petente: & ideo non meretur exaudiri. Sed quando ipse orat, quòd detur alij gratia: non ponitur indignitas in ipso petente, licet sit in illo, pro quo petit: qui fortè malus est: & ideo meretur exaudiri: & ita potest alij mereri gratiam, & non sibi post peccatum.

An quis merito coherenti, vel subsequenti possit sibi mereri gratiam? §.3.

¶ Qværitvr consequenter? vtrùm merito cohærenti, vel subsequenti possit sibi aliquis mereri gratiam. Ad ꝙ sic: aliquis potest mereri æquum sibi dari à Rege merito cohærenti, scil. quia seruit Regi: vel merito subsequenti, quia postea seruiet Regi. Similiter aliquis potest mereri pecuniam sibi datam merito subsequenti, scil. quia postea laborabit in vinea. Igitur similiter potest aliquis mereri gratiam primam merito cohærenti: vel subsequenti.

¶ Item, secundùm opinionem quorundam: Angeli gloriam sibi datam ad confirmationem modò merentur ministrando nobis. Sed hoc meritum subsequens est: ergo nos possumus etiam mereri gratiam primam merito subsequenti.

¶ Ad oppositum: nihil, quòd datur in intentione seruitij, datur gratis, vel liberaliter. Sed Deus dat gratiam gratis & liberaliter: ergo non dat eam, vt ei seruiatur in præsenti, vel in futuro. Gratia igitur non respicit seruitium pręsens, vel subsequens: ergo nullus potest mereri gratiam merito cohærenti, vel subsequenti.

RESOLVTIO.

Cùm Deus gratis & liberaliter det gratiam: nec merito coherenti, nec subsequenti licet illam mereri.

¶ Qvòd concedendum est: nec etiam merito præcedenti: vt visum est.

¶ Ad primum in contrarium dicendum: quòd cũ homo dat alij sicut Rex equum seruienti: ipse attendit seruitium: vnde principium mouens, quare dat ei equum, est ipsum seruitium: vnde dat ei ex hoc quod seruiet: vel seruiuit, vel seruiat. Sed cùm Deus dat nobis gratiam: mouens ipsum est sua liberalitas, & non seruitium: licet det nobis gratiam ad seruiendum ipsi, quia sine illa non possumus sibi dignè seruire: & ideo non est simile.

¶ Ad secundùm dicendum, quòd si hoc ponatur, ꝙ Angeli modo merentur ministrando nobis gloriam sibi datam ad confirmationem: dicendum tamen quod non est simile de Angelis respectu gloriæ, & de nobis respectu gratiæ: quia cùm donum gloriæ præmium sit, non excludit meritum: quia meritum non repugnat rationi præmij: & ideo Angeli merito subsequenti (scil.) nobis ministrando: possunt mereri illud præmium. Sed meritum repugnat gratiæ: quia gratia non ex intentione meriti, sed gratis datur: & propter hoc donum gratiæ excludit meritum antecedens, & subsequens, & cohærens.

An vnus alteri primam gratiam mereri possit? §.4.

¶ Postea quæritur? Vtrùm aliquis possit mereri alij gratiam primam. Et ostenditur Mat. 9. quod sic: *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Gloss. *Pensate quantùm valet apud Deum fides propria: cùm tantùm valuerit fides aliena: vt hominem sanaret in anima, & corpore.* Fides igitur aliena meruit, vt paralyticus sanaretur in anima & corpore. Sed si fuit sanatus in anima, habuit gratiam; ergo meruit ei gratiam, ergo aliquis potest mereri alij gratiam. Gloſſa.

¶ Item, sicut dicit Tullius de Amicitia. *Amicitia est idem velle, & nolle.* Si ergo est vera amicitia animæ existentis in charitate ad Deum: ergo ipsius & Dei idem est velle: ergo si ipsa vult, quòd gratia detur isti: & Deus similiter volet illud: ergo anima sancta potest mereri apud Deum, quòd Deus det gratiam alij.

¶ Ad oppositum est ratio supradicta: quia si gratia datur alicui alij ex merito alicuius sancti viri: ergo non erit gratis data: quòd est inconueniens: ergo inconueniens est ponere, quòd aliquis alij possit mereri gratiam.

RESOLVTIO.

Et quidem merito congrui, sed non merito condigni.

¶ Solvt. Dicendum, quòd est meritum congrui, & est meritum condigni: & est gratia quæ est in ratione gratiæ, & est gratia, quæ est res gratiæ. Dico ergo, quòd merito congrui potest aliquis sanctus homo mereri alij gratiam; sed non merito condigni. Et meritum condigni ponit, quod necessariò reddatur illud, ad quod est vnde ponit, quod gratia detur necessariò: necessariò dico necessitate immutabilitatis, non coactionis. Meritum autem cõgrui non: sed solùm ponit congruitatem in ipso orante: ergo non potest esse impedimentum ex parte illius, pro quo sanctus orat. Ex parte orantis congruum est, quòd reddatur præmium meriti, sc. gratia: non tamen condigni ex parte suscipientis. Propter hoc merito congrui potest mereri alij gratiã: sed non merito condigni: quod ponit dignam redditionem præmij.

¶ Ad rationem in contrarium dicendum: ꝙ gratia habet comparationem ad illum, cui datur per orationem sancti viri, & sic est gratia in ratione gratiæ: quia datur ei non ex meritis suis, quia non habet aliquid, vnde mereatur: inquantùm autem illa gratia respicit sanctum virum, sic datur merito. Et sic ex alia ratione cadit sub merito, & datur gratis: quia datur gratis per comparationem ad accipientem, quem informat & facit gratum: ex merito autem per comparationem ad orantem: & sic non est in ratione gratiæ, quinimò cadit sub merito.

ARTICVLVS III.

An facienti quod in se est, necessariò detur gratia.

Consequenter quæritur de illo, qui facit quod in se est: vtrùm necesse sit, quòd Deus det ei gratiã? Quòd sic, videtur Aug. super illud: *Negare seipsum non potest,* &c. Cùm sit iustus, non potest negare suam iustitiam: ergo cùm sit bonus & misericors, non potest negare suam bonitatem & misericordiam: quia pronior est ad largiendum de misericordia & bonitate, quàm ad puniendum de iustitia. Si ergo non potest suam iustitiam negare facientibus malum: multò magis non potest suam bonitatem & misericordiam illis, qui requirunt eam. Sed qui facit quod in se est, requirit bonitatem eius & misericordiam: dat ergo ei: & hoc est infundere gratiam. Auguſt. ſuper 2. ad Tim. 2.

¶ Item, Aug. super illud: *Iustificati ex fide pacem habeamus,* Rom. 5. Auguſt.

mus,&c.dicit: *Deus recipit confugientes ad se: aliter in eo esset iniquitas.* Sed impossibile est, quòd in eo sit iniquitas: ergo impossibile est, q non recipiat confugientes ad se. Sed faciens quod in se est, confugit ad ipsum: ergo necesse est q ipsum recipiat. Sed ipsum recipere est per infusionem gratiæ: ergo,&c.

Apocal. 3. ¶ ITEM, *Si quis aperuerit, intrabo & cænabo cum illo & ipse mecum.* hoc est, delectabor,&c.

Zachar. 1. ¶ ITEM, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ex his sic obijcitur: impossibile est summam veritatem mentiri: sed necesse habet verum dicere, & implere illud. Sed dicit, quòd conuertenti ad ipsum conuertet se: & quòd aperienti intrabit: ergo cùm faciens quod in se est, conuertatur ad ipsam veritatem primam; vt ei aperiat ad hoc vt intret: ergo necesse est quod Deus conuertatur ad illum. Sed hoc non est nisi per gratiam: ergo,&c.

Ansel. in lib de casu Diaboli cap. 3. ¶ ITEM, Ans. Quærit: quare Lucifer non habuit perseuerantiam: quia aut hoc fuit, quia Deus non dedit: aut q ipse non accepit. Et determinat illam quæstionem dicens: quòd hoc non fuit, quia Deus non dedit: sed quia ille non accepit: cùm Deus semper esset paratus dare: ipse verò non accipere. Ergo similiter q aliquis homo non habeat gratiã: hoc non est, quia Deus non det: sed quia ipse non vult, nec paratus est accipere. Si ergo vult accipere, & paratus sit: Deus dat ei gratiam.

¶ AD oppositum: Deus dat gratiam sola liberalitate & misericordia: quia dat ipsam gratis: ergo potest dare, & nõ dare gratiam: ergo quamuis homo faciat quod in se est: Deus potest ei non dare gratiam. Non ergo est necesse, quòd facienti quod in se est, Deus det gratiam.

¶ ITEM, necessarium & liberum opponuntur: si ergo Deus ex liberalitate dat gratiam, ergo nulla necessitate dat alicui gratiam.

Ierem. 18. ¶ ITEM, dicit Dominus: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Comparatio ergo hominis ad Deum est sicut comparatio luti ad figulum. Si ergo nulla necessitas est, quare figulus faciat de luto vas in honorem vel contumeliam, seu vt imprimat formam nobilem in luto: ergo similiter Deus nullam habet necessitatem, quare in homine imprimat illam formam nobilem, quæ est gratia.

Bernard. de gratia & libero arbitrio. ¶ ITEM, sicut dicit Bern. *Cauendum est, ne ea, quæ intra nos excitari sentimus, aut voluntati tribuamus, quæ infirma est: aut diuinæ necessitati, quæ nulla est.* Ergo infusionem gratiæ, quæ in nobis est, non debemus attribuere voluntati nostræ, aut necessitati diuinæ, quæ nulla est. Ergo nulla necessitas est ex parte Dei, vt facienti quod in se est, det gratiam.

¶ ITEM, nullus potest se disponere ad hoc, vt habeat gratiam: quia ita se habet in nobis peccatum, quòd est remouens lucem diuinæ gratiæ: sicut fenestra clausa, ne illuminetur domus. Si ergo in homine non est, quòd ab eo remoueatur peccatum: ergo non est in ipso quod disponat se ad recipiendum lumen diuinæ gratiæ: ergo nullus potest facere aliquid, ad quod de necessitate sequatur gratia: ergo facienti quod in se est, non dat Deus necessariò gratiam.

¶ ITEM, Quæritur: quid est hoc dictu, facere, quòd in se est. Nam ille, qui facit quod in se est, facit rectè: sed quicunq; facit rectè, ex rectitudine operatur, quàm habet: ergo si aliquis facit quod in se est, habet rectitudinem. Aut ergo illa rectitudo est acquisita, aut innata, aut data. Non est innata: quia sic semper esset: nec acquisita: constat: ergo est data: ergo donum gratuitum: ergo hæc rectitudo est ex gratia. Nullus ergo potest facere quod in se est, ad hoc quod sit gratus Deo, nisi ex gratia.

¶ ITEM, non potest dici quod rectitudo ista sit naturalis; quia rectitudo naturalis non contradicit obliquitati culpæ vel peccato: cùm maneat cùm illo, vel cùm illa. Cùm igitur rectitudo, qua homo facit, quòd in se est, contradicat culpæ: ergo non est naturalis: est igitur gratuita.

Glos. super Exod. 11. ¶ ITEM, in Exod. vbi loquitur de induratione Pharaonis, dicit Gloss. *Indurauit Dominus cor eius, ita quod nihil poterat facere acceptabile Deo.* Ergo non poterat facere aliquid per quod daretur ei gratia: ergo licet faceret quod in se est, adhuc tamen non daretur ei gratia.

RESOLVTIO.

Facienti quod in se est, necessariò Deus gratiam dat: at non necessitate coactionis, sed immutabilitatis.

¶ SOLVT. Dicendum sicut dicit Ansel. *Sciendum est, quòd sæpè dicimus necesse esse, quòd nulla vi esse cogitur: & necesse non esse, quòd nulla prohibitione remouetur. Nam dicimus necesse est Deum esse immortalem: non quod aliqua vis cogat eum esse immortalem: & necesse est non esse iniustum: non quod aliqua vis prohibeat esse iniustum: sed quoniam nulla res potest facere, vt non sit immortalis, seu vt sit iniustus.* Secundùm hoc igitur dicendum est: quòd necessitas in creatura dicitur secundùm coactionem & prohibitionem, qua aliqua res cogitur vel prohibetur esse vel non esse. In Deo autem non cadit necessitas coactionis, aut prohibitionis: sed solùm dicitur in eo necessitas immutabilitatis. Cùm ergo quæritur an Deus necessariò det gratiam facienti quod in se? aut loquimur de necessitate immutabilitatis, aut de necessitate coactionis & prohibitionis. Hoc vltimo modo non dat gratiam necessariò facienti, quòd in se est: quia Deus non potest cogi. Sed primo modo verùm est, quòd immutabiliter se habet diuina bonitas ad donum gratiæ omni volenti recipere, faciendo quod in se est: qua necessitate nulli negat se. Concedendum igitur, quòd si homo faciat quod in se est: quod Deus dat ei gratiam & etiam necessariò, id est, immutabiliter: sicut Sol immutabiliter dat Lumen suum omni volenti recipere, scilicet disposito ad hoc, & se habenti in recta dispositione ad solem. Sic etiam dicendum ex parte ista. Ansel. in lib. de concordia præscientiæ, prædestinationis & libero arbitrio.

¶ AD primam rationem in contrarium dicendũ: quod non sequitur, sola liberalitate dat: ergo se habet ad dandum, & non dandum facienti quod in se est. Sed benè sequitur: sola liberalitate dat: ergo non dat ex meritis, vel per coactionem, vel prohibitionem: quia hoc ex sola liberalitate excludit coactionem & prohibitionem, & non immutabilitatem.

¶ AD secundùm dicendum, quòd si necessarium dicatur immutabile, falsum est quod necessarium & liberum opponantur. Si autem dicatur necessarium coactum vel prohibitum: sic verùm est quod opponuntur. Primo modo est necessitas in Deo: & propter hoc non opponitur suæ liberalitati: imò ex hoc est laus sua; quòd ipsa est immutabilis, & immutabiliter libera: & ex hoc est laus suæ bonitatis quod non potest se negare volenti eam recipere, faciendo quod in se est. Vnde August. *Sicut vituperium humanæ voluntatis est, quòd non vult recipere: ita laus diuinæ bonitatis est, quòd non potest seipsam negare.* August.

¶ AD tertium dicendum: quod si Deus non daret facienti quod in se est, gratiam; quòd non faceret ipsi iniuriam: & ideo totum est ex liberalitate sua, quòd dat ei gratiam: & ideo introducitur exemplum quod non fieret homini iniuria, si non daret ei Deus gratiam: sicut nec luto fieret iniuria, si de eo faceret figulus vas in contumeliam: quia fieret secundùm exigentiam & naturam suæ materiæ. Similiter ex parte ista est: vnde Esa. 64. *Et nunc Domine pater noster es tu: nos verò lutum, & tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos.* Vnde nos sumus materia ipsius, sed sic est, quòd tota massa generis humani corrupta est per originale peccatum: propter hoc si Deus facit ex homine vas in contumeliam, & non in suum honorem, imprimendo formam nobilem, quæ est gratia: facit secundùm exigentiam materiæ: quia ordinata est massa generis humani per peccatum ad contumeliam: & propter hoc si ita faceret, non faceret ei iniuriam. Quòd ergo Deus in homine faciente quod in se est, imprimat formam nobilem, quæ est gratia: hoc est ex sola liberalitate sua, & non ex aliquo quod debeat homini facienti quod in se est: quia homo faciens quod in se est, adhuc est indignus ante susceptionem gratiæ.

¶ AD quartum dicendum: quòd in Deo nulla est necessi-

cessitas coactionis aut prohibitionis: sed solùm immutabilitatis. De prima loquitur Bernardus sicut dictum est.

¶ Ad quintum dicendũ: & concedendum: quod nullus potest sufficienter se disponere ad gratiam, nisi Deus ipsum disponat: sed si faciat quod in se est, consequitur dispositio diuini adiutorij. Vnde fenestra comparatur actui voluntario, qui est consentire vel dissentire: tenebra comparatur peccato: vnde sicut in potestate hominis non est, quòd remoueat tenebram à domo, nisi aperiat prohibens lucem, scil. fenestram: & lux ipsa remouet tenebram: ita in potestate hominis non est, vt remoueat peccatum à seipso: sed si remoueat actum suum voluntarium, sc. dissensum ad bonum, & consensum ad malum: tunc remouet illud, quòd est prohibens gratiam: sicut fenestra prohibet lucem: & tunc intrat gratia in ipso: & ita diuino adiutorio remouetur ab eo tenebra. Remoueat ergo lib. arb. dissensum ad bonum; & consentiat paratæ gratiæ. Et hoc est, quòd dicit Bernard. Gratiæ solùm cooperari dicitur lib. arb. dum consentit. Bernard.

¶ Ad aliud dicendum: quòd facere quod in se est, solùm pertinet ad adultos, & non ad paruulos. Et ad videndum quid est facere, quòd in se est, notandum: quod in quolibet homine per naturam est recta ratio: & hæc rectitudo est notio boni indita à creatione, qua quælibet anima potest cognoscere suum principium, scil. Deum: & de hac dicitur: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Per hoc enim, quòd quilibet homo naturaliter scit se non semper fuisse, scit se factum esse: & ita scit se habere principium: & scit quod ab illo principio habet quicquid habet, & totum bonum quod habet, & non à se: & scit quod ab illo debet petere bonum: & quod per illum debent suppleri omnes sui defectus. Si ergo secundùm istam notionem operetur homo suo arbitrio: recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium: & quem scit esse orandum sibi: & petat ab eo lumen cognitionis fidei & boni, dabitur ei (vnde. 1. Cor. 14. *Ignorans ignorabitur*) & sic faciet quod in se est. Patet ergo, quid sit facere quod in se est, generaliter in quolibet homine: plus autem est in fideli existente in peccato mortali de lumine; quia ipse habet fidem sine charitate: vnde habet fidem informem: fides autem informis irradiat ad duo, scilicet ad diuinam iustitiam damnantem reprobos, & ad diuinam misericordiam saluantem electos: hæc enim benè cognoscit per fidem suam. Si ergo auertat suum arbitrium ab actu peccati, & dirigat ex lumine fidei in iustitiam damnantem reprobos, & in misericordiam diuinam saluantem iustos: ex primo creabitur timor in eo, & ex secundo spes; & hoc est facere quod in se est. Psal. 99.

¶ Et notandum ad solutionem alterius rationis, quòd naturalis rectitudo semper contradicit peccato: vnde secundùm illam mouetur synteresis: quæ semper murmurat contra peccatum: sed arbitrium non semper dirigitur secundùm illam, nec semper sequitur eam arbitrium.

¶ Ad aliud de Pharaone dicendum: quòd nec Pharao, nec alius existens in peccato mortali poterat aliquid facere Deo acceptabile: quia non habens gratiam, non potest facere aliquid acceptum Deo: sed non negatur in Gloss. Quòd non posset facere aliquid, vnde haberet aliquid, ad quod consequeretur collatio potestatis, qua faceret acceptabile Deo.

ARTICVLVS IV.

An non facienti quòd in se est detur gratia.

QVÆRITVR postea? Vtrùm non facienti quod in se est, detur gratia. Ad quod sic: Summè bonum summè diffusiuum est suæ bonitatis. Sed summa diffusio est, qua non potest maior intelligi: ergo illa diffusio, qua summum bonum se diffundit; est tanta, quòd maior ea non potest intelligi, nec esse: ergo necessariò secundùm actum omnibus se diffundit, bonis, & malis: ergo seu homo faciat quod in se est, seu non faciat: tamen necessariò bonitas summa diffundit se in ipso.

¶ Item, Dicit Dominus: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Maioris autem charitatis est in homine, sc. quod benefaciat ei, quem odit: quam ei, quem diligit: ergo si in Deo sit maxima charitas, debet magis facere bonum ei, quem nõ diligit: quam ei, quem diligit: vel ad minùs debet ei facere æquè bonum: ergo magis vel æquè debet infundere ei gratiam, qui non facit quod in se est, sicut facienti. Matth. 5.

¶ Ad oppositum: Sicut dicit Dionys. Nos non habemus vitam coactam: sed si cogeremur ad bonum, haberemus coactam vitam: ergo non cogimur necessitate ad bonum: ergo nec ad gratiam suscipiendam. Dionys.

RESOLVTIO.

Datur quidem, sed non recipitur.

¶ Solvt. Sicut patet in sole: q̃ Sol lucet super oculum cœcum, non tamen ipsum illuminat: & non est defectus ipsius solis, sed ex parte oculi, qui non potest, nec est dispositus ad recipiendum illuminationem. Ita lux prima, quæ est bonitas summa semper lucet, & radiat super creaturã, quantùm est de se: & semper se diffundit: non tamen semper recipitur: quia creatura nõ potest ipsam recipere, quia est indisposita.

¶ Ad secundùm dicendum: q̃ ipse Dominus benefacit eis, quos odit: sicut dicitur, *Solem suum oriri facit super bonos & malos:* & benè facit omnibus, quantùm de se: non tamen in omnibus efficitur bonum; & hoc est defectus recipientis, non summæ bonitatis. Et patet exemplum: si quis porrigeret eleẽmosynam duobus pauperibus: & vnus extenderet manum, alter non: ille, qui manum extenderet, reciperet donum: alter non. Ita Deus semper porrigit omnibus gratiam suam: non tamen omnes extendunt manum, id est voluntatem, vt respiciant eam. Matth. 5.

MEMBRVM VI.

De effectibus gratiæ.

CONSEQVENTER quæritur de effectibus gratiæ. Et primò quæritur? vtrùm proprij effectus gratiæ sint purgare, illuminare, & perficere. Secundò, vtrùm proprij effectus gratiæ sint viuificare animam, & conformare seu assimilare ad Deum, & gratificare. Tertiò quæritur: vtrùm effectus eius proprij sint iustificare, excitare, motus meritorios elicere. Quartò quæritur, vtrùm lib. arb. moueatur à gratia spontaneè, aut coactè. Quintò vtrùm gratia faciat nos in præsenti esse sine peccato. Sextò, de ordine istorum effectuum, iustificare, viuificare, purgare, illuminare.

ARTICVLVS I.

An purgare, illuminare, & perficere sint proprij effectus gratiæ.

AD primum sic: *Purgationem peccatorũ faciens.* Sed purgatio peccati non est nisi per gratiam, nec aliter purgat Deus: ergo purgare est effectus gratiæ. Hebræ. 1.

¶ Item, *Spiritus purgauit peccata illius.* Spiritus idem est, quòd gratia: ergo gratia purgat. Eccl. 41.

¶ Item, quòd illuminare sit effectus gratiæ, videtur Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Gloss. *Lumen gratiæ tuæ: quo reformatur imago Dei in nobis.* Ergo gratiæ est illuminare. Glossa.

¶ Item, *Nunquid est numerus militum eius: & super quem,* &c. Gloss. *Lumen est gratia præueniens.* Greg. ibi dicit: *Militum eius virtus, non proprijs viribus, sed supernæ gratiæ infusione roboratur: quæ si in corde nostro non surgeret: profectò mens in tenebris remaneret.* Iob 25. Glossa.

¶ Item ostenditur, q̃ perficere sit effectus gratiæ. *Ipse operatur in nobis velle & perficere.* Sed illud operatur per gratiam: ergo gratiæ est perficere. Philip. 2.

¶ Item, *Perfecta eras in decore tuo, quem posueram super te dicit Dominus.* Sed ille decor non est nisi gratia: ergo ipsius gratiæ est perficere. Ezech. 16.

¶ Ad oppositum: *Plenum gratia & veritate* fuit verbum caro factum. In Christo est gratia secundùm excellentiam suam: ergo & secundùm suum propriũ effectum. Si ergo in Christo non habet purgare: ergo proprius effectus gratiæ non est purgare: sed per accidens scil. ratione subiecti, in quo est.

¶ Item, effectus essentialis semper consequitur causam suam: sicut calefacere semper consequitur ignem: & hunc effectum habet ignis semper vbicunq; sit: quia proprius effectus eius est: sunt alij effectus ipsius consequentes, sicut desiccare, indurare: & isti effectus non semper consequuntur ignem, in quocunq; sit: quia non quicquid calefit ab igne, induratur. Cùm ergo purgare non semper cõsequatur gratiam: patet quod non est essentialis effectus gratiæ, nec proprius.

Actuũ 15 ¶ Item, *Fide purificans corda eorum.* Ergo purgare fidei est: non igitur solius gratiæ: sed proprium est, quòd vni soli conuenit: ergo non est proprius effectus gratiæ.

¶ Quæritur quomodo gratiæ sit perficere? Si enim gratia perficit animam, aut perficit eam secundùm substãtiam, aut secundùm potentiam. Quòd autem non perficiat potentiam, patet. *In infantibus, qui moriuntur baptizati, gratia sola operatur salutem sine illorum arbitrio.* Ergo gratia dat salutem animæ sine arbitrio: ergo non perficit arbitrium. Non igitur perficit potentiam animæ.

Ansel. in lib. de gratia & libero arbitrio. Idem in eodem.

¶ Item, idem. *Gratia subsequitur suum donum, vt nunquam (siue magnum siue paruum sit illud) dare desiciat.* Gratia igitur semper est cùm suo actu: sed virtus non semper est cùm suo actu: vnde fides non semper mouet ad credendum: sicut patet in dormiente. Est ergo ponere differentiam gratiæ & virtutis. Si ergo virtus perficit, & gratia: oportet ꝙ perficiãt secundùm aliud, & aliud: vnde si virtus perficit secundùm potentiam: gratia non perficit secundùm potentiam, sed secundùm aliud.

¶ Item, ꝙ gratia non perficiat substantiam animæ, ostenditur secũdùm Aug. differentiæ gratiæ sunt operans & cooperans: gratia operans est, quæ nos facit velle: gratia cooperans, quæ nos facit operari, quòd volumus. Ergo gratia dicitur ad operari: anima autem non mouetur ad opus per substantiam, sed per potentiam.

¶ Item, essentia animæ est simplex: & ideo non potest diminui per peccatum: cum peccatum sit diminutio boni. Sed potentia potest diminui, quia habet ordinem, à quo potest diminui: ita quod minùs se habet ad bonum: & hoc fit per peccatum. Peccatum igitur non corrumpit essentiam animæ, sed potentiam: si ergo opponitur peccato: patet, quòd gratia non perficit substantiam animæ, sed potentiam.

RESOLVTIO.

Cùm gratia nihil aliud intendat: quàm Deo assimilare: triaq; hæc, scil purgare, illuminare, perficere, ad id necessariò concurrant: iure proprij & essentiales gratiæ effectus statuendi sunt.

¶ Sol. Dicendum, ꝙ purgare, illuminare, perficere, sunt proprij effectus gratiæ, & essentiales. Cùm.n. gratia nihil

Augost. aliud sit, quàm similitudo animæ ad Deũ. sicut dicit Aug. gratia intendit animã assimilare Deo: sed hæc tria necessariò concurrunt ad assimilationem sc. purgare, illuminare, perficere: quia assimulatio nihil aliud est quàm motꝰ à dissimili ad simile. Vñ tunc anima assimilatur Deo, quando mouetur à dissimilitudine ad similitudinem, vel à similitudine ad maiorem similitudinẽ, vt magis sit similis: sicut

Dionys. dicit Dion. quòd purgare respicit ipsam dissimilitudinem, amouendo ipsam ab anima: vnde purgatio est remotio dissimilitudinis ab anima: illuminare verò, & perficere introducunt ipsam similitudinẽ. Sicut ergo forma naturalis primò remouet dispositiones dissimiles à materia; & tũc purgat: cõsequenter introducit dispositiones cõsimiles in materia, & tũc dicitur illuminare materiã: vltimò introducit seipsã in materia, & pficit eã: & hæc necessaria sũt ad hocꝙ forma naturalis assimilet sibi aliqd. Similiter dicendũ, ꝙ ista necessaria sunt ad hoc, ꝙ anima assimiletur, sc. ꝙ purgetur à dissimilitudine, & quod illuminetur à similitudine; & quod vltimò perficiatur, & sit assimilata. Vnde purgare & illuminare dicuntur respectu fieri: perficere autem, quando totum completũ est: nec aliter fieret assimilatio. Sicut etiam patet de luce: ad hoc enim quòd assimilet sibi aërem, oportet ꝙ purget aërem à tenebris: & quod ipsum disponat, & illuminet: & quod se faciat in aëre, & ipsum perficiat: sic est de gratia, quæ est lux spiritualis ad hoc, quòd ipsa assimilet animam Deo. Et ideo propriè eius actus sunt isti.

¶ Ad primum in contrarium: ꝙ gratia non purgat in Christo, & similiter nec in Adam. Dicendum, ꝙ purgatio nihil aliud dicit quam motum ad puritatem: sed possumus intelligere, quòd habet motum vel mutationem ad puritatem multipliciter. Vel quia fit mutatio de puro ad puritatem maiorem: vel de non puro ad puritatem. Si de non puro ad puritatem, hoc est dupliciter: quia non purum est dupliciter, sc. per abnegationem, vel per priuationẽ: non purum per abnegationem est, ꝙ non habet puritatem, nec etiam contrarium puritatis: non purum priuatiuè est, ꝙ non habet puritatem, & habet contrarium puritatis. Secundum ergo primũ modum, Adam in statu conditionis ante infusionem gratiæ fuit non purus, quia non habuit puritatem gratiæ; nec tñ habebat contrarium: quando ergo infusa fuit ei gratia, mouebatur Adam de hoc quod nõ habebat puritatem gratiæ, ad hoc vt haberet eam: vnde hoc modo fuit facta in ipso purgatio. Secundum verò secundum modum non fuit purificatio in Adam, nisi post peccatum: sicut in peccatore; quia habet contrarium puritatis: si ergo gratia ei infundatur, purgat contrarium puritatis ab ipso, & ponit in eo puritatem. Similiter motus de puro ad puritatem est dupliciter: vel de minori puritate ad maiorem puritatem: vel de puritate ad puritatis continuationem. In sanctis ergo, qui habent gratiam, & sunt in statu proficiendi; purgatio est mutatio de minori puritate ad maiorem. In Christo verò, in quo gratia fuit ab initio in summa perfectione, purgatio est velut motus à puritate in eiusdem puritatis continuationem.

¶ Ad alind, quod obijcitur: quòd fides purgat. Dicendum, quòd fides dicitur purgare non ratione sui, sed ratione gratiæ existentis in fide. Et sicut videmus, ꝙ duplex est sensus, communis, & particularis: & sensatum duplex, sc. commune, & particulare: sensus particulares habent sensata propria: & de his verum est, quòd sensatum vnius non est alterius (vnde color, qui est sensatum visus particulare, non est sensatum auditus) sensatum autem commune est magnitudo quantitatis, vel superficies: hoc.n. potest sentire à quolibet sensu particulari: & ita patet, quòd est vnus sensus communis in istis sensibus particularibus; quo vnꝰ sentit, quòd alius sentit, scil. sensatum commune, quòd est quantitas. Similiter dicendum: quod quidam sunt proprij effectus virtutum & ratione virtutum: quidam autem non ratione ipsarum secundùm se, sed ratione alicuius principij communis existentis in ipsis: & illud est gratia. Fides enim ratione fidei habet suum proprium effectum, qui non est alterius virtutis, sc. credere: Charitas enim nõ credit: similiter de charitate respectu fidei, & aliarum virtutum. Primi effectus sunt particulares: secundi autem effectus sunt communes virtutibus: vnde non est purgare effectus fidei ratione sui, vel alterius virtutis: sed ratione communis principij existentis in eis, quòd est gratia.

¶ Ad alind, quòd obijcitur de illuminatione. Dicendum, quòd consimilis fit comparatio gratiæ ad virtutes, quæ est luminis ad radium: sicut præhabitum est. Vnde patet quod gratia, quę est sicut lumen in anima, illuminat secundùm indistinctionem ad distinctas partes, imò simpliciter: virtus autem secundùm distinctionem.

¶ Ad alias rationes, quibus obijcitur de perfectione. Dicendum, quòd illud, quod est in anima indistinctum, debet gratiæ attribui ad perficiendum: illud autem, quòd est distinctum & particulare, debet virtuti attribui, vt perficiatur ab ipsa. Preterea, primò & principaliter gratia perficit essentiam animæ: secundariò liberum arb. qui est motor vniuersalis in anima. Vnde cùm dicitur, gratia mouet ad opera, & virtus mouet ad opera: hoc differenter dicitur: quia gratia est mouens vniuersaliter ad opera: virtus parti-

particulariter: ficut fides mouet in Deum vt verum, charitas mouet in Deum vt bonum: spes mouet vt in beatum vel gloriosum: verùm autem, & bonum, & gloriosum sunt vnum substantialiter: quod est ipse Deus: sunt tamen particulares rationes & diuersæ. Virtutes igitur mouent secundùm istas particulares rationes: gratia autem secundùm rationem vniuersalem, non distinguendo verum, bonum, gloriosum; mouet in Deum.

¶ Ad primum ergo Ans. Dicendum: q hoc quod gratia in infantibus præstet salutem sine libero arb. hoc est ex imperfectione suscipientis, qui non potest vti libero arb. vnde quod ipsum non perficiat in actu, hoc est ex imperfectione & impotentia suscipientis.

¶ Ad aliud patet responsio: quod gratia perficit substantiam, & potentiam vniuersalem: virtus autem potentias particulares.

¶ Ad aliam rationem in contrarium dicendum: quòd comparatur ad substantiam animæ, & potentiam: primo modo est in ratione informantis, secundo modo est in ratione mouentis: primo modo non diuiditur per operans & cooperans, sed secundo modo. Vnde illa ratio solùm procedit de gratia, prout comparatur ad potentiam animæ: & non ad substantiam.

¶ Ad aliud dicendum: q substantia animæ potest dupliciter considerari: scil. secundùm suum esse absolutum: & sic peccatum non corrumpit ipsam: vel secundùm suum esse comparatum, quòd est esse ordinis ad finem; secundùm quem tendit ad Deum: & quantùm ad illud esse peccatum corrumpit esse ipsius animę: & secundùm istud esse perficit etiam gratia substantiam ipsius animæ.

ARTICVLVS II.

An & viuificare, assimilare, gratificare, proprij effectus gratiæ sint.

CONSEQVENTER quæritur: Vtrùm proprij effectus gratiæ sint, viuificare, assimilare, gratificare? Et ostenditur primò, quòd viuificare sit proprius effectus ipsius gratiæ, sic. Deus in creatura rationali est principium vitæ spiritualis: vnde Act. 17. *In quo viuimus, mouemur, & sumus.* Sed primum, quo viuit rationalis creatura per Deum, est gratia: sed illud, quo primò viuit, dicitur viuificare: igitur gratia viuificat.

¶ Item, culpa mortificatur anima: igitur viuificatur cõtrario illius, scil. gratia: ergo, &c.

Abacuc 2. ¶ Contra, *Iustus ex fide sua viuit.* Ergo viuificare conuenit fidei: non ergo est effectus proprius gratiæ.

1. Ioan. 3. ¶ Item, *Qui non diligit, manet in morte.* Si ergo non diligere est causa mortis: ergo diligere est causa vitæ. Sed diligere est charitatis propriè: ergo charitatis propriè est viuificare: non ergo est proprius effectus gratiæ.

Richard' de S. Victore in lib. de arrha sponsi ad sponsam. ¶ Item, Richar. *Scio anima mea, quòd dilectio vita tua est: & sine dilectione esse non potes.* Sed dilectio est charitatis: ergo & vita animæ: ergo, &c.

Psalm. 4. Glossa. ¶ Item, videtur q reformare sit proprius effectus gratiæ. *Signatum est super nos Lumen vultus tui Domine.* Gl. *Lumen gratiæ tuæ, quo reformatur imago tua in nobis, qua tibi similes sumus.*

¶ Item, ibidem distinguitur triplex imago in Gl. sc. imago creationis, & recreationis, & similitudinis: imago creationis est ratio; imago recreationis est gratia: imago similitudinis est ipsa sapientia, quæ est ipse filius Dei: ad quã imaginem homo conditus est. Imago ergo recreationis animæ est gratia: sed imago recreationis est imago reformationis animæ ad Deum: ergo gratia est imago assimilationis & reformationis animæ ad Deum.

¶ Contra. Si gratia assimilat: oportet, quòd assimilet vel secundùm cognitionem, vel secundùm amorem. Sed neutro modo assimilat gratia: quia gratia habet esse in nõ habentibus cognitionem nec amorem secundùm actum, sicut in paruulis: quorum animæ non habent cognitionem in actu, nec amorem; ergo gratia non assimilat per cognitionem nec per amorem: ergo assimilare non est effectus gratiæ.

¶ Item ostenditur, quòd effectus gratiæ proprius sit gratificare: quia dicitur: Eph. 1. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in Christo.* Ex quo relinquitur quod proprius effectus gratiæ sit gratificare.

¶ Item, cùm gratificare sit quidam effectus: ostendens gratiam re & nomine: quia si gratia est, gratificare est: si gratificare est, gratia est: & similiter ostendit ipsam denominationem: quia nomen gratificationis sumitur à nomine gratiæ: ergo gratificare est propriissimus, & potentissimus actus gratiæ.

RESOLVTIO.

Quia gratia in eo, quòd bonitatis summæ similitudo est, comparatur ad animam vt vita: eluitur & hæc tria proposita, scil. viuificare, assimilare, gratificare, proprios eius actus esse.

¶ Resp. Secundùm q gratia est similitudo primæ veritatis comparatur ad animam vt lux: secundùm verò q est similitudo summæ bonitatis, comparatur ad animam vt vita. Et ita habetur in Ioanne, quòd verbum erat vita & lux hominum, lucens in tenebris: & ideo gratia, quæ est similitudo ipsius, comparatur ad animam vt lux, & vt vita. Ioan. 1. Sed sicut dictum est, quòd lux in aëre tria facit: primò enim purgat ipsum aërem à dispositione sibi contraria: secundò disponit aërem dispositione consimili sibi, & tunc illuminat ipsum: vltimò informat ipsum: & quantùm ad hoc sumitur iste actus *perficere.* Et sicut lux in aëre habet istos tres actus prædictos: similiter dicendum est de gratia, inquantùm ipsa vt lux comparatur ad animam: quia primò remouet ab anima dissimilitudinem lucis æternæ, & quantùm ad hoc sumitur iste effectus, purgare: secundo disponit ipsam simili dispositione, vt possit esse similis in actu; & tunc dicitur ipsam illuminare: vltimò informat ipsam, & tunc dicitur ipsam perficere. Secundùm autem q gratia est similitudo bonitatis summæ comparatur ad animam vt vita: quia sic comparatur ad animam vt amor: & iste amor impressus vita est, qua anima viuit Deo. (vnde Rich. *Scio anima mea, quia dilectio vita tua est*) & ita secùndùm hunc modum actus gratiæ est viuificare. Ad istum verò actum consequitur transformatio seu assimilatio animæ ad Deum: quia hæc est vis amoris, quòd transformat amantem in amatum. Vnde isdem Rich. dicit: *Scio anima mea, quòd cum aliquid diligis: ipsa vi dilectionis in eius similitudinem transformaris:* & quantùm ad hoc sumitur iste effectus gratiæ, qui est assimilare animam ad Deum, & conformare. Ex hoc autem q anima est assimilata Deo: ex hoc est grata Deo: vnde Prou. 8. dicit Sapientia. *Ego diligentes me diligo.* Et ita ex hoc quod amor imprimitur animæ, sumitur viuificare: ex hoc quod iam impressus est, sumitur assimilare: ex hoc quod assimilata est anima per amorem, sumitur gratificare in generali ratione.

Idẽ Hugo de S. Vict. in Tractatu de laudib' charitatis ad sponsum. Idem de arrha spõsi ad spõsam.

¶ Ad obiecta ergo dicendum: ad secundùm, & tertium: quòd vita spiritualis, quæ est vita animæ in Deo, est ipsius gratiæ per se: ipsius autem fidei, & charitatis ratione gratiæ, in quibus manifestatur vita quasi per sensum: sicut enim manifestatur vita in corpore per sensum, & motum: sic manifestatur per motum fidei, sicut per sensum: per motum charitatis sicut per motum.

¶ Ad quartum patet responsio ex prædictis.

¶ Ad aliud dicendum secundùm Aug. ad Dardanum Mirabile, quomodo Deus est inhabitator quorundam non cognoscentium Deum: & non quorundam, vel aliquorum cognoscentium Deum. Illi enim ad templũ Dei non pertinent, qui cognoscentes, non sicut Deum glorificauerunt, quemadmodum Philosophi: ad templum autem Dei pertinent paruuli sanctificati sacramento Christi. Dicendum ergo ad obiectum: quòd in paruulis est cognitio & amor: sed possunt esse dupliciter: vel sicut forma, vel sicut actus: hoc est, in habitu, vel in effectu. In paruulis est cognitio sicut forma, & amor similiter, quia informant animam ipsorum: sed non sunt in eis sicut actus: vnde in eis sunt habitu, & non actu: sicut videmus in adulto dormiente: quòd in eo est scičtia sicut forma informãs animam

& non

& non ficut actus fiue in vfu. Vnde dicit Aug. ad Bonifacium. *Quòd habere fidem, hoc est aut propter fidei sacramentum; & hoc est ipsam habere vt formam; aut propter fidei vsum.*

ARTICVLVS III.

An pariter & iustificare, excitare, motus meritorios elicere, fint per se actus gratiæ?

CONSEQVENTER quæritur? Vtrùm isti tres actus, scilicet iustificare, excitare, motus meritorios elicere, fint per se actus ipsius gratiæ. Et ostenditur quod sic: primò videtur, quòd excitare fit effectus gratiæ per se. Bern. dicit, *Liberi arbitrij conatus ad bonum otiosi sunt: si à gratia non iuuentur: nulli, si à gratia non excitentur.* Ex quo relinquitur, quòd gratiæ est excitare lib. arb. siue motum voluntatis ad bonum.

Bernard. de gratia & libero arbitrio.

¶ ITEM, in quadam Collecta Ecclesiæ habetur: *Excita Domine potentiam tuam, & veni,* &c. Sed hæc excitatio, quàm petit Ecclesia: non est nisi per gratiam: nec venit Deus nisi per gratiam: ergo gratiæ est excitare.

Collecta Eccles.

¶ ITEM, *Ego sto ad ostium & pulso.* Ostium appellatur liberum arbitrium seu voluntas: sed pulsatio ista non est nisi excitatio quædam per gratiam voluntatis ad bonum. Si ergo Deus non pulsat ad ostium: nec excitat ad bonum nisi per gratiam, patet quod gratiæ est excitare.

Apocal. 3.

¶ CONTRA, homo existens in infidelitate, quia in peccato mortali; excitatur ad bonum: vnde ad Eph. 5. *Surge qui dormis: exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.* Vnde patet, quòd Deus mouet & excitat corda & voluntates eorum, vt considerent & cognoscant statum suum: & propter hoc conuertantur ad bonum: & timeant de statu suo. Sed dum homo est in peccato mortali vel in infidelitate, non habet gratiam: ergo prior est excitatio ad bonum in anima quàm gratia. Sed nullus effectus præcedit causam suam: ergo excitare ad bonum non est effectus gratiæ.

¶ ITEM, ostenditur quod iustificare fit actus gratiæ. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo gratia iustificat nos.

Rom. 3.

¶ ITEM, super illud: *Omnes peccauerunt,* &c. Gloss. *Hæc est gratia, fine qua nec infantes nec grandes salui fieri possunt.* Et post super illud. *Iustificati gratis,* &c. Gloss. *Ipsa est, qua iustificatur impius.* Ergo iustificare per se est effectus gratiæ.

Ibidem. Glossa. Ibidem. Glossa.

¶ ITEM, ficut se habet charitas ad amantem facere, & fides ad credentem facere: ita se debet habere gratia ad gratificare, & iustitia ad iustificare. Si ergo solius charitatis est amantem facere, & solius fidei credentem facere: ergo solius gratiæ est gratificare, & solius iustitiæ iustificare. Non igitur est gratiæ iustificare.

¶ ITEM, ostenditur, quòd opus gratiæ fit, actus meritorios producere. *Gratia Dei sum id, quod sum: & gratia Dei in me vacua non fuit.* Vult ergo dicere, ꝙ gratia Dei in ipso fructificauit. Sed fructificatio ista attenditur quantùm ad meritum: ergo gratia producit opus meritorium.

1. ad Cor. 15.

¶ ITEM, *Ipse operatur in nobis velle, & perficere bonum.* Sed ipse Deus non operatur nisi per gratiam in nobis: ergo gratia elicit à voluntate opus bonum, & ita meritorium.

Philip. 2.

¶ ITEM, Aug. *Cogitare vel agere secundùm Deum, nulla ratione fine gratia Dei possumus:* propter quod Dominus, cùm de fructu iustitiæ loqueretur, ait discipulis. *Sine me nihil potestis facere.* Si ergo gratia est principium in nobis cogitandi secundùm Deum, & agendi: ergo ipsa est, quæ opus meritorium producit.

August. ad Valentinum. Ioan. 15.

¶ CONTRA, virtus est ad rectè agere: si ergo omne meritum attenditur quantùm ad rectè agere, virtutis inquantùm virtus, est omne meritorium elicere. Non ergo per se gratiæ.

RESOLVTIO.

Quoniam gratia nedum vt lux, & vt vita cōparatur ad animam, sed etiam vt motor, idq; per comparationem ad liberum arb. rectè iustificare, excitare, motus meritorios elicere, eiusdem per se actus dicere haudquaquam veremur.

¶ RESP. Intelligendum est, ꝙ gratia comparatur ad animam vt vita, & vt motor, & vt lux. Quia ergo gratia est similitudo summæ veritatis: sic comparatur vt lux: quia est similitudo summæ bonitatis, sic comparatur vt vita: quia est similitudo potestatis & virtutis, sic comparatur vt motor arbitrij ad animam: potentia autem attribuitur patri, veritas filio, bonitas spiritusancto: & ideo gratia est similitudo totius trinitatis & assimilat nos toti trinitati. Secundùm autem quod comparatur vt lux, eò quod est similitudo primæ veritatis: sumuntur tres effectus gratiæ. Secundùm ꝙ comparatur vt vita, eò quod est similitudo summæ bonitatis: sumuntur tres alij effectus. Secundum verò, ꝙ comparatur vt motor, sc. eò, quod est similitudo summæ potestatis seu virtutis: sunt eius effectus tres, sc. iustificare, excitare, motus meritorios elicere. Et hoc per comparationem ad liberum arbitrium quia (sicut dicit Bern. de lib. arb.) liberum arb. gerit similitudinem diuinæ potestatis: eò, quod non potest cogi: vnde circa ipsum fiunt isti tres effectus gratiæ. Sed hoc diuersimodè: quia liberum arb. est facultas voluntatis, & rationis: excitare est effectus gratiæ circa liberum arb. quò ad rationem: iustificare, quò ad voluntatem: motus meritorios elicere, quò ad facultatem. Vnde gratia mouet voluntatem per iustificationem: quia (sicut dicit Ansel.) Iustitia est rectitudo voluntatis; & ideo iustificatio est ipsius voluntatis: excitatio est ipsius rationis: motus meritorios elicere est ipsius facultatis seu potestatis. Vnde tria hæc, bonum cogitare, velle, perficere, facit gratia in nobis: sicut dicit Bern. Gratia immittendo bonam cogitationem, nos prænenit: immutando malam voluntatem, nos sibi per affectum iungit: ministrando consensui facultatem, foris per opus apertum internus opifex innotescit: & hoc planum est in iustificatione adultorum. Qualiter autem fit in paruulis, iam patebit.

Anselm.

Bernardus de gratia & lib. arb.

¶ AD primum ergo dicendum: ꝙ gratia duplex est, sc. gratum faciens, & gratisdata: & hæc non est gratum faciēs, sed tamen disponens. Similiter excitatio duplex est: vel à gratia gratum faciente, vel à gratia gratisdata seu disponente. Dicendum ergo, quòd in existentibus in peccato mortali non est excitatio à gratia gratum faciente, sed à gratia disponente vel gratisdata: quia habent fidem informem, quæ excitat eos ad cogitandum de diuino iudicio, & de diuina misericordia ad hoc, vt timeant & doleant de peccatis. Similiter in infidelibus est ipsa recta ratio, quàm appello gratiam gratisdatam seu disponentem: quia licet insit naturaliter, tamen gratisdatur à Deo: & etiam quod moueat ad bonum gratisdatum à Deo: hęc autem facit eos cogitare & cognoscere, quòd Deus creator est, & quod bonus est, & quod ab ipso habent, quicquid habent, & ꝙ ipse colendus est: & sic etiam excitat ad cognoscendum quod nihil possunt habere nisi ab eo: & sic excitat eos ad amorem & timorem ipsius. Alia autem excitatio est, quæ est à gratia gratumfaciente.

¶ AD aliud, ꝙ obijcitur: quòd iustificare debet esse actus iustitiæ, non gratiæ. Dicendum, ꝙ iustitia dicitur particulariter, & propriè, & generaliter. Iustitia spiritualiter dicta dicitur spiritualis rectitudo animæ, per quam rectificatur anima, vt reddat proximo quod suum est: vnde hæc est rectitudo animæ per comparationem ad proximum: hæc est iustitia, quæ est vna de virtutibus cardinalibus. Iustitia verò generaliter dicta est generalis rectitudo animæ per comparationem ad Deum, & proximū, & ad seipsum: & hæc rectitudo est conformatio voluntatis nostræ ad voluntatem diuinam: & ab hac dicitur generaliter iustus: quę iustitia est in conformatione voluntatis ad Deum. Hæc tamen iustitia aliter est in paruulis, aliter in adultis: quia ficut iniustitia, quæ est in paruulo, non inest ei ex actu sui arbitrij, imò est iniustitia, quæ ei fit ex aliena operatione: in adulto verò est iniustitia, quàm sibi facit, & ad quam cooperatur. Similiter iustitia datur paruulo per sacramentum Ecclesiæ seu per passionem Christi; ipso nihil cooperante, & non consentiente: iustitia autem est in adulto ex eius consensu & cooperatione. Vnde de adulto loquitur Bern. cùm dicit: *Immutando malam voluntatem sibi per consensum iungit;* Vnde huiusmodi iustitia in paruulo est secundùm habitum: in adulto verò secundùm actum; quia ad illam cooperatur, & sic cùm ista iustitia fit idem re quod gratia: patet, quòd gratiæ est iustificare.

Bernard.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur de opere meritorio: visum est quibusdam, quòd opus meritorium dupliciter producitur à voluntate, sc. secundùm rationem particularem, vel secundùm rationem generalem. Si secundùm rationem particularem, sic producitur opus meritorium à qualibet virtute particulari: vnde sic producitur secundùm distinctionem virtutum: quælibet enim virtus secundùm vnam rationem particularem producit: sicut fortitudo producit ipsum in aggrediendo terribilia, & sic de alijs. Secundùm rationem generalem producitur opus meritorium tripliciter: quia hæc ratio generalis est tripliciter secundùm triplicem rationem causalitatis scil. finalis, exemplaris, efficientis. Secundum rationem finis, qui finis est summa bonitas, gratia in charitate producit omne meritum: vnde considerando finem scil. summam bonitatem, sic omne meritum est ex charitate, seu ex gratia in charitate: & secundùm hoc dicitur charitas mater virtutum. Secundum rationem exemplaris sic gratia in fide producit omne meritum in omni virtute: quia fides est exemplar seu ars, quæ monstrat cognitionem finis, ad quem tendendum: & ideo dicitur fundamentum omnium virtutum. Secundum rationem efficientis sic gratia in ratione gratiæ producit omne opus meritorium: quia comparatur ad animam vt motor. Et sic patet, ꝙ aliter producit gratia opus meritorium: & virtutes secundùm distinctiones virtutum, seu secundùm rationes particulares.

ARTICVLVS IV.

An spontaneè, vel coactè liberum arbitrium à gratia moueatur.

Ioan. 6. CONSEQVENTER quæritur? An lib. arb. moueatur à gratia spontaneè, an coactè. Ad ꝙ sic: *Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum.* Sed tractus est species motus violenti: ergo si nullus venit ad Deum, nisi tractus: nullus venit ad eum, nisi violenter. Sed lib. arb. mouetur ad Deum per gratiam: gratia ergo mouet ipsum violenter.

¶ Item, de illis, qui debent venire ad nuptias, dicitur. *Compelle eos intrare: vt impleatur domus mea.* Si ergo lib. arb. compellitur intrare domum Domini: & non potest intrare nisi per gratiam: ergo gratia compellit ipsum, & mouet ad gloriam compellendo: sed compulsio est motus violentus: ergo, &c. Lucæ 14.

Collecta Eccles. ¶ Item, petitur ab Ecclesia in quadam Collecta. *Nostras rebelles compelle propitius voluntates:* hoc petitur à Deo. Sed ipse non operatur in nobis nisi per gratiam aliquod bonum: ergo gratia compellit nostras voluntates ad bonum: & ita violenter mouetur voluntas, seu lib. arb. ab ipsa gratia.

Eccles. 15. ¶ Ad oppositum: *Reliquit eum in manu consilij sui: ante hominem vita & mors, bonum & malum,* &c. Homo igitur est in potestate sui arbitrij: quia manus consilij appellatur potestas arbitrij: ergo in potestate eius est sequi & non sequi mouentem gratiam: ergo gratia non mouet ipsum violenter, seu coactè.

¶ Item, Lib. arbit. est liberum à necessitate: sed si compulsus esset, & violenter moueretur ab aliquo, non esset liberum à necessitate; immò cogeretur: ergo non potest moueri violenter vel compelli à gratia.

Bernardus de gratia & lib. arb. ¶ Item, Bernardus. *Ipse conditor hac dignitate liberum arbitrium insigniuit, seu animam rationalem: vt quemadmodum sui iuris erat, suæq; voluntatis: non necessitatis erat, quòd bonus erat: illa similiter quodammodo sui iuris existeret: quatenus non nisi sua voluntate mala fieret, & iustè damnaretur: aut bona fieret, & iustè saluaretur.* Ex quo relinquitur, quòd liberum arbitrium seu anima rationalis non potest aliquo modo contra suam voluntatem compelli, nec moueri ad bonum.

* *
*

RESOLVTIO.

Spontaneè liberum arbitrium à gratia ducitur: sed si interdum ab illa id cogi legatur, passiua, vel inductiua coactione intelligatur.

¶ Solvt. Dicendum sicut dicit Bern. distinguendo geminam compulsionem. Est enim compulsio actiua & passiua: & secundùm vtramq; nos dicimur facere aliquid contra voluntatem. Compulsio passiua rectè vocari potest, vbi nihil cooperatur patiens: quæ est absq; consensu voluntario patientis: vt si nos compelleremur ad malum, nobis inuitis; hæc esset compulsio passiua: sicut fuit in B. Lucia, quæ dixit: *Si inuitam feceris me violari: castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Compulsio actiua est, in qua concurrit consensus patientis, sc. cùm inductus est per timorem vel dolorem ad hoc, vt faciat malum: sicut est in illo, qui timore mortis negat Christum: talis enim dolens negat Christum: & tamen volens: quia melius vult negare Christum, quàm pati mortem: sed sua tamen voluntate absolutè non negaret: & propter hoc dicitur compulsus: quia negat, ne moriatur. Et hoc est, ꝙ dicit Dam. quod est voluntarium absolutum, sicut est in illo, qui simpliciter vult aliquid: & est voluntarium conditionale, sicut est in illo, qui sub conditione vult aliquid. Gratia ergo nunquam compellit lib. arb. ad bonum compulsione passiua, quamuis aliquando compulsione actiua ipsum compellat: quia aliquando mouet ipsum per dolores & timores, vt conuertatur ad bonum. Vnde Bern. *Hoc quippe intendit, cùm terret, aut percutit: vt faciat voluntarios: non vt saluet inuitos.* Secundùm ergo hanc distinctionem soluitur hæc quæstio: & patet responsio ad obiecta. Distinctio autem communis est & bona, per quam breuiter soluitur hæc quæstio: quòd est coactio sufficiens & inducens; liberum arb. non potest cogi prima coactione ab ipsa gratia; nec ab aliquo alio: sed solum potest cogi actione inducenti: quia multa inducũt ipsum liberum arbitrium ad hoc, quod velit, quod prius nolebat. Bernard.

ARTICVLVS V.

An gratia in præsenti vita faciat nos sine peccato esse.

QVÆRITVR consequenter de comparatione effectus gratiæ ad statum nostrum in præsenti vita: & quæritur: An gratia faciat nos in vita præsenti sine peccato esse. Ad quod sic: Aug. *Liberum arb. est voluntas, qua bonum eligitur, gratia assistente: & malum, gratia desistente.* Si ergo gratia assistente arbitrium eligit bonum: ergo semper assistente gratia, bonum eligimus. Sed semper eligendo bonum, nunquam peccamus: ergo gratia assistente in nobis nunquam peccamus. August.

¶ Item, introducitur ab hæretico in lib. de Perfectione iustitiæ hominis ratio & sumitur ex Apoc. 14. *Vbi loquitur de virginibus, quæ sequuntur agnum, quocunq; ierit.* In ore ipsorum non est inuentum mendacium: sine macula sunt ante thronum Dei. Ergo nunquam peccauerunt etc; & si semper sine macula sunt, sunt sine peccato: ergo homo potest esse sine peccato in vita ista. Cùm ergo gratia prohibeat peccatum facere: constat quod homo in vita ista sit sine peccato.

¶ Item, *Qui ingreditur sine macula*, &c. *Habitabit in tabernaculo tuo.* Ergo aliquis potest ingredi sine macula: ergo gratia potest facere, quòd homo in vita ista sit sine peccato. Psalm. 14.

¶ Item, *De cætero fratres gaudete, perfecti estote*, &c. Et ita Apostolus inuitat eos, vt sint perfecti: ergo in ista vita potest homo esse perfectus. Sed nõ potest esse perfectus, nisi sit sine peccato: ergo homo in vita ista potest esse sine peccato. 2. ad Cor. vlt.

¶ Item, *Perfectus eris & absq; macula coram Domino Deo tuo.* Et loquitur in præsenti vita. Deut. 18.

¶ Item, hæretici in lib. de perfectione iustitiæ hominis instant ex relatione B. Aug. *Aut Deus vult nos esse sine peccato: aut cùm peccato. Non vult ꝙ simus cùm peccato, quia hoc inconueniens est: ergo vult ꝙ simus sine peccato in vita ista: ergo possumus esse sine peccato in vita ista: aut Deus vellet aliquid, quòd non posset* Apud August. Hæretici.

esse:

esse: quod est inconueniens magnum; quia dicit: quis enim tam demens, vt dubitet fieri posse, quod Deum velle non dubitat.

1. Ioan. 3. ¶ Item, *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, sc. in Deo, *sicut ipse*, sc. Deus, *sanctus est*. Vult ergo, q homo in vita ista possit se sanctificare, sicut Deus. Sed Deus immunis est ab omni peccato: ergo homo in vita ista potest esse immunis per gratiam ab omni peccato.

1 Ioan. 1. ¶ Ad oppositum: Aug. de perfectione iustitiæ hominis: & sumitur ex Ioan. 1. *Si dixerimus, q peccatum non habemus: nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est* (inquit Aug.) August. *Non dicit Ioan. si peccatum non habuerimus: sed si peccatum non habemus*: ergo qui diceret se non habere peccatum, ipse diceret falsum. Falsum ergo est hominem in vita ista esse sine peccato: licet sit in gratia: ergo gratia non potest facere hominem in vita ista esse sine peccato.

Prou. 20. ¶ Item, *Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato?* Et Leo Papa. *Nemo mundus à forde: nec infans vnius diei super terram*. Ergo nec paruulus, nec adultus est mundus à peccato in vita ista. Leo in sermone natiuitatis Domini.

RESOLVTIO.

Vtiq; sine mortali: nullatenus autem sine veniali.

¶ Solvt. Dicendum, q Aug. assignat tres opiniones circa quæstionem istam, quarum vnam habet, p erronea & hæretica: secundam habet quasi probabilem: & dicit, q potest sustineri: tñ opponit contra eam: tertiam habet pro vera: & hæc est sua opinio propriè. Prima ergo opinio, q̃ narrat, talis est: quod nos sumus in vita ista indistinctè sine peccato: vnde dicit. Quisquis dicit post acceptam remissionem peccatorum quam hominem ita iustè vixisse, vel viuere; vt nullum habeat peccatum; contradicit Apostolo

1. Ioan. 1. Ioan. qui dixit: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus*, &c. Et sic dicit, q vna opinio est: quod gratia potest facere hominem esse sine peccato indistinctè: quæ tamen falsa est. Secunda opinio est, quæ sustineri potest (vt dicit) quod habere peccatum est, vel dicitur dupliciter. Nam peccatũ dicitur actus inordinatus: dicitur etiam ipsum peccatum fomes seu ipsa pronitas, quæ est ad peccandum. Potest ergo intelligi auctoritas Ioan. Si dixerimus, q peccatum, &c. Aut de actu peccati: aut de fomite peccati: quia fomitem appellat Apostolus peccatum: ad Rom. 7. Non enim q volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, hoc facio, &c. Si ergo quod nolo, id facio: non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatũ: & appellat illud peccatum fomitem seu pronitatem ad peccandum. Si ergo appellemus peccatum actum inordinatum: sic homo potest esse sine peccato in vita ista: hoc est, sine actu inordinato: non tamen potest esse in vita ista sine peccato, id est, sine fomite peccati. Et ita gratia per modum primum potest hominem facere esse sine peccato, id est, sine fomite peccati in vita præsenti: secundùm alium modum non, excepto priuilegio gloriosæ Virginis, quæ vtroq; modo fuit sine peccato. Cùm enim loquimur de peccato, non loquimur de ipsa: nec de alijs priuilegiatis: vt forsitan de Ioanne Baptista. Et dicit Aug. q satis perspicaciter dictum est: ipse tamẽ

August. opponit contra: & in hoc affirmat & ponit suam opinionẽ propriam: & vult dicere: q non potest homo aliquo modo esse sine peccato veniali: & hoc probat. Si quis aliter sentiat, videat, quid agatur de oratione Dominica: vbi di-

Matth. 6. cimus. *Dimitte nobis debita nostra*: quod (nisi fallor) non esset opus dicere: si nunquam peccaremus venialiter, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione peccati, aliquãdo fomitis desiderijs consentiremus: sed tantùm diceremus.

Ibidem. *Et ne nos inducas in tentationem*: & ita nullus potest esse sine actu peccati, vt solùm habeat fomitem, & nõ actum

August. peccandi, venialiter ad minus. Ad idem ponit Aug. aucto-

Iacob. 3. ritatẽ dicens: *Nec Iacobus Apostolus diceret. In multis offendimus omnes: nullum excludendo*. Nullus ergo excipitur omnino à peccato: ergo omnes offendunt: & ita nullus potest esse in vita ista sine peccato, saltem veniali. Est igitur opinio eius, quàm affirmat veram: quod nullus in hac vita possit esse sine veniali. Dicit tamen quod alia opinio à magnatibus posita est.

¶ Ad primum ergo dicendũ: quòd semper potest homo eligere bonum, gratia assistente: non tamen potest facere bonum, ipsa assistente. Vnde semper est posse, non tamen semper est facere: & hoc propter fomitem peccati, qui in ipso est, inclinans ipsum ad malum, & auertens à bono: quia ponit in eo difficultatem faciendi bonum: propter quod exclamat Apostolus. *Quod nolo malum, hoc ago*, &c. Et Rom. 7. iterum: *Video legem in membris meis repugnantem*, &c. Potest ergo homo per gratiam assistentem eligere bonum, & vitare quodlibet malum in singulari, sed nõ quodlibet malum in vniuersali: quia potest per ipsum vitare hoc verbũ otiosum, & hunc motum concupiscentiæ carnalis, & sic de quolibet singulariter per se: sed non potest vitare omne peccatum, vel omnem concupiscentiam in vniuersali. Et exemplum est: si nauis aliqua esset perforata centum foraminibus: ille, qui esset in naui posset facere quod aqua non intraret per quodlibet illorum singulariter, quia posset quis facere, quòd per hoc aqua non intret, nec quod per illud, & sic de quolibet singulariter; non tamen vniuersaliter facere in quolibet foramine, quòd per nullum intraret aqua. Eodem modo est de illo, qui habet gratiam ad hoc, vt vitet quodlibet malum.

¶ Ad aliud de auctoritate Apoc. respondet Aug. dicẽs: August. *Propterea tales sunt dicti, quòd in ore eorum non est inuentum mendacium: quia non dixerunt se non habere peccatum: quia si aliter dicerent, mentiretur*: sicut dicit Ioan. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus*, &c. *Veritas in nobis non est*. & sic illa auctoritas procedit contra hæreticos. 1. Ioan. 1.

¶ Ad aliud, *Qui ingreditur sine macula*, &c. Respondet Psalm. 14. August. Faciendo vim in eò, quod dicitur: *sine macula*, quia cum dicitur ingredi sine macula: hoc non est dicere, quòd non habeat maculam aliquam: sed quod irreprehensibiliter gradiatur: vnde dicit. Ingredi sine macula, non absurdè dicitur, qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit carens criminibus damnabilibus: atq; ipsa peccata venialia non negligens mundanæ delectationis. Ingredi ergo sine macula solùm priuat maculam mortalem: sed non venialem: dum tamen irreprehensibiliter currat ad perfectionem homo, mundando culpam venialem.

¶ Ad aliud de auctoritate sumpta ex Deut. Respondet Aug. in lib. de gratia & esse, dicens: *quòd est perfectio viatoris, & est perfectio iam peruenientis*. Perfectionem viatoris potest homo habere in vita ista, quia hæc est perfectio proficientium: vnde dicit, *proficientium est vita, quamuis benè proficientes dicantur perfecti viatores*. Hæc autem perfectio non excludit omnem culpam, sed solùm mortalem: & quod irreprehensibiliter mundentur veniales. Perfectio autem iam peruenientis est illa, quæ est in gloria: hanc non potest homo habere in vita ista: sed illam habebit in gloria, quando erit absq; omni peccato, & pronitate ad peccandum: hæc enim perfectio omne peccatum excludit: vnde dicit. Illa autem est summa perfectio, cui nihil additur: cùm id, quo tenditur, cæperit possideri: vnde hæc perfectio est absq; omni macula, cùm ei nihil possit addi: sed prima non excludit maculam venialem, nec etiam pronitatem seu fomitem.

¶ Ad aliud dicendum secundùm Aug. q Deus vult nos esse sine peccato: aliter enim non misisset filiũ suum, qui sanaret homines à peccato. Dicit ergo, quòd homo potest esse sine peccato mortali in vita ista per gratiam: potest enim esse absque omni peccato quantùm ad futurum statum, qui est in gloria: per suum tamen arbitrium, nec per gratiam non potest esse sine peccato veniali, quantùm ad præsentem statum: sed sine mortali. Vnde dicit, quod in præsenti benè sequitur, quod Deus vult homines esse sine peccato: ergo homines possunt esse sine peccato, scilicet mortali.

¶ Ad aliud de auctoritate Ioan. *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, &c. Dicendum, quòd differt sanctificare, & 1. Ioan. 3. sanctum esse: quia sanctificare dicit sanctum fieri: sanctum esse dicit sanctitatem in facto esse. Sicut ergo est res in fieri: & in facto esse: & non sequitur, domus fit, ergo domus est: sed sequitur, est in facto esse, ergo est. Similiter dicendum, quod non sequitur: sanctificat se: ergo est sanctus.

Vnde in hac vita habens gratiam sanctificat se habendo spem, id est semper est in fieri sanctus: quousq; perueniat ad illum statum, de quo habetur: *Cùm apparuerit, similes ei erimus*, &c. Et hoc erit in gloria. Et sic sanctificare se non ponit elongationem ab omni macula, & ab omni peccato. Ibidem.

ARTICVLVS VI.

An iustificare priùs sit quàm viuificare, & purgare quàm illuminare: vel econuersò.

CONSEQVENTER quæritur de ordine effectuum gratiæ. Et primò de ordine istorum duorum effectuum, iustificare, & viuificare. Secundò de ordine istorum duorum purgare illuminare, siue expulsio peccati, & infusio gratiæ.

¶ AD primum sic: prius est expulsio mortis, quàm introductio vitæ: si ergo per iustificationẽ est expulsio mortis sc. peccati: per viuificationem est introductio vitæ: ergo prior est iustificatio, quàm viuificatio.

¶ CONTRA, viuificatio est motus ad vitam: iustificatio est motus ad iustitiam. Sed iustitia consequitur vitam: ergo prior est viuificatio, quàm iustificatio. Minor patet: quia anima viuificatur à gratia secundùm se: ergo viuificatio respicit animam secundùm se. Iustificatur autem anima à gratia, non secundùm se: sed in comparatione ad opus: Bernard. quia (sicut dicit Bern.) iustificatio respicit meritum, sicut misericordia miseriam intuetur: vnde cùm respiciat meritum, respicit opus: & ita prior est viuificatio in anima, quàm iustificatio: quia prior est anima per se, quàm in comparatione ad opus.

¶ POSTEA quæritur de ordine istorum, quæ sunt purgatio seu expulsio peccati, & illuminatio siue infusio gratiæ. Ad ꝙ sic: prior est purgatio tenebræ ab aëre, quàm aduentus lucis. Si ergo comparatio gratiç ad animam est sicut lucis ad aërem, quia gratia comparatur ad animam vt lux: cùm lux priùs purget tenebram ab aëre, quàm illuminet ipsam: ergo gratia priùs purgat tenebram peccati ab anima, quàm illuminet ipsam: ergo prior est effectus, qui est purgare, quàm illuminare.

¶ ITEM, in peccato est auersio à Deo, & conuersio ad commutabile bonum: sed prior est illa conuersio ad bonum commutabile, quàm auersio à Deo, qui est bonum incommutabile: quia illa conuersio est causa illius auersionis: ergo similiter in gratia priùs est auerti à peccato, quàm conuerti ad Deum: ergo expulsio peccati prior est, quàm infusio gratiæ, siue illuminatio.

Glossa. ¶ ITEM, super illud Ps. 62. *Sic in sancto apparui tibi*, &c. dicit Gloss. *Nisi quis priùs deficiat à malo, non peruenit ad bonũ, quod est Deus: non excipit nouam vitam, nisi vetus exuerit.* Ergo priùs debet expelli peccatum ab anima, quàm infundatur gratia: & ita prior est expulsio peccati, quàm infusio gratiæ vel illuminatio.

Ambr. in Apologia Dauid super Psalterium. ¶ AD oppositum: Ambr. *Priùs est, vt per gratiam iniquitas deleatur: quemadmodum enim in anima sapientiæ disciplina imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam: sic perfecta virtus iniquitatem.* Sicut ergo priùs est, vt adueniat animæ scientia, quàm excludatur ignorantia: ita priùs debet gratia aduenire animæ, quàm expellatur peccatum ab anima: ergo prior est infusio gratiæ in anima, quàm expulsio peccati.

¶ ITEM, Quæritur: Vtrùm simul tempore sint in anima isti duo effectus, id est purgatio, & illuminatio: seu expulsio peccati, & infusio gratiæ: aut secundùm prius & posterius: Et obijcitur sic: peccatum desinit in hoc instanti: illud instans vltimum, in quo vltimò est peccatum in isto, dicatur a. instans, in quo primò recipitur gratia in isto, dicatur b. modo quæritur a. & b. aut sunt simul in eodem instanti: aut non. Si sic: sed in a. vltimò est peccatum in isto: in b. est primò gratia in isto: ergo simul & in eodem instanti sunt peccatum & gratia in isto. Si non sunt simul a. & b. ergo consequuntur inter se inuicem: sed inter quælibet duo instantia est accipere tempus medium: ergo inter a. & b. est accipere tempus medium. Quæro de illo tempore medio: non est in a. ergo iste non est malus: non est in b. ergo non est bonus: ergo neq; bonus est iste, neq; malus: quod est inconueniens ponere. Ergo necesse est, quòd simul tempore expellatur peccatum ab ipso, & ipsi infundatur gratia.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione quatuor propositi gratiæ effectus tum sese præcedũt, tum sequuntur: simpliciter tamen viuificare prius & anteriùs est reliquis omnibus.

¶ SOL. Dicendum, ꝙ ordo in effectibus gratiæ potest attendi tripliciter: quia gratia comparatur tripliciter ad animam, sc. vt vita, vt lux, vt motor. Secundùm aũt quod comparatur ad animam vt vita: sic primi effectus eius in anima sunt, viuificare, assimilare, & gratificare: quia sunt effectus gratiæ, prout comparatur vt vita. Secundùm aũt ꝙ comparatur ad animam vt lux: sic primi effectus eius sunt purgare, illuminare, perficere: quia isti sunt effectus gratiç, prout comparatur vt lux ad animam. Secundùm autem ꝙ gratia comparatur ad animam in ratione motoris: sic primi effectus eius sunt isti, iustificare, excitare, motus meritorios elicere; quia sunt effectus eius, secundùm ꝙ comparatur ad animam vt motor. Et sic secundùm diuersas cõparationes ad animam ẽ diuersificare ordinem in effectibus gratiæ. Tñ si quæratur, quis effectus gratiæ prior est principaliter & simpliciter. Dicendum, ꝙ prior est comparatio gratiæ ad animam, vt vita, quàm aliæ comparationes: quia prior est configuratio seu conformatio animæ ad summã bonitatem, quæ est spiritussanctus: vnde primò configurat nos sibi spiritussanctus, deinde ex illa configuratione est nobis communio totius trinitatis: sed ex illa conformatione ad bonitatem vel ad spiritumsanctum, qui est amor, sumitur vita: vnde p illam conformationem & configurationem, q̃ dicimus gratiam; *viuit anima Deo*, sicut dicit Aug. August. Consequens verò comparatio vel configuratio est ad primam veritatem, & secundùm hoc comparatur gratia vt lux. Vltima configuratio est ad ipsam potentiam patris vel virtutem; & secundùm hoc comparatur vt motor: & secundùm hoc (simpliciter loquendo) priores sunt effectus gratiæ, secundùm ꝙ comparatur ad animam vt vita, consequentes sunt effectus illius, prout comparatur vt lux, vltimi sunt effectus eius, prout comparatur vt motor. Et inter effectus gratiæ, prout est vita; dicendum ꝙ viuificare simpliciter prior est. Et sic patet, qui effectus simpliciter sunt priores, & quis simpliciter prior.

¶ AD primum dicendum, ꝙ si loquamur secundùm ordinem naturæ vel rationis, sic prior est iste effectus, qui est viuificare, quàm iustificare, vnde simpliciter prior est. Tñ secundùm quid potest esse quod iustificare sit prius sc. in comparatione: quia si comparetur gratia ad animam in ratione motoris, sic quãtùm ad hoc iustificare est prius, simpliciter tamen est prior viuificatio.

¶ SED ad illud, quod obijcitur, ꝙ expellẽdo mortem, introducit iustificatio vitã: hoc est, cùm ipsa simul introducitur vita. Dicendum, ꝙ simul sunt tẽpore. Sed notandum quod iustificatio dupliciter dicitur, scil. propriè, & impropriè. Propriè dicitur iustificatio quantùm ad rectitudinem voluntatis: secundùm quod respicit rectè velle, vel operari. Impropriè dicitur, secundùm quod respicit rectè esse.

¶ AD aliud, ꝙ quæritur de ordine purgationis & illuminationis. Dicẽdum, quòd alius est ordo in effectib. gratiæ per comparationem ad agentem à quo sunt, & recipiẽtem in quo sunt: similiter alius est ordo secundũ quod sunt in ratione materiali, vel in ratione formali: sicut patet in aëre. Similiter isti effect[9], purgare, illuminare, possunt cõsiderari in ratione passiua, & materiali, secundùm ꝙ dicitur purgari, illuminari: & sic priùs est purgatio quàm illuminatio; quia priùs naturaliter purgatur aër à contraria dispositione, quã illuminetur: sic ergo dicendũ est de gratia, q̃ comparatur ad animã vt lux spiritualis. Ex parte aũt agẽtis est econtrariò: quia primũ, quòd intendit ipsa lux in aëre, est ipsum informare: secundò disponere: vnde disponit ipsum ad recipiẽdũ informationẽ: tertiò purgat (& loquor s̃m naturam. Sic ex parte lucis gratiæ dicendũ, quod priùs

est per-

est perficere: secundò est disponere, siue illuminare: tertiò est purgare. Ex parte autem animæ recipientis econtrario est.

¶ Et per hoc patet responsio ad omnes rationes, præterquam ad vltimam, qua ostenditur: quod simul sunt. Ad quam dicunt quidam, quod simul sunt tempore, expulsio peccati, & infusio gratiæ. Dicendum, quod idem est instans secundùm substantiam, differens solùm secundùm rationem, in quo desinit peccatum esse in isto, & gratia incipit esse in illo eodem. Sed ex hoc non sequitur, quòd simul sunt peccatum, & gratia in illo; quia differentia est in successiuis, & permanentibus: quia in successiuis quando res desinit esse, sequitur, desinit esse, ergo non est: sed in permanentibus sequitur, desinit esse, ergo adhuc est, sed continuò post hoc instans non erit. Similiter in successiuis sequitur: incipit esse, ergo est: in permanentibus autem non sequitur: sed sequitur, incipit esse: ergo adhuc non est, sed continuò post hoc erit. Et hoc est, quia permanentia habent esse in sui termino, & non in sui principio: successiua autem habent esse in sui principio secundùm quendam modum, & non in sui termino: & hoc est, quia esse successiuorum est in fieri, & non in facto esse: esse autem permanentiū est in facto esse, & non in fieri. Est igitur idem instans secundùm substantiam, in quo vltimò desinit peccatum esse: & in quo vltimò incipit gratia differens secundùm rationem: sicut punctus est terminus vnius lineæ, & principium alterius lineæ. Vnde sicut non sequitur: dies desinit esse, ergo dies est: ita non sequitur, peccatum desinit esse: ergo peccatum est.

¶ Si autem quæratur, vtrùm idem sit instans, in quo vltimò est peccatum in isto, & in quo primò est gratia? Dicendum, quod non. Si autem obijciatur, quòd inter quælibet instantia est tempus medium, &c. Dicendum, quòd hoc tenet in motu successiuo, & non in mutatione subita. Est enim quædam mutatio, quæ est perfectibilis per tempus, & hæc est motus, & ibi tenet ista regula: & est alia mutatio, quæ est subita; & hæc maximè mutatio est in aduentu vltimæ formæ respectu materiæ: quando in materia facta est necessitas, & in summo disposita respectu illius. Vnde sicut patet, quando ignis aduenit ligno, vt fiat forma ignis in ligno; primò disponit lignum ad suscipiendum formam ignis, & remouentur dispositiones contrariæ, & tunc ibi est mutatio successiua: quando verò in summo dispositum est lignum per calefactionem: tunc subitò & in instanti fit forma ignis in ligno: & tunc mutatio quæ est ibi, subita est.

¶ Si ergo quæratur, instans id, in quo nunc vltimò nō est ignis in ligno: & in quo nunc primò est ignis in ligno: aut est idem instans, aut non. Dicendum, quòd non: imò diuersa sunt instantia: tamen non est accipere tempus medium inter illa, quia non est ibi accipere continuum, sed sed magis sicut numerum motus.

MEMBRVM VII.

De cognitione gratiæ.

Restat post prædicta ad pleniorem intelligentiam de cognitione gratiæ inquirere. Et quæruntur tria. Primò de cognitione in generali. Secundò de cognitione in speciali. Tertiò de cognitione in particulari. Pluribus enim modis non est rem cognoscere.

ARTICVLVS I.

An gratia cognoscibilis sit?

Ad primum sic. Anima quasdam res, quæ extra se sunt, cognoscit: & hoc per similitudines rerum: quasdam autem cognoscit in se, & illas per seipsam cognoscit. Certius autem cognoscit anima ea, quæ cognoscit se ipsa: quàm ea, quæ cognoscit per aliud. Cùm igitur gratia sit eorum, quæ nata sunt esse in anima, patet, quòd anima nihil certiùs cognoscit, quàm gratiam: ergo gratia est cognoscibilis simpliciter.

¶ Contra. Si gratia non cognoscitur visione corporali, nec imaginaria: ergo cognoscitur tertio genere visionis, quæ est intellectualis: sed hac visione cognoscitur res per seipsam apud animam, & non per similitudinem aliam ab ipsa; ergo gratia non cognoscitur ab aliquo, qui est in peccato mortali: cùm ipsa res gratiæ non sit apud animam illius. Si ergo ea; quæ cognoscuntur secundùm rationem diffinitionis, simpliciter cognoscuntur ab omnibus, siue existentibus in peccato mortali, siue non: ergo gratia non cognoscitur per rationem diffinitionis.

¶ Item, Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat.* Sed nihil aliud est spiratio spiritus quàm gratia, quæ à Spiritu sancto spiratur in nobis: sed nescimus vnde veniat, aut quo vadat spiratio Spiritus sancti: ergo non est cognoscibilis spiratio Spiritus sancti ab habente ipsam: ergo gratia non est cognoscibilis ab eo, qui habet ipsam: ergo multo magis nec ab illo, qui non habet ipsam: ergo à nullo est cognoscibilis. Ioan. 3.

RESOLVTIO.

Gratia cognoscibilis est in ratione vniuersali: minimè verò in particulari & propria.

¶ Solvtio. Dicendum, quòd duplex est scire, scilicet scire in vniuersali, & scire in particulari, seu in ratione propria. Dicendum ergo, quòd contingit scire gratiam in vniuersali; & ideo cùm esse in vniuersali sit esse diffinitiuum, propter hoc est cognoscere gratiam secundùm diffinitionem quid sit. Et appello scire in vniuersali, sicut aliquis potest scire omnem mulam esse sterilem, & tamen dubitabit de hac mula. Et appello in vniuersali scire gratiam, quòd aliquis sciat in vniuersali, quid est gratia, scire in particulari & in ratione propria, quòd aliquis sciat se habere gratiam secundùm rationem gratiæ: veruntamē hoc modo non potest sciri, sed primo modo.

¶ Ad illud, quod obijcitur; quod nihil certius cognoscit anima, quàm ea quæ sunt in ipsa. Dicendum, quod hoc intelligitur de illis, quæ sunt apud animam: si sint scibilia in particulari, seu in ratione propria ab anima; & non de illis, quæ sunt scibilia in vniuersali secundùm diffinitionem.

¶ Ad rationes in oppositum: & primò ad primam, dicendum: quòd ille, qui est in mortali, habet scientiam in vniuersali de gratia quid sit: & non in particulari, nec in ratione propria: quia quilibet siue bonus siue malus à creatione habet inditam rationem boni & veri: secundùm ꝙ dicit Augustinus & Boet. Sicut ergo in notione principiorum veri est notio conclusionum in vniuersali: ita in notione boni nobis in vniuersali impressa est notio gratiæ in vniuersali: & ex illa notione boni possumus scire, quid est gratia in vniuersali, scilicet quòd ipsa est velut quędā qualitas in anima. Cùm enim gratia sit bonum, & habeamus notionem boni in vniuersali nobis impressam: ex illa possumus arguere gratiam esse: sed hæc erit notio in vniuersali, non in ratione propria: & sic ex notione boni erit diffinire gratiam in vniuersali, & cognoscere.

¶ Ad secundum dicendum, quòd illa autoritas intelligitur de spiratione gratię, in particulari: sicut de gratia, q̄ informat animam alicuius sancti hominis: quia nescit, vnde veniat, aut quò vadat: vnde non cognoscit eam in se. Et ita illa autoritas excludit notitiam in se in particulari, & in vniuersali.

ARTICVLVS II.

An gratia cognoscibilis sit in ratione propria?

Consequenter quæritur de cognitione gratiæ in speciali. Ad quod sic: oppositorum eadem est sciētia: cùm ergo gratia & peccatum sint opposita, eadem est eorum scientia: ergo cùm peccatum sciatur in ratione

propria, patet quod gratia scibilis, scibilis est in ratione propria.

¶ ITEM, verius cognoscitur lux, quàm tenebra: quia lux est principium cognitionis & tenebræ: vnde manifestat se, & tenebram. Sed gratia est vt lux, sicut dicit Ioan. Damasc. peccatum tenebra: ergo veriùs cognoscitur gratia, quàm peccatum. Si ergo peccatum cognoscitur in ratione propria, multo fortiùs gratia. Damasc.

¶ ITEM, veriùs cognoscitur rectitudo, quàm obliquitas: quia non cognoscitur obliquitas, nec manifestatur nisi per rectitudinem: vt obliquum est, quod deficit à rectitudine. Sed gratia est rectitudo, peccatum obliquitas: ergo veriùs cognoscitur gratia, quàm peccatum. Si ergo peccatum cognoscitur in propria ratione: multo magis & gratia.

¶ CONTRA, Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Sed aduentus Dei ad animā est per gratiam: recessus verò Dei ab anima per est peccatum. Si ergo non intelligitur suum venire, nec suum recedere: ergo nec gratia intelligitur, nec peccatum: ergo gratia non est cognoscibilis in propria ratione. Iob 9.

RESOLVTIO.

Gratia vtiq; cognoscibilis est in ratione propria speciei, non autem in propria ratione singularis.

¶ AD primum dicendum: quòd cognitio in propria ratione potest dupliciter esse: quia vel in propria ratione speciei, vel singularis. Primo modo cognoscibilis est gratia in propria ratione, sicut peccatum: & quantum ad hoc eorum eadem est disciplina: sed non in ratione singularis, sicut videbitur.

¶ AD secundum, & tertium dicendum: quòd est cognitio rectitudinis in ratione speciei, vel singularis. Primo modo veriùs cognoscitur rectitudo quàm obliquitas, & lux quàm tenebra, & gratia quàm peccatum, & sanitas quàm infirmitas: vnde medicus per rationem medicinæ vniuersalem certiùs cognoscit sanitatem, quàm ægritudinem: quia non cognoscit hoc modo ægritudinem, nisi quia est defectus sanitatis: hoc enim modo priuatio cognoscitur per habitum: quia cognitio in specie est cognitio diffinitiua: priuatio autem diffinitur per habitum. Cognitione verò particulari sic certiùs cognoscitur priuatio, quàm habitus: vt obliquum quàm rectum, & sic de alijs: quia plura requiruntur ad cognitionem habitus, quàm priuationis in sui cognitione particulari: vnde medicus certiùs cognosceret ægritudinem in particulari, quàm sanitatem: quia ad cognitionem sanitatis in particulari, vel ad sanitatem in particulari requiruntur multæ adæquationes, scilicet in spiritibus, in humoribus, in membris: & nisi sit omnimoda adæquatio, non erit sanitas: ægritudo autem dicitur per defectum ab aliqua istarum adæquationum, quæcunque sit illa: hoc autem certiùs cognoscitur, quàm adequatio omnimoda. Similiter ad hoc quod sit rectitudo, oportet quòd omnes partes magnitudinis adæquentur principio, & fini: vnde rectum est, cuius partes mediæ non exeunt ab extremis: obliquitas autem est per exitum vnius solius partis: exitus autem istius partis certiùs cognoscitur, & videtur, quàm omnimoda adæquatio omnium partium. Similiter est de peccato, & gratia: quia plura requiruntur ad gratiam, quàm ad peccatum: & ideo certiùs cognoscitur peccatum in particulari, quàm gratia, sed econuersò in vniuersali.

¶ AD rationem in oppositum dicendum: quòd non vult dicere beatus Iob, quòd peccatum, & gratia non cognoscantur; sed vult dicere: quòd si Deus accedat ad animam, vel recedat ab ipsa: non sequitur necessariò, quod videatur: quia potest esse; quod veniet, homo tamen nesciet: sicut in paruulis; & multis etiam claudit Dominus cognitionem huiusmodi ad remouendam præsumptionem ab ipsis, & vt excitet eos ad timorem.

(*.*)

ARTICVLVS III.

De cognitione gratiæ in particulari.

QVÆRITVR consequenter: vtrùm gratia sit cognoscibilis in particulari? Et partitur ista quæstio. Primò enim quæritur, vtrùm aliquis possit cognoscere per scientiam se habere gratiam? Secundò, vtrùm per experimentum possit hoc cognoscere? Tertiò, vtrùm etiam per reuelationem?

An quis scientificè, & certitudinaliter possit cognoscere se habere gratiam? §. 1.

¶ AD primum sic dicit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Ergo licèt se sciret Apostolus non esse conscium: non tamen sciebat se esse iustificatum, ergo nesciebat, vtrùm esset in statu gratiæ: ergo multo magis nec alius. 1. Cor. 4.

¶ ITEM, *Nemo scit, vtrùm sit dignus amore, vel odio.* Dignus est amore, qui est in gratia: dignus est odio, qui est in peccato: ergo nemo scit, si est in gratia, vel in peccato. Eccles. 9.

¶ ITEM, *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus: nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Si ergo nullus potest dicere se non esse in peccato: nullus potest dicere se esse in gratia; ergo nec scire. 1. Ioan. 1.

¶ ITEM, *Quis potest dicere mundum est cor meum? purus sum à peccato?* quasi dicat, nullus. Sed gratia non est sine munditia cordis: ergo nullus potest scire se habere gratiam. Prou. 20.

¶ ITEM, gratia dicitur, eo quod facit nos gratos Deo: sed esse gratum Deo, acceptum Deo esse: ergo in ratione gratiæ ponitur acceptatio in Deo. Sed hæc acceptatio est placitum voluntatis diuinæ: sed nullus potest scire placitum voluntatis diuinæ: ergo nullus potest scire gratiam se habere.

¶ AD oppositum, Augustinus: *Nemo dicat, non nouit quod diligat: magis enim nouit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit.* Ergo si aliquis cognoscit fratrem, quem diligit certitudinaliter: similiter cognoscit dilectionem suam certitudinaliter: Sed dilectio illa est ex gratia: quia est charitas: ergo aliquis cognoscit certitudinaliter gratiam suam in se. Explanat autem Augustinus illud ibidem dicens: illud est animæ notius, quod est ei præsentius: sed dilectio, qua diligit fratrem, est ei præsentior quàm frater, quem diligit: quia illa dilectio secundùm suam essentiam est in anima, frater autem nō: ergo certiùs cognoscitur illa dilectio ab anima, quàm frater: ergo gratia, ex qua est illa dilectio. Aug. in li. de Trin.

¶ ITEM duplex est demonstratio: quia, & propter quid. Demonstratio propter quid, est per causam; demonstratio quia, est per effectum proximum, & immediatum: sicut per lac in muliere cognoscitur conceptus, scilicet, quòd ipsa conceperit, tanquam per effectum proximum, & immediatum. Si ergo effectus proximus, & immediatus gratiæ scitur ab habente ipsum certitudinaliter: patet, quòd gratia scitur demonstratiuè per effectum ab habente ipsam gratiam certitudinaliter. Minor patet, ad Roman. quinto capite: *Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Constat autem, quòd iustificatio est per gratiam: & effectus est pax: quia pax est reconciliatio ad Deum: vnde dicit ibi Glossa: Pacem cum Deo habet, qui mandatis eius non resistit. Sed hoc potest aliquis certitudinaliter scire, scilicet, quòd non resistat mandatis Dei: ergo potest certitudinaliter scire se habere pacem: ergo & se habere gratiam: cùm pax sit proprius effectus gratiæ. Rom. 5. Glossa ibi.

¶ ITEM, lux certitudinaliter manifestat se & alia. Si ergo gratia lux est, manifestat se & alia certitudinaliter: sicut ergo patet in illo, cui Dominus dat manifestationem suorum secretorum; sicut per prophetiam: ergo gratia maximè certitudinaliter manifestat se in eo, in quo est gratia certitudinaliter cognoscibilis est ab eo, qui habet ipsam.

¶ ITEM

Aug. in li de videndo Deo. ¶ ITEM Augustinus: *Qui habet fidem, videt eam in se.* Si ergo sunt similis rationis fides, & gratia in sciendo, scilicet vt sciantur: & fides certitudinaliter scitur ab habente ipsam: ergo & gratia.

RESOLVTIO.

Scientia certitudineq; speculatiua non potest quis scire se gratiā habere; sed benè scientia vel certitudine affectiua.

¶ SOLVTIO. Plures sunt opiniones circa istam quæstionem. Prima opinio est, quòd aliquis possit scire per scientiam se non esse in gratia: sicut ille, qui est conscius sibi de peccato mortali: talis benè habet conscientiam, quod non sit in gratia: cùm sit in mortali. Item, aliquis potest dubitare se esse in gratia: sicut ille, qui habet rationes ęquè fortes ad hoc, quod sit, & quod non sit in gratia: sicut quādo videt se esse tepidum in amando Deum, & non habere affectum orandi: & ex opposito videt, quòd nullam habet voluntatem peccandi, nec vllo modo peccaret: talis dubitat se esse in gratia, cùm habeat rationes æquè fortes ad hoc, & ad suum oppositum: quia dubitatio est vacillatio intellectus inter vtramque partem contradictionis. Item, aliquis potest opinari se esse in gratia: sicut ille, qui habet rationes ad hoc, & ad suum oppositum: tamen fortiores habet rationes ad hoc q̄ ad suum oppositum: sicut quando in vna parte videt se feruentem in amore Dei, & lugentem pro peccatis; ex opposito sentit rebellionem carnis & fragilitatem: nam opinio est acceptio vnius partis contradictionis cum formidine alterius. Item, potest aliquis scire experimentaliter se esse in gratia: sicut ille, qui sentit dulcedinem diuinæ bonitatis in oratione: & gustat quàm suauis est Dominus. Item, vlterius dicunt, quòd aliquis potest habere scientiam, quòd ipse sit in gratia: sicut est in illis, qui ita sunt dicati Deo & perfecti: quod iam non habent rebellionem fomitis, sed habent plenam pacem spiritus, & sentiunt concupiscentias carnis in se consopitas: & sentiunt se omnino eleuatos in diuina contemplatione: sicut fuit beata Magdalena, & Paulus, qui ait ad Rom.
Rom. 8. 8. *Quis separabit nos à charitate Christi?* & dicit de se: *Certus enim sum, quòd neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Christi*, seu Dei. Aliter potest dici, quòd in anima est duplex scientia, scilicet scientia cognitiua, & scientia affectiua. Scientia ergo cognitiua, seu speculatiua non potest aliquis scire gratiam in se certitudinaliter: hæc enim scientia est per causam rei, vel per rationem rei, vel etiam per effectum. Sed causa gratiæ non cadit sub cognitione nostra: similiter nec eius effectus, vt videbitur. Similiter gratia secundùm rationem gratiæ dicit comparationē ad acceptationem Dei: vnde ponit ipsam acceptationem in Deo: hoc autem modo non potest cognosci à nobis: & ideo non cognoscitur scientia speculatiua certitudinaliter: potest tamen sciri ab aliquo scientia affectiua: hæc enim est per experientiam rei in affectu: vnde hęc scientia est de re per rem, & non secundùm rationem, vel comparationem quam habeat ad aliud: res autem gratię potest sentiri in affectu: vnde res gratiæ facit se notam in affectu, sicut dulcedo in gustu.

¶ ALITER autem dicunt, quòd duplex est cognitio: quædam est cognitio per scientiam, & hęc est per medium infallibile: & est cognitio per experimentum, & hæc est per medium fallibile: vnde hæc cognitio est per signa. Et propter hoc rectè dicit Hyppocrates, experimentum fallax. Dicendum ergo, quòd scientia experimentali potest aliquis se scire esse in gratia: sed scientia, quæ est per medium infallibile, non potest aliquis hoc scire, quod sit in gratia: nisi sciat ex reuelatione. Et causa huius est: quia quædam sunt formæ in anima, quæ sunt absolutæ: sicut scientia in anima, cogitatio, odium, dilectio: & si dicant respectum aliquem; illud tamen ad quod dicunt respectum, cadit sub cognitione animæ. Est alia forma in anima, quæ est respectiua: quæ dicit respectum ad aliquid, quod non est subiectum cognitioni animæ: nec potest cognosci ab anima, & huiusmodi est gratia: quia gratia dicit respectum ad acceptationem Dei, vnde ponit acceptationem in Deo; quia gratia facit acceptum Deo. Dico ergo, quòd formas primo modo dictas habet anima apud se: & illas cognoscit per certam scientiam: nec aliquid aliud certius cognoscit quàm illas: vnde anima nihil certiùs cognoscit, quàm suam scientiam, quàm suum odium, quàm suam dilectionem: quia istas habet penes se: & si connotant respectum, hoc est ad tale, quod certitudinaliter cadit sub cognitione animę. Sed quia gratia est forma respectiua, quæ dicit comparationem ad aliquid, quod non potest sciri ab humana scientia certitudinaliter; quia dicit respectum ad Deum, & ad acceptationem in ipso: quia non potest sciri nisi per reuelationem, ideo gratia per scientiam, quæ est per medium infallibile, sciri non potest.

¶ SECVNDVM hoc ad primum contrarium dicendum & concedendum: quia dilectio, qua frater diligitur, certiùs cognoscitur, quàm frater, tamen nō est sic de gratia: quia cùm dico dilectionem, dico formam absolutam apud animam: aut si connotet respectum, hoc est ad aliquid, quod certitudinaliter cadit sub cognitione nostra, scilicet frater. Sed cùm dico gratiam in ratione gratiæ: dico formam in comparatione ad diuinam acceptationem, quæ non est subiecta scientiæ nostræ.

¶ AD aliud dicendum, quod non est simile: quia fides dicit formam absolutā in anima, qua anima assentit Deū esse Trinitatem: sed gratia dicit comparationem ad acceptationem, quæ non est subiecta scientiæ.

¶ AD tertium dicendum, quòd in demonstratione nō sufficit scire medium, sed medium in ratione medij: vnde non est demonstratiua scientia, nisi sciatur causa in ratione causæ; & effectus in ratione effectus: vnde non sequitur, scio causam; ergo scio effectum (demonstratiuè dico) nisi sciam causam, & quoniam est causa. Similiter econuersò in demonstratione quia: non sequitur demonstratiuè: scio effectum, ergo scio causam: nisi addatur, & quoniam effectus est, ergo scio causam. Licet ergo pax sit effectus gratiæ: & aliquis posset scire pacem in se: non tamen potest scire, quòd pax illa sit effectus gratiæ: quia hoc non potest sciri, quod pax illa sit ex ex gratia.

¶ AD aliud dicendum: quod lux manifestat se esse in omnibus, vel omnia in luce, quibus se manifestat: quia lux manifestat se, & existenti in luce, & in tenebris: non tamen manifestat se, ita quod ille, qui videt lucem, sit in luce; quia sic existens in tenebris, esset in luce: & propter hoc sicut non sequitur: lux manifestat se, ergo est in illo, cui se manifestat: similiter non sequitur, gratia manifestat se isti, ergo iste est in gratia: & ideo aliquis non potest se scire habere gratiam certitudinaliter: licèt gratia manifestet se ipsi. Vel potest dici, quod & si gratia manifestet se aliquo effectu: tamen cognoscens effectum illum, non cognoscit illum; vt est effectus gratiæ (scilicet) gratum facientis: ita per hoc non cognoscitur gratia in illo.

An quis per experimentum aliquod scire possit se gratiam habere? §. 2.

¶ CONSEQVENTER QVÆRITVR: Vtrùm aliquis possit scire se habere gratiam per experimentum. Et fuerunt, qui dixerunt quod sic: & quod experimenta sunt ista, iocunditas conscientiæ, bonum desiderium, feruor ad bona opera. Sed in pagano, vel in infideli possunt esse omnia ista, sicut in Christiano: quia paganus iuxta errorem suum potest habere iocunditatem iustitiæ, & bonum desiderium, &c. Sed per ista non probatur in pagano cognitio gratiæ in ipso: ergo relinquitur, quòd per ista non potest haberi certū experimentum de gratia Dei: ergo non cognoscitur per experimentum.

¶ ITEM, omne experimentum, q̄ potest habere Christianus de gratia Dei, potest habere hæreticus: q̄a assignetur illud signum, in quo Christianus habet experimentum, quod gratia sit in ipso: illud est, quod Ioannes dicit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Vnde illud potest esse experimentum sancti viri 1. Ioan. 3.

ad hoc

ad hoc quod habeat gratiam: sed illud potest habere hæreticus in se: quod non remordeat eum conscientia in ipsa, nec habet reprehensionem cordis.

Apoc. 2. ¶ Ad oppositum, Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & calculum, &c.* quod nemo nouit, nisi qui accipit. Ergo qui accipit, nouit. Sed manna absconditum ibi, & calculum non solùm accipitur de perceptione diuinæ dulcedinis per gloriam in patria: sed etiam per gratiã in via: sed qui accipit, nouit, ergo qui accipit diuinam dulcedinem per gratiam, nouit, ergo nouit se habere gratiam per illam, tanquam per experimentum certum.

¶ Item, gustus benè dispositus nõ potest nescire dulcedinem sibi coniunctam: ergo anima benè disposita non potest non sentire diuinam dulcedinem sibi coniunctam. Sed sensus diuinæ dulcedinis est per gratiam: ergo anima benè disposita non potest ignorare, quin habeat gratiam: ergo gratia cognoscitur per experimentum, sicut per sensum diuinæ dulcedinis.

2. Cor. vl. ¶ Item, 2. Corint. vltim. *An non cognoscitis vosmetipsos: quia Christus in nobis est; nisi fortè reprobi estis.* Hoc dicit Apostolus Corinthijs: ergo aliquis, nisi sit reprobus, cognoscit, quod in ipso est Christus: si hoc, rectè cognoscit, quod habet gratiam, quia Christus non est in nobis, nisi per gratiam: ergo habet experimentum, quod gratia sit in ipso.

RESOLVTIO.

Profectò quis per experimentum, siue scientia experimentali potest cognoscere se gratiam habere. Experimenta autem hæc sunt, lumen in rationali, pax in irascibili, lætitia in concupiscibili.

¶ Solvtio. Concedendum, quòd per scientiam experimentalem possumus scire nos habere gratiam. Quæ autem sint illa experimenta, quibus homo potest scire se habere gratiam, habemus in illo Psalm. 4. *Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus, &c.* vbi fit quæstio: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Id est, homines quærunt à fidelibus: vnde certi sunt, quod sint accepti Deo ex bonis, quæ faciunt. Et Propheta respondendo, colligit tria: ex quibus colligitur experimẽtum, per quod sciunt, quòd sint accepti, & quòd habent gratiam: primum est, cùm dicit: *Signatum est super nos lumẽ, &c.* secundum, *Dedisti lætitiam in corde meo:* tertium, *In pace in idipsum, dormiã & requiescam.* Hæc sunt tria, ex quibus colligitur experimentum, per quod anima sancta experimentaliter cognoscit se habere gratiam, scilicet lumẽ, lætitia, & pax. Lumen est apud vim rationalem: pax est apud irascibilem: lætitia est apud concupiscibilem. Quando enim ista tria sunt in anima sancta secundùm illas tres vires, verè certum experimentum est, quòd anima habeat gratiam. Et benè dico verè: quia per hoc differt anima sancta ab anima hæretica: quia anima sancta habet ista vera, quando habet gratiam, sed anima hæretica non. Vnde nunquam habet verum lumen in rationali, nec veram pacem in irascibili, nec veram lætitiam in concupiscibili: sicut habet anima Christiana perfecta, quæ habet lumen veritatis radiantis super vim rationalem, in quo mirabiliter delectatur ratio: anima verò pagani, & hæretici, & cuiuslibet infidelis non habet lumen, nisi sophisticum, sicut est lumen in somniando. Similiter non habet veram lætitiam in corde: quia (sicut dicit Apostolus 1. ad Timoth. 4.) omnes habent cauteriatam conscientiam. Similiter nec veram pacem habent in irascibili: quia, sicut habetur Esaiæ 61. *Impijs non est pax.* Vnde sicut in paralytico videmus, quòd in ipso est infirmitas; nec tamen est sensus doloris, licet in ipso sit materia doloris: in sano autem non est materia doloris, nec sensus doloris: in ægro autem non paralytico est materia doloris, & sensus doloris.

(Margin: Psalm. 4. — 1. Tim. 4. — Esai. 61.)

¶ Similiter anima infidelis habet materiam doloris, non tamen sentit dolorem: vnde est velut paralyticus: in anima verò fideli sana, id est sancta, & perfecta non est sensus doloris, nec materia doloris: in anima verò fideli ægra, scilicet per peccatum, est materia doloris, & sensus doloris: sicut dicit Augustinus: *Melior est natura, quæ est cum sensu doloris, quàm quæ est sine sensu doloris:* & hoc (supple) quando habet materiam doloris: & propter hoc si sit pax in infideli, vel hæretico: hoc nõ est nisi sicut quies in paralytico: quæ non est ibi verè, sed dolor ibi est, licèt non sentiat. August.

¶ Et per hoc patet solutio ad rationem primam: quia tantum differt iocunditas animæ infidelis à iocunditate animæ fidelis, quantum distat iocunditas phantasiæ, vel somniantis à iocunditate vigilantis: vnde in ipsis non est vera iocunditas, quæ est experimentum ad hoc, quod aliquis sciat se habere gratiam.

¶ Ad aliud dicendum, quòd non sensus doloris potest esse dupliciter: aut quia non est materia doloris neq; sensus, sicut in sano: aut quia est materia doloris, sed non sensus: sicut in paralytico, qui est insensibilis, vnde in ipso priuatur sensibilitas. Similiter non reprehensio cordis potest esse dupliciter: aut quia non est ibi materia reprehensionis, nec sensus reprehensionis: & hoc modo est non reprehendere in anima sancta, quia non habet materiam reprehensionis, scilicet peccatum, nec sensum similiter. Aut potest esse non reprehensio cordis; quia priuatur sensus reprehensionis & doloris de peccato: est tamen ibi materia reprehensionis, scilicet peccatum: & hoc est in anima infideli.

¶ Ad intelligendas autem rationes in oppositum, dicendum: quod est cognoscere gratiam, vel secundùm rationem gratiæ, hoc est in comparatione ad suam causam: quia gratia secundùm hoc ponit *acceptionem in Deo, quæ est causa sua: aut absolutè secundùm rem gratię. Sicut ergo videmus, quòd gustus habet cognitionem absolutã de dulcedine; & cognoscit rem, sed non causam dulcedinis: ita dicendum similiter de gratia. *al. acceptationẽ.

An per relationem possit quis scire, se esse in gratia? §. 2.

¶ Qværitvr postmodum: Vtrùm per reuelationem possit aliquis scire se esse in gratia in ratione gratiæ: id est, vtrùm alicui possit reuelari, quod habeat gratiam in ratione gratiæ? Et videtur quod sic: quia habetur Genes. 22. vbi dicitur Abrahæ, quando voluit immolare filium suum Domino: *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum.* Gloss. *Cognoui, id est, cognoscere te feci.* Ergo sancto Abrahæ fecit Dominus cognoscere, quod timeret Deum. Sed ille timor ponit gratiam: ergo fecit ei cognoscere gratiam in se. Gen. 22. Glossa.

¶ Item, Philip. 4. *Petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Dicit Glos. *Non accipiendum est, tanquam Deo innotescant, quia eas antequam essent, nouerat: sed nobis innotescant esse apud Deum.* Ergo possibile est, vt sciamus quòd petitio nostra est accepta Deo. Philip. 4. Glossa.

¶ Item, 1. Ioan. 4. *In hoc scimus, quòd in Deo manemus, & ipse in nobis: quod de Spiritu sancto dedit nobis.* Sed hoc scimus per reuelationem: cùm ergo in Deo manemus per gratiã, scimus per reuelationem nos habere gratiam. 1. Ioan. 4.

¶ Item, in eadem epistola, cap. 2. dicitur: *Vnctio docebit vos de omnibus.*

¶ Ad oppositum, 2. Cor. 2. *Nemo nouit, quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei.* Ergo nemo potest scire illud, quod est in diuina voluntate. Sed gratia in ratione gratiæ ponit acceptationem & placitum in diuina voluntate: ergo nemo potest aliquo modo scire gratiam in se: ergo nec per reuelationem, nec alio modo.

¶ Item, nulli potest reuelari sua dãnatio: & hoc probatum est alibi: & ratio huius est, ne desperet: ergo similiter nulli potest reuelari sua acceptatio Deo, ne præsumat: quia sicut ex reuelatione suæ damnationis sequeretur desperatio, ita ex reuelatione suæ acceptationis sequeretur in eo præsumptio, quod est peccatum in Spiritum sanctum. Sed gratia in ratione gratiæ ponit acceptationem in Deo: ergo nulli potest reuelari, quod sit in statu gratiæ secundùm rationem gratiæ.

(*.*)

RESOLVTIO.

Potest, sed non penitus, ne superbiat: nisi ex dono speciali, sicut in Paulo.

¶ SOLVTIO. Ad istam quæstionem dicendum, sicut dicit Ioan. Damasc. *Deus non reliquit nos penitus in ignorantia sui: nec etiam nobis penitus manifestauit semetipsum.* In ignorantia sui non reliquit nos penitus: quia cuilibet est impressa notio essendi Deum: non tamen ipsum penitus cognoscimus. Similiter dicendum in nobis habentibus gratiam, quod non penitus reliquit nos in ignorantia gratiæ, nec penitus dat nobis cognitionem gratiæ: non dat nobis penitus cognitionem illius, quia nõ dat nobis cognitionem gratiæ speculatiuam, vt cognoscamus eam in ratione gratiæ. Nec dimisit nos penitus in ipsius ignorantia: quia dedit nobis, vt cognosceremus ipsam secundùm affectiuam cognitionem in experientia & sensu diuinæ dulcedinis, quæ est ex gratia. Et ratio huius est duplex: ratio amoris, & ratio timoris: si enim anima nihil sentiret de dulcedine Dei per gratiam, non alliceretur ad amorem Dei ex parte affectionis: & propter hoc habet cognitionem affectiuam, quæ est in experientia & sensu diuinæ dulcedinis, per quam cognoscit in se gratiam secundùm rem gratiæ: si autem haberet cognitionem speculatiuam de gratia scilicet, quod ipsam cognosceret in ratione gratiæ, haberet fortè præsumptionem: & sic non haberet Dei timorem. Vt ergo homo ad diuinum amorem prouocetur, & ad Dei timorem ordinetur habet cognitionem de gratia in se affectiuam: non autem speculatiuam. Dicendum est tamen, quòd gratia potest reuelari alicui, quod sit in illo secundùm rationem gratiæ, sicut fuit in Paulo, qui ait: *Scio, quòd neque mors, neque vita, &c.* poterit nos separare à charitate Christi.

Damasc. in lib. 1.

Rom. 8.

¶ AD illud, quod primò obijcitur in contrarium: dicendum sicut respõdet Apostolus, qui dicit: *Nos autem spiritum Dei habemus.* Dico enim quòd nullus de se potest venire ad hoc, vt sciat se esse acceptum Deo: sed spiritus sanctus, qui est in illo: sicut fuit in Paulo, & in Abraham, potest ei manifestare.

¶ AD aliud dicendum, & concedendum: quod adhuc supposito, quod nulli potest reuelari sua damnatio: tamen sanctæ animæ, & perfectæ potest reuelari sua acceptatio. Sicut videmus, quòd illud, quod perfectè sanum est, non ordinatur ad aliquam ægritudinem: corpus verò malè dispositum ordinatur ad ægritudinem: ita dico, perfecta & sana anima non ordinatur ad aliquam ægritudinem, id est ad peccandum: & propter hoc licet ei reueletur sua acceptatio, non ordinatur ex hoc ad præsumptionem, sed hoc sequeretur in anima imperfecta, seu malè disposita. Vnde reuelare alicui suam acceptationem; hoc non ordinat rectè ad præsumptionem; sed ex vitio fomitis adiuncti ipsi animæ: & propter hoc potest ei reuelari. Sed reuelatio damnationis ex se ordinat ad desperationem: & ideo licet nulli possit reuelari sua damnatio, potest tamen aliquibus reuelari sua acceptatio.

QVÆSTIO LXII.

De Gratia in Comparatione.

In quatuor Membra diuisa.

INQVISITO de gratia absolutè, inquirendum est de gratia in comparatione. Sciendum igitur, quod est gratia perficiens, & gratia reficiens: gratia sanitatis & gratia curationis.

¶ ITEM, gratia perficiens; & sanitatis spiritualis creat virtutes, dona, fructus, & beatitudines: gratia verò reficiens seu curationis ægritudinis spiritualiter, dat vim sacramentis Euangelicis, quæ sunt medicinæ & remedia animarum. De sacramentis verò in Parte Quarta agendũ est: reliqua verò sunt præsentis negotij.

¶ VT ergo planior sit via: post inquisitionem gratiæ ad virtutes, quærendum est de comparatione gratiæ, virtutum, donorum, fructuum, & beatitudinum viæ. Primò, de comparatione istorum ad gratiam. Secundò, de comparatione istorum ad inuicem. Tertiò, quæ necessitas omnium istorum. Quartò, de ordine virtutum, & donorum.

MEMBRVM I.

An virtutes & dona idem sint quod gratia?

CIRCA primum (quamuis ad hoc sit disputatum superius) arguitur ad maiorem intelligentiam sequentium. Quòd virtus sit gratia, videtur: quia 2. Sententiarum dist. 26. dicitur: quòd gratia præueniens est fides cum dilectione: constat autem, quòd tam fides, quàm dilectio virtutes sunt.

¶ ITEM, gratia est primum, cui debetur meritum: hoc potest extrahi ab Apostolo ad Roman. ex textu, & ex glos. in pluribus locis: similiter etiam virtuti debetur meritum primum. Si ergo, primum, superlatiuum est: & quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit: ergo virtus, & gratia sunt vnum solum.

¶ SIMILITER autem quod dona sint idem, quod gratia, videtur: dicitur ei 1. ad Corinth. 12. *Diuisiones gratiarum sunt.* Sicut ergo dicitur, quòd est gratia ad credendum, & est gratia ad sperandum, & ad timendum, & ad compatiendum, & huiusmodi: ita sunt dona ad timendum, & compatiendum, & consimilia, vt potè donum timoris, & pietatis. Si ergo eadem sunt, ex quibus idem actus eliciuntur: videtur quòd non differant dona & gratia. 1. Cor. 12.

¶ CONTRA est, quoniam dicitur homo gratus Deo à gratia vna: vnde homo totaliter gratus non dicitur habere gratiam nisi vnam. Sed vna virtus vel vnum donum nõ facit hominem totaliter gratum: ponatur enim quòd possit haberi sine charitate fides, siue vnã politica sine alia, vel donum timoris sine dono pietatis: non diceretur homo simpliciter Deo gratus. Est ergo gratia vna: virtutes & dona multiplicantur sub vna gratia: quare erit gratia sicut integratum quoddam, & collectum respectu multarum virtutum, & donorum: sed quæ sic se habent non sunt idem: ergo, &c.

¶ ITEM, gratia est habitus, qui semper est in suo actu: virtus verò non semper: ergo non sunt idem.

¶ ITEM, anima non est essentialiter suæ potentiæ (inter ea enim, quæ sunt, solus Deus sua potẽtia est) ergo differunt potentiæ & essentia ipsius animæ. Sed gratia est respectu essentiæ, dona & virtutes respectu potentiæ: ergo non sunt idem.

¶ ITEM, gratia propriè est principium viuendi, Gal. 5. *Si spiritu ducimini, &c.* virtutes verò merendi: ergo non sunt idem. Galat. 5.

RESOLVTIO.

Virtutes, dona, & huiusmodi cætera in comparatione ad efficiens: idem profectò sunt quod gratia: minimè autem in comparatione ad recipientem.

¶ SOLVT. Dicimus, quòd aliqñ appellatur virtus gratia, & ecõuersò, secundùm cõmunem acceptionẽ gratiæ. Sed notandum, quòd gratia dicitur dupliciter: vno modo quod gratis datum: & sic etiam gratia primò gratum faciens dicitur gratis data: quia nullus eam meretur: & hæc acceptio gratiæ per comparationem est ad efficientem: per comparationem enim ad datorem omnis gratia est gratis data. Alio modo dicitur gratia, quæ gratum reddit habentem: & hæc est receptio gratiæ ex relatione ad ipsum recipientem gratiam. Si gratia, ergo & virtus, & quæcunque sunt talia, accipiantur in comparatione ad ipsum efficientem: sic omnia possunt dici gratia: quia omnia gratis dantur. Si autem in relatione ad accipientem, vt dicatur gratia, quæ gratum facit: sic non sunt eadem.

¶ NOTAN-

¶ NOTANDVM tamen, quòd secundùm propriam acceptionem aliter conuenit *gratum reddere* gratiæ, & virtuti: sicut patet ex obiectionibus vltimò factis. Est enim gratia respectu ipsius essentiæ animę: & deinde secundùm ordinem naturæ, & si non gratificat ipsam propriè in suo actu: vltimò verò reddit gratum semper dirigendo in finem.

¶ QVOD ergo obijcitur, quod dicit Magister, quod est gratia præueniens, &c. dicimus, quòd non valet hoc argumentum: fides est virtus, & fides est gratia; ergo virtus est gratia: quia cùm dicitur, fides est virtus, hoc prædicatur essentialiter: cùm autem dicitur, fides est gratia, hoc prædicatur causaliter: & est simile, dies est sol lucẽs super terram, sed sol est corpus, ergo dies est corpus. Vel aliter, potest enim dici, quod vtraque prædicatio essentialis est secundùm communem acceptionem: sed cùm dicitur fides est gratia, hoc dicitur secundùm relationem ad efficientem: cùm dicitur: fides est virtus, hoc dicitur per comparationem ad illud, in quo, & ad illud in quod: dicitur enim dispositio virtus perfecti ad optimum, vnde hic tanguntur illa duo.

¶ AD aliud, quod dicitur: quòd gratiæ, & virtuti conuenit hoc quod dico, primum principium, secundùm quòd debetur meritum, patet: & si enim hoc de vtroque dicatur, non tamen eadem ratione, & ideo non oportet, quod ipsa sint idem.

¶ AD aliud, quod obijcitur: quòd diuisiones gratiarũ sunt, &c. Dicimus, quòd illud ibi totum est de gratia gratis data, non gratum faciente. Si tamen diceretur vlteriùs, quòd idem habitus sunt, qui ad eosdem actus sunt. Dicimus, quòd gratia non est ad actus ipsius virtutis & doni, propriè loquendo: aut si est aliquo modo, non tamen eodem sicut ipsa virtus, vel donum: gratia enim plus dicit gratificationem in se: virtus verò magis in relatione ad finem.

MEMBRVM II.

An virtutes, dona, fructus, & beatitudines idem sint, dici re possint?

CONSEQVENTER quæritur de comparatione istorum ad inuicem.

¶ AD quod sic: Videtur quòd dona sint virtutes: est enim donum bona qualitas mentis, &c. & hæc est diffinitio virtutis, ergo, &c.

¶ SI dicatur, quòd non conuenit ei illa diffinitio quãtum ad hanc partem: vt donum sit quo rectè viuitur. Contra, ostenditur quod dono rectè viuitur: constat enim quòd non viuebatur rectè virtute, nisi inquantum erat gratuita, erat enim gratia primum viuificatiuum. Sed sicut virtus est gratuita, sic & donum: ergo sicut virtute, in eo quod gratuita viuitur: sic & dono. Quod autem rectè: probatur sic; timere est actus, qui egreditur à vi irascibili, sicut & aggredi: sed quia egredi poterat à sua potentia benè, & non benè: ideo habitus fortitudinis, qui erat directiuus potentiæ ad hoc, vt benè procederet in actum, qui est aggredi: dicebatur esse rectitudo quædam. Quare si timere potuit egredi ab eadem vi benè & non benè: habitus, secundùm quem dirigetur vis, vt procedat benè in actum illum; diceretur rectitudo quædam: hic autem habitus est donum timoris: quare tam ex parte vitæ, quàm ex parte rectitudinis æquè est donum, quo rectè viuitur: sicut & virtus.

¶ ITEM, Psalm. 28. *Vox Domini super aquas, &c.* Glos. *Septem virtutes Spiritussancti cum magno præconio numerat: & postea nominat ibi septem dona.* Ex quo apparet, quod vult dicere, quod dona sunt virtutes. (Psal. 28. Glossa.)

¶ ITEM Ambrosius, & habetur in 3. Sententiarum, distinct. 34. cap. 1. *Ciuitas Dei Hierusalem illa cælestis, non meatu alicuius fluuij terrestris abluitur: sed ex vitæ fonte procedens spiritus sanctus, cuius nos breui satiamur haustu: in illis cælestibus spiritibus redundantius videtur effluere, pleno septem virtutum spiritualium fluens meatu.* & loquitur ibi de donis. Ex quo videtur, quod dona & virtutes sunt idem. (Ambr. in lib. de Spiritu sancto.)

¶ CONTRA est: quoniam ipsarum virtutum & donorum non sunt eædem differentiæ, quare nec ipsa eadem.

¶ ITEM, Augustinus: *In fine orationis Dominicæ, in precibus est, vt impetremus dona: in donis, vt operemur mandata: de operatione beatitudines consequuntur.* Ergo si hæc ita se habent secundùm ordinem, dona, & operatio mandatorum; quæ fiunt secundùm virtutes: quæ autem ordinem habent, secundùm quod huiusmodi eadem non sunt: ergo hæ non sunt idem. (August. in sermo. ne Domini in monte. Matth. 6. in Glos.)

¶ RESPONDENT quidam: quod secundùm illam parabolam, quæ legitur Luc. 10. Homini venienti à Hierusalẽ in Hiericho, duo facta sunt: fuit enim spoliatus, & vulneratus. Secundùm ergo comparationem istorum duorum defectuum volunt dicere, quòd differunt dona & virtutes: dicentes quod in restitutionem spoliorum sunt virtutes, in reparationem vulnerum sunt ipsa dona. (Luc. 10.)

¶ SED quòd hoc nihil sit, arguitur ex hoc: quod sicut virtutes indumenta possunt dici: ita & dona. Vnde cùm dicitur: *Beatus, qui custodit vestimenta sua, &c.* non solùm intelligitur de virtutibus, sed etiam de donis. Similiter Eccles. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, &c.* Præterea, quod dicitur, vulneratus & spoliatus: sic exponitur, vt dicatur vulneratus in naturalibus, & spoliatus in gratuitis. Si ergo dona similiter sint gratuita, sicut virtutes: non different sic ad inuicem: nec distinguentur, vt alterum sit ad reparationem vulnerum: alterum ad restaurationem spoliorum: immò vtrumque ad vtrumque, vel neutrum ad neutrum. Oportet ergo quærere aliam viam distinguendi. (Apoc. 16. Eccles. 9.)

¶ PROPTER hoc fuerunt quidam, qui voluerunt dicere aliter. Dicebant enim, quòd post peccatum hominis non potuit ampliùs quælibet potentia seu vis procedere ad suum actum: immò inflicta erant ipsi homini quædam impedimenta, à quibus impeditæ vires non poterant ad actus suos procedere. Et occasionem sui dicti accipiunt ex eo, quod dicitur Iob 1. super illud: *Ventus vehemens irruit, &c.* Gregor. ibi: *Contra singula tentamenta mentem septem virtutibus instruxit.* Et loquitur ibi de donis, vnde subdit: Contra stultitiam sapientia, contra hebetudinem intellectus, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudo, contra ignorantiam scientia, contra duritiam pietas, contra superbiam timor. Ex hoc volunt dicere, quòd ad remotionem ipsorum impedimentorum inflictorum propriè sunt dona: quæ si remotis impedimentis dirigunt ipsas vires in actus proprios eliciendos, virtutes sunt. Vnde volunt dicere, quòd ipsa dona erant quasi remedia solùm contra illas difficultates: ipsæ verò virtutes erant directiuæ virium. (Iob 1. Gregor.)

¶ SED quòd illud non sit verum, potest ostendi sicut prius. Constat enim, quod quando homo peccauit, tam virtutibus, quàm donis indiguit: & indispositus & inhabilis fuit ad vtrumque. Propterea sicut ex ipsis virtutibus eliciuntur actus, sic ex ipsis donis. Quod patet: per donum enim timoris elicitur actus, qui est timere: per donum pietatis actus, qui est misereri vel compati. Ergo non est dicere, quòd sint solum remedia contra impedimenta: imò etiam erunt directiua in actus. Nec etiam erit causa, quare magis debeant dici ipsa dona remedia, quàm virtutes. Sunt præter hæc alia, quæ dicentur infra in speciali Tractatu de Donis.

¶ CONSEQVENTER quæritur de cõparatione virtutum ad fructus. Et quòd virtutes fructus sint, videtur: quoniam Gal. 5. *Fructus spiritus, &c.* ibi Glos. *Nominat hic fructus: quæ propter se petenda sunt.* Si ergo quod propter se petẽdum est, est fructus: & virtus est propter se petenda, ergo, &c. Minor patet secundùm illud Philosophi: *Tribus existẽtibus in fugis, & tribus in* voluntatibus seu appetibilibus, bono, conferente, & delectabili: virtus sub bono reponitur: bonum autem ibi dicitur, quod propter se appetendum est:* bonum enim ibi tenet rationem honesti contra alia duo diuisum: honestum autem dicitur, quod vi sua ad se nos trahit, & dignitate sua nos allicit. Est itaque virtus propter se petenda: & ita fructus. (Galat. 5. Glossa. Philosop. in Ethic. * al. voluptatibus.)

¶ Si dicatur, quod non propter se solùm appetitur virtus, sed propter beatitudinem. Hoc nihil est: quia tunc eadem ratione fructus non diceretur propter se petendus: cùm illud propter se non excludat ordinem, qui est ad beatitudinem.

Galat. 5. PRÆTEREA, nunquid inter fructus ad Gal. 5. numeratur ipsa charitas; quæ maxima virtus est: & etiam fides? ergò idem est fructus, & virtus.

¶ CONSEQVENTER obiicitur de comparatione donorum ad alia. Si enim est donum datio irreddibilis: sicut dicit Philosophus: virtutes autē & fructus sunt dona irredibilia: erunt idem.

¶ PRÆTEREA, nunquid ordinatur vis per ipsos fructus, & redditur apta ad opera? Quod si verum est, cum hoc ipsum faciant virtutes & dona: ergò erunt fructus. Si autem fructus id non faciunt: restat quæstio, ad quid necessarij sunt?

Luc. 5. Glossa. ¶ SIMILITER obiicitur ex parte beatitudinum. Videtur, quod non differant à virtutibus: quia Luc. 5. super illud. *Beati pauperes*, &c. Glossa. *Quod apud Matth. per octo beatitudines dicitur: hoc apud Lucam per quatuor virtutes Cardinales comprehenditur.* Quare secundùm hoc videntur esse idem in re beatitudines, & virtutes.

Matth. 5. ¶ ITEM, Matth. 5. *Beati, qui esuriunt*, &c. Constat quod iustitia virtus est. Similiter ibi dicitur. *Beati misericordes*: & misericordia virtus est: in nullo ergo videntur differre beatitudines, fructus, dona, & virtutes.

¶ QVOD si concedatur: in contrarium est: quoniam istorum omnium species & differentiæ diuersæ sunt: quare & ipsa diuersa.

RESOLVTIO.

Virtutes, dona, fructus, atque beatitudines, si communiter sumantur, idem dici possunt: si autem propriè accipiantur, nequaquam.

¶ AD hæc omnia intelligendum est: quod hæc quatuor virtutes, dona, fructus, & beatitudines possunt dici dupliciter: communiter & propriè. Si communiter accipiantur omnia, non est inconueniens, quod omnia omnibus conueniant. Secundùm enim quod virtus dicitur bona qualitas mentis, qua &c. vel dispositio perfecti ad optimum; sic etiam dona possunt dici virtutes. Similiter si donum dicatur ratio irredibilis: non est dubium, quin omnia possint dici dona. Similiter si fructus dicatur omne illud, quod propter se est appetendum; non est dubium, quin omnia sint fructus, sicut obiiciebatur. Vnde si accipiatur fructus ab eo, quod est frui: secundùm quod diffinitur frui in principio Sententiarum. & in lib. 10. de Trinitat. *Frui est cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit*: vel istud, quod dicitur frui, esse vti cum gaudio: sic omnia possunt dici fructus. Eodem modo est de beatitudine: si enim dicatur beatitudo viæ communiter omne illud, cui succedit beatitudo patriæ: sic omnes sunt & possunt dici beatitudines. Vnde in Psalm. 127. *Beati omnes, qui timent Dominum*, &c. ecce quod donum dicitur hic facere beatum, communiter dicendo. Secundùm hoc ergò procedunt rationes, quæ supra positæ sunt.

Magis. in 1. sent. & August. in 10. li. de Trinitat.

Psal. 127.

¶ ALITER autem accipiuntur hæc omnia in rationibus proprijs, vel appropriatis: & tunc nullum istorum erit alterum: & sic differunt: & sortitur quodlibet illorum nomen proprium ex congruitate suæ rationis. Quidam dixerunt, quod vires rationales ordinatæ erant ad mouere & moueri: mouere autem concernit agere, moueri concernit pati. Vires ergò rationales motiuæ ordinatæ sunt ad agendum: nihilominus tamen ordinatæ sunt ad patiendum: propter hoc quod cùm haberi possent actus, vel passiones ex ipsis viribus, & elici possent benè & non benè: indigebant dispositionibus directiuis in vtraque via. Quæ ergò dirigunt vires ad agendum, virtutes sunt: & rectè cōpetit hoc nomen huic dispositioni, seu habitui: dicitur enim vnaquaque res esse magnæ virtutis per relationem ad magnam actionem. Quæ verò disponunt illas vires ad rectè patiendum, dona dicuntur: & congruit habitui rectè nomen doni: ita enim dicitur communiter de aliquo, qui aliquid potest excellenter pati: quod hoc est magnum donum: vnde quasi illud, quod dicebat virtus in agendo, dicit donum in patiendo. Huiusmodi autem actionibus, seu passionibus benè egressis ab ipsis viribus & rectè, sequitur delectatio ex ipsis. Et hoc est duobus modis: quia aut est delectatio in ipso actu, aut in ipso pati: & hoc propriè dicitur fructus: hoc enim sonat ratio ipsius fructus, sc. delectationem in ipso actu virtutis, vel doni. Vnde charitas dicitur delectatio, prout est fructus: quæ quidem delectatio est in actu charitatis, vel virtus est: prout ille actus est respectu Dei: gaudium autem respectu sui: pax verò respectu proximi. Similiter posset dici de quolibet aliorum fructuum: si ad hoc esset nobis intendendum. Est autem alia delectatio in fine actus, & hęc est perfecta delectatio post fecisse, vel factum esse secundùm perfectionem, quę est possibilis in via. Et hæc propriè dicitur beatitudo, prout est in via: dicitur enim beatitudo status perfectus congregatione omnium bonorum. Vnde rectè cōuenit nomen illud: vt beatitudo sit in fine actus dilectatio: quemadmodum fructus erat delectatio in ipso actu: & ideò ad Gal. 5. rectè dicit gloss. quod fructus sunt opera propter se petenda: frui enim est ipsis, in quibus voluntas propter se delectata conquiescit. Quamuis autem istud veritatem habeat: sicut infra (Domino dante) ostendetur: distinguuntur tamen ista, secundùm quod est distinguere actus virium completos ab incompletis, & completa à completissimis. Appropriato ergò nomine virtutis, virtues respiciunt primos actus, dona sequentes, fructus completiores, beatitudines completissimos. Glossa. ad Galat.

MEMBRVM III.

An isthæc quatuor omnia necessariò ponenda sint, vel alterum eorum superfluit, sc. virtutes, dona, fructus, & beatitudines?

CONSEQVENTER quæritur: propter quid hæc omnia necessaria sunt. Et arguitur sic: virtus est vltimum potentiæ; ergò per virtutes sunt ipsæ vires in suo vltimo: ergò si vltra vltimum nihil aliud est; nihil videntur esse necessaria dona, & alia, quæ sequuntur.

¶ ITEM, virtus est dispositio perfecti ad optimum. Habens ergò virtutem perfectum est (diffinitur enim virtus, quæ subiectum perficit, & actum eius bonum reddit) quare si perfecto non est possibilis additio: videtur quod in qualibet vi debeat sufficere vnus habitus vnius solùm virtutis.

¶ PRÆTEREA, non est habitus elicitiuus vnius actus tantum: imò quasi infinitorum. Si ergò virtus est habitus potentiæ vel vis: secundùm virtutem poterit potentia elicere omnes actus suos. Ex quo neque dona, neque ea quæ sequuntur, videntur necessaria esse.

RESOLVTIO.

Si in proprijs rationibus attendentur, rectè adinuicem differre comprehendentur.

¶ SED hæc omnia faciliter possunt solui, intellectis, quæ dicta sunt.

¶ QVOD enim dicitur, quod vltra perfectum nihil est: intelligendum est in illo genere in quo illud vltimum est.

¶ SIMILITER, quod & perfecto non est possibilis additio: intelligitur in illa via, qua perfectum est solùm.

¶ SIMILITER, quod dicitur; quod habitus potest regulare potentiam ad eliciendum, non tantum vnum actum, sed omnem: hoc intelligitur de omni actu sui generis, & non de omni, quod potest elicere potentia: aliter hoc esset falsum: quia secundùm diuersos habitus potest eadem potentia diuersos actus elicere, in quos vtrosque non sufficeret alter illorum habituum. Dicimus ergò, quod in eadem potentia diuersa sunt vltima: & vt meliùs videatur, potest sumi exemplum in ipsa rationali: & sicut dicetur in hac, potest intelligi in alijs. Dicimus ergò, quod & si in genere fidei est vltimum assentire primæ veritati propter se: tamē quia assentire dicit motum formatum propriè ex affectu:

requirebatur vlterius vltimum ex parte cognitionis: videlicet, vt videret, & gustaret: & hoc fuit per dona intellectus & sapientiæ. Vlterius dico: quod si in videndo & gustando sit delectatio: tamen ipsum videre & gustare non est ipsum delectari: & ideò necessaria erat delectatio vltra ipsa dona. Sed hoc potuit esse dupliciter, vt prędictum est: vel in ipso actu, & sic est fructus: vel in fine actus, & sic est beatitudo: quę est vltima & consumatio inter habitus, qui sunt in via: & ideò necesse est hęc quatuor esse. Et sicut positum est exemplum in hac, potest intelligi in alijs. Non ergò sequitur ex prædictis argumentis, quod alia à virtutibus superfluant: sed hoc verum esset, si nō essent ad alios actus, vel alios modos eliciendos, quàm sunt actus virtutum.

MEMBRVM IV.

An simul sint dona & virtutes, vel alterum altero prius?

POSTMODVM quæritur de ordine virtutum, & donorum adinuicem. Ex prædictis autem iam videri potest, quod ipsæ virtutes priores sunt. Et ad hoc facit illa auctoritas. Esa. 7. secundùm aliam translationem. *Nisi credideritis: non intelligetis.* Credere enim actus fidei est, quæ est virtus: intelligere est actus intellectus, qui est donum. Ex quo patet, quod ibi pręordinantur ex ratione creandi virtutes ipsis donis: destructo enim priori, destruitur & posterius: & non econuerso: illa verò auctoritas dicit, quod destructa fide, non remanebit intellectus.

Esa 7.

¶ ITEM, Iob 1. *Ventus vehemens,* &c. Gloss. *Spiritus ante omnia mentem quatuor virtutibus ornat.* Quare virtutes sunt priores inter omnes ornatus animæ.

Iob 1. Glossa.

¶ QVOD si concedatur: contra est illa gloss. supradicta. dicit August. *In precibus est, vt impetremus dona: in donis vt operemur mandata: de operatione beatitudinem sequentur.* Si ergò adimpletio mandatorum est per opera virtutum: & hic dicitur, quod in donis est, vt operemur mandata: ergò in donis est, vt faciamus opera virtutum, vel vt habeamus ipsas virtutes: & ita erunt dona priora virtutibus. Prius enim est secundùm quod huiusmodi in quo est, vt alterum habeatur: quam quod est habitum per illud.

Gloss. sup. Matt. 6. in serm. de mōte.

¶ ITEM, Thren. 2. *Præcipitauit omnia mœnia eius.* Gloss. *In his rectus ordo seruatur: quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum, deinde fidei, spei, charitatis fundamentum euertuntur.* Ex quo videtur, quod priùs auferuntur dona, quàm auferantur virtutes.

Thren. 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Secundùm substantiam simul sunt virtutes & dona: secundùm autem vsum illas his praire nihil prohibet.

¶ RESPONSIO. Dicimus, quod secundùm substantiam simul dantur dona & virtutes, secundùm vsum tamen nihil prohibet virtutes esse priores donis: & sic procedunt obiectiones ad partem illam.

¶ AD illud, quod obiicitur de gloss. Matth. 6. dico quod operatio mandatorum non est ibi appellata pro opere ipsarum virtutum, immò hoc est dicere, *in donis est, vt operemur mandata,* quæ eliciuntur ab ipsis donis. Et quod hoc nō sit intelligendum de mandatis comparatis ad virtutes, patet: quia in illa gloss. præcedit, *in precibus est, vt impetremus dona,* sed preces no possunt impetrare, nisi sint in charitate: sed qui habet vnam, omnes habet virtutes: oportet ergò, quod virtutes præcedant in eo, qui precibus impetrat dona. Non tamen est intelligendum, quod virtutes procedant dona secundùm substantiam: sed solùm secundùm vsum donorum. Vnde sic intelligitur illa gloss. *In precibus est.* &c. hoc est, postquam homini datæ sunt virtutes, præcibus suis potest impetrare vsum donorū; in donis autem est, vt operemur mandata: non mandata, quorum executio spectabat ad virtutes: sed ad dona.

¶ AD aliam Gloss. Thren. 2. dicimus: quod ipsa nihil facit ad propositum: non enim sequitur: si prius auferuntur dona: ergò priora fuerunt: immò magis ergò posteriora: quod enim constructione posterius fuit: in destructione est primum. Præterea, adhuc alia ratione illa gloss. non est ad propositum: quia loquitur de donis gratis datis tantum. Quod patet per hoc, quod dicit: quod data sunt ad manifestationem spiritus: & ponit exempla: sicut dona, prophetiæ, genera linguarum, interpretationes sermonum, & operationes miraculorum: de quibus omnibus. 1. ad Cor. 12. & hæc dona benè possunt esse sine virtutibus, & ante virtutes: sed de ijs non erat quæstio: immò gratuitis donis à gratia gratum faciente dictis.

QVÆSTIO LXIII.

De Gratia Gratis data.

In tria Membra diuisa.

CVM dictum sit superiùs, quod gratia dicitur communiter, gratia gratis data: & propriè, gratia gratum faciens: inquisitio quæ præcessit, versata est circa gratiam gratum facientem: nunc verò inquirendum est de gratia gratis data, quæ non facit gratum, in hunc modum. Primò, an sit ponere gratiam gratis datam non facientem gratum. Secundò, quid sit gratia gratis data in hac ratione. Tertiò, quæ differentiæ gratiæ gratis datæ: & earum sufficientia.

MEMBRVM. I.

An ponere sit gratiam gratis datam, gratum minimè facientem.

AD primum sic. Gratia dicitur donum Spiritus sancti, quocunque modo accipiatur: sicut dicitur. 1. ad Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus.* Sed positis donis Spiritus sancti, ponitur Spiritus sanctus: sicut habetur ad Rom. 1. super illud. *Gratia vobis & pax à Deo.* Haymo. Spiritus sancti nomen non posuit, quoniam in donis suis eum comprehendit, id est, gratia, & pace: quia enim per eum honorantur electi, ideò in donis suis intelligitur. Ex hoc igitur arguitur: ergò cum dona Spiritus sancti habeantur, Spiritus sanctus habetur. Sed quandocunque Spiritus sanctus habetur ab homine, est Deo gratus: ergò quando donum eius habetur ab homine, est homo Deo gratus. Relinquitur igitur, quod cum donum quodcunque Spiritus sancti homini datur, gratus Deo efficitur: ergò omnis gratia est gratum faciens.

1. Cor. 12.

Rom 1.

¶ CONTRA. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar: charitatem autem non habeam,* &c. Gloss. August. *Sunt alia à charitate per Spiritum munera: sed sine charitate nihil prosunt.* Et introducit illud Euangelij. Matth. 13. *Qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.* Habet quidem gratiam nomen Christianum, sed non habet gratiam vtendi eo nominis: & ideò quod habet auferetur. Ex quo relinquitur quod sunt gratiæ gratis datæ, quę ibi enumerat Apostolus vt donum linguarum, & prophetiam, & huiusmodi.

1. Cor. 13. Glossa.

Matth. 13.

¶ ITEM in eodem super. *Si habuero fidem, ita vt montes transferā: nihil sum,* &c. Gloss. *id est, sine charitate nihil prodest.* Habent illa vtique mali: quæ & confitebuntur in iudicio. Matth. 7. quibus non dicetur: *non habuistis fidem,* sed, *non noui vos:* quia fidem sine charitate habuerūt. Fides igitur sine charitate est gratia gratis data, non gratum faciens.

Matth. 7.

¶ ITEM, ad Rom. 1. *Reuelatur iustitia Dei ex fide in fidem,* &c. ibi dicit gloss. quod fides informis est qualitas mentis, quæ sociam non habet charitatem.

Rom. 1.

RESOLVTIO.

Si fuerint à Spiritu tantùm, vtique: si à Spiritu & cum Spiritu simul, minimè.

¶ RESPON. secundùm quosdam: quod cum Spiritus sancti dicatur Spiritus veritatis. Ioan. 14. & Spiritus adoptionis, & Rom. 8. secundùm quod Spiritus adoptionis, facit nos filios & acceptos Deo per donum charitatis & gratiæ gratum facientis: secundùm verò quod Spiritus veritatis, facit nos participes suæ cognitionis, vel demonstratio-

strationis, quod potest esse gratiæ gratis datæ, & non gratum facientis: sicut patet in prophetia Caiphæ, & in fide informi: & secundùm hoc ponunt gratiam gratis datam.

¶ Et ad primum dicendum, quod Spiritus sanctus datur duobus modis per distinctionem: vt Spiritus adoptionis, & vt Spiritus veritatis, & primò modo efficitur Deo gratus ille, cui datur secundò modo non necessariò.

¶ Contra. Auguſt. *Dominus, scilicet, cùm datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum & proximum.* Si ergò homo nō accendatur per charitatem, non est ei datus Spiritus: ergò nulla est prædicta distinctio. (Auguſt. 15. de Tri.)

¶ Item, Auguſt. *Spiritus sanctus non propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem: quam qui non habuerit, si loquatur omnibus linguis: & habeat prophetiam, & omnem scientiam, & fidem; nihil prodest:* vt dicitur 1. ad Cor. 13. (Idem in eodem.)

¶ Item, Auguſt. ad Dardanum dicit: quod inhabitator quorundam est Deus nondum cognoscentium Deum, vt paruulorum: quorundam verò inhabitator est cognoscētium & diligentium: quorundam autem inhabitator non est, qui scilicet, sunt cognoscentes, & non diligentes: de quibus ad Rom. 1. *Qui cum Deum cognouissent, non sicut Dominum glorificauerunt*, &c. Ex quo relinquitur, quod non ex quocunque dono gratis dato dicetur Spiritus sancti haberi: cum ipsum habere sit, Spiritum sanctum in nobis inhabitare, & ipsum nobis dari. (Idem ad Dardanū. Rom. 1.)

¶ Propterea dicendum, quod quædam dona sunt à Spiritu, sed non cum Spiritu: quædam verò à Spiritu & cum Spiritu. A Spiritu, sed non cum Spiritu dantur dona, quæ non faciunt nos dignos Deo: vt quæ dicta sunt, fides informis, & prophetia, & huiusmodi: & hæc sunt dona gratis data. A Spiritu verò & cum Spiritu, dantur dona, quæ faciunt nos dignos Deo: cum quibus gratia Deiformitatis infunditur: quę est gratia gratum faciens, quæ conformat nos per Spiritum Deo dupliciter: conformitate sanctitatis, vt in paruulis baptizatis: & cōformatione charitatis, vt in adultis iuxta auctoritatem Auguſt. ad Dardanum.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur primò: Dicendum, quod Spiritus intelligitur in donis suis dupliciter. Vno modo sicut principium, alio modo sicut donum: in donis non gratum facientibus intelligitur, vt principium; quia ab illo sunt: in donis gratum facientibus, & quia ab illo sunt, & cum illis est sicut præcipuum donum. Præterea, in donis non gratum facientibus est per distributionem operationis: in donis verò gratum facientibus per participationem suæ sanctitatis, seu per conformationem suæ proprietatis: quæ est proprietas amoris: & hac ratione dicit Auguſt. quod quosdam inhabitat non cognoscentes (vt paruulos) per gratiam sanctificationis: quosdam cognoscentes per gratiam amoris: quosdam vero non inhabitat, & tamen sunt participes suæ cognitionis, & suæ operationis Matt. 7. Multi dicent. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus*, &c? (Auguſt. Matth. 7.)

MEMBRVM II.

Quid sit gratia gratis data.

Consequenter quæritur: quid sit gratia gratis data. Ad quod inquirendum est, vtrum gratia gratis data sit idem cum dono naturali: & in quo differat ab habitu acquisito, & à gratia gratum faciente. Ad quod sic. Omne donum datum à Deo, sine meritis, & gratis datum. Sed omne donum naturale est huiusmodi: ergò omne datum naturale est donum gratis datum: ergò dona naturalia sunt dona gratis data, & gratiæ gratis datæ.

¶ Item, 1. ad Cor. 2. *Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*, &c. Gloſſ. *Dedit nobis Deus naturam vt essemus, animam vt viueremus, mentem vt intelligeremus, & sine præcedenti merito*: ergò anima & intelligentia sunt gratiæ gratis datæ. (1. Cor. 2. Gloſſa.)

¶ Contra. 1. ad Cor. 2. *Aliud accepimus, vt essemus, aliud, vt sancti essemus*: super illud. *Vt sciamus, quæ nobis à Deo donata sunt.* Inde arguitur: gratia dicitur donum, quod accipitur post esse, ad benè esse: cùm ergò naturalia dona accipiantur ad esse; non erunt gratiæ gratis datæ. (Ibidem. Gloſſa.)

¶ Item, esse gratum, est esse acceptum. Sed omne acceptum ponit ante se esse, quod est per naturam: ergò donū gratuitum ponit ante se donum naturale.

¶ Item, quęritur, an sit habitus acquisitus. Ad Rom. 11. arguit Apostolus. *Si gratia Dei, iam non ex operibus*: alioquin gratia, iam non est gratia. Gratia igitur gratis data non est in nobis, vt acquisitum per operationem nostram: sicut est scientia. (Rom. 11.)

¶ Item, ad Rom. 12. *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Gloſſ. *Bona opera fiunt à bono homine: fides autem fit in homine:* fides igitur donum Dei. Sed hoc intelligitur de fide informi, sicut de formata: relinquitur igitur, quod gratia gratis data non erit donum acquisitum. (Rom. 12. Gloſſa.)

¶ Item, 1. ad Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ.* Gloſſ. *Per Spiritum, non per meritum.* (1. Cor. 12. Gloſſa.)

¶ Contra, Aggæi 1. *Factum est verbum Domini in manu Aggæi in operatione.* Ergò prophetia acquiritur ex merito. Sed prophetia est gratia gratis data: igitur. (Aggæi 1.)

¶ Item, ad Rom. 12. *Sicut Deus diuisit vnicuique mensuram fidei.* Gloſſ. *id est, ea ratione, qua Deus dedit vnicuique dona mensurata, quæ fides meretur: & enumerat postmodum dona gratis data.* Siue prophetiam secundùm rationem fidei, siue ministerium, &c. (Rom. 12. Gloſſa.)

¶ Item quæritur, in quo differat gratia gratis data à gratia gratum faciente. Si dicatur, quod per hoc: quod ista facit gratum, illa non. Quæritur, quid efficiat gratia gratis data inquantum gratia? & sicut albedinis est album facere, & iustitiæ iustum facere: ita gratiæ inquantum gratia est, gratum facere. In vanum ergò & impropriissimè dicitur gratia, quæ non calidum facit.

¶ Item, si dicatur, quemadmodum dicitur 1. ad Co. 12. super illud. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Gloſſ. ord. *Diuisa sunt dona: & non ad meritum hominis alicuius singulariter dantur, sed ad vtilitatem Ecclesiæ ædificandæ*: Et interlin. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus, id est, gratia per quam patet, quod in eo est Spiritus.* Secundùm hoc ergò, si accipiatur differentia; vt dicatur: quod gratia gratum faciens datur ad meritum vitæ æternæ: gratia verò gratis data ad ædificationem Ecclesiæ. Contra. Sunt dona informia, quæ dantur homini propter se, vt fides informis, & spes: sicut dicitur 1. ad Cor. 13. *Maior autem horum est charitas*, &c. Gloſſa. *Fides & Spes, sine Charitate possunt esse.* Ergò non erit illa differentia gratiæ gratis datæ, & gratiæ gratum facientis. (1. Cor. 12. Gloſſa. ordinar. Gloſſa. interlin. 1. Cor. 13. Gloſſa.)

RESOLVTIO.

Gratia gratis data (propriè loquendo) est donum infusum rationali naturæ, sine meritis: quantum in se est, ad salutem propriam, vel alterius ædificationem disponens.

¶ Respon. Gratia gratis data propriè dicitur donum infusum rationali naturæ, sine meritis, quantum in se est disponens ad salutem propriam, vel ædificationem alterius. Donum igitur infusum naturæ dicitur ad differentiā donorum naturalium: vt est ratio, voluntas, ingenium. Sine meritis verò additur, ad differentiam donorum acquisitorum, vt est scientia. Naturæ verò rationali dicitur, ad differentiam donorum corporalium & animalium: quæ primò & per se dantur naturæ irrationali. Disponens verò ad salutem dicitur, ad differentiam gratiæ gratum facientis: quæ non est sicut dispositio ad salutem, quasi distans: sed est dispositio salutis: quia habens illam dignus est salute ęterna: imò gratia gratum faciens est ipsa salus, ad quam disponit gratia gratis data. Ad salutem verò propriam, vel ædificationem alterius dicitur, ad explanationem: nam quędam dona gratis data disponunt hominem ad salutem propriam, quæ est in gratia gratum faciente: vt fides informis, & spes: quædam verò ad salutem alterius, vt gratia sermonis, & gratia operationis miraculorum, & huiusmodi. Quantum verò in se additur ad explanationem: nam posito quod gratia gratis data remaneat aliqua in damnato, seu in obstinato, propter defectum subiecti non est disponens ad salutem: quamuis quantum in se est, disponat ad salutem; quemadmodum medicina, quæ quantum in se

est, disponit ad sanitatem: tamen cótingit ex defectu subiecti, vt corruptionis corporis, vt dispositio sit contraria in subiecto, & frustretur actus medicinæ.

¶ Ad primum, quod obiicitur de donis naturalibus: extendendo nomé gratiæ. Dicendum, quod sicut dictum fuit supra in Quæstio de gratia, an sit gratia multipliciter dicitur; communissimè, quicquid à Deo datur gratis: & secundùm hoc dona indita & naturalia dicuntur gratiæ. Communiter donum gratiæ naturæ additum, siue ordinet ad salutem, siue non, vt scientiæ naturales & speculatiuæ. Propriè verò dicitur donum, à Deo gratis datum ordinans ad salutem propriam, vel alterius: vt fides informis, & prophetiæ: hoc modo intelligitur illa auctoritas obiecta de 1. ad Cor. 12.

¶ Ad illud verò, quod quæritur: vtrum gratia gratis data sit ex acquisitione, vel merito nostro. Dicédum, quod propriè accepta gratia gratis data, donum est supra potestatem naturæ rationalis: & ideò ad illud obtinendum nô surgit noster actus, nec meritum; quantum est de potestate naturæ: quod patet in fide informi, & prophetia, & gratia miraculorum: hæc enim sunt supra potestatem naturæ rationalis: assentire enim veritati, quæ non videtur, nec ratione conuincitur: similiter & præscire futura, & facere miracula, supra naturam est vis rationalis.

¶ Qvod ergò dicunt auctoritates: quod cadit sub meritò. Dicendû, quod intelliguntur de merito interpretatiuo, & non de merito propriè accepto: & sic accipitur illa auctoritas, Aggæi 1. *Factum est verbum Domini*, &c. Vel distinguendum meritum dupliciter: meritum quod elicitur ex virtute naturæ solùm; & hoc modo gratiam gratis datam non est mereri: & meritum quod elicitur à virtute naturæ adiuta gratia gratum faciente; & hoc modo contingit gratiam gratis datam cadere sub merito: vt merito fidei & charitatis potest quis mereri ad vtilitatem aliorum prophetiam, vel gratiam operationis miraculorum: & hoc modo intelligitur auctoritas ad Rom. 12. *Sicut diuisit Deus*, &c. Gratia ergò gratis data dicitur ratione illa, qua non est in merito virtutis naturę. Sub merito verò cadit ratione gratiæ facientis gratum: nec illud aufert ei nomen gratiæ; quemadmodum nec vitæ æternæ, quæ cadit sub merito gratiæ. Et ratio huius est, quoniam principium huius meriti principale non est in nobis: hoc est, in virtute naturæ, sed supra nos, hoc est in gratia gratum faciente.

Aggæi 1.

Rom. 12.

¶ Ad vltimum verò, quod quæritur de differentiæ gratiæ gratum facientis & gratis datæ patet responsio ex prædictis; nam gratia gratis data, quantum in se est, disponit ad gratum fieri, vel se, vel alium: gratia verò gratum faciens gratum facit proprium subiectum, & Deo dignum & acceptum. Differunt ergò sicut forma disponens & forma perficiens: & sicut donum, quod datur homini propter alium frequenter.

MEMBRVM III.

Quæ & quot sint differentiæ gratiæ gratis datæ?

POSTEA quæritur de differentijs gratiæ gratis datæ: quas quidem dicunt Apostolum assignasse. 1. ad Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Et dicit glossa super illud. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus*: quod diuisa sunt dona: & non ad meritum hominis alicuius singulariter dantur: sed ad vtilitatem Ecclesiæ ædificandæ. Ex quo relinquitur, quod hæc dona sunt gratiæ gratis datæ. Cùm ergò numeratio Apostoli per omnia sufficiens sit, in his differentijs comprehenduntur vniuersaliter differentiæ gratiæ gratis datæ.

1. Cor. 12.

Glossa. sup. ibid.

¶ Sed contra. Sicut contingit fidem esse in formem; ita spem, & reliquas virtutes, excepta charitate: & similiter timorem informem contingit esse, vt timorem seruilem: & constat, quod ista sunt dona gratis data; nec numerantur hic: ergò in hac distinctione Apostoli non comprehenduntur vniuersaliter differentiæ omnes gratiæ gratis datæ.

¶ Item, super illud. *Alteri fides in eodem spiritu*. Gloss. *Vide, quod fides inter Dei munera est.* Non ergò sola charitas: sed charitas cum fide à Deo nobis est: ex hoc arguitur. Sed charitas cum fide est gratum faciens: ergò differentiæ enumeratæ ab Apostolo non solùm sunt differentiæ gratiæ gratis datæ.

Gloss. ibi.

¶ Item, est ne inculcatio sermonis, quod dicitur, donum sermonis sapientiæ, & sermonis scientiæ? Si dicatur, quod non: imò secundùm gloss. distinguendum est inter sapientiam, & scientiam (August. *Sapientia est in contemplatione æternorum, scientia in actione temporalium.*) Si ergò vniuersaliter cognitio & enumeratio veritatis ordinata comprehenditur donis sapientiæ & scientiæ, & sermonis sapientiæ & scientiæ: ergò superfluunt dona generis linguarum, & interpretationis sermonum.

August. in lib. de Trinitat.

¶ Item, cùm dicitur donum gratiæ sanitatum, non intelligitur, nisi de gratia, qua conferebantur sanitates sine opere medicinæ: ergò tale opus erat miraculosum: gratia igitur sanitatum non diuiditur à dono operationis virtutum.

¶ Item, similiter posset obiici de differentia doni generis linguarum à dono interpretationis sermonum.

¶ Item, 1. ad Cor. 12. assignat Apostolus alio modo differentias gratiæ gratis datæ dicens. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, ex inde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Et etiam postmodum replicans de istis, addit interpretationem sermonum. In hac autem serie addit dona aliqua, quæ non fuerunt in prædicta assignatione numerata: vt Apostolatum, & opitulationes, & gubernationes. Præterea, plura omittit, quæ erant numerata in alia enumeratione: vt fidem, discretionem spirituû: ergò relinquitur, quod nec hic, nec supra sufficienter sunt assignatæ differentiæ gratiæ gratis datæ.

1. Cor. 12.

¶ Item, 1. ad Cor. 14. dicit. *Si venerò ad vos, linguis vobis loquens: quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia aut in doctrina.* Vbi addit donum reuelationis differens à dono prophetiæ: & donum scientiæ differens à dono doctrinæ: propter q; non videtur prædicta assignatio gratias gratis datas vniuersaliter cóminete.

1. Cor. 14.

¶ Item, 1. ad Cor. 13. Apostolus enumerat aliter, comparando dona gratis data charitati: ostendendo, quod sine illa sunt inutilia: numerat ergò donum linguæ duplex, hominum, & Angelorum dicens. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, &c. enumerans dona cognitionis quatuor, prophetiam, notitiam mysteriorum, scientiam fidem: vnde dicit. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria: & omnem scientiam, & omnem fidem.* Item, enumerat dona operationis liberalitatis & patientiæ: vnde dicit. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum: ita vt ardeam*, &c. in hac assignatione multæ gratiæ enumerantur, quæ in supradictis assignationibus non ponuntur: propter hoc quæritur de differentia & ratione istarum assignationum.

1. Cor. 13.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

RESOLVTIO.

Gratiæ gratis datæ differentiæ tres sunt, & sufficienter à Deo admodum enumeratæ scilicet: data ad vtilitatem propriam, ad Ecclesiæ, vel proximi emolumentum, & ad Dei honorificationem.

¶ Respon. Gratia gratis data triplex est. Est enim gratia, quæ datur homini propter vtilitatem propriam; & tamen non gratum facit, sed ad hoc disponit: vt fides informis, spes, & timor seruilis. Est iterum gratia gratis data, quæ datur homini ad vtilitatem Ecclesiæ seu proximi: vt sermo sapientiæ & scientiæ & huiusmodi: vnde 1. ad Cor. 12. *Vnicuique datur*, &c. Gloss. *Sunt dona, quæ non ad meritum hominis alicuius singulariter dantur, sed ad vtilitatem Ecclesiæ.* Est iterum gratia gratis data ad honorificationem Dei. Vnde 1. ad Cor. 12. super illud. *Et adhuc excellentiorem viam.* Gloss. *Prædicta gratiæ non semper ad meritum pertinent: sed ad honorem Dei ostendendum gentibus.* Vnde Matth. 7. *Dicent multi: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? dæmonia eiecimus? virtutes fecimus?* & huiusmodi. Dicendum, ergò quod cum Apostolus

1. Cor. 12. Glossa.

Ibidem. Glossa.

Matth. 7.

lus agat de donis gratiarum, prout distribuuntur in corpore Ecclesiæ: sicut patet ex 12. & 13. & 14. primæ ad Cor. agit de gratijs gratis datis, quæ dantur ad vtilitatem Ecclesiæ: seu ad honorificentiam maiestatis diuinæ. Secundùm ergò, quod sunt ad vtilitatem proximi & honorem Dei, differens ponitur assignatio gratiarum ab Apostolo. Sunt enim quædam ad honorificentiam diuinæ sapientiæ in docendo proximum: & secundùm hoc accipitur illa enumeratio, *alij per Spiritum datur sermo sapientiæ*, &c. Quædam verò ad honorificentiam diuinæ potentiæ datæ ad regendum proximum: & secundùm hoc accipitur illa. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*, &c. Quædã ad honorificentiam diuinæ bonitatis datæ ad prouocandum ad bonum proximum per exemplum bonum: & secundùm hoc accipiuntur illæ, *Si linguis hominum loquar*, &c. 1. ad Cor. 13. sicut iam patebit.

1. Cor. 12. Ibidem. 1. Cor. 13.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: an illa diuisio prima Apostoli contineat omnes differentias gratiæ gratis datæ. Dicendum, quod non: nisi tantum illas, quæ dantur ratione docendæ veritatis, seu ad laudem sapientiæ diuinæ. Vnde numerus illius assignationis sic accipitur. Nam ad docendam veritatem requiruntur principaliter tria: doctrina sententiæ veritatis, confirmatio veritatis, explicatio vel expositio veritatis. Item sentẽtia veritatis, aut est de credendis, aut de operandis; aut de fine operandorum & credendorum: siue manifestiùs, aut est de fine, aut de his, quæ sunt ad finem. Item ea, quę sunt ad finem, aut sunt operanda, aut sunt credenda: sermo ergò sapientiæ est de fine, qui constituitur in æterna beatitudine: sapientia autem est in contemplatione æternorum, sicut dicit August. in Gloss. *sermo verò scientiæ de operandis est* (vnde dicit Gloss. *Scientia est in actione temporalium*) fides verò, quæ hic accipitur pro sermone fidei, est de credendis: vnde dicit Gloss. *fides, constantia fidei, vel sermo*. Secundùm hoc ergò accipiuntur illa tria; vt sapientia sit de æternis, scientia de operandis, fides de credendis: Hic tamen accipiuntur hæc dona, vt sunt in sermone ad docendum: vnde dicitur. *Sermo sapientiæ*, &c.

August. Glossa. Eadem. 1. Cor. 12.

¶ Item, quantum ad confirmationem sermonis, quæ necessaria est ad doctrinam veritatis, secundùm quod dicit Marc. vlt. *Prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis:* accipitur quadruplex differentia. Nam confirmatio sermonis fit dupliciter: vno modo per mirabilia operationis: alio modo per mirabilia cognitionis. Item mirabilia operationis duobus modis, vno modo, quæ excedunt actum naturæ, non tamen potentiam: alio modo in his, quæ excedunt actum & potentiam, quæ sunt impossibilia naturæ. Item mirabilia cognitionis duobus modis: vno modo in cognitione veri, alio modo in cognitione boni: vel alteri, vno modo in cognitione rerum, alio modo in discretione intentionum. Est igitur gratia ad confirmationem doctrinæ veritatis in opere, quod excedit actum naturę, gratia sanitatum. Est iterum gratia in opere, quod excedit potentiam naturæ. videlicet gratia operationis virtutum: vnde Glossa. *id est miraculorum, quæ sunt supra naturam*. Est & gratia in mirabili cognitione veritatis, siue rerum futurarum: vt gratia prophetiæ. Est iterum gratia in mirabili discretione boni, siue intentionis: vt gratia discretionis spirituum: vnde Gloss. *vt discernat, quod audit: quo Spiritu, bono, an malo dicatur: quia diabolus seductione ditis bona.*

Marc. vlt. Glossa. Eadem.

¶ Item, quantum ad explicationem siue expositionem veritatis requiruntur duo ad perfectam explicationem: vnum est, vt fiat explicatio veritatis omnibus: aliud, vt fiat de omnibus, quæ pertinent ad eorum salutem. Gratia igitur explicationis veritatis duplex est: gratia generum linguarum, per quam omnibus fiebat explicatio veritatis: & gratia interpretationis sermonum, per quam fieret de omnibus explicatio veritatis: gratia generum linguarum necessaria est ad explicationem veritatis sermonibus proprijs iuxta proprietatem vniuscuiusque idiomatis: interpretatio verò sermonum ad explicationem veritatis sermonibus manifestis: ad hoc enim est interpretatio, vel elucidetur obscurus sermo. Patet igitur, quod non enumerat hic Apostolus gratias gratis datas, nisi secundùm quod dantur ad doctrinam veritatis: vnde quod dicitur de fide informi, quod enumeretur ibi: Dicendum, quod non est verum in illa ratione: sed fides ibi dicitur sermo fidei: sicut dicit gloss.

¶ Ad illud verò, quod obiicit: quod ibi ponitur fides cum charitate. Dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc, quod fides hic accipiatur pro virtute: sed quia ex hoc sequitur, quod fides virtus, vel quæ est cum charitate, sic donum Dei, sequitur enim, si sermo fidei est donum Dei, cognitio fidei est donum Dei: cognitio aũt fidei est in fide siue sit cum charitate, siue non. Ex quo relinquitur, quod fides cum charitate est donum Dei: & ita patet responsio ad quinque primò obiecta.

¶ Ad sextum dicendum: quod illa assignatio secunda gratiarum, quam ponit Apostolus. Posuit in Ecclesia Deus primùm Apostolos, &c. accipitur secundùm rationem, qua gratia gratis data datur ad honorificẽtiam diuinæ potentiæ in regimine Ecclesiæ: vnde secundùm distributionem diuinæ potentiæ secundùm gradus dignitatũ in donis accipiuntur differentiæ hoc modo. Sunt dona in Ecclesia superioris dignitatis, mediocris, & inferioris. Dona superioris dignitatis sunt in duplici differentia secundùm duplicem gradum dignitatis, scilicet Apostolatus & prophetiæ: in Apostolatu dignitas suprema potestatis: in prophetia dignitas secunda notitiæ veritatis: & ideò dicit, *primum Apostolos*, primùm sc. dignitate, *secundò prophetas*. Item dona mediocris dignitatis sunt in triplici differentia: videlicet doctrina, virtutes, & gratia curationum: quæ sic distinguuntur: nam donum doctrinæ est ad cognitionem faciendam in alio: dona verò virtutis & gratiæ curationum sunt ad operationem in alio: & hoc duobus modis, vno modo ad operationem, quæ est supra potentiam naturæ: & ad hoc est donum virtutis: alio modo ad operationem supra actum naturæ; vt supra dictum est; & ad hoc est donum curationis. Et nota quod ordinantur econuersò dona hic, quàm priùs: superiùs enim primò ponebantur donum potestatis, scil. Apostolatus, secundò donum cognitionis, scil. prophetia: hic verò præponitur donum cognitionis, scil. doctrinæ, & subsequenter ponuntur dona potestatis, seu operationis: vnde dicitur, *tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratia curationum*, & hoc est, quia sicut dono auctoritatis, quod est summum, videlicet Apostolatui subseruit & ornat donum cognitionis prophetiæ: sic dono doctrinæ subseruit donum potestatis ad signa miraculorum confirmando doctrinam: secundùm quod dicitur Marc. vlt. *Sermonem confirmante, sequentibus signis*. Item, dona inferioris dignitatis sunt in triplici differentia & gradu, scil. donum opitulationis, donum gubernationis, donum linguarum: quæ distinguuntur sic: opitulationes enim & gubernationes sunt ad operandum, seu ad regendum: donum verò linguarum ad instruendum. Item, donum ad regendum, seu ad operandum duplicatur, in opitulationem, & gubernationem: & opitulatio est donum, quo minores maioribus cooperantur: vt dicit Gloss. *opitulationes, id est, eos, qui maioribus fuerunt opes, vt discipulus Apostolo, Archidiaconus Episcopo*, gubernatio verò est donum, quo maiores Prȩlati cooperantur minoribus: vnde Gloss. *Gubernationes, id est, minorum personarum Prælationes; vt Presbyteri sunt, qui plebi documento sunt.* Donum verò linguarum vltimum est, quia est ad instruendum: vnde dicit Gloss. *Ecce donum Dei est multas scire linguas*, & istud vltimum ponitur, quod illi primum ponebant.

Marc. v[lt.] Glossa. Eadem Eadem

¶ Ad septimum dicendum, quod illa numeratio donorum, 1. ad Cor. 14. reuelationis, scientiæ, prophetiæ, doctrinæ reducitur ad primam assignationẽ gratiæ gratis datæ: quæ est ad doctrinam veritatis: & præcipuè ad illud donum, interpretationis sermonum, quod seruit dono linguarum. Illæ ergò quatuor differentiæ monstrant distinctionem doni interpretationis; quod explicat donum linguæ: vnde sicut dicit Gloss. 1. ad Cor. 14. *Translato verbo linguam hic dicit prolationem, vbi sunt significationes velut imagines rerum: quæ vt intelligantur, indigent mente, id est, intellectu mentis, id est, interpretatione.* Donum ergò interpretationis, aut est sine nostra cooperatione: aut cum nostra nobis datum. Si est datũ sine nostra cooperatione, aut ergò repente

1. Cor.

aut successiuè; si repentè, sic est reuelatio, vnde Gloss. *Reuelatio est subdita aliqua rerum ostensio per Spiritum facta.* si successiuè, sic est prophetia: vnde gloss. *Prophetia est, vt Isaia, & caeterorum: quam sine humana industria Spiritus sancti paulatim reuelat.* Si verò est datum cum nostra cooperatione, hoc est, duobus modis: vno modo cooperatione tantum sua; & sic dicitur scientia; vnde gloss. *Scientia est eorum, quae proprio studio deducit.* alio modo cooperatione sua & aliena: & hoc modo dicitur doctrina. Gloss. *Doctrina est eorum, quae alio docente, assecutus est.*

¶ Ad vltimum dicendum, quod illa enumeratio donorum Apostoli, 1. ad Cor. 13. sicut dictum est, gratiae gratis datae ad gloriam bonitatis diuinae per exemplum pronocndi proximos ad bonum; quod est tribus modis, eloquentia, scientia, vita. Ad eloquentiam concurrunt duo dona: vnum loquendi secundùm rationem capacitatis simplicium, qui non capiunt, nisi parabolica; & quantum ad hoc dicuntur linguae hominum: aliud secundùm rationem loquendi ad capacitatem spiritualium & perfectorum, qui capiunt mystica: & quantum ad hoc dicuntur linguae Angelorum. Matth. 13. *Vobis est datum nosse mysterium regnum Dei, caeteris in parabolis.* Item ad notitiam concurrunt quatuor dona: prophetia, notitia mysteriorum, scientia, fides: quae sic distinguuntur. Nam donum notitiae, aut est praeter necessarium saluti, aut necessarium. Si praeter necessarium, aut ergò est ad ea, quae excedunt naturalem cognitionem; aut eorum, quae pertinent ad potestatem cognitionis naturalem: si excedunt, talia cognoscuntur per inspirationem: aut ergò est inspiratio ad denunciandum ad alios, & sic est prophetia: aut ad sciendum quantum ad seipsum, & sic est mysterium. Si verò est de necessarijs: aut igitur est operandorum, quae pertinent ad bonitatem: aut credendorum, quae pertinent ad veritatem: si operandorum, sic est scientia: si credendorum, sic est fides. Item ad sanctitatem vitae designandam sunt duo dona potissimè, liberalitas in erogatione rerum, sustinentia in tolerantia aduersorum: liberalitas designatur in distributione facultatum: sustinentia in traditione corporis ad incendium. In hunc ergò modum soluuntur obiecta: & patent differentiae gratiae gratis datae.

1. Cor. 13.

Matt. 13.

QVÆSTIO LXIV.

De fide informi.

In nouem Membra, & sex Articulos diuisa.

D. Tho. 2. 2 q. 1 & deinceps. S. Bonau. & Sco in 3 d 23. & inde.

Assignatis differentijs gratiae gratis datae: quia quaedam dantur homini propter se: quaedam verò propter alium, vt propter vtilitatem proximi, vel gloriam Dei: prius agendum est de gratijs gratis datis propter se homini: quae sunt fides informis, spes informis, timor seruilis. *Fides enim est acceptio, seu credulitas veritatis diuinae secundùm rationem misericordiae & iustitiae:* ratio quidem misericordiae generat spem, ratio verò iustitiae generat timorem. Secundùm hoc ergò distinguuntur hae gratiae: quia fides est in apprehensione, vt dictum est: spes in affectione secundùm comprehensionem misericordiae: timor verò in affectione secundùm apprehensionem iustitiae. Primò ergò quaeritur de fide informi. Secundò de spe informi. Tertiò de timore seruili.

¶ Cum autem quaeritur de fide informi, notandum primò, secundùm quam acceptionem fidei dicatur. Secundò, vtrum fides informis sit donum Dei, hoc est, habitus gratuitus. Tertiò, supposito quod sit donum gratuitum: vtrum sit virtus. Quartò, qua ratione dicitur informis. Quintò, de effectu fidei informis in hominibus. Sextò, vtrum fides informis fit in hominibus adueniente charitate fiat formata. Septimò, vtrum fides informis sit in daemonibus. Octauò, supposito, quod sic, vtrum fuerit eis data post lapsum. Nonò de actu fidei informis in daemonibus.

MEMBRVM I.

A quo fides informis ita dicatur?

Ad primum notandum, quod dicitur ad Rom. 1. super illud. *Iustus ex fide viuit:* iuxta August. gloss. Fides tribus modis accipitur: pro eo quo creditur, & est virtus: pro eo quo creditur, & non est virtus: & pro eò quod creditur. Primò modo dicit August. quod fides est, qua creduntur, quae non videntur, & operatur per dilectionem. Secundò modò fides est, qua creduntur, quae non videntur, sed sine dilectione est: quae est daemonum, & nominetenus Christianorum. Iacob. 2. *Daemones credunt & contremiscunt,* &c. haec est informis qualitas mentis. Tertiò modo accipitur, prout dicitur in symbolo Athanasij. *Haec est fides Catholica, quam nisi quisque,* &c. Secundùm hoc ergò videtur intentio fidei accipi tribus modis: vno modo pro credibili, seu pro eò quod creditur: alio modo pro eò quod creditur cum amore, & haec est fides formata: alio modo pro eò quo creditur sine amore, & haec est fides informis.

Rom. 1. Glossa.

Iacob. 2.

Symbol. Athan.

¶ Sed obiicitur: quia secundùm August. paruuli dicuntur habere fidem, nec tamen habent fidem, secundùm quod dicitur illis tribus modis: quia nec potest dici, quod habeant fidem, scilicet, quod creditur: nec fidem qua creditur cum dilectione, nec sine: quomodo ergò dicuntur habere fidem?

August.

¶ Item, Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est;* quo istorum modorum accipitur fides ibi?

Rom. 14.

¶ Item Rom. 1. *Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem:* dicit gloss. *Ex fide spei in fidem speciei.* Quomodo ergò dicitur fides spei?

Rom. 1. Glossa.

RESOLVTIO.

Fides informis idcò appellatur: quia charitate virtutum forma nudatur.

¶ Ad hoc dicendum: quod fides dicitur multipliciter. Vno modo dicitur fides sponsio. 1. Timoth. 1. *Primam fidem irritam fecerunt,* id est, sponsionem. Secundò modo dicitur fidelitas. Hierem. 6. *Periit fides,* &c. Prouer. 20. *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?* Tertiò modo dicitur fides conscientia, seu opinio de faciendo, vel non faciendo. Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* gloss. *id est, omne, quod est contra fidem, seu contra scientiam.* Quartò modo dicitur acceptio conclusionis per rationem probabilem: secundùm quod argumentum est ratio, rei dubiae faciens fidem. Quintò modo dicitur fides, ex qua est credere: prout dicit August. ad Paulinam. *Nonnulli putant, quod dicimus credere, cùm vera res creditur: hoc solùm esse, quod mente conueri.* Et secundùm hunc modum distinguit August. tria genera credibilium: quaedam enim semper creduntur & nunquam intelliguntur; sicut omnis historia, temporalia, & humana gesta percurrens: alia verò mox, vt creduntur intelliguntur, vt omnes rationes disciplinarum: vt principia Geometriae & caeterorum: alia verò primò creduntur, & postea intelliguntur: vt diuina, quae non nisi à mundo corde intelliguntur. Sextò modo dicitur fides cognitio, quae est in patria. Rom. 1. *Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Gloss. *Ex fide verborum & spei in fidem rerum & speciei.* Septimò modo dicitur symbolum fidei, seu id quod creditur: vnde. *Haec est fides Catholica,* &c. Octauò modo dicitur fides Sacramentum fidei: vnde Actuum 10. vbi dicitur de Cornelio, dicit gloss. quod Cornelius per opera venit ad fidem: & hoc modo paruulus dicitur habere fidem: vnde August. *Quid est aliud paruulus habere fidem, nisi fidei Sacramentum.* Nonò modo dicitur fides habitus informis; vt est in malis Christianis. Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et 1. ad. Cor. 13. *Si habuero fidem, vt montes transferam.* Decimò dicitur fides habitus formatus, qui est cum charitate. Abac. 2. & Rom. 1. *Iustus ex fide viuit sua.* Vltimò modo dicitur fides fidei motus: secundùm quod dicit August. *Fides est credere, quod non vides,* &c. secundùm hoc patet responsio ad obiecta.

1. Tim. 1.

Ierem. 6. Prou. 20.

Rom. 14. Glossa.

August. ad Paulinum. Idem in lib. 83 qq. q. 48.

Rom. 1. Glossa.

Symbol. Athanas. Actu. 10. Glossa. August. ad Bonifacium. Iacob 2. 1. Cor. 13.

Abacu 2. & Rom. 1

August.

MEMBRVM II.

An fides informis donum Dei, siue habitus gratuitus sit?

Magist. sent. lib. 3. dist. 23. POstea quæritur de fide informi: vtrum sit donum Dei: hoc est, habitus gratuitus. Quod probat Magister Sententiarum. Malos fidem habere, cum tamen charitatem non habeant; Apostolus ostendit dicens. 1. ad Cor. 13. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero*, &c. quæ fides etiam donum Dei dici potest: quia etiam in malis quædam dona Dei sunt. 1. Cor. 13.

Rom. 8. Glossa. ¶ ITEM, ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Gloss. *est timor seruilis, & filialis: & vterque ab eodem spiritu.* Ergò timor seruilis est donum Spiritus sancti. Sed timor seruilis elicitur ex fide informi, sicut ostenditur Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt:* ergò fides informis est donum Spiritus sancti. Iacob. 2.

¶ ITEM, per fidem informem eleuatur intellectus supra se: sed per nullum habitum naturalem, vel acquisitum potest intellectus eleuari supra se: ergò fides informis non est habitus naturalis, vel acquisitus: ergò est habitus gratuitus: cùm constet, quod per fidem informem eleuetur intellectus ad credulitatem diuinæ humanationis & distinctionem diuinæ Trinitatis; quæ constat quod excedunt apprehensionem humani intellectus per naturam.

Ioan. 14. ¶ CONTRA, in Ioann. 14. *Nunc dico vobis, priusquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis.* Si ergò propterea quod factum est, creditur: ergò ex apprehensione eorum, quæ facta sunt fides acquiritur: ergò fides huiusmodi est habitus acquisitus. Sed constat quod fides formata non potest dici habitus acquisitus: restat ergò quod fides informis erit dispositio, vel habitus acquisitus.

Ioan. 27. ¶ ITEM, Ioann. 20. dictum est Thomæ. *Quia me vidisti, credidisti*: ergò fides Thomæ erat ex visis accepta: non est ergò gratuita.

Ioan. 4. Glossa. ¶ ITEM, in Ioan. 4. dicitur Samaritanæ. *Voca virum tuũ.* Gloss. *id est, intellectum tuum ad credendum.* Ergò fides introducitur per intellectum.

¶ ITEM, Philosophi crediderunt Deum esse, & omnipotentem: præterea dæmones credunt Deum trinum & vnum: & filium Dei humanatum, & reliqua articulorum: sed non fide formata hæc credunt: ergò fide informi. Cùm ergò fides in Philosophis acquisita fuerint ex probatione rationum: dæmonibus verò ex coniecturis habitis ex verbis Prophetarum, & ex prodigijs signorum, siue ex perspicacitate inquisitionum: ergò fides informis erit habitus acquisitus: non ergò gratuitus.

¶ ITEM, August. dicit: quod posse credere ex natura est. Si ergò vnicuique potentiæ respondet suus actus: hæc potentia habet actum sibi respondentem: ergò est aliquod credere naturale: sed tale non est fidei formatæ: ergò est fidæi informis.

RESOLVTIO.

Auctoritate Damasceni fides informis donum Dei est.

Damasc. lib. 4. ¶ RESPONDEO, secundùm Ioann. Damasc. *Fides duplex est: est enim fides ex auditu: audientes enim diuinas scripturas credimus doctrinæ spiritus. Est autem rursus fides indistabilis & indiiudicabilis speciei eorum, quæ à Deo nobis annunciata sunt: igitur prima mentis nostræ est; secunda charismatum spiritus.* Vult ergò distinguere Damas. quod est fides acquisita ex auditu, siue testimonio Scripturarum, siue humana ratione: & est fides donum gratuitum à Deo ad assentiendum veritati diuinæ nobis annunciatæ. Primò ergò modo dicta fides nõ pertinet ad propositũ: fides secũdò verò modo dicta dupliciter est: cum charitate, & secundùm hoc est fides formata: sine charitate, & secundùm hoc est fides informis. Patet igitur quod fides informis est donum gratiæ, secundùm præsentem intentionem.

¶ AD illud ergò Euangelij dicendum, quod cùm dicitur. vt cùm factum fuerit credatis: hæc dictio, *cùm*, non notat causam, sed concomitantiam.

¶ AD secundum similiter dicitur: quod hæc cõiunctio *quia*, nõ tenetur causaliter, sed adiunctiuè. Et cùm dicitur. *Quia vidisti me, credidisti*: hæc coniunctio (*quia*) non notat causam vel rationem: sed notat quandam dispositionem, vel excitationem animi præparatoriam ad credendum. Licet enim fides non habeat causam, vel rationem: potest tamen habere præparatoriam dispositionem. Ioan. 20.

¶ AD tertium dicendum, secundùm illud, quod dicitur in Gloss. super Ioan. 4. *Voca virum tuum*, &c. id est, tu sensualis voca rationalem intellectũ: quo vt viro regaris, quæ modo carnaliter sapis: hũc ergò ego lux illuminabo. Ex quo relinquitur, quod per rationem carnalem vocatur intellectus ad fidem: excitando, scilicet ipsum intellectũ, & disponendo ad susceptionem luminis fidei: sed tamen adueniente fide, intellectus non innititur ipsi rationi, sed ipsi veritati propter se: quod signatur Ioan. 4. vbi dicitur, quod viri Samaritani dixerunt. *Iam non propter loquelam tuam credimus, sed quia & ipsi vidimus.* Gloss. sup. Ioan. 4. Ioan. 4.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de Philosophis, & de dæmonibus: patet responsio, nam fides, quæ erat ex rationibus acquisita, siue ex coniecturis miraculorum & Prophetarum: non est fides informis, secundùm quod hic loquimur. Vnde notandum, quod fides informis potest dici duobus modis, priuatiuè & negatiuè. Negatiuè potest dici fides informis qualitas, seu credulitas persuasa ratione vel exprimendo, vel doctrina. Priuatiuè verò dicitur qualitas, quæ quidem priuatur forma virtutis, quam nata est habere: quemadmodum dicitur informis fides, qua assentitur primæ veritati propter se quamuis careat amore super omnia.

¶ AD vltimum dicendũ, quod cùm dicitur posse credere natura est. Distinguendum, quod est posse completum & incompletum. Si loquatur de posse completo: non est verum, quod posse credere, si naturale: nunquam enim actus iste credere, secundùm quod in præsenti accipitur, scilicet assentire primæ veritati propter se: est in facultate naturæ sine adiumento gratiæ. Si verò loquamur de posse in completo, sic intelligitur: non tamen propter hoc sequitur, quod credere sit naturale, vt eliciatur ab habitu naturali, siue acquisito.

MEMBRVM III.

An fides informis virtus sit?

DEINDE quæritur. Vtrum fides informis sit virtus. Nam dicit August. quod fides operans per dilectionem virtus est. ad Galat. 5. *fides verò sine dilectione inanis est.* Secundùm hoc ergò obiicitur. August. *Dilectio Dei & proximi piorum est atque Sanctorum: cum cætera virtutes bonis & malis possint esse communes.* Ergò fides virtus est communis bonis & malis: ergò cùm fides informis sit in malis: relinquitur, quod fides informis sit virtus. August. Galat. 5. August. in lib. de vera innocentia

¶ ITEM, virtus consistit circa difficilia: ergò cùm fides informis cõsistat circa eadem difficilia, circa quę fides formata: ergò fides informis est virtus. Quod autem ita sit, patet: eleuat enim ipsam potentiam supra se, scilicet, in primam veritatem: & ipsa eidem creduntur fide informi, & formata: & per idem medium.

¶ ITEM, si esset aliqua dilectio, qua diligerentur omnia diligenda, & Deus super omnia: diceretur charitas: ergò si fides talis est, qua creduntur omnia credibilia, & primæ veritati credatur propter ipsam, & super omnia; ipsa est virtus: sed talis est fides informis: ergò est virtus.

¶ CONTRA. Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua.* Sed fides informis est sine operibus: ergò mortua est: ergò non est virtus: cùm omni virtute viuamus. Iacob.

¶ ITEM, in 3. lib. Sententiarum dist. 23. cap. *Accipitur autem fides*, &c. dicitur, quod fides informis est dæmonum & malorum hominum. Sed nulla virtus est in dæmonibus: ergò fides informis non est virtus.

¶ ITEM, fides informis compatitur secum peccatum: ergò non est virtus.

RESOLVTIO.

Fides informis non nisi communiter virtus dici potest.

¶ RESPONSIO. Virtus dicitur communissimè, secundùm quod diuiditur in virtutem naturalem politicam, & gratuitam: communius dicitur secundùm quod virtus tātum extenditur in politicam.quę est habitus acquisitus:& gratuitam, quæ est habitus infusus. Dicitur etiam communiter,secundùm quod dicitur habitus infusus: siue sit gratis datus: siue sit gratum faciens,determinatus circa operabilia: & hoc modo fides informis potest dici virtus. Quartò modo propriè dicitur virtus habitus gratuitus gratum faciens,determinatus ad operabilia:& huiusmodi habitus non potest esse sine charitate:&hoc modo fides formata est virtus tantum,non fides informis.

¶ ET per hoc patet responsio ad primum obiectum.

¶ AD secundum dicendum, quod etsi circa eadem difficilia consistat fides formata & informis: tamen differenter: quia fides informis eleuat potentiam supra se quātum ad cognitionem & assensum veritatis: sed non eleuat ipsam ad tendendum in ipsam veritatem, quod facit fides formata.

¶ AD vltimum dicendum, quod non potest dici fides virtus in assentiendo primæ veritati propter ipsam super omnia:nisi addatur hic circumstantia:propter ipsam amatam super omnia:& ex hoc est ei forma,& esse virtutis.

¶ ITEM,dubitatur de hoc quod dicitur. dist.23. lib.3. sententiarum. cap.2. Accipitur autem fides, &c. *Fides sine dilectione inanis est*:sed hæc est fides informis: ergò videtur,quod ex ipsa nullum eliciatur bonum.

¶ CONTRA.Ex fide informi nascitur timor seruilis:per quem homo recedit à malo , & præparatur ad susceptionem gratiæ remissionis peccatorum: ergò non est inutilis, nec inanis.

¶ RESPONSIO. Aliquid dicitur inane , vel vanum vno modo quantum ad meritum vitæ æternæ: & secundùm hoc dicitur fides infirmis inanis. Alio modo inane quantum ad susceptionem gratiæ per modum dispositionis: & hoc modo fides informis non est dicenda inanis.

MEMBRVM IV.

A quo fides informis dicatur.

Rom 1. Glossa. POSTEA quæritur qua ratione dicitur fides informis.Ad quod Rom.1.super illud.*Ex fide in fidem*.Gloss. *Fides dæmonum est, & nomine tenus Christianorum:nam & dæmones credunt,& tremiscunt*.Iacob.2.Hæc est informis; qualitas mentis:& dicitur informis; quia non habet sotiam charitatem:quæ est forma virtutum.

Rom.1. ¶ CONTRA, arguitur: vita non potest suscipere mortem:ergò cùm fides sit vita ad Rom.1.*Iustus ex fide viuit*:ergò non potest recipere mortem:ergò nec informitatem.

¶ ITEM, arguunt:nullum peccatum potest fieri formatum: ergò nulla virtus potest fieri informis: ergò nec fides.

¶ ITEM,si dicatur quod fides dicitur informis, cùm est sine charitate:charitas autem est amor Dei:cùm ergò contingat amorem Dei esse naturali affectione in incredulis, siue ex ipsa bonitatis comprehensione: ergò simili modo diceretur dilectio informis,quia sine fide.

¶ ITEM,quare dicitur fides formari charitate:nam cum quælibet virtus informetur sua differentia, & suo fine: fides autem & quælibet virtus habeat propriam differentiam & finem:ergò & propriam formam.

¶ ITEM , cùm contingat dilectionem Dei esse in existenti peccato mortali , & si non debitam , sicut & fidem: quare non dicitur charitas informis,sicut & fides?

RESOLVTIO.

A carentia ordinis amoris:ex quo est virtutis omnis forma.

¶ RESPON. Fides dicitur informis; quia caret ordine amoris,ex quo est forma omnis virtutis:ex qua ratione dicit August. *virtus est ordo amoris*. Amor etiam dicitur duobus modis:quemadmodum & bonum.Bonum enim dicitur secundùm intentionem,& rationē: item bonū dicitur secundū rationē,& non secundū intentionē.Secundū intentionem & rationem dicitur bonum,vt bonum : secundùm rationem verò &non intentionem bonum,siue gloriosum,siue æternum dicitur verum ; inquantum mouet rationalem appetitum. Cùm ergò bonum sit finis cuiuslibet virtutis: bonum secundùm rationem & intentionem finis est charitatis, & obiectum : fidei verò bonum secundùm rationem , qua appetitur non secundùm intentionē qua consideratur,finis est & obiectum fidei:quia hoc non est aliud , nisi verum , in quantum induit rationem boni, qua appetitur à vi rationali : quemadmodum gloriosum finis est spei. Et secundùm hoc amor dicitur duobus modis,communiter,& propriè. Communiter, secundùm quod est amor veri,quod est bonum rationabilis:amor gloriosi, quod est bonum irascibilis : amor boni , vt bonum est, quod est bonum concupiscibilis. Propriè verò amor dicitur boni,vt boni: hinc dicitur ordo amoris informare virtutes: & charitas, pœnes quam residet ordo amoris propriè dicti, dicitur informare virtutes : quia ratio amoris communiter dicti in alijs virtutibus reducitur ad rationem amoris proprij illo modo, quo verum,quod est finis & obiectum fidei;& gloriosum,quod est finis &obiectum spei, induunt rationem boni. Fides ergò cùm priuatur amore boni mouente in finem Deum , deficit ab ordine amoris:& ita à forma virtutis. Cùm etiam charitas subtrahitur:subtrahitur ratio amoris propriè dicti:&ita per consequens ratio amoris communiter dicti : si enim anima nō amat bonum, vt bonum : ergò nec verum, quia bonum: nec gloriosum,quia bonum. Sine charitate igitur sunt fides & spes virtutes informes.

August. in lib. de ciui. Dei

¶ AD illud verò, quod primò obiicitur: quod cùm dicitur, quod fides, quæ est vita, non potest suscipere informitatem. Dicendum , quod si intelligatur per compositionem,est verum:si verò per diuisionem,falsum est : quia habitus potest recipere informitatem : qui quidem habitus est fides vita,sicut dictum est.Et notandum quod fides informis,quæ dicitur à Beato Iacob. fides mortua : differt formata.hoc est,fide viua,duobus modis: quantum ad viuacitatem , & quantum ad luminositatem. Quantum ad viuacitatem velut lumen, quod est in vmbra, à lumine radij : lumen enim quod est in vmbra, admixtum est tenebris,& infrigidatum ac mortuum : sic lumen,quod est fidei informis, quia est admixtum tenebris peccatorum:lumen verò radij non est mixtum tenebris; sed est calidum atque viuificum : sic lumen fidei formatæ, quæ est socia charitatis. Item quantum ad luminositatem: quia lumen fidei formatæ est velut lumen diurnum solis : lumen verò fidei informis est vel vt lumen nocturnum lunæ.

¶ AD secundum dicendum,quod aliud est peccatum; fieri nō peccatum & aliud fieri peccatum formatum: quia plus est fieri formatum, quam nō esse peccatum. Sed nihil aliud est fidem fieri informem , quam fidem fieri non virtutem:& ideò non est simile.

¶ SI verò obiiciatur , quod nullum peccatum potest fieri non peccatum : ergò nulla virtus potest fieri non virtus. Respondent, quod hæc est falsa, nullum peccatum potest fieri non peccatum:& instant in ignorantia iuris diuini,seu canonici:quod tenetur scire Sacerdos habens curam,prout pertinet ad ordinem, hæc ignorantia ante pœnitentiam est ei peccatum. Sed tamen aduertenti nulla est similitudo : non enim ita se habet peccatum ad formationem , sicut virtus ad deformationem , seu informitatem: quia peccatum est est actus transiens , virtus verò est habitus manens : & ideò actui transeunti non potest forma indui.quamuis habitui manenti possit forma detrahi.

¶ AD tertium dicendum, quod illud, quod obiicitur de amore naturali:non facit hoc ad propositum : nam hic loquimur de amore gratuito, & cognitione gratuita fidei. Præterea,amor informat cognitionem , non cognitio amorē : bonum enim dicit rationem completiorem, quàm verum:

verum:vnde & si dicatur charitas informare fidem secundùm hãc ratione:non tamen fides informare charitatem.

¶ Ad quartum patet responsio ex prædictis.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non est simile de charitate & fide: & ratio, est, quia nulla dilectio potest talis esse, q ea diligantur omnia diligẽda, & Deus super omnia; quæ sit cum peccato:& hoc est, quia dilectione, quæ est cũ peccato, non diligitur Deus, vt diligendus est: nec etiam homo debito modo diligit se: cùm peccate sit, sibiipsi mortem spiritualem inijcere. Fides verò potest omnia credenda credere, & primæ veritati super omnia: & esse cum peccato. Inde ergò manifestum est, quod charitas non potest esse informis: fides verò potest.

MEMBRVM V.

De effectu fidei informis in hominibus.

Deinde quæritur de effectu fidei informis in hominibus. Circa quod quæruntur duo. Primò de effectu interiori proprio, qui est credere. Secundò de effectu exteriori communi, qui est in faciendo aliqua de genere bonorum.

ARTICVLVS I.

Actus fidei informis quis?

Circa primum nota: quod dicitur ad Rom. 4. super illud. *Credenti in eum, qui iustificat impium*, &c. Gloss. Rom. 4. Glossa. August. *Attende, quod dicit credenti in eum, non ei*: aliud enim est credere in eum, aliud credere ei, aliud credere illum (Credimus enim Petro, sed non in Petrum.) Credere illi est credere esse vera, quæ loquitur; quod & mali faciunt: credere illum, est credere, quod ipse sit Deus quod & mali faciunt (vnde Iacob. 2. *Dæmones credunt*.) credere verò in Iacob. 2. eum, & credendo amare, & credendo in eum ire: & eius membris incorparari. Cùm ergò fidei informis non sit credendo amare: actus eius non erit credere in Deum: sed actus iste erit fidei formatæ. Quæritur ergò, quis dicatur actus informis fidei: videlicet, aut credere Deo, aut credere Deum.

¶ Præterea, cùm credere dicatur his tribus modis: credere Deo, credere Deum, & credere in Deum: quæ est ratio huiusmodi distinctionis.

RESOLVTIO.

Actus fidei informis est, credere Deo, & credere Deum.

¶ Responsio. Cùm fides dicatur tribus modis, prout supradictum est: vno enim modo fides dicitur habitus acquisitus ex ratione vel testimonio: secundò modo fides dicitur habitus infusus gratuitus: & hoc duobus modis, vno modo habitus eleuans intellectum tantum supra se ad assentiendum primæ veritati propter se; & hoc modo, quia solùm eleuat intellectum, non mouens affectum per amorem, dicitur habitus informis: alio modo dicitur eleuans intellectum & affectum & assentiendum veritati, & amandum propter se: & hæc est fides formata. Cùm ergò credere dicatur tribus modis, credere Deo, Deum, & in Deũ: à fide primò modo dicta, quæ est habitus acquisitus: potest elici motus, qui est credere Deo; hoc est, dictis eius adhibere fidem: ex fide verò secundò modo dicta, quæ est habitus imperfectus, seu informis, non solùm elicitur credere Deo, sed etiam credere Deum: prout credendus est trinus & vnus, Creator & Redemptor: quod non potest elici ab habitu acquisito. Item à fide tertiò modo dicta, quæ est habitus perfectus & formatus, non solùm elicitur credere Deo, vel credere Deum, sed credere in Deum: hoc est credendo per effectum moueri in Deum. Ex his igitur manifestum est, quid sit actus interior fidei informis in hominibus.

¶ Ad illud verò, quod quæritur secundò de distinctione istorum trium, credere Deo, Deum, & in Deum. Iam patet differentia ex parte eius quo creditur. Et ex parte eius, quod creditur, hoc est, rei creditæ; accipitur differentia hoc modo: nam Deus accipitur credulitate fidei tribus modis, vt veritas, vt potentia, vt bonitas. Secundùm primum modum est credere Deo, comparatione scilicet, ad veritatem: hoc est, veracem esse quæ dicit. Secundo modo est credere Deum, comparatione ad potestatem; videlicet omnipotentem, & Creatorem, & huius sequentes articulos. Tertiò modo est credere in Deum, comparatione ad bonitatem, in qua tenditur per amorem.

ARTICVLVS II.

De effectu fidei informis in opere exteriori.

Consequenter quæritur de effectu fidei informis in opere exteriori. Et hæc est quæstio generalis de operibus factis extra charitatem: quæ eliciuntur à fide informi. Solet autem poni communiter, quod valeant ad tria. Primò ad assequendum bonum temporale. Secundò ad habilitationem gratiæ. Tertiò ad diminutionem pœnæ æternæ.

An fide informi bonis operibus temporalia bona mereri contingat? §. 1.

¶ Qvantvm ad primum quæritur. Vtrum fide informi bonis operibus mereatur quis bona temporalia. Ad quod sic Isa. 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis*. Et Exod. 13. *Dabit vobis terram fluentem lacte & melle*. Cùm Deus sit verax, debet implere promissum: ergò si Iudæi opera legis fecissent, debebat eis Deus bona temporalia, quæ promisit: ergò de iustitia debebantur eis bona temporalia. Cùm ergò ex fide informi possent facere huiusmodi opera: ergò de iustitia debebantur eis temporalia: ergò merebantur illa: quia, quod debetur ex bonis operibus ex iustitia, debetur per modum meriti. Isa. 1. Exod. 13.

¶ Item, operibus virtutum debentur bona æterna: non ex bonitate ipsorum operum, quia improportionaliter se habẽt opera meritoria ad suum præmium; quod est Deus: ergò si illa opera sint meritoria tanti prẽmij, non est ex bonitate sua, sed ex promissione Dei. Ergò eadem ratione contingit ex promissione Dei, quod bonis operibus factis extra charitatem mereretur aliquis bona temporalia: quoniam magis distat Deus in bonitate ab operibus meritorijs, quàm bona temporalia ab operibus bonis factis extra charitatem.

¶ Item, super illud Iob. 31. *Omnipotens Deus omnes vias meas considerat: & omnes gressus meos dinumerat*: dicit Interlin. *Nulla bona vel mala sunt sine remuneratione*. Ergò omne bonum habet aliquam remunerationem: sed non habet remunerationem boni æterni: ergò habet remunerationem boni temporalis: ergò aliquis meretur per ipsum bonum temporale. Iob 31. Glossa.

¶ Item, aliquis fodiens in vinea alicuius, meretur ab eo bonum temporale recta ratione merendi: ergò aliquis laborans in vinea Domini, multò fortius meretur apud ipsum bona temporalia recta ratione merendi: sicut patet de illo, qui prædicat verbum Domini bona voluntate & bona intentione sine charitate.

¶ Forte dicet quis, quod ista argumentatio non valet: quoniam non est simile: quia homo considerat opus exterius: Deus autem considerat opus interius, quoniam non considerat quantum, sed ex quanto: Deus enim considerat cor. Cùm igitur in corde eius non sit radix meriti, scilicet charitas; nihil meretur apud Deum.

¶ Contra. iste fodiens in vinea; & si seruiat isti, licet non ex amore, quoniam istum non diligit; tamen propter laborem suum meretur apud eum recta ratione merendi. Ergò multò fortius cùm Deus sit largissimus & benignissimus, licet iste seruiat ei non ex charitate: meretur tamen apud eum bona temporalia recta ratione merendi.

¶ Item, iste habet bonam voluntatem, & bonam intentionem: & pro Deo facit quod facit: radix est bona: fructus eius bonus, & finis bonus: ergò habet per quod placeat Deo: & facit etiam per quod placeat Deo: ergò recta ratione merendi meretur apud Deum bona temporalia.

¶ For-

¶ Forte dices, quod non: quoniam non est seruus Dei, sed seruus diaboli: quoniam per peccatum mancipauit se seruitio diaboli. Contra, Iudæi erant obligati Deo ad faciendum opera legis: quoniam susceperant legem. Sicut igitur qui laborat in vinea, meretur bona temporalia recta ratione merendi: & hoc propter pactum, quod interuenit: eadem ratione Iudæi propter pactum merebantur bona temporalia faciendo legem Dei.

¶ Item, obligati erant ad faciendum præcepta Dei: ergò obligati erant seruire Deo: ergò mancipati erant seruitio Dei.

Iob 40. ¶ Item, diabolus seruus Dei est: sicut dicit Dominus Iob 40. *Nunquid eum facies tibi seruum in sempiternum*: quasi diceret, tu non potes facere, sed ego faciam. Cùm ergò diabolus sit seruus Dei solius naturæ peccato: multò fortius homo licet sit peccator: seruus est Dei, & pacto naturæ, & pacto baptismi.

August. ¶ Contra. Aug. dicit: quod peccator non est dignus pane, quo vescitur.

¶ Item, si propter opus bonum factum extra charitatem, meretur aliquis bonum temporale: ergò propter maius bonum opus meretur maius bonum temporale: ergò si Deus non dat, iniustè agit cum eo: quod falsum est. Multis enim bonis, aufert bona temporalia, quæ malis dat in abundantia: nec tamen agit cum eis iniustè.

¶ Item. obiicitur: aliquis existens in mortali, facit multa bona propter Deum: quia diligit Deum naturali

Prouer. 8 dilectione, vel ex fide informi: inde sic: Dominus dicit. *Ego diligentes me diligo*. Prou. 8. Sed iste diligit Deum, & dilectione Dei facit opera illa, quæ facit: ergò Deus diligit illũ, & in suis operibus: ergò diligit istum, vel ad bona æterna, vel ad gratiam conferendam, vel ad bona tẽporalia. Ad bona æterna non, quia est in peccato mortali: ad gratiam non: quia est indignus: ergò diligit eum ad bona temporalia: & necessarium est ipsum diligere ad illa: ergò necesse habet ei dare illa bona temporalia: ergò ex necessitate dat ei bona temporalia: & non potest non dare ei, quia diligentes se diligit.

¶ Contra, ex mera liberalitate sua dat ei, quoniam ea, quæ dantur ex misericordia, ex sola liberalitate dantur vel voluntate: non ergò ex necessitate.

Ezech. 26 ¶ Item, dicit Dominus in Ezech. 26. *Fili hominis, quia Nabuchodonosor seruiuit mihi in Tyro, da ei Ægyptum.* Hæc dictio, *quia*, nominat causam, ergò vel materialem, vel formalem, vel finalem, vel efficientem. Constat, quod non materialem, nec formalem, nec finalem: ergò notat causam efficientem. Sed duplex est causa efficiens, scilicet per modum agendi, vel per modum merendi. Sed non potest dici, quod sit causa efficiens per modum agendi: quia Nabuchodonosor non fecit hoc actu, vt haberet Ægyptum: ergò notat causam efficientem per modum merendi; ergò Nabuc. licet infidelis esset; meruit bona temporalia: ergò multò fortius fideles, licet sint in peccato; bonis operibus suis merentur bona temporalia.

RESOLVTIO.

Propriè loquendo, ex bonis operibus fide informi factis, nec temporale, nec æternum bonum aliquod mereri contingit.

¶ Solvtio. Dicendum, quod nullus seruit Deo (propriè loquendo) nisi qui facit, quod Deus præcepit, & sicut præcipit. Vnde qui facit aliquid de genere bonorum sine charitate: non seruit propriè Deo. Licet enim faciat, quod Deus præcipit: non tamen facit, sicut Deus præcipit: quoniam non facit illud ex charitate, quæ est impletio legis:

Rom. 14. sicut dicit Apostolus ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. id est, inutile: vnde omne, quod non est ex fide & charitate, non potest esse seruitiũ: quo (propriè loquendo) seruiatur Deo: & ideò ex tali opere (propriè loquendo) non meretur aliquod bonum temporale, nec æternum.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: quod Deus Iudæis debebat temporalia. Dicendum, quod quamuis verbum debendi, quia est verbum obligationis, non dicatur de Deo propriè, quia (sicut dicit Ansel.) Deus nulli debet aliquid: tamen secundùm quod debere dicitur cõdecentia suæ bonitatis: dicendum, quod debebat eis temporalia de iustitia: non de iustitia operum, cùm non esset in statu merendi, quoniam illis operibus non merebantur bona temporalia: sed debebat de iustitia, id est, de veritate & fidelitate sua: quoniam verax est in verbis suis, & fidelis in promissionibus: & ita patet solutio ad primò obiectum.

¶ Ad secundum obiectum dicimus: quod operibus meritorijs debetur beatitudo, non tamen ex promissione: sed quoniam opera illa sunt seruitia, quibus seruitur Deo dignè. Opera verò facta extra charitatem, non sunt seruitia, quibus seruiatur Deo: quoniam qui est in peccato mortali est in actu seruiendo diabolo, & non Deo: quoniam tantum ille, qui est in statu gratiæ, est in statu seruiendi Deo.

¶ Ad tertiò obiectum dicendum, quod nec bona, nec mala sunt sine remuneratione aliqua: ita tamen quod remuneratio accipiatur impropriè: Deus enim pro bonis operibus factis extra charitatem quodammodo remunerat hominem: quia dat pro eis aliquod bonum temporale, tanquam meruisset illud: cùm tamen non meruerit: cùm sit indignus etiam pane, quo vescitur. Nec valet hoc argumentum: omne malum est dignum punitione: ergò omne bonum est dignum remuneratione. Nec est locus à contrarijs: quoniam malum culpæ, & bonum generaliter acceptum, non sunt contraria: sed malum culpæ & bonum gratiæ sunt contraria. In hoc autem apparet largitas Dei: quia bonum huiusmodi, licet non sit dignum remuneratione, tamen Deus quasi dignum esset, remunerat illud.

¶ Ad quartum dicendum, quod non est simile de fodiente vineam, & prædicatore: quoniam fodiens in vinea solo labore suo facit, quod intendit ille, cuius est vinea: sed homo peccator, siue prędicator, siue alius non facit ꝙ intendit Deus: nisi faciat illud ex charitate; & ita non seruit, nisi seruiat ex charitate, quoniam seruire Deo regnare est: qui autem est in mortali, licet faciat aliquid propter Deum, tamen Deus non est principale mouens ad illud: sed mouetur ad illud opus faciendum, vel timore pœnæ, quam timet incurrere propter peccata: vel pro alia vtilitate, quam intendit natura, vel fides informis. Quia ergò nunquam Deus est principale mouens cor hominis, nisi per Fidem, Spem, & Charitatem: & nunquam est purè gratuitum opus, nisi ex gratia gratum faciente: sicut pleniùs patebit in *Quæstione de Dilectione naturali*.

¶ Qvod autem obiicitur: bona est radix, bona intentio, bonus finis: ergò iste habet vnde placeat Deo: siue vnde Dominus delectetur in eo. Dicimus, quod non valet hæc argumentatio: quoniam eius intentio non est bona bonitate gratuita: vt patet ex dictis.

¶ Ad illa, quæ obiiciuntur: quod Iudæi erant obligati seruire Deo. Dicimus, quod verum est, quod obligati erãt seruire: sed non seruiebant: & ideò propriè non erant serui Dei: nisi dicatur, quod erant serui Dei, quia tenebantur ei seruire ex pacto. Diabolus autem dicitur seruus Dei, vel seruire Deo impropriè: quoniam ex malis operibus diaboli elicit Deus bonum: ei enim militat omne, quod obstat.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod existens in mortali facit bona opera propter Deum, id est, quia diligit Deum Anselm.
naturali dilectione, &c. Dicendum secundùm Anselm. quod duplex est necessitas, scilicet necessitas immutabilitatis, & necessitas coactionis. Primò modo ex necessitate dat, quia immutabiliter dat: secundò modo non: sed non valet, ex necessitate dat, non ergò ex misericordia: quoniã misericordia Dei est eius largitas superfluẽs: qua etiam indignos aliquo modo remunerat.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hæc dictio, *quia*, non notat causam efficientem, nec in agendo, nec in merendo nec in mouendo; vt quidam dixerunt, quod actio Nabuchodonos. non mouit largitatem Dei: quia Deus nullis actionibus mouetur: sed dicit causam receptiuam doni, ad quam consequitur largitio diuini beneficij. Cùm enim Deus sit summè largus, semper est paratus dare: sed creatura

tura non semper parata est recipere: præparatur autem homo ex operibus de genere bonorum ad recipiendum à Deo, vel bonum temporale, vel bonum spirituale. Dicendum ergò, quod, *quia*, dicit causam receptiuam, vel dispo-nentem in Nabuchodonosor, ad hoc quod reciperet temporale beneficium à Deo.

An opera bona extra charitatem facta, ad quippiam valeant? §. 2.

CONSEQVENTER quæritur, quomodo opera bona facta sine charitate valeant ad habilitationem gratiæ: & ad diminutionem pœnæ. Ad primum sic. Si per talia opera habilitat se homo ad suscipiendam gratiam: ergò quanto magis exercet se in talibus operibus, tantò propinquior est gratiæ.

¶ CONTRA. Peccator quantò magis moratur in peccato suo magis est peccator: quoniam malitia non potest minui, sed crescit per circumstantiam temporis. Sed quantò magis est peccator: tantò magis remotus est à gratia: sed iste est magis peccator, quàm priùs per circumstantiam temporis: ergò magis est remotus à gratia quàm priùs.

¶ RESPONSIO. Concedendum, quod talis in tali statu remotior est à gratia, & propinquior est gratiæ quàm priùs: sed secundùm diuersa. Est enim remotior secundùm quantitatem peccati: propinquior autem, secundùm habilitationem suscipiendam: sicut æger, quando est in augmento morbi iuxta crisim, remotior est à sanitate propter augmentum morbi: quia magis tamen habilis est, vt educatur, quàm priùs.

¶ AD secundum arguitur sic. Dicũt enim omnes, quod bona opera nostra extra charitatem valent ad diminutionem pœnæ æternæ.

¶ SED contra. Per vnum bonum opus dimittitur aliquantum de pœna æterna: & per aliud tantùm: ergò tot potest facere bona opera, quod non sentiet pœnam inferni.

¶ CONTRA. Dicendum, quod in mortali: ergò sentiet pœnam inferni.

RESOLVTIO.

Quinimò, & ad sex, scilicet, ad bonum temporale, ad habilitationem gratiæ, & ad diminutionem pœnæ æternæ: item ad retardandum peccatum, ad assuefactionem bonorum operum, & ad impediendum, ne crescat, augeatve ipsum peccatum.

¶ RESPON. Dicimus, quod bona opera facta extra charitatem valent ad diminutionem pœnæ æternæ: non quæ debetur, sed quæ deberetur, nisi faceret illa bona opera. Quod patet: non enim posset diu esse, quin caderet per peccatũ vnum in aliud: quia peccatum, quod per pœnitentiam citò non diluitur: suo pondere ad aliud trahit. Valent ergò bona facta extra charitatem ad prædicta tria: ad bonum temporale, ad habilitationem gratiæ, & ad diminutionem pœnę. Valent etiam ad alia tria: ad retardandum peccatum; quoniam peccatum est ignis, seu febris consumens totam animam: nisi per bona opera retardetur ne procedat: sicut gallina apposita morbo regio non sanat morbum regium, sed retardat, ne procedat vlterius. Valent etiam ad assuefactionem bonorum operum; quoniam per ista se assuefacit homo ad bonum: quoniam quod malè fers, assuefactus, feres. Valent etiam ad circumstantiam temporis, ne peccatum crescat in mora, nec augmentetur in eo peccatum: quoniam quandiu homo insistit bonis operibus, non est in mora, nec augmentatur in eo peccatum, nec est etiam in eo negligentia, nec mora: sed istud est quæstionis: cùm disputatur de circumstantijs peccati.

MEMBRVM VI.

An fides informis in hominibus, adueniente charitate, formata fiat?

POSTMODVM quæritur. Vtrum fides informis in hominibus adueniente charitate fiat formata. Ad quod sic. *Nihil corrumpitur, nisi à suo contrario:* sed fides informis non contrariatur charitati, nec secundùm actum, nec secundùm habitum, sed solùm secundùm informitatem suam: ergò ipsa non corrumpitur adueniente charitate, nisi secundùm informitatem.

¶ ITEM, hoc idem videtur per simile: in alijs informibus sic est, quod adueniente sua forma, non corrumpuntur: sed solummodo euacuatur eorum informitas: ergò similiter erit in fide adueniente charitate.

¶ ITEM, magis distant habitus naturalis, & habitus infusus non gratum faciens; cùm sit differentes secundùm principia, & secundùm effectus, quàm habitus infusus nõ gratum faciens & habitus infusus gratum faciens: cùm non sint differentes quantum ad principium: quia vterq; est à principio gratiæ; sed secundùm effectum. Si ergò ita est, quod habitus infusus non gratum faciens (vt fides informis) non euacuat habitum naturalem siue acquisitum: sicut est aliqua cognitio de Deo, quæ habita est per rationes: ergò multò fortius, nec charitas, vel fides formata adueniens euacuabit fidem informem.

¶ ITEM, fidei formatæ est credere in Deum: fidei verò informis est credere Deo, & credere Deum. Si ergò credere in Deum non euacuat credere Deo, siue Deum, sed necessariò ponit: ergò nec fides formata euacuabit informem: sed potiùs ponet ipsam.

¶ ITEM, super illud Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est,* &c. dicit glos. *Quibus reuiuiscit.* Sed quod reuiuiscit, manet: ergò fides informis manet, vita adueniente. Iacob. 2. Glossa.

¶ CONTRA, plus conueniunt fides formata, & visio gloriæ: quàm fides informis, & formata: ergò cùm fides formata non possit manere adueniente visione: ergò nec fides informis adueniente formata.

¶ ITEM, adueniente charitate, excluditur timor seruilis, qui generatur ex fide informi: quemadmodum ex fide formata generatur timor initialis, vel filialis: ergò adueniente charitate euacuabitur fides informis.

¶ ITEM, adueniente vita, excluditur mortuum: charitas autem vita est, fides verò informis mortua: ergò adueniente charitate euacuabitur fides informis.

¶ ITEM, cum fide formata posita, ponatur credere Deum, Deo, & in Deum: superfluum erit ponere fidem informem, cùm non sit necessaria ad aliquem actum: ergò euacuabitur, adueniente charitate.

RESOLVTIO.

Fidem informem formatam fieri posse, quidam affirmant, quidam negant: prioribus tamen magis adhærendum videtur.

¶ AD hoc breuiter ferè omnes dixerunt, quod adueniente charitate maneret fides informis secundùm substantiam: sed euacuaretur quantum ad informitatem: tamen differenter. Quidam enim dixerunt, quod maneret & fieret virtus, seu fides formata adueniente charitate, quantum ad habitum, & quantum actum: ita quod in habente charitatem est habitus fidei, ex quo est credere in Deum: & iste est habitus fidei formatæ. Alij verò dixerunt, quod manebat: non tamen fiebat fides formata; imò erat differẽs secundùm habitum. Et tamen in hoc fuerunt duæ opiniones: nam quidam dixerunt, quod manet fides informis cum fide formata, quantum ad habitum, & quantũ ad actum: ita quod in habente charitatem est habitus fidei, ex quo est credere Deum; qui potest esse in formis: & habitus, ex quo est credere in Deum: & iste est habitus fidei formatę. Alij verò dixerunt, quod manet cum fide formata, secundùm habitũ, sed euacuatur secundùm actum:

sicut

sicut adueniente maiori lumine, euacuatur actus minoris luminis; non tamen habitus: sicut apparet in aduentu luminis solis respectu luminis stellarum: eodem modo adueniente luce fidei formatæ euacuatur actus fidei informis: tamen manet habitus. Concedo ergò secundùm istos quod fides informis maneat, adueniente charitate.

¶ Ad primum dicendum, quod quantum ad illud, in quo conueniunt fides formata & visio gloriæ: non euacuat visio fidem formatam, sed eam perficit: & hæc cõuenientia est in assensu primę veritatis propter ipsam. Sed quãtum ad illud, in quo differunt, seu opponuntur, visio gloriæ euacuat fidem: & hæc differentia attenditur, quantum ad cognitionem, seu ad visionem. Per fidem enim est cognitio in vmbra & in speculo: per gloriam verò est cognitio Dei in luce & in specie, sicuti est: quo ad hoc ergò euacuat visio gloriæ fidem. Similiter ex alia parte dicendum, quod fides formata non euacuat fidem informem secundùm illud, in quo conueniunt. Sed perficit: sed secundùm illud, in quo differunt, siue opponuntur. Cùm ergò conueniãt in hoc, quod vtraque est fides: differant aũt secundùm informitatem & formatum: solùm ergò euacuabit fides formata fidem informem quantum ad suam informitatem: non quantum ad fidem seu suam essentiam.

¶ Ad secundum dicendum, quod adueniente charitate non euacuatur timor seruilis, quantum ad timorem, sed quantum ad seruilitatem: quæ quidem est opposita charitati, (ponit enim voluntatem peccandi) manet autem secundùm timorem. Eodem modo ex hac parte, adueniente charitate euacuatur informitas: quæ ponit affectum debiti amoris, sine debitæ formæ, & manet fides.

¶ Ad tertium dicendum: quod aliter dicitur, *mortuum & viuum*, circa habitus: aliter circa actus & opera. In operibus enim *mortuum* dicitur duobus modis: vno enim modo dicitur opus mortuum: quod fit extra charitatem, quæ est principium vitæ: & hoc modo opus mortuum nunquam reuiuiscit adueniente charitate: alio modo dicitur opus mortuum, opus mortificatum: quo, scilicet, factum fuit ex charitate, sed amissa charitate, quæ est principium vitæ, per mortale peccatum mortificatum est: & hoc modo opus mortuum reuiuiscit adueniente charitate. Primò ergò modo opus mortuum non est susceptabile vitæ: secundò modo est susceptibile vitæ. In habitus verò *mortuũ*, dicitur duobus modis: vno modo dicitur habitus mortuus per priuationem operis: & hoc modo dicuntur mortui habitus, secundùm quem modum dicit gloss. super illud Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est*, &c. Reuiuiscit operibus. Alio modo dicitur habitus mortuus à priuatione principij vitæ: quod ad charitas: & hoc modo dicitur fides informis mortua: & inquantum mortua est, euacuatur: sed secundùm substantiam viuificatur, adueniente charitate, & manet. Non autem est simile de actione mortua & habitu: actio enim mortua nõ potest viuiscere, secundùm quod dictum est: quoniam illa actio, quæ fuit sub priuatione, non manet secundùm actum, nec secundùm meritum: sed statim transit: habitus verò manet: & ideò habet possibilitatem vt formetur & viuificetur, cùm non est formatus.

Iacob. 2.

¶ Ad vltimum respondendum est: quod non est superfluum ponere fidem informem, etiam posito quod euacuatetur per fidem formatam secundùm actum: quoniam amissa charitate, seu fide formata, vtilis est & necessaria fides informis: quemadmodum non superfluit lumen lunæ & stellarum, quamuis adueniente sole euacuetur: cum recedente sole, necessarius fi[...]tus luminis lunæ & stellarum.

MEMBRVM VII.

An in dæmonibus sit fides informis?

Deinde quæritur. Vtrum fides informis sit in dæmonibus. Ad quod sic. Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* — Ibidem.

¶ Item, ad Rom. 1. *Ex fide in fidem*, &c. Gloss. *Est fides informis, quæ est dæmonum: & nominetenus Christianorum: hæc est informis qualitas mentis.* — Rom. 1. Glossa.

¶ Item, Luc. 5. super illud. *Scimus, quoniam Filius Dei es:* Gloss. Bedæ. *Erubescat Manichæus, qui dicit Christum creaturam solum: cum dæmones confiteantur, quod sit Filius Dei.* Sed hæc confessio non erat ex scientia, quam haberent: ergò ex fide. — Luc. 5. Glossa.

¶ Item, ad Galat. 5. *Fides, quæ per dilectionem operatur*, glo. *Fides cum dilectione Christiani est: sine dilectione dæmonum est.* — Galat. 5. Glossa.

¶ Item, ad Titum 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Gloss. *Fides talium morum propriè est dæmoniorum.* Ex his ergò relinquitur, quod fides informis est in dæmonibus. — Titum 1. Glossa.

¶ Contra, Genes. 24. *Vocemus puellam.* Interlinea. *Fides est credere ex voluntate, non ex necessitate.* Item August. *Cætera potest homo nolens, credere non potest, nisi volens.* Ex hoc arguitur: omne credere est motus voluntarius in summam veritatem: sed nullus motus voluntarius est diaboli in summam veritatẽ: ergò nullum credere est diaboli, quod sit in genere boni: ergò nec fides informis. — Gen. 24. Glossa. August.

¶ Item, credere est (sicut dicit August.) cogitare cum Ascensione: ergò, qui credit primam veritatem, cogitat & assentit primæ veritati. Si ergò diabolus nunquam assentit (quia in Psalm. 73. dicitur. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*) relinquitur, quod diabolus habet odio veritatem: ergò non credit. — Idem. Psalm. 73.

¶ Item, arguitur planiùs. Si credere est assentire veritati: discredere est dissentire veritati. Si ergò diabolus dissentit à veritate: ergò non credit.

¶ Item, 2. ad Cor. 6. *Quæ est conuentio Christi ad Belial?* Gloss. *Sicut Christus omnia egit benè: ita diabolus omnia egit malè.* Cùm ergò credere sit actus gratuitus, nec malus, nec mala intentione possit fieri: quemadmodum nec diligere (Assentire enim primæ veritati non potest malè fieri propter se.) ergò credere huiusmodi, non potest esse diaboli. — 2. Cor. 6. Glossa.

¶ Item, August. *Credibilium tria sunt genera: quædam creduntur, & nunquam intelliguntur; vt historia, quæ humana gesta percurrunt: quædam creduntur, & simul intelliguntur; vt rationes de numeris & de figuris in disciplinis, & vt principia scientiarum: quædam verò prius creduntur, & postea intelliguntur, vt diuina, iuxta illud Isa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis:* & ad hoc perueniunt mundi corde; iuxta illud Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Si ergò diabolus non potest esse mundi cordis: non potest hoc modo tertiò credere: ergò si credat, hoc est solùm primò modo, vel secundò. Sed secundum quod credere est primò modo, vel secundò: non est credere fidei formatæ, vel informis: ergò fides informis non est in dæmonibus. — August. in lib 83. qq. q. 48. Isa. 7. Matth. 5.

RESOLVTIO.

Cùm in dæmonibus veritatis diuinæ cognitio sit, & absque amore: proculdubiò fides informis in iis asserenda est esse.

¶ Responsio. Concedo, quod in dæmonibus est fides informis: sicut dicunt auctoritates. Cùm enim in eis sit cognitio veritatis diuinæ, quam non vident; fides in eis est. Item, cùm veritas, quam credunt, sit excedens rationalem intellectum: vt quia Deus est trinus, & vnus; & quia Filius Dei est humanatus, & passus: ideò fides huius veritatis est donum gratuitum, siue habitus non naturalis, vel acquisitus. Quia ergò huiusmodi fides in dæmonibus sine amore est omninò: ideò est huiusmodi fides informis.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur: quod nullus credit nisi volens. Respondent quod hoc intelligitur de credere, secundùm quod est motus fidei formatæ; nam credere secundùm quod est motus fidei informis, postea diabolus volens; in hoc enim, quod sentit se puniri à diuina virtute in Christo, inuitus cogitur credere Deum humanatum: & hoc modo intelligendum est in cæteris. Vel potest dici melius: quod sicut in sensu contingit à sensibili tristabili, vt in tactu à nimio calore ignis est appetitus naturalis in sensu respectu sensibilis, non inquantum contristantis, vel lædentis: vnde tactus appetitu naturali inclinatur ad

calorem, sed inquantum excedit & offendit, refugit calorem. Sic diabolus per naturalem appetitum inclinatur in summam veritatem absolutè: sed inquantum inuenit improportionalem malitiæ sui arbitrij, inuenit eam offendentem & contristantem: & ideo refugit illa: vnde secundùm quod dicit B. Augustinus de peruersis hominibus, qui diligunt veritatem vt lucentem, sed odiunt vt redarguentē: ita diabolus vult cognoscere veritatem diuinam vt lucet; sed nollet ipsam cognoscere vt redarguit, seu vt punit. Et ita credere diaboli partim erit voluntarium, partim inuoluntarium.

Aug. in li. de Trin.

¶ Ad secundum, quod dicit Augustinus, quòd credere est cogitare cum assensione: nō intelligitur nisi de fide, quæ mouet in ipsam veritatem. Moueri autem est duobus modis: voluntate plena, sicut est à fide formata: vel voluntate imperfecta, sicut contingit à fide informi in hominibus peccatoribus. Voluntas plena significatur per indicatiuum, vt cùm dicitur, volo: voluntas imperfecta per optatiuum, vt cùm dicitur, vellem. Et hoc importat ipsum verbum, assentire: quod est idem quod sentire ad: vnde assentire ponit quodammodo inclinari, vel ad ipsam veritatem tendere. Vnde secundū hoc dicimus; quod credere diaboli non habet assensum veritatis; habet tamen sensum veritatis. Vnde possemus conuenienter distinguere, sentire veritati, assentire veritati, consentire veritati. Fides dæmonis in suo credere habet sentire, sed non assentire, vel consentire. Fides informis hominis habet sentire, & assentire. Fides verò formata habet sentire, assentire, & consentire. Sentire enim ponit accipere de veritate, quoniam est; quod facit dæmon: assentire verò est accipere de veritate quoniam est: & ad ipsam distanter inclinari, quod potest facere fidelis peccator: & hoc notat hæc præpositio, ad, ad enim dicit finem remotum: vt, cùm dico, vado ad ecclesiam, cùm adhuc disto: consentire verò ponit de veritate accipere: quoniam est; & ipsi veritati amore coniungi; quod facit fidelis existens in charitate. Vnde dicitur credere in Deum, credendo amare, & credendo adhærere, & credendo in eum ire, quod est notabile; quia, in, non dicit finem remotum, sed finem proximum: vnde non dicimus ire in domum, nisi cùm sumus proximi: tamen dicimus ire ad, cùm sumus remoti. Ideo fide formata dicimur in Deum tendere: fide verò informi, prout in hominibus, dicimur ad Deum tendere.

¶ Ex his igitur patet: quòd ex fide dæmonis est cogitatio cum sensu veritatis: ex fide informi in hominibus cogitatio cum assensu: ex fide verò formata cogitatio cum consensu.

¶ Ad tertium dicendum: quòd prima veritas potest considerari duobus modis, consideratur enim veritas vt veritas, & consideratur veritas vt bonitas. In consideratione qua cōsideratur veritas vt bonitas, diabolus dissentit à veritate: & illud dissentire non est discredere veritati, sed discordare, vel non consentire veritati: Item in consideratione, qua consideratur veritas vt veritas, potest accipi veritas vt lucens, vel vt arguens, secundùm August. Si accipiatur vt redarguens: sic iterum diabolus dissentit veritati: & illud dissentire non est discredere, sed displicere: displicet enim ei veritas; quia ipsum offendit. Si verò accipiatur veritas vt lucens: sic dicitur diabolus veritati non dissentire: sed ex hoc quod nō dissentit, non potest assentire, vel consentire, sicut dictum est: & est exemplum in oculo ægro, qui sentiens lucem, non dissentit à luce vt lucente: sed dissentit ab ea, vt offendente.

¶ Ad quartum dicendum secundùm quosdam, quòd illud diabolus egit omnia malè: intelligitur de motibus, qui procedunt à suo libero arbitrio, sed credere & confiteri quòd Christus esset filius Dei, non procedit à libero arbitrio diaboli, vnde dicit Glo. super illum locum Luc. 3. Scimus, quoniam filius Dei es: *Extorta confessio est: quia diabolus confitetur illum hominem esse filium Dei.* Sed potest dici aliter, quòd nō dicitur quod omnia, quæ egit diabolus, sint mala: sed quod mala egit omnia: aliud enim est facere malum, aliud facere malè: bonum enim potest malè fieri. Dicendum ergo secundum hoc, quod credere diaboli, licet non sit malus actu, fit tamen à diabolo malè semper: quia & si credat sentiendo veritatem; tamen sentiendo ipsam resilit, & discordat ab ipsa; & ideo malè fit: ita & si confiteatur veritatem, displicet ei veritas, quam pœnis vrgentibus cogitur confiteri.

¶ Ad vltimum dicendum, quòd illa auctoritas Augustini distinguit genus credibilis: nec dicit distinctionem ex parte credentis: ideo quamuis credibile in tertio genere natum sit intelligi illo ordine, vt prius credatur, & postea intelligatur: non tamen semper consequitur intellectus fidem credibilis: & hoc non propter defectum credibilis, sed propter defectum, qui potest esse ex parte credentis: defectus autem iste est immunditia cordis. Dicendum ergo, quod diabolus credit tertio genere credibilia: nec sequitur, quia non potest esse mundi cordis: ergo non potest hoc genere credere: sed sequitur, ergo non potest intelligere: secundùm quod intelligere dicit actum beatitudinis, qui est in videndo Deum mundo corde: secūdùm quod dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde.*

MEMBRVM VIII.

An ante peccatum, vel post peccatum data sit dæmonibus fides informis?

POSTEA quæritur: posito quòd in dæmonibus sit fides informis: vtrùm data sit eis ante peccatum, vel post peccatum? Si diceretur, quod data fuit eis ante peccatum. Contra: fidei est videre per speculum in ænigmate: hoc est, obscurè, sicut dicitur 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, &c.* Si ergo ante peccatum non erat visio in angelis in obscuritate: ergo nec fides.

¶ Item, boni angeli & mali pares erant ante peccatum: sed in bonis angelis non ponitur ante confirmationem fides, seu cognitio per fidem: quia nec in homine ante peccatum, (vnde Hugo dicit: *Cognouit homo creatorem suum, non ea cognitione, qua Deus à credentibus absens fide quaritur: sed ea, qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestiùs cernebatur.*) ergo nec ponetur in dæmonibus fides ante peccatum.

Hugo de S. Vict. in suis senēt. & li. 1. de sacramēt. par. 6. ca. 4.

¶ Item, Luc. 10. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, &c.* ibi dicit Glos. quòd peccatum vulnerat in naturalibus, & spoliat gratuitis. Si ergo peccatum dæmonum est maximum: ergo maximè vulnerati sunt in naturalibus, & spoliati gratuitis: ergo post peccatū nullus habitus gratuitus in eis remanet, ergo nec fides.

¶ Item, si dicatur, quòd data fuit eis post peccatum fides. In cōtrarium est: quia fides informis est habitus gratuitus; sed nullus reportat gratiam ex peccato, ergo non conuenit ei dare fidem post peccatum.

¶ Item, Ephes. 3. super illud: *Vt innotescat principibus & potestatibus multiformis sapientia Dei:* dicit Glos. quòd per prædicationem Apostolorum accreuit Angelis aliquid: quia in his, quæ euangelizabantur ab Apostolis, multa didicerunt. Ergo simili modo dæmones per scripturam, & miracula ad diuina sacramenta redemptionis humanæ peruenire * poterunt: ergo ex doctrina, vel prædicatione, & miraculis poterant habere fidem post peccatum: sed fides huiusmodi acquisita est, non gratuita, vel non infusa: relinquitur igitur quod non sint susceptibiles gratiæ post peccatum: ergo nec fidei informis, quæ est donum gratuitum. Quod autem non sint susceptibiles, ostenditur: mors non est susceptiua vitæ: quia frigidum manens frigidum, non est susceptiuum calidi: nec odiosus Deo gratiæ Dei, manens huiusmodi. Cùm ergo diabolus maneat odiosus post peccatum: relinquitur quod non est susceptibilis gratiæ post peccatum.

* al. poterant, vel, potuerūt.

RESOLVTIO.

Fides informis ante peccatum dæmonibus data est.

¶ Responsio. Dicendum, quòd in dæmonibus fides dupliciter est: vno modo fides, quæ est habitus acquisitus

litus ex miraculis & prędicationibus:alio modo fides,quę est habitus gratuitus,sed non datus eis post peccatum. Dicendum ergo, quòd primo modo fides eis aduenit post peccatum: sed hæc fides non dicitur fides informis, de qua hic loquimur:sicut patet ex dictis.Secundo modo dicitur habitus gratuitus, qui fuit eis datus ante peccatum: sed per peccatum alteratus. Ad cuius intelligentiam notandum,quòd in generali de credibilibus dabatur notitia Angelis ante lapsum,vnde dicit B.Bern.de Lucifero,quòd præuidit rationalem creaturam assumendam in vnitatem personæ filij Dei. Hæc autem notitia erat in eis sicut lux clara,non admixta tenebris; tamen diminuta respectu lucis gloriæ: sicut lumen stellæ respectu luminis solis ante peccatum: post peccatum verò fuit ipsa lux tenebris admixta, velut lux in vmbra. Et ideo quia est notitia in obscuritate, est in ænigmate & veritatis absentis, & ideo fides: quia verò sine charitate est, sicut lumen in vmbra* sine colore:ideo informis.

* al. sine calore.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur, quòd in Angelis ante lapsum non fuit fides: quia nec cognitio ænigmatica. Concedendum est: sed tamen in eis erat habitus cognitionis ante peccatum: qui interueniente obscuritate peccati, factus est habitus cognitionis ænigmaticæ. Quòd patet per exemplũ; contingit enim aliquid cognosci per causam,& iterum per coniecturas probabiles: quod autem sic cognoscitur, scientia apprehenditur: contingit autem interuenire obliuionem, quæ est sicut tenebra respectu causæ: & remanere coniecturas probabiles: & sic non deletur cognitio rei totaliter:sed solũ manet,inquantùm cognoscebatur per causam: non inquantùm cognoscebatur per coniecturas probabiles: manet igitur idem cognitionis habitus, sed alteratus, & diminutus. Habitus autem iste cùm erat ad cognoscendum rem per causam, erat habitus scientiæ: cum verò est ad cognoscendum res per coniecturas, solùm est habitus opinionis: fit igitur habitus scientiæ opinio. Simili modo dicendum: quod habitus cognitionis credibilium ante peccatum Angeli dupliciter erat: erat enim cognitio in diuina causa: hoc est in lumine causæ diuinæ, quæ est summa sapientia: & erat cognitio in effectu causæ: hoc est in lumine imaginis, vel speciei veritatis credibilium in intellectu Angeli. Interueniente autem vmbra peccati, subtractum est lumen, quo cognoscebant in causa: & remansit lumen, quo cognoscebant in effectu, & tamen obscuratum. Mutata est igitur cognitio, quæ erat sicut scientiæ, cùm cognoscebant veritatem credibilium in lumine causæ, in cognitionem ænigmaticam, id est in cognitionẽ in obscuritate: & ita habitus cognitionis, qui erat sicut scientia ante peccatum, factus est habitus fidei post peccatum.

¶ Ad secundum dicendum, quòd pares erant boni angeli & mali ante peccatum: sed sicut in bonis angelis per confirmationem habitus cognitionis quam habebãt, factus est perfectus, vt eis nihil deficeret, quod pertineret ad substantiam suæ beatitudinis: ita in malis angelis per peccatum factus est diminutus & obumbratus secundùm exigentiam suæ damnationis. Et sicut in angelis bonis eleuabatur cognitio hoc modo; vt qui priùs cognoscebant effectum in causa, post confirmationem cognoscant plenè causam effectus: ita in malis angelis descendebat cognitio: vt qui prius cognoscebant effectum in causa: post peccatum cognoscant effectum causæ, & ideo per speculum effectus causati vident post peccatum in ænigmate.

¶ Ad illud verò, quod dicit de Adam: respondebitur alibi, cùm quæretur de fide virtute.*

* Infra quęst. 68. memb. 8. art. 3.

¶ Ad tertium verò, quod obijcitur: quòd angelus fuit spoliatus gratuitis. Dicendum, quòd priuari bono gratuito, est duobus modis: nam bonum gratuitum dicitur, vel quia gratis datum, vel quia gratum faciens, sine ad esse gratum disponens. Dæmones ergo priuati sunt bonis gratuitis, inquantum gratum faciunt; vel ad gratum esse disponunt: sed non bonis omnibus, inquantum gratis datis: manent enim ex diuina iustitia ad eorum punitionem, vt lumen fidei informis ad terrorem, & horrorem, vnde Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.*

MEMBRVM IX.

Actus fidei informis in dæmonibus quis?

VLTIMÒ quæritur de actu fidei informis in dæmonibus. Ad quod sic: actus fidei, siue formatæ, siue informis: est in duobus; in illuminando intellectum ad cognoscendum verum, & in mouendo affectum ad bonum. Si ergo dæmonibus non est effectus fidei, quo moueantur ad bonum; si in eis aliquis effectus est; hoc erit, vt illuminentur ad verum. Sed si hoc diceretur, contrarium videtur: nam 2. Corinth. 4. dicitur. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio*: ibi Glos. *Verum est, quòd increduli non vident splendorem veritatis merito perfidiæ excæcantis.* Si ergo perfidia excæcans maximè est in dæmonibus; ergo maximè in eis deficit illuminatio veritatis; ergo fides informis non illuminat intellectum eorũ ad verum.

¶ Item, ad idem Rom. 1. *Obscuratum est cor insipiens eorum.* Glos. *Nebula erroris contexit cor illorum: quia cùm creatorem ex creaturis cognouissent, nec sicut Deum glorificassent, amplius obtusi sunt* (& loquitur de philosophis.) Si ergo hæc causa obscurationis & obtusionis intellectus maximè est in dæmonibus: quia cùm Deum cognouerint, nunquam Deum glorificant: ergo maximè habent intellectum obscuratum; ergo fides non illuminat ipsos ad verum.

¶ Contra. B. Dionysius dicit de dæmonibus, quòd non est alteratum totum bonum, quod datum est eis, sed ipsi ceciderunt, dato sibi omni bono: & angelica dona dicimus in eis non fuisse alterata. Si ergo in generali cognitio credibilis erat eis data ante peccatum: ergo manet in eis post peccatum: illuminantur igitur ex illo dono ad cognoscendum verum. Dionys. in lib. de diuinis nominibus.

¶ Item Dionysius: *Ipsa lux semper est lux, quæ & tenebras illuminat.* Si ergo fides informis in eis est lux, & semper est lux: ergo eos illuminat. Idem in eodem, par. 4 c. 4.

¶ Item, Galat. 5. super illud: *Fides, quæ per dilectionem operatur.* Glos. *Fides sine dilectione dæmonis est, nam dæmones credunt, & contremiscunt.* Iacob. 2. Qui autem non credunt, tardiores sunt, & peiores quàm dæmones. Ergo aliquis effectus fidei informis est in dæmonibus, qui non est in hominibus non credentibus: quia isti credunt, illi non: isti contremiscunt, illi non.

RESOLVTIO.

Fidei informis actus effectusve in dæmonibus est illuminare atque mouere.

¶ Respon. Dicendum, quòd fides in dæmonibus habet effectum illuminationis & motionis. Illuminat enim, quia lux est: tamen in hoc differt illuminatio hæc ab illuminatione fidei formatæ, quia hęc illuminatio contristat: quemadmodum lux oculum ægrum, sic lux veritatis fidei dæmonis intellectum: illuminatio verò fidei formatæ delectat & confortat credentis intellectum. Item mouet, quia habitus motiuus est: sed differt motio hæc à motione fidei informis, & fidei formatæ in hominibus. Nam fides informis dæmonum mouet ad sentire veritatem: vnde iste motus magis est passio, quàm actio: vnde est in eis ad pœnam, sicut vermis conscientiæ in damnatis. Fides verò informis in hominibus credentibus, dum adhuc sunt in carne, mouet ad assentire veritati: & fides formata ad cõsentire: sicut explanatum est priùs.

¶ Ad illud ergo, quod primò obijcitur: dicendum, quod non sequitur: si fides non mouet in bonum, ergo nõ mouet: nõ enim mouet in bonum (sicut dictum est) quod fiat per dæmonem: sed tamen mouet ad sensum pœnæ, quam sustinet in hoc, quod sentire facit veritatem redarguentem.

¶ Ad secundum, quod obijcitur: quòd dæmones habent maximè obscuratum intellectum. Distinguendum,

quod

quod est obscuratio intellectus quantum ad iudicium veri & boni: & est obscuratio quantum ad electionem veri & boni. Primo modo dæmones non habent maximè obscuratum intellectum: sed secundo modo. Et per hoc patet responsio ad secundum & tertium.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur in partem oppositam per auctoritatem B. Dionysij. Dicendum, quod non loquitur de donis gratuitis: sed de donis naturalibus, quæ manent in Angelis immutata. tamen mutantur quantum ad vsum, seu quantum ad habilitatem, quæ est ad actum bonum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur secundò: quòd lux semper est lux: ergo semper illuminat. Dicendum, quod non sequitur: sed lux semper est lux, ergo semper lucet: vnde posito, quòd lux solis semper irradiaret super oculum clausum, semper luceret sol oculo; non tamen illuminaret oculum: & hoc modo in dæmonibus est respectu electionis boni, vnde dicit beatus Dionysius: *Sunt integri & per totum lucidi: licèt ipsi non videant, claudentes suas boni contemplatiuas virtutes.*

Dionys. in lib. de diuinis nominibus. c. 4. par. 4 de malo.

¶ Ad vltimum patet responsio: tamen illud, quod dicitur: homines sunt deteriores dæmonibus, non est intelligendum simpliciter, sed quo ad hoc, quod illi credunt, & isti non: illi tremunt, isti non: hoc enim in dæmonibus ponit bonum, quamuis sit eis omnino ad pœnam.

QVÆSTIO LXV.

De Spe Informi.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 2.2. q. 17. & inde S. Bonau. & Scot in 3. dist. 26.

POSTQVAM quæsitum est de fide informi: quærendum est de spe informi. Et quæruntur tria. Primò, vtrùm spes possit esse informis? Secundò, supposito quod sit: vtrùm spes informis possit fieri formata? Tertiò, de actu, & certitudine eiusdem spei informis.

MEMBRVM I.

An spes informis esse possit?

AD primum sic, 1. Corinth. 13. *Maior horum est Charitas: nunc autem manent Fides, & Spes.* Glos. *Charitas his decedentibus permanebit aucta: cui Fides & Spes non possunt deesse: sed Fides & Spes sine Charitate possunt esse.* Sed fides dicitur informis, quia non habet sociam charitatem. (ad Roman. 1. super illud: *Ex fide in fidem.* Glos. *Fides dicitur informis, quia nõ habet sociam charitatem, quæ est forma omnium virtutum*) ergo spes erit informis, quæ non habet sociam charitatem.

¶ Contra: sicut tota charitas est in affectu: sic tota spes: non sicut fides; quæ in cognitione habet materiam, in affectione formam: ergo sicut nihil remanet charitatis, quod dicatur informe post peccatum: pari ratione nec in spe aliquid remanebit: ergo spes non potest esse informis, sicut nec charitas.

¶ Item, ad maiorem euidentiam arguitur: fides formata habet aliquid agnitionis & affectionis, & ideo quãdo perdit, quod est affectionis per peccatum, quod est malus amor; amittit formam, & fit informis: spes autẽ formata non habet substantialiter aliquid cognitionis, sed solùm affectionis: ergo cùm per peccatum destruatur, quod est affectionis, nihil remanet spei: ergo non potest esse informis.

¶ Item, si quis habet spem de beatitudine, iam expectat eam: & si expectat eam, desiderat: & si desiderat, amat: & si amat, tendit in eam. Sed si tendit in beatitudinẽ spe, iam habet charitatem: ergo si habet spem, habet charitatem: ergo spes non potest esse sine charitate: ergo nec potest esse informis.

¶ Item, spes formata non potest esse præsumptio: quia virtus non potest esse vitium: sed spes formata est (sicut dicit Magister Sententiarum.) ex gratia & meritis proueniens: sed si sit spes non ex gratia, iam est præsumptio: similiter si sit non ex meritis, est præsumptio. Subtractis igitur gratia, vel meritis, non est spes, quæ non sit præsumptio: sed positis gratia & meritis, est spes formata: ergo spes, quæ non est præsumptio, est spes formata. Non est igitur dare aliquo modo spem: quæ sit virtus informis.

RESOLVTIO.

Cùm non sit maior ratio de fide quàm de spe circa informitatem: si illa informis esse potest: & hæc pariter poterit esse informis.

¶ Respon. Dicendum, quòd sicut fides potest esse informis, ita & spes.

¶ Et ad illud, quod obijcitur primò & secundò, dicendum: quòd licet non sint diuersæ rationes cognitionis, & affectionis in spe formata, sicut in fide formata: tamen de spe virtute potest fieri non virtus: & hoc est, quia ipsa affectio, quæ est spes, non destruitur per peccatum: sed comparatio ipsius affectionis ad meritum. Secùs autem est de charitate: non enim existens in peccato mortali potest diligere omnia diligenda: sicut potest credere omnia credenda, & sperare omnia speranda, quia inquantum peccans non diligit se, nec Deum: vnde ratio peccati opponitur dilectioni sui, & Dei: non sic autem in alijs, videlicet fide, & spe, & ideo per peccatum charitas totaliter destruitur: non autem fides, & spes. Vnde distinguitur secundùm hoc: quòd quædam virtutes nec informant, nec informantur: sicut politicæ virtutes: & quædam ita informantur, quod non informant, vt virtutes gratis datæ, fides, & spes: quædam verò ita informant, quod non informantur, vt charitas. Per hoc soluuntur duo prima.

¶ Ad tertium respondendum; quod est voluntas plena, & voluntas semiplena, siue imperfecta. Voluntas imperfecta designatur per optatiuum modum: vt, cùm dicitur, vellem: voluntas perfecta per indicatiuum; vt cùm dicitur, volo, desidero. Voluntas imperfecta siue semiplena concomitatur spem informem: voluntas verò perfecta spem formatam. Inde est, quod propriè nõ potest dici inde existenti: peccato mortali, quod vult tendere in beatitudinem, sed quod vellet: secundùm quem modum dicitur Prouerb. 13. de pigro: *Vult, & nõ vult piger: anima autem operantium, &c.* Prouer. 13

¶ Ad quartum dicendum, quòd non omnis spes, quæ est sine meritis, est præsumptio indistinctè: vnde cùm dicitur spes informis, cùm spes formata ponat respectum ad gratiam & merita (est enim ex gratia & meritis proueniẽs) non priuatur respectus ad gratiam, sed respectus ad merita: vnde spes informis est ex gratia sine meritis; tamen cum distinctione. Nam cùm præsumptio duplex sit: vna, qua quis confidit ex gratia sine meritis; alia, qua confidit de meritis sine gratia, & hæc est maior: spes informis dicitur vno modo tantùm, qua quis confidit de gratia sine meritis, gratiam dico ei gratis datam. Aliter tamen dicitur spes informis, confidere sine meritis, quàm præsumptio: nam merita ponuntur simpliciter in actu vel in habitu: ponuntur autem secundùm quid & conditionaliter merita in potentia. Cùm ergo aliquis confidit sine meritis, potest intelligi priuatio meritorum simpliciter, secundùm quod sunt actu vel habitu: vel meritorum, secundùm quod sunt secundùm quid in potentia. Spe igitur formata confidit quis ex meritis existentibus actu vel habitu; spe informi confidit quis sine meritis existentibus actu, vel habitu: existentibus tamen in potentia: quamuis enim non habeat merita actu, vel habitu, tamen confidit, quia potest habere. Præsumptio verò confidit sine meritis omnino, vel actu, vel habitu, vel in potentia existentibus: quare, &c.

(*_*)

MEMBRVM II.

An ſpes informis formata fieri poßit?

DEINDE quæritur: Vtrùm ſpes informis poſſit fieri formata? Ad quod ſic: fides generat ſpem: ergo formata generat formatam: ergo informis ſpem informem. Sed fides informis poteſt fieri formata: ergo ſpes informis poteſt fieri ſpes formata.

¶ CONTRA, fides informis, & formata reſpiciunt vnum actum relatum ad vnam cauſam, vt credere veritatẽ, propter ipſam veritatem: inde eſt quod fides formata poteſt fieri informis, & econuerſò. Sed ſpes formata & ſpes informis non reſpiciunt vnum actum relatum ad cauſam vnam: quia ſperare beatitudinem ex meritis, eſt actus ſpei formatæ. ſperare verò ſine meritis, ſpei informis: cùm ergo reſpiciant diuerſos actus ex cauſis diuerſis, nõ poterit ſpes informis fieri formata.

¶ ITEM, ſicut ſe habet timor ſeruilis ad timorem formatum: ſic ſpes informis ad ſpem formatam: quia ſicut timor informis, qui eſt timor ſeruilis: nõ habet ſociam charitatem, ſic ſpes informis, & ſicut timor formatus: quia eſt timor initialis vel filialis, habet ſociam charitatem: ſic & ſpes formata. Si ergo timor informis, qui eſt ſeruilis, non poteſt eſſe formatus, imò adueniente charitate, foras mittitur, ſicut dicitur 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*: ergo ſpes informis non poterit aliquo modo fieri ſpes formata.

1.Ioan.4

RESOLVTIO.

Quidam affirmant: quidam autem negant.

¶ RESP. Secundum illos, qui dicunt, ꝙ fides informis non poteſt fieri formata: diceretur multò fortiori ratione de ſpe: vnde ſicut ſupra dictum eſt ſecundùm iſtos de fide informi, ita diceretur hic de ſpe informi. Secundùm alios, verò qui dicunt: quòd fides informis poteſt fieri formata: ſimiliter dicendum eſt de ſpe, quòd ſpes informis poteſt fieri formata.

¶ AD illud ergo, quod primò obijcitur? dicendũ quod ſicut credere eſt actus fidei formatæ & informis, relatus ad vnam cauſam per priùs & poſteriùs, ſcil. ad primam cauſam primam veritatem: ita ſperare eſt actus ſpei formatæ & informis, relatus ad vnam cauſam per priùs, & poſteriùs, ſcil. gratiam & merita: ſed gratia gratum faciens accipitur in ſpe formata, & merita exiſtentia actu vel habitu: gratia verò gratiſdata accipitur in fide informi, & merita in potentia: gratia autem ſecundùm analogiam dicitur de gratia gratiſdata, & de gratia gratumfaciente: ſimiliter merita ſecundùm analogiam dicuntur de meritis exiſtentibus actu vel habitu, & de meritis exiſtentibus in potentia.

¶ AD ſecundum verò, ꝙ obijcitur de timore ſeruili. Reſpondent, quòd non eſt ſimile de timore informi, & ſpe. Nam timore ſeruili, qui eſt informis, aliud timetur ſcilicet pœna æterna, & timore initiali ſiue filiali, qui ſunt timores formati: quia in timore initiali timetur inſufficientia ſatisfactionis, filiali malum ſeparationis à Deo: ſed ſpe informi, & formata idem ſperatur, ſcil. beatitudo æterna. Vtrùm autem hoc verum ſit: in proximo declarabitur, cùm quæretur de Timore informi. Quæſtio. Immediatè ſequenti.

MEMBRVM III.

De actu & certitudine ſpei informis.

POSTEA quæritur de actu ſpei informis, & certitudine. Et quæritur primò, cùm fides formata actum habeat, credere in Deum: fides informis credere Deum, vel Deo: ergo cùm ſimiliter diſtinguatur ſperare, ſperare in Deum, & ſperare in Deo, ſiue de Deo: ergo ſpei formatæ actus erit ſperare in Deum: actus ſpei informis erit, ſperare in Deo * ſiue de Deo.

* al. ſiue Deo.

¶ CONTRA. In fide eſt cognitio, quæ quandoque eſt cum affectione, quandoq; ſine affectione. & ideo credere variatur, cùm dicitur: credere in Deum, vel Deo: ſed in ſpe ſola eſt affectio ad beatitudinem, ergo ſperare non poterit variari, vt dicatur aliquando, ſperare in Deum, aliquãdo ſperare in Deo: ſicut contingit in credere.

¶ RESPONDEO concedendo, quòd ſicut actus fidei formatæ eſt credere in Deum, fidei verò informis credere Deum, vel Deo: ita ſperare in Deum, quod eſt ſperando tẽdere in Deum, eſt actus ſpei formatę: ſperare verò in Deo, vel de Deo, eſt actus ſpei informis: quia ſpe informi vertitur anima per confidentiam in Deo, quamuis per confidentiam non tendat in Deum.

¶ ITEM, quæritur de certitudine ſpei informis, & quęritur generaliter, & ſpecialiter. Generaliter quæritur, vtrùm eadem ſit certitudo ſpei formatæ, & informis; ſiue eiuſdem rationis? Ad quod ſic: eadem eſt certitudo fidei formatæ, & informis: quia eadem vera cognoſcũtur vtraque fide, & per idem, hoc eſt, per primam veritatem. Ergo pari ratione eadẽ ſiue eiuſdem rationis certitudo erit ſpei formatæ & informis. Quæſtio.

¶ CONTRA. Certitudo ſpei formatæ habet prægustationem beatitudinis: certitudo verò ſpei informis non eſt ex prægustatione: ergo non eſt eadem.

¶ ITEM, certitudo ſpei formatæ eſt ex conſcientia meritorum, actu vel habitu habitorum: ſpes informis non eſt ex conſcientia meritorum; ſed ſolùm ex fide, quam habet, quod ſi meruerit, habebit beatitudinem; ergo non eſt aliqua certitudo ſpei informis, quæ non ſit ex fide. Sed ſpei formatæ eſt propria certitudo, quæ eſt ex conſcientia meritorum; relinquitur ergo ꝙ non eſt eadem nec eiuſdem rationis certitudo ſpei formatæ & informis.

¶ RESPONDEO dicẽdo; quòd in fide duplex eſt certitudo: certitudo cognitionis, & affectionis. Certitudo cognitionis eiuſdem rationis eſt in fide formata & informi: certitudo verò affectionis non eſt omnino eiuſdẽ rationis. Nam in fide informi certitudo ex parte affectionis eſt ex ſenſu aſſenſionis; hoc eſt, ex hoc quod homo ſentit ſe aſſentire primæ veritati propter ſe, licèt non tendat in ipſam; in fide verò formata certitudo eſt conſenſionis & amoris; ex hoc (ſcilicet) quod homo ſentit ſe conſentire & amare veritatem, inquantum veritas eſt: in ſpe verò nõ eſt niſi vnum genus certitudinis, ſcilicet affectionis propriæ. Eſt tamen in ea certitudo, quam accipit ex fide: ex fide enim accipit certitudinem ſpes: vt, qui perſeuerauerit, ſaluus erit: & ideo ſperat, quod ſi perſeuerauerit, ſaluabitur: & hæc eſt certitudo conditionalis. Hæc igitur certitudo eadem eſt & eiuſdem rationis in fide formata & informi. Certitudo verò propria non omnino eadem eſt, nec eiuſdem rationis: quia propria certitudo ſpei eſt ex meritis: ſed ſpes formata cõfidit ex meritis habitis actu vel habitu: ſpes autem informis confidit ex meritis non habitis, ſed poſſibilibus haberi.

¶ ITEM ſpecialiter quæritur de comparatione ſpei informis prædeſtinati ad ſpem formatam præſciti, quantum ad certitudinem. Ad quod obijcitur ſic: Spes informis prędeſtinati, quam habet de vita æterna, nõ falletur: ſpes præſciti, qui habet præſentem iuſtitiam, falletur: ergo prima habet maiorem certitudinem. Quæſtio.

¶ ITEM, ille obtinebit illud, cuius habet modo certitudinem, iſte non: ergo, &c.

¶ CONTRA. Illa habet merita, & non ponit merita ſub conditione, ſicut informis: item habet prægustationẽ, ſeu præodorationem, quam non illa: ergo certior. Item illa, quæ habet merita, eſt propinquior fini, ergo certior.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quòd ſpes præſciti, qui eſt in charitate, maiorem habet certitudinem, quàm ſpes prædeſtinati informis: quia illius (ſcilicet) præſciti ſpes radicatur in meritis, & ponit certitudinem procedentem ex meritis; tamen ſub conditione, ſcilicet ſi perſeuerauerit in meritis finaliter: illa, quæ eſt prædeſtinati informis, non radicatur in meritis: vnde nulla eſt eius certitudo ex meritis ſimpliciter: licèt ſit ex meritis potentia. Nec ſequitur de præſcito, qui habet ſpem formatam, quod fallatur, quamuis non ſaluetur: quia non habet de ſalute, niſi ſub

hac conditione, si perseuerauerit: & in hoc nunquam fallitur.

¶ Ad hoc autem, quod obijcitur? quòd prædestinatus obtinebit illud, ad quod est prædestinatus: & ita est maior certitudo. Dicendum, quòd obtentus ille futurus nō ponit aliquam certitudinem, quæ relinquitur ex meritis actu vel habitu existentibus; sed solùm ex meritis potentia existentibus: & propter hoc non sequitur, quod si ille obtinebit: quòd propter hoc maiorem habeat certitudinē, quàm alter qui non obtinebit: cùm illius certitudo sit ex meritis actu vel habitu existentibus. Certitudo.n. quę non est præsumptio, ex meritis est* & ex meritis se cometitur. Aliter respondent quidam: quod est certitudo expectantis: & certitudo rei, quæ expectatur: & certitudo ex parte illius, per quem expectatur. Certitudo expectantis dependet ex meritis: certitudo rei expectatæ dependet ex ratione diuinæ præordinationis: certitudo ex parte illius, per quem expectatur; dependet ex gratia diuinæ reuelationis. Primo modo est certitudo in præscito existente in charitate: secundo modo est certitudo salutis in prædestinato existenti in peccato mortali: tertio modo est certitudo salutis in viro perfecto, cui facta est reuelatio salutis: sicut Paulo, *Scio, cui credidi, & certus sum*, &c. Primo modo & tertio certitudo maior est quantùm ad illum, cuius est: & hanc respicit spes. Secundo verò modo certitudo maior est quantùm ad rem: & hanc respicit rerum ordo.

*al. & meritis.

1. Tim. 4.

QVÆSTIO LXVI.

De Timore Seruili.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 1. 2 q. 41. & inde, & 22 q. 19. S. Bonau. in 3. dist. 34. part 1. Sco. ibid.

CONSEQVENS est inquirere de timore seruili. Et ad pleniorem intelligentiam primò quærendum est de differentijs timoris. Secundò de timore seruili, an sit donum Spiritus sancti. Tertiò, de actu timoris seruilis, an sit bonus, vel malus. Quartò, de differentia huiusce timoris seruilis ad alios.

MEMBRVM I.

Quæ & quot sint differentiæ, vel species timoris?

AD primum obijcitur sic: Differentiæ timoris multipliciter assignantur. Vno modo super illud Prouerb. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*: ibi ponit duas differentias, dicens: quod est timor seruilis, & amicabilis. Assignantur autem à Cæsario, & Augustino super 8. caput ad Roman. per quatuor differentias, scilicet timor mundanus, seruilis; initialis, & filialis. Assignat & Ioan. Damasc. sex differentias timoris, dicens: *Sex sunt species timoris; prima est segnities, quæ est timor futuræ operationis: secunda est erubescentia, quæ est timor in turpi actu: tertia est verecundia, quæ est timor in expectatione conuitij; quarta admiratio, quæ est timor ex magna imaginatione: sexta agonia, quæ est timor per infortunium, vel casum*. Cùm ergo sic differenter fiat assignatio differentiarum timoris: nec sint reducibiles differentiæ, quæ sunt secundùm vnam diuisionem, ad differentias alterius diuisionis: vel etiam diuisio, quæ est per pauciores differentias, non comprehendat illam diuisionem, quæ est per plures; videtur inconueniens diuisio, vel insufficiens, vel superflua: cùm ponat Damascenus differentiam timoris naturalis, quam diffinit sic: Timor naturalis est, nolente anima separari à corpore propter eam, quæ est imposita ei à conditore naturalem ad corpus compassionem: & familiaritatem propter quam naturaliter timet & renuit mortem. Sed hoc (constat) in nulla differētia prædictarum diuisionum continetur: ergo prædictæ diuisiones non sunt conuenienter assignatæ.

Damasc.

Idem lib. 2. de orthod. fide cap. 15.

¶ ITEM, quæritur quæ sit differentia prædictarum diuisionum.

RESOLVTIO.

Beda duas timoris differentias assignat, scilicet seruilem, & amicabilem. Augustinus & Cæsarius quatuor, videlicet, mundanum, seruilem, initialem, & filialem. Damascenus tandem sex enumerat, id est, segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam.

¶ RESPON. Timor accipitur dupliciter, vno modo vt solùm nominet passionem, quæ numeratur ex comprehensione rei disconuenientis distantis: alio modo, vt cōcernat voluntatem siue affectum, vel motum ipsius voluntatis circa ipsam passionem. Secundùm autem quod consideratur primo modo, est sex membris diuisio Damasceni, secundùm verò secundum modum sunt aliæ diuisiones acceptæ, sed differenter. Vna enim est communior, quæ comprehendit motum voluntatis circa passionem timoris meritorium, & demeritorium, gratuitum vel contrarium, scilicet illa, quæ est per quatuor differentias: reliqua autem, quæ est specialis, comprehendit motum voluntarium, vel affectum meritorium.

¶ ASSIGNATIO autem primæ, quæ est per duas differentias, timoris est gratuiti: quia cùm sit duplex gratia: gratis data, & gratum faciens: à prima gratia est timor seruilis, qui est timor gratis datus: à secunda est timor alius, scilicet amicabilis, qui diuiditur in timorem initialem, & filialem, & etiam in timorem reuerentiæ.

¶ ASSIGNATIO autem diuisionum per quatuor membra sic potest patere: est enim diuisio timoris, secundùm quod timor communiter accipitur pro motu voluntatis meritorio, vel demeritorio: cùm ergo sit timor libidinosus, & gratuitus: timor libidinosus, qui est ex improba voluntate malè humilians, est timor mundanus: timor verò gratuitus est, cuius principium est gratia. Et recipit differentiam hoc modo: quia aut timore gratuito timetur pœna, sed non timetur offensa: aut timetur pœna, & etiam offensa: aut timetur solùm offensa, aut neutrum timetur, sed est ipsius reuerentiæ magnitudinis diuinæ maiestatis.

¶ SECVNDVM primum modum est illa differentia timoris, quæ dicitur timor seruilis: secundo modo est timor initialis: tertio modo est timor filialis; & quarto modo filialis similiter: sed secundùm diuersos status: secundùm tertium modum dicitur secundùm quod est in via: quarto modo secundùm quod est in patria. Continetur autem sub timore mundano timor humanus: nam (strictè loquendo, solemus distinguere timorem mundanum, & humanum: communiter loquendo, diuidimus mundanū in humanum, & mundanum: humanum, quo quis eligit peccare, ne lædatur in corpore: mundanū, quo quis eligit peccare, ne lædatur in possessione.

¶ ASSIGNATIO timoris secundùm causam est, secundùm quod timor dicitur passio relicta ex comprehensione cuiuslibet inconuenientis distantis. Disconueniens autem distans aut est ab operatione nostra, aut non. Si sic, aut secundū m quod est in fieri, aut secundùm quod est in facto esse. Si secundùm quod est in fieri, tunc timetur difficultas; quæ est in fiendo: & secundùm hoc sumitur prima species timoris, quæ est segnities: quæ est timor futuræ operationis. Si autem secundùm quod est in facto esse: hoc est dupliciter, aut enim timetur inconueniens confusionis, siue indecentiæ, quantum ad alium cognoscentem, vel quantum ad aliquam cognitionem: aut timetur inconueniens displicentiæ, siue infamię quantum ad voluntatem alterius, siue quantum ad alium reprobantem: hæc enim duo sunt in facto, esse boni operis, condecentia ex cognitione ipsius operis, & complacentia ex approbatione operis. Vnde econtra accidit differentia timoris erubescentiæ, quæ est timor confusionis siue indecentiæ in manifestatione turpis actus: & etiam verecundia, quæ est timor displicentiæ, siue infamiæ, vel conuicij, &c. & ita tres sunt differentiæ timoris, quæ accidunt

accidunt circa operationem nostram. Si verò consideratur, secundùm quod non est à nostra operatione; similiter sumuntur tres differentiæ, hoc modo: aut est enim inconueniens, siue disconueniens, quantum ad cognitionem, aut quantum ad affectum. Si quantum ad cognitionem consideratur, hoc etiam est dupliciter: aut enim attenditur hæc disconuenientia quantum ad cognitionem. & sic est admiratio, quæ est ex inconuenienti ex magna imaginatione: aut ex parte cognoscentis, & sic est stupor, qui est timor ex insolita imaginatione. Si autem est inconueniens quantum ad affectum: sic accipitur sexta & vltima differentia, quæ est agonia: quæ est timor cuiuscunque aduersitatis offendentis affectum.

¶ AD illud, quod obijcitur de timore naturali: Dicendum, quod non ponitur ibi noua differentia timoris: sed loquitur ibi de timore naturali Christi, quo afficiebatur in agonia passionis: & potest comprehendi sub illa differentia, quæ est agonia: vt patet ex verbis Damasceni, dicentis: quod naturaliter timet, & agoniam patitur, & renuit mortem Christus. Damasc.

MEMBRVM II.

An timor seruilis sit donum spiritus sancti?

DEINDE quæritur: An timor seruilis sit donum spiritus sancti? Ad hoc sic: timor seruilis non compatitur secum spiritum sanctum, 1. Ioan. 4. *Timor non est in charitate.*

¶ ITEM, Rom. 8. *Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore, &c.* Glos. *Est timor, qui non est in charitate, scilicet seruilis, &c.* ergo si timor non potest esse cum charitate, nec cũ spiritu sancto: non erit donum spiritus sancti.

¶ ITEM, cuius vsus malus est, ipsum est malum: & cuius vsus bonus est, ipsum est bonum: sed timoris seruilis vsus est malus, cùm dicat August. *Timore seruili nullus benè vtitur:* ergo cùm malum non sit à spiritu sancto, neque timor seruilis cùm sit malus. August.

¶ ITEM, aliquis diligens aliquid plus quam Deum: diligendo illud, peccat mortaliter: ergo aliquis timens aliquid plus quàm Deum, peccat mortaliter. Sed timens seruiliter, plus timet pœnam, quàm Deum: ergo peccat mortaliter: sed quod non est huiusmodi, non est à spiritu sancto.

¶ ITEM, omnis diligens Deum propter aliud, peccat; quia vtitur fruendo: ergo omnis timens Deum propter aliud, peccat: sed talis est timens seruiliter (timet enim Deum propter pœnam) ergo huiusmodi non est à spiritu sancto.

¶ ITEM, 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Ergo cùm seruiamus Deo timendo & amando: debemus eum amare & timere ad gloriam eius: vnde omnem timorem debemus & tenemur referre in Deum: sed hoc non facit seruilis timor (refert .n. solùm ad pœnam) quare peccatum videtur esse: ergo nec est à spiritu sancto.

¶ ITEM, Matth. 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere:* ergo mala voluntas nõ potest bonum opus facere: sed in timore seruili est mala voluntas, secundùm quod dicit August. super illud Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, &c.* timor seruilis non transfigit carnem, quia viuit in eo voluntas peccandi: & sequeretur opus, si speraretur impunitas. vellet enim licere, dolet non licere, quod lex vetat. Et ita timor, qui est egrediens ab ipsa voluntate, non potest esse bonum: ergo nec erit à spiritu sancto.

¶ ITEM, Gregor. in Moral. super illud Iob. 3. *Quare non in vulua mortuus sum.* Glos. *Cùm pœna timetur, & Deus non amatur: timor ex timore nascitur, non ex humilitate.* (& loquitur de timore seruili) & ita cùm timor sit malum, non erit à spiritu sancto, & ita nec donum eius: vnde 2. Corin. 6. *Quæ participatio iustitiæ ad iniquitatem: & quæ conuentio lucis ad tenebras.* Vnde patet, quod si est malum; quod non sit à spiritu sancto: & ita nec donum eius.

¶ CONTRA. Ad Rom. 8. *Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore.* Glos. *Vnus spiritus est, qui facit duos timores:* duo enim timores insinuantur; vnus, qui est in charitate, qui est castus: alter, qui non est in charitate, qui est seruilis: & ita seruilem timorem facit spiritus sanctus; est ergo à spiritu sancto: & consequenter donum eius.

¶ ITEM, timor seruilis præparat animam ad charitatem, secundùm quod dicitur in Psalm. 118. *A iudicijs enim tuis timui.* Glos. *id est, timor legis pædagogus in me præcessit: qui ad castum timorem ducit.* Sed secundùm quod ducit ad charitatem, est bonum: ergo à spiritu sancto.

RESOLVTIO.

Timor seruilis, inquantum à peccato resilire facit, donum est spiritus sancti: sin autem pariter amorem iustitiæ Dei excludat, cùm vt huiusmodi voluntatem peccandi mortaliter ponat, spiritus sancti omnino donum non esse, nullus ambigat.

¶ RESPONSIO. Cùm dico, timor seruilis, duo dico ratione huius ꝙ dico, seruilis. Vnũ est, quod timetur pœna per se: siue timetur Deus, ne puniat æternaliter: sicut aliquis seruus timet dominum suum, ne puniat eum pœna corporali, vel affligat. Aliud est exclusio amoris iustitię, siue amoris eius, qui timetur. Quantum autem ad primum modum nulla deformitas notatur in hoc quod dico, seruile: sed quantum ad secundum notatur deformitas: quare ponitur in timente seruiliter secundùm illum modum voluntas peccãdi mortaliter. Secundùm ergo primũ modum dicitur timor seruilis donum spiritus sancti; inquantum timor ille facit resilire à peccato: quantum verò ad secundum connotatum non est spiritu sancto.

¶ ET sic patet responsio ad primum; quia non sequitur; non permanet cum spiritu sancto: ergo nõ est donum eius. Et notandum, quod hoc non est ratione ipsius, inquã tum est a spiritu sancto. Distinguitur enim, quod quædam sunt à spiritu sancto, & cum spiritu sancto, sicut formatæ virtutes, scilicet fides, spes, charitas. Quædam autem sunt à spiritu sancto, & nõ cum spiritu sancto: vt timor seruilis, & fides informis, & huiusmodi. Quędam verò sunt cũ spiritu sancto & nõ à spiritu sancto: vt venialia peccata. Quędam verò quæ nec sunt à spiritu sancto, nec cũ spiritu sancto; sicut mortalia peccata. Vnde dicendum, quod quædã sunt dona spiritus sancti, vt præparent ad charitatẽ ipsum subiectum: quædam verò, vt perficiant ipsum. Quæ verò sunt spiritus sancti, vt pręparent ad charitatem ipsum subiectum; non sunt cum spiritu sancto: sed quæ sunt, vt perficiant, ista sunt cum spiritu sancto. De primis est timor seruilis: & propter hoc non manet cum spiritu sancto: vnde dicunt, quòd timor seruilis introducit initialem & filialem, qui sunt perficientes secundùm magis & minus: sicut tela filum: & etiam comparatur oximelli, quod pręparat corpus ad receptionem medicinæ.

¶ AD secundum etiam patet responsio per interemptionem illius pręposítionis: quod vsus timoris seruilis malus est: vsus enim seruilis timoris est resilire à peccato propter pœnam æternam, ne inferatur à Deo. Quod verò dicitur, ꝙ timor seruilis est, quo nemo benè vtitur. Dicendũ est, quod vti, est dupliciter. Dicitur enim largè, secundùm ꝙ vti est aliquid assumere in facultatem voluntatis: & secũdùm hoc est benè vti timore seruili: quia huiusmodi timor est pręparatorius ad charitatẽ per abstinentiam à malo. Aliter enim dicitur vti strictè, secundùm ꝙ vti est vsum referre ad illud: quo fruendũ est: & secundùm hoc timore seruili nullus benè vtitur; cùm ipse sit vsus nõ referatur ad Deum. Et sic patet responsio ad secundum.

¶ AD tertium, soluitur per interemptionẽ illius: timẽs seruiliter plus timet pœnam, quàm Deum: & hoc est, quia timor seruilis est respectu rei potentis inferre passionem: timens verò seruiliter non credit pœnam potentiorẽ Deo ad inferendum passionem: vnde (propriè loquendo) non timetur pœna plus quàm Deus.

¶ AD quartum est responsio, quod non sequitur: diligens Deum propter aliud peccat: ergo timens Deum propter aliud peccat: nam alia causalitas notatur hinc, & inde. Cùm enim dico: diligens Deum propter aliud, ꝑ hanc præposi-

præpositionem *propter* notatur finis adipiscendus, ad quem est intentio diligentis. Cùm autem dicitur, timens Deum propter aliud: hæc dictio *propter* non notat finem, ad quẽ est motus: imò terminum, à quo est motus. Vnde timens seruiliter timet Deum propter aliud cauendum: sed diligens Deum propter aliud, diligit eum propter aliud adipiscendum, quòd ei præponit: vnde illius dilectionis radix est amor libidinosus seu inordinatus: sed illius timoris non: & propter hoc istud peccatum est: illud non. Sed melius videtur dicendum: quòd Deus timore seruili non timetur propter aliud, sed propter se. Timetur enim quia potentissimus est inferendi vel inferre pœnam: vnde plus timetur potentia inferentis pœnam, quàm ipsa pœna. Et sic patet responsio ad quartum.

¶ Ad quintum dicendum: quod cum dicitur, omnia tenemur referre in Deum, seu omnia facere in gloriam Dei, cum sit tentio præcepti affirmatiui, non obligat ad semper: licet semper obliget. Vnde dicendum, ꝙ non obligat nisi quantùm ad statum, sc. cùm aliquis est potens, & considerans, & comprehendens Deum: & conferens ipsum opus ad Deum. Dico ergo, quòd qui est in peccato mortali, non est potens referre omnia in Deum: eò quod non habet gratiam: & etiam ille, qui dormit, vel insanus est, vel occupatus est ad aliud opus; licet habeat gratiam: & hoc est, quia non est comprehendens, vel conferens: & ideo quantùm ad istos status non est illud implendum.

¶ Ad sextum dicendum: quòd timoris seruilis duplex est radix. Inquantùm enim *seruile* dicit pœnæ timorem propter se, vel timorem potentis inferre pœnam; radix eius est liberum arbitrium cum fide iustitiæ Dei & pœnæ æternæ: & secundùm hoc radix est bona, & ipse timor fructus bonus. Inquantùm *seruile* dicit exclusionem amoris iustitiæ cùm voluntate peccandi, si esset impunitas; principium habet liberum arbitrium cum fomite: & secundùm hunc modum (sicut dictum est priùs) non est donum. Et sic patet responsio.

¶ Ad vltimum, quod dicit Greg. Dicendum: quod cùm pœna timetur, & facies Dei non amatur: hoc potest esse dupliciter. Non amare enim dicitur dupliciter: vel odiẽs, vel non diligens. Si non amare ponit odire: sicut est in Diabolo & in obstinatis, qui timent pœnam, & odiunt faciem Dei, id est iustitiam diuinam: tunc verum est, quod sequitur, scilicet, quòd timor sit ex tumore: & timor huiusmodi seruilis est ex superbia, non ex Spiritu Sancto: secundùm quod dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* (Iacob 2.) Secundum verò, quod non amare non ponit contrarium in voluntate, sed negat simpliciter dilectionem seu amorem: tunc debet intelligi, quod hæc dictio *ex* non notat ibi causalitatem, sed concomitantiam: est enim cum timore timor ille: secundùm quem modum dicit Gloss. (Gloss. super Matt. 12.) *Viri Niniuitæ sunt digni venia: quia ex lege sunt fideles, id est, cùm lege.*

MEMBRVM III.

An actus siue vsus timoris seruilis bonus vel malus sit.

CONSEQVENTER quæritur de actu, siue vsu timoris seruilis, an sit bonus vel malus. Ad quod sic: August. Super illud ad Rom. 8. *Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore. Timor seruilis non est in charitate; in quo etiam si bonum fiat, non tamen benè: Nemo enim inuitus benè facit.* Cùm ergo qui timet seruiliter, non benè facit, timere seruiliter non est bonum: & ita vsus timoris seruilis non est bonus.

¶ Contra. Vsu timoris seruilis abstinet homo à peccato, & præparatur via ad charitatem: sed hic est bonus vsus: ergo timoris seruilis est bonus vsus.

¶ Item, cuius est vsus malus, ipsum quoq; malum est: si ergo vsus timoris seruilis malus sit, & timor: sed timor seruilis est bonus: ergo & vsus eius est bonus.

)*(

RESOLVTIO.

Actus timoris seruilis, siue timere seruiliter bonum est, sed non benè.

¶ Solvt. Voluerunt quidam soluere, ꝙ timor seruilis non esset malus, sed ipsum timere seruiliter. Dixerunt enim quod timor seruilis nihil aliud est, quàm timor serui: vnde cum dicitur, timor seruilis est bonus; bonitas non dicitur nisi respectu essentiæ timoris: & non respectu adiuncti, sc. seruilitatis. Sed cùm dicitur timere seruiliter, est bonum: cùm actus dependeat à persona serui: non potest dici bonum, nisi respectu affectionis serui: affectus autem nomen imponit operi: vnde non sequitur, quamuis timor seruilis sit bonus, quòd timere seruiliter sit bonum. (Aliorum sententia.)

¶ Contra. Cùm dicitur timor seruilis est bonus: bonitas dicitur respectu essentiæ timoris: & hoc est respectu habitus, & non respectu adiuncti, scil. seruilitatis: ergo cum similiter in actu ipso sit ipsa essentia actus, & ipsa seruilitas adiuncta: bonitas poterit copulari respectu substantiæ actus. Et ita videtur, quod sicut potest dici timor seruilis bonus: & timere seruiliter similiter potest dici esse bonum.

¶ Item, si timor seruilis nihil aliud est, quàm timor serui: cùm timor humanus & mundanus sint timores serui; ergo erunt timor seruilis: quod non est verum.

¶ Propter hoc alij dixerunt, ꝙ timor seruilis non est timor serui: sed quod seruilitas est differentia essentialis, qua iste timor distinguitur à cæteris, scil. initiali & filiali: quo est timere pœnam per se, & abstinere à peccato propter pœnam. Tamen cum notetur in subiecto vitium, sicut dicit Aug. (August.) ꝙ in timente seruiliter viuit voluntas peccandi, scil. si speraretur impunitas: dicunt isti, quòd actus & habitus timoris seruilis est bonus: sed actus subiecti est malus.

¶ Contra. Qua ratione bonum dictum de timore seruili respicit essentiam habitus; eadem ratione cum dico, timere seruiliter est bonum, bonitas respicit essentiam ipsius motus præparantis ad charitatem.

¶ Propter hoc dicendum: quòd aliud est dicere, facere bonum, aliud facere benè. Cùm enim dicitur, facere bonum, dicitur bonum de genere bonorum: cùm dicitur, facere benè, dicitur bonum ex circumstantia seu cum debitis circumstantijs. (Sententia propria.)

¶ Vnde secundum Aug. (August.) Dicendum: quòd timere seruiliter est facere bonum, non tamen benè: quia non est cum debita circumstantia, scil. cum charitate. Exemplum est Philosophi, aliud est facere grammaticalia, aliud facere grammaticè. Et sic patet responsio ad prædicta.

¶ Sed quæritur de illo verbo August. (Dubitatio.) *Viuit in timente seruiliter voluntas peccandi*: in eo, etiam viuit voluntas abstinendi à peccato. (Idẽ Aug.) Timor enim seruilis habet istum effectum: & ratione huius est introductorius charitatis: & ita in eodem sunt contrariæ voluntates: quod videtur impossibile.

¶ Responsio. (Idem.) Est voluntas absoluta, & est voluntas conditionalis: & est voluntas actu, & est voluntas habitu. Hinc dico quod in timente seruiliter est voluntas actu conditionalis non peccandi: voluntas verò peccandi est absoluta in habitu: vnde dicit ibi. *Viuit voluntas peccandi, si speraretur impunitas.* Et sic patet, quòd duæ voluntates sunt simul, sed non eodem modo: prima enim nascitur ex fide & lib. arb. secunda verò de libero arb. cum fomite: & vna est actu, & alia habitu.

MEMBRVM IV.

In quo differant timor seruilis à naturali, initiali, & filiali?

POSTEA quæritur de differentia timoris seruilis ad alios. Et primò de differentia timoris seruilis ad naturalem: & cum timere pœnam sit cuique naturale: timor verò seruilis per se pœnam timeat, videtur quod sit timor naturalis.

¶ Responsio. Est timere pœnam multipliciter: est enim timere pœnam ex apprehensione naturali: & est timere ex comprehensione, quæ est per fidem. Timere verò pœnam æternam ex apprehensione naturali, timoris est naturalis, & non timoris seruilis: sed timere pœnam per comprehensionem, quæ est ex fide, est timor seruilis. Inde est, quòd cum aliquis timet pœnam suspendij, & propter hoc abstinet à furto: non timet seruiliter, siue timore seruili, qui est donum Spiritussancti: sed naturali timore.

¶ Item, quæritur de differentia timoris seruilis ad initialem: & cum voluntates sint eædem in specie: quæ sunt respectu eiusdem in specie, sunt eadem in specie: ergo ijdem timores erunt in specie, qui sunt respectu eiusdem in specie: sed timor seruilis est respectu pœnæ æternæ, & timor initialis respectu eiusdem: ergo sunt ijdem timor in specie.

¶ Responsio. Cùm timore initiali timeatur pœna æterna, & etiam Dei offensa siue separatio à Deo: vnum timetur per se, alterum per accidens: per accidens enim timetur, quòd propter aliud: & hæc est pœna æterna. Dicendum ergo, quod non est verum, ꝙ idem timeatur per se timore seruili, & timore initiali: non enim timetur pœna æterna timore initiali: nisi propter offensam, id est principaliter timetur offensa.

¶ Item, Quæritur cum eadem sit virtus, qua diligit aliquis coniungi vitæ æternæ, & separari à pœna æterna: ergo idem donum est timor seruilis, quo quis timet pœnam æternam: & filialis, quo quis amat coniungi vitæ æternæ: & ita initialis, & filialis idem timor sunt in specie.

RESOLVTIO.

Timor seruilis est ex comprehensione fidei, naturalis ex apprehensione naturali. Timor seruilis principaliter est ad pœnam æternam, initialis ad Dei offensam. Timor seruilis respicit pœnam æternam vt destructiuam subiecti, filialis vt separatiuam, & priuatiuam.

¶ Resp. Quòd est timere pœnam æternam, vel inquantùm est destructiua subiecti, vel inquantùm est separatiua à Deo, qui est summum bonum. Inquantùm autem timetur pœna æterna, vt destructiua per se subiecti: sic est timor seruilis. Inquantùm verò timetur, vt separatiua à Deo per se, timetur timore filiali: timore autem filiali per accidens timetur ipsa pœna: Et sic patet solutio ad obiecta.

¶ Obiicitvr autem. Si timoris seruilis ratio sit amor, aut huiusmodi amor erit naturalis, aut libidinosus, aut gratuitus. Si gratuitus: sed talis nihil aliud est quàm charitas: ergo ratio timoris erit charitas: ergo propter Deum amatum super omnia timebitur pœna; quod est falsum.

¶ Præterea, si tu dicis: ꝙ amor libidinosus. Contra: tunc enim sequeretur, quòd timor ille libidinosus esset: quia radix eius libidinosus amor est: & ita malum esset: & ita non à Spiritu Sancto.

¶ Si dicatur quod est naturalis amor ille. Contra: cùm amor sit naturalis, non est radix nisi naturalis: & ita non erit donum, sed erunt timor naturalis & seruilis idem in radice: & vterq; à natura, & neutrum à gratia.

¶ Propter hoc voluerunt quidam dicere: ꝙ seruiliter timere, habet duo principia, sc. lib. arb. cum fomite: & etiā timorem seruilem, qui est donum Spiritus Sancti. Et quātùm ad primum dicunt, quòd est amor ratio timoris seruilis: sed non quantùm ad secundum.

Aug. in li. 83. q. 33. ¶ Sed contra hoc obijcitur? Aug. *Nulli dubium est, nullam aliam esse metuendi causam; nisi, ne id ꝙ amamus, aut adeptum amittamus: aut non adipiscamur amatum.* Igitur omnis timoris ratio est amor: vel. n. est, ne adeptum ꝙ amamus, amittamus: vel ne adipiscamur * amatum: & ita ratio timoris seruilis est amor, inquantùm timor etiam seruilis est donum.

Aliàs, speratū.

¶ Vnde dicendum, ꝙ ratio timoris est amor: amor autem propriæ salutis in præsenti est amor naturalis per se: sed amor propriæ salutis in futuro est amor naturalis per se informatus fide informi, quia salus in futuro non comprehenditur, nisi per fidem vel comprehensionem fidei. Secundùm hoc ergo intelligendum, ꝙ timoris naturalis ratio est amor salutis propriæ in præsenti: sed secundum quod est amor propriæ salutis in futuro, sic est amor ratio timoris seruilis: ideo enim timet pœnam æternam, quàm credit ex fide informi; quia amat salutem æternam. Et ita patet, quomodo ratio omnis timoris sit amor: & maximè patet de timore seruili: de quo præcipuè quæsitum est.

QVÆSTIO LXVII.

De Gratia Sermonis.

In quatuor Membra diuisa.

Inqvisito de gratijs gratisdatis homini propter se: quærendum est de gratijs gratisdatis homini ad honorem Dei, & ad vtilitatem proximi. Et primò de gratijs sermonis sapientiæ, scientiæ, & fidei. Gratia autem sermonis est gratia prædicationis, & doctrinæ.

¶ Circa quod quæritur quatuor? Primò, vtrùm gratia sermonis sapientiæ, scientiæ, & fidei sit gratia vna, vel differentes gratiæ. Secundò, vtrùm detur vel subtrahatur ex meritis. Tertiò, quæ maior sit, gratia sermonis, an gratia prophetiæ. Quartò, an sufficiat ad ædificationem auditorum gratia sermonis.

MEMBRVM I.

An gratia sermonis, sapientiæ, scientiæ, & fidei sit vna gratia, vel differentes.

Ad primū sic: Gratia vna est, quæ est ad vnum finem. Si ergo gratia sermonis sapientiæ, scientiæ, & fidei sint ad vnum finem, sc. ad ædificationem proximi in his, quæ pertinent ad salutem: ergo vna est gratia.

¶ Item, gratia vna dicitur ad vnum actum: sed vnus specie actus est loqui, vel sermocinari, gratia igitur sermonis vna erit.

¶ Contra. Gratiæ; quæ separantur in diuersis subiectis, non sunt eædem: sed gratiæ sermonis sapientiæ, scientiæ, & fidei, separantur in diuersis subiectis: quia (sicut dicit Apost.) *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij sermo fidei.* Ergo sunt gratiæ differentes. 1. ad Cor. 12.

RESOLVTIO.

[illegible]es, & differentes per fines proximos, & actus proprios.

¶ Respon. Quòd sunt gratiæ differentes: differunt autem per differentes fines proximos, & per differentes actus proprios. Nam gratia sermonis fidei est ad ædificandam fidem veritatis in auditore: gratia sermonis scientiæ ad ædificandam distinctionem agendorum, quæ pertinēt ad actiuam: gratia sermonis sapientiæ ad ædificandam contemplationem æternorum, quæ pertinent ad vitam contemplatiuam. Separatim autem dantur istæ gratię pluribus: quamuis alicui dentur simul.

¶ Et per hæc patet responsio ad obiecta: nam istæ gratiæ non dicuntur esse ad vnum finem proximum: sed ad vnum finem remotum & vltimum: nec ad vnum actum proprium, sed ad vnum actum communem.

MEMBRVM II.

An gratia sermonis ex meritis detur?

Deinde quæritur? Vtrùm huiusmodi gratiæ dentur ex meritis. Ad quod sic: Gratia non dicitur nisi eò, quod detur gratis, vel ex eò, quod gratum faciat. Sed huiusmodi non dicuntur gratiæ ex hoc quod gratum faciant: ergo dicuntur gratiæ, eò quod gratis dentur: ergo non ex merito vel ex meritis.

¶ Item,

Matth. 7. ¶ ITEM, malis datur gratia prophetiæ, & etiam gratia prædicationis: ficut illis, qui dicent. *Nonne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo virtutes fecimus*, &c. Ergo non ex meritis datur, vel fubtrahitur.

¶ CONTRA, Gregor. in moralib. *Sepè doctori verbum à Domino pro gratia tribuitur auditoris: & fepè propter auditoru culpam fubtrahitur fermo doctori*. Ergo ex meritis aliorum datur.

Idem ibidem. Pfal. 49. Pfal. 118. ¶ IDEM, ibidem. *Cùm prælatus non agit bona, quæ loquitur, ei fermo fubtrahitur: ne loqui audeat, quæ non operatur: ficut per prophetam dicitur. Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iuftitias meas.* Et iterum. Deprecatur Propheta, *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vfquequaq;*. Perpendit namque, quòd veritatis verbum omnipotens Deus facientibus tribuit: & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore fuo non auferri petijt: quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæfiuit? ac fi apertè diceret: vt iufto omnipotentis iudicio Dei in bono iam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recufat: quatenus cùm mens terrenorum amori intenditur, de terrenis rebus femper loquatur: vnde in Euangelio veritas dicit. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Matth. 12

RESOLVTIO.

Ex meritis: verùm non propriè, fed interpretatiuè.

¶ RESP. Meritum dicitur propriè, & interpretatiuè. Propriè meritum eft feruitium, cui debetur aliquod præmium: & hoc modo nulla gratia datur ex merito in ratione gratiæ: nam fi ex merito, iam non eft gratia: ficut oftendit Apoftolus Rom. 11. Interpretatiuè dicitur meritũ congruitas ad diuinum donum: & hoc modo gratia fermonis dicitur dari ex meritis, & fubtrahi: vnde Gregor. *Pro auditoris namq; gratia datur bonis & malis fermo doctoribus*: ficut potuerunt Pharifæis fuppetere verba prædicationis: de quibus fcriptum eft. *Omnia ergo quæcunq; dixerint, facite: fecũdùm verò opera eorum nolite facere.* Pro auditorum verò reprobatione: bonis etiam doctoribus fermo fubtrahitur: ficut ad Ezechielem, contra Ifraël dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo: & eris mutus: nec quafi vir obiurgans: quia domus exafperans eft.* Aliquando autem fermo prædicationis propter vtrofq; datur: aliquando propter vtrofq; fubtrahitur. Propter vtrofq; enim datur, ficut diuina voce Paulo apud Corinthios dicitur: *Noli timere: fed loquere.* Et paulò poft. *Quia populus multus eft mihi in hac ciuitate.* Propter vtrofque verò fubtrahitur, ficut Heli Sacerdos & prauam filiorum cognouit actionem, & dignam increpationis non exercuit vocem: eum profectò futurum effet, vt in mortis fupplicio, & iftos reatus flagitij, & illum filentij pœna mulctaret.

Matth. 23. Ezech. 3. Actuum 18. Ibidem.

MEMBRVM III.

An gratia prædicationis maior fit, quàm gratia prophetiæ?

POSTEA quæritur? Vtrùm gratia prædicationis, quæ comprehendit prædictas, fit maior quàm gratia prophetiæ. Et cùm gratia prophetiæ eleuet animam ad contemplationem in fpeculo æternitatis: & abftrahat ab actibus carnis (vnde ficut dicit Orig. *Tempore, quo vacatur amplexibus coniugalibus, fubtrahitur gratia prophetiæ*) gratia verò prædicationis non ita eleuet animam, vel abftrahat à carne: ergo eminentior eft gratia prophetiæ. Origenes.

¶ CONTRA, officium prophetiæ conceditur viris, & mulieribus: ficut Delboræ. Iudicum 5. Officium autem prædicationis interdicitur mulieribus. *Mulierem docere non permitto.* Ergo officium prædicationis digniùs eft: ergo & gratia prædicationis dignior erit, quàm gratia prophetiæ. 1. ad Cor. 13.

)*(

RESOLVTIO.

Gratia prædicationis quò ad denunciationem maior quidem eft gratia prophetia, quò ad reuelationem verò minor.

¶ RESPON. Prophetia eft diuina reuelatio, rerum euentus immobili veritate denuncians. In prophetia ergo funt duo: reuelatio, & denunciatio. Quantùm ad reuelationem, quæ eft in cognitione, dignior eft gratia prophetiæ, & actus prophetizandi eminentior: & maius eft prophetizare, quàm prædicare. Quantùm ad denunciationem gratia prædicationis eft dignior: prophetizare verò, fecundùm quod eft ad veritatis denunciationem eft minus quàm prædicare: quia prædicare eft ad falutem animarum, prophetare ad veritatis denunciationem: & hoc minus eft falute animarum.

MEMBRVM IV.

An gratia fermonis fufficiat ad auditorum ædificationem?

POSTEA quæritur? Vtrùm ad ædificationem auditorum fufficiat gratia fermonis? Et cùm habitus gratuiti perfectiores fint habitibus naturalibus, & acquifitis: habitus autem naturales, & acquifiti fufficienter eliciant fuos effectus: quia (ficut dicit Auguft.) Habitus eft, quo aliquid agitur, cum opus eft: ergo habitus gratuiti fufficienter fuos effectus eliciunt: ergo gratia fermonis fidei fufficienter eliciet fuum effectum, qui eft ædificare fidem in audiente. Similiter gratia fermonis fcientiæ eft ædificatio difcretionis faciendorum in audiente. Auguft.

¶ CONTRA, Gregorius: *Nifi Spiritus Sanctus corda auditorum repleat ad aures corporum vox docentium in caffum fonat.* Et iterum: *Formare vocem Magiftri exteriùs poffunt: fed hanc imprimere interiùs non poffunt.* Ex quibus relinquitur quod neceffaria eft ad ædificationem auditoris alia gratia. Gregor. Idem.

¶ ITEM, *Fides ex auditu eft: auditus autem per verbum Chrifti*: ibi Gloff. *Cùm ex gratia fit auditus, neceffaria eft alia gratia, quæ cor ipfum moueat.* Rom. 10. Gloffa.

RESOLVTIO.

Gratia profectò dicentis non fufficit, nifi pariter & audientis gratia interuenerit.

¶ RESPON. Concedendo quod ad ædificationem auditoris neceffaria eft duplex gratia. Vna in doctore fiue prædicatore: qua fciat dicere conuenienter ea, quæ funt ad ædificationem. Alia verò neceffaria eft in auditore, qua moueatur ex fermone ad compunctionem, vel ad amorem, vel timor, vel fpem, & huiufmodi: & hac ratione dicit Gregor. Quòd in vanum laborat lingua prædicatoris: nifi adfit gratia faluatoris. Gregor.

¶ AD ILLVD ERGO, quod primò obijcitur? Dicendum, quòd actus gratiæ fermonis non eft ædificare auditorem, fed dicere ad auditoris ædificationem. Vnde ficut in alijs dicitur, quòd Medicus non femper fanat, nec Rhetor femper perfuadet: fed fi nihil omittant de contingentibus, nihilominus confequuntur effectum operantes fecundùm artem. Ita fi doctor, vel prædicator habens gratiam fermonis nihil omittat de contingentibus ad ædificationem: confequitur fuum effectum. Notandum tamen eft, quòd eft effectus effentialis: & hic eft effectus in ipfo: vt in medico, cùm operatur fecundùm artem: & in prædicatore, cùm loquitur ædificationem: & eft effectus in altero accidentalis: vt in medico cùm fanat, & in prædicatore cùm ædificat.

):(

QVÆSTIO LXVIII.

De Fide Formata.

In nouem Membra, & viginti & vnum Articulos diuisa.

D. Tho S. Bon. & Sco. vbi supra

POst Tractatum de Virtute in genere: inquirendum est de speciebus virtutum secundùm præassignatam differentiam. Et primò agatur de virtutibus Theologicis, quæ sunt virtutes in finem: vt fides, spes, charitas: de quibus, *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc.* Consequenter verò de virtutibus Cardinalibus, quæ sunt de his, quæ sunt ad finem: vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Primò ergo quæritur de fide. Secundò de spe. Tertiò de charitate. Cùm autem quæritur de fide præintelligendum est, sicut dictum est priùs, & habetur secundùm Aug. super illud ad Rom. 1. *De fide in fidem*: quòd fides dicitur duobus modis: * quod creditur, & quo creditur. Fides autem quo creditur, est habitus credendi: qui accipitur duobus modis, cum charitate, & sine charitate. Si sine charitate, sic est fides informis: de qua dictum est priùs: cum quærebatur de gratijs, gratis datis. Præsentis igitur inquisitionis erit inquirere de fide secundùm alias duas acceptiones. Vt primò quæramus de fide, qua creditur, formata: hoc est, de habitu credendi. Secundo verò de fide, quod creditur: hoc est, de credibili.

1. Cor. 13.

* Alias, in quod creditur.

¶ Et quantùm ad primam inquisitionem erit iste modus.

¶ Primò quæretur: an fides sit necessaria ad salutem. Secundò, supposito quod sic: vtrùm habeatur per suasionē. Tertiò, an fides virtus sit. Quartò, supposito quod sic: an sit virtus generalis, vel specialis (& hæc quæruntur ad sciendum, quid sit fides secundùm rem.) Quintò quæritur, quid sit fides secundùm diffinitionem. Sextò de actu fidei. Deinde de obiecto fidei, & consequenter de subiecto fidei. Demum de passionibus consequentibus fidem, & eiusdem comparatione ad alias virtutes, secundùm quòd dicitur fundamentum.

MEMBRVM I.

An fides necessaria sit ad salutem?

AD primum arguitur sic: Nulli dubium est, neminem Deum colere, nisi qui credit ipsum esse: & nisi qui credit de illo ea, propter quæ debet ei cultum impendere. V.g. Nemo impendit ei latriæ cultum, nisi qui credit ipsum Deum: nemo impendit ei obedientiæ seruitium, nisi qui credit ipsum Dominum: & iuxta hunc modum nemo orat illum, nisi qui credit quod possit ei esse in adiutorium. Si ergo necessarium est ad salutem Deum colere, necessarium erit ipsum Deum & bonum credere.

¶ Item, si ad salutem necessarium est Deum amare super omnia & timere: sed non amatur, nisi quia bonus: nec timetur, nisi quia iustus crediturierit ergo necessaria ad salutem fides bonitatis & iustitiæ.

¶ Si diceretur, quòd fides est dupliciter dicta. Vno modo fides credulitas veritatis manifestæ, cui contradici non potest: vt fides principiorum: vt, omne totum maius est sua parte, &c. Et in diuinis Deum esse iustum, siue summum bonum. Est iterum fides veritatis occultæ: quæ non se ita offert intellectui manifestè: vt terram esse centrum mundi: & cœlum aliquod insensibile esse: quod sc. non videtur. Secundùm primum modum diceret forsitan aliquis incredulus, quòd esset fides necessaria ad salutem: de secunda non: quia ei non potest firmiter inniti intellectus.

Hilar. in lib. 4. de Trin.

¶ Contra, arguit B. Hilarius dicens: *Neq; cœlestium per se scientiam humana imbecillitas consequetur: neq; inuisibilium intelligentiam ipse sibi * corporalium sensus assumet.* Ex hoc accipitur talis ratio: plus excedunt cœlestia & diuina humanum intellectum, quàm intelligibilia humanum sensum: sed impossibile est secundùm ordinem naturæ, quòd sensus capiat scientiam intelligibilium: ergo impossibilius erit quod humanus intellectus secundùm ordinem naturæ comprehendat scientiam diuinorum. Si ergo saluti necessaria est inuentio in diuina: quæ non potest haberi sine præexistenti cognitione: præexistens autem cognitio non potest esse scientia: ergo præexistens cognitio erit fides diuinorum.

* Alias, corporalis.

¶ Item, idem B. Hilar. arguit sic: *Non subeunt ingenia nostra cœlestem scientiam: neq; incomprehensibilem virtutem sensus aliquo inprimitas nostra concipiet. Ipsi ergo Deo de se credendum est: & his, quæ cognitioni nostræ de se tribuit obsequendum.* Ex quo relinquitur primum. Ratio ista fundatur supra hanc propositionem per se notam. Incomprehensibilis virtus & infinita non concipitur à virtute infirma & finita. — Idem in eodem.

¶ Iterum, Hilar. in 4. de Trin. *Aut more Gentilium denegandus est Deus; si testimonia eius improbantur: aut sicut & Deus creditur, non potest aliter de eo, quàm ipse de se testatus est, intelligi.* Sed intelligere testimonio alterius idem est quod credere: vt ostendit Augustinus ad Paulinam de videndo Deo: *quia hæc, quæ videmus, ipsi testes sumus: sed his, quæ credimus, alijs testibus mouemur ad fidem.* Necesse est igitur de Deo secundùm suum testimonium credere. — Epistola 112. cap. 2.

¶ Rvrsvs, Hilar. in lib. 5. de Trin. *Non est de Deo humanis iudicijs sentiendum: neq; enim nobis ea natura est, vt se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat: à Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit: quia non nisi se auctore cognoscitur.* Si ergo cognitio Dei necessaria est ad salutem: & hoc non potest haberi per inquisitionem humanam seu scientiam, necessarium est, vt habeatur per fidem.

¶ Demvm, idem Hilar. in lib. 1. de Trin. *Cùm de rebus Dei sermo erit, concedamus sui cognitionem Deo: dictisq; eius pia veneratione famulemur: idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.* Ex quo relinquitur, quòd ad salutem necessaria est fides, qua credimus Deo de seipso: fides (dico) quia scientia non est possibilis: sicut ostensum est.

¶ Item, ad idem sunt auctoritates Apostoli: *Accendentem ad Deum oportet credere, &c. Sine fide impossibile est placere Deo*, & huiusmodi. — Hebr. 11.

¶ Ad oppositum sic: Communis animi conceptio est: quòd assentire incertis in his, quæ ad salutem pertinent, est temerarium. Item, communis est animi conceptio, quòd nullum temerarium confert saluti humanæ. Cùm ergo omne inuisum & incognitum sit incertum; assentire inuiso & incognito erit temerarium. Sed talia sunt, quibus fide, de qua quærimus, assentimus: sicut dicit Aug. (*Fides est credere: quod non vides*) ergo huiusmodi fides est temeraria: ergo nec saluti necessaria. — August.

¶ Item, dicit Petrus Rauennas (*quod videtur concordare cùm communi animi conceptione*) quòd non est tutum credere sine ratione: ergo in his, quæ pertinent ad salutem, periculosum erit sine ratione credere. Sed tale est credere fide, de qua loquimur: ergo non erit credere tale expediens ad salutem. — Rauēnas.

¶ Item, cùm homo sit rationalis creatura: natus est & ordinatus ad iudicandum ratione, & ad operandum ratione. Si ergo propter hoc quia homo rationalis est: si operetur sine ratione, non est laudabilis: & vituperabilis, si operetur contra rationem: ergo similiter iudicium rationis laudabile non erit sine ratione: & vituperabile contra rationem: ergo credere sine ratione non est laudabile: credere verò contra rationem vituperabile. Sed tale est credere fidei: de qua loquimur: ergo tale credere vituperabile.

¶ Item, Vbi periculosum & damnabile est falli: ibi maximè reprobandum ignorare se falli: sed in diuinis, & in via, quæ est ad beatitudinem, damnabile & periculosum est falli: ergo in huiusmodi maximè reprobandum est ignorare se falli: sed vbi deficit scientia & cognitio veritatis, est ibi ignorantia oppositæ falsitatis: ergo per consequens ignorantia fallaciæ cuiusgenus circa veritatem. Cùm ergo in fide (secundùm quod hic loquimur) deficiat cognitio & scientia veritatis,

est hic ignorantia oppositæ falsitatis, ergo & ignorantia fallaciæ: nescit igitur, qui sic credit: an fallatur: ergo tale credere maximè est reprobabile.

RESOLVTIO.

Cùm rationalis creatura, sicut necessariò debet summæ bonitati dilectionem, & summæ maiestati obedientiam: ita pariter debeat & summæ veritati assensum: cumq; hæc tum ob sui præstantiam, tum ob nostri imbecillitatem per scientiam comprehensibilis non sit: omninò fides interuenit, qua illi firmiter adhærere possit.

¶ Sol. Dicendum, quod fides: hoc est, apprehensio & assensus veritatis diuinæ necessaria est ad salutem. Et causa est, quia cognitio creatoris necessaria est ad salutem: & sicut rationalis creatura debet dilectionem summæ bonitati, & obedientiam summæ maiestati: ita assensum primæ veritati. Veritas autem diuina non potest capi per scientiã ab humana creatura propter duplicem causam, quàm assignat Hugo de S. Vict. vna est excellentia primæ veritatis: alia imbecillitas humanæ fragilitatis. Excellentia veritatis: quo monstrat Hugo per diuisionem eorum, quæ à nobis comprehenduntur. Nam cùm quædam comprehẽdamus sensu, vt corporalia: quædam verò intellectu per similitudines: quædam verò experientia; vt ea quæ in anima sentiuntur, vt gaudium & tristitia, timor & amor: diuina non comprehenduntur primo modo, sc. sensu; quia nõ sunt actu præsentia, nec corporalia: nec secundo modo; quia omnem similitudinem puritatis excellentia transcẽdunt: nec tertio modo, vt illa quę in nobis sentiuntur; quia non de substantia animi sunt, nec de his quæ in animo subsistunt: ergo sola fide creduntur, quia sunt: sed non qualia sunt, comprehenduntur: ergo Deus credi potest, comprehendi non potest. Item, infirmitas humanæ fragilitatis causa est: quia (sicut ostendit Hugo) erant tria quædam, corpus, spiritus, & Deus: & corpus quidem mundus erat, anima spiritus: & ipsa anima quasi in medio quodam erat, habens extra se mundum, intra se Deum: & acceperat oculum, quo extra se mundum, & ea, quę in mundo erant, videret: & hic erat oculus carnis: alium oculum acceperat, quo seipsam, & ea, quæ in ipsa erant, videret: & hic erat oculus rationis: alium rursum oculum acceperat, quo intra se Deum videret, & ea quæ in Deo erant: & hic est oculus contemplationis. Postquam autem tenebræ peccati in illam intrauerunt: oculus quidem contemplationis extinctus est, vt nihil videret: oculus verò rationis lippus effectus, vt dubiè videret: solus oculus carnis in sua claritate permansit. Homo ergo quia oculum carnis habet, mundum videre potest, & ea, quæ in mundo sunt: item, quia oculum rationis ex parte habet; animum similiter ex parte videt, & ea, quæ in animo sunt: quia verò oculum contemplationis non habet, Deum & quæ in Deo sunt, videre non valet. Fides ergo necessaria est, qua credantur, quæ non videntur.

Idem in suis sententijs li. 1. de sacrament par. 10 c. 2.

¶ Ad primum ergo, quod obijcitur: dicendum: quod duplex est certitudo mentis rationalis: vna per modum visus, alia per modum gustus. Per modum visus ex parte cognitionis intellectus: per modum gustus ex parte deuotionis affectus. Et secundùm hoc distinguendum in fide: quia fides in quibusdam fidelibus habet certitudinem cognitionis: quæ habet incontradictiuam rationum probationem: in quibusdam verò est certitudo deuotionis secundùm gustum affectus: vnde dicit Hugo. *Quorundam fides cognitione magna est, affectu parua: quorundam verò affectu magna, cognitione parua: verùm tamen affectum magnum laudabiliorem esse in fide, quàm cognitionem magnam, Dominus ipse ostendit: vbi fidem grano sinapis comparauit.* Matth. 13. *Quòd quantitate paruum est, sed non feruore. Mulieri Chananææ paruam fidem habenti, sed multum feruenti dictum est. Mulier magna est fides tua.* Patet igitur quod illa propositio, quàm assumebat, est falsa. Omne inuisum & incognitum est incertum: secundùm quod inuisum & incognitum sumuntur quantùm ad intellectum.

Idem ibidem c. 4.

Matth. 15.

¶ Ad secundum, quod obijcit: quod non est tutum sine ratione credere. Dicendum, quòd Petrus Rauenn. is loquitur de credulitate generaliter: secundùm quod se extendit ad consequentia ex articulis fidei. Et quia multa de consequentibus ad articulos possent verti in verùm & in falsum: & ideo de illis dicit, quòd non est tutum credere sine ratione. Vel potest dici: quod hoc dicit ad significandum vtilitatem rationum ad defensionem fidei Catholicæ contra hæreticos. Non est ergo tutum Ecclesiæ credere sine ratione: id est, nisi habeat rationes ad defensionem fidei Catholicæ: quia dicitur. *Parati semper ad satisfactionem poscenti rationem de ea, quæ in vobis est, fide & spe.* Illud ergo quod dicit, intelligitur de ratione, prout est necessaria ad instructionem & defensionem: non prout est necessaria ad probationem.

1. Petri 3.

¶ Ad tertium dicendum, quòd non est simile in operatione & cognitione: vt sicut operari contra rationem est vituperabile: ita credere contra rationem, vel non secundùm rationem. Et ratio est: quia operatio facienda subiecta est facultati rationis: veritas verò cognoscenda excedit facultatem rationis: & ideo necesse est, vt per aliud à ratione credatur laudabiliter: vnde vniuersaliter ratio fidei non suffragatur. Quòd ostendit Hugo per distinctionem dicens. Tria genera credentium inueniuntur. Quidam fideles sunt, qui sola pietate credere eligunt: quod tamen vtrùm credendum sit, vel non credendum, ratione non comprehendunt: alij ratione approbant, quòd fide credunt: alij puritate cordis & munda conscientia interiùs iam gustare incipiunt; quod fide crediderunt. In primis sola pietas facit electionem: in secundis ratio adiungit approbationem: in tertijs puritas intelligentiæ apprehendit certitudinem. Et ponit exemplum. Pagani in plures vnitatem diuinitatis scindunt: Iudæi saluatorem non recognoscunt: in omnibus mens fidelis influctuat: & nisi pietate teneretur, fortassis abiecta veritate falsitatem sequeretur. Accedit (spiritussancto suggerente) ad hanc alia maior ratio: melius est confiteri vnum principium, quàm multa: quia vbi multitudo est, aut pluralitas superflua est, aut vnitas imperfecta. Ampliùs, melius est creatorem pariter confiteri & saluatorem, quàm creatorem solùm: quoniam qui creatorem dicit, maiestatem confitetur; qui saluatorem credit, pietatem veneratur. Item, maius bonum hominis est, vt in Deo suo maiestatem inueniat, quàm oculo cordis contempletur: & humanitatem, quàm oculo carnis speculetur; vt totus homo in Deo beatificetur. His rationibus animus confortatus, ad ampliorem diuinæ Religionis deuotionem excitatur: deuotione autem mundatur, & purificatur: vt iam quodammodo prægustare incipiat, in quod cognoscere festinat, & quodammodo per contemplationem Deum præsentem habere incipiat: & nulla iam ratione ab eius fide, etiam si totus mundus in miracula vertatur, auelli queat.

Hugo de S. Victore loco allegato.

¶ Ad vltimum dicendum: quod per fidem, de qua loquimur, certi sumus nos non falli: & si ignota sit veritas, cui assentimus. Et ratio est: quia in assentiendo ipsi veritati, innitimur ipsi veritati, quæ Deus est: qui sicut non potest falli, ita nec fallere: vnde dicit Richard. de S. Victore in 1. de Trinitate cap. 2. *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certiùs & constantiùs tenemus, quàm quod fide apprehendimus. Vtimur itaque in eorum attestatione siue conformatione, signis pro argumentis, prodigijs pro experimentis. Vtinam attenderent Iudæi: vtinam animaduerterent pagani: cùm quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cùm omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine si error est, à teipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri possunt. Rectè à summæ sanctitatis viris nobis sunt tradita, & cùm summa attestatione probata: teipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

)*(

ARTICVLVS II.

An fides ex rationibus & suasionibus habeatur?

CONSEQVENTER quæritur? An fides: quæ est necessaria saluti, sit per rationes suasa, vel probata. Ad q̃ sic: sicut aliud est diligere aliquem ex suis meritis, siue ratione beneficij vel vtilitatis, aliud verò diligere ipsum sine meritis, ex sola virtute & gratia diligentis: sic aliud est credere ex probabilitate vel euidentia ipsius credibilis, aliud ex virtute credentis. Similis ergo virtus est amare improbum charitate, & credere improbabile fide: nec minoris virtutis est credere improbabile, quàm improbum diligere. Si ergo ex charitate seu amore salutari contra merita improbus & inimicus diligitur: ergo ex fide salutari sine probatione & rationis suasione improbabili veritati credetur.

¶ ITEM, quod absque suasione & probatione creditur: virtute credentis creditur. Aut ergo Deo hoc modo credendum est, & habemus propositum: aut non sine suasione seu probatione: & tunc obijcitur: ergo non est ei alio modo credendum, quàm cuilibet alij: cuilibet enim alij probatione euidenti crederetur.

¶ ITEM, non est adeò quis mendax, cui probationibus idoneis à quolibet non credatur. Qui ergo non aliter Deo credit, quàm probationibus idoneis & certis: manifestum est, quòd Deum in hac parte in nullo mendacibus anteponit: & ipsos Deo in assensu credulitatis adæquat: quod aperta Dei contumelia est. Relinquitur igitur, q̃ fides salutatis credit Deo sine persuasione & probatione.

¶ ITEM, sicut Deo debetur digna dilectio: ita ei debetur credulitas digna. Non est autem digna Deo credulitas, quæ propter persuasiones aut probationes impenditur: quia huiusmodi credulitas nec etiam bono viro & sapienti digna est. Ergo si dignior credulitas, quæ sit, Deo impendenda est: credendum est ei sine ratione & persuasione.

¶ ITEM, sicut affectus rationalis debet summæ bonitati dignum amorem: ita intellectus summæ veritati dignam credulitatem: si ergo non est digna dilectio Deo, qua diligitur eius bonitas solùm propter vtilitatem: non erit eadem ratione digna Deo credulitas, qua assentitur primæ veritati propter persuasionem rationis, vel probationem.

¶ ITEM, cùm virtus & ars circa difficillima sint: credulitas autem, quæ est per euidentes probationes non solùm circa facillima est: sed etiam circa ea, quæ impossibile est vel difficile non facere (Impossibile enim est non credere manifestè vera: difficile autem non est credere probabilia) Relinquitur igitur huiusmodi credulitatem non pertinere ad virtutem.

¶ ITEM, supposito (exempli gratia) q̃ similis sit ratio venditoris mercis sub pignore vel cautione, & intellectus credentis probatione: quia sicut de manu talis venditoris merces non exeunt, nisi priùs securitatem pignoris vel cautionis tenuerit: sic neque de huiusmodi intellectu exit credulitas, donec medium approbationis habuerit. Inde arguitur: exactio pignoris non est nisi ex paruitate credulitatis: quamuis enim multitudo pignorum venditori securitatem faciat, testimonia tamen sunt incredulitatis ipsius: ergo ex parte intellectus exactio probationis testimonium est suæ incredulitatis: quamuis sint huiusmodi probationes intellectui quædam securitates. Si ergo intellectus per incredulitatem potest placere Deo: nec per fidem, quæ est coacta per probationem, placebit Deo: fides igitur salutaris non est per probationes.

¶ ITEM, Ioan. Dam. dicit: *Fides est consensus non inquisitus, seu imperscrutatus*. Ergo relinquitur q̃ fides laudabilis non est ex perscrutatione rationis.

August. ad Paulinam de videndo Deo. ¶ ITEM, Greg. *Fides non habet meritum, cui humana ratio prabet experimentum*.

¶ CONTRA, Aug. *Creduntur illa, quæ absunt à nostris sensibus: sed videtur idoneum testimonium, q̃ eis perhibetur*. Ergo ea, quæ creduntur, & si non videantur, idoneo tamen testimonio probantur.

¶ ITEM, Aug. *His, quæ videmus, vel audimus, nos ipsi testes sumus: his autem quæ credimus, alijs testibus mouemur ad fidem*. Ergo quæ creduntur; testimonio probantur. Idem in eodem.

¶ ITEM, creditur testimonio Apostolorum. *Eritis mihi testes in omni Iudæa*, &c. Creditur testimonio creaturarum, quoniam Deus est omnipotens & creator. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ poterat horum creator cognoscibiliter videri*. Si ergo fides, qua creditur testimonio Apostolorum, necessaria est saluti: & etiam fides, qua creditur testimonio creaturarum; quia Deus est, & omnipotens: fides igitur salutaris est credere per probationem testimoniorum. Act. 1. Rom. 1.

¶ ITEM, sicut dicit B. Bern. q̃ scientia innititur veritati, fides auctoritati: opinio verisimilitudine se tuetur. Ergo si fides auctoritati innititur: videtur, quod per auctoritatem probari possit.

RESOLVTIO.

Fides acquisita ex auditu, rationibus & testimonijs vtiq; colligitur: infusa autem & gratuita, nequaquam.

¶ SOL. Secundũ Ioan. Dam. in lib. 4. vbi dicit: fides dupliciter est: est. n. fides ex auditu: audientes enim scripturas credimus doctrinæ spiritu: est aũt rursus fides indubitabilis & indijudicialibus species eorum, quæ à Deo nobis nunciata sunt: igitur prima mentis nostræ est: secunda charismatum spiritus. Vult ergo dicere, q̃ est fides ex auditu acquisita, siue testimonio scripturarum; & est fides gratuita infusa à Deo ad assentiendum primæ veritati propter se. Fides primo modo dicta colligitur ex testimonio & ratione, & non est sufficiens ad salutem: secundo verò modo infunditur ex superna illuminatione, & hæc est fides salutaris, & donum gratiæ.

¶ AD illa ergo, quæ dicit Aug. Dicendum, q̃ loquitur de fide, quæ est ex auditu exteriori, quæ est fides acquisita: non de fide, quæ est ex inspiratione gratiæ interioris, quæ est fides gratuita. Illius causa est ratio vel apertum testimonium auctoritatis: istius verò causa est gratia illuminationis diuinæ ad cognoscendum veritatem, quæ est supra naturam & assentiendum ipsi propter se. Notandum tamẽ quod ratio & fides, quæ est ex ratione; se habent ad fidem gratuitam sicut præambula dispositio ad formam: Disponit enim animam ad receptionem luminis, quo assentiat primæ veritati propter se: sed per modum naturæ, non gratiæ: & dicitur ipsam introducere sicut seta filum: & tunc ratio cessat humana, quando ei non innititur fides introducta. Aug in li. de videndo Deo.

¶ AD tertium, q̃ obijcitur de credulitate, quæ est per testimonia Apostolorum, &c. Iam patet responsio; aliud enim est credere ex testimonijs aliud credere testimonia. Dico quod fide suasa creditur ex testimonijs: sed fide infusa creduntur testimonia: quia sunt vera: & hoc secundo modo fides testimoniorum est necessaria saluti, non primo modo.

¶ AD illud quod obijcitur, quod fides innititur auctoritati. Dicendum, quod non innititur auctoritati tanquam probanti: sed tanquam confirmanti & corroboranti.

MEMBRVM III.

An fides sit virtus?

POSTMODVM quæritur? Vtrùm fides sit virtus. Ad q̃ sic dicit Philosophus: *Finis speculationis est veritas: virtutis verò finis est bonum*. Cùm ergo fidei finis sit veritas inquantùm huiusmodi: fides non erit virtus. Philoso. 1. Metaph. Tex. com. 3.

¶ FORTE dicetur, q̃ hoc nõ impedit, quin fides sit virtus: quia fides non est in quamcunq; veritatem, sed in veritatem primam: prima autem veritas idem est quod summa bonitas: & ita cùm prima veritas sit finis fidei, summa bonitas est finis fidei: & ita fides est in bonum, & est virtus.

Si sic dicatur, contra: si penes fines proprios differunt virtutes; quamuis vnus sit finis vltimus: non erit ponere proprium finem ipsius bonitatem summam, in quantùm huiusmodi; cùm sit finis charitatis, & aliarum virtutum: ergo erit dicere, ꝙ finis ipsius fidei erit veritas inquantùm huiusmodi: ergo cùm virtutis inquantùm virtutis finis sit bonitas, non veritas: non erit fides virtus.

¶ Item, si diceretur ꝙ virtutis finis est bonum generaliter: sed bonum generaliter contingit multiplicari: nam est bonum rationalis, est bonum irascibilis, est bonum concupiscibilis; sicut autem bonum concupiscibilis est finis charitatis, & bonum irascibilis finis spei: ita bonum rationalis est finis fidei: quod bonum est prima veritas inquantùm huiusmodi. Contra. Si bonum ipsius virtutis rationalis facit fidem esse in bonum secundùm rationem virtutis: ergo cùm scientia sit in bonum rationale, quod est veritas ordinata in illam: relinquitur ꝙ scientia erit virtus. Si ergo non ex hoc scientia est virtus: relinquitur quod fides non erit virtus.

Hugo de S. Vict. li. 1. de sacramen. par. 10. c. 2. ¶ Item, Hugo. *Fides est certitudo quædam animi de rebus absentibus, supra opinionem, & infra scientiam constituta.* Ex quo accipitur, quòd fides est media inter opinionem & scientiam. Si ergo duo extrema, sc. opinio & scientia non sunt in genere virtutis, sed in pura speculatione: relinquitur ꝙ medium, sc. fides non erit in genere virtutis, sed in speculatione pura.

¶ Item, differunt scientia & virtus penes subiecta siue vires: quia scientia est in speculatiuo intellectu, siue in parte animæ speculatiua: virtus autem in practico intellectu, siue in parte animæ motiua. Cùm ergo fides sit in intellectu speculatiuo: relinquitur, ꝙ non erit virtus. Quòd autem fides sit in speculatiuo intellectu, dicit B. Greg. super illud Ierem. 2. *Filij Mempheos & Taphnes constuprauerunt te*, &c. Gloss. *Malignus spiritus quasi ab inferioribus membris ad superiora pertingit: cùm actiuam vitam pollens, quasi castam celsitudinem fidei morbo diffidentiæ corrumpit.* Ex quo relinquitur, quòd cum actiua ad practicum intellectum pertineat: contemplatiua verò ad speculatiuum; quam dicit corrumpi per corruptionem fidei: ergo non erit fides nisi in intellectu speculatiuo. (Glossa.)

¶ Contra. Habitus voluntarius est virtus vel vitium: fides est habitus voluntarius; quia nullus potest credere nisi volens: ergo fides est virtus, vel vitium: sed non vitiũ, ergo virtus.

¶ Item, quicunq; habitus ordinatus habet contrarium peccatum, est virtus; sed fides habet contrarium peccatum infidelitatis: ergo est virtus.

¶ Item, omne quod est expulsiuum peccati, & est principium ad meritum, est virtus. sed fides est huiusmodi, sicut dicit Apost. Rom. 3. *Iustitia est per fidem Iesu Christi.* Et ad Rom. 5. *Iustificati ex fide, pacem habeamus.* Et Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, &c. Ergo fides est virtus.

RESOLVTIO.

Fides formata materialiter accepta, virtus non est: formaliter autem sumpta, virtus est.

¶ Qvod omnes concedunt de fide operante per dilectionem. Nota tamen ꝙ ad hoc dixerunt quidam: ꝙ fides est in speculatiuo intellectu, & nihilominus est virtus. Et hoc dixerunt his rationibus: quia cum anima sit remunerAliorum sententiæ. anda secundùm omnes vires, & maximè secundum partẽ animæ speculatiuam: necesse habet mereri secundùm partem animæ speculatiuam: ergo in parte animæ speculatiua erit principium merendi, ꝙ est virtus. Item: sicut se habet probabile & improbabile ad intellectum: ita se habet approbabile & reprobabile ad affectum, & econuersò. Si ergo ex virtute affectus & charitatis est diligere reprobabile, sc. inimicum: ergo ex virtute intellectus erit improbabile credere: sed credere est per fidem: ergo fides est virtus intellectus.

¶ Sed contra hoc obijcitur: quia non est necesse, vt in eo per se sit meritum, in quo erit remuneratio vel præmiũ: corpus enim glorificabitur, & pars sensibilis: non tamen in illis per se est meritum: ergo nec est ratio, cùm intellectus speculatiuus consequatur præmium, ꝙ propterea in eo sit per se meritum.

¶ Item, intellectus speculatiuus cogitur necessariò ad credendum per necessariam ratiocinationem: ergo credere intellectus speculatiui est inuoluntarium: nullus autem actus inuoluntarius est virtutis: ergo credere intellectus speculatiui non *est virtutis. (* Aliàs, voluntatis virtus.)

¶ Propter hoc dixerunt alij: ꝙ fides est in parte animi motiua, & est virtus: pars enim motiua est lib. arb. quod est quasi Rex in anima quærens bonum & beatitudinem ipsis viribus subiectis: & in eo est primò meritum & virtus: liberum autem arbitrium est facultas rationis & voluntatis, & est vis motiua secundùm rationem & voluntatem: secundùm rationem intendentem, & secundùm voluntatem appetentem. Dicunt ergo, quod fides est in lib. arb. secundùm rationem.

¶ Sed contra hoc obijcitur? Ad eandem vim pertinet virtus viæ & præmium patriæ, quòd succedit virtuti: ergo cùm visio primæ veritatis succedat fidei in gloria: visio autem veritatis pertineat ad partem intellectus speculatiui: ergo fides est in intellectu speculatiuo: & si virtus est, virtus est intellectus speculatiui.

¶ Propterea dixerunt alij: quod duo sunt in fide, cogitare, & assentire (secundùm.n. B. Aug. Credere est cogitare cùm assensione) cogitare est intellectus speculatiui, assentire practici. Et ita fides quantùm ad actum cogitandi est in intellectu speculatiuo, & est habitus cognitiuus: quantùm verò ad actum assentiendi est in intellectu practico: & est habitus motiuus. Ex primo ergo non habet esse virtus, sed ex secundo.

¶ Sed contra hoc obijcitur: differentia est habituum secundùm differentiam potentiarum subiectarum. Si ergo non est eadem potentia speculatiui intellectus & practici: ergo nec idem habitus erit vtriusque: fides igitur non poterit esse in intellectu speculatiuo & practico.

¶ Propter hoc aliter est dicendum ad prædictã quæstionem, qua quæritur: Vtrùm fides sit virtus: vt sit quęstio de fide formata, quæ est cùm charitate. Dicendum ergo, quòd fides potest considerari materialiter: & potest considerare formaliter: materialiter fides est cognitio, formaliter fides est assensio. Fides ergo materialiter considerata est in speculatiuo intellectu: nec est virtus: formaliter vero considerata est in practico intellectu; & est virtus. Vnde Hugo. *Duo sunt, in quibus fides constat, cognitio: & affectus.* In altero (sc.) in affectu constat, quia ipsa in illo est: in altero, sc. cognitione, constat, quia de illo est. In affectu verò fidei substantia inuenitur, in cognitione verò materia. Propterea fides in affectu habet substantiam; quia affectus ipse fides est: in cognitione verò materiã; quia de illo est, quòd est in cognitione. Fides igitur, qua creditur, est in affectione: quod verò creditur in cognitione. Cognitionem autẽ hic intelligimus scientiam rerum: non illam, quæ ex præsentia ipsarum comprehenditur: sed illam, quæ auditu solo percipitur: & ex verborũ significatione manifestatur. V. g. cùm id quod dicitur, & ab illo qui audit, intelligitur quod dicitur: etiam si nesciat, vtrùm sit vel non sit, ita vt dicitur: scientia tamen est, inquantùm intelligit & scit, quid est quod dicitur. Ad hanc cognitionem si fides accedat, vt credatur quod audiebatur & intelligebatur, est credulitas in cognitione: & inuenitur in affectu substantia, in cognitione verò materia. (Sententia propria.) (Hugo de sacram li. 1. par. 10. c. 3.)

¶ Ad primò obiectum dicendum: quod prima veritas est finis speculationis secundùm rationem veri: virtutis verò fidei finis est secundùm rationem boni. Vnde prima veritas comparatur ad finem dupliciter: vt obiectum siue materia, & vt finis: vt obiectum secundùm rationem veri, vt finis secundùm rationem boni. Ex comparatione ipsius primæ veritatis vt obiectum, non deprehenditur fides virtus: sed ex comparatione secundùm quod finis. Vnde sicut charitatis finis est simpliciter bonũ: ita fidei est quoddam bonum, sc. verùm sub ratione boni.

¶ Et per hæc patet responsio ad secundùm.

¶ Ad tertium, quod obijcitur de scientia: dicendum, quòd scientia quantùm est de ratione scientiæ, habet verùm pro materia, non pro fine: vel si habet pro fine, non tamen habet secundùm rationem boni: & ideo scientia speculatiua non est virtus siue scientia, quæ est donum.

¶ Ad quod manifestandum notandum est: quod cùm scientia dicatur esse in ratione siue in intellectu: ratio accipitur tripliciter. Vno modo dicitur ratio vis cognitiua veri & falsi, boni & mali: & scientia in ratione hoc modo accepta est habitus speculatiuus, & non est virtus. Alio modo dicitur ratio vis cognitiua veri & falsi, boni & mali, ad hoc, quod fiat vel non fiat; vel vt tendatur in illud, vel recedatur ab illo; & secundùm hoc ratio est pars lib. arb. vt diffinitur ab August. liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis: & hoc modo ratio vis motiua est inclinans per intentionem. Tertio modo sumitur ratio largè: ita quod comprehendat iudicium & appetitum, siue rationem & voluntatem: & sic idem est quod lib. arb. Et secundùm has duas vltimas acceptiones in ratione dicitur esse scientia, quæ est donum, seu virtus.

¶ Ad quartum, quod obijcitur de Hugone. Dicendum, quòd loquendo de fide materialiter, scilicet, secundùm cognitionem: media est fides inter opinionem & scientiam: nec ex hoc dicitur virtus: sicut nec opinio, nec scientia. Loquendo verò de fide formaliter, scil. secundù assensionem: non erit dicere fidem esse infra scientiam, & supra opinionem: cùm ipsa certitudo fidei æquiparetur certitudini, quæ est scientiæ: secundùm quod dicit Aug. quod nihil est homini certiùs sua fide.

August. ¶ Ad vltimvm dicendvm: quòd est considerare intellectum speculatiuum absolutè, & est considerare intellectum practicum absolutè, & est considerare intellectum speculatiuum secundùm extensionem ad practicum: secundùm quod dicit Philosophus, quòd intellectus speculatiuus per extensionem fit practicus. (Philos. ex 3 de anima. 49.) In primo est pura cognitio, in secundo est pura affectio, in medio verò est cum affectione cognitio, seu cùm cognitione affectio. Propriè ergo loquendo, in intellectu speculatiuo primo modo sunt habitus cognitiui: qui non sunt virtutes: sicut sunt scientiæ. In intellectu verò practico absolutè sunt habitus virtutum, quæ materialiter & formaliter sunt circa affectiones & voluntates: sicut est spes, charitas: & huiusmodi. In intellectu verò speculatiuo extenso, siue in practico comparato ad speculatiuum sunt habitus virtutum, qui habent cognitionem pro materia, & affectionem pro forma: sicut est fides in Theologicis, & prudentia in cardinalibus. Et hoc modo non est inconueniens eundem habitum esse in intellectu practico, & speculatiuo: quia hoc modo non est in intellectu practico & speculatiuo, secundùm quod diuiduntur, siue separantur: sed secundùm quod vniuntur, vt sc. intellectus speculatiuus intenditur: in* practicum: & secundùm quod practicus informat speculatiuum. (*Aliàs, practico.)

MEMBRVM IV.

An generalis, vel specialis virtus sit fides?

Seqvitvr quærere? Vtrùm fides generalis virtus sit, an specialis. Ad quod sic: Quia non est vnicum genus appetendorum, sed diuersa genera: non est vnica virtus appetendorum, sed diuersæ in specie. Ergo eadem ratione cùm non sit vnicum genus credendorum, sed diuersa genera; non erit vnica fides, sed diuersæ in specie: ergo fides est differens specie.

¶ Item, aliud est donum, quod est de æternis, sc. sapientia: & aliud est donum, quod est de humanis, sc. scientia. Ergo simili ratione alia est fides, quæ est de æternis, vt de Deo trino & vno: alia est fides, quæ est de humanis: vt de resurrectione hominum futura, & retributione, & pœna.

August. ¶ Item, dicit Aug. quod diuersæ voluntates sunt in specie secundùm diuersa volita in specie. Vnde alia est voluntas in specie, qua volo honores mundi: alia, qua volo voluptates carnis; alia, qua volo diuitias. Ergo eadem ratione diuersæ erunt fides in specie secundùm diuersa credita in specie: ergo alia est fides, qua creditur humanitas, alia qua creditur diuinitas: alia, qua creditur resurrectio, &c.

¶ Item, maxima distantia inter omnia, quæ habent communicantiam, est illa, quæ est inter creatum & increatum. Si ergo aliqua differentia trahit in speciem differentem; & ista trahet: fides ergo, quæ est de increato, & fides de creato, est differens secundùm speciem.

¶ Item, fides est de supplicijs æternis; & secundùm hoc generat timorem: item fides est de præmijs æternis, & secundùm hoc generat spem. Ergo cùm spes, & timor sint diuersarum specierum: fides, ex qua generatur timor: & fides qua generatur spes, eadem ratione erunt diuersarum specierum.

¶ Item, secundùm vnamquamque virtutem gratuitam est aliquid amarum: sed nihil est amarum in diuinis, nisi sit cognitum cognitione, quæ est fidei: ergo fides circuit finem vniuscuiusque virtutis gratuitæ: siue illud sit verùm, siue arduum, siue bonum (non enim quæritur nisi cognitum) cognoscitur autem per fidem: relinquitur igitur, quod fides est generalis virtus. Idem.

¶ Contra. Licet multi sint articuli fidei secundùm temporale, & æternum; creatum, & increatum: vna tamen est veritas, per quam omni articulo inhæremus: ergo non multiplicatur fides secundùm temporale & æternum: sed vna erit propter vnitatem medij, quod est veritas.

¶ Item, omne quod est verum, à prima veritate verum est: sicut dicit Augustinus, quòd nulla creatura veritatem habet in se, nisi à prima veritate, cùm sit in se vanitas: ergo cùm nulla creatura à se veritatem habeat, nulli creaturæ veritati adhærendum est per se. Cùm ergo fidei sit proprium adhærere veritati per se: non adhærebit fides nisi solummodo veritati increatæ: ergo cum primæ veritati & soli per se adhæreat fides, licet sint diuersi articuli: non multiplicabitur secundùm species, sed secundùm vnam adhærentiam vna erit.

¶ Item, bonum & malum, secundùm quod accipiuntur à fide; accipiuntur præter actum, scil. sub ratione veri: secundùm verò quod accipiuntur à spe, & à timore, accipiuntur secundùm actum suum, & sub differenti ratione. Ergo sicut differentia rationis acceptionis boni & mali facit differentem speciem spei & timoris: eodem modo vnitas vel indifferentia acceptionis rationis boni & mali, quæ est ratio veri, faciet fidem vnius speciei: non multiplicabitur ergo per species.

RESOLVTIO.

Tametsi diuersi sint fidei articuli, quia tamen omnes vnà conueniunt: non generalis, sed specialis virtus fides ob id dicenda est.

¶ Sol. Dicendum, quòd fides est virtus specialis: licet enim sit diuersitas articulorum; quia tamen est conuenientia in illis; est vna fides omnium illorum. Est autem conuenientia articulorum in tribus: primò in subiecto creditionis: secundò in ratione credendi: tertiò in fine seu in termino. In subiecto creditionis conuenientia est, quia omnes articuli sunt de increato vero: sed quandoque, cùm cointellectu increati: vt de Deo trino & vno & huiusmodi: quandoque verò cum cointellectu creati; vt de Deo incarnato, passo, & huiusmodi. In ratione verò credendi est conuenientia: quia in omnibus credendis prima veritas est ratio credendi. In fine verò creditionis est conuenientia: quia secundùm omnes articulos tenditur in vnum verum, quòd est summa & prima veritas.

¶ Ad primum ergo dicendum: quòd non est simile in appetendis & credendis: quoniam in appetendis secundùm virtutem differentes sunt, & particulares, & propriæ rationes appetendi: & ideo sunt differentes virtutes circa appetenda: sicut patet: charitas enim appetit Deum secundùm rationem boni, spes secundùm rationem gloriosi, fides secundùm rationem veri: quia ergo diuersæ sunt rationes boni, gloriosi, & veri: ideo diuersæ virtutes sunt, fides,

fides, spes, & charitas: similiter in alijs virtutibus. In credendis verò non similiter est: quia vnica est ratio omnium credendorum propria & particularis circa omnia credenda, seu circa omnes articulos, quæ est prima veritas. Si .n. quæratur: quare credis hoc, vel illud? non est nisi vna responsio, sc. quia ita docet prima veritas. Vnde si Geometria dicitur vna scientia: quia est de vno subiecto: licet diuersas passiones probet de eo & per diuersa media: multo fortiùs vna erit fides specie: quia est de vno subiecto, & per vnum medium credit, quicquid credit.

¶ Ad secundum dicendum: ꝙ sapientia donum simpliciter est de æterno: scientia verò de temporali per se: & ideo diuersa sunt dona secundùm speciem. Fides verò licet sit de articulo continente tempus, seu continente diuinam actionem circa hominem siue creaturam; semper tamen est de æterno & increato; & semper dirigitur in æternum, & increatum: & ideo non multiplicatur per species. Hoc patet de charitate: quæ quidem est ex parte dilectionis proximi de temporali: ex parte verò dilectionis Dei de æterno: & tamen charitas non multiplicatur per species: & hoc est, quia vna est ratio diligendi Deum & proximum, sc. summa bonitas: eodem modo ex hac parte vna est ratio credendi æternum & temporale, id est prima veritas.

¶ Ad tertium respondent: quoniam non sequitur, secundùm diuersa volita sunt diuersæ voluntates: ergo secundùm diuersa credita diuersæ fides: non est enim similis ratio in actibus & habitibus: quia ex vno habitu possunt exire actus diuersarum specierum. V. g. ex habitu naturali, qui est visus, procedunt diuersi actus: scilicet, videre album, & videre nigrum: qui sunt diuersarum specierum. Similiter ex illo habitu, qui est fides, procedunt diuersi actus in specie, scil. credere Deum esse, credere filium Dei natum esse de virgine, & huiusmodi. Sed quoniam omnia ista eadem ratione creduntur; vt prædictum est: ideo non habent nisi vnum habitum in specie, ex quo procedunt.

¶ Ad quartum iam patet rñsio: quia fides semper est de increato; sed aliquando cùm intellectu creati: sicut infra patebit.

¶ Ad quintum dicendum, sicut dictum est: ꝙ fides est de pœnis æternis, & præmijs secundùm rationem vnam, quæ est primum verum: & ideo non est differens specie, fides huius, & illius. Spes autem est de præmijs, timor de pœnis: non secundùm rationem vnam, sed secundùm differentes: quæ sunt bonum, & malum: & ideo sunt differentes specie.

¶ Si quis tñ obijceret: ꝙ fides est de bono inquantùm bonum, & de malo inquantùm malum: quia aliter non generaret fides spem & timorem. Dicendum, ꝙ ista duo, verum, & bonum opponuntur tanquam disparata: alio modo non. Dico autem oppositionem disparationum secundùm rationes: nam bonum cum creditur esse bonum, inquantùm bonum cognoscitur: & præter hoc cũ fit cognitum, manens huiusmodi, est sub ratione veri: & ita inquantùm bonum cognoscitur, & inquantùm verum cognoscitur: sed cũ dicitur inquantùm bonum cognoscitur; dicitur ratio ex parte cogniti: cum verò dicitur inquantùm verum cognoscitur, redditur ratio ex parte cognoscentis: hæc .n. est ratio generalis rei cognoscibilis: inquantùm est actu* cognitum apud intellectum. Si verò cognitum dicat rationem ex parte cognoscentis: secundùm hoc fides non est de bono, sed potius de vero: secundùm quod dicitur, ratio ex parte cogniti est de bono: & secundùm hanc rationem bonum mouet affectum siue intellectum practicum. *Aliàs, cognita.

¶ Ad vltimũ dicendum: ꝙ licet fides sit generalis quãtùm ad cognitionem: non tñ generalis est, secundùm ꝙ virtus: nec genus est, secundùm ꝙ genus habet sub se species: sed secundùm ꝙ dicitur genus à generando, pót dici, ꝙ fides generat spẽ: & spes charitatem: & charitas generat rationem, secundùm q̃ reducit omnem virtutem in finem ipsius charitatis, sc. in bonum. Et de hac generatione dicitur: *Abraham genuit Isaac*, &c. Interl. fides generat spem, & spes charitatem: & cũ fides virtus non sit sine affectione; (Matth. 1.) licet* ambitus cognitionis circumeat omnẽ finem; tamen affectio restringit eam circa certum finem proprium: & ideo non multiplicatur in species. *Aliàs, habitus.

MEMBRVM V.

Quid sit fides.

Consequenter quæritur? quid sit fides secundùm diffinitionem. Et quæruntur duo? Primò quæritur de diuersitate diffinitionum fidei, quę inueniũtur ab auctoribus. Secundò quæritur de diffinitione, quàm ponit Apostolus.

ARTICVLVS I.

An quæ de fide diffinitiones circumferuntur; tùm maximè Dionysii, Damasceni, & Hugonis; rectè assignatæ sint?

Circa primum notandum: ꝙ Ioan. Dam. iuxta Apostolum describit fidem in 4. lib. sic: *Fides est eorum, quæ sperantur, hypostasis, id est subsistentia: rerum redargutio, quæ non videntur: indistabilis & indijudicabilis species eorum, quæ à Deo sunt nobis annunciata.*

¶ Item, idem Dam. alio modo: *Fides est non inquisitus consensus.* (Idem.)

¶ Item, Dion. in lib. de diuinis nominib. *Fides est ratio simplex veritatis per se existentis.*

¶ Item, supra habitum est: quòd fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur.

¶ Item, Hugo de S. Vict. *Fides est certitudo animi de rebus absentibus, supra opinionem & infra scientiam constituta*: quæritur ergo quomodo differant inter se istæ definitiones fidei iam assignatæ?

RESOLVTIO.

Diuerso habito respectu, tum potissimè affectionis & cognitionis; omnes fidei definitiones rectè traditæ comperientur.

¶ Ad quod dicendum est: ꝙ fides (prout dictũ est) secundùm Hug. in cognitione habet materiã, in affectione substantiam: & ideo fides potest notificari secundùm cognitionem, & secundùm affectionem. Secũdùm affectionem tribus modis: contingit .n. considerare fidem per cõparationem ad suum genus; est .n. in genere virtutis: & sic ponendo eam in genere, definitur sic: fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur. Item, contingit considerare fidem per comparationem ad suum principalem actũ, qui est assentire primæ veritati super omnia: & secundùm hoc definitur sic à Ioan. Dam. *Fides est assensus non inquisitus circa primam veritatem.* Item, contingit considerare fidẽ per cõparationem ad finem, siue ad ea, quæ ordinata sunt p eam in anima in præsenti & in futuro: & secundùm hoc describitur ab Apost. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumẽtum non apparentium*: & ponitur ibi comparatio ædificij p̃sentis in anima ad ædificium spirituale in futuro. Et quia duplex dispositio respectu finis est necessaria, vna in affectu, alia in intellectu: ideo dicitur substantia rerũ sperandarum ratione eius, ꝙ pertinet ad affectum: argumentum non apparentium, ratione eius quod pertinet ad intellectum. Sic ergo accipiuntur tres definitiones fidei ex parte affectus. (Hug. li. 1. de sacramẽt. part. 10. c. 3.; Hebr. 11.)

¶ Ex parte verò cognitionis definitur fides tripliciter: potest .n. cognitio fidei considerari tribus modis. Primo modo in cõparatione ad credibilia, quæ per ipsam cognoscuntur: & hoc modo definitur à B. Dion. *Fides est ratio simplex veritatis per se existentis.* Sicut .n. ratio, q̃ dicitur argumẽtum, in alijs facit notitiam veritatis conclusionis: sic lumẽ cognitionis fidei est ratio apud intellectum cognitionis veritatis, q̃ est in articulis fidei: & hoc p se sine aliquo medio, ꝙ accipiatur secundùm humanam rationem. Et etiam simplex ratio est ad differentiam rationis, quæ est argumẽtum in logicis: ibi .n. ratio dicitur per modũ complexionis, & cõpositionis, consistens in duabus propositionibus se- (Dionys. lib. de Diuin. nominib. c. 7.)

cundum modum syllogisticum, vel in vna secundùm modum enthymematis. Ad huius ergo differentiam dicitur fides ratio simplex non enim complicatur per modum complexionis, sicut mediũ in propositionibus, ex quibus elicitur conclusio. Item, potest considerari cognitio fidei in comparatione ad cognitionem, quæ est eiusdem generis. Est.n.in genere cognitionis fidei triplex differentia: quædam enim est ex humana ratiocinatione: de qua dicitur, *quòd fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Quædam verò est ex scripturarum auctoritate siue testimonijs: secundùm quod dicit Aug. ad Paulinam. *Si diuinarum scripturarum, quæ canonicè in Ecclesia nominantur, perspicua aliquid firmatur auctoritate: sine vlla dubitatione est credendum*. Et Hebr. 11. *Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt*. Quædam verò est ex lumine gratiæ infuso, eleuante ipsum intellectum supra se ad assentiendum veritati primæ propter se, & super omnia: secundùm quem modum dicit Aug. *Fides est illuminatio mentis ad summam veritatem*. Et secundùm hunc modum definitur à Ioan. Dam. *Indistabilis & indijudicabilis species eorum, quæ à Deo nobis annunciata sunt*. Ista autem annunciata intelligit credenda: sed quia credendis potest intellectus assentire per fidem habitam ex humana ratione: quæ quidem dijudicabilis est intellectu: ideo ad huius differentiam dicitur fides species indijudicabilis. Præterea, quia potest assentire per fidem, quæ colligitur ex scripturarum auctoritate, vel testimonijs: vt quia ita dicunt scripturæ, & quia ita antiqui patres crediderũt: ideo dicitur fides species indistabilis: fides enim, quæ est ex testimonio, est velut remota dispositio & distans ratio respectu credendorum. Item, potest considerari cognitio fidei in comparatione ad cognitiones: quæ sunt alterius generis (alterius enim generis sunt cognitio opinionis & scientiæ:) secundùm quem modum definit Hugo fidem sic: *Fides enim est certitudo animi de rebus absentibus, supra opinionem & infra scientiam constituta*. Quam definitionem sic explanat. Sunt quidam, qui audita statim animo repellũt & contradicunt: & hi dicuntur negantes. Alij verò de his, quæ audiunt, necessariam partem eligunt ad consentiendum: & hi dicuntur dubitantes. Alij verò alteram partem eligunt ad existimandum, sed non approbant ad affectionem: quamuis vnum de duobus magis probabile intelligant: Vtrùm tamen idipsum verùm sit, asserere non præsumunt: & hi sunt opinantes. Alij verò sic eligunt alteram partem, vt eius approbationem in assertionem assumant: & hi sunt credentes: post ista genera cognitionis illud perfectiùs sequitur, cùm res non ex auditu solo, sed per suam præsentiam notificatur: & hi sunt scientes. Ex ijs ergo conijci potest: quare fidem appellamus certitudinem: quia vbi adhuc dubitatio est, fides non est: & quia nimirum credere aliquid minus est quam scire (minus dico, non quantùm ad meritum, sed quantùm ad cognitionem: plus enim est præsentem videre, quàm absentem credere) ideo fides est certitudo infra scientiam: & quia plus est fide stare, quàm mutare existimationem: & plus credere, quàm existimare: relinquitur quod fides est certitudo supra opinionem: patet igitur definitio prædicta. Sic igitur patet ratio assignationis diuersarum definitionum fidei.

[Margin: Gregorius. — Aug. ad Consentium Ep. — Hugo de Victore vbi suprà a.]

ARTICVLVS II.

An rectè Apostolus ad Hebræos 11. fidem definiisse videatur.
Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium?

QVÆRITVR postea de definitione fidei: quàm ponit Apostolus ad Hebr. 11. scil. *Fides est substantia sperandarum rerum*, &c.

¶ CIRCA hoc primò quæritur? quare per duplicem actum definitur fides, siue per duplex genus actus, scilicet substare sperandis, & arguere non apparentia: cùm aliæ virtutes non definiantur per actus plures, sed per vnam?

¶ ITEM, cùm omnis definitio debeat assignari per priora & notiora: spes autem & speranda consequantur naturaliter fidem: videtur hæc definitio: fides est substantia rerum, &c. Dari per posteriora: ergo non est benè assignata.

¶ ITEM: cùm omnis definitio debeat assignari secundùm illud quod conuenit definitio per se, & non per accidens: fides autem non est rei sperandæ nisi per accidens: sed per se est rei credendæ: Ergo non conuenienter dicitur, substantia rerum sperandarum; sed magis rerum credendarum.

¶ ITEM, quæritur de singulis partibus: & primò quomodo dicitur substantia rerum sperandarum? Nam cùm substantia dicatur multipliciter, secundùm quatuor modos, vt dicit Philosophus materia, forma, compositum, genus aut definitio. Non potest dici fides substantia forma; quia fides non est forma rerum sperandarum; sed magis credendarum. Nec potest dici substantia materia; quia cùm materia sit tribus modis, in qua, & ex qua, & circa quam; non est fides materia ex qua sint res sperandæ, cùm non permaneat cum bonis sperandis in gloria; nec etiam potest dici quod fides sit materia ex qua, eo modo quo fidei succedent speranda, æterna (scil.) bona; quia secundùm hoc multòfortiùs spes diceretur substantia rerum sperandarum: præterea, non potest dici fides materia in qua, rerum sperandarum, nec materia circa quam, sicut patet; ergo. Nec potest dici substantia compositum, nec sicut genus aut definitio sperandorum. Ergo fides non potest dici substantia rerum sperandarum.

[Margin: Philosop. 7. Metap. Tex. c6. 44.]

¶ ITEM, cùm bona æterna, quæ sunt res sperandæ, fundentur in merito: meritum autem est in omni virtute: ergo quælibet virtus diceretur fundamentum rerum sperandarum. Si ergo eadem ratione dicitur substantia, qua fundamentum; sicut dicit Aug. Relinquitur, quòd quælibet virtus est substantia rerum sperandarum.

[Margin: August.]

¶ ITEM, cùm fides sit non solùm præmiorum æternorum, quæ sunt res sperandæ: sed etiam pœnarum æternarum, quæ sunt res timendæ: videtur quod non solùm sit substantia rerum sperandarum, sed etiam timendarum. Non ergo sufficienter dicitur, cùm dicitur substantia rerum sperandarum.

¶ ITEM, cùm dicat Aug. Quòd fides est rerum præsentium, præteritarum, & futurarum: spes verò est solùm futurarum: ergo vniuersalior est fides, quàm spes: ergo fides non est definienda per res sperandas: cùm istud conueniat fidei vniuersaliter. Non igitur conuenienter dicitur substantia rerum sperandarum.

[Margin: Idem in Enchiridio.]

¶ ITEM, cùm dicit Aug. Quòd ignota non possumus diligere: & Greg. *Nemo potest amare, quòd non credidit, sicut nec sperare*: ergo fides est substantia rerum diligendarum, sicut rerum sperandarum.

[Margin: Idem. — Gregor.]

¶ ITEM, Diligenda sunt finis fidei, sicut speranda: quare ergo non dicitur fides substantia rerum diligendarum?

¶ ITEM, quæritur de alia parte definitionis: qualiter (scilicet) dicitur fides argumentum non apparentium. Nam cum arg. dicatur aliquando maxima propositio, aliquando collatio præmissarum ad conclusionem: nullo istorum modorum videtur fides posse dici argumentum. Relinquitur igitur, quòd fides non est argumentum.

¶ ITEM, vbi est argum. est quasi motus in ratione, & processus de vno ad alterum: sed fides cum credit articulo, non procedit per aliud ad credendum illum: cùm illum supponat, & assentiat illi: igitur fides non dicetur argumentum.

¶ ITEM, omne argumentum est ratio: virtus autem diuiditur ex opposito rationi, quia est habitus voluntarius: fides igitur cum sit virtus, non erit ratio: & ita nec argumentum.

¶ SI dicatur, sicut quidam dixerunt: quod fides est argumentum secundùm hunc modum; quoniam si aliquis dubitat resurrectionem futuram, vel aliquem alium articulum, per fidem Patriarcharum probabitur hoc modo: Ita crediderunt Patriarchæ: ergo ita credendum est nobis. Sed hoc argumentum est solùm per locum ab auctoritate: talis autem locus debilissimus est: ergo fides esset argumentum debilissimum.

¶ ITEM,

¶ Item, secundùm hoc non esset fides argumentũ vniversaliter: sed solùm fides priorum: nec etiam esset argumentum quò ad omnes: non enim apud antiquos, qui primi crediderunt, esset fides argumentum. Item, secundùm hoc esset fides suasa, & eius ratio immediata non esset prima veritas.

¶ Si dicatur, sicut dixerunt quidam: fides est argumentum ratione primæ veritatis, cui innititur, & adhæret propter se. Prima.n. veritas est principium, medium, & extremum: principium est, secundùm ꝙ ab illa est fides propter se: sed ꝙ adhæreat, non habet à se, sed à prima veritate: & sic est principium huius adhæsionis: item, ipsa veritas est, cui adhæret, & ita est extremum: præterea, prima veritas est medium, per quod adhæret: & ita est medium. Prima ergo veritas est, à quo habet ꝙ adhæret, & cui adhæret, & per quod adhæret: & ita est principium, medium, & extremum. Secundùm hoc ergo dicitur fides argumentum per similitudinem ratione primæ veritatis.

¶ Si hoc dicatur: contra, secundùm hoc magis ipsa prima veritas diceretur argumentum, quàm fides: & ipsa fides diceretur conclusio, quasi illata à prima veritate.

¶ Item quæritur? quæ sint illa non apparentia, respectu quorum dicitur fides argumentum. Aut.n. non apparentia dicuntur articuli, aut dicuntur bona futura. Sed quocunq; modo dicantur; cùm argumentum ducat in cognitionem eius, cuius est argumentum; & apparentiam: si fides est argumentum non apparentium, faciet apparere non apparentia: sed constans est quod in præsenti non facit apparere: ergo non est in præsenti argumentum non apparentium.

¶ Item, quæritur quare dicitur argumentum non apparentium: & non argumentum dubiorum? Sic ergo obijcitur contra definitionem & partes definitionis.

¶ Item quæritur de ordine partium definitionis. Cùm intellectus prior sit quam affectus: fides autem dicatur argumentum non apparentium respectu intellectus, substantia verò respectu affectus: e conuersò deberet ordinari definitio: vt diceretur fides argumentum non apparentium, & substantia rerum sperandarum.

RESOLVTIO.

Apostolus ad Hebræos 11. Non quid propriè fides sit, sed quid signet, expressit. Quare optima eius fidei definitio deprehendetur, si non per genus & differentiam, sed per comparationem ad primos & præcipuos sui actus expressa attendetur.

Hugo de S Vict. li. 1. de sacr. par. 10. c. 1 ¶ Solvt. Dicendum secundùm Hugo. Quòd definitio prædicta non indicat, quid est fides: sed signat quid facit. Disponit enim ad ea, quæ in patria habebuntur & cognoscentur: habebuntur affectu, cognoscentur intellectu. Inquantùm disponit ad habere, dicitur fides substantia sperandarum rerum: inquantùm disponit intellectum ad cognoscere, dicitur argumentum non apparentium. Et ideo ista ratio Apostoli non datur per genus & differentias: sed datur per comparationem ad primos & principales actus fidei.

¶ Ad primò obiectum circa definitionem dicendum: ꝙ (sicut dictũ est) fides consistit in cognitione & affectione. In cognitione.n. inuenitur fidei materia: in affectione substantia, sicut dicit Hugo. Ratione ergo ipsius affectionis dicitur substantia rerum sperandarum: ratione cognitionis dicitur argumentum non apparentium. Quia ergo esse eius materiale est in cognitione; & esse substantiale seu formale est in affectione: ideo ponitur in duplici genere: sed in vno formaliter, in altero materialiter. Idem.

¶ Ad secundum dicendum: quod (quemadmodum dictum est) hæc definitio non datur per genus & differentiam formalem: sed datur per actum in comparatione ad finem, secundùm quod dicit Hugo. *Fides est substantia sperandarum rerum*: quia bona inuisibilia, quæ per actum nondum non sunt præsentia; iam per fidem in nobis subsistunt. Secundùm hoc ergo dicendum: quòd licet spes & speranda sint posteriùs fide tempore & generatione; tamen priùs sunt secundùm rationem: secundùm quod dicuntur actus & finis priora secundùm rationem eis, quorum sunt actus & finis. Quæ tamen posteritatis secundùm rationem potest dici in ratione causæ finalis prioritas secundùm naturam: secundùm quod dicit Philosophus. Quòd potentia prior est actu generatione & tempore: sed actus prior est potentia substantia & definitione. Idem. Philos 9. Met Text. 13.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ fides cùm sit primus habitus gratuitus, comparationem habet ad obiectum, cuius est: & hoc modo definitur sic: fides est, qua creduntur quæ non videntur, &c. Et comparationem habet ad illud, ad quod est siue ad finem. Dicendum ergo, ꝙ prædicta definitio fidei non datur per comparationem ad obiectum, seu ad illud, cuius est: sed datur per comparationem ad illud, ad quod est: & illud est bonum sperandum: & verùm non apparens primum.

¶ Et per hæc patet responsio ad obiecta generaliter circa definitionem.

¶ Ad illud verò, quod primò opponitur circa primam partem definitionis. Dicendum, ꝙ fides dicitur substantia in ratione causæ materialis: secundùm quod dicit Ioan. Damasc. Quòd fides est eorum, quæ sperantur hypostasis (id est * substantia) rerum redargutio, quæ non videntur. Dicitur autem in ratione causæ materialis, in qua velut prima dispositio materialis ipsius subiecti, quòd est anima. Est enim materia in qua rerum sperandarum dupliciter: vel sicut subiectum, vel sicut dispositio subiecti: primo modo anima est materia rerum sperandarum: secundo modo fides: secundùm quod explanat Hugo. in suis Sententijs: vbi ipse distinguit, quòd res subsistunt in anima multipliciter. Per actum, vt quando res præsentes sensu comprehenduntur: vel per imaginem, vt quando res absentes vel non existentes in sua similitudine capiuntur vel imagine: vel per experientiam, vt quando ea, quæ in nobis sunt, sentiuntur à nobis, vt gaudium & tristitia, timor & amor: quæ subsistunt in nobis, & sentiuntur. Nullo horum modorum inuisibilia Dei comprehenduntur à nobis: quia nec circa præsentia sunt, vt sensu comprehendantur: nec similitudine aliqua imaginabiliter ab anima comprehenduntur, vel comprehendi possunt: neque quemadmodum illa, quæ in nobis sunt, & sentiuntur à nobis. Ex his ergo concludit: ergo fide sola subsistunt in nobis: & subsistentia eorum est fides, qua creduntur, quia sunt; sed non qualia sunt. * Al substantia. Lib. 1. de sacram part. 10 c.

¶ Ad secundum, quod obijcitur? quòd omnis virtus est substantia rerum sperandarum: quoniam omnis virtus est hypostasis seu subsistentia meriti, non tamen rerum sperandarum. Cùm enim spes sit certa expectatio proueniens ex gratia & meritis: secundùm quod beatitudo respicit meritum, sic fundatur in virtutibus; quia actus vniuscuiusque virtutis meritorius est: secundùm verò quod respicit expectationem, fundatur in spe: secundùm autem quod est certa, fundatur in fide: & sic intelligitur illud: *Fides est substantia rerum sperandarum*, id est, illarum rerum, quæ expectantur, certitudo. Notandum tamen est, quòd est certitudo fidei respectu rerum gloriæ secundùm affectum vt habeantur: & secundùm hoc est fides substantia rerum sperandarum. Et est certitudo secundùm intellectum, vt videantur: & secundùm hoc est argumentum non apparentium. Hebr. 11.

¶ Ad tertium dicendum: quòd cum res timendæ non sint finis fidei, nisi finis à quo, vt declinentur; & per earum declinationem obtineamus, res sperandas, quæ sunt finis, ad quem fides est: ideo cùm definiatur fides per finem ad quem est, non debet definiri per timenda, sed per speranda. Præterea fides hic definitur, secundùm quod est fundamentum ædificij spiritualis in anima in præsenti in comparatione ad ædificium spirituale in futuro, quòd completur in ipsa gloria æterna. Constat ergo, quòd non potest dici fundamentum vel substantia respectu timendarum, sed solùm respectu sperandarum.

¶ Ad quartum dicendum: quòd est quidam affectus, quo adhæremus summæ veritati propter se: & iste communis est ad præterita, præsentia, & futura: & sine hoc affectu non potest esse fides secundùm primam intentionem

nem virtutis. Iterum, est alius affectus virtutis: secundùm quem adhæret fides summæ veritati, & vult habere eam: & iste est spiritualis affectus. Et secundùm hunc modum terminatur respectu futuri boni, & respectu adipiscendi finis de futuro: & secundùm hoc definitur in ista parte ab Apostolo, in comparatione (sc.) ad finem adipiscendum de futuro.

¶ Ad quintum dicendum: quòd cum charitas, sicut dicitur 1. ad Cor. 13. Non excidat: fides autem excidat, quia euacuabitur: nec manebit in gloria secundùm quod fides: substantia autem vel fundamentum manet in eo, cuius est fundamentum vel substantia: non poterit fides dici fundamentum vel substantia charitatis, siue rerum diligendarum per se. Cùm autem spes sit boni absentis, quemadmodum fides rei absentis: & permaneat cum fide in præsenti, & euacuetur cum fide in futuro: & faciat quod res sperandæ, secundùm quod cadunt sub actu spei, sint in anima: quia non est possibile sperare, nisi præintelligatur credere: erit fides substantia rerum sperandarum, & non diligendarum.

¶ Ad illud, quod primò obijciebatur contra secundam partem definitionis. Dicendum, quòd fides dicitur argumentum, non eo modo quo dicitur argumentum in Logicis: sed dicitur argumentum per similitudinem: quia sicut argumentum est generans certitudinem respectu eius, cuius dicitur argumentum: ita fides est certitudo respectu eius, cuius est, scil. veri non apparentis. Distinguendum igitur est, quòd argumentum dicitur multipliciter: dicitur enim argumentum breuis narratio subsequentium, secundùm quod dicit Gilbertus in principio Leuit. (Gilbert.) Hoc est argumentum totius libri: & argumentum appellat collectionem materiæ totius libri simul sumptæ. Item argumentum dicitur ostensio, secundùm quod dicitur: *Qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*, &c. (Ioan. 3.) Et Ephes. 5. *Omnia, quæ arguuntur*, *à lumine manifestantur.* Item, dicitur signum seu miraculum: secundùm quod dicit Richar. in lib. de Trin. *Vtimur in attestatione credendorum seu confirmatione signis pro argumentis, prodigijs pro experimentis.* Item argumentum dicitur in Logicis ratio rei dubiæ faciens fidem: & fides accipitur pro effectu argumenti: in Theologicis verò est econtrariò; quod fides est faciens argumentum seu rationem. Item argumentum dicitur certitudo, ex qua animus mouetur ad aliud: & hoc modo fides dicitur argumentum non apparentium. Dicitur ergo argumentum generaliter ad nō apparentia in præsenti, præterito, & futuro; secundùm quod certitudinem facit: & hoc modo arguit de præteritis, præsentibus, & futuris. Et dicitur argumentum etiam specialiter, secundùm quod certitudinem facit de veris æternis, quæ non apparent, quòd apparebunt.

¶ Ad secundum dicendum: quod fides dicitur argumentum, non propriè, sed per similitudinem: quoniam sicut per argumentum venitur ad conclusionis notitiam: ita per fidem magis ac magis illuminantem peruenitur ad notitiam æternorum bonorum non apparentium: & iste est motus rationis non naturalis, sed gratuitus.

¶ Ad tertiū iam patet responsio: quia fides non dicitur ratio per modum speculationis siue naturæ: sed dicitur ratio per modum affectus & gratiæ: & hoc ratione articulorum, qui sunt principia fidei per se nota. Cùm ipsis. n. articulis inuenit causam, quare credat eis, scil. primam veritatem: vt sicut in alijs scientijs ipsa principia credimus propter se; vt omne totum maius est sua parte, & huiusmodi: ita propter gratiam fidei credimus Deum esse trinum & vnum, & alios articulos: & gratia fidei est ratio, qua arguitur eorum veritas. Secundùm hoc ergo fides est ratio & virtus.

¶ Ad quartum dicendum: quod (sicut supra dictum est) est fides, quæ generatur ex naturali ratione: & est fides, quæ generatur ex testimonio seu ex scripturarum auctoritate: & est fides, quæ generatur in anima ex lumine gratiæ. Duobus modis primis habet fides certitudinem effectus; efficitur enim ex certitudine rationis vel auctoritatis: & ideo est ex argumento: vltimo verò modo est fides faciens certitudinem, prout dictum est: quia ideo fides est argumentum.

¶ Et per hoc patet responsio ad illam opinionem, quæ dicebatur, fides est argumentum, eò quod per fidem esset probatio: non enim hoc dicitur nisi secundùm hunc modum, qui dictus est. Ad aliam opinionem, qua dicebatur, quòd fides esset argumentum ratione primæ veritatis. Concedendum est, quòd ratione primæ veritatis fides dicitur argumentum: id est, certitudo siue faciens certitudinem. Sed cum objicitur: quod prima veritas secundùm hoc magis dicitur argumentum. Dicendum est, quòd prima veritas * secundùm quod in fide facit argumentum, id est certitudinem de ipsa. (* Aliàs, secundū fidem.) Notandum tamen, quod quorundam certitudo est in anima propter rei intelligibilis euidentiam: & hæc est certitudo principiorum, quibus anima consentit propter se, vt omne totum maius est sua parte, & huiuscemodi: non propter ipsius intellectus informationem, sicut patet in illo qui primò audiuisset hoc principium; Omne totum maius est sua parte: quia statim hoc audito, consentiret propter rei euidentiam. Quorundam autem est certitudo, non propter rei intelligibilis euidentiam, sed propter intellectus informationem: secundùm quem modum est certitudo fidei: sicut enim per lumen fidei informatur intellectus, vt certitudo sit respectu omnium credendorum: & sicut ex illa parte in principijs rei euidentia est sufficiens argumentum, vt ei consentiat intellectus: ita ex ista parte informatio intellectus per lumen primæ veritatis in fide est sufficiens argumentum, vt consentiat intellectus ipsi primæ veritati in omnibus credentibus.

¶ Et per hoc patet declaratio illius opinionis.

¶ Ad quintum dicendum, quod non apparentia, dicuntur tribus modis, scil. articuli, bona æterna, rationes credendorum: & respectu istorum trium fides potest dici argumentum, id est certitudo. Fides enim est certitudo respectu articulorum: prout dictum est: fides etiam est certitudo bonorum æternorum, quæ modò non apparent, quòd postea apparebunt: fides etiam est certitudo omnium rationum credendorum. V. g. sunt rationes credendorum validæ & apparentes: vt quoniam Deus est, & vnus, & omnipotens: quòd Philosophi multis rationibus probant: & sunt rationes credendorum non apparentes, & debiles secundùm humanam rationem: vt quoniam Christus est incarnatus, & passus: quas introducit Anselm. in lib. *Cur Deus homo.* Et alij: tamen huiusmodi rationes informatæ per fidem infusam à Deo, per ipsum lumen fidei robur accipiunt; vt quæ videbantur congruitatis & bonitatis solùm esse, per lumen fidei videantur necessaria: & hoc modo fides est argumentum non apparentium, faciens ipsa apparentia in præsenti: quia rationes, quæ faciunt pro fide, quæ priùs non erant apparentes; per fidem fiant apparentes: & sic est argumentum non apparentium, respectu credendorum. Vnde dicitur. 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

¶ Ad vltimū iam patet rñsio: fides. n. quæ fit ex ratione, est respectu rei dubiæ: fides verò, quæ nō fit ex ratione, sed ex rei euidentia, vel ex informatione intellectus, non est rei dubiæ. Imò secundùm quod ex euidentia rei, est de re credita & apparenti: sicut patet in fide principiorum: secundum verò quod est ex informatione intellectus est de re credita, sed nō apparēti: quomodo est fides articulorū. Et sic patet rñsio ad obiecta cōtra secundā partē definitionis.

¶ Ad vltimum verò, quod quæritur de ordine partium definitionis. Dicendum, quòd ordo ibi attenditur secundū dignitatem; vnde quamuis cognitio intellectus prior sit origine quā motus affectus: tamē dignitate seu electione prior est affectus, quàm motus intellectus: secundùm quod distinguit Aug. priùs electione, & priùs origine: priùs origine, vt flos fructu: priùs electione, vt fructus flore. (August.) Et secundùm hunc modum quamuìs ad ordinem originis priùs est fidem esse argumentum, quàm esse substantiam

sperandarum rerum: secundùm ordinem electionis ecõuersò; secundùm quod ordinatur ab Apostolo. Posset tamen dici aliter, quòd finis fidei, qui comprehendit æterna, potest dupliciter considerari: in spe, & in re: in spe de præsenti, in re de futuro. In prima ergo parte diffinitionis insinuatur finis in spe, ratione cuius dicitur esse fides substantia rerum sperandarum: in secunda verò parte insinuatur finis in re, qui consequitur, ratione cuius dicitur argumentum non apparentium. Sic ergo patet assignata fidei descriptio.

MEMBRVM VII.

De actu formali materialiq; fidei.

CONSEQVENTER quæritur de actu fidei formali & materiali, hoc modo. Primò, an credere dicatur vniuocè, vel æquiuocè? Secundò, quid sit credere secundùm intentionem generalem? Tertiò, quid sit credere, vt est actus fidei formalis, quod est assentire? Quartò, de actu fidei materiali, quod est cognoscere? Quintò, quid sit cognoscere per fidem? Sextò, quid sit prius credere, vel intelligere?

ARTICVLVS I.

An credere vniuocè, vel æquiuocè dicatur?

Damasc. in lib. 4. AD primum sic: Ioan. Damasc. *Fide omnia humana & spiritualia consistunt: sic enim agricola incidit tellurem: fide nauta paruo ligno committit animam suam: fide intelligimus ex non ente ad esse omnia deducta esse Dei virtute:* quod sonat ei, quod dicit Apostolus ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Omnia igitur, diuina, & humana dirigimus fide: sed videtur quod fides dicatur de his non vniuocè, sed æquiuocè: sicut spes cùm dicitur de temporalibus (vt 1. Cor. 9. *In spe arat, qui arat*) & cùm dicitur de æternis: nam talis spes congruit huiusmodi fidei: de qua iam dixit Damasc. neq; enim agricola incidit tellurem sine fide: & sic hoc, quomodo sic semel ponitur à Damasceno? nã termino semel posito non est vtendum æquiuocè.

Hebr. 11.

¶ ITEM, videtur quòd fides & credere, secundùm quod dicitur de humanis rationibus, vt de principijs & cõclusionibus, aliter accipi quàm fides secundùm quod dicitur de credendis, scil. de articulis. Maximè cùm primo modo fides sit per probationes, & per habitudinem eorum, quæ faciunt lucem manifestam: secundo modo non; imò non habet rationem medij nisi primam veritatem.

Aug. in li. 83 quæst. q. 48. ¶ SED contra hoc videtur quod dicit Augus. vbi dicit: Tria sunt genera credibilium: quędam enim creduntur, & non intelliguntur, vt historiæ: alia prius creduntur quàm intelligantur, vt articuli: alia prius intelliguntur quàm credantur, vt vniuersalia, &c. nisi accipiatur vniuocè, credere: nulla videtur diuisio Augustini.

¶ ITEM quæritur, an credere vniuocè accipiatur, secundùm quod est actus fidei virtutis, & fidei informis? Et videtur quod nõ: sicut homo non dicitur vniuocè de homine vero & picto: & oculus de eruto & vidente.

¶ ITEM quæritur, quantum differt credere: cùm dicitur, dęmones credunt: & cùm dicitur de desperato, quod credit: & cùm dicitur de simplici peccatore? Et vtrùm accipiatur ibi credere affectiuè aliquo modo, vel accipiatur tantùm cognitiuè.

RESOLVTIO.

Nec vniuocè, nec æquiuocè: sed secundùm prius & posterius.

¶ SOLVT. Dicendum, quòd fides, vel credere secundũ quod dicitur in autoritate Damasceni de diuinis & humanis: ibi, *fide diuina & humana dirigimus* non tenetur vniuocè, vel æquiuocè: vniuocè non; quia non est commune genus accipere: æquiuocè non; quia vbicunque est credere, siue de diuinis, siue de humanis: est adhærentia summæ veritatis: & ideo quia fit comparatio ad vnum, non accipitur æquiuocè: Quare dicendum est, quod accipitur multipliciter, secundùm prius & posterius. Ita enim erit de credere, sicut de veritate: quæ multipliciter dicitur de veritate creata & increata. Per hæc patet solutio de spe: quia spes similiter de æternis, & temporalibus dicitur, secũdùm prius & posterius. Sicut enim spei de æternis respondet fides de æternis: ita fidei de temporalibus spes de temporalibus. Eodẽ modo respõdendum est ad illud quod obijcitur: qualiter accipiatur fides de rationibus humanis, & de credibilibus diuinis? Dicendum est, quod secundùm prius & posterius: nec obstat, quod sit adhærentia ex hac parte per medium, ex illa non: quia licèt sit differentia in modo adhærendi; respectus tamen est ad veritatem secundùm prius & posterius dictam. Nec est simile, quod obijcitur de homine picto, & vero: quia illud secundùm metaphoram dicitur de fide: vnde non dicitur æquiuocè credere de formato, & informi, sed analogicè: quia credere formatæ fidei, est veritati amore inhærendo, in illam tendere: credere autem fidei informis; est adhærere eidem veritati: licèt amore non tendat in illam, sicut credere fidei formatæ.

¶ AD illud, quod quæritur quomodo differt credere, prout est hominum, qui sunt in peccato, & damnatorũ, & dęmonum. Dicendum est, quod non dicitur vniuocè, nec æquiuocè, sed secundùm prius & posterius. Vnde ad sciendum omnia, notandum: quod dixerunt quidam, quod fides in generali sumpta, aut est habitus cognitiuus tãtùm, aut ita cognitiuus quod affectiuus: si est cognitiuus tantùm, aut est vniuersalis, aut particularis: si vniuersalis, aut faciens, aut factus. Si faciens, tunc est, vt de principijs, vt omne totum maius est sua parte. Si factus, sic est de conclusionibus. Si ita cognitiuus quod affectiuus, tunc aut est affectiuus à quo, aut in quid: si est affectiuus à quo, tunc est vt fides dæmonum, quæ est cum timore, Iacob. 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.* Si affectiuus in quid, tunc dupliciter: aut enim per modum peruentionis, inquantum pertinet ad viam, aut non. Si nõ per modum peruentionis, sed citra, tunc est vt eorum, qui sunt in peccato mortali, cũ agunt opera de genere bonorum: vt eleëmosynas, & huiusmodi: si est per modum peruentionis inquantum pertinet ad viam: tunc est fides formata. Et ita fides* & videre accipitur de his secundũ prius & posterius per quosdam gradus. *al. credere: videtur accipi

ARTICVLVS II.

Quid sit credere, secundùm quod est habitus gratuiti, generaliter?

DEINDE quæritur: quid sit credere generaliter, secũdùm quod est habitus gratuitui? Ad quod Augustinus videtur diffinire, quid sit credere, 2. Cor. 3. super illud: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* Glo. *Hic attendant, & verba illa perpendant, qui putant ex nobis esse fidei ceptum; & ex Deo esse fidei supplementum: commendat enim istam gratiam, quæ non datur secundùm aliqua merita, sed efficit omnia bona merita: inquit enim, non quod sufficientes, &c.* & infra: *Quamquam & ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare.* Sic ergo credere est cum assensione cogitare: sed hoc potest cõuenire alijs principijs à primo, scilicet principijs omnium scientiarum: ergo non differt credere, prout est naturale, & gratuitum. Aug. sup 2 Cor. 3. Glossa ordinaria. Eadem.

¶ FORTE respondebitur, quod addendum est, *assentire propter se.* Sed hoc ipsum verum est de principijs secundùm quod principia: quia eis assentitur propter se.

¶ SI verò dicatur, quod credere sit assentire primæ veritati propter se. Sic fornicationem esse peccatum mortale, & fidem esse virtutem, & pœnam æternam esse, non erit creditum: quia nullum horum est prima veritas. Similiter secundùm hoc incarnatio, passio, & similia non creduntur.

¶ ITEM, super eundem locum dicitur in Glos. quod nullus credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendũ: sed credere nihil aliud est quàm cogitare, &c. ergo credẽs cogitat aliquid esse credendum: ergo quidam motus necessariò præcedit motum fidei: & ille non potest esse meritorius, cùm naturaliter primus motus meritorius sit fidei: licèt aliquando aliter contingat. Glos. ibidem.

¶ ITEM, cùm in credere sint duo, cogitare, & assentire: in quo genere ponetur credere? vel in genere, quod est cogitare, vel in genere quod est assentire. Si in genere quod est

assentire, ergo non erit dæmonum fides; quia non assentiunt veritati eius, quod credunt: quia dicit Damasc. de angelis malis. Eorum voluntas est rebellare Deo. Si verò ponatur in genere eius, quod est cogitare: ergo fides non erit habitus motiuus potentiæ: & ita nec virtus.

RESOLVTIO.

Credere (generaliter loquendo) est assentire credito primo, enti supra rationem, propter se.

¶ Ad Hoc Dicendvm, quòd actus declaratur per propriam materiam: vt credere per creditum. Nota ergo, quod creditum est cogitabile ens supra rationem, primum, cui propter se datur assensus. In hoc quod dicitur, *supra rationem*, separatur ab his quorum est credulitas secundùm rationem; vt est in principijs scientiarum. In hoc autem quod dicitur, *primum*, separatur ab huiusmodi, quæ sunt creaturæ. In hoc autem quod dicitur, *cui datur assensus propter se*, fit separatio ab illa cognitione, quæ potest esse per viam rationis de his, quæ sunt supra rationem. *Credere ergo est assentire credito primo, enti supra rationem, propter se.*

¶ Ad Illvd autem, quod fornicationem esse peccatum, & huiusmodi nō sunt credita secundùm hanc rationem. Infra respondebitur, cùm agetur de his, q̃ verè sunt articuli, & quæ non.* (* Quæst. 19. & vlt.)

¶ Ad illud verò, quod quæritur: vtrùm cogitare præcedat credere? Respondendum est, quòd semper cogitare præcedit naturaliter credere, sed non semper actu: immò quandoque præcedit, quandoque comitatur, quandoque subsequitur: & illud, quod præcedit tempore, non est ceptum fidei: nisi accipiatur de cepto extra sumpto. Quod autem præcedat, ostenditur per id, quod dicitur in Luca de beata Virgine, ibi: *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Ecce cogitatio præcedens fidem: tandem consensit, cùm dixit post verba angeli: *Ecce ancilla Domini, &c.* (Luc. 1.) Et nota, quod in motibus intellectus rationi coniuncti non solùm cogitare est prius natura, quàm sic assentire; sed etiam tempore: & est vltima collatio seu terminus collationis simul etiam cum consensu: tamen quandoque contingit aliter; vel propter lucē manifestissimam, vt in per se notis; quale est; de quolibet affirmatio vel negatio: omne totum maius est sua parte: quibus assentitur; quā cito accipiuntur: quandoque propter solertiam exercitati circa huiusmodi: nam exercitati & periti medium inueniunt, & non in prospecto tempore vel statim vident veritatem. Eodem modo contingit in intellectu fieri, qui non est rationi coniunctus: vt in eis, quæ sunt fidei per lucem interiorem perfusam; per quam satis in quibusdam absque discussione inclinatur consensus: in illis est cogitare simul cum assentire, licèt prius naturaliter: & sic intelligendum est verbum Augustini, scilicet de prioritate naturæ, & non temporis. Quandoque cogitare est subsequens fidem: & hoc cogitare est maximè admiratiuum de hoc, q^d gratia Dei factum est in ipsis, quod vix possunt concipere, hinc dicit Augustinus: *Non sufficiebam cogitare & considerare consilium Dei super redemptione generis humani.* (Aug. in li. Confess.) Et per hoc patet, quod non semper præexigitur deliberatio de credendo, vtrùm sit credendum; & deinde quod credat: sed simul est cogitare & assentire tempore: & non intelliguntur esse ibi duo actus, nisi ratione termini duplicis: & prior conformatur in compositione velut oppositorum: sequens verò transit in rem oppositam, scilicet credere. Quod cùm ita sit, manifestum est, qualiter initium, scilicet cogitare huiusmodi à gratia sit gratum faciente: quæ est fides & similiter consummatio actus, quæ est credere.

¶ Ad aliud respondendum est: quod credere est in genere eius, quod est assentire. Et quod obijcitur de diabolo: dicendum, quod assentire dupliciter accipitur; quandoque dicitur assentire ponere ita esse, & etiam tendere in illud: & sic non conuenit diabolo; quia eius credere est hoc, sed non in hoc: aliquādo autem dicitur assentire ponere ita esse, non tamen in illud tendere; & sic conuenit diabolo. Per hæc patet responsio ad obiecta omnia.

ARTICVLVS III.

Quid sit credere, prout est actus formalis fidei.

Tertiò quæritur, quid sit credere, prout est actus formalis fidei? Ad quod sic Augustinus: *Credere in Deū est credendo amare, credēdo in eum ire, credendo ei adhærere, & mēbris eius incorporari.* (August.)

¶ Sed obijcitur, cùm amare sit charitatis: credere autem in Deum sit fidei formatæ, quod est credendo amare, ergo fides formata est charitas: quod est falsum. Relinquitur igitur quod credere in Deum non est credendo amare.

¶ Item, si quicunq; amat, tendit per affectū in id, q^d amat: ergo credēdo, in id quod amat, tendit: ergo idem est quod dicit, credendo amare, & credendo in eum ire.

¶ Item, adhærere videtur esse spei virtutis secundùm hoc, quod dicitur: *Mihi aūt adhærere Deo, bonum est.* (Psal. 72.) Non ergo credere in Deum, quod est fidei, est credendo adhærere Deo.

¶ Item, incorporatio membrorum Christi est vltima vnio animarum ad Deum: sed vltima vnio est per charitatem: ergo incorporari est charitas. Ergo credere non est membris Dei incorporari.

RESOLVTIO.

Credere, prout est actus formalis fidei, iuxta B. Augustini sententiam, est credendo Deum amare, credendo in eum ire, ei adhærere, & membris eius incorporari.

¶ Ad Hoc dicendum, ꝙ hic describitur actus fidei formatæ per potissimas conditiones: & cùm sint quatuor hæ conditiones, duæ primæ sunt actus fidei secundùm se: duæ verò vltimæ sunt ipsius fidei, secundùm quod coniungitur ipsi spei & charitati. Prima autem conditio est, credendo amare, secunda est, credendo in eum ire: amare pertinet ad affectum, ire ad effectum. Et secundùm hoc distinguitur fides formata ab informi: fides enim informis priuatur affectione amoris, secundùm quod dicitur 1. Corinth. 13. *Si habuero fidem: ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, &c.* priuatur etiam effectus debiti operis, secundùm quod dicitur Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est*: ideo non cōuenit ei credendo amare per affectum, nec credendo in eum ire per effectum. Sed hoc conuenit ipsi fidei formatæ, quæ est (sicut dicit Apostolus ad Galat. 5.) operans per dilectionem: quia operans est, conuenit ei credendo in eum ire: quia per dilectionem, conuenit ei hæc conditio, credendo amare. Sic ergo duæ primæ conditiones conueniunt fidei formatæ secundùm se. Tertia autem conditio est, credendo ei adhærere: quarta membris eius incorporari: quæ duæ conditiones conueniunt fidei, inquantum coniungitur spei & charitati. In quantum coniungitur spei vt disponens ad illam, conuenit ei adhærere: adhærere enim primæ veritati habet fides ex se: sed hærere, seu adhærere (sicut expectare) beatitudini, habet ex spe. Inquantum verò coniungitur charitati sicut disponens ad illam; conuenit enim credendo incorporari: secundùm quod dicit Hugo: *Per fidem membra efficimur, per dilectionem viuificamur: per fidem accipimus vnionem, per charitatem accipimus viuificationem.* (Hugo de S. Vict. in sentētijs suis.)

¶ Ad id, quod obijcitur: quod amare est charitatis. Dicendum secundùm Augustinum: quod amare dicitur cōmuniter, secundùm quod quælibet virtus diffinitur per amorem à B. Augustino. & secundùm hoc amor dicitur primæ veritatis in fide, amor beatitudinis in spe, amor bonitatis in charitate. Alio modo dicitur amor specialiter, secundùm quod dicitur, ꝙ est amor bonitatis, vt bonitas. Secūdùm hoc amare dicitur duobus modis, generaliter, & specialiter. Dicendum igitur, ꝙ cùm dicitur credere in Deum est credendo amare, *amare* non sumitur ibi specialiter, secundùm quod est bonitatis inquantum bonitas: quia hoc modo amare est charitatis: sed dicitur amare generaliter: secundùm ꝙ est respectu veritatis primæ, inquantum bona, & delectabilis virtuti rationali.

¶ Ad secundum dicendum, quod in Deum ire est dupliciter, per affectum, & effectum. Amare verò Deum, ponit ire in Deum per affectum; sed non ponit ire in Deum per effectum: & ideo non superfluit quod dicitur, credendo in eum ire.

¶ Ad vltima duo patet responsio, quia licet adhærere Deo & incorporari conueniant spei, & charitati principaliter: nihilominùs tamen conueniunt ipsi fidei, secundùm quod coniungitur eis.

ARTICVLVS IV.

An in præsenti aliter, quàm per fidem contingat agnoscere Deum?

Hugo.

CONSEQVENTER quæritur de actu fidei materiali. Nam credere dicitur formaliter assentire: materialiter cognoscere, secundùm quod dicit Hugo: *Fides in cognitione habet materiam: in affectione substantiam.* Et circa hoc quæritur, an in præsenti sit aliter cognoscere Deum, quàm per fidem.

Aug. in li. de videndo Deo, epist. 112. cap. 2.

¶ Ad quod sic Augustinus: *Inter videre & credere hoc distare dicimus, videntur enim præsentia, creduntur autem absentia.* Præsentia autem intelligimus hoc in loco dicta, quæ præsto sunt sensibus, siue corporis, siue animi. Si ergo ipse Deus in præsenti non cognoscitur nisi vt absens, & non vt præsens: relinquitur quod non cognoscitur nisi per fidem. Quod autem non cognoscatur nisi vt absens, probatur per Ambrosium, cuius auctoritatem ponit Augustinus in libro De videndo Deo: *Deus cùm absens putatur, videtur: cùm præsens est, non videtur.* Ergo non cognoscitur nisi vt absens.

Idem in eod. ca. 11.

1. Cor. 12.

¶ Contra: Cognoscitur per naturalem rationem, vt habetur Rom. 1. item cognoscitur per donum intellectus, & per donum sapientiæ: cognoscitur etiam in raptu, sicut cognouit Paulus. Ex his relinquitur, quod aliter cognoscitur Deus hic, quàm per fidem.

RESOLVTIO.

Proculdubio aliter quàm per fidem cognoscere est Deum in præsenti: puta per rationem naturalem, per raptum, & huiusmodi.

¶ Solutio. Dicendum, quòd Deus aliter videtur in præsenti, quàm per fidem.

¶ Et ad illud quod obijcitur: dicendum, quod Deus dicitur abesse duobus modis: vno modo quando non est præsens per speciem, & hoc modo videtur per fidem: alio modo cùm non est præsens secundùm immensitatem suæ substantiæ & virtutis, & hoc modo est absens ipsi creaturæ, & hic, & in patria: quia non comprehendit immensitatem. Vtroque modo intelligitur auctoritas Ambrosij, *Cùm absens putatur, videtur: cùm præsens est, non videtur.* Quia licet hoc modo non absit secundùm rem, abest tamen secundùm reputationem: secundùm quod dicit Augustinus, exponens illud verbum Ambrosij: *Cùm absens* (inquit) *putatur, videtur.* Nota quod non dicit, cùm absens est: sed, cùm absens putatur: nusquam enim est absens, qui cœlum & terram implet, neque spatijs intercluditur paruis, neq; magnis diffunditur: vbique totus est, & à nullo continetur loco. Hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum etiam cùm absens putatur. Ex his ergo patet, quod cùm dicit Augustinus, quod creduntur absentia: vocat, absens, quod non est præsens per speciem. Quando autem postea dicitur, quòd Deus nunquam videtur nisi absens; verum est, nisi absens vel secundùm speciem, vel secundùm immensitatem suam.

Ambros.

Idē Aug. in eodem lib. ca. 11.

* aliàs, &.

ARTICVLVS V.

Quid sit Deum cognoscere per fidem?

QVÆRITVR postea: quid sit cognoscere per fidem? Nam si dicitur absentia credi, præsentia videri: cùm imaginatio & memoria sint rerum absentium: imaginari, & memorari erit credere: quod est falsum. Ergo non est propria differentia inter videre & credere: quia videntur præsentia, creduntur absentia.

¶ Item, videtur quod cognoscere per fidem, idem sit quod scire. Augustinus assumens illud 1. Ioan. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, ita dicit: *Scire se dixit quod nondum factum fuerat: nec videndo, sed credēdo cognouerat.* Ergo credere est scire: & cognitio fidei est scientia.

Aug. in li. de videndo Deo, cap. 4.

¶ Item, Augustinus in eodem: *Scientia nostra consistit ex rebus visis, & creditis.*

¶ Contra. Triplex est acceptio intellectus, opinio, fides, scientia: fides dicitur acceptio supra opinionem, & infra scientiam: ergo fides non est scientia, vel opinio.

¶ Item, est videre per speciem; & est videre per speculum in ænigmate, secundùm quod dicitur 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Sed credere est videre per speculum, siue in ænigmate: ergo credere, est videre; ergo non distat credere, & videre. Non ergo verum dicit Augustinus, qui dicit: videntur præsentia, creduntur absentia: vbi supra in lib. de videndo Deo.

RESOLVTIO.

Cognoscere per fidem idem est, quod absentia credere: quæ nunquam nec sensu corporis, nec intuitu mentis conspecta sunt, aut conspici possunt.

¶ Ad hoc respondendum est secundùm Augustinum, vbi dicit: *Nec quia dixi, quæ absunt à sensibus nostris, ea credi: sic accipiantur vt inter illa deputentur, quæ aliquando viderimus, & nos vidisse retinemus, certiq; sumus: quamuis tunc non præstò sint, cùm recoluntur à nobis: neque enim inter credita, sed inter visa reputantur: videre enim est sensu corporis, vel intuitu mentis rem comprehendere: credere verò est, quod in conspectu mentis, vel corporis nunquam affuisse recolitur.* Et per hoc patet, quod cognoscere fidei non est idem, quod reminisci, vel imaginari: quia, cùm dicit Augustinus, quod creduntur absentia: intelligit absentia, quæ nec sensu corporis, nec intuitu mentis conspiciuntur, quasi priùs visa: sic autem absentia non sunt, de quibus est memoria, vel imaginatio.

Aug. in li. de videndo Deo, cap. 2.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod videtur idem esse fides, quod scientia. Dicendum, quòd scientia dicitur strictè cognitio per causam: & hoc modo cognitio fidei non est scientia. Alio modo dicitur scientia cognitio rei per intellectum, & hoc modo dicitur communiter: secundùm quem modum dicit Augustinus: *Quæ per corpus videntur, nisi mens adsit: quæ talia nunciata suscipiat, nulla possunt scientia contineri.* Tertio modo dicitur scientia communissimè: secundùm quod comprehendit cognitionem per fidem, & cognitionem rei per visionem, secundùm quod dicit Augustinus: *Constat scientia nostra ex rebus visis & creditis: sed in his, quæ vidimus, vel videmus, nosipsi testes sumus: in his autem quæ credimus, alijs testibus mouemur ad fidem: cùm earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus, nec videmus: dantur signa in vocibus, vel in literis, vel in quibuscunque documentis; quibus visis nō visa credantur. Nō autem immeritò scire nos dicimus, non solùm ea, quæ vidimus, vel videmus, verùm & illa, quæ idoneis testibus vel testimonijs credimus.*

Idē Aug. in eodē li. epist. 112. cap. 1.

¶ Ad vltimum dicendum: quod videre aliquid dicitur duobus modis: propriè, videre (scilicet) aliquid in se: & impropriè, videre aliquid in alio. Et primo modo videre non dicitur credere: secundo modo dicitur. Vnde Augustinus: *Si scire non incongruenter dicimur etiam illud, quod certissimum credimus: hinc factum est, vt etiam rectè credita; & si non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur. Tamen propriè* (sicut ipse dicit) *creduntur illa, quæ absunt à sensibus nostris: sed videtur idoneum testimonium, quod eis perhibetur: videntur autem illa, quæ præstò sunt* (vnde & præsentia nominantur) *vel animi, vel corporis sensibus.* Et ponit exemplū: *Sicut enim hāc lucē corporis sensu video: sic & me volūtatē sensu animi mei video. Si quis verò mihi indicet voluntatē suam, cuius os, & vox mihi pꝛ̄sens est: tamē quia ipsa voluntas, quā mihi indicat, latet sensum corporis, & animi mei:*

Idem loco immediatè allegato.

credo,

credo, non video: dummodo non recipiam vocem eius pro idoneo teste: quia si existimarem mentiri, non esset testis idoneus, & ideo non crederem.

ARTICVLVS VI.

An credere, vel intelligere prius sit?

QVÆRITVR postea: Vtrùm priùs sit credere, quàm intelligere, an econuersò. Et obijcitur quod sic: omnis fides est ex auditu interiori, vel exteriori: ergo prius est intelligere quid est, quod dicitur, quàm credere: prius enim est creditum intelligere, quàm credere.

¶ ITEM, August. super illud 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus, &c.* Nullus quippe credit, nisi priùs cogitauerit esse credendum. Sed hęc cognitio est intellectus: ergo intellectus semper præcedit credere.

¶ CONTRA, Isai. 7. secundùm Septuaginta: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Propterea quæritur, cùm fides sit de non apparentibus, non tamen de incognitis simpliciter, cuiusmodi cognitio sit in fide? & quæ sit carentia cognitionis?

¶ ITEM, quæ est differentia illa credendorum, quam dicit Augustinus, quod quædam non credimus, nisi intelligamus: quædam verò non intelligimus, nisi credamus, &c. *in lib. 83. Quæstionum.*

RESOLVTIO.

Alia atq; alia ratione tum hoc, tum illud.

¶ SOLVTIO. Ad primum dicendum: quod est intellectus vocis, vel signi: & est intellectus rei. Intellectus vocis vel signi vniuersaliter præcedit fidem: intellectus verò rei, qui est ex rei præsentia, sequitur fidem: secũdùm quod dicit Hugo, quòd cognitionem habet fides non quæ ex præsentia ipsarum rerum comprehenditur, sed illam, quæ ex auditu solo percipitur, & verborum manifestatur signatione.

Hugo de S. Vict. li. 1. par. 10. cap. 3.

¶ ET secundùm hoc patet responsio ad primum & secundum obiectum.

¶ AD illud, quod obijcitur in contrarium ei, quod quæritur: Dicendum secundùm August. quòd est cognitio de re duobus modis: Vno modo per proprium testimonium, sicut est in his, quæ videmus sensu corporis, vel sensu mentis. Alio modo est cognitio de re per testimonium alterius: sicut est in his, quę credimus. Vnde Augustinus: *His, quæ videmus, nosipsi testes sumus: ijs quæ credimus, alys testibus mouemur ad fidem: dantur signa in vocibus, vel literis, vel quibuscunque documentis: quibus visis non visa credantur.* Primo modo res ipsa apparet simpliciter, & cognoscitur: secundo modo res est non apparens secundùm se, nec cognita: sed apparens in suo testimonio, quod apertè cognoscitur, quamuis ipsa res non appareat.

Aug. In li. de videndo Deo, epist. 112. cap. 2.

¶ AD vltimum dicendum, quòd quidam sunt articuli, ad quos potest attingere ratio per lumẽ innatum; vt quoniam Deus est, & vnus est, & omnipotens, & huiusmodi: & hæc dicuntur credi, cùm intelligantur, quamuis imperfectè in præsenti: cùm tamen non innitatur ipsis rationibus intellectus, sed veritati primæ propter se. Quidam verò sunt, ad quos non attingit intellectus nisi per lumẽ gratiæ: vt qui pertinent ad redemptionem humani generis: vt quoniam Deus est homo, & huiusmodi: & de his Aug. dicis quod priùs creduntur, quàm intelligantur.

¶ AD maiorem autem horum euidẽtiam nota distinctionem Aug. quam ponit Magister in 3. Sent. dist. 23. *Fidẽ ipsam* (inquit Aug.) *videt quisq; in corde suo esse si credit, vel non esse si non credit: non sicut corpora, quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines, quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus; nec sicut ea, quæ non* * *videmus, & ex his quæ videmus, cogitationem vtcunque formamus, & memoriæ commendamus: nec sicut hominem, cuius animam, & si non videmus, ex nostra conijcimus: & ex motibus corporis hominem sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando.* Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cuius est: sed eam tenet certissima scientia.

* al. vidimus.

¶ NOTA ergo quòd Augustinus hic distinguit sex genera visionis. Primum est, cùm videmus rem præsentem per suam formam corporalem in materia existentem: & hæc visio dicitur corporalis. Secundum genus est, cùm videmus rem absentem per imaginem illius retẽtam in memoria, scilicet rei corporalis; & hæc visio dicitur imaginaria. Tertium genus est, quando ex his quę vidẽmus, ea quę non videmus, cogitatione formamus: quod potest esse altero istorum modorum, vel cum singularibus cognitis, per consequens habetur cognitio vniuersalis; vel cum, vno existente simili, alterum simile, quod non est præsens, cogitamus. Quartus modus est, quando cognito vno intelligibili, aliud intelligibile cogitamus: vel cùm aliquis ex cognitione animæ suę alteram animã cognoscit. Quintus modus est, quando ex actu, vel operatione sensibili egrediente à substantia insensibili, substantiam insensibilem cognoscimus; vt cum ex motu corporis cognoscimus animam. Sextus modus est, cùm aliquid quod est in mente; actualiter per essentiam suam à mente cognoscitur; quomodo cognoscit mens mea affectiones: & hoc modo dicitur, quod animus dum credit, cognoscit suam fidem: & isti quatuor vltimi modi dicuntur visiones intellectuales. Vnde cùm dicit Augustinus, quòd visio intelligibilis est, quando aliquis videt, quod in se est, per suam essentiam: non est hæc ratio vel diffinitio visionis intellectualis, sed notificatio ipsius per quandam sui speciem, vel per quoddam eius particulare. Vnde non valet, si sic obijciatur: vniuersale cognoscitur ab intellectu, non visione corporali, nec imaginaria, ergo intellectuali: sed visio intellectualis est, quando id quod videtur, est in anima secundùm essentiam: vt est, cùm mens videt suas affectiones: ergo vniuersale secundùm essentiam suam est in anima. Ad hoc patet responsio per iam dicta: quoniam illud non est ratio visionis intellectualis, nec conuertibile cum ipsa: sed est quoddam particulare ipsius, vel quidam modus illius visionis: quoniam visio intellectualis dicitur multipliciter, sicut ostensum est. Numerus autem prędictarum visionum sic habetur: quoniam omnis visio, aut est per formam concretam, aut per formam abstractam à materia, sed non abstractam à conditionibus materiæ: aut per formam vtroque modo abstractam. Primo modo est visio corporalis, secundo modo imaginaria, tertio modo intellectualis. Sed hæc diuiditur: quoniam visio rei penitùs abstractæ à materia, aut est rei visæ per se ipsam, aut per aliam rem; si visæ per se ipsam, vltimus modus est: si visæ per aliam rem, illud contingit tripliciter, secundùm * collectionẽ singularium ad vniuersale, est prima visio intellectualis; secundùm collectionem similis ad simile, visio secunda; secundùm collectionem effectus ad causam, visio tertia.

Visionũ sex genera secundum B. August.

* al. collationem.

MEMBRVM VII.

De obiecto fidei.

POSTEA quæritur de obiecto fidei, per hunc modum. Primò, vtrùm obiectum fidei sit falsum, aut verum tantùm? Secundò, vtrùm verum apparens? Tertiò, vtrùm verum, quod est scitum? Quartò, vtrùm verum necessarium, an contingens? Quintò, vtrùm complexum aut incomplexum? Sextò, & vltimò, vtrùm verum creatum vel increatum?

ARTICVLVS I.

An verum tantùm, vel etiam falsum sit obiectum fidei?

CIRCA primum sic proceditur. Fides est certior habitus, quàm sit scientia: scientia enim est, cui adhæret intellectus per medium: fides verò eius, cui adhæret sine medio.

¶ ITEM, intellectus, qui dicitur principiorum, adhæret sine medio, sed tamen veritati creatæ: fides autem veritati increatæ. Ergo cùm scientia, quę est habitus minus certus, sit tantùm verorum: fides erit tantùm verorum.

¶ ITEM,

¶ Item, fides est tantùm articulorum, vel eorum quæ habent reduci ad articulos: sed hæc omnia vera sunt: ergo, &c.

¶ Item, per fidem fit prima assimilatio primæ veritati, ergo fides non est falsi.

¶ Item, fidei succedit visio, & non erit tunc sub visione, nisi quod nunc est sub speculo: & quicquid sub speculo est, erit sub visione: sed nihil videbitur nisi verũ: ergo, &c.

¶ Contra, spei videtur subesse falsum: vt in illo, qui sperat se habiturum vitam æternam, & ita non erit: ergo & fidei pari ratione.

¶ Item, Volito ex charitate potest subesse falsum: vt contigit Apostolo, qui voluit ire ad Hispanos, & non iuit: & inde vt priùs.

¶ Item, Abraham credidit, quod esset immolaturus filium suum, & voluit id ipsum: & sicut meruit volẽdo, ita meruit credendo: volendo enim meruit, quia ex charitate voluit: eadem ratione ex fide virtute credidit falsum.

¶ Item, Cornelius credidit Christum esse incarnandum, & iam Christus erat incarnatus, ergo credidit.

¶ Item, obijcitur de eo, qui credit corpus Christi esse, quod ab eo sumitur: non tamen est; quia nisi crederet, non adoraret, & ita credit falsum.

¶ Item, Abraham credidit Christum esse incarnandum, sed dicitur Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis.* Glos. *id est, fuit & alius modus Deo possibilis, sed nullus miseria nostræ sanandæ conuenientior.* Cõtingat ergo, quòd Christus non incarnetur: si ergo Abraham credidit ipsum incarnandum: nec Christus incarnatus est, nec incarnabitur: fidei ergo Patriarchæ Abrahæ subfuit falsum. Glos. Augustini.

RESOLVTIO.

Cùm lumini primæ veritatis intellectum fidelem sustentanti & firmanti non possit subesse falsum, fides non nisi de vero tanquam de obiecto esse potest.

¶ Ad Hoc dicendum, quòd fides non est nisi de vero. Et ratio huius est ex parte intellectus: qui, quantum in se est, rectus est: & tunc maximè, cùm est in primam veritatem, ad quam natus est: sed hoc nõ potest, nisi sustentetur & firmetur aliquo lumine desuper veniẽte (quod quidem est fides) ab ipsa luce primæ veritatis: & qui lumini primæ veritatis non potest subesse falsitas: ideo fides non potest esse nisi de vero.

¶ Ad Illvd, quod obijcitur de spe: Dicendum, quòd motu spei non sperat aliquis se habiturum vitam æternam; nisi secundùm exigentiam meritorum, & perseuerantiam; & ita spei virtuti nunquam subest falsum: qui enim aliter sperat se habiturum vitam æternam, præsumit, & non sperat spe virtute.

¶ Ad aliud dicendum: quod non est simile de charitate, & fide: quia charitas non respicit rationem veri, & falsi, sed boni & mali: & potest esse charitas circa bonum, quod non est, volendo illud. Cùm enim dicitur, bonum est Apostolum ire ad Hispanos; non sequitur: quia si bonum est, & verum est: quia hoc verbum, est, non est ibi copula præsentialitatis, sed tantùm enunciationis: hoc est dicere, non copulat actu, & simpliciter: sed habitu, & cõditionaliter: vt cùm dicitur, Pascha est pulcherrimũ tempus: omnis homo timet in mari, & huiusmodi.

¶ Ad aliud dicendũ: quòd Abraham sicut voluit immolare filium, ita credidit se immolaturum: illud enim credere (sicut dicunt) non fuit motus fidei, sed liberi arbitrij, cùm non sit motus fidei nisi circa articulos: & circa ea, quæ ad articulos possunt reduci.

¶ Ad quartum soluitur distinguendo tria tempora: scilicet tempus ante incarnationem, & tempus post incarnationem, & tempus incarnationis. In tempore ante incarnationem distante simpliciter oportebat credere Christum incarnandum: pro tempore verò post incarnatiõe distante, prædicatione Apostolorum diuulgata, & sermone confirmato à Deo per sequentia signa, oportebat simpliciter credere ipsum incarnatum: sed tempore medio spirituales viri, quorum erat signare tempora secundùm dicta prophetarum, non credebant simpliciter ipsum esse incarnandum, sed si non erat incarnatus. Vnde arguuntur Iudæi per Hieremiam, qui non considerauerunt tempus, dicentem: *Miluus in cælo cognouit tempus suum, &c. populus autẽ meus non cognouit iudicium Domini.* Ierem. 8.

¶ Ad illud, quod obijcitur de hostia: dicitur, quòd non debet quis simpliciter credere sub illa forma esse corpus Christi: sed conditione, scilicet si facta sunt ea, quæ exiguntur secundùm formam traditam à Christo, & ab Ecclesia.

¶ Ad vltimum, quod obijcitur de Abraham, dicunt quidam, quòd ipse credidit incarnationem, & non Christum incarnandum. Sed contra 1. Corinth. 10. super illud: *Omnes eandem escam, &c.* Glos. *In signu itaque diuersis eadem est fides*: tempora variata sunt, fides non: quia illi Christum venturum & passurum crediderunt: nos autem venisse, & passum esse,

¶ Aliter dicunt alij, quòd motus Abrahæ habebat duas habitudines: vnam ad habitum fidei, quæ est causa eius; & secundùm hanc habitudinem dicunt non esse dependens de futuro, cùm habeat secum suam causam: aliam autem habebat ad suam materiam, scilicet ad creditum, quod non habet determinatam veritatem; vnde motus fidei licèt esset in illud, non tamen necessariò erat in illud.

¶ Alii aliter dicunt, quòd licèt Christus non incarnaretur, tamen Abraham credendo Christum incarnandum esse, non credidit falsum, sed verum. Non enim sequitur, si Christus est incarnandus, incarnabitur: nec sequitur, si non incarnabitur, non est incarnandus: sicut nõ sequitur, si Antichristus est futurus, erit: neque si non erit, non est futurus: de multis enim dicitur, quod futura sunt, & verè; quæ tamen non erunt. Cùm enim dicitur, hoc est futurum: non est sensus, hoc erit; sed sensus est, hoc ordinatum est esse in rerum natura: siue quòd hoc erit, est ordinationis exitus in esse. Cùm ergo dicitur, hoc futurum est, fit enunciatio de ordinatione exitus vel euentus, non de exitu ordinationis: & cùm dicitur, hoc erit; fit enunciatio de exitu ordinationis, non de ordine exitus. Est autem duplex ordinatio: ordinatio necessitatis naturalis: & est ordinatio congruitatis, seu conuenientiæ. Vnde quando Esaias dixit de Ezechia, quòd esset moriturus; non dixit hoc de exitu ordinationis, sed de ordinatione exitus: quia in naturali ordinatione ita ordinatum erat, quòd Ezechias moreretur: & quod non fuerit mortuus, fuit à summa causa, quæ non mutauit ordinationem, sed potiùs exitum * ordinis. Eodem modo cùm dicitur, Christus est incarnandus, non idem valet, ac si diceretur, Christus incarnabitur: quòd enim Christus incarnaretur, fuit ordinatio congruitatis, seu conuenientiæ: tale enim peccatum (scilicet) primi parentis talem requirebat medicinam; vt sicùt mors per fœminam, ita vita per fœminam: sicut mors per lignum, ita vita per lignum: sicut ad imaginem Dei formati, ita ad eius imaginem reformati, & huiusmodi multa ponit Anselmus. Et hæc est conuenientia, de qua loquitur Augustinus in prædicta auctoritate; quòd nullus modus sanandæ nostræ miseriæ conuenientior fuit. Qui ergo dixit Christum incarnandum, nihil aliud dixit, quàm ordinationem congruitatis, qua Christus incarnaretur: & hoc semper verum est, etiam si Christus non incarnaretur: & hoc est, quod credidit Abraham: & ita semper verum est; & hoc est articulus. Attende. * al. ordinationis. Ansel. in li. *Cur homo Deus.*

¶ Si autem quæritur, nonne credidit, quòd Christus incarnabitur? & ita falsum. Respon. quòd istud est exitus ordinationis, non ordinatio; & hoc non est articulus simpliciter: sed incarnabitur, secundùm ꝙ dicunt prophetæ.

ARTICVLVS II.

An visio fidem euacuet?

Qværitvr postea: Vtrùm fides sit de apparentibus, siue de visis. Et videtur quod sic, per hoc quod Petrus videbat Christum pati, & tamen idem credebat, ergo fides est de visis.

¶ Sed

¶ Sed ad hoc respondetur, quòd fides virtus non dicitur esse in Petro; ex eo quod videbat hominem pati: sed ex hoc quod credebat Deum esse, qui patiebatur.

¶ Propter hoc quæritur: vtrùm visio fidem euacuet? Ad quod sic Ioan. 14. *Vado vobis parare locum.* ibi dicit Glos. Augustini: *Eat Dominus, & paret locum: eat, ne videatur: lateat, vt credatur: tunc enim locus paratur, si fide viuetur, credatur: desideretur, vt desideratus habeatur: desiderium dilectionis præparatio mansionis.* Ex hoc arguitur, si oportet quod Deus lateat; vt credatur: ergo ipsa visio euacuat credulitatem: ergo cùm Petrus videret Christum pati, non habebat fidem passionis.

¶ Item, sicut scientia euacuat opinionem, cùm aduenit: ita euacuabit fidem: quia sciētia est cognitio perfecta: cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Ergo cùm B. Virgo habuerit scientiam, quod concepit sine virili semine, in B. Virgine euacuabatur fides illius articuli: *Conceptus de spiritu sancto.* ergo nec in B. Virgine, nec in Petro fuit fides omnium articulorum. Symbo'ū Apost.

¶ Item, cùm visio gloriæ euacuet fidem. Paulus autem raptus fit vsque ad visionem gloriæ (quia vsque ad tertium cœlum, hoc est, vsque ad tertium genus visionis, qua vidētur res per sui præsentiam, sicut dicit August.) ergo in Paulo euacuabatur fides. Relinquitur igitur, quòd fides non compatitur secum visionem sensibilem, nec intellectualem, nec scientiam. 1. Cor 13

¶ Contra: cognitio intellectiua de aliquo non euacuat sensitiuam cognitionem, quamuis sit certior cognitio, nec ecōuersò: ergo nec cognitio fidei euacuabit cognitionem sensibilem, quamuis sit certior, nec econuersò: ergo Petrus poterat simul Christum videre pati per sensum, & credere per intellectum.

¶ Item, aliquis sciens scientia demonstratiua eclipsim solis: si postea sciat scientia sensitiua vel experimentali idem, non euacuatur scientia hæc per illam, nec econuersò, imò magis vna perficitur ab alia. Ergo scientia certior non euacuat minus certam de re eadem: ergo multo fortiùs nec scientia experimentalis de conceptu filij Dei euacuabat fidem in B. Virgine.

¶ Item, scientia propter quid de re non euacuat sciētiam quamuis est; quamuis illuminosior sit illa: ergo nec visio raptus Pauli, quamuis illuminosior sit, euacuabit visionem fidei in Paulo.

¶ Item, si aēr illuminetur lumine ignis: & postea adueniat lumen solis, adhuc tamen remanet lumen ignis, licèt non appareat. Ergo cùm omnis scientia & cognitio sit per aliquam lucem interiorem: simili ratione maior cognitio non euacuabit minorem quantum ad substantiam, sicut nec luminositas.

¶ Propterea quæritur: cuiusmodi cognitionē euacuet fides: & cuiusmodi cognitione ipsa euacuetur?

RESOLVTIO.

Quædam visio fidem euacuat: quædam non euacuat.

¶ Solutio. Ad hoc vltimum dicendum: quòd quædam cognitiones sunt, quæ pertinent ad diuersas vires: q̄dam verò sunt, quæ pertinent ad eandem vim. Vbi sunt cognitiones pertinentes ad diuersas vires, indistinctè vna non euacuat alteram: vnde nec cognitio intellectiua euacuat sensitiuam: pari ratione nec cognitio fidei, quæ pertinet ad intellectum, in Petro euacuat cognitionem secundùm visum, vel econuersò. Vbi autem sunt cognitiones pertinentes ad eandem vim, distinguendum est: aut sunt coordinatæ, aut non sunt coordinatæ. Si non sunt coordinatæ, sed sunt secundùm diuersas vias: vna non euacuat aliam, quamuis vna sit certior alia. Et hæc est ratio, quare scientia speculatiua non euacuat scientiam experimenti: vel scientia propter quid, scientiam quia est: quamuis sint cognitiones eiusdem generis, & pertinentes ad eandem vim, scilicet intellectiuam. Simili & fortiori ratione nec scientia experientiæ de conceptione siue semine euacuabat fidem de eodem in beata Virgine: nec visio in raptu Pauli euacuabat fidem in ipso: cùm in beata Virgine cognitio, quæ est per experientiam: & cognitio, quæ est fidei; non sint coordinatæ, vt vna sit ad aliam: similiter in Paulo. Vbi verò cognitiones coordinatæ sunt, vt vna sit ad aliam ordinata: sicut terminus, & ea quæ sunt ad terminum: & ea quæ sunt ad terminum propinquiùs; & ea quæ sunt ad terminum remotiùs; vna euacuat aliam, scilicet illa, quæ est terminus, illa quæ est ad illum terminum: & illa, quæ est ad terminum propinquiùs; illam, quæ est ad terminum remotiùs. Tamen in hoc est differentia, quòd vbi sunt cognitiones coordinatæ, vt terminus, & ea quæ sunt ad terminum: illa quæ est terminus, simpliciter euacuat illam, quæ est ad terminum. Verbi gratia, scientia & opinio ordinantur: sed scientia est terminus, opinio verò ad terminum: opinio enim ordinatur ad scientiam, sicut ad suum terminum in via: ideo adueniente scientia de aliquo, simpliciter euacuatur opinio de illo.

¶ Similiter, visio est terminus, fides verò est ad terminum: est enim fides ad visionem, quæ est terminus in patria: ideo adueniente visione, euacuatur fides visione gloriæ. Vbi verò sunt visiones coordinatæ ad terminum propinquiùs, & ad terminum remotiùs: illa quę est ad terminum propinquiùs; euacuat illam, quæ est ad terminum remotiùs: non simpliciter, sed secundùm quid. Verbi gratia: in fide formata & informi: fides enim formata est ad terminum visionis, scilicet gloriæ propinquiùs: fides verò informis remotiùs: & adueniente fide formata, quæ est propinquior; euacuatur fides informis, quæ est remotior secundùm modum, non secundùm substātiam: secundùm quid, & non simpliciter: sicut patet ex supradictis in præcedentibus.

ARTICVLVS III.

An scitum si dei obiectum esse possit?

POSTEA quæritur: Vtrùm scitum possit esse obiectū fidei? Et videtur quod sic: quia Petrus tempore passionis videbat eum pati oculis corporeis: ergo scientia sensitiua sciebat istum pati, & idem credebat: ergo idem erat scitum & creditum.

¶ Item, Petrus scit, quoniam si Iesus patitur, iste patitur, demonstrato Christo, qui est filius Dei: sed Petrus scit Iesum pati; ergo credit ipsum pati.

¶ Præterea, credit istum pati; quoniam credit filiū Dei pati: & iste est filius Dei, ergo credit istum pati: & ita idem scit & credit.

¶ Similiter, sint hic Petrus, Iacobus, & Christus; & iste homo est certificatus: quòd aliquis de istis est Christus filius Dei: sed nescit quis, demonstrato Christo, proponitur ei hæc propositio, iste homo est Christus filius Dei: constat quod non potest respondere, verum est, vel falsum est: quia nescit, vtrùm demonstretur ei Dei filius, an non. Respondebit ergo, proba: inde sic: iste respondet, proba, ad istam propositionem, & secundùm conscientiā: ergo dubitat illam esse veram: ergo dubitat eius dictum, & ita dubitat istum hominem esse verum Dei filium: sed ipse idem credit; quia ipse est fidelis: ergo idem est creditū & dubitatum ab ipso: ergo eadem ratione poterit idē esse scitum, & creditum.

¶ Item, posito, quod aliquis philosophus habeat scientiam Dei per naturales rationes: sicut dicitur Rom. 1. *Inuisibilia Dei, &c.* & postmodum recipiat illuminationem fidei à Deo. Constat, quod non obliuiscitur rationes, quas priùs sciebat: sed priùs sciebat, per rationes Deum esse; ergo & nunc scit; ergo idem scitum & creditum. Rom 1.

¶ Item, sicut dicit Tullius: *Vox omnium est vox naturæ:* sed Deum esse, est vox omnium: ergo Deum esse, naturaliter est scitum ab omnibus; & est creditum per fidem; quia est articulus fidei: ergo idem est scitum & creditum. Tullius.

¶ Contra: superueniente maiori lumine, cessat minus lumen quantum ad actum suum; sicut patet in lumine solis respectu luminis lunæ & stellarum: ergo multo magis adueniente lumine solis iustitiæ per gratiam fidei in anima hominis, cessabit lumen rationis naturalis seu scientiæ:

tia: ergò non poterit idem esse scitum & creditum.

¶ ITEM, per fidem assentit homo primæ veritati propter se, & super omnia: ergò non assentit propter rationes humanas: ergò rationes non faciunt cognoscere primam veritatem, vbi est fides: ergò non est possibile idem esse scitum & creditum.

¶ ITEM, si ego diligo Deum propter temporalia: adueniente charitate, cessat illa dilectio: ergò à simili, si ego cognosco Deum esse per naturales rationes, adueniente fide, cessabit illa cognitio.

RESOLVTIO.

Cùm non inconueniat, alia tamen atque alia ratione, idem scitum, & creditum esse: profectò scitum fidei obiectum statuere non incongruit.

¶ AD hoc dixerunt quidam: quod cognitio Dei multiplex est. Est enim cognitio innata, & est cognitio superaddita. Cognitio innata est naturalis: superaddita accidentalis. Innata est naturalis: superaddita accidentalis. Innata seu naturalis cognitio dupliciter est in homine: ante peccatum, vt in Adam erat cognitio, secundùm quam apertè cognoscebat Deum in creaturis: post peccatum, vt in nobis, qui per speculum in ænigmate Deum videmus. Et assignant differentiam inter cognitionem hanc & illam; qualis est inter suppositionem, & dignitatem. Dignitas enim non indiget aliqua probatione, vel persuasione: sicut est hoc principium, omne totum maius est sua parte, in Geometria: suppositio verò indiget ad minus leui persuasione; sicut ista propositio in Geometria, à puncto vsque ad punctum rectam lineam ducere: sic debent differre cognitionem de Deo innatam in homine ante peccatum, & post. Cognitio autem superaddita animæ est tribus modis. Est enim cognitio, quæ acquiritur per naturales rationes: qualem habuerunt philosophi; & est cognitio, quæ innititur testimonijs Scripturarum, vel miraculorum: sicut dicunt esse in fide informi: & cognitio, quæ est per illuminationem à Deo; quæ innititur primæ veritati tendens in illam: & hæc est fidei formatæ. Non est ergò inconueniens: quod idem sit scitum cognitione innata, & creditum cognitione superaddita: sed inconueniens esset, quod idem esset scitum & creditum cognitione innata, vel superaddita: quia in eodem genere cognitio certior euacuat minùs certam.

¶ ALII dixerunt aliter: quod cum fides sit de non apparentibus: impossibile est idem enunciabile scitum esse, & creditum. Et ad illud, quod de Petro obijcitur, dicunt: quod hæc est falsa. Petrus scit istum pati, de dicto: immò tantum credit: quoniam dicunt: quod hoc pronomen, *iste*, positum substantiuè personale est: & idem est, ac si diceretur. Petrus scit hanc personam pati. Sed benè concedunt eam, secundùm quod intelligitur de re. Ad aliud obiectum dicunt; quod hæc est falsa. Petrus scit, quod si Iesus patitur, iste patitur: quoniam Petrus scit antecedens, sed non scit consequens: & ideò nescit illud: quoniam si hoc Pronomen, *iste*, tenetur substantiuè, falsa est, quia secundùm hoc est personale: si adiectiuè, vera est: & secundùm hoc dicunt, quod non valet ista argumentatio; Petrus scit istum hominem pati: ergò scit istum pati. Ad vltimò obiectum dicunt: quod iste dubitat, & hanc propositionem esse veram, & dictum eius esse verum: non tamen dubitat hoc dictum: quoniam nescit quod scit dictum eius: quoniam nescit signationem: nescit enim vtrum demonstratur Dei Filius: vel non: sicut aliquis benè respondet, *proba*, ad istam propositionem. Marcus est Tullius: ignorans, vtrum illa nomina sint nomina eiusdem, an diuersorum: & tamen non dubitat dictum huius propositionis.

¶ SED quod hæc solutio nulla sit, probatur multipliciter: primò sic. Petrus videt istum, demonstrato Christo; & videt eius passionem: ergò videt hoc totum Christum pati: & ita scit hoc totum: ergò scit hoc essentiale, Christum pati. Præterea, cùm dicitur. Petrus scit istum pati: hoc Pronomen, *iste*, aut significat aliquam formam circa suum suppositum, aut nullam: si aliquam, aut diuinam, aut humanam: non est ratio quare potiùs diuinam, quàm humanam: vel econuersò: sed constat, quod non signat vtramque: ergò nullam: maximè cùm sit Pronomen, substantiam merè signans. Ex hoc sequitur: quod hæc est vera. Petrus scit istum pati: ex quo non signatur ibi aliqua forma Dei. Item, Petrus scit, si chimera patitur, ipsa patitur: item, scit si Brunellus patitur, ipse patitur: & sic de omnibus alijs: ergò pati ratione scit, quod si Iesus patitur, ipse patitur: quod tamen ipsi proculdubio negant.

¶ PROPTER hoc dicunt alij: quod ista solutio non valet: & dicunt, quod in casu idem est scitum & creditum: & dicunt, quod Petrus scit istum pati, demonstrato Christo (siue intelligatur de dicto, siue de re) & credit idē. Sed secundū aliā apprehensionē credit: secundū aliā scit: quoniā secundū q̄ apprehendit istū sub formis visibilibus, scit istū pati: secundùm quod apprehendit ipsum sub forma diuina, credit ipsum pati. Sicut solet dici de illo, qui interfecit patrem Platonis, & aufugit: sed post multum tempus redijt, ita alteratus, quod Plato non cognouit eum; & adeptus est familiaritatem Platonis: secundùm hoc verum est, quod Plato odit, & diligit istum; sed secundùm diuersas apprehensiones: quoniam secundùm quod apprehendit eum in statu, in quo est; diligit istum: sed secundùm q̄ apprehendit eum sub imaginatione, in qua vidit eum: quando interfecit patrem, sic odit eum: & ita eundem odit, & diligit secundùm diuersas apprehensiones: eodem modo idem scitur & creditur. Hæc opinio concordat cum prima: illa tamen opinio falsa est in hoc: quod dicit, quod fides informis innititur auctoritati scripturæ & miraculis: quia (sicut ostensum est supra Quæstione de fide informi) fides informis innititur primæ veritati propter se ei assentiendo; quamuis non moueatur in illam: quantum verò ad cætera, vtrum habeat veritatem, patet ex improbatione præcedenti. Aliorum sententia. Quæstio. 64 de fide informi.

¶ DICENDVM ergò pleniùs: quod non est inconueniens idem esse scitum, & creditum, secundùm alium & alium modum: nec idem creditum esse & sensatum, secundùm alium & alium modum: sicut non est inconueniens, quod idem sit sensatum & intellectum, secundùm modum alium & alium. Vnde Petrus idem sentit videndo & credendo, secundùm modum alium & alium: quia persona Christi considerata in forma hominis, videbatur: sed secundùm formam diuinam credebatur: idem ergò videbatur & credebatur: sed modo alio & alio. Similiter in philosopho veniente ad fidem, idem est scitum & creditum: sed scitum per comparationem ad rationem, creditum per comparationem ad primam veritatem, cui innititur propter ipsam: scitum est quantum ad speculationem: sed creditum quantum ad hoc, quod innititur primæ veritati. Sententia propria.

¶ AD illud verò, quod obiicitur de aduentu maioris luminis: & ad illud, quod secundò obiicitur, quod per fidem assentit homo primæ veritati propter se. Patet responsio ex prædictis.

¶ AD vltimum verò, quod obiicitur de dilectione propter temporalia. Dicendum, quod hæc dictio, *propter*, potest notare causam motiuam, non finalem: & hoc modo falsum est, quod dilectio Dei propter temporalia cesset, adueniente charitate; cum ipsa sit causa motiua per modū incitantis ad dilectionem Dei: eodem modo rationes naturales sunt causa motiua in habente fidem per modum incitantis ad assentiendum primæ veritati propter se: non tamen cum innixione ad illas. Vel potest notare causam finalem: & hoc modo verum est, quod adueniente charitate, cessat dilectio Dei propter temporalia: ita etiam adueniente fide cessat cognitio Dei propter rationes naturales; quia non cōstituitur in illis finis: cessat ergò, in quantum constituebatur in illis finis.

ARTICVLVS IV.

An verum necessarium, vel contingens obiectum fidei sit?

Augult. CONSEQVENTER quæritur. Vtrum obiectum fidei sit verum necessarium, vel verum contingens? Ad quod sic August. dicit, quod alius fuit modus nostræ liberationis Deo possibilis: ergò aliter potuit contingere, & ita contingens.

¶ CONTRA. Videtur quod verum necessarium sit obiectum fidei: quia dicit August. quod nullus alius modus nostræ miseriæ sanandæ fuit conuenientior: ergò Christum esse incarnandum fuit ordinatissimum secundùm summam sapientiam. Sed summa sapientia & summa potentia cum sit ordinata, non potest facere, nisi ordinatissimum: quare cum hoc sit ordinatissimum, non poterat aliud facere.

¶ ITEM, de eisdem est cognitio fidei, de quibus est cognitio patriæ. Sed cognitio patriæ non est de verò contingenti, seu de necessariò: ergò nec de eo erit fides.

RESOLVTIO.

Necessarium profectò: vel simpliciter, vel secundùm quid.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod aliud iudicium est de hoc: Christum esse incarnandum, secundùm quod accipitur pro hoc *ordinatum est, quod Christus incarnabitur*, & aliud, secundùm quod pro hoc *Christus incarnabitur*. Nam primum est necessarium: de secundò autem ostendetur, qualiter contingens sit secundùm quid, & necessarium secundùm quid: & ita fides semper est de necessariò, vel secundùm quid vel de necessariò simpliciter: non enim fides respicit illud ex parte contingentię, quã habet. Nota ergò, ꝙ necessarium opponitur impossibili: & diuersificatur secundùm ꝙ diuersificatur impossibile. Impossibile aũt & possibile respicit potentiã: potentia aũt dicitur, vel potẽtia prima simpliciter, vel potentia inordinata. Quocunq; autem modo accipiatur potentia, necessarium est Christum esse incarnandum, secundùm quod accipitur pro hoc *ordinatum est, quod Christus incarnabitur.* Sed si accipiatur pro hoc *Christus incarnabitur*, distinguendum est, scil. quod duplicem habet comparationem: vnam ad res, & secundùm hoc habet contingentiam: alteram ad potentiam ordinatam, & secundùm hoc habet necessitatem. Et non valet illa argumentatio: eius oppositum est possibile Deo: ergò ipsum est contingens, quia hoc non sufficit: debet enim addi, *& habet contingentiam: & subiecto siue in materia, vel non est contrarium potentiæ ordinatæ, habet contingentiam in subiecto*, ponitur propter illud, Ezechiam esse moriturum: nam licet eius oppositum esset possibile Deo, vt patuit; tamen ipsum non fuit contingens: quia hoc habebat necessitatem in subiecto, vel in materia quantum ad cursum naturæ. *quod non sit contrariũ potentiæ ordinatæ*, dico propter illud * Christum non esse incarnandum, siue Christus incarnabitur. Et nota, quod non loquimur hic de ordinatione diuina: vt dicamus, quod ordinatione diuina ordinatum est, quod Christus incarnabitur, & deinde quod possit cõtingere, quod Christus non incarnetur: quia hoc non erit verum cum illo. Sed loquimur de ordinatione, quæ est secundùm rei exigentiam: de qua Leo Papa in quadam Homil. de Pascha. *Potentia Filij Dei, quæ eadem est, quæ est Patris: potuisset genus humanum alio modo à dominatu diaboli eruere; nisi in negotio congrueret, vt per quod vicerat diabolus, vinceretur.*

*Alias, propter.

Leo Papa.

ARTICVLVS V.

An complexum, vel incomplexum obiectum fidei sit?

QVÆRITVR postea. Vtrum obiectum fidei sit complexum, vel incomplexum? Videtur quod complexum: quia dicit Aug. super illud. 1. ad Cor. 10. *Omnes eandẽ potum spiritualem biberunt, &c. Ostendit iustis diuersorum temporum eandem esse fidem: illi crediderunt Christum esse venturum, nos autem Christum venisse.*

Aug. sup. 1. Cor. 10.

¶ ITEM, si esset de incomplexo, sufficeret credere sine temporis determinatione incarnationem. Sunt enim quidam Iudæi, qui credunt quod Messias erit Filius Dei: sed non credunt eum venisse. Si ergò intelligatur præter temporis determinationem: conueniunt nobiscum in fide: & ita essent fideles, quod est falsum.

¶ ITEM, Petrus missus est ad Corneliũ, vt determinaret ei tempus verbi incarnati: per quod patet, quod non sufficit credere, sine determinatione temporis. Actu. 10.

¶ ITEM, scientia non est de complexo: ergò nec fides.

¶ ITEM, dicit Augustinus. 2. ad Corinth. 3. super illud. *Non quod sufficientes simus, &c. Credere est cogitare cum assensione.* Sed cogitare est conferre vnum alteri, consentire verò sententiam super illud inferre: & hoc non fit super incomplexum: ergò, &c. Aug. sup. 1. Cor. 3.

¶ ITEM, si fides esset de incõplexo, sic mors Christi esset articulus: inde sic; mors Christi est articulus: ergò mors Christi est: quoniam fides non est, nisi de veris: & omne verum est ens, & econuersò: ergò si mors Christi est articulus, mors Christi est: & econuersò: quod est falsum. Patet ergò, quod non est fides de incomplexo.

¶ CONTRA, August. super illud. 2. ad Cor. 4. *Habentes spiritum fidei.* Gloss. *Tempora variata sunt, sed fides variata non est.* Sed fides non pro habitu ibi accipitur, immò pro articulo: & constat quod enunciabilia variata sunt secundùm tempus: ergò enunciabilia non sunt articuli: cùm fides nõ sit variata. Vel indirectè concludatur: si fides est enunciabilia, fides est variata. Idem sup. 2. Cor. 4. Glossa.

¶ ITEM, in Symbolo non ponuntur enunciabilia, sed enumerantur ibi articuli: ergò articuli non sunt enunciabilia.

¶ ITEM, fides est supra rationem, quia est in intelligentia: sed intelligentia est per modum incomplexionis in accipiendo: ergò & fides.

¶ ITEM, complexio fundatur supra compositionem: quædam autem sunt, in quibus non est vera compositio: vt est, Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis. Sed de his est vera cognitio fidei in via, & non per modum complexionis: ergò per modum incomplexionis.

¶ ITEM, ipsę res arctant nos ad credendum se: & de Deo sunt, & in Deo: vt incarnatio Filij Dei, & huiusmodi generant in nobis timorem, vel amorem Dei: ergò per locum à diffinitione ipsæ res sunt articuli: & ita incomplexum.

¶ ITEM, simus in instanti passionis Christi: quæritur, quid modò sit articulus de morte? Non potest dici, quod Filium Dei mori, sit modò articulus; quia ignorantia facti excusat à toto eos, qui non credunt. Similiter nec Filium Dei esse moriturum: nec Filium Dei esse mortuum; modò est articulus de morte Filij Dei; & ita nullum enunciabile. Restat igitur, quod ipsa res, scil. ipsa mors est articulus: & ita complexum aliquod.

RESOLVTIO.

Fidei obiectum & complexum & incomplexum est: sed istud secundùm quid, illud autem simpliciter.

¶ SOLVTIO. Dicunt aliqui, quod fides est de complexo: vnde dicunt, quod enunciabilia sunt articuli. Et ad illud, quod obiicitur: quod enunciabilia mutata sunt, & ita articuli mutati. Dicunt, quod non est inconueniens ponere articulos esse mutatos: cum de essentia articulorum sit * consignatio temporis. Sed distinguunt, duplicem mutationem, scilicet mutationem secundùm essentiam: & sic sunt mutati articuli: & mutationem secundùm virtutem & vtilitatem: & sic mutati nõ sunt: quia æquè prodest ad salutem credere Christum esse incarnatum, sicut Christum esse incarnandum: sed cùm sit maior mutatio illa, quæ est secundùm essentiam: quam illa, quæ est secundùm qualitatem, scil. virtutem & vtilitatem: indecens videtur dicere, quod sic mutati sint: & hoc modo minus propriè soluunt auctoritatem August. quæ dicit, tempora mutata sunt: fides autem non est mutata. *Alias, consignificatio.

¶ ALII dicunt, quod licet mutata sint enunciabilia: non tamen articuli sunt mutati: quia sicut plures voces

sunt

sunt vnum nomen; vt albus, alba, album: ita plura enunciabilia sunt vnus articulus.

¶ ITEM, sunt alij, qui dicunt quod articuli sunt enunciabilia: & ponunt articulos esse aliquid, quod maneat. Vt de sicut dicitur in Physica facultate: nihil est manens in tempore nisi nunc: nec in motu nisi mutatum esse: ita considerauerunt, quid esset manens: & illud ponunt articulum, circa quod fit variatio prætetitionis, fututitionis, & præsentialitatis: & dicunt incarnationem Filij Dei, & passionē, & huiusmodi esse articulos. Maximè autem hoc conuenit dicere, vt videtur: quia cum de substantia horū non sit tempus, quorum ordinatio non pendet ex tempore; licet facta sint in tempore; sed tantum ex ordinatione diuina: non erunt articuli dependentes ex tempore: & secundùm hoc propriè exponitur auctoritas August. tempora variata sunt, fides autem mutata non, id est, articuli. Secundùm hoc etiam manifestum est, quod de eisdem dicitur cognitio in patria: & cognitio in via, quæ est fides.

Elice ex 4. Phy. circa finem.

¶ AD illud autem, quod obiicitur supra: quod non sufficit credere sine determinatione temporis * Dicendum, quod quandoque sic, quandoque non: quia istud pendet ex prædicatione. Quia si non esset apud aliquos determinatum tempus incarnationis Filij Dei, sufficeret credere incarnationem Filij Dei absque consignatione temporis: sed hæc determinatio variatur secundum diuersa tempora; secundùm hoc apparet, quod non est de substantia crediti; sed accidit: immò plus se tenet ex parte credentis, cui fit determinatio per prædicationem: quā ex parte crediti. Non sufficit ergò credere articulum simpliciter, nisi credatur eò modo quo debet esse: & quia variatur determinatio temporis, ideò missus est Petrus ad Cornelium, vt determinaret ei tempus: & tunc Cornelius ante determinationem temporis, dummodo crederet incarnationem de Filio Dei, non periret.

* Alias, Dicunt.

Actu. 10.

¶ AD illud, quod obiicitur: quod fides est sicut scientia, de complexo, & verò. Dicendum, quod circa fidem debemus considerare duo, scilicet ænigma, siue speculatem fidei cognitionem: & sic est de complexo verò. Debemus etiam considerare credentis consensum, & fidei puritatem: & sic est de in complexo; primum autem est in ratione, secundùm in intelligentia. Quod autem fides secundùm ænigmaticam cognitionem sit de complexo: hoc non est de natura rei cognitæ; sed de defectu cognoscentis quod apparebit in futuro; quando cognitio nostra erit sine complexione & tempore. Vnde illa cognitio, in qua maximè assimilamur diuinæ cognitioni, debet dici esse fidei. Quod autem sit propter defectum cognoscentis: istud manifestum est per hoc, quod ea etiam, quæ sunt sine complexione & in pura simplicitate, non comprehendimus, sine complexione: & illa complexio non est ex parte rei; quia * complexio vera rei fundatur supra complexionem veram: sicut compositio supra rem: vnde vbi non est compositio vera, neq; complexio vera. Vnde quando cogitamus Deum esse vnum in essentia, trinum in personis, vel huiusmodi: cùm non sit ibi vera compositio propter simplicitatem vltimam; non est ibi vera complexio; sed eatātum (vt dictum est) quæ est ex parte cognoscentis.

* Alias, compositio.

¶ QVOD si aliquis obijciat: ergò cogitamus aliter, quā sit in re, vel in intelligimus: ergò falsò. Non sequitur, quia sic cogitans non reponit modum illum in re: & simile est de intellectu abstractiuo: quia abstrahentes falsi nō sunt: quia non ponunt modum in re. Et per hoc patet solutio ad illud, quod obiicitur de cognitione: * ea sit super complexum.

1. Phy. 18.
* Alias, quoniam

¶ SIMILITER ad illud, quod obiicitur: quod cum mors Christi non sit, fides non erit de morte: quia fides de vero est. Dicendum, quod non sequitur: est enim veritas rei, & veritas comprehensionis: veritate rei futura nō sunt vera, quæ non habent causam in natura: veritate verò comprehensionis, quæ est in diuina præscientia; erit dicere futura: quia verum est dicere aliqua fore futura: quemadmodum præterita, quæ iam recesserunt in non esse, non habent veritatem in rerum natura, & tamen habent veritatem in memoria: quia verum est ipsa fuisse: & omne tale, quod verum est, verum est prima veritate: apud quam nihil transit, nec mutatur, & si res mutentur. Dicendum ergò de morte Christi, quod quamuis non sit in actu naturæ: est tamen in comprehensione, vel diuinæ scientiæ, vel humanæ memoriæ: & hoc modo creditur verùm.

¶ INTER autem prędictas opiniones potest teneri media, distinguendo obiectum fidei siue articulum dupliciter: in obiectum fidei seu articulum simpliciter, & obiectum secundùm quid. Primò modo res ipsa, vt est diuinitas, incarnatio, & passio, & huiusmodi, quæ abstrahunt à tempore, & non mutantur; dicuntur obiecta fidei, & articuli simpliciter: secundò modo enunciabilia & complexiones, quę concernunt variationem secundùm mutationem temporis, dicuntur articuli. Et primò modo sunt articuli per se & semper: secundò modo articuli contingentes, non semper. Articuli per se semper manent articuli; vt incarnatio, passio: articuli verò contingentes fiunt nō articuli: vt patet in his articulis, Christum nasciturum, passurum: qui fuerunt articuli, antequam Christus nasceretur, & pateretur: modo non sunt.

¶ ET si obiiciatur: quod non sufficit credere articulo simpliciter in sua forma, nisi concernatur tempus: vnde non sufficit credere incarnationem, nisi credamus incarnationem factam: ergò, &c. Dicendum, quod ad *credere*, requiritur, vt credatur, quod credendum est, & debito modo: nec sufficit credere quod credendum est sine debito modo. Quod credendum est, dicit substantiam fidei, seu articuli: modus verò credendi non est de substantia obiecti: sed magis circumstantia debita ex parte actus credendi: & tamen non sufficit illud sine isto. Ex parte autem modi credendi prouenit credere cum determinatione temporis.

¶ ET ad illud, quod obiicitur: est instantia aperta talis: non sufficit credere vnum articulum sine alijs, & tamen vnus non est de substantia alterius. Similiter non sufficit credere articulo, hoc est, passionem, & resurrectionem, & huiusmodi: nisi cum debito modo credendi: ex parte cuius est determinatio temporis.

ARTICVLVS VI.

An creatum, vel increatum verum obiectum fidei sit?

POSTEA quæritur. Vtrum obiectum fidei sit verum creatum, & increatum: aut increatum tantum. Ad quod sic: fides est virtus in finem: sed finis est prima veritas increata: ergò finis fidei est veritas increata tantum. Sed in virtutibus, quæ sunt in finem; idem est obiectum & finis: vt spei finis & obiectum est beatitudo: charitatis finis & obiectum est summum bonum: ergò similiter fidei erit obiectum tantum verum increatum.

¶ ITEM, idem est obiectum fidei in via, & visionis succedentis fidei in patria: sed differt in medio comprehensio obiecti: nam fides per speculum in ænigmate, visione per ipsam speciem primæ veritatis. Si ergò visionis sola veritas creata est obiectum: ergò & fidei.

¶ ITEM, dicit Rich. quod articulus est indiuisibilis veritas: sed veritas de Deo increata est, ergò & articulus: sed articulus est obiectum fidei solum: ergò & increata veritas solùm.

Richa. S. Victo.

¶ CONTRA. Articulus fidei est, quod resurrectio carnis sit futura: & tñ est veritas creata; & de creatura ergò obiectum fidei siue articulus nō est tantum veritas increata.

¶ ITEM, incarnatio, passio Christi, sunt ex tempore: ergò veritas istorum est veritas creata: & tamen sunt obiectum fidei.

¶ ITEM, fornicationē esse peccatum mortale, est tale, quod tenemur credere: & si quis pertinaciter diceret cōtrarium, hæreticus iudicaretur: ergò est credendum fide: & tamen est verum creatum.

¶ ITEM, posset obiici de creatione, & peccatorum remissione, quæ sunt articuli, & tamen non æterna, sed effectus dicunt temporales, & non æternos.

RESOLVTIO.

Et creatum & increatum verum fidei obiectum est: sed primum per accidens & secundariò: secundùm per se & primò.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod quædam sunt obiecta fidei, sicut suppositiones, quædam sicut principia, quædam sicut conclusiones. Sicut suppositiones obiecta fidei sunt in his, quæ fides supponit: vt dictamina iuris naturalis, vt quæ extrahuntur à iure naturali. Obiecta verò fidei sicut principia sunt ea, quæ sunt propria fidei, & prima, & per se nota secundùm fidei acceptionem, quæ propriè dicuntur articuli: vt quoniam Deus vnus est, & trinus, omnipotens, & huiusmodi. Sicut conclusiones obiecta fidei sunt, quæ sequuntur ex articulis fidei, vt quoniam Deus est vbique, sequitur ex hoc quod Deus est immensus: & carnis resurrectio, sequitur ex hoc quod Deus est omnipotens & iustus.

¶ DISTINGVENDVM ergò, quod credendum fide, dicitur duobus modis: vno modo primò & per se, videlicet ipsa prima veritas per seipsam: alio modo quod est in prima veritate secundùm ipsam, & per ipsam. Et hoc est duobus modis: nam in ipsa prima veritate consideratur quod est in dictamine iuris naturalis: & iterum quod est in dictamine gratię. Primò modo obiectum fidei dicitur, quod est ipsa veritas, quæ est Deus, vel de ipso, vt quod Deus est omnipotens, immensus, & huiusmodi: secundò modo, & tertiò ea, quę antecedũt articulos fidei: & ea, quæ sequuntur. Antecedunt, quæ sunt iuris naturalis: vt considerantur in ipsa prima veritate, quæ est lex æterna: secundùm quem modum credendum est mortale peccatum esse fornicationem: & matrimonium honestum. Sequuntur; vt ea, quæ sunt dictaminis gratiæ ex articulorum ratione: vt (sicut dictum est) Deum esse vbique, vel Resurrectionem carnis futuram.

¶ SECVNDVM hoc ergò dicendum, quod verum increatum primò, & per se obiectum fidei: per accidens verò & secundariò verum creatum: prout, scilicet consideratur in ipsa prima veritate: vel antecedenter ad articulos, vt ea quæ sunt iuris naturalis, quæ sunt sicut suppositiones: vel consequenter, sicut ea, quæ sequuntur articulos secundùm dictamen gratiæ, sunt conclusiones.

¶ AD illud ergò, quod obiicitur de Resurrectione carnis. patet responsio: quia carnis Resurrectio non est obiectum fidei, nisi inquantum consequitur ex articulis fidei, scilicet iustitiæ Dei, & omnipotentiæ: sequitur enim si Deus iustus est, quod reddet vnicuique secundùm opera sua: & ex hoc sequitur, quod vnusquisque debet recipere in corpore, prout gessit, siue bonum, siue malum: ex quo sequitur, quod iustitia sua exigit, vt sit Resurrectio: sed sua omnipotentia facit, quicquid iustitia exigit: omnipotentia ergò sua facit Resurrectionem. Prout ergò carnis Resurrectio consideratur in veritate prima secundùm rationem iustitiæ & omnipotentiæ Dei, sic est fidei obiectum.

¶ AD aliud verò, quod obiicitur de incarnatione & passione, quod sunt in tempore. Dicendum quod incarnatio & passio sunt obiecta fide; quia Dei sunt: Deus enim incarnatus est, & passus. Cùm ergo consideratur incarnatio Dei: & incarnatio temporalis sit, Deus autem æternus: consideratur temporale in æterno, & veritas temporalis in veritate æterna: quemadmodum contingit in alijs, quæ dicuntur de Deo ex tempore, vt Creator & Dominator. In huiusmodi autem fides habet veritatem increatam, vt principaliter obiectum: veritatem verò creatam sicut coobiectum: & illud per se, istud per accidens.

¶ AD tertium verò obiicitur de veritate, qua creditur fornicationem esse peccatum mortale. Patet responsio: nam istud non dicitur obiectum fidei, sicut illud, in quod est fides: sed sicut illud, quod supponit fides secundùm rationem inditam veritatis increatæ.

¶ AD vltimum verò, quod quærit de creatione, & peccatorum remissione. Patet responsio: nam illi effectus, vt considerantur in se, non sunt obiecta fidei: sed secundùm quod considerantur in causa, quæ est Deus: vnde propriè obiectum fidei est Deus faciens creationem, vel causa creationis: Deus causa remissionis peccati. Et ita per se obiectum fidei est veritas prima in omnibus per se credendis.

MEMBRVM VIII.

De subiecto fidei.

HIs tractatis, consequenter quærendum est de subiecto fidei. Circa quod quæruntur quatuor. Primò, in qua vi animæ fides sit sicut in subiecto. Secundò, vtrum fides fuerit in Angelis ante cõfirmationem. Tertiò, vtrum in Adam ante lapsum. Quartò, vtrum in Christo ante passionem.

ARTICVLVS I.

In qua animæ vi, vti in subiecto fides sit?

AD primum sic. August. 1. ad Cor. 3. *Non quod sufficientes simus,* &c. Credere est cum assensione cogitare. 2. Cor. 3. Cùm ergò cogitare sit ex vi cognitiua: erit similiter & credere: inde arguitur: ad eandem vim pertinet actus & habitus, ex quo elicitur actus: cùm ergò credere sit vis cognitiuæ: & fides similiter erit vis cognitiuæ.

¶ FORTE diceret aliquis iuxta Hug. quod fides in cognitione habet materiam, in affectione substantiam: & secundùm hoc est actus duplex fidei: cogitare, quod est vis cognitiuæ: & assentire, quod est vis affectiuæ. Sed si hoc dicatur: contra, intellectus speculatiuus non solùm cogitat veritatem, cùm inquirit: imò ipsi veritati assentit, cum ipsam scientiam comprehendit: intellectus igitur speculatiui est cogitare, & assentire. Assentire autem veritati potest duobus modis, scilicet, proprio testimonio, cum ipsam videt: testimonio alieno, cùm ipsam non videt: & secundùm August. Assentire primò modo pertinet ad scientiam, seu ad scire: assentire secundò modo ad fidem, siue credere. Secundùm ergò vtrumque actum, cogitare, sc. & assentire fides est in intellectu speculatiuo. Hug. de S. Victore. August. ad Paulinam, de videndo Deo.

¶ ITEM, vnius potentiæ vnus est habitus: si ergò fides vnus habitus est, in vna potentia erit: aut est ergò in cognitiua tantum, aut in affectiua: non igitur secundùm vnum actum, qui est cogitare, erit in cognitiua: & secundùm alium, qui est assentire, erit in affectiua.

¶ ITEM, ad eandem vim pertinet fides, & cognitio succedens fidei in gloria. Sed cognitio succedens est intellectiua, quæ est vis contemplatiua veritatis: ergò fides est in intellectiua, siue in vi contemplatiua.

¶ ITEM, anima rationalis nata est ad perfectionem beatitudinis & gloriæ: non solùm secundùm vim affectiuam immò etiam secundùm vim intellectiuam: sed in illo eodem ordine, quo nata est ad gloriam; nata est ad gratiam, & meritum: nata est igitur anima ad perfectionem gratiæ, secundùm partem intellectiuam, sicut secundùm affectiuam. Præterea, nata est ad merendum secundùm vim intellectiuam: sicut secundùm vim affectiuam: si ergò gratia merendi virtus est, vel in virtute: in intellectu erit virtus: & si aliqua, hæc erit fides.

¶ ITEM, finis intellectus speculatiui est verum, & maximè primum: similiter finis habitus fidei est primum verum. Ad eundem ergò finem est intellectus speculatiuus, & fides: ergò fides est habitus intellectus speculatiui.

¶ FORTE dicetur, quod est considerare verum, vt verum, & verum, vt bonum; finis autem speculatiui intellectus est verum, vt verum, finis fidei verum, vt bonum: & inde est, quod finis est virtus. Sed contra: scientiæ moralis finis est bonum: quia (sicut dicit Philosophus) non intendimus illi scientiæ, vt sciamus: sed vt benefaciamus. Si ergò ratio finis boni dat habitui, quod sit virtus: secundùm hoc scientia moralis esset virtus.

¶ ITEM, quamuis scientiæ moralis finis sit bonum: nihilominus scientia est habitus intellectus speculatiui. Ergò pari ratione licet virtutis fidei finis sit verum vt bonum

nihilominus erit habitus intellectus speculatiui.

¶ CONTRA. Actus inuoluntarij non sunt laudabiles, nec vituperabiles: actus verò voluntarij laude, vel vituperio digni sunt. Si ergò credere debitè actus laudabilis est (ita vt dicat Dominus, quod omnia possibilia sunt credenti. Matth. 9. *Et qui crediderit saluus erit.* Matth. vltimo.) credere autem indebitè, vel discredere est actus vituperabilis: est igitur credere actus voluntarius: est ergò credere actus potentiæ volendi. Si ergò ad eandem vim pertinet actus & habitus: fides erit habitus potentiæ volendi: ergò fides est in potentia animæ affectiua, non in cognitiua.

Matth. 9. Matt. vlt.

¶ ITEM, contingit cogitare enormia peccatorum ad detestationem, vt à sancto viro: item contingit eadem cogitare ad delectationem, vt à peccatore. Sed primò modo cogitare est bonum & meritorium, secundò modo malum & demeritorium: sed omnis actus, circa quem contingit esse meritum & demeritum, est actus voluntarius: ergò cogitare actus voluntarius est. Ergò cùm credere sit cogitare, erit actus voluntarius, & inde vt priùs.

¶ ITEM, cogitare multipliciter est: aliquando enim cogitamus aliquid, vt sciamus: aliquando verò, vt illud faciamus, vel vitemus, vel vt ad illud perueniamus. Primò modo cogitare ordinatur ad scientiam, secundò modo ad actionem vel finem. Vtroque modo cogitare est in potestate nostra: quia si volumus, cogitamus ea, quæ pertinent ad inquisitionem, siue studium scientiæ; si nolumus, non cogitamus: similiter si volumus aliquid ad faciendum, vel non faciendum, fugiendum, vel eligendum: semper ergò cogitare voluntarius actus est. Sed magis est voluntarium cogitare cum assensione, quam cogitare absolutè: ergò cogitare cum assensione, quod est credere, omninò est actus voluntarius: ergò fides habitus voluntarius.

August.

¶ ITEM, ad hoc facit auctoritas Augustini: qui dicit. *Cætera potest homo non volens, credere autem non potest nisi volens.*

¶ FORTE dicetur, quod sicut scire est actus inuoluntarius, cum per manifestissima veritatis cogitur intellectus rem scire: ita credere actus inuoluntarius est, cum per probabilia maximè cogitur intellectus ad fidem: sicut enim scire est per manifesta necessaria: sic credere per manifesta probabilia. Sed istud, quod * ipsi dicunt, non obsistit; quod ostenditur duplici ratione. Prima est, quia credere (de quo loquimur) non est respectu probabilium, sed respectu improbabilium naturali rationi: credere autem est fides, quæ est respectu probabilium, difficultatem non habet, nec laudem: ergò talis fides non est virtus, nec credere virtuosum: quia virtus & actus virtutis circa difficile est laudabilis: credere autem & fides improbabilium difficultatem habet & laudem, cùm est ex obedientia virtutis diuinæ: ergò talis fides erit virtus, & credere virtuosum: tale autem constat, quod voluntarium est.

* Alias, isti.

¶ ITEM, non simili modo cogitur intellectus ad opinari, & scire. Ad scire enim cogitur ex apprehensione necessariorum verorum, quæ sunt ei nota; & impossibile est aliter se habere: & ideò necesse habet intellectus assentire. Opinari verò acceptio est ex apprehensione aliquorum, quæ apparent, nec sunt peruia intellectui: sed quia apparent, probabilia sunt ei: & ideò intellectus illis non præstat omnimodum assensum, immò accipit vnam partem, vt formidet alteram: vnde opinio est acceptio vnius partis cum formidine alterius: ideo opinari voluntarium erit, quamuis scire sit inuoluntarium: sicut quidam posuerunt: ergò credere, quod sequitur opinari, quod scilicet, probabilium est: voluntarium erit. Si ergò magis cogitur intellectus ad fidem probabilium, quam improbabilium: credere improbabilia magis voluntarium erit.

RESOLVTIO.

Fides quemadmodum & reliquæ virtutes, est in vi motiua animæ, id est, in facultate rationali liberi arbitrij.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod fides sicut & cæteræ virtutes est in parte animæ, seu vi, quæ est motiua: & hæc est lib. arb. quod est (sicut dicit August.) facultas rationis & voluntatis. Sunt ergò virtutes in rationali vi, quæ est libera arbitrio, duobus modis: quædam ad habilitandam facultatem rationis, quædam ad habilitandam facultatem voluntatis. Facultas rationis est ad duo, sc. ad discernendum ea, quæ sunt ad finem, vt fiant, vel non fiant: & ad discernendum & tendendum in finem. Similiter facultas voluntatis dupliciter est, in appetitu, & electione eorum quæ sunt ad finem, & in appetitu finis. Erunt igitur virtutes, quæ sunt habitus, siue habilitates, quædam ad ordinandum iudicium rationis, quædam verò ad ordinandum appetitum voluntatis. Illæ, quæ sunt ad ordinandum iudicium, cognitionem habent pro materia: quæ verò ad appetitum voluntatis, affectionem. Sunt igitur habitus facultatis rationis fides, & prudentia: sed prudentia ad ordinandum iudicium in his, quæ sunt ad finem: fides ad ordinandum iudicium in ipsum finem. Et secundùm hoc ratio cadit in differentiam superioris & inferioris: pars superior est secundùm intentionem rationis in finem, quam informat fides: pars inferior secundùm intentionem rationis in his, quæ sunt ad finem quam informat prudentia. Similiter ex parte facultatis voluntatis, secundùm quod est in finem, informatur, vel habilitatur per virtutes; quæ sunt spes, charitas: secundùm verò, quod est in his, quæ sunt ad finem, habilitatur per fortitudinem & temperantiam. Vt ex vtraque parte distinguatur appetitus voluntatis secundùm irascibilem, & concupiscibilem: secundùm partem superiorem, quæ est in finem, appetitum irascibilem informat spes, appetitum concupiscibilem charitas: secundùm partem inferiorem, quæ est in his quæ sunt ad finem, appetitum irascibilem informat fortitudo, concupiscibilem temperantia. De iustitia verò quæstio est, quæ suo loco determinabitur.

¶ AD primum ergò, quod obiicitur. Dicendum, quod cùm differat ratio, & intellectus per hoc, quod apprehensio intellectus est absoluta, rationis collata (intellectus enim apprehendit hoc esse, vel non esse: ratio verò ex hoc esse aliud esse: vt quoniam si hoc est, illud est vel hoc est idem illi, vel aliud ab illo) sicut apprehensio intellectus absoluta dicitur intelligere; ita apprehendere rationis dicetur cogitare: (cogitare enim dicitur quasi coagitare: vnde cogitatio est coagitata, id est, collata rationis apprehensio.) Ratio autem dicitur duobus modis: est enim ratio speculatiua, & ratio affectiua: & secundùm hoc cogitare duobus modis est. Rationis speculatiuæ est cogitare de re, vtrum sit, vel non sit: rationis autem affectiuæ, quæ est lib. arbitrij, est cogitare de re vtrum fiat, vel non fiat; si est in ijs, quæ sunt ad finem: vel vtrum in ipsum tendat, vel quiescat: si * sic in finem, cogitare primò modo non est fidei, nec virtutis, sed cogitare secundò modo virtutis est, inquantum ordinat debitè, vel in hi, quæ sunt ad finem; vel in finem: & hoc modo accipit August. cogitare, cùm dicit, quod credere est cogitare.

¶ AD secundum, quod obiicitur de Assensione. Dicendum, quod sicut cogitare dupliciter est, ita assentire. Sicut enim cogitare rationis speculatiuæ de re, vtrum sit vel non sit: ita assentire est eiusdem, cùm scilicet, assentit quod sit vel non sit: & cùm assentit, quod videt secundùm veritatem ita esse, scientia est: cùm verò assentit non quia videt ita esse, sed quia habet idoneum testimonium, fides est: cùm vero assentit, quia sic ei apparet, tunc opinio est. Primus assensus, qui est scientiæ, ex parte assentientis habet securitatem, ex parte veritatis cui assentit euidentiam: secundus assensus, qui est fidei, secu-

ritatem habet ex parte assentientis: defectum verò euidētiæ ex parte veritatis, cui assentit: in tertiò assensu, qui est opinionis, formido est ex parte assentientis, sed apparētia quædam est ex parte rei, cui sic assentit. Similiter ex parte rationis: affectiuæ, quæ est liberi arbitrij, sicut est cogitare de re, vtrum fiat, vel non fiat, sicut est in his, quæ sunt ad finem: ita & assentire est ex eadem parte, vt fiat; vel assentire, vt non fiat: & sic virtutis prudentiæ est cogitare & assentire. Simili modo est cogitare de fine, vtrum ipsius finis sit assentire: & hoc modo cogitare secundùm primam rationem finis (quæ est intentio veri) & assentire sunt fidei virtutis: & hoc modo dixit August. quod credere est cogitare cum assensione. In hac ergò parte cogitare & assentire virtutis sunt actus: sed cogitare actus imperfectus & materialis, assentire autem perfectus & formalis. Ex alia verò parte cogitare & assentire non sunt actus virtutum: nec fides virtus est, sicut nec opinio, vel scientia.

¶ Ad tertium patet responsio, quod quamuis actus fidei ponatur cogitare & assentire, & cognitio pro materia, affectio pro substantia: ad eandem vim pertinet cognitio, & affectio, cogitatio & affectus, scilicet, ad vim rationalem motiuam, quæ est libera arbitrio: & ita fidei habitus non est in differenti vi, sed in vna, prout dictum est.

¶ Ad quartum dicendum: quod cognitio succedens fidei non est cognitio veritatis speculatiua, sed cognitio affectiua. Cognitio enim speculatiua imperfecta est, quoniam non est de re secundùm suam perfectionem: speculatiua enim cognitione consideramus rem quoniam est absolutè. Cognitio verò affectiua est perfecta: quia non solum est de re, quia est absolutè: sed est de re cum sua perfectione & bonitate. Quia ergò visio succedens fidei est visio beatitudinis & perfecta: affectiua erit cognitio, non speculatiua. Similiter cognitio fidei affectiua erit, & vis affectiuæ animæ.

¶ Ad quintum dicendum, quod quædam sunt vires inferiores: quædam superiores: quædam supremæ. Et in via merendi: suprema vis est imperans motus, vt liberum arbitrium: vires verò sequentes sunt vires rationales exequentes motum, quæ sunt imperatæ, vt irascibilis, concupiscibilis humana, & rationalis speculatiua: vires verò inferiores sunt vires complentes motum in actibus corporalibus, vt vires sensibiles. Similiter in via remunerationis & beatitudinis est ordo consimilis: vt sicut merendi ratio dependebat à vi suprema: ita perfectio remunerationis & beatitudinis descendit à vi suprema in alias. Dicendum ergò, quod vis speculatiua intellectus nata est ad beatitudinem, sed mediante vi suprema, in qua primò & per se collocatur virtus, & meritum.

¶ Ad aliud dicendum, quod finis intellectus speculatiui est verum, vt verum: hæc est cognitio rei absoluta sine suo actu: finis verò fidei non est verum, vt verum, immò verum, vt bonum: vnde fides attendit primum verum, & non abstractè ab actu & bonitate: immò primum verum considerat cum suo actu, in ratione misericordiæ & iustitiæ. Vnde apprehensio fidei, de primò verò generat timorem propter rationem iustitiæ & maiestatis, quam in ipso verò considerat: generat spem & amorem propter rationem misericordiæ & bonitatis, quam in ipso verò attendit.

¶ Ad vltimum dicendum, quod est considerare verum, vt verum: & est considerare bonum, vt verum: & considerare verum, vt bonum, & bonum, vt bonum. Speculatiuarum scientiarum finis est verum, vt verum: scientiæ moralis bonum, vt verum: virtutum cognitiuarum (vt sunt fides & prudentia) verum, vt bonum: virtutum verò affectiuarum (vt est charitas & temperantia) bonum, vt bonum. Inde est, quod cum scientia moralis finem habeat bonum: quia habet ipsum finem, vt verum est, non est virtus.

¶ Et ad illud ergò, quod obiicitur secundùm Philosophum: quod ipsa est, non vt sciamus, sed vt boni fiamus. Dicendum, quod hoc dicit ratione virtutis, cuius scientiā intendit: virtus verò ad bonum est. Immediatus ergò finis scientiæ moralis est cognitio virtutis, hoc est, boni, vt veri: mediatus verò opus virtutis, & per accedens, vel per accidens, vel per aliud: propiè enim & per se finis scientiæ verum est, virtutis verò bonum.

¶ Ad illud etiam, quod obiicitur: quod licet fidei finis sit verum, vt bonum; tamen nihilominus erit habitus intellectus speculatiui. Dicendum (sicut iam patet) quod intellectus speculatiui finis non est, nisi verum, vel verum, vt verum, vel bonum, vt verum: fides verò finem habet verum, vt bonum: & ideò non est habitus intellectus speculatiui.

MEMBRVM II.

An in Angelis ante confirmationem, & lapsum fuerit fides?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum fides fuerit in Angelis ante confirmationē & lapsum. Ad quod sic: sicut dicit August. super illud Gen. *Factum est vespere & mane.* In Angelis fuit cognitio Matutina, & Vespertina. Cùm ergò Vespertina cognitio dicatur illa cognitio, quæ est in diminutione lucis: cognitio autem talis est ænigmatica, hoc est, in obscuritate: ergò in Angelis erat cognitio ænigmatica. Cùm ergò posito assensu veritatis, quæ cognoscitur ænigmaticè, ponatur fides: in Angelis autem (constat) ponitur assensus veritatis: & (sicut dictum est) cognitio ænigmatica veritatis ergò in ipsis ponenda est fides. Aug. sup. Genes. 1.

¶ Item, cùm (sicut dicit August.) *fidei sit credere quod non vides:* cum Angeli ea, quæ futura erant, non viderent, quia ipsa nondum erant: & multa talia erant, quæ pertinebat ad salutem: vt de beatitudine bonorum, & supplicio malorum: ergò cum talia ante lapsum & confirmationem Angeli comprehenderent, comprehendebant fide. August.

¶ Item, cum in Angelis spes fuerit ante confirmationem & lapsum beatitudinis, quæ non videbatur (quoniam spes, quæ videtur, non est spes) eadem ratione fuit in eis fides. Dicit enim Hugo. *Neque data est Angelis cognitio eorum, quæ futura erant super eos; vt liberam haberent electionem voluntatis suæ, sine terrore, & cum spe.* Hugo de S. Victore

¶ Contra. Hugo dicit: *quia homo oculum contemplationis non habet, Deum, & quæ in Deo sunt, videre non valet: ideò fides necessaria est, qua credantur, quæ non videntur.* Cùm ergò ante confirmationem & lapsum Angeli haberent oculum contemplationis: non erat eis fides necessaria. Idem.

¶ Item, August. super Genes. dicit: quod videbant Angeli res in verbo: & hæc erat cognitio Matutina: ergò maxime ea, quæ pertinebant ad salutem, videbant cognitione matutina: ergò videbant in luce: non ergò ænigmaticè. Aug. sup. Genes.

RESOLVTIO.

Non propriè fides primæ veritatis in Angelis ante confirmationem, vel lapsum fuit: sed imperfecta potius scientia quædam respectu beatæ cognitionis post confirmationem.

¶ Solvtio. Dicendum, quod in Angelis non fuit fides primæ veritatis: sed fuit quædam scientia imperfecta respectu cognitionis beatæ post confirmationem.

¶ Ad quod intelligendum possunt poni tres gradus ex parte cognitionis intellectiuæ: quemadmodum nos inuenimus ex parte cognitionis sensitiuæ. Est enim quædā cognitio de dulci per auditum: quædā per visum, quædam per gustum. Cùm auditur de re, quia dulcis; si interueniat credulitas, fides est: si verò adueniat visio, cognitio est quædam speculatiua: si verò adueniat gustus; experientia est & completa cognitio de dulcedine. Ita per intellectum acceptio quædam est primæ veritatis, quasi per auditum, cùm non videtur; & est fidei: quædam verò veritatis, quasi per visum, cùm scilicet, per quandam speculationem lux eius percipitur, sed non dulcedo: quædam verò est acceptio, quasi per gustum; cùm scilicet, non solùm speculatione lucet; sed sensu dulcedinis plenè & perfectè percipitur. Prima cognitio non est ponenda in Angelis

ante

ante confirmationem & lapsum. Sed ponitur in Angelis post lapsum, prout dicitur dæmones habere fidem informem: tertiò verò ponenda est in Angelis bonis post confirmationem: media verò ponitur in Angelis vniuersaliter ante confirmationem & lapsum.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: dicendum, quod cognoscere rem in obscuritate, dicitur tribus modis: aut propter defectum lucis in obiecto, aut propter defectum lucis in medio, & tertiò modo propter defectum lucis in organo. Propter defectum lucis in obiecto, sicut cùm res videtur in obscuro: propter defectum lucis in medio, cùm deest lux sufficiens in qualibet parte aëris medij: vel propter defectum lucis in organo videndi, vt cum debilitata & obscurata est virtus oculi, siue vis visiua. Primò modo dicitur cognitio vespertina visio in obscuritate: illa enim est visio, qua videntur res in proprio genere: quia comparatione facta; cognitioni rei, secundùm quod cognoscitur in se, & secundùm quod cognoscitur in causa, quæ est Deus; est sicut visionis rei in obscuro, & visionis rei in luce: & ideò dicitur illa cognitio Vespertina, ista verò Matutina. Secundò modo dicitur cognitio ænigmatica, quæ est in fide; visio in obscuritate: non enim ibi est defectus lucis ex parte obiecti, quod est ipsa lux; sed est defectus ex parte medij, per quod videtur: & ex parte videntis, quasi ex parte organi: & ideò dicitur ab Apostolo. *Videmus per speculum in ænigmate*: vt in hoc quod dicit, *per speculum*, monstret defectum ex parte medij: in hoc quod dicit, *in ænigmate*, defectum ex parte videntis. 1.Cor.13.

¶ Ad secundum dicendum, quod res cognoscitur dupliciter: in se, & in causa: ea, quæ non sunt; non cognoscuntur in se visione: sed si futura sunt, cognosci possunt in causa: vt est videre in his, quæ habent causam in natura: vt in eclipsi solis, cuius causa proxima est interpositio lunæ: causa verò remota & necessaria ordinatus motus solis & lunæ ad talem punctum cœli, vel ad tales partes cœli, in quibus interponitur luna inter nos & solem: vnde ille, qui scit ordinem motus, habet scientiam eclipsis futuræ tali tempore. Secundùm hoc dicendum, quod quamuis Angeli non viderent in re futura bonorum beatitudinem, & malorum supplicia: tamen videbant ipsa in causa, id est, in ipsa prima veritate secundùm rationem diuinæ iustitiæ; quæ reddit bonis præmia, & malis supplicia: & hanc rationem non videbant ænigmaticè, sed in luce: & ideò hæc cognitio non erat fidei: sed magis scientiæ, secundùm modum, qui dictus est.

¶ Ad vltimum dicendum: quod cùm *videre* tribus modis sit: primò modo videre rem, vt est: secundò modo videre imaginem rei, quæ est eius similitudo: tertiò modo videre in speculo, hoc est, in similitudine similitudinis rei. Videre Deum sicut est, est videre gloriæ in rationali creatura beata. Videre Deum in imagine, quæ est in ipsa rationali creatura, est videre notitiæ: quæ est in Angelis ante confirmationem & lapsum. Videre verò in speculo est videre fidei rationalis creaturæ post lapsum: quod infra declarabitur. Quod ergò dicit Apostolus, quod spes est rei, quæ non videtur. Dicitur respectu visionis Dei, sicut est: quæ dicitur visio per speciem, non respectu visionis in imagine, vel in speculo. Præterea, quamuis ponatur spes in Angelis ante confirmationem respectu beatitudinis, quæ non videtur per speciem; non sequitur, quod ponatur fides in eisdem: quia fides fundatur super visionem, quæ est in speculo, & in ænigmate: non super visionem, quæ est in imagine: spes verò, quæ est expectatio beatitudinis, quæ non videtur per speciem, potest fundari super vtrumque.

ARTICVLVS III.

An in Adam ante peccatum, vel lapsum fuerit fides.

Hug. de S. Victore in senten. libro 1. par. 6. ca. 14.

POstea quæritur. Vtrum in Adam ante peccatum fuerit fides. Ad quod sic. Hugo dicit. *Cognouit homo in primò statu Creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris auditu solo percipitur; sed ea, quæ intus inspiratione ministratur: non ea, quæ Deus modo à credentibus absens fide quæritur: sed ea, quæ per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur.* Patet ex hoc quod non cognoscebat per fidem.

¶ Item, dist. 23. dicitur: quod homo in illo statu Dei præsentiam contemplabatur, non ita excellenter, sicut post hanc vitam sancti visuri sunt: neque ita in ænigmate, qualiter in hac vita videmus. Cùm ergò fides videat in ænigmate, videtur quod fides non cognouit. Magister in 2. sent. dist. 23.

¶ Item, Hugo dicit in Tractatu de fide: quod homo in primo statu oculum acceperat, quo intra se Deum videret, & ea, quæ in Deo erant: & hic est oculus contemplationis: per tenebras verò peccati oculus contemplationis extinctus est, vt nihil videret: qui ergò oculum contemplationis non habet, Deum, & quæ in Deo sunt, videre non valet: propterea, fides propter peccatum necessaria est. Ex quo relinquitur, quod ante peccatum non erat fides in homine, sed contemplatio. Hugo de S. Victor. lib. 1. de Sacramẽ. par. 10. cap. 3.

¶ Contra. Homo in statu primo, aut videbat Deum sicut est, id est, per speciem: aut videbat Deum per speculũ seu imaginem. Si sicut est: ergò videbat visione gloriæ, quod patet falsum. Si verò videbat Deum per imaginem: ergò & per fidem: quia (sicut dicit Hugo) Apostolus dicit. *Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem.* Quid est (dicit Hugo.) per speculum videre? videre imaginem: quid est facie ad faciem videre? rem videre. Secundùm hoc ergò, qui per fidem vident, imaginem vident: ergò qui per contemplationem vident, rem vident. Idem in eodem. cap. 9. 1. Cor. 13.

¶ Item, Hugo. in eodem. *Si fideles ipsam rem, quæ Deus est, viderent: non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem viderẽt.* Ergò si homo ante peccatum videbat ipsam rem, videbat facie ad faciem: ergò visione gloriæ. Cùm ergò hoc falsum sit: relinquitur, quod non videbat ipsam rem, sed imaginem: & ita per fidem. Idẽ Hug in eodem.

¶ Item, Hugo volens illud exponere: *tunc facie ad faciem*, &c. ponit tale exemplum. *Pone (inquit) aliquem esse retro te, vel supra te: auersa est facies tua ab illo: & si fortè ille respicit ad te, non tu similiter ab illo: & si fortè ille respicit ad te, non tu similiter ad illum: quamdiu sic eris, illum facie ad faciem videre non poteris: exhibe speculum, & pone ante: statim videbis imaginem illius, qui est ad dorsum tuum, vel supra verticem: videbis illum, sed imagine sua, nondum in facie: nondum cognoscis, sicut cognosceris: cognosceris enim in re, sed eum cognoscis in imagine.* Conuertere ad illum: pone faciem ad faciem: videbis non imaginem, sed ipsam rem; priùs vidisti illũ in imagine sua, modo vides illum in facie sua. Secundùm hoc ergò arguitur: cùm homo ante peccatum nõ videret facie ad faciem, sequitur quod videbat imaginem: & ita per fidem. Idem. Ibidem.

RESOLVTIO.

In Adam ante peccatum non fuit fides in ratione fidei: si quidem stetisset, eiusmodi sua cognitio per aduentum gloriæ, non euacuata, quinimò perfecta fuisset.

¶ Solvtio. Dicendum, quod Adam in primo statu non habuit fidem in ratione fidei. Et hoc patet, si quis cõsideret comparationem cognitionis, quæ per fidem est: & cognitionis, quæ erat in Adam ante peccatum, & cognitionem gloriæ. Cognitio enim quæ est per fidem, euacuatur adueniente gloria; cognitio verò Adæ de Deo non euacuaretur, adueniente gloria, si stetisset: sed perficeretur.

¶ Ad illud ergò, quod primò obiicitur: dicendum, quod dicitur sol videri multipliciter: vno modo in speculo, alio modo in nube, tertiò modo in aëre luminoso; quartò modo in seipso. Sic est distinguere visionem Dei multiplicem: vna est visio in speculo, quæ est visio per fidem, & hæc est infima: alia est visio Dei in seipso, & hæc est per speciem: & hæc est suprema. Et inter has duas est accipere duas medias: vnam, quæ est visio Dei in imagine simpliciori, velut in aëre luminoso visionem solis: & hæc est superior: alia est imagine obscuriori, & compositiori: sicut est visio solis in aëre vmbroso, vel in nube: & hæc est inferior. Dicendum ergò, sine præiudicio: quod visio Angeli, & hominis ante peccatum respectu Dei non erat in gradu supremo, qui est gloriæ: nec in gradu infimo, qui est fidei; sed in medio. Sed differenter: nam cùm Angelus & homo insignitus sit diuina imagine, siue similitudine: quia

quia Angelica natura secundùm se separata est à natura corporea: simplicior & purior est per naturam: & si secundùm exigentiam naturæ radiet in ea lex gratiæ luminosior erit anima verò rationalis, quæ corpori vnita est, vel vnibilis; ex vnione & intentione ad corpus per naturam obscurior est Angelica natura: vnde si secundùm modum naturæ radiet gratia, obscuriùs recipiet luminis spiritualis analogiam. Propterea cognitio Angelica ante peccatum respectu Dei luculentior, & luminosior erat quàm cognitio hominis: neutra tamen est per speciem, vel fidem.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur: quod est per imaginem, & ita per fidem. Dicendum, quod non sequitur: imago enim dicitur dupliciter: est enim imago immediata, quæ est imago rei; sicut dicitur imago, vel similitudo solis in aëre: & est imago mediata, imago, scilicet imaginis: vt imago solis in speculo. Primò modo videre in imagine dicitur visio, qua rationalis creatura videbat ante lapsum in se per luminis diuini potentiam, quamuis nó per speciem: sec undò modo videre in imagine est videre per fidem: quomodo videt homo post lapsum; & illud est videre per speculum. Videre in imagine, quæ immediatè à re visibili exprimitur in vidente, non excludit rei præsentiam: videre verò in speculo excluditur rei præsentiam, & ponit absentiam: quia imago rei non immediatè exprimitur in vidente à re, quæ videtur, sed mediantè speculo.

¶ Ad illud ergò, quod obiicitur dicendum: quod videre rem præsentem, quæ est Deus; est dupliciter: vel in se, vel in suo affectu. In se sicuti videtur in statu gloriæ: & hoc est videre per se speciem, seu facie ad faciem. In suo effectu præsens videtur in imagine rationali in statu innocentiæ, in quo videbatur præsens, id est, præsensu ens, à rationali creatura. & illud non est videre facie ad faciem. Quia cùm videtur & intelligitur Deus, viuens, sapiens, intelligens, &c. in imagine, quæ est, viuit, sapit, & intelligit; adhuc non est plena conuersio rationalis creaturæ ad Deum: & ideò non potest dici visio faciei ad faciem: sed cùm videtur & intelligitur in seipso; vel ut cùm videtur sicuti est, abstracto omni intellectu creaturæ: tunc est plena conuersio rationalis creaturæ ad Deum: & visio faciei ad faciem.

¶ Ad vltimum patet responsio ex iam dictis. Notandum tamen: quod cùm Deus videtur & intelligitur, abstracto omni intellectu creaturæ, videtur per speciem, vt in gloria: * cùm est in effectu suo, qui est imago rationalis vt præsens, videtur in similitudine immediatè, vt in statu innocentiæ: cùm verò in affectu, qui est rationalis imago, vt absens, videtur per speculum; vt post lapsum videtur per fidem. Rationalis igitur creatura dupliciter gerit similitudinem Dei, ad videndum Deum præsentem; & sic videbatur ante peccatum, vt in imagine: & ad videndum Deum absentem, & sic videtur post peccatum per fidem, vt in speculo. Vnde Hugo. *Speculum est cor tuum: si tamen mundum fuerit & extersum, imago in speculo. fides in corde tuo.* Fides autem imago est Dei, non vt præsentis, sed vt absentis: *quia* (sicut dicit August. *creduntur absentia.*

* Alias, cùm autè

Hug. de S. Victore

August. ad Paulinam, de videndo Deo.

ARTICVLVS IV.

An in Christo in statu mortalitatis, ante passionem fides fuerit?

DEINDE quæritur. Vtrum fides fuerit in Christo in statu mortalitatis. Ad quod sic, Ioan. 1. dicitur Christus plenus gratiæ & veritatis, secundùm quod homo: ergò plenus omnibus virtutibus gratuitis: ergò fide. Ioan. 1.

¶ Item, in Christo fuit spes immortalitatis & glorificationis secundùm corpus: ergò & fides.

¶ Item, Christus ante mortem fuit in statu merendi summo: sed summus status merendi est mereri secundùm omnem virtutem: ergò merebatur secundùm omnem virtutem: ergò secundùm fidem.

¶ Item, nos ponimus verè in eo passiones timoris, doloris, & compassionis: quæ ponunt imperfectionem affectionis. Si ergò non est inconueniens ponere virtutes, quę concernunt imperfectionem affectionis; vt patientiam, misericordiam, & huiusmodi: non erit inconueniens ponere virtutes, quæ concernunt imperfectionem cognitionis, sicut fidem.

¶ Item, cognitio naturalis est imperfecta respectu cognitionis gratuitæ & gloriosæ: sed perfectio naturalis quamuis imperfecta ponitur in Christo: ergò similiter cognitio ænigmatica, quamuis sit imperfecta. Sed assensus veritati primæ & cognitio ænigmatica ponuntur in fide: ergò si assensus veritati primæ fuit in Christo, & cognitionem ænigmaticam nihil prohibeat pónere, relinquitur quod in ipso Christo fuerit fides.

¶ Contra, Coloss. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* (Quod intelligitur de Christo secundùm quod homo) ab initio conceptionis ergò ipso non fuit aliqua imperfectio cognitionis. Cùm ergò fides ponat imperfectionem cognitionis: non fuit fides in Christo. Coloss. 2.

¶ Item, cognitio beata euacuat cognitionem ænigmaticam, & fidem. 1. Corinth. 13. Cùm ergò in Christo fuerit cognitio beata: in ipso non fuit cognitio ænigmatica. 1. Cor. 13.

RESOLVTIO.

Cùm fides imperfectam Dei cognitionem ponat: Christus autem perfectissime Deum cognosceret, clarum admodum est, fidem in eo nequaquam fuisse.

¶ Solvtio. Secundùm quod dicit Anselm. *Assumptio passibilitatis necessaria fuit Redemptori: quia per passionem debebat satisfacere, & rem suam iusto precio & condigno recuperare; vt ergò solueret iustum precium, necessaria erat passibilitas.* Item necessaria erat perfecta scientia, vt solueret precium condignum, & dispensationi Redemptionis conuenientissimum. Quia ergò tale tantum negotium sapientissimum requirebat, cum assumptione passibilitatis necessaria fuit cognitionis perfectio. Vnde (sicut dicit Ansel.) quia ignorantia ad nihil vtilis est, passibilitas verò vtilis Redemptioni: non assumpsit Saluator ignorantiam aliquam, sed assumpsit passibilitatem. Quoniam autem perfecta cognitio euacuat imperfectionem eiusdem generis: sicut dicit Apostolus. 1. ad Cor. 14. *Cùm venerit, quod perfectũ est: euacuabitur, quod ex parte est.* perfecta cognitio Dei in Christo non compatiebatur cognitionem imperfectam Dei. Propterea cùm fides ponat imperfectam cognitionem Dei, quæ est in ænigmate: manifestum est, quod in ipso non fuit fides, sed perfectio, quæ succedit fidei, siue contemplatio.

Anselm. in lib. *Cur Deus homo.*

Idem.

1. Cor. 14.

¶ Ad primum ergò, quod obiicitur: quod in Christo fuit plenitudo omnis gratiæ. Dicendum, quod verum est: sed cum plenitudine gratiæ fuit plenitudo veritatis, quæ est cognitionis plenitudo, sicut dicitur Ioann. 1. *Plenum gratiæ & veritatis:* plenitudo autem cognitionis fidei. Ex illa ergo auctoritate potius sequitur, quod in illo non fuerit fides.

¶ Ad secundum similiter patet responsio: nam meritum Christi secundùm quòd homo debuit esse meritum nostræ redemptionis: merito autem redemptionis non conueniebat, sed repugnabat imperfectio cognitionis: ideò merito Christi non erat necessaria fides in ratione fidei. Cùm ergò officio Redemptoris repugnaret, & personæ Redemptoris non conueniret (non enim conueniebat illam personam, quæ Deus est, aliquid ignorare, vel imperfectè cognoscere (propterea nec merito suo secundùm quod homo, nec merito nostro necessaria erat fides, sed contemplatio veritatis.

¶ Ad illud ergò quod obiicitur: dicendum, quod summum meritum non ponit mereri secundùm numerum virtutum: sed secundùm perfectionem gratiæ omnium virtutum.

¶ Ad tertium, quod obiicitur de spe & passionibus timoris & doloris in Christo. Patet responsio: nam quamuis ista ponant imperfectionem ex parte affectionis: erant tamen necessaria dispensationi redemptionis, sicut ostẽsum

& su-

Quæstio. 5 de pœnalis assumptis à Christo.

& supra de Incarnatione, * Nulla autem cognitionis imperfectio erat necessaria, immò magis repugnans: propterea nec fides.

¶ Ad vltimum verò, quod obiicitur de cognitione naturali. Dicendum, quod cognitio naturalis perfecta, qualis diceretur fuisse in Adam ante peccatum secundùm perfectionem naturæ, fuit in Christo perfectissimè: hæc autem cognitio quamuis sit in perfecta comparatione, hoc est, respectu cognitionis gratuitæ, vel beatæ: perfecta tamen est perfectione sui generis, secundùm quod fuit in Christo: & ideò hæc non euacuatur per cognitionem perfectam gratiæ vel gloriæ. Cognitio verò ænigmatica, quæ est fidei: non solùm est imperfecta respectu cognitionis gloriæ: sed etiam in suo genere, quod est, cognitio gratuita: & ideò non est simile de imperfectione cognitionis naturæ, & cognitionis fidei.

MEMBRVM IX.

De passionibus consequentibus fidem, & eiusdem comparatione ad alias virtutes.

CONSEQVENS est inquirere de passionibus consequentibus fidem: quæ sunt duæ, scilicet, certitudo profectus, & comparatio ad alias virtutes. Primò ergò quæritur de certitudine. Secundò de profectu. Tertiò quæritur de cōparatione fidei ad alias virtutes secundùm quod dicitur fundamentum.

ARTICVLVS I.

An fides certior sit quàm scientia.

Auguſt.

AD primum arguitur sic: dicit August. *Nihil est certius homini sua fide, qua creditur, quod longissimum est à sensu:* ergò nulla scientia certior est fide.

¶ Item, certius est, quod videtur in lumine primæ veritatis; quàm quod videtur in lumine veritatis creatæ: sed illud, quod cognoscimus fide, cognoscimus in lumine primæ veritatis: quod cognoscimus alijs scientijs acquisitis siue per intellectum, siue per sensum, cognoscimus in lumine creatæ veritatis: ergò fides certior est omnibus scientijs acquisitis.

¶ Item, certior est cognitio, quæ est per inspirationem; quàm quæ est per humanā acquisitionem: ergò, &c.

¶ Item, certius scitur, quod scitur testimonio Spiritus sancti: quàm quod scitur testimonio creaturæ. Sed quod scitur per fidem, scitur testimonio Spiritus sancti. Rom. 8. Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filij Dei: sed quod scitur alijs scientijs, scitur testimonio creaturæ: ergò vt priùs.

¶ Contra, certior est visio, quàm fides: sed quod scimus scientia, scimus visione intellectus: ergò certiùs cognoscimus scientia, quàm fide.

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramē. par. 10. cap. 2.

¶ Item, Hugo dicit, quod fides est supra opinionem & infra scientiam: ergò scientia certior est fide.

¶ Item, fides dicitur argumentum, in quantum facit certitudinem: sed vbicunque dicitur argumentum, ponitur habitudo (vnde in Logicis quod argumentum certitudinem facit, hoc habet ex habitudine terminorum) si ergò in fide non est inuenire habitudinem cognitionis imperfectæ in via ad cognitionem perfectam in patria: ergò per fidem non erit certitudo de illa: vel quæratur, quomodo est certitudo per cognitionem imperfectam & ænigmaticam de cognitione perfecta in patria.

¶ Forte dicetur, sicut quidam dixerunt: quod est certitudo per modum visus: & certitudo per modum gustus. Certitudo per modum visus est certitudo speculationis per modum intellectus: certitudo per modum gustus, est certitudo experientiæ, ex parte affectus: certitudine speculationis non est certior fides scientia: sed certitudine experientiæ, qua sentit ipsa fidelis anima suauitatem veritatis. Sed contra: certitudinem de veritate per modum experientiæ, seu gustus non habet, nisi fides formata: ergò fides informis esset minus certa, quàm scientia: cùm tamen contrarium potest conijci: quia ex fide informi fiunt miracula, opera quæ excedunt naturam: fides ergò informis excedit omnem scientiam virtute; quare & certitudine: quia ex certitudine habet virtutem: sicut patet per illud, quod dicit Dominus in Euangelio. *Si dixeritis huic monti, tolle te, & mitte te in mare: & non hæsitaueritis:* &c. quasi dicat, ex eò quod non est hæsitatio in fide, sed certitudo; habet virtutem fides. Matt. 21.

¶ Ad hoc dixerunt quidam, quod est fides qua creditur: & quod creditur. Quando ergò dicit August. quod nihil est homini certius sua fide: intelligitur de fide, qua creditur: non de eo, quod creditur. Vnde 23. distin. est auctoritas August. *Fidem* (inquit) *suam videt quisque esse in corde suo, si credit: vel non esse, si non credit: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis; vel per ipsorum imagines, neque sicut animam, quam conijcimus ex motibus corporum: non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cuius est: sed eam tenet certissima scientia.* Ex quo relinquitur, quod nihil est homini certius sua fide, qua credit. De eo verò, quod creditur, quod quidem est absens ab intellectu, non intelligitur: vnde August. *Rerum absentium præsens est fides: rerum, quæ foris sunt, intus est fides: rerum, quæ non videntur, videtur fides: res verò quæ absunt & quæ non videntur: sunt res, quæ creduntur.* Magister in 3. sent. dist. 23. August. Idem in epist. 112.

¶ Sed contra hoc obiicitur sic: circa propriam materiam, & obiectum: virtus omni arte certior est, sicut dicit Philosophus: cùm ergò fides virtus sit, circa suam materiam, quæ est id, quod creditur, certissima est: certius igitur id, quod creditur, fide tenetur: quàm quod aliqua arte percipitur. Item, certiùs percipitur, vbi idem per se accipitur, quàm vbi vnum per aliud: sed fides percipit ipsam veritatem primam per ipsam veritatem, & prima veritas est, quam credit: & per ipsam credit: prima autem veritas est medium infallibile: certissimè igitur percipitur, quod creditur & certiùs, quàm quod scitur per scientiam acquisitam: quia ibi cognoscitur vnum per aliud.

¶ Item, sicut dicit Philosophus in Metaphysica, *& si Theorica, siue speculatiua scientia nobilior sit tamen practica certior est:* & hoc est ratione experientiæ. Si ergò omnis virtus circa experientiam est: certior erit virtus speculatiua scientia. Si ergò certitudo virtutis est circa suum obiectum: certior erit fides de suo credibili: quàm scientia speculatiua de suo scibili. Philos. in Metaphy.

¶ Item, obiicitur contra hoc quod dicit Augustinus: quod fides in corde, in quo est, ab eo cuius est, tenetur certissima scientia (& loquitur de fide, qua creditur.) Qui habet vnam virtutem, habet omnes: ergò si quis sciret se habere idem virtutem, scit se habere virtutes omnes, & sic charitatem: ergò scit, vtrum amore, an odio dignus sit: cuius contrarium dicitur Ecclesiast. 9. Relinquitur igitur, quod non scit se habere fidem virtutem: ergò non tenet eam certissima scientia. August. Eccles. 9.

RESOLVTIO.

Certitudine euidentiæ quodam certior est scientia fide: at certitudine informationis conscientiæ: & sensus experientia, quinimò dulcedinis & delectationis econuersò.

¶ Solvtio. Dicendum, quod quædam habent certitudinem ex seipsis: quædam verò ex alijs. Ex alijs certitudinem habent, vt ex principijs conclusiones: & ex articulis fidei, quæ sequuntur ad articulos: vt quia Deus iustus est, reddet vnicuique secundùm opera sua. Quæ verò habent certitudinem ex seipsis, sunt tribus modis. Nam quædam habent certitudinem ratione euidentiæ: vt principia, quæ sunt per se nota: vt, de quolibet affirmatio, vel negatio. Quædam verò habent certitudinem ex informatione conscientiæ: & hæc est certitudo fidei, siue formatæ, siue informis: cùm enim prima veritas ipsam fidem inspirat, sic conscientiam informat: vt * si aliquis cogitur ipsa euidentia consentire isti veritati, omne totum maius est sua parte: ita per habitum infusum fidei ipsi informatione conscientiæ arctatur, & cogitur consentire veritati primæ propter se: vnde sicut negaret hoc, omne totum maius est sua parte contra suam scientiam: ita negaret quemuis * Alias, sicut.

articu-

¶ Ad tertium dicendum, quod assentire veritati, habet duos respectus: vnus est ad veritatem, alius ad assentientem. Secundùm respectum ad veritatem, assentire seu credere vno modo est in omnibus: qui quidem modus exprimitur, cùm dicitur assentire primæ veritati super omnia. Secundùm verò quod assentire dicitur respectu ad assentientem: hoc modo est differentia secundùm incre- (Idem ibi.) menta & profectum: secundùm quod dicit Hugo. Secundùm incrementum fidei tria genera gentium inueniuntur. Quidam enim fideles sunt, qui sola pietate credere eligunt; sed tamen vtrum credendum sit, vel non credendum, ratione non comprehendunt: alij verò quod fide credunt, & ratione approbant. Alij puritate cordis & munda conscientia interiùs iam gustare incipiunt, quod fide credunt. In primis sola fides facit electionem: in secundis ratio adiungit approbationem: in tertijs puritas intelligentiæ apprehendit certitudinem.

¶ Ad quartum dicendum secundùm auctoritatem (Idem. vbi supra cap. 7.) Hugo de Sancto Victore, exponentem auctoritatem. Numer. 13. de botro, qui probatur in vecte. Botrus si qui- (Num. 13.) dem in vecte, Christus in cruce est: cuius mysterium in Sacramento duo populi portant. Qui præcesserunt, portauerunt, sed non viderunt: quia præcedentes aduentum eius Sacramenta passionis eius per fidem portauerunt: sed non omnes per cognitionem intelligere valuerunt. Secundi autem portant, & vident: quia fideles post aduentum Christi Sacramentum passionis eius per fidem suscipiunt: & per reuelatam cognitionem iam cognoscunt. Ex quo accipitur: quod quamuis eadem sit fides quantum ad consensum veritatis, qua creditur: tamen differentia est in cognitione quantum ad profectum & augmentum: sicut dictum est.

ARTICVLVS III.

An fides sit fundamentum aliarum virtutum?

QVÆRITVR postea de comparatione fidei ad alias virtutes, secundùm quod dicitur fundamentum. Ad quod sic obijcitur: super illud Lucæ 10. *Non terream vos*, &c. (Luc. 10. Glossa.) Gloss. *fortitudo est fundamentum fidei.* Secundùm hoc ergò fides non est fundamentum fortitudinis.

¶ Item, dicit Bernard. quod preciosus fundus humili- (Bernard.) tas est, in qua fundatur fides: ergò humilitas est fundamentum fidei: & non econuersò.

¶ Item, superba voluntas est causa infidelitatis, & repellit fidem: ergò humilitas est initium fidei. Ex quo relinquitur, quod humilitas erit fundamentum fidei, & substantia rerum sperandarum.

¶ Item, cùm obiecta fundentur in anima per suos habitus: videtur quod credenda fundentur in anima per fidem, speranda per spem, diligenda per charitatem. Spes ergò erit fundamentum rerum sperandarum, non fides.

¶ Item, fundamentum propriè est & dicitur in materia permanente: & simul cum rebus, respectu quarum dicitur: vnde vbi est materia transiens, non dicitur propriè fundamentum. Si ergò fides non remanebit cum sperandis in vita æterna, sicut patet. 1. Cor. 13. quia euacuabitur: non potest dici fides fundamentum rerum sperandarum.

RESOLVTIO.

Cùm fides dicatur esse primus habitus, quo homo se supra se eleuat: cùm pariter subiectum sit omnis nostræ spei: iure virtutum aliarum fundamentum asserere non verebimur.

¶ Ad quod dicendum, quod fides dicitur fundamentum secundùm rationem spiritualis ædificij: secundùm quod dicit Gloss. Hebreor. 11. *Fides est fundamentum o-* (Glossa. sup Heb. 11.) *mnium bonorum: quod nemo mutare potest: sine quo non est bona ædificatio.* Dicitur autem fundamentum in via: quia est primus habitus, quo homo super se ascendit: sequens verè est spes quæ est sicut paries, quo animus erigitur ad attingendum magnitudinem gloriæ cœlestis: charitas verò est sicut supremum siue tectum, quod eleuatur vsque ad sublimitatem gloriæ: quia nunquam excidet. 1. Corint. 13. se- (1 Cor.) cundùm hoc ergò dicitur fundamentum. Prætereà, dicitur fundamentum respectu sperandorum, hoc est, respectu æternorum bonorum, secundùm quod in spe sunt. Speramus enim videre verum: speramus attingere gloriosum: speramus plenè diligere summum bonum, scilicet, ex fide disponente animam: fides ergò disponit animam, vt ista subsistant in ipsa.

¶ Ad primum ergò, quod obiicitur de fortitudine. Dicendum, quod fundamentum dupliciter dicitur in spiritualibus: propter subiectionem, & propter firmitatem. Propter subiectionem dicitur fides fundamentum virtutum, quia est primus habitus quasi substratus omnibus habitibus virtutum: sicut accidit in coloribus: nam color albus aliquando substernitur omnibus, qui superpinguntur. Propter firmitatem dicitur fortitudo fundamentum fidei, non quantum ad habitum, sed quantum ad opera, in quibus firmatur fide per fortitudinem, ne cedat passionibus. Secundùm hoc ergò patet, quod fides dicitur fundamentum fortitudinis per substractionem, quantum ad habitum: fortitudo verò dicitur fundamentum fidei per firmitatem, quantum ad actum.

¶ Ad secundum verò, quod obiicitur de humilitate. Dicendum: quod humilitas est dupliciter: ex gratia gratis data, & ex gratia gratum faciente. Humilitas ex gratia gratis data est, qua homo intellectum suum humiliat, vt non sit aliquo modo repugnans veritati credendorum: & secundùm hunc modum humilitas est dispositio præcedens ad fidem formatam, non tamen debet dici fundamentum, quia non est eiusdem rationis: est enim humilitas huiusmodi ex gratia gratis data: fides verò formata ex gratia gratum faciente. Humilitas ex gratia gratum faciente est, qua homo inclinatur ad debitam subiectionem & sensum suæ paruitatis. Dicendum, ergò secundùm hunc modum, quod fundamentum in virtutibus potest dici dupliciter, ratione generationis, & ratione conseruationis. Ratione generationis fides est fundamentum virtutum: ratione verò conseruationis, siue custodiæ humilitas: quia est custos omnium virtutum, ne corruant. Vnde Gregor. *Soli ruinæ crescit, quod ædifi-* (Grego.) *cant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamentum non procurant.*

¶ Et per hoc patet responsio ad tertium.

¶ Ad quartum dicendum, quod rerum sperandorum inquantum in eis concernitur actus spei; spes est substantia sicut forma: fides verò sicut materia: id est, materialis dispositio, per quam in anima res sperandæ, vt sunt sub actu spei, subsistunt: quia ergo fundamentum dicit rationem materiæ: non formæ: ideò conuenit fidei esse fundamentum rerum sperandarum, non spei.

¶ Ad vltimum dicendum, quod refert sperandum secundùm substantiam, & inquantum sub actu spei. Sperandum enim secundùm substantiam dicit æternum: sed sperandum inquantum est sub actu spei, scilicet, inquantum est sperandum, dicit temporale propter concretionem actus spei ad ipsam rem sperandam. Dicitur ergò fides fundamentum rerum sperandarum, non quantum ad suam substantiam, sed quantum ad concretionem actus spei ad ipsas res: hoc est dicere: dicitur fundamentum æternorum bonorum, non prout habent esse in re de futuro: sed prout habent esse in spe de præsenti: manet igitur fides respectu eius, quod dicitur fundamentum, secundùm hunc modum. Hoc ergò pacto terminatur inquisitio de fide, secundùm quod accipitur pro fide, quia creditur.

QVÆSTIO LXIX.

De Articulis, & Symbolis fidei.

In quinque Membra, & septem Articulos diuisa.

D.Tho. 2.2. art.6. & inde S. Bonau. in 3.d 25. sparsim. Sco. ibid.

RESTAT inquirere de fide, secundùm quod accipitur pro eò quod creditur: hoc est de credibili. Credibile autem dicitur Articulus fidei: collectio verò articulorum dicitur Symbolum. Vt autem plena sit euidentia, modus inquisitionis erit talis.

¶ PRIMÒ quæretur, quid sit Articulus. Secundò quæ ratio Symboli, id est, collectionis articulorum. Tertiò de sufficientia credibilium secundùm distinctiones temporum. Quartò de sufficientia articulorum quantum ad fidem simplicium. Quintò de distinctione, & expositione articulorum, secundùm differentiam Symbolorum.

MEMBRVM I.

Quid sit articulus.

Hugo de S. Victore

Richa. de S. Victore

AD primum prænotandum est: quod Articulus tripliciter diffinitur. Secundùm Hugo. *Articulus est natura cum gratia.* Item secundùm eundem aliter sic. *Articulus est perceptio veritatis diuinæ tendens in ipsam.* Item secundùm Richar. tertiò modo sic. *Articulus est indiuisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum.*

¶ PRIMÒ quæritur: quæ sit ratio assignationis harum diffinitionum: nam videntur repugnare prima & tertia: si quidem prima, quę dicit articulum esse naturam cum gratia; ponit articulum in completione & compositione veritatis: tertia verò, quæ dicit articulum indiuisibilem veritatem; ponit articulum in simplici acceptione veritatis.

Symbol. Apost.

¶ ITEM, cum multa sint credibilia & credenda, sine quibus non est salus; quæ non continent veritatem de Deo: vt quod dicitur in Symbolo. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, & carnis resurrectionem*: & alia, quæ in symbolis non continentur: vt fornicationem esse mortale peccatum, & cætera huiusmodi. Ergò non est verum, quod dicitur in secunda & tertia diffinitione: quod articulus est veritas de Deo, &c. quia cum præcisione intelligitur diffinitio.

12. Metaphy. 36. & inoe 8. physic. 80

¶ ITEM, cognitio philosophica de Deo, qua in Metaphysica probatur, quod Deus est, & omnipotens, & æternus: est veritas de Deo, & per rationes necessarias arctat nos ad credendum: ergò talis cognitio est articulus, si diffinitio tertia vera est, qua dicitur, quod articulus est indiuisibilis veritas de Deo, &c.

¶ ITEM, cum hi, qui sunt in peccato mortali fideles, credant Deum esse (sicut in Symbolis confitemur) vnum, omnipotentem, &c. non tamen credant in Deum: quia credendo per amorem non tendunt in eum: ergò in ipsis est perceptio veritatis, non tendens in ipsam. Ex quo relinquitur, quod si articulus est perceptio veritatis diuinæ tendens in ipsam: quod ipsi non credunt aliquem articulum.

¶ ITEM, qua ratione in tertia diffinitione dicitur: *articulus indiuisibilis veritas*? Nam intentio articuli inuenitur in quadruplici faculate: in Grammatica, ad distinctionem dictionis, vel suppositorum: in Rhetorica, vt dicit Tullius in Rhetoric. *Articulus dicitur, cum singula verba internallis distinguūtur, cæsa oratione: hoc modo. Acrimonia, voce, vultu aduersarios perterruisti*, &c. in Physica articuli dicuntur distinctiones digitorum: & in vnaquaque facultate articulus dicitur minimum in suo genere: & habet rationem distinctionis, siue in dictione vt in Grammatica; siue in oratione, vt in Rhetorica: siue in membro, vt in Physica: quæritur ergò, cum articulus accipitur in Theologia, an accipiatur secundùm intentionem aliarum scientiarum? Nam si accipiatur secundùm intentionē indiuisibilitatis, malè diffinit Hugo dicens: quòd *articulus est natura cum gratia*. Si secundùm rationem distinctionis: ergò qui habēt fidem implicitam, non credunt oēs & singulos articulos.

Tull. libr. 4. ad Herennium.

RESOLVTIO.

Tres de Articulo circumferuntur definitiones, scilicet. Articulus est natura cum gratia. Item, articulus est perceptio veritatis diuinæ, tendens in ipsam. Demum, articulus est indiuisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. Duæ priores Hug. tertia posterior Richar.

¶ SOLVTIO. Articulus accipitur strictè, propriè, & communiter. Strictè accipitur articulus, secundùm quod arctatur ad partes Symboli Apostolorum: & hoc modo accepit Hugo, cùm dixit, articulum esse naturam cum gratia: nam in singulis articulis illius Symboli cōfessioni naturæ diuinæ, vel humanæ adiungitur effectus gratiæ. Verbi gratia, cùm dico. *Credo in Deum Patrem*, &c. significat naturam: cùm adiungo *Creatorem cæli & terræ*: adiungo gratiam: ex gratia enim non ex debito fuit, quod communicare voluit suam bonitatem in creatione rerum. Simili modo cùm dico. *Et in Iesum Christum*, &c. confiteor naturam: cùm addo. *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* adiungo gratiam. Accipitur autem hic natura pro ipsa natura, quæ diuina est: vel quæ assumpta est à Deo, scilicet humanitate. Propriè accipitur articulus secundùm perfectam rationem: vt est obiectum fidei formatæ: & hoc modo accipitur in illa diffinitione. Articulus est perceptio veritatis diuinæ in ipsam tendens. Vt per hoc, quod dicitur, *perceptio veritatis diuinæ*, significetur intentio communis fidei formatæ, & informis: per hoc verò quod additur, *in ipsam tendens*, determinetur & approprietur fidei formatæ, & significetur duplex perfectio articuli; perfectio intellectus, in hoc quod dicitur, *perceptio veritatis diuinæ*, perfectio affectus in hoc, quod dicitur, *in ipsam tendens*. Articulus enim formatus non solùm illustrat intellectum per perceptionem veritatis: sed etiam mouet affectum ad desiderium veritatis. Cōmuniter accipitur articulus, secundùm quod est obiectum fidei formatæ & informis: & ad hanc intentionem respiciens Richar. dicit: quod articulus est indiuisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. Per hoc quod dicit, *inuisibilis veritas de Deo*, tangit essentiam articuli. Per hoc verò quod dicit, *arctans nos ad credendum*, tangit effectum articuli, in quantum articulus est. Et ex hoc insinuat nominis ratinem: eò enim quod arctat rationem ad essentiendum, articulus dicitur. Patet igitur, quæ sit rato assignationis positarum trium diffinitionum.

Symbol. Apost.

Idem.

¶ AD illud ergò, quod primò obiicitur de repugnantia primæ diffinitionis & vltimæ. Dicendum, quod cum duplex opinio fuerit de articulis (Nam quidam posuerunt res esse articulos: quidam verò enuntiabilia) & sicut supra disputatum est: quod sunt articuli simpliciter, & articuli secundùm quid: articuli simpliciter sunt ipsæ res simpliciter acceptæ ab ipso intellectu, vt vnitas, trinitas, incarnatio, & sic de huiusmodi: articuli verò secundùm quid sunt enunciabilia; vt Deum esse trinum, Filium Dei esse incarnatum, &c. Richa. cùm dicit, ꝙ articulus erat indiuisibilis veritas; respexit ad intentionem articuli similiter: Hugo verò cùm dixit, articulum esse naturā cum gratia; accepit articulum secundùm quid, siue contingenter. Et ideò Richard. posuit articulum in acceptione simplicis veritatis: Hugo verò in complexione veritatis: sed restringendo intentionem articuli ad Symbolum Apostolorum, sicut dictum est.

Richard.

¶ AD secundum ex superioribus Quæstione, vtrum obiectum fidei sit verū creatū, vel increatū? patet responsio: vbi ostensum est: ꝙ non omne, quod credendum est; est articulus. Sunt enim quædam antecedētia ad fidem: quædā sequētia: quædam cum ipsa fide. Antecedentia ad fidē sunt ea; quæ sunt de iure naturali, & in Decalogo exprimuntur: quæ supponit fides: inde est, quod credendum est quod transgressio cuiuslibet præcepti sit mortale peccatum; quia discredere illud, quod fides supponit, infidelitatis est. Sequentia verò ad fidem sunt, vel quæ infeuntur ex articulis; vt quod Deus est vbique, quod sequitur ex hoc, quod Deus est immensus: vel quæ ad articulos re-

verum:

ducuntur; vt ea quæ determinata sunt in scriptura, tenemur credere implicitè vel explicitè: seu ab Ecclesia tradita, vt ea quæ pertinent ad sacramentalia Ecclesiæ: & ea quę in scriptura determinantur quantùm ad circumstantias aduentus ad iudicium. Quædam verò sunt simul cum ipsa fide: & hæ sunt particulæ fidei, quæ in Symbolis continentur: hoc tertio modo accipitur articulus.

¶ Et, si obijciatur de Catholica Ecclesia, & carnis resurrectione. Dicendum est, sicut priùs: nam ista non ponuntur pro articulis, nisi inquantùm concernitur diuina actio in his: vt in ipsa Catholica Ecclesia accipitur diuina virtus, faciens in ea remissionem peccatorum: in carnis similiter resurrectione concernitur virtus diuina, faciens resurrectionem.

¶ Ad tertium dicendum: quod (sicut inquit Philosophus) descendunt nomina, sicut descendunt scientiæ. Similiter dicendum, quòd ascendunt nomina, secundùm quod ascendunt scientiæ & nominum intentiones. Veritas ergo in naturali philosophia accipitur pro veritate, quæ est secundùm naturam: in rationali philosophia pro veritate, quæ est secundùm rationem: ergò in Theologia, quæ est scientia supra naturam & rationem; accipitur veritas pro veritate, quæ est supra naturam & rationem. Cùm ergo dicitur, quòd cognitio philosophica, quæ est de Deo, quoniam omnipotens est, &c. Est acceptio veritatis de Deo. Aliter dicetur quàm cum dicitur, quòd articulus fidei est acceptio veritatis de Deo. Nam illa acceptio, quæ est philosophica, à nobis esse dicitur; quia per rationem naturalem inuestigatur: illa verò, quæ est articulus, non à nobis est: quia à Deo cum lumine gratiæ fidei infunditur. Et ad hoc respiciens Hugo de S. Vict. dixit: quòd articulus est perceptio veritatis diuinæ: non dicit, *acceptio*, sed perceptio, id est, per alium captio: quia non à nobis, sed per alium in nobis infunditur. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est*, &c. Præterea,
Iacob 1. hoc quod dicitur, *arctans nos ad credendum*, aliter & aliter dicitur de cognitione philosophica, & articulo: quia cognitio philosophica arctat per lucem rationum euidentem: articulus verò arctat per lucem gratiæ infusam, conscientiam informantem: sicut supra dictum est. Item, cognitione philosophica per rationem arctatur intellectus necessitate: articulo verò fidei per lucem infusam arctatur affectus, vt voluntariè assentiat veritati diuinæ propter se.

¶ Ad quartum dicendum: quod (quemadmodum tactum est) sicut fides distinguitur per formatam & informem: ita articulus dicitur formatus & informis. Articulus autem formatus definitur ab Hugo. cùm dicit: *Articulus est perceptio*, &c. Et secundùm illam rationem existens
Hugo. in mortali peccato non credit articulum: quemadmodum nec credit in Deum. Articulus verò communiter ad formatum & informem, definitur à Richard. cum dicit: *Articulus est indiuisibilis veritas*, &c. Et hoc modo in peccato existentes credunt articulos.
Richard.

¶ Ad vltimum, quod quæritur? Vtrùm articulus in Theologia accipiatur secundùm rationem aliarum scientiarum. Dicendum, quòd intentio Articuli accipitur secundùm rationem simplicitatis; prout dicimus articulos simpliciter res ipsas credendas: secundum verò rationem distinctionis, prout dicimus articulos secundùm quid esse ipsa enunciabilia, in quæ ipsum symbolum velut quoddam totum in suas particulas distinguitur: sicut infra dicetur.

MEMBRVM II.

De ratione Symboli, deque eius multiplicitate, & distinctione.

Consequenter quæritur de ratione symboli, id est, collectionis articulorum. Et incidunt quæstiones disciplinales circa hoc plures Prima generalis, quæ (sc.) causa fuerit compositionis symboli, id est, collectionis articulorum. Secunda, cũ primum symbolum, ꝙ dicitur in silentio; sit ab ipsis Apostolis constitutum; sicut tradunt auctoritates: quæ ratio fuit editionis aliorum symbolorum: vid. symboli ꝙ cantatur in Missa. *Credo* (sc.) *in vnum Deum*: quod fuit à Patribus in Nicæno Concilio constitutum: & symbolum Athanasij, quòd cantatur in Prima: cum primum ab Apostolis omni sapientia eruditis sufficienter contineret articulos necessarios ad salutem? Symbol. Apost.

¶ Item, cùm symbolum Apostolorum, & symbolum Patrum distinguantur secundùm ea, quæ tribus personis appropriantur: sicut patet consideranti: quæ ratio est, quòd symbolum Athanasij aliter distinguatur.

¶ Item, quæritur de symbolo Apostolorum: quare dicatur de mane in Prima & in Completorio, plusquam in alijs Canonicis horis?

¶ Item, quare symbolum Patrum cantatur in Missa, & post lectum Euangelium?

¶ Item, quare symbolum Athanasij cantatur in Prima.

¶ Ad quæ respondendũ per ordinem: & primò ad primum. Dicendum, ꝙ causa symbolorum, id est, collectionis articulorum est instructio fidelium in vna intelligentia & confessione veritatis, & deuotione religionis. Cùm enim vna sit veritas, in qua beatificanda est humana natura; vna intelligentia; vna confessio: vna religio debet esse intendendo ad ipsam veritatem. Ideo cum tot essent diuersitates hominum, natione, moribus, lingua, cognatione, & alijs modis multis; spiritusancto illuminante; excogitauerunt. Patres colligere singula credenda & confitenda de ipsa diuinitate in vnam confessionis coordinationem: vt omnium credentium esset confessio vna, fides, & religio: vt (sicut dicitur. Act. 4.) Multitudinis credentium esset cor vnum, & anima vna: sic etiam dicit B. August. *Cum multa animæ essent: fides eas vnam faceret.* Vnde nota, ꝙ ex hac vnitate Aug. in li. de Symbolo. dicitur symbolũ: symbolum enim in Naturali philosophia dicitur conuenientia: propter conuenientiam ergo intellectuum in veritate vna, & religione vna, symbolum fidei appellatum est. Nota tamen, ꝙ propter hanc causam duæ possunt aliæ assignari denominationes symboli. Vna est conuenientia Apostolorum siue Patrum in symbolo componendo: quia (sicut infrà patebit) in symbolo Apostolorum vnusquisq; apposuit partem suam: inde dictum est Ἀπὸ τοῦ συν, καὶ βολή. symbolum à sin, quòd est cum: & bole, quòd est sententia: quasi multorum sententia. Alia causa est conuenientia scripturarum: ex quarum aggregatione factum est symbolum. Vnde Aug. *Ista verba per diuinas scripturas sparsa sunt: sed tamen collecta sunt, & ad vnum redacta: ne tardorum hominum laboraret memoria.* Id Aug. in eodem lib.

¶ Ad secundum dicendum: ꝙ causa multiplicationis symbolorum fuit triplex: instructio fidei, veritatis explanatio, erroris exclusio. Instructio fidei fuit causa compositionis symboli Apostolorum: ad hoc enim compositum est, vt in vna fide credendorum necessariorum saluti, fideles erudirentur. Fidei explanatio circa dubitationes emergentes fuit causa compositionis symboli sanctorum patrum, quòd cantatur in Missa. Erroris verò exclusio propter hæreses multiplices pullulantes causa fuit symboli Athanasij: quòd cantatur in Prima. *Quicunq; vult*, &c.

¶ Ad tertium, ꝙ quæritur de diuersitate distinctionis, quæ est in symbolis. Dicendum: sicut tactum est, primum symbolum Apostolorum fuit ad instructionem fidelium in fide Trinitatis: & ideo secundùm appropriata Trinitatis distinguitur: vt pars prima sit de appropriatis patri. *Credo in Deum patrem*, &c. Secunda de appropriatis filio, scilicet. *Et in Iesum Christum filium eius*, &c. Tertia de appropriatis spirituisancto. *Credo in spiritumsanctum.* Secundùm symbolum Nicæni Synodi fuit ad explanationem fidei Trinitatis: vnde & illud symbolum distinguitur secundùm ea, quæ conueniunt tribus personis. Tamen quia tunc emergebat dubitatio circa personarum æqualitatẽ, & maximè circa personam Spiritussan. ideò cum prima pars illius symboli sit de pertinentibus ad patrem; cum dicitur. *Credo in vnum Deum, patrem*, &c. Secunda de pertinentibus ad filium. *Et in vnum Dominum Iesum Christum filium eius*, &c. Tertia est de pertinẽtibus ad Spiritum sanctũ cũ protestatione æqualitatis: vnde ibi dicitur. *Et in spiritum*

Symbol. Athan. — Symbol. Apost. — Symbol. Apost.

sanctum dominum, &c. Qui cum patre & filio simul adoratur, &c. Tertium verò symbolum Athanasij fuit contra hæreses pullulantes circa fidem diuinitatis & humanitatis: ideo illud symbolum primò remouet errores circa confessionem vnitatis essentiæ diuinæ & distinctionis personarum per rectam confessionē essentialium & personalium Deo dignarum nominationum: vnde post versiculos procemiales dicitur: *Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, &c.* secundò verò remouentur errores circa fidē humanitatis, cùm dicitur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, &c.*

Symbol. Athan.

¶ Ad quartum, quod quęritur de symbolo Apostolorum, quare submisè dicitur. Dicendum, quòd per hoc: vt status primitiuæ Ecclesiæ repræsentetur, quando Apostoli & fideles non audebant fidem Christi confiteri in manifesto vsquequaque. In Prima verò, & Completorio illud symbolum dicitur, vt significetur quod sine fide impossibile est dirigi, & placere Deo in bonis: secundùm qđ dicitur Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* ideo dicitur in Prima, antequam procedatur ad opera in die. Item, vt significetur, quod sine impossibile est resistere malis: secundùm quod signatur 1. Petri vlt. vbi dicitur: *Resistite*, scilicet diabolo, *fortes in fide.* Ideo dicitur in Completorio, in munimentum contra tentationes nocturnas. Et hoc est, quod dicit Augustinus: *Accipite regulam fidei, quod est symbolum: & cùm acceperitis, in corde scribite, & quotidie apud vos dicite, antequam dormiatis* (supple in Completorio) *antequam procedatis* (supple in hora Prima) *vestro symbolo vos munite.*

August. de symbolo.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare symbolum Patrum cantatur in Missa post Euangelium. Dicendum, quod symbolum Patrum, & etiam Athanasij est contra declamationes & garrulationes hæreticorum: ad quas confundendas instituta sunt per cōfessionem fidelium. Præterea, in Missa symbolum Patrum cantatur, vt confessione fidei, & deuotione præparentur ad participationem sacramenti Dominici corporis, cuius participes efficimur per fidem, vnde Augustinus: *Crede, & manducasti.* Post Euangelium verò canitur, vt monstretur quod symbolum ex verbis Domini loquentis in Euangelio accipitur.

August.

¶ Ad illud, quod quæritur: quare symbolum Athanasij in Prima cantatur. Dicendum, quod propter duo, scilicet propter significationem, vt designetur quòd fides est prima mentis illuminatio, & prima virtutum: & propter vtilitatem: armamur enim symbolo fidei, secundùm quod dicitur ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Propterea in hora Prima arma Dei sumimus, vt omnes tētationes inuisibiles inimicorum expugnare valeamus.

MEMBRVM III.

De sufficientia credibilium secundùm distinctiones, & successiones temporum.

CONSEQVENTER quæritur de sufficientia fidei secundùm successiones temporum. Et quęruntur duo. Primò, vtrùm esset sufficientia saluti sine fide Mediatoris. Secundò, vtrùm necessarium fuerit credere omni tempore ea, quæ nunc temporis credimus de fide Mediatoris.

ARTICVLVS I.

An sine fide Saluatoris, vel Mediatoris potuerit quandoque esse sufficientia salutis?

Hebr. 11.

AD primum sic: ad Hebr. 11. *Accedentem oportet credere, quod Deus est, & quod remunerator est.* Sed quæritur: vtrùm ante aduentum & legem suffecerit hoc credere ad salutem: Nam tempore gratiæ constat certissimè hoc non sufficere: oportet enim vniuersa credi, quę in symbolis continentur. Propter hoc quæritur: quare Apostolus ista duo posuit: & vtrùm aliquo tempore suffecerit hoc ad salutē? Videtur quod sic: quia ante peccatum Adæ nō non erat necessaria redemptio humani generis: ergo nec fides Mediatoris erat necessaria saluti: pro tempore ergo illo sufficeret credere, quod Deus est, & quod remunerator est, absq; fide Mediatoris.

¶ Item, post peccatum in lege naturæ non erat naturali lege, quæ est in dictamine rationis, scriptum aliquod præceptum credendi mediatorem seu redemptorem: nec ex lege posita: nec ex Prophetis erat prædicatum, quod credenda esset redemptio humani generis. Relinquitur igitur quod pro statu illo non obligabantur ad fidem Mediatoris: ergo sine illa poterat esse salus.

¶ Item, nunquam Deus exigit à nobis vltra posse: cùm ergo fides Mediatoris non posset haberi, nec per scripturas, nec per creaturas, nec per Prophetas; per quos insinuaretur credendum esse Mediatorem: relinquitur igitur, quòd non semper fuit necessaria fides Mediatoris.

¶ Contra, Augustinus ad Optatum: *Nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi.*

¶ Item, dicit idem Augustinus: *Eadem fides Mediatoris, quæ nos saluat: saluos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis quia credimus Christum in carne venisse, ita illi crediderunt venturum.*

RESOLVTIO.

In statu ante peccatum potuit quidem esse sufficientia salutis absque fide Mediatoris; nequaquam autem in statu post peccatum, tum maximè tempore gratiæ.

¶ Solutio. Distinguendus est status, scilicet status ante peccatum, & status post peccatum: & ante legem, & status sub lege, & status gratiæ. In statu ante peccatum necessaria fuit fides creatoris, quia est, & quia remunerator est: quia (scil.) est principium conditionis: & quia remunerator est, inquantùm finis & complementum beatitudinis. Pro statu verò post peccatum necessaria fuit fides, non solùm creatoris; imò mediatoris, secundùm q dicit Aug. Ex eò quod scriptum est. Act. 4. *Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluari nos:* ex illo siquidem tempore valet fides ad saluandum genus humanum, ex quo in Adā vitiatum est: ergo fides mediatoris solummodo necessaria est post peccatum. Post peccatum enim (sicut dicit Hugo.) Duo sunt proposita credenda: creator, & saluator. In prima parte discernit fides inter creatorem & eius opera: in secunda parte discernit fides inter saluatorem & sacramēta sua. Prima pars pertinet ad debitum naturæ, secunda ad debitum gratiæ. Illa credere debemus; quia per naturam conditi sumus: ista credere debemus; quia per gratiam reparati sumus. Lib. 1. de sacramēt par. 10. c. 5. & 8.

¶ Nota igitur differentiam fidei mediatoris ante legem, & sub lege, & tempore gratiæ secundùm Hugo de S. Vict. Ante legem creator credebatur, & ab eo salus & redemptio expectabatur: per quæ verò, & quo modo eadem salus complenda & perficienda esset; exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat; à cæteris fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona mediatoris mittenda prædicabatur: quòd autem ipsa persona foret homo, vel Angelus, vel Deus; nondum manifestabatur: soli hoc cognouerant, qui per spiritum ad hoc illuminati erant. Sub gratia autem manifestè prædicatur & creditur modus redemptionis, & qualitas personæ mediatoris. Li. & par. eisdem c. 6.

¶ Secundum hoc respondendum est breuiter ad omnia obiecta.

¶ Ad primum, q quæritur? dicendum quod Apostolus ista duo ponit sicut principia ad omnes articulos, scil. oportet credere quia est; & quia remunerator est: omnes enim Articuli reducuntur ad fidē: qua creditur α & ω principium & finis. Apoc. 1. Et hæc duo sunt, quæ propinquiora sunt nobis quantùm ad cognitionem, & per quorum cognitionē manuducimur & eleuamur ad cognitionem æternorum: sicut patet conferenti singulos. Hinc ergo est quòd Apostolus ponit hos principaliter: quia est, id est principium conditionis, & quia est remunerator: hoc est, finis beatitudinis.

¶ Ad

¶ Ad secundùm iam patet responsio: quia pro statu ante peccatum non dicitur necessaria fides mediatoris: sicut patet ex dictis: sed pro statu post peccatum.

¶ Ad tertium verò, & quartum dicendum, ꝙ in lege naturali secundùm dictamen rationis scriptum erat præceptum de fide mediatoris, in quantùm indita erat quodammodo rationi humanæ fides redemptionis: quia certum poterat esse rationi humanæ naturam hominis esse lapsam generaliter. Inditum autem erat rationi, quòd semper meliùs & digniùs est attribuendum summæ bonitati: & ideo satis ex propinquo colligere poterat, quòd summa bonitas non permitteret rationalem creaturam humanam, quæ generaliter perdita erat, ex toto perire: iuxta illud Psal. 88. *Nunquid vanè constituisti omnes filios hominum*: & ideo dictabat ratio quod credere deberet futuram hominis reparationem: Per hanc ergo viam ostenditur in lege naturali quodammodo scriptum præceptum de fide redemptionis.

¶ Ad vltimum dicendum: quòd in potestate nostra potentia susceptiua est credere fidem mediatoris: sed non est in potestate nostra actiua: imò ab ipsa prima veritate infundente lumen fidei, quo eleuetur intellectus supra se. In potentia verò susceptiua erat disponere se per dictamen rationis (prout iam dictum est) ad receptionem huiusmodi luminis.

ARTICVLVS II.

Articulorum sufficientia qua minor ab initio esse potuerit?

QVæritur postea? Vtrùm semper oportuerit credere omnia illa de mediatore, quæ nũc credimus? Quibusdam enim videtur (sicut Magister dicit in Sent.) Quòd sufficerit antiquis quatuor tantùm credere credere, scil. natiuitatem, mortem, resurrectionem, aduentum ad iudicium. Alij videtur, habita fide Trinitatis, id mysterio incarnationis fidei sufficeisse, vt crederetur filius Dei nasciturus de homine, & iudicaturus. Qui de Ioan. Baptista documentum huiusce rei affirmãt: siquidem de morte Christi, & descensu ad inferos in Euangelio dubitasse videtur secundùm expositionem. Gregor. quando interrogauit per discipulos. *Tu es, qui venturus es*, &c. Quasi diceret. Es tu per teipsum descensurus ad inferos: an alium expectamus ad hæc sacramenta?

Distin. 25

Lucæ 7.

¶ Propter hæc circa hoc quæritur de sufficientia articulorum, quæ minor esse potuit.

¶ Item, quæritur de Ioanne Baptista: vtrùm fidem habuerit mortis Christi, seu descendendus ad inferos? Quia dicit Ambros. in Gloss. super Lucæ 7. Quòd Ioan. Nouit Dei filium, sed non ipsum descensurum ad inferos: & dicit ibidem, quòd moriturum Christum sancti Patres non crediderunt: ergo non habuit fidem mortis, nec descensus ad inferos.

Quæstio in idealis. Ambros.

¶ Item, Gregor. Super Matth. 11. in Homil. *Tu es, qui venturus es*, &c. Introducit Ioannem loquentem sic: *An conueniat filio Dei mori: an alium ad hæc sacramenta missurus es?* Ergo Ioannes dubitabat, vtrùm Christus esset moriturus.

¶ Item, Ambr. dicit: quòd poterat piùs vates, quem venturum prædixerat, non credidisse moriturum.

¶ Contra, Hilarius dicit: ꝙ Ioan. Non dubitauit, sed ignorantiæ discipulorum consuluit.

¶ Item, Chrysost. super Matth. 11. *Ioannes, qui à spiritu sancto didicerat, qui & cæteris prædicauerat: qui testimonium perhibuerat: qui columbam viderat: quare sic quæritur? Si ignorat, quomodo testis fuit? Ioannes, in signa diuulgaueras, modo post mortuos suscitatos, quando iam omnibus notus: Nunquid tibi non notus? Tu sanctificatus heremi ciuis, nunc dubitas? absit.*

RESOLVTIO.

Nihil minùs de Deo credi potuit vnquam: quàm vnum esse, vniuersorum creatorem, Dominum, & rectorem, nullatenùs mali alicuius auctorem, quinimò eius opem optantibus futurum redemptorem.

¶ Sol. Dicendum ad primũ secundùm Hug. ꝙ hæc sunt, quibus ab initio fides recta nunquã minùs habere potuit: vid. vnũ Deum esse creatorem omnium, Dominum & rectorem vniuersorum: ipsumq; non esse mali auctorem: eorum tamen, qui in malis suis eius misericordiam quærerẽt, vel expectarent, futurum redemptorem *hoc symbolum fidei in initio sufficisse credimus, &c. Et oẽs, qui futuram redemptionem crediderunt, hæc etiam, quibus redẽptio constabat, credidisse non inconuenienter affirmatur.

L. b. 1. de sacramẽt. par. 10. c 7.

* Aliàs, hæc simplicium

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur de Ioan. Dicunt quidam, ꝙ Ioannes non dubitauit: & dicunt, ꝙ in auctoritatibus verbum dubitandi ponitur impropriè, sc. pro verbo interrogandi: dicitur. *Inuenerunt eum in medio doctorum interrogantẽ*. Gloss. *Discit in terris, qui Angelos docebat in cœlis*: Discit, id est interrogat, & ad modum discentis se habet: ita etiam dicunt hi Ioan. Dubitasse, id est interrogasse. Sed contra hoc est, quod dicit Gloss. Ambros. prædicta. *Poterat pius vates, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum.*

Lucæ 2. Glossa.

Eadem.

¶ Propterea dicunt alij, quod Ioannes dubitauit: sed distinguunt: quòd est triplex dubitatio. Est dubitatio infidelitatis, qualis fuit in Iudæis: & est dubitatio tarditatis, qualis fuit in discipulis euntibus in Emaus. Luc. vlt. Et est dubitatio amoris siue pietatis, quæ quidem non est dubitatio, sed error quidam, quo anima se habet ad modum dubitantis; & sic dubitauit Ioan. vnde dicit Gl. ibidem: *Non fide, sed pietate dubitauit: quia lapsus amoris fidem non impedivit*: Talis enim lapsus religiosus est.

Glossa it supra Lucæ 2.

¶ Alij verò dicunt secundùm Ioan. Chrys. qui dicit, ꝙ nec ignorans quæsiuit, nec dubitans misit discipulos. Dicit etiam, quod discipuli Ioan. inuidiosè se habebant ad Christum: & ideo Ioannes in proximo moriturus, magnum studium facit ad hoc, vt credant: & mittit duos, quos nouerat persuadibiliores: Christus autẽ sciens consilium Ioannis, non respondit: *Ego sum*, ad Ioannem, sed rebus eos docet: quia testimonium, ꝙ ex ipsis rebus est, credibilius est. Sic ergo non Ioannes dubitauit, sed eius discipuli: & vt ita certificarentur per opera miraculorum Christi, misit eos ad ipsum.

MEMBRVM IV.

De sufficientia articulorum fidei quantum ad fidem simplicium.

DEinde quæritur de sufficientia fidei quantùm ad fidem simplicium. Et circa hoc quæritur? primò generaliter, secundò quæretur specialiter.

ARTICVLVS I.

An vnius Articuli fides absq; alterius Articuli fide haberi possit?

CIrca primum quæritur de fide simplicium, quibus non erat incarnationis mysterium reuelatum, sicut Abrahæ & Moysi reuelatum erat (quemadmodum in Ecclesia aliqui sunt simplices, qui articulos fidei distinguere nesciunt) vtrùm sufficienter crediderunt credenda?

¶ Ad ꝙ respondet Magister in Sent. secundùm Greg. super Iob 1. Distinguens reuelationem distinctam & indistinctam, velatam & manifestam. Minores ergo habebant fidem velatam & indistinctam de mediatore: perfecti verò habebant distinctam, & manifestam: quorum fidei minores adhærebant: sicut etiã nunc est in Ecclesia. Quòd confirmat auctoritate. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos.* Simplices & minores (vt dicit Magister) sunt asinæ pascentes iuxta boues: quia humilitate maioribus adhærendo, ministerio docebantur: qualis fortè fuit mulier Samaritana.

Distin. 25

Iob 1. Magister

¶ Propter hoc circa partem istam quæritur de fide simplicium, & generaliter: vtrùm possit haberi fides vnius Articuli sine alio.

¶ Ad quod sic: *Testificor omni circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Ergo qui ad vnum præceptum tenetur, tenetur ad omnia: ergo qui ad vnum credendum tenetur, tenetur & ad omnia: ergo quilibet simplex tenetur ad articulos omnes.

Galat. 5.

Eff. or. 1. ¶ ITEM, Leu. 23. Præcipitur: ꝙ leprosus offerat sextarium olei, &c. Gl. *Sextarium: quia fide agitur: & intelligitur vnum quodq; prædictorum.* Sextarius.n.mensura est, nec plus nec minus capiens: ꝙ.n.plus est, effunditur: si minùs est, non est sextarius. Sic fides ad nostræ mentis mensurã datur: nec plus copia aut minus, quàm à Deo distribuitur: ꝙ autem plus aut minùs est, extra fidem est. Ex hoc ergo relinquitur, ꝙ non est fides, nisi credantur omnes Articuli, de quibus est fides.

¶ ITEM, sicut se habet charitas ad diligenda, ita fides ad credenda: cùm ergo charitate diligamus nos, Deum, & ꝓximum; & non contingat charitate diligere vnum sine alio: ergo nec similiter continget fide credere vnum credendorum sine alio.

¶ ITEM, cùm vnus sit habitus credendi, fides: & vnus habitus est ab vnitate obiecti: erit igitur vna veritas obiectum fidei, qua quidem veritate erit connexio, & coniunctio omnium articulorum: non credetur ergo vni articulo sine omnibus: oportet ergo quòd simplices credant omnes articulos.

August. ¶ CONTRA. *Credere est* (sicut dicit Aug.) *Cogitare cùm assensione*: sed potest cogitari assentiendo veritati vnius Articuli sine alio: ergo potest credi vnus Articulus sine alio.

¶ ITEM, simplices non cogitabant de incarnatione saluatoris: ergo non credebant incarnationem: cùm credere sit cogitare cum assensione.

RESOLVTIO.

Vnius Articuli fides absq; alterius fide, vel implicitè, vel explicitè, nullatenus haberi potest.

¶ AD hoc breuiter est dicendum; quòd est credere explicitè vel implicitè, distinctè vel indistinctè. Simplices aũt implicitè dicuntur credere omnes articulos seu indistinctè: Et hoc duobus modis: vno modo quantùm ad illud, ꝙ credunt: alio modo quantùm ad illos, cum quibus

Lib 1.par. 9.c.6. credunt. Quantùm ad illud, ꝙ credunt, vt dicit Hugo omnes qui futuram resurrectionem crediderunt, ea quibus redemptio constabat, credidisse non inconuenienter affirmantũr: inquantùm ipsam, quæ hæc omnia continebat, venturam crediderunt: quamuis eandem de ipsis omnes credendo cognitionem non habuerint. Quantùm verò ad illos, cum quibus credunt: secundùm quod dicit

Idem. Hugo de simplicibus antiquis: quòd fidem natiuitatis, passionis, ascensionis, in hoc verissimè eos habuisse credimus: quia credentibus & scientibus hoc fide & deuotione, sub spe & expectatione eiusdem redemptionis adhæserunt: quamuis modum cogitationis redemptionis similiter non cogitauerint.

¶ SECVNDVM hoc ergo concedenda sunt obiecta, quę concludebant: quòd non potest credi vnus articulus sine alio: vt intelligatur explicitè vel implicitè.

¶ TAMEN ad illud, quod obijciebatur de præceptis. Dicendum, quod non est simile: quia præcepta iam completa erant secundùm rationem præcipientis: sed credita nondum erant omnia completa; imò erant quædam futura; & ad hæc capienda creuit illuminatio, & magis & magis: sicut supra dictum est.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de mensura. Dicendum, quod æqualis est omnium quantùm ad habitũ credendi, siue quantùm ad credere in vniuersali omnes articulos, & nullum discredendi: quamuis inæqualitas sit quantùm ad actum credendi: qui attenditur quantùm ad cognitionem & deuotionem credendi: siue quantùm ad credere in ratione propria. Reliqua verò patent.

¶ AD ea etiam, quæ obijciuntur in contrarium, patet responsio per distinctionem prædictam. Nam & si simplices possunt cogitare de vno sine altero; non tamen credere: quia credere pertinet ad fidem explicitam & implicitam communiter; cogitare verò ad fidem explicitam & distinctam: præterea, credere potest esse in habitu vel in actu: cogitare verò est solum in actu.

¶ AD aliud iam patet responsio ex iam dictis.

ARTICVLVS II.

An Cornelio Centurioni necessaria fuerit alia fides ab ea, quàm habebat, antequam ad eum mitteretur Petrus Apostolus.

POSTEA quæritur specialiter de fide Cornelij. Et quæritur? vtrùm fuit necessaria fides distincta secundùm determinationem temporis? Ad ꝙ sic: Dictum est Corne- lio, antequam baptizatus esset, & conuersus ad fidem. *Acceptæ sunt Eleemosynæ tuæ*, &c. Ex illo Textu videtur, quòd Actuum 10.
Cornelius per opera venit ad fidem: ꝙ falsum est. Non enim quia homo bona facit, ideo bonus est: sed quia bonus est, ideo bona facit. Cùm ergo acceptæ essent Eleẽmosynę Cornelij, & orationes à Deo. iam habebat fidem: quoniam sine fide impossibile est placere Deo.

¶ ITEM, dicit Greg. Quòd per fidem peruenitur ad opera: sicut dicit Magister in 3. Sent. Dist. 24. Vnde ibi dicitur: *Cornelius autem per fidem venit ad opera: Deum enim vnum credebat: sed filium eius incarnatum nesciebat: per fidem placuerunt Deo opera eius.*

¶ ITEM, Aug. dicit: Cornelio dictum esse per Angelum. August.
Acceptæ sunt Eleemosynæ tuæ, &c. Nec sine fide orabat, vel donabat: nam quomodo inuocabat, in quem non credebat? Ex his patet, quod credebat Cornelius.

¶ CONTRA, Dicitur in Gl. super Act. 10. *Si sine fide posset esse saluus: non fuisset ad eum missus Ecclesiæ architectus.* id est, Petrus. Petrus enim missus fuit ad eum, vt ipsum instrueret ad fidem: & ita vt daret ei fidem ministerio suo: & iam dictum erat ei. *Acceptæ sunt Eleemosynæ & orationes tuæ.* Ergo per opera peruenit ad fidem: ergo quia bene egit, fuit fidelis: quod falsum est.

¶ PRÆTEREA, si tunc habebat fidem, quando missus est ad eum Petrus: ad quid ergo missus est ad eum? non vt conuerteret eum ad fidem; quoniam iam habebat fidem: & ita pro nihilo fuit ad eum missus Petrus.

RESOLVTIO.

Cùm prior fides Cornelij indistincta esset, oportuit ad eum mitti Petrum, vt distinctiorem haberet.

¶ SOL. Est fides distincta, & est fides indistincta. Fidem indistinctam habebat Cornelius, quando missus fuit ad eum Petrus: quoniam ante illam missionem dictum est ei. *Acceptæ sunt Eleemosynæ tuæ*, &c. Sed non poterant esse acce- Actuum 10.
ptæ nisi per fidem: & ita constat, quod habebat fidem: sed indistinctam: quoniam credebat filium Dei esse incarnandum indistinctè: nec adhuc distinctè credebat, quòd facta esset incarnatio: nondum enim per fidẽ susceperat, quod dicitur. *Verbum caro factum est:* quòd iam inceperat prædica- Ioan. 1.
ri per mundum: & ideo non poterat iam Cornelius diu esse iustus sine fide distincta: & vt eam haberet, missus fuit ad eum Petrus. Et hoc est, quod dicitur, si sine fide posset esse saluus, non fuisset ad eum missus Ecclesiæ architectus: hoc est, si posset esse saluus sine fide distincta, quæ tunc temporis cœperat declarari.

¶ AD illud, quod obijcitur? quod per opera venit ad fidem. Dicendum, quod per opera venit ad fidem distinctam, cum priùs haberet fidem indistinctam.

¶ ET per istam distinctionem patet solutio ad omnia obiecta.

MEMBRVM V.

De distinctione & expositione Articulorum Symboli.

SEQVITVR de distinctione & expositione articulorum. Et notandum, quòd cum sint tria symbola: primum Apostolorum, secundùm Patrum, ꝙ cantatur in Missa: tertium Athanasij, quod cantatur in Prima: Articuli distinguuntur differenter secundùm differentias symbolorum. Quæritur ergo disciplinaliter. Primò, qualiter distinguantur & exponantur Articuli fidei in Symbolo Apostolorum. Secũdò, de Symbolo Patrum, qui cantatur in Missa. Tertiò, de Symbolo Athanasij.

ARTICVLVS I.

Quomodo distinguantur Articuli fidei in Symbolo Apostolorum.

PRIMÒ quæritur? Qualiter distinguuntur Articuli in Symbolo Apostolorum.

¶ AD

¶ Ad ꝙ dicendum, quòd dupliciter accipitur Symboli huius diuisio: vno modo per duodecim articulos: alio modo per quatuordecim. Prima accipitur secundũ numerum duodecim Apostolorũ, qui per inspirationem spiritussancti in vnum congregati, singuli singulos apposuerunt articulos. Petrus primus Apostolorum primum posuit articulum, sc. *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Ioannes apposuit secundum, sc. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Iacobus Zebedei apposuit tertium, sc. *Qui conceptus est de spiritusancto natus ex Maria Virgine.* Andreas apposuit quartum, sc. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Philippus apposuit quintũ, sc. *Descendit ad inferos.* Thomas apposuit sextum, sc. *Tertia die resurrexit à mortuis.* Bartholomæus septimum. *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.* Matthæus octauũ. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Iacobus Alphæi nonum, sc. *Credo in spiritumsanctum.* Simon decimum, sc. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.* Iudas Iacobi vndecimum, sc. *Remissionem peccatorum.* Matthias (vel sicut dicunt quidam) iteratò. Thomas apposuit duodecimũ, sc. *Carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen.* Distinctio ista significata fuit, vbi dixit Dominus ad Iosue. (Iosuæ 4.) *Elige tibi viros singulos per singulas tribus: & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo; vbi steterunt pedes sacerdotum duodecim durissimos lapides: quos pones in loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Verba ista sunt Dei Patris ad filium Iesum, qui elegit duodecim viros; quos & Apostolos nominauit: duodecim durissimi lapides sunt duodecim Articuli fidei: tolluntur autẽ de medio Iordanis alueo, id est de media ꝓfunditate scripturæ, vbi steterunt pedes Sacerdotum, id est, affectiones sanctorum Patrum, Patriarcharum, & Prophetarum. Ponuntur autẽ in loco castrorum, id est, in sancta Ecclesia, quæ est vt castrorum acies ordinata: in qua nocte præsentis vitæ, quæ est speculum in ænigmate; figunt tentoria omnes fideles: vt Diabolo resistant fortes in fide. 1 Pet. 5. Hoc etiam signatum est. Apoc. 21. Vbi assignantur duodecim lapides in fundamento muri ciuitatis Hierusalẽ. *Fundamenta enim* (inquit) *muri ciuitatis, omni lapide pretioso ornata,* &c. Hoc idem etiam signatum est in mysterio. 12. Stellarum, quæ erant in corona mulieris: sicut dicitur. Apoc. 12. Mulier enim est Ecclesia; corona fides. 12. Stellæ. 12. Articuli.

Symbol. Apost. (margin, beside Credo in Deum patrem)

¶ Circa istam distinctionem quæritur? cùm non sit assignatus nisi vnus articul⁹ patri. 6. filio. 5. Spirituisancto: vnde ista diuersitas? Quare non assignantur æqualiter tribus personis Articuli: cùm tres personæ coæternæ sibi sint, & coæquales?

¶ Item, Quæritur? Quare vnus tantùm articulus assignatur patri. 6. filio. 5. Spirituisancto.

¶ Ad hoc dicendum: ꝙ dicta distinctio nihil detrahit æqualitati personarum: sed monstrat appropriatio: sicut dicit Aug. in li. de anima & spiritu. *Vnitas appropriatur patri:* & hac ratione; quia vnitas est principium numeri, ipsa aũt non habet principium: sic pater est principium, nõ à principio: & ideo ei vnitas appropriatur. Ad illud ergo signandum conuenienter in symbolo fidei ei vnus articulus est assignatus per appropriationem. Senarius verò numerus perfectus est: & ideo per ipsum perfectio designatur, q̃ filio appropriatur conuenienter: quia (sicut dicitur ad Eph. 6.) *Deus pater posuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & in terra sunt:* & ideo conuenienter sex Articuli filio assignati sunt. Quinq; verò spirituisancto: quoniam per quinarium signatur vniuersalis remissio peccatorum, quæ fit per gratiam, quæ spirituisancto attribuitur: quæ signatur per Iubilæum, qui fiebat quinquagesimo anno: idem enim signatur per numerum simplicem & per multiplicatum, & econuersò.

¶ Secvnda distinctio est in quatuordecim articulos: quorũ septem pertinent ad diuinitatem, septem ad humanitatẽ. Septẽ, qui ꝑtinent ad diuinitatem, sic distinguuntur. Nam primus est de vnitate essentiæ, sc. *Credo in Deum.* (Symbol. Apost.) Et singulariter dicit *Deum*, non Deos: vt notet vnitatem essentiæ: vnde in maiori symbolo dicitur: *Credo in vnũ Deum.* Iste primus articul⁹ debet retorqueri ad tres sequentes, qui sunt de tribus personis. Primus est de patre. *Patrem omnipotentem,* &c. Et est sensus, credo in Deum patrem omnipotentem: secundus de filio. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.* Et est sensus: credo in Iesum, &c. Tertius est de spiritusancto, sc. *Credo in spiritumsanctum.* Ecce quatuor Articuli particulares ad deitatem pertinentes. Tres alij ponuntur pertinentes ad effectum. Primus indicat effectum creationis, scil. *Creatorem cæli & terræ.* Secundus effectum recreationis, scil. *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et est sensus; credo quod Deus efficiat remissionem peccatorum in sancta Catholicam Ecclesia: quæ est communio sanctorum, & nõ alibi, &c. Tertius effectum glorificationis. *Carnis resurrectionem, & vitam æternam: Amen.* Carnis resurrectio pertinet ad corpus, vita æterna ad animam. Tres Articuli sunt pertinentes ad effectum diuinitatis: quatuor ad diuinitatem in se consideratam, & sunt septem.

¶ Articvli pertinentes ad humanitatem sunt isti. Primus est, quòd conceptus de spiritusancto. Secundus, quòd natus de Maria Virgine. Tertius, quòd passus mortuus & sepultus. Quartus, quòd descendit ad inferos. Quintus, ꝙ resurrexit à mortuis: Sextus, quòd ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Septimus, quòd inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Ecce habes septem articulos pertinentes ad humanitatẽ, & septem pertinentes ad diuinitatem: & sunt quatuordecim. Quæ distinctio signata est in Apoc. 1. vbi dicitur: *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis.* Et sequitur: *Et habebat in dextra sua stellas septem.* Per septem candelabra, in medio quorum est filius hominis, designantur septem Articuli pertinentes ad humanitatem; per septem stellas septem Articuli pertinentes ad diuinitatem. *Habitat lucem inaccessibilem.* (1. Tim. 6.) Nec repugnat expositio Textus, quæ ibidem ponitur. *Septem stellæ Angeli septem sunt: & septem candelabra septem sunt Ecclesiæ.* Nam per illas septem Ecclesias vniuersitas Ecclesiæ Catholicæ intelligitur, omnium scil. fidelium congregatio: per septem Angelos vniuersæ Ecclesiæ rectores intelliguntur, ornati fide præcedentium articulorum, sicut cœlum stellis, sicut templum candelabris.

¶ Deinde dicendum est de expositione articulorum symboli Apostolorum. Sed quia distinctio secunda planior est quam prima, eò quod singula resoluit ad numerum, illam exponere satis est.

¶ Incipiamvs ergo à capite, *Credo in Deum.* (Symbol. Apost.) Expositio eius est in maiori symbolo, vbi dicitur: *Credo in vnum Deum.* (Symbol. Patrum.) Excluditur duplex error, sc. Error infidelitatis Gentilium, per hoc quod dicit: *in Deum,* ipsi enim non credunt in Deum, sed in Idolis aureis, siue argenteis. *Simulacra gentiũ argentum & aurum.* (Psal. 113.) Error Manichæorum per hoc ꝙ dicit *in vnum*, ipsi enim dicunt duo esse principia, vnum lucis, alterum tenebrarum: vnum boni, alterum mali: vnum creatorem visibilium, alterum creatorem inuisibilium. Istos ergo errores euacuans fides Catholica dicit. *Credo in Deum:* non in Idolis, non in creatura: *in Deum:* non in Deos, sed in vnũ Deum. Accipitur autem iste articulus. Deut. 5. vbi dicitur: *Audi Israël, Deus tuus vnus est.*

¶ Qværitvr, vtrùm existens in peccato mortali, & odio fraterno, possit dicere. *Credo in Deum*, sine peccato. Quia videtur, quòd non, per illud, ꝙ dicitur super illud: Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat,* vbi dicit Aug. Aliud est dicere credere Deum, aliud dicere credere Deo, aliud credere in Deum. Credere in Deum est, credendo tendere in eum, & credendo eum amare, & credendo ei incorporari, hæc est fides: quàm Deus exigit à nobis: & non inuenit quid exigat, nisi donauerit ꝙ inueniat. Ex hoc manifestè sequitur, quòd existens in mortali mentitur dicens: *Credo in Deum.* Ergo dicendo peccat.

¶ Ad hoc dicendum, ꝙ sicut existens in fraterno odio potest dicere. Orationem dominicam sine peccato: quia dicit eam in persona Ecclesiæ: sicut ꝓbatur per illud Esdræ 6. *Obtulerunt duodecim vitulos pro populo Dei.* Gl. *Nullus in oratione sibi aliquid petat, vel pro se, sed pro omnibus, qui habent vnum cõmunem patrem Deum.* (Symbol. Apost.) Similiter existens in mortali: potest dicere. *Credo in Deum,* sine peccato: nec mentitur; cùm nõ sit (Symbol. Apost.)

sermo ipsius, sed Ecclesiæ: præcipuè cum symbolum in persona Ecclesiæ dicitur, sicut oratiò quædam.

¶ SEQVITVR *Patrem omnipotentem*. A pluribus locis scripturæ sumitur iste articulus. *Omnipotens nomen eius*, &c. Iste articulus probat omnes sequentes: nam si omnipotens est, potest creare cœlum & terram: & si omnipotens est, potest dimittere omnia peccata: & sic de alijs.

Psalm. 67

¶ SED quæritur? cùm tria sint, quę appropriantur tribus personis. potentia patri, sapientia filio, bonitas spiritui sancto: quare ponitur appropriatio patris: cum dicitur. *Patrem omnipotentem*: & non apponitur appropriatio filij, vt diceretur in filium sapientem: nec appropriatio spiritussancti, vt diceretur, in spiritumsanctum bonum?

Symbol. Apost.

¶ ITEM, cùm plura approprietur patri, vnitas, æternitas, potentia: quare magis apponitur potentia, quàm aliquod aliorum?

¶ DICIMVS ad primum, quod sapientia & bonitas, quæ appropriantur filio & spiritussancto; non apponuntur: quia satis per apposita intelliguntur: per incarnationem enim & passionem sapientia ostenditur, quia (sicut dicit) *Prudentia eius percussit superbum*. Eodem modo in iudicio viuorum & mortuorum sapientia intelligitur: iudicare.n. non pertinet nisi ad sapientem, inquantum talis. Eodem modo per effectus, qui spiritusancto attribuuntur, bonitas ostenditur: Remissio.n. peccatorum, carnis resurrectio, vita æterna, summam Dei bonitatem declaratur.

Iob 26.

¶ AD aliud dicimus: quòd cum plures effectus Dei apponendi essent in Symbolo fidei, conuenientissimum fuit ad remouendum omnem ambiguitatem præmonstrare potentiam à qua egrediuntur isti effectus: quia potentia dicitur omnipotens: & ideo inter ea, quæ patri appropriantur, necesse fuit omnipotentiam magis apponi, quàm aliquod aliorum.

¶ SEQVITVR. *Creatorem cæli & terræ*. A capite scripturæ accipitur istud. In principio creauit Deus cœlũ & terrã.

Symbol. Apost.

¶ OPPONIT Manichæus: cœlum & terra sunt visibilia: ergo Deus, de quo loquitur Moyses, tantùm creauit visibilia. Moyses verò non loquitur nisi de creatione visibilium: aut si inuisibilia condidit; quare Moyses sicut de visibilibus non expressit?

¶ ITEM, vlteriùs: constat, quod Deus ille non fuit lucis, sed tenebrarum: sicut probatur auctoritate Moysi: dicit enim. *Tenebræ erant super faciem abyssi*.

Genes. 1.

¶ HVNC errorem tollit fides Catholica in Symbolo maiori, vbi exponens istum articulum. *Creatorem cæli & terræ*, dicit. *Visibilium omnium & inuisibilium*.

Symbol. Apost. Symbol. Patrum.

¶ PROPTER hoc respondendum est Manichæo: quod cœlum dupliciter accipitur. Est.n. cœlum, quod videtur, & quod nõ videtur: sicut probatur ex auctoritate. *Cælum cæli Domino*, &c. Nihil.n. esset dictu, cœlum cœli: nisi essent ad minùs duo cœli. Vtrumq; ergo creauit Deus, cùm vtrumq; cœlum sit: sicut dicit scriptura. *In principio creauit Deus cælum terram*: similiter & contenta in eis: cœlum inuisibile continet res inuisibiles, sc. angelicas virtutes: cœlum visibile res visibiles corporales: ideo conuenienter secundùm expositionem per cœlum intelliguntur omnia inuisibilia, quæ nobis reuelantur: per terram omnia visibilia, sicut videtur dicetur. Ps. 113. *Terra autem dedit filijs hominum*.

Psal. 113.

Genes. 1.

¶ QVOD obijcitur, de tenebris: distinguendum, quòd tenebra accipitur dupliciter. Vno modo pro obscuritatem, quę est priuatio luminis ex obiecto corporis vmbrosi: & in isto sensu illud non intelligitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Alio modo pro carentia luminis: & tunc idem est tenebra, quod lucis absentia, & ita illud accipitur. Tenebræ erant, &c. i. lux non erat adhuc. Adhũc autem articulum contra Manichæum disputatum est in Prima Parte de Trinitate, & Secunda Parte de Conditione rerum.

Genes. 1.

¶ SEQVITVR. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum*. Dupliciter potest legi, vt dicas filium eius vnicum, vt sit ibi punctus: vt sit sensus: filium eius. i. patris, vnicum. i. vnigenitum. In quo monstratur, quod quamuis filius procedat à patre: & spiritussanctus: vnus est tñ filius qui procedit per modum generationis, Iesus Christus: non spiritussanctus. Aliter sic potest dici, filium eius, *vnicũ Dominum nostrum*. Aug. in lib. de Symbolo. *Quando audies vnicum Dei filium: agnosce Deum, si verus est filius, hoc est, quod Pater: ergo si Deus Pater: Deus filius: quicquid enim est id, quod generat, est id quod generatur: non generat homo bouem, ouis canem: sed homo hominem*, &c. *Sic Deus Deum: & quia vnus vnum: ideo vnicum. Item, quando audis vnicum credere omnipotentem, creatorem*, &c. *Quia quicquid habet Pater, habet Filius*. Augustinusmet. *Si aliquid habet Pater, quòd non habet filius: quomodo dicit, omnia, quæ habet Pater, mea sunt?* Hoc autem verum, quod dicit veritas: dicto ergo de Patre, esse omnipotentem & creatorem, sequitur filium esse omnipotentem & creatorem.

Symbol. Apost.

Ioan. 16.

¶ SED quæritur? cùm in symbolo Athanasij dicatur. *Dominus Pater, Dominus filius, Dominus spiritussanctus*: quare Dominum appropriatur filio, nõ patri, nec spiritusancto?

¶ ITEM, quare dicatur *noster* plusquã Pater, vel spiritussanctus? indiuisibilia enim sunt opera Trinitatis, indiuisibilis etiam essentia.

¶ AD primum dicendum; quod est Dominium creatum, & increatum. Dominium increatum non appropriatur filio: sed Dominium creatum ei appropriatur ad honoré ipsius: vt inquantùm homo Dominus etiam creaturæ credatur. Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas* &c. Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Gloss. *Potestati eius omnia subiecisti, vt omnes eum adorent*.

¶ AD secundum dicendum: quod *noster* dicitur quia participat nostram naturam, quam sibi vniuit in vnitate personæ non pater, nec spiritussanctus. Similiter dicitur propter executionem ministerij redemptionis nostræ in carne assumpta.

¶ SEQVITVR. *Qui conceptus est de spiritusancto*. Sumitur antè iste articulus de Matth. vbi dicitur. *Inuenta est habens in vtero de spiritusancto*.

Symbol. Apost. Matth. 1.

¶ SED cum operatio spiritussancti imperceptibilis sit: quomodo inuenta est Maria habens de spiritusancto? Propter hoc ita debet legi, *inuenta est habens in vtero*, & addit Euangelista *de spiritusancto*.

Ibi.

¶ QVÆRITVR etiam: cùm sit conceptus de spiritusancto, vtrum dici possit filius spiritussancti? Quòd Magister determinat. 3. Sent. secundum Augustinum in dist. 4. dicentem ita. *Proculdubio non sic de illo, vt de patre: non enim est concedendum, quicquid nascitur de aliqua re, continuò eiusdem rei filium nuncupandum. Vt enim alia sileam: aliter de homine dicimus nasci filium, aliter pediculum, lumbricum*, &c. *Quorum nihil est filius*. Ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur: certè quæ nascuntur ex aqua & spiritusancto, non aquę filij rectè dici ponunt. Et ex hoc patet, quòd malè dicitur filius spiritussancti.

¶ ITEM, Hier. in symbolo suo ad Damasum Papã. *Conceptus est de spiritusancto non (sicut quidam sceleratissime opinantur) spiritussanct⁹ fuit ibi pro semine, sed virtute creatoris operat⁹ est*.

¶ CONTRA, Isa. 11. *Requiescet super eũ* Gl. In Euangelio Nazaræorum, quod hebraicè scriptum est; ita habetur: *Spiritus sanctus descendit super eum, & dixit: Ecce expectaui te fili mi, vt venires; & requiescerem in te: quia tu es filius meus primogenitus*.

Nazar. Hebraic.

¶ ITEM, Io. Chrys. super illud Mat. 1. *Quod.n. in ea natum est*, &c. *Vnigenito Deo in Virginem ingressuro, præcessit spiritussanctus, vt præcedente spiritusancto in sanctificationem nascatur Christus secundùm corpus, diuinitate ingrediente pro semine*.

¶ ITEM, in Ps. 2. *Ego hodie genui te*. Gl. *Licèt istud possit intelligi de die qua natus est secundùm humanitatem: tamen*, &c. Si ita est: ergo, cùm illa verba sint patris, *Ego hodie genui te*. Filius erit patris secundùm humanitatem: sed constat, quòd in alio sensu non potest illud esse verum; nisi quia Pater operatus est eius humanitatem. Ergo cũ similiter spiritussanctus operatus sit eius humanitatem, poterit dici filius spiritussancti, scil. secundùm humanitatem.

Psalm. 2.

¶ PROPTER hoc volunt quidam dicere, quòd sit filius spiritussancti secundùm humanã naturam: filius (dico) per gratiam, seu per adoptionem. Sicut econtrà dicitur de filio secũdũ diuinitaté respectu patris, quod est filius nõ adoptiu⁹, sed naturalis & æternus: quia super illud. *De filio suo*. Gl. *Non adoptiuo, sed suo, sc. proprio, & sibi substantiali, coæterno*, &c. quorũ opinio ex tractatu de Incarnatione manifestè patet suprà.*

Rom. 1. Glossa. * Quæst. 10.

¶ ALIJ verò melius sentiẽtes, non concedunt istã aliquo modo, filius spiritussancti: & respondent ad obiecta sic.

¶ AD illud, quod primò obijcitur de Gloss. Esa. dicunt, quòd

quod falsò assumitur illa auctoritas: non enim (vt ipsi dicunt) ibi est, *sanctus*, secundùm veram literam: vnde ibi habetur sic: *Cùm Dominus Iesus ascendisset de aqua, fons Spiritus descendit super eum, & dixit*, &c. hæc sunt verba Patris, qui est fons Spiritus, à quo procedit: & hoc est, quod habetur Matth. 3. *Vox Patris audita est*, &c.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Chrysost. dicendum: quod, *de*, aliquando dicitur substantialiter; vt cùm dicitur Filius de Patre: aliquando materialiter; vt secundùm assumptionem carnis de matre: aliquando potestatiuè: vt cùm dicitur, Christus conceptus est de Spiritu sancto. Vnde Ambr. *Quod ex aliquo, aut ex substantia, aut ex potestate eius: ex substantia, sicut Filius ex Patre: ex potestate, sicut ex Deo omnia.* Et hoc modo accipitur hic, cùm dicitur: *Conceptus de Spiritu sancto*: quia ex operatione & potestate Spiritus sancti conceptus est Christus: propter hoc non dicitur Filius Spiritus sancti. Et ad illud, quod dicit Chrys. de semine. Dicendum, quod in semine sunt duo: potentia effectiua respectu eius quod generatur: & potentia materialis. Quantum ad potentiam affectiuam, dicit Chrys. quod diuinitas introiuit in Virginem pro semine: quantum verò ad potentiam materialem, negat Hieronym. (& benè) quod Spiritus sanctus fuerit ibi pro semine.

Ambros. in lib. de Spiritu S. Symbol. Apostol.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Gloss. super illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te*. Dicendum, quod impropriè dicitur Filius Patris secundùm humanitatem; quia operatus est humanitatem: improprietates autem non sunt extendendæ, sed exponendæ: vnde non valet argumentum. Simile habes Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus*, &c. Gloss. *In huius rei præsagium de Sara genuit filium*, non ideò dicendus est Isaac Filius Dei; quia illud impropriè dicebatur, sensus enim est; genuit, id est, generationem operatus est.

Matth. 3. Glossa.

¶ Sequitur. *Natus ex Maria Virgine*. Vbi opponit hæreticus. Matth. 1. *Peperit Filium suum primogenitum*: sed primus non dicitur, nisi respectu secundi: ergò habuit alium Filium: sed constat, quod ille alius non fuit Christus: ergò ille cóceptus fuit ex semine viri: ergò Maria nó fuit Virgo.

Symbol. Apostol. Matth. 1.

¶ Ad hoc respondetur, quod *primum* dicitur duobus modis. Vno modo per ab negationem prioris: & tunc est sensus: primum, ante quem nullus: secundùm hoc primogenitum dicitur hic per ab negationem priorum, id est, ante quem nullus. Alio modo dicitur, *primum*, in comparatione ad posterius: & sic primogenitum diceretur, post quod aliud: & sic opponit hæreticus: loquitur enim Euangelista consuetudine legalis sermonis, qua primogenitum dicebatur, quod primo nascebatur, siue aliud sequebatur, siue non.

¶ Item, cùm dicatur natus de Patre: hic autem dicatur, *natus ex Maria Virgine*: videtur quod bis sit natus.

¶ Sed contra, aut est numeratio æternitatis, quod esse non potest, cum altera natiuitas sit temporalis: aut temporis, quod iterum esse non potest, cum altera sit æterna: aut erit numeratio temporis & æternitatis, quod esse non potest, cum æternitas interruptionem non habeat: quia tota simul: & quia æternitas est totum, & quasi totum ad tempus, & ita non connumeratur cum illo.

¶ Dicendum ad hoc, quod non est numeratio mensurantis, scil. æternitatis, nec temporis: sed mensurati, scil. natiuitatum.

¶ Sequitur. *Passus sub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus, & sepultus*. Quæritur, quare hoc totum dicatur esse vnus articulus: cum alij præcedentes sint diuersi articuli, scilic. *Qui cóceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*: & quare in nullo Symbolorum est diuisus iste, sicut ille. *Qui conceptus est*.

Symbol. Apostol.

¶ Ad hoc dicendum, quod isti actus cósequentes sunt in vnitate temporis: conceptio verò, & natiuitas actus diuersi sunt, vt longo tempore distantes.

¶ Sequitur. *Descendit ad inferos*. Hoc videtur non esse articulus: cū Ioā. Baptista de hoc dubitauerit: dubitare .n. de articulis fidei, infidelitas est. Cùm ergò constet ipsum fuisse fidelem, & sanctum: & de hoc dubitauerit; videtur, quod non sit articulus. Quod dubitauerit, patet per Glos. super illud Matth. 11. *Tu es, qui venturus es?* dicit ibi Glos. *Cùm*

Matth. 11. Glossa.

ab Herode sim occidēdus, & ad inferna descensurus, debeo te nunciare inferis: sicut te nunciaui superis? an conueniat Filio Dei mori? an alium ad hæc sacramenta missurus es? Item Gloss. *Poterat plus vates, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum.*

¶ Ad hoc quidam dicunt: quod contingit interrogare dubitatiuè, & sic non interrogabat Ioan. Contingit etiam interrogare per modum disputantis, & sic Ioannes interrogauit. Exemplum: in Luc. 2. de Christo. *Inuenerunt eum in medio doctorum*, &c. Amb. *Discit in terris, qui Angelos docebat in cœlis*: discit, id est, interrogat. Alij aliter distinguunt: quod est dubitatio infidelitatis, qua non dubitauit Ioannes: & est dubitatio pietatis: & sic dubitauit Ioann. quærens ex amore & pietate. *Tu es, qui venturus es?* licet non dubitaret: sicut mater videns Filium mortuum, dicit: es ne mortuus Fili mi: Et hoc est, quod dicit gloss. *non ſ. de. sed pietate dubitauit*. Aliter soluit Chrys. quod non pro se, sed pro discipulis quæsiuit: sicut dictum est supra.

Luc. 2. Ambros.

¶ Sequitur. *Tertia die resurrexit à mortuis*. Quare Mat. 12. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus*, ita Christus fuit mortuus, & resurrexit.

Symbol. Apostol.

¶ Contra. Rom. 6. *Scientes, quod vetus homo noster crucifixus est*. Gloss. August. *Quieuit vna die, & duabus noctibus in sepulchro*. Non ergò tribus.

Rom. 6. Glossa.

¶ Ad hoc dicendum, quod computatio fit in Scripturis duobus modis: vno modo cum præcisione; vt tantum, nec plus, nec minus: & dicit August. *vna die, & duabus noctibus*. alio modo per synecdochen: & tunc à Parte intelligitur totum, & ita intelligenda est illa auctoritas.

August.

¶ Et (vt meliùs patet) distinguendum est: quoniam est dies naturalis, & dies artificialis: dies artificialis est noster dies: dies naturalis continet viginti quatuor horas, scilicet diem & noctem. Potest ergò computatio fieri dupliciter: computatione secundùm diem naturalem computata est nox cum die sequenti secundùm morem antiquorum: sicut dicit Gloss. super Matth. 12. *Accipe autem diem parasceue, in quo Christus fuit positus in cruce, & mortuus hora nona, cum nocte præcedenti: & habes vnam diem naturalem integram: deinde accipe noctem præcedentem diem Sabbati cum ipsa die, & habes alium diē: deinde accipe noctem præcedentem diem Dominicam cum ipso die per synedochen, & habes tertium diem naturalem: & ita habes tres dies naturales*: ergò tres dies & tres noctes, si computatio fiat per diem artificialem.

Matth. 12.

¶ Item, cùm dicitur: *Tertia die*. nunquid intelligitur, ꝙ de luce surrexit, vel ante diem? Videtur, quod ante diem, per illud quod dicitur Iudic. 16. *Dormiuit Samson vsque ad medium noctis*. Gloss. *Samson in media nocte non solùm exiuit, sed & portas tulit: quia Redemptor noster non solùm de inferno liber exiuit, sed inferni claustra destruxit*. Et sic videtur, quod ante lucem surrexit.

Iudic. 6. Glossa.

¶ Sed contra: dicitur, quod non ante lucem, sed de luce, per hoc quod dicitur ab August. 1. Mach. 3. super illud. *Elegit Lysias*, &c. Gloss. *Ab hora mortis Christi, vsque ad diluculum Resurrectionis constat hora quadraginta*, &c. Cùm ergò dixerit ibi, quod in diluculo, constat, ꝙ nō ante diem: imò in die.

1. Macha. 3. Glossa.

¶ Ad quod dicendum: quod non sunt contraria; quia quod dicitur ante lucē surrexit; respexit illud, quod dixit Ioan. 20. *Cùm adhuc tenebræ essent*: & sic intelligitur illud, *ante lucem*. id est, antequā esset clara dies: in diluculo enim nondum est clara dies.

Ioan. 20.

¶ Resurrexit *à mortuis*. Ad Rom. 6. super illud. *Christus resurgens ex mortuis*, &c. Gloss. *Longè ex mortuis remotus*. Sed quare dicitur hoc, cùm semper fuerit longè à mortuis remotus? Dicendum, quod ante non erat longè valde à mortuis remotus, eò quod erat moriturus: vnde in Iob. 38. super illud. *Et solùm mihi super est sepulchrum*. Penè mortuum considerat, qui se moriturum non ignorat: scil. post Resurrectionem longè à mortuis, qui mori non potest.

Iob 38.

¶ Ascendit *ad cœlos*. secundùm quod homo: sicut dicitur. Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*. August. in gloss. *Descendit secundùm quod Deus: ascendit secundùm quod homo*. Sed Ioan. 20. habetur ex gloss. super illud. *Nondum ascendi ad Patrem meum*: ꝙ ascendere æqualitatem dicit: vnde filium ascēdere ad Patrē, est æqualē esse Patri.

Ioan. 3. Glossa. Ioan. 20.

¶ Sed obiicitur: ꝙ nunquam erat æqualis ei secundùm quod

quod Deus:& ita non ascendit ad æqualitatem.

¶ SOLVTIO. Non ascendit in re, sed in notitia, id est, innotuit. Simile habetur, Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas*, id est, apparet mihi data.

¶ SED videtur, quod aliquis possit credere absq; peccato ipsum non esse æqualem Patri: immò de Magdalena Ioan. 20. dicitur. Ioan. 20. super illud. *Noli me tangere.* Et quia ista adhuc carnaliter in eum credebat, quem sicut hominem flebat, audit: *Noli me tangere*, id est, sic credere in me: *nondum enim* (in corde, sc. tuo) *ascendi ad Patrem*, id est, nondum credis me æqualem Patri: tunc tanges, cùm nõ imparem credes. Sed probatur, quod ipsa charitatem habebat: quia, vt habetur Ioan. 20. super illud. *Maria flebat ad monumentum*, Gregor. Gloss. Ex nimio amore. Item Gregor. *Discipulis recedentibus, mulieres, quæ ardentius amabant, non recedebãt.* Et Iob 19. Iob 19. Glossa. *Pelli mea consumptis carnibus*, &c. Gloss. *consumptis carnibus, id est, discipulis per infidelitatẽ, os meum, id est, fortitudo diuinitatis meæ adhæsit pelli meæ, id est, mulieribus deseruientibus.* Et ita videtur, quod haberet charitatem: tamen non credebat æqualem esse Patri Christum.

¶ RESPONDENT quidam, quod non habebat charitatem: & exponunt auctoritatem de amore naturali: vnde dicunt, quod in sola Virgine stetit Ecclesia, cuius fides sola remansit in passione: propter quod dicunt eius memoriam fieri in Sabbato. Alij dicunt secundùm auctoritatem Iob: quod fides & charitas mansit in mulieribus. Et quod obiicitur de Magdalena. *Noli me tangere*, &c. exponunt sic. Nondum credis me æqualem Patri, id est, credendo non aduertis: sicut ille, qui scit omnẽ mulam esse sterilem: non auertit de hac, quam credit habere in vtero; scit tamen in vniuersali: sic ipsa non aduertebat, tamẽ in vniuersali hoc credebat. Quod patet: quia si aduerteret, quod ei dimisit peccatum: cognosceret ipsum esse Deum. Et hoc: quod Sabbatũ cur B. Virgini dicatum. alij dicunt de B. Virgine quantum ad Sabbatum: respondent, quod propter aliam causam deputatur Sabbatum, quia sicut in sexta feria celebratur memoria passionis Christi; ita cum ipsa quoddam modo passa sit, illius passionis fuit memoria celebranda: quando sexta feria fieri non potuit, ad Sabbatum translatum est. Hoc enim est, quod quidam dixit. *Verum est eloquium iusti Simeonis; quod promisit gladium semet doloris.* Et quod ita Sabbatum deputatur ei, si- Ezec. 46. gnatur, Ezech. 46. *Hæc porta non claudetur vsque ad vesperam: & adorabit ad ostium portæ eius omnis populus in Sabbatis.* Prima opinio, quæ dicit: quod in sola virgine stetit Ecclesia: videtur nobis vera. Quod autem magdalena hæsitaverit in Ioan. 20. Glossa. triduo in fide, videtur in pluribus locis. Ioan. 20. *Mulier, quid ploras?* dicit gloss. *Quæ non credit, ad huc mulier, adhuc corporei sexus appellatione signatur.* Alia gloss. *Quasi non lachrymas nudas, sed fidem exigo.* Quo insinuatur ipsam dubitasse in fide. Et in eodem ibi. *Dicit ei Iesus*, &c. *Fidem docens, & in corde illius hortulanus seminans.* &c. & consequenter planè habetur in gloss. illa, quod non credidit.

¶ SEDET *ad dexteram* Symbol. Apostol. Gloss. Psal. 109. super illud. *Sede à dextris meis Duo notat, sc. enim post laborem passionis, & quiescere, & conregnare; & in occulto esse* Et ad Heb. 1. super illud. *Sede à dextris meis.* gloss. *Victori filio consessus confertur à dextris, id est, in potioribus bonis meis, scil. secundùm quod homo: vel conregnat coæqualis mihi, secundùm quod Deus.*

¶ SED quæritur de simplici vetula, quę credit eum materialiter sedere ad dexterã Patris: vtrum sit infidelis? sicut si crederet materialiter conceptum esse de de Spiritu sancto? Respondetur, quod non similiter: nam materialiter conceptum esse de Spiritu sancto, peremptiuum est huius Symbol. Apostol. articuli. *Qui natus est de Virgine.* si intelligatur materialiter, id est, per opus viri. Si autem intelligatur sic, quod Spiritus sanctus sit materia: peruersus est intellectus huius. *Qui conceptus est de Spiritu sancto*: vt supra diximus: & hæreticum est.

¶ SED iterum potest obiici: Patrem esse passum, non est peremptiuum alicuius articuli: videtur ergò, quod credere illud non sit hæreticum; quod falsum est, quia talis esset Patripassianus.

¶ RESPONDEO, quod cùm dicitur. *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* &c. hoc relatiuum, *qui*, refertur ad hoc antecedens, *vnicum Filium*, vt sit sensus: vnicus Filius passus est: & sic quòd Pater passus sit, est huic oppositum: & sic relatiuum refertur ad antecedẽs cum sua determinatione. Similiter ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* priùs dixerat. De Filio suo, qui factus est ei secundùm carnem: inde *Qui prædestinatus est*, &c.

¶ SEQVITVR. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Symbol. Apostol. Ergò omnes iudicabuntur & boni & mali.

¶ CONTRA, Gregor. Gloss. Greg. super illud. *Non resurgunt impij in iudicio. Quatuor ordines erunt in iudicio: alij namque erunt, qui iudicabunt, & non iudicabuntur: alij, qui nec iudicabunt, nec iudicabuntur; quia iam iudicati sunt (sententia enim damnationis eorum toti Ecclesiæ nota est) vt sunt infideles: alij iudicabuntur, & saluabuntur; vt mediocriter boni: alij iudicabunt & damnabuntur, vt mediocriter mali.* Sic ergò instantia videtur in perfectis & in fidelibus.

¶ RESPONSIO: verum quod dicitur, quod iudicabit viuos & mortuos; quia, *omnes* (vt dicit Apostolus Ro. 13.) Rom. 13. *stabunt ante tribunal Christi*: sed dicitur non iudicare illos, qui nõ exercibitur in illis solemnites iudicij, sc. inclinatio Matth. 25. Glossa. illa, de qua dicitur Matth. 25. *Venite*, &c. *esuriui*, &c. Vnde gloss. Greg. dicit. *Præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerunt, inuectione redargui non merentur: illi saltem verba iudicis audient, qui eius fidem saltem verbo tenuerunt. Princeps namque terrenus rempublicam gerens, aliter punit interius delinquentem, aliter hostem exteriùs rebellantem.* Et sic intelligitur illud. Ioan. 3. Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est* Ad idem potest facere 1. Tim. 5. GlAug. quod dicitur. 1 ad Tim. 5. *Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quorundam verò sequuntur.* Quod itẽ Gloss. exponit de iudicio in præsenti: quia si iste sequitur, Symbol. Apostol. iudicium enim est temerarium. *Credo in Spiritum sanctum.* Hoc exponitur & determinatur in Symbolo Patrum. *Qui ex Patre Filioq; procedit*, &c. sicut infra ostendetur.

¶ SANCTAM *Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.* Leo Papa. Leo Papa dicit, quod non dici, *in sanctam Ecclesiam Catholicam*: sed, *sanctam Ecclesiam Catholicam.* Anselm. vult ita An selm. ad Phile. dici, vt in epist. ad Philemonem. *Audiens charitatem & fidem,* Gl. ordin. *quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos*, &c. Gloss. *Quia enim in Christum credebat, eum diligebat: & sanctis credebat: & eos diligebat, & per opera fidei, & charitatis Christo seruiebat, & sanctis.* Per hoc patet, quod aliter intelligitur credere in Glossa. interlin. Deum, & credere in sanctos: vnde dicit gl. ibid. *vel sanctis.*

¶ SI quæratur, quis motus notatur: cum dicitur, in sanctos: Dicendum, quod motus in conformitatem sanctorum quantum ad perfectionem vitæ.

¶ SANCTORVM *communionem, remissionem peccatum.* Est Symbol. Apostol. sensus, credo quod Sacramenta & participatio Sacramentorum, quæ sancti communicant; conferunt remissionem peccatorum: quia faciunt, quod concubitus, qui alias esset peccatum mortale, non sit peccatum mortale. Vel, credo ꝙ vnitas Ecclesiæ tanta est: ꝙ vnusquisq;, qui membrũ est; particeps est omniũ, quæ sunt totiꝰ corporis. Gl. in Psa. 118. *Portio mea.* &c. sup illud. *Particeps ego sum Mẽbrũ particeps est totius corporis: ita enim portio eius est Dominus, vt particeps sit, non vnius, sed omnium Ecclesiarum.* Tanta igitur virtus vnitatis: ꝙ cùm sit particeps Christi, humiliter dicitur particepes famulorum Christi: quod est esse Christi participem. & He- Heb 3. Glossa. bræ. 3. *Participes Christi effecti sumus* &c. Gl. *Per gratiam, qua vniti sumus ei, vt membra capiti.* Et Colo. 1. super illud. *Adimpleo* Colos. 1. Gl. inter L. *ea, quæ desunt*, &c. Gloss. *Ad communem hanc quasi Rempublicam quisq; pro * modulo suo exoluit, quod debet: & pro possibilitate viriũ* * Alias. modo. *nostrarum, quasi canonem passionum inferimus: peremptoria plenaria passionum non erit, nisi cum seculo finitum erit.* Item, quasi vnus homo, vna persona est caput cum corpore, Saluator cum saluandis.

¶ CARNIS *resurrectionem.* Symbol. Apostol. Congruus ordo: nam remissio peccatorum est resurrectio animæ, quæ est resurrectio prima: ad istam verò sequitur resurrectio corporis gloriosa in bonis, quæ est resurrectio secunda: sicut dicitur ad Ro. 8. Rom. 8. *Scimus, quoniam si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum, inhabitat corpora nostra: resuscitabit & nos propter inhabitantem Spiritum.* Tenet tamen, ꝙ dicit Apostolus. 1. Cor. 15. 1. Cor. 15. *Omnes resurgemus*, &c. ad vtrumque prædictorum, scilic. resurrectionem animæ & corporis.

¶ SEQVITVR. *Vitam æternam*: quæ est beatitudo. Symbol. Apostol.

¶ SED quæritur: quare non adiungitur pœna æterna: cum vtrumque oporteat credere? Dicendum, quod natu-

ra oppositorum est, vt vno dicto, intelligatur reliquum. Sufficiant ergò, quæ prædicta sunt, de expositione Symboli Apostolorum.

ARTICVLVS II.

De Symbolo Patrum.

DICTO de primo Symbolo Apostolorum: dicendum est de Symbolo Patrum, quod cantatur in Missa. Sed quia ferè omnia, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, continentur in isto: & quia ista exposita sunt priùs: hic sunt omittenda. Mutata tamen siue prætermissa & addita quædam ad præsens sunt explicanda.

¶ DIVIDITVR autem Symbolum istud in duas partes. Symbol. PP. In prima indicatur vnitas, cùm dicitur. *Credo in vnum Deum* deinde sequitur confessio Trinitatis: & illa continet tres partes: prima est de Patre. *Patrem omnipotentem*, &c. secunda de Filio. *Et in vnum Dominum*, &c. tertia de Spiritu sancto. *Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem.* Prima pars de vnitate essentiæ exposita est priùs: distinctio tamen personarum aliter exponitur in Symbolo isto, & in præcedenti.

¶ DE patre duo confitemur hic, omnipotentiam, & operationem cœli & terræ: hoc tamen sine dubio est commune tribus personis: sed per appropriationem Patri attribuitur, sicut expositum est prius.

¶ QVÆRITVR tamen de diuersitate vocabuli significantis creationem: nam ibi dicitur, *Creatorem*, hic *factorem*.

¶ AD quod dicendum: quod creare est de nihilo aliquid facere: facere verò (sicut communiter dicitur) commune est ad operari aliquid de nihilo, & ad operari aliquid de materia. Vt ergò monstretur operator eorum, quę facta sunt de nihilo, sicut Angelorum, animarum, & primæ materiæ: & omnium, quæ producta sunt ex materia: profitemur non solùm Creatorem, sed & Factorem: ipse enim est omnia in omnibus.

¶ DE Filio verò quædam exprimuntur secundùm diuinitatem, quædam secundùm humanitatem. Secundùm diuinitatem ponuntur quinque, ad excludendum quinque errores Arrianorum, quos ipsi mentiebantur de Filio Dei. Primus, quod non esset eiusdem substantiæ cum Patre: contra quos fides dicit. *Et in vnum*, repete Deum cum Ioan.14. Patre. Ioan.14. *Ego* (inquit) *in Patre, & Pater in me est: ego & Pater vnum sumus.* Secundus error Arrianorum est, quod Filius minor patre est: contra quos confiteretur fides Ca- Symbol. PP. tholica *Dominum Iesum Christum*, id est, æqualem patri & Spiritui sancto in potentia. Psal.109. *Dixit Dominus Domi-* Psal.109. *no meo, sede à dextris meis.* Gloss. *Corregna æqualis.* Tertius er- Glossa. ror est, quod Filius sit adoptiuus, non naturalis: sicut, in Ioan.1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, quod euacuat fides Catholica: & dicit, *Filium Dei vnigenitum.* Ioan.1. *Deum nemo vidit vnquam: nisi vnigenitus Filius Dei.* Quartus error est, quod natus est ex tempore, non ab æterno: contra quod fides Catholica profitetur, *ex Patre natum ante omnia secula.* Ioan.1. *In principio erat verbum.* Quintus error est, quod Filius Dei sit pura creatura: quod fides Catholica excludit, dicens. *Deum de Deo, lumen de lumine.* Ioan.1. *Deus erat verbum.*

¶ SOLVIT autem oppositionem eorum fides Catholica congruo exemplo: opponunt enim: si Filius esset à patre, vt Filius naturalis; cùm nullus Pater, sine sui diminutione & decisione generet Filium sibi æqualem: & de Deo absurdum sit istud asserere: relinquitur quod Deus Pater nunquam habuit Filium naturalem. Manifestat fides Catholica istos mentientes, & dicit. *lumen de lumine.* sicut lumen enim absque sui diminutione, vel minoratione ex se generat lumen aliud: sic Pater Filium. Radix autem erroris eorum est: quod attribunt Creatori, quod est creaturæ. Ex prædictis erroribus ceciderunt in profundum errorum, vt dicerent, Christum esse puram creaturam: & Deum, non naturaliter, sed adoptiuè, vel per gratiam: sicut dicitur. Exod.7. Moysi. *Ecce constitui te Deum Pharaonis* Sed econtra fides Catholica profitetur: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum*, &c. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* August. *Quomodo factus est, per quem omnia facta sunt? si* August. *enim per ipsum facta sunt omnia: iam non est factus; iam non est creatura.*

¶ QVÆRITVR: vtrum possit concedi, factus? probaquod sic. Rom.1. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid.* item ad Gal.4. *Misit Filium suum, factum ex muliere*, ergò vi- videtur posse concedi, quod sit factus: quid est ergò, quod dicitur, *genitum non factum*? Ad hoc soluit August. super Idem. Ioann. & ad Rom. *factus dicitur secundùm humanitatem, non factus secundùm diuinitatem*: ergò factus, & non factus, non sequitur: sed est fallacia secundùm ignorantiam elenchi.

¶ ADHVC iterum apponitur, Ioan.1. *Qui post me venit, ante me factus est.* Soluit ibi Interlin. *Qui post me factus est tempore, ante me factus est dignitate*, & totum referetur ad humanam naturam.

¶ QVÆRITVR ratione eius, quod dicit, *natum ante* Symbol. PP. *omnia secula*: vtrum possit concedi, semper nascitur: sicut conceditur, semper natus. Et de hoc est magna disputatio in Sent. lib.1. dist.9. Nam (sicut dicit Gregorius super Iob) *Dominus Iesus eò quod virtus & sapientia est, de Patre ante tempora natus est: vel potius, quia nec cœpit nasci, nec desinit esse: dicamus verius, semper natus est: non autem possumus dicere: semper nascitur, quia si semper nascitur, nondum natus est.*

¶ CONTRA ibid: & habetur ab Origin. super Hierem. 11. *Inuenta est coniuratio. Saluator noster est sapientia Dei: sapientia verò est splendor æternæ lucis.* (Sapient.7.) Saluator ergò noster est splendor claritatis æternæ: splendor autem non semel nascitur, & desinit: sed quotiens ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur: totiens etiam oritur splendor claritatis: sic ergò Saluator noster semper nascitur. Vnde Prouerbiorum 8. *Ante omnes colles* Prou.8. *generat me.* non (vt quidam malè dicunt) generauit. Ecce manifesta contrarietas. Gregorius dicit, quod Gregor. benè dicitur, semper natus: malè autem dicitur, semper Origen. nascitur: Orig. econuersò.

¶ RESPONSIO. vtrumque benè dicitur, & sanè: Filius de Patre semper nascitur, vel semper est natus. Et vt soluatur contrarietas distinguitur: quod hoc verbum, *nascitur*, duplicem habet consignationem: consignat enim præsentialitatem; secundùm quod in præsenti est: item consignificat imperfectionem, eò quod significat in fieri: secundùm hoc dicitur, si fit aliquid, non est. Origen. ergò respexit ad consignationem primam: Gregorius ad secundam. Similiter autem distinguendum est in hoc quod dicitur, *natus*, nam duplicem habet cõsignificationem: consignificat enim tempus præteritum: consignificat etiam perfectum: præteriti enim perfecti temporis est. Origen. igitur considerans consignificationum temporum dicit; dicitur conuenienter, semper nascitur? non semper natus est præsenter: non præteritè: illi enim natiuitati æternæ, & perfectæ congruit præsens: quoniam est, & non præterijt. Gregorius verò respiciens ad consignationem perfectionis significantis natiuitatem perfectam dicit, semper natus est, non semper nascitur: quod significat imperfectionem. Diuersis igitur respectibus vtrumque benè dicitur, & sanè.

¶ QVÆRITVR: vtrum hæc sit concedenda: semper nasceretur? Et videtur, quod melius debeat concedi: quam ista, semper natus: nam cùm presens magis congruat æternitati: quod magis se habet ad præsens, magis congruet: sed futurum magis se habet ad præsens, quam ad præteritum: quia futurum aliquando erit præsens, præteritum nunquam: si ergò signando æternam natiuitatem concedimus, semper natus: multò fortiori ratione concedemus, semper nascetur.

¶ SOLVTIO. Implicatur falsum in prædicta argumentatione: non enim conceditur ista, semper natus, ratione consignationis præteriti: sed (vt dictum est) ratione perfectionis: ista verò, semper nascitur; concedebatur ratione consignationis præsentis. Cùm ergò neutrum inueniatur in hac, semper nascetur; nec consignatio perfecti simpliciter; hæc non est concedenda, semper nascetur.

¶ SEQVITVR. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.* Hic ponuntur quinque pertinentia ad humanitatem, scilicet incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, Aduētus ad iudicium. Circa primum notatur finis, vel vtilitas incarnationis ibi. *Incarnatus est.* auctor. ibi. *De Spiritu sancto.* materia, ibi. *Ex Maria virgine.* forma. *Et homo factus est.* Quæ sequuntur exposita sunt prius.

¶ SED quæritur de intellectu illius; quod dictum est. *Descendit de cælis.* Nam descendere moueri est: moueri autem incedere ad locū est, vbi res non est: qualiter ergò descendit, vel ascendit, qui nusquam deest. Ioann. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit.*

¶ SOLVTIO. Descendere dicitur de Filio Dei, non propriè, sed transsumptiuè. Transsumptum autem est verbum ad significandum incarnationem: nam sicut iste, qui descendit, tendit à sursum in deorsum: sic cùm Deus factus est homo, qui super omnes res est natura, bonitate, dignitate; rem infimam sibi vniuit. Nihil aliud ergò est descendere, nisi in carne humili apparere.

¶ QVÆRITVR: quare in Symbolo isto non apponitur articulus de descensu ad inferos? Ad hoc respondet Inno. cuidam Archiepiscopo: quod hoc fuit propter hæreticos. Fuerunt namque hæretici, qui dixerunt Christum esse puram creaturam, & apud inferos remansisse: propter quod adiudicauerunt sancti Patres illum articulum subticere. Alij aliter dicunt: nam cum semel dictum sit de Filio verbum descensus: cùm dicitur. *Descendit de cælis.* aliud autem

Symbol. Apostol. descendere nihil aliud sit, quam se exinanire: sicut dicit Apostulus ad Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum.* &c. iterum repeteretur in eadem serie. *Descendit ad inferos.* videretur duplex esse exinanitio: & ita posset esse materia errorum. Idcò adiudicauerunt sancti Patres illum subticere: & maximè cùm sufficienter esset positum in symbolo Apostolorum.

Symbol. PP. ¶ SEQVITVR. *Et in Spiritum sanctum Dominum.* De Spiritu sancto quędam profitetur fides Catholica in symbolo isto, quæ indicant dignitates eius speciales: quædam, quæ indicant effectus eius generales. Quæ indicant dignitates eius speciales, sunt quinque. Potestas indicatur, cùm dicitur *Dominum.* Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* in quo indicatur, quod sicut Pater est Dominus creaturæ, & Filius; sic Spiritus sanctus. Bonitas indicatur, cùm dicitur. *Et viuificantem.* Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* (Ex quo sequitur, quod qui caret Spiritu sancto, mortuus est. Et ex hoc trahitur auctoritas August. *sicut anima est vita corporis, sic Deus est vita animæ.*) Distinctio personalis indicatur, cùm dicitur. *Qui ex Patre, Filioq; procedit.* Æqualitas, cùm dicitur. *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur.* Doctrina, cùm dicitur. *Qui locutus est per Prophetas.* Ponuntur autem effectus generales quatuor. Primus vnitas, seu veritas Ecclesiæ Catholicæ, quā facit Spiritus sanctus; quæ est duplex, vnitas intellectuum in fide, vnitas effectuum in charitate: quæ duæ vnitates notantur, cum dicitur. *Et in vnam sanctam Catholicam.* Vnam in fide, in charitate: καθολικὴ enim græcè idem est, quod vniuersalis. Secundus effectus est remissio peccatorum in baptismo. *Confiteor vnum baptisma.* Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu,* &c. Tertius effectus est Resurrectio mortuorum. Quartus est vita æterna.

¶ QVÆRITVR de hoc, quod supra dictum est de Spiritu sancto. *Qui ex Patre, Filioq; procedit.* De hoc enim altercatio est inter Græcos, & Latinos: confessio enim Latinorum est, quod ab vtroqu procedit: Græcorum verò, quod tantum à Patre. Latini verò ostendunt suam cōfessionem per illud Apostoli ad Galat. 4. *Spiritum Filij sui,* quid enim aliud est Spiritus Filij, nisi qui procedit à Filio.

¶ ITEM, ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

¶ CONTRA. hoc opponunt Græci: primò quia non inuenitur scriptum in Euangelio, quod procedit à Filio: sed tantum à Patre: & subiungitur in fine. *Quicunque aliud addiderit, anathema sit:* vnde indicat nos anathematizatos.

Leo Papa. ¶ ITEM, Leo Tertius scripsit in tabulis argenteis symbolum illud, & reposuit illud iuxta altare beati Pauli: & ibi similiter non est appositum.

¶ ITEM, quærunt Græci; vnde hoc habuerunt Latini: si enim (inquiunt) illis reuelatum fuit, quare non & nobis.

¶ RESPONS. Ad illud, quod primò opponitur: quod non inuenitur in Euangelio. Respondendum est, interimendo: nam & si non inuenitur scriptum secundùm vocem; inuenitur tamen secundùm intellectum: cùm dicitur, *Spiritum veritatis,* id est, Filij: si enim est Spiritus veritatis: aut quia Spiritus est à veritate: aut quia veritas est à Spiritu. Si quia veritas à Spiritu: hoc non est; non enim Filius est à Spiritu: si enim esset; sic diceretur Spiritus veritatis, sicut dicitur Pater Filij. Si quia Spiritus est à veritate, quæ est Filius: hoc idem est dicere, quod procedit à filio.

¶ AD secundum respondet Magister. Qui aliud addiderit, anathema sit: aliud, id est, contrarium. Quod confirmatur ex auctoritate Apostoli. Galat. 1. *Si quis vobis aliud Euangelizauerit, anathema sit:* non dixit. *si quis aliud addiderit.* Nam si sic, sibi præiudicasset Apostolus: sicut dicit August. cupiebat enim venire ad quosdam, quibus scribebat. 1. ad Thessal. 3. vt suppleret, qui fidei illorum deerant. Sed qui supplet, quod minus est, addit: non quod inerat tollit: aliud, ergò contrarium intellige. Magister in senten. lib. 1. dist. 1.

¶ AD tertium, & quartum respondet Anselm. Græci Latinis opponunt: vnde Latini accipiunt, quod Spiritus sanctus procedit à Filio: & quare si expediebat, non fuit eis intimatum: Respondet: quod necesse erat propter quosdam minus intelligentes: quia non animaduertebant in illis, quæ vniuersa credit Ecclesia contineri: & ex his sequi Spiritum sanctum de Filio procedere: ne fortè hoc credere dubitarent. Quoniam ergò necessitas eos compellebat, & nulla ratio prohibebat, & fides vera admittebat: fideliter asseruerunt Latini, quod credendum esse cognoscebant. Scimus enim quod non omnia, quæ credenda nobis sunt, ibi dicta sunt: non enim ibi dicitur, ad inferos descēdisse; quod verum communiter credimus: nimis enim erat difficile ad consulendum de hac re recolligere: maximè cùm seiuncta essent Concilia: nec erat necesse, vnde non dubitabant in quæstionem adducere. Anselm. in lib. de processione Spiritus sancti

¶ QVÆRITVR: vtrum absolutè sit concedendum: *Spiritus sanctus procedit à Filio?* Respondet Anselm. *Quamuis non dicatur, Spiritus sanctus procedit à Filio per se: benè tamen dicitur Spiritus Filij: sicut benè dicitur, splendor procedit à sole & radio: non tamen dicitur splendor procedit à radio per se: sed splendor radij.* Idem in eodem.

¶ CONTRARIETAS autem Græcorum, & Latinorum sic soluitur: idem enim credunt, sed non eodem modo proferunt. Principium autem contrarietatis in prolatione ortum est ex diuersa comparatione accepta à creatura. Vnde ad hoc notat: quod est verbum interius, & exterius: verbum interius est cogitatio, vel intellectus: verbum exterius sermo est. Similiter & Spiritus duplex, interior & exterior: interior Spiritus amor est. exterior aër. Latini ergò, sicut August. & alij exemplicantes de verbo increato, & Spiritu increato, comparant spiritum interiorem ad verbum interius: Græci verò, sicut Damascenus comparant spiritum exteriorem ad verbum exterius. Et hoc est, quod dicit August. In Trinitate creata primò accipitur mens; deinde verbum, seu cogitatio: quia cogitatio mente concepta verbum dicitur; relinquitur, vt ex vtroque spiretur affectus, seu amor: mens patri attribuitur, verbum Filio, amor Spiritui sancto. Ex hoc ergò Latini dicunt Spiritum sanctum ab vtroque procedere, sicut amorem, ex mente & verbo interiori, seu cogitatione. Damas. sic: primò est intellectus, deinde verbum exterius, scilicet vox: Spiritus autem vehiculum est verbi: intellectus enim format vocem, & in prima voce spirata ostenditur intellectus: ecce intellectus patri attribuitur; verbum Filio, Spiritus Spiritui sancto. Sicut ergò vident Græci, quod ab intellectu procedit Spiritus & vox, & non Spiritus à voce: sic à Patre procedit Filius, & Spiritus sanctus, & non à Filio Spiritus sanctus.

¶ QVÆRITVR, quare in Symbolo isto omittatur communio Sanctorum? Ad quod potest responderi: quod intelligitur per hoc, quod dicit. *Vnam sanctā Catholicam,* &c. Symbol. PP.

vna

vna enim est Ecclesia, & non solùm fide & charitate: sed sacramentorum participatione, quæ est communio sanctorum.

¶ QVÆRITVR, cùm septem sint sacramenta: quare fit mentio solùm de baptismo in hoc symbolo, & non de alijs sacramentis?

¶ AD hoc potest responderi, quoniam nō fuit necesse ponere alia sacramenta: alia.n.sacramēta à laicis dari non possunt; illud aūt sacramentum ab omnibus datur in necessitate. In symbolo ergo, quod ad omnes pertinet; non fuit necesse ponere sacramentum: nisi illud, quod ab omnibus potest in necessitate ministrari.

¶ QVÆRITVR, quare dicitur vnum baptisma? Ad hoc respondetur: quoniam illud notabile est propter hæreticos, qui dicunt: quotiens homo peccat, baptismum debere iterari. Contra quos Apostolus ad Ephes. 4. *Vna fides, vnum baptisma.*

ARTICVLVS III.

De Symbolo Athanasij.

DETERMINATO de duobus symbolis in duabus distinctionibus: restat expositio symboli Athanasij. Diuiditur autem in tres partes: in prooemium, tractatum, & epilogum. Prooemium continet tria, vtilitatem, materiam, necessitatem: vtilitas notatur, cùm dicitur: *Quicunque vult, &c.* in hoc redditur auditor beneuolus: materia symboli, quæ est fides Catholica, monstratur, cùm dicitur: *Ante omnia opus est, &c.* vnde Hebr. 11. *Accedentem oportet credere, quia est, & quia remunerator est, &c.* in hoc redditur auditor docilis. necessitas tangitur, cùm dicitur: *Quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse, &c.* in hoc redditur auditor attentus. Et sic sumitur prooemium in duobus versibus. Hic tamen notandum: quod primus versus trahit per amorem: *Quicunq; vult saluus esse.* Secundus terret per pœnā, cùm dicitur: *Absq; dubio, &c.* (Symbol. Athanas.)

¶ QVÆRITVR de hoc quod dicit: *Vult saluus esse.* Quia cùm nihil sit in potestate nostra tantùm, quantum voluntas, sicut dicit Augustinus: videtur, quod in potestate nostra sit saluum esse.

¶ CONTRA ad Rom. 7. dicitur: *Velle mihi adiacet; perficere autem non inuenio.*

¶ SOLVTIO. Ad Hebr. 12. *Videte, ne quid desit gratiæ Dei.* Ex hoc trahitur, quod si facit homo quod in se est: Dominus infundit ei gratiam, quæ est pignus salutis.

¶ QVÆRITVR de differentia istorum duorum: *Inuiolatam, integram.* Ad hoc dicendum quod *Integram* respicit id, quod credendum est: *Inuiolatam* quod operandum. Iacob. 2. *Fides sine operibus, &c.* (Symbol. Athan.)

¶ *Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, &c.* Hic incipit Tractatus, qui diuiditur in duas partes: in prima parte describuntur ea, quæ credenda sunt de diuinitate: in secunda parte, quæ credēda sunt de humanitate, quæ incipit ibi: *Sed necessarium est, &c.* Prima pars continet tres partes: in vniuersali enim ostenditur primò, quod credenda sit in vnitate essentiæ Trinitas, & in Trinitate vnitas: secundò agitur de vnitate essentiæ: tertiò, de distinctione personarum. Prima pars continet quatuor versus; primus instruit cultum diuinum. *Fides autem Catholica hæc est, &c.* secundus confundit errores Sabellij, & Arrij simul. *Neque confund. neque personas:* tertius ostendit distinctas esse personas, contra Sabellium. *Alia enim est persona patris:* quartus ostendit simplicitatem essentiæ personarum, scilicet patris, & filij, & spiritus sancti. *Sed patris, & filij, & spiritus sancti vna est diuinitas.* (Symbol. Athan.)

¶ CONTRA hæreticos monstratur vnitas essentiæ in trinitate personarum, multiplici exemplo creaturæ. Augustinus ponit tale exemplum; *memoria, intelligentia, voluntas: hæc tria sunt* (sunt enim tres vires animæ) *sed in vna essentia, quæ est anima.* Item Anselmus; *Fons, riuus, stagnum, hæc tria sunt, & vnum non est alterum:* nam fons non est riuus, & sic de alijs; item à fonte riuus est, & non econuersò; ab vtroque fluxus, & non econuersò, & tamen sunt aqua vna & vna res. Item Hebr. 1. *Splendor gloriæ, &c.* sol, & splendor, & calor, tria sunt, & vna res; à sole splendor, ab vtroque calor. Item Deut. 4. *Deus noster ignis est consumens,* in igne tria sunt, carbo, flamma, & ardor, vel calor: vnum non est alterum, & sunt res vna; à carbone flamma, & non econuersò; ab vtroque calor. Item exemplum Dionysij; coniunguntur tres candelæ; tres sunt candelæ accensæ singulariter, & vnum est lumen; nemo enim posset diuidere in lumine illarum. Item exemplum Iudæi conuersi; fiant tres plicæ in panno vno; tres plicæ sunt singulariter, vnus tamen est pannus. Item exemplum generale ponit Augustinus: Tria hæc omni existenti insunt; essentia qua sunt, species qua differunt, vsus quo proficiunt; quasi vestigia Trinitatis, patris, & filij, & spiritus sancti: ista eadem alijs nominibus nuncupantur, vel nominantur ab Augustino, modus, species, & ordo: in lib. Sapient. 11. dicuntur numerus, pondus, & mensura. Habes ergo exemplum generale in vestigijs Trinitatis, quæ apparent in omni creatura. Habes etiam exemplum speciale in creatura spirituali, scilicet anima: habet enim trinitatem potentiarum, cùm sit simplex in essentia, scilicet vegetabilem, sensibilem, rationalem: item, secundùm aliam assignationem, concupiscibilem, irascibilem, & rationalem: item, secundùm aliam, mentem, notitiam, amorem: seu memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Item, in omni creatura, corporali, naturali, artificiata: naturali superiori, siue cœlesti, sicut in sole: inferiori, sicut in elementis, in igne & aqua: in artificiata, vt in panno. (Auguſt.) (Anſel. de incarnatione verbi.) (Dionyſ. de diuin. nominib. c. 1. par. 1.) (Aug. in li. de anima & spiritu)

¶ SEQVITVR de vnitate essentiæ specialiter: de qua profitemur in præsenti tria per modum priuationis: hæc sunt, *increatus, immensus, æternus.* Per hoc quod dicitur *increatus,* priuatur causalitas: per hoc quod *immensus,* situs & figura: per hoc quod *æternus,* durationis terminus. Et sic remouetur ab eo omnis paruitas creaturæ; quæ in tribus ostenditur. Primò in hoc quod creata est, & habet causam. & hoc remouetur, cùm dicitur: *Increatus pater, increatus filius, &c.* ex quo monstratur causā omnium, non habens causam. Secundò ostenditur paruitas creaturæ in hoc, q̄ circumscripta est tempore, & loco: q̄ remouetur cū dicitur: *immensus pater, immensus filius, &c.* ex quo relinquitur, q̄ eius essentia est infinita. Tertiò ostenditur creaturæ paruitas in hoc, quod habet durationis suæ terminum: vel ex parte vtraque, scilicet principij & finis, sicut res temporales; quæ habēt principium & finem; vel ex parte aliqua, vt res perpetuæ, quæ principium habent, licet non finem; vt sunt angeli, & animæ, cœlum & terra: istud totum remouetur, cùm dicitur: *æternus pater, æternus filius, &c.* Nota tamen differentiam inter æternū, & perpetuum, & temporale. Tēporale est, q̄ habet principium, & finem: æternum, q̄ caret principio & fine, sicut Deus: perpetuum, quod habet principium, sed caret fine. (Symbol. Athan.)

¶ SED quia ostensum erat ista tria nomina, increatum, immensum, æternum, conuenire singulis personis: ne crederetur, quod essentia triplicetur secūdùm tres personas, subiungit: *Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.* Et hoc est, quod dicit Boëtius. *Philosophi (inquit) ita arguunt: Socrates est homo, Plato est homo, ergo Socrates & Plato sunt homines, non homo: duarum enim repetitio vnitatum pluralitatem facit.* Sed Theologi econtra arguunt: pater est Deus, filius est Deus, spiritus sanctus est Deus: ergo pater, & filius, & spiritus sanctus sunt vnus Deus, non dij: trina enim repetitio facit hic numerum. (Boet. in lib. de Trinitate.)

¶ SEQVVNTVR tria per modum positionis, omnipotens, Deus, Dominus, *Omnipotens pater, omnipotens filius, &c.* (Symbol. Athan.)

¶ CONTRA, opponit hæreticus; non est omnipotēs, qui omnia non potest; sed Deus non potest mentiri, nec praua agere; ergo non est omnipotens. Respondet Augustinus, quòd potentia peccandi non est potentia, sed impotentia; nec peccare est facere, sed deficere; peccatum enim est actus incidens ex defectu boni.

¶ SED adhuc opponit hæreticus; non potest comedere, nec bibere; hoc autem posse, est posse; quare, &c. Respondet Aug. quod posse currere defectiuum est posse, & imperfe-

imperfectum, & diminutum: omnis defectus & diminutio longè est relegata à Deo:& quamuis Deus posset, & operetur hoc in alijs; hæc tamen ei non attribuuntur. Ipse enim est, qui operatur omnia in omnibus: ab eo enim accepit creatura, quod hoc possit: non autem ei attribuuntur, quia sonant in defectum & indigentiam.

¶ CONTRA, Rom.8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Glos. *postulat, id est, postulare facit.* Quæritur ergo, cùm verbum postulandi sonet indigentiam, & tamen attribuitur Deo: quia Deus operatur illud per creaturam; quare non similiter attribuuntur ei omnia alia: vt diceretur, Deus comedit; quia nos comedere facit?

¶ AD hoc respondetur, quod cùm sit duplex creatura, corporalis, & spiritualis: actus spiritualis creaturæ magis gis ei conformantur & conueniunt; & ideo ipsi attribuuntur: actus verò corporalis creaturæ propter sui elongationem & dissimilitudinem Deo non conueniunt; quamuis ipse operetur ea.

¶ QVÆRITVR: cùm tria sint nomina essentialia generalia, quę aliquando appropriantur tribus personis: potentia, sapientia, bonitas: sicut profitemur in symbolo isto: *Omnipotens pater, omnipotens filius, &c.* quare similiter nō profitemur; Sapiens pater, sapiens filius, &c. bonus pater, bonus filius, &c. Symbol. Athanas.

¶ RESPONDERI potest, quòd ista duo intelliguntur per duo sequentia: in hoc enim nomine, Deus, intelligitur sapientia: in hoc nomine, Dominus, bonitas. Deus enim Græcè interpretatur θεὸς, quod est videns, seu cognoscens. Sapientia ergo notatur, cùm dicitur *Deus pater, &c.* bonitas in Domino; quoniam eius est regere, & conseruare, & protegere; quod ad bonitatē pertinet: vnde bonitas intelligitur, cùm dicitur: *Dominus pater, dominus filius, &c.* Θεὸς ἀπὸ τοῦ θεάω.

¶ QVÆRITVR cùm dominus relatiuè dicatur ad seruum: relatiua autem posita seponunt, &c. sequitur ergo si seruus est, dominus est: & si seruus non est, dominus nō est. Ergo eodem addito vtrobique, adhuc sequetur: ergo si non fuit seruus ab æterno, non erit dominus ab æterno.

¶ RESPON. per distinctionem: nam hoc nomen, dominus, potest significare dominium habitu: & tunc dicitur relatiuè, sed absolutè: vel potest significare dominium actu: & tunc dicitur relatiuè. In prima ergo significatione concedendum est, quòd Deus sit dominus ab æterno: in secunda non.

¶ SEQVITVR: *Quia sicut sigillatim vnamquamque personam.* expone sicut prius: additur enim istud ad significandum, quoniam quamuis prædicta cōueniant singulis personis per se: singulariter tamen, & non pluraliter conueniunt omnibus simul sumptis.

¶ SEQVITVR distinctio personarum: *Pater à nullo factus est, &c.* pater distinguitur hic ab alijs duabus personis per duo per paternitatem, & innascibilitatem: paternitas intelligitur in hoc quod dicitur, *pater*: innascibilitas per hoc, quod sequitur: *à nullo est factus, &c.* & remouetur à patre omnis modus essendi ab alio. Quædam enim sunt à Deo de materia: & hæc dicuntur facta propriè: ad horum differentiam dicitur pater *non factus*. Item, quædam sunt ab alio non de materia, & hoc dupliciter. Nam quædam sunt à Deo de nihilo, & hæc sunt creata: ad quorum differentiam dicitur *non creatus*. Quædam autem sunt ab alio, vt de sua substantia, non materialiter, sed substantialiter, vt filius à patre: ad horum differentiam dicitur *nec genitus*. Pater igitur nullo modo est ab alio, nec per factionem, vt naturalia & artificialia: nec per creationem, vt creata: sicut sunt, prima materia, angelus, & anima: nec per generationem, vt filius.

¶ SED obijcitur: cùm per hæc distinguatur pater sufficienter ab alijs personis: & omnia ista conueniant spiritui sancto, (à nullo enim factus est, nec creatus, nec genitus) videtur quòd spiritus sanctus & pater sint eadem persona.

¶ RESPONDENDVM, quod ingenitum dicitur duobus modis, scilicèt negatiuè, siue priuatiuè simpliciter: & tunc ingenitum est non genitum: nec dicit aliquam dignitatem; & sic conuenit patri & spiritui sancto. Vel dicitur priuatiuè cum positione quadam, vt sit sensus: ingenitum, id est non genitum, & alius ab eo genitus: & hoc modo dicit dignitatem: isto sensu non conuenit spiritui sancto, sed est necessario distinguens patrem ab alijs personis. Eodē modo potest *non genitum*, distingui: & hoc habetur plenè determinatum tractatu de Trinitate, inquisitione de Notionibus in lib. 1.

¶ SEQVITVR: *Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, &c.* Filius distinguitur ab alijs duabus personis per proprietatem generationis, cùm dicitur genitus à patre solo. In hoc quod dico: *non factus, nec creatus*, priuatur omnis modus causalitatis effectiuæ. Omnis enim causa efficiens aut operatur ex materia præiacenti: aut sine materia præiacenti ex nihilo, sicut solus Deus, & istud dicitur creare: inde sic, filius à patre est: ergo filius habet principium; vel est à principio.

¶ OPPONIT ergo hæreticus: pater est principium filij, ergo filius est principiatum, à correlatiuis. Sed omne principiatum est creatum vel factum: ergo filius est factus, vel creatus.

¶ ITEM, pater est principium filij: sed principium est prima causa causarum, ergo pater est causa filij, ergo filius est creatus: & sicut prius.

¶ AD hoc respondeo: quod hoc nomen, principium, aliter accipitur in natura, aliter theologia. Sicut enim dicit Philosophus: *descendunt nomina, sicut descendunt scientia*: similiter dicēdum, quod ascendunt, sicut ascendunt scientiæ. Ergo quia Naturalis scientia inferior est cōsideratione Theologica: districtiùs accipiuntur in ea nomina, quàm in Theologia, quæ superior est: ratio enim huius nominis, principium, in Naturali philosophia est, quod est prima causarum: & ita hoc nomen, principium, sonat in causam. In Theologia verò communiùs accipitur: ita vt non accipiatur solùm in ratione causæ; sed dicatur principium, à quo est aliud. Fallacia: ergo consequentis est in theologia, si inferatur: pater est principium filij, ergo causa: à superiori ad inferius affirmando. Similiter intelligitur, quod hoc nomen, principium, in natura relatiuè sumitur ad principiatum: in theologia verò aliquando sumitur absolutè, aliquando relatiuè: & ideo non sequitur: pater est principium filij, ergo filius principiatum: prophanæ enim nouitates verborum vitandæ sunt, secundùm Apostolum, 1. Tim. 6. Et ita soluitur primum & secundum. Philosop.

¶ SEQVITVR: *Spiritus sanctus à patre, & filio, &c.* Proprietas, per quam distinguitur ab alijs personis spiritus sanctus, est processio: de qua dictum est supra. Sed hic notandum est, quòd sicut ille exitus, siue relatio, qua filius exit à patre, dicitur generatio: sic exitus, quo spiritus sanctus exit ab vtroque, dicitur processio: & ideo sicut filius genitus, sic spiritus sanctus procedens * distinctis personis: vnus ergo pater. Hoc planum est, & sequitur ex prædictis. * al. indistinctis.

¶ SED ne crederetur, ex eo quod dictum est: vnā personam esse ab alia: vt filium à patre; & spiritum sanctū ab vtroque: quod in hac trinitate esset prius aut posterius: sequitur. *In hac trinitate nihil prius, aut posterius, &c.* Augustinus euacuat omnes errores hæreticorum, qui fuerunt de Trinitate, sic dicens: Nihil creatum aut seruiens in trinitate credendum est, vt vult Dionysius arrianus: nihil inæquale, vt vult Eunomius: nihil gratiæ coæquale, vt vult Eutichius: nihil posterius anteriusve, maius vel minus, vt Arius: nihil extraneum aut officiale alteri, vt Macedonius: nihil persuasione, aut subreptione insertum, vt Manichæus: nihil corporeum, vt Tertullianus: nihil corporaliter effigiatum, vt Antromorpheus & Vadianus: nihil inuisibile sibi, vt Origenes: nihil creaturis visibile, vt Fortunatus: nihil moribus, aut voluntate diuisum, vel diuersum, vt Marcion: nihil de Trinitatis essentia ad creaturas deductum: nihil officio singulare, nec alteri * incommunicabile, vt Origenes: nihil confusum, vt Sabellius; sed totum perfectum ex vno, & vnum: non tamen solitarium, vt Siluanus. Ecce quindecim errores euacuat Augustinus. Symbol. Athanas. Hæreses circa Trinitatem personarum in diuinis. * al incō mutabile

SEQVI-

Symbol. Athan. ¶ SEQVITVR itaq; breuis recapitulatio eorum, quæ dicta sunt superiùs: *Ita vt per omnia sicut iam supra dictum est, &c.* Et sic sumitur prima pars huius symboli, scilicet q̄ pertinet ad ea, quæ de Trinitate credenda sunt.

¶ SEQVITVR secunda pars, in qua agitur de humanitate: & in capite istius ostendit fidem humanitatis necessariam esse ad salutem, cùm dicit: *Sed necessarium est, &c.*

¶ QVÆRITVR hic de philosophis, verùm omnes sint damnati vniuersaliter: eis enim sacramentum incarnationis non fuit reuelatum. Quòd non sint iustè damnati, probatur sic: nullus peccat in eo, quod vitare nō potest: sed hæc ignorantia de Deo incarnando erat eis inuincibilis: quia certificari non erant per reuelationem, nec poterant venire in cognitionem huius rei per naturalem rationem: ergo hoc ignorando, non peccauerunt. Similiter est quæstio de alijs gentibus, quæ fuerunt ante incarnationem.

¶ QVÆRITVR etiam de Iudæis simplicibus, qui nō habebant notitiam prophetarum & legis. Constat enim, quod non habuerunt notitiam incarnationis; damnabūturne ergo vniuersaliter? Probatur quod sic: August. *Nec* (August.) *vixerunt, nec viuent sine fide incarnationis Christi: profectò quia scriptum est Act. 4. Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluari: ex illo enim tempore valet ad saluandum genus humanum, quod in Adam vitiatum est.* Gregorius: *Et qui præibāt, & qui* (Greg sup Ezechiel homil. 17.) *sequebantur clamabant; Osanna filio Dauid: quia omnes Catholici, qui in Iudæa esse potuerunt: seu qui nunc in Ecclesia sunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt.*

¶ QVÆRITVR etiam de surdo baptizato, quamuis per naturalem rationem & suam posse habere fidem de diuinitate, iuxta illud Psalm. 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, &c.* nō potest tamen per naturalem rationem de humanitate fidem habere. Ad hæc per ordinem respondendum est sine præiudicio.

¶ AD primum respondet Apostolus de philosophis, Rom. 1. *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Et sequitur: *Obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Mali ergo philosophi, qui sibi vsurpant gloriam, quæ Dei est, excæcati sunt: nec est eis facta reuelatio incarnationis: tumor enim mentis, est obstaculum veritatis, vt dicit Greg. De bonis verò sic credo, q̄ eis facta fuerit reuelatio, vel per scripturam, quæ apud Iudæos erat; vel per prophetiam, vel per internam inspirationem; sicut fuit de Iob, & amicis eius: *Dominus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* Iacob. 4. Similiter & de alijs simplicibus gentibus intelligendum est.

¶ DE simplicibus verò Iudæis solutum est supra: nam, (Magister in Sentē. distin. 25. memb. 4 art 1.) sicut dicitur in Sentētijs: quòd omnes electi ex eis habuerunt fidem incarnationis, sed aliter quàm docti. Quod enim illi explicitè cognoscebant per scripturas, isti implicitè: vt crederent quod credidit Ecclesia.

¶ DE surdo verò potest, quòd si lumen gratiæ nō fuerit extinctum per peccatum: cùm peruenerit ad perfectam ætatem, necessariò gratia baptismalis docebit eum de omnibus, vel implicitè, vel explicitè credendis, scil. vt credat quicquid credit Ecclesia: si conferre potest, & percipere quid sit Ecclesia. Si autem non, potest sanctificatio baptismalis sufficere ad salutem sibi, sicut paruulo.

Symbolū Athanas. ¶ SEQVITVR: *Est ergo fides recta, &c.* Ista pars diuiditur in quinq; partes. In prima agit de incarnatione, in secūda de passione, in tertia de ascensione, & de aduentu ad iudicium, in quarta de resurrectione mortuorum, in quinta de præmio bonorum & pœna malorum. Prima pars ostēdit duo: primò, scil. duas naturas in Christo perfectas & veras, scil. diuinā & humanam; secundò ostēdit vnitatē personæ in duabus naturis. Dicit igitur: *Est ergo fides Catholica, &c.* scil. planum est, quod dicit: *Deus est ex substantia patris.*

¶ QVÆRIT hæreticus: vna simplicissima essentia est pater, & filius, & spiritus sanctus; si ergo pater est incarnatus, & pater, & spiritus sanctus est incarnatus.

Anselm in lib. de incarnatione Verbi. ¶ RESPONDET Anselm. instans tali exemplo: *Fons, riuus, stagnum, tria hæc vnum sunt, & vna aqua: riuus à fonte, stagnum ab vtroq;: sed riuus est fistulatus, & argumentetur.* Fons, riuus, stagnum, sunt vna aqua; & riuus est fistulatus: ergo fōs & stagnum? non valet: similiter nec illud.

¶ ITEM, aliud exemplum: vegetabilis, sensibilis, rationalis, sunt idem in essentia vel substantia (in homine enim est vna anima) si ergo sensibilis & vegetabilis corpori commiscentur: ergo & rationalis, non sequitur: quamuis enim sint vna essentia, seu substantia: tamen potentiæ sunt diuersæ: secundùm quas differt esse separatum à corpore, & coniunctum. Vnde eadem secundùm substantiam anima vegetabilis & sensibilis corpori coniungitur: separatur autem secundùm vim rationalem. Sic vna substantia, pater, & filius, & spiritus sanctus; sed tres personæ diuersæ: & diuinitas in persona filij incarnata est: non in persona patris, & spiritus sancti.

¶ QVÆRITVR: quare filius, magis quàm pater, vel spiritus sanctus incarnatus sit? Ad hoc respondet August. *Nō pater carnem assumpsit, nec spiritus sanctus, sed filius tantùm: vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in humanitate hominis filius: ne nomen filij ad alterum transiret, qui non esset natura filius, vel natiuitate. Et sic veritas gentis non adoptione, nec appellatione, sed in vtraq; natura filij nomen haberet nascēdo: vt esset verus Deus, verus homo, verus filius.* Alias rationes inuenies in principio tertij Sent. vsque ad illum locum, Planum est.

¶ *Aequalis patri secundùm diuinitatem, &c.* Quæritur, vtrùm de filio secundùm diuinitatem posset dici, quòd pater maior est eo, sicut ipse dicit Ioan. 14. *Pater maior me est:* ergo inæqualis patri, quod error est. (Symbol. Athanas.)

¶ AD hoc respondet Hilarius in lib. de Trinitate: *pater maior est filio generatione, non genere: non tamen filius minor patre.* Et ratio est, quod maior, non sumitur comparatiuè, sed absolutè: & signat auctoritatem in patre, qui à nullo est, & à quo alius: vt dicitur maior ciuitatis, non tñ est maior aliquo ciue in persona, imò cuilibet ciui est æqualis.

¶ SEQVITVR secundum, in quo ostenditur vnitas personæ in duabus naturis: *Qui licet Deus sit, & homo, &c.* In (Symbol. Athanas.) hoc versu remouentur tres errores: nam dum ostenditur veritas personæ Christi in duabus naturis: remouetur error vnus hæreticorum, mentientium duas personas esse in Christo. Secundus error remouetur, cùm dicitur: *Vnus autem non conuersione, &c.* dixerūt enim diuinitatem in Deo factā, cùm factus est homo. Tertius error remouetur, cùm dicitur: *Vnus omnino nō confusione, &c.* dixerunt namq; confusas esse naturas, diuinam & humanam: cùm vna substantia esset Christus Deus & homo. Contra quod fides Catholica dicit: *Non confusione substantiæ:* & probat hoc exemplo: *Nam sicut anima rationalis, & caro, &c.* Duæ enim substantiæ penitus impermixtæ corpus & anima rationalis sunt vnus homo & vna persona: sic diuina & humana natura in Christo vna persona.

¶ NOTA. Augustinus errores hæreticorum cōtra humanitatem assumptam, ita euacuat, dicens: *Natus est filius* (Hæreses circa humanitatē Christi ex B. Augustino.) *Dei ex homine, non per hominem, & non ex virili semine, & coitu: sed carnem ex Virginis corpore trahens, non de cælo secum afferens, sicut Marcion & Origenes affirmant. Nec phantasticè, id est absque carne: sicut Valentinus: neque putatiuè imaginatum, sed corpus verum. Non tantùm carnem sicut Martianus, sed animam cum ratione sua: & rationem cum sensibus suis: per quos sensus in passione sua & ante passionem dolores carnis suæ sustinuit. Neque sic natus est de Virgine, vt diuinitatem non nascendo acciperet: quasi antequam nasceretur de Virgine, Deus non fuerit; sicut Anthemon & Marcellus docuerunt: sed æternus homo Deus de Virgine natus.* Augustinus in lib. 83. Quæstionum, quæst. 11. inuehitur contra hæreticos mentientes corpus Christi fuisse phantasma: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus: & si fallit, veritas non est: est aūt veritas Christus. nō ergo phantasma fuit corpus eius.*

¶ QVÆRITVR de hoc: *Sicut anima rationalis, &c.* si anima & caro sunt partes hominis, id est totius cōpositi: ergo (Symbol. Athanas.) Deus & homo sunt partes Christi; quod est error: omnis enim pars inquantum pars diminuta est, quia caret integritate totius. sic ergo esset Deus diminutus.

¶ AD hoc respondetur Rom. 1. super illum locum: *Qui factus est ex semine Dauid, &c.* Glos. *Non ex duabus naturis vna facta est natura composita: Christus namq; vna persona est geminæ substantiæ: nec tamē Deus vel homo pars huius personæ dici potest.*

Alioquin

Alioquin Dei filius, antequam formam serui acciperet, non erat totus: & creuit, cùm homo diuinitati eius accessit. Respondendum ergo, quod non est penitùs simile: & ita est ibi fallacia cõsequentis: idem enim est ac si diceretur; est simile quò ad hoc: ergo simile quò ad omnia.

Symbol. Athanas. ¶ SEQVITVR: *Qui passus est pro salute nostra, &c.* istud expositum est suprà: recurre igitur ad illum locum. Hic quęrit Augustinus, quare Christus tam ignominiosè mortuus est? Respondet in lib. de Symbolo: *Quid dicam? Christus tale genus mortis elegit, vt aliquod genus mortis Martyres non formidarent.* Vnde & in lib. de vera Religione: *Satellites voluptatum diuitias appetebant, pauper esse voluit: honoribus inhiabant, rex fieri noluit: mortem metuebant, morte damnatus est: ignominiosum genus mortis crucem horrebant, crucifixus est. Non enim vllum peccatum committi potest; nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit: aut fugiuntur ea, quæ ipse sustinuit.*

Symbol. Athanas. ¶ SEQVITVR: *Ad cuius aduentum omnes homines, &c.* Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 6. *Erit resurrectio mortuorum, & omnium, sed vna & semel: non prima iustorum, secunda peccatorum: vt fabula est somniatorum: sed vna omnium. Et si id resurgere dicitur, quod cadit: caro ergo nostra in veritate resurget, sicut in veritate cadit: & non secundùm Origenem, immutatio corporum, id est, in aliud: non corpus nouum pro carne; sed eadem, quæ corruptibilis cadit; tam iustorum, quàm iniustorum resurget incorruptibilis.* Et cap. 9. *Non est alia resurrectio futura post generalem (quam Origenes delirat) vt dæmones vel impij homines post tormenta quasi supplicijs exurgant, vel illi in Angelicam redeant, quæ creati sunt dignitatẽ: vel isti iustorum societati donentur: eo quòd hoc diuinæ pietati conueniat, ne quid de rationalibus creaturis pereat, sed quolibet modo saluentur. Nos credamus ipsi iudici omnium, & retributori iusto, qui dixit: Ibunt impij in suppliciũ æternum, iusti autem in vitam æternam: vt percipiant fructum operum suorum.*

¶ SEQVITVR Epilogus: *Hæc est ergo fides Catholica, &c.* Repetitur materia, cùm dicitur: *Hæc est fides, &c.* Et subditur comminatio, cùm subditur: *Quam nisi quisq;, &c.* Symbol. Athanas.

¶ QVÆRITVR: quæ sit differentia inter ista duo, *fideliter, & firmiter?* quia vnum sufficere videtur.

¶ RESPONDEO. Per hoc, quod dicitur *fideliter*, notatur fides, & rectitudo in motu fidei, quæ est assentire primæ veritati propter seipsam. Per hoc quod dicitur, *firmiter*. notatur modus charitatis, qui est annexus fidei. Purificatur enim anima per fidem, Act. 15. *Fide purificans corda eorum*, sed firmatur per charitatem; cùm scilicet fides per dilectionem operatur; sicut dicitur ad Galat. 5. vnde Cant. vltim. *Fortis est vt mors dilectio.* Et sic terminatur istud beati Athanasij Symbolum.

FINIS TERTII TOMI.

3_/_